#

Plutarque

PLVTARCHI CHAERONENSIS

MORALIA, quæ vsurpantur. sunt autem omnis elegantis doctrinæ PENVS: Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, deniq; ad politiorem litteraturam pertinentes & humanitatem:


OMNES DE GRAECA IN LATInam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide:

GVILIELMO XYLANDRO AVGVSTANO interprete.

Accesserunt his INDICES *locupletißimi.*

achepté de madlle ... 18 xbre 1693







BASILEÆ,

PER THOMAM GVARINVM,

M. D. LXX.

AD ILLVSTRISSIMVM ATQVE OPTIMVM PRINCIPEM, LVDOVICVM, COMITEM PALATINVM *Rhenanum, ducem Bauariæ etc. principem dominúmque suum benignissimum,* GVILIELMI XYLANDRI, *in* PLVTARCHI *operum volumen posterius suum,*

PRAEFATIO.

PLVTARCHI Chæronensis commentariorum horum, quos à me de Græcis inenarrabili atque incredibili labore, summáque fide & solicitudine Latinos factos tibi, LVDOVICE princeps Illustrissime, offero & dedico, ea est omnium doctorum consensu & prædicatione dignitas, venustas, ac vtilitas: vt vereri nullo modo debuerim, ne tibi hoc nostrum munus vile, aut tanto principe parum dignum videri posset. Porrò autem cùm iampridem compertum haberem, te patris tui omni laude superioris principis, maiorúmque adeò vestigiis insistentem, summa erga clientes tuos (inter quos nomen meum profiteor) humanitate vti: opus hoc meum, quodam tibi iure tuo debitum, vt sub tuo illustrissimo nomine in publicum darem, téque hac vna qua possem ratione demererer, diligenter considerata re consultissimum fore duxi. Iure inquam tuo, princeps optime. Nam cùm ante annos ferè decem alterum Plutarchianorum volumen operum, quo vitæ præstantissimorum Græcorum ac Latinorum exponuntur virorum, itidem à me in Latinam traductum linguã inscripsissem inclytissimo PATRI tuo, alterum primogenito eius filio, quem fouendo etiam Xylandro confidebam paternas æmulaturum virtutes, iam inde ab initio mearum in hoc opere ærumnarum animo destinaueram. Proinde in certissimam venio spem, cùm tibi, Illustrissime princeps, tum bonis & humanis censoribus omnibus huius meæ dedicationis rationes admodum probatum iri: ideóque nolo iis copiosiùs explicandis opinionem bonitatis causæ deminuere. Iam de ipso opere, eius autore, meóque interpretis labore vt aliquid dicam, non tam res ipsa me cogit, quàm non malè receptus præfandi mos hortatur, propter lectores, vt præcipuè apparet, institutus.

Neque enim laudibus maiorum tuorum, & quę tibi propriæ sunt decãtandis, paginas implere decreui. quod genus exornationis qui tractent & sunt, & erunt alij me instructiores atque facundiores. Mihi in præsentia satis est cùm tibi, Princeps humanissime, tũ candido Lectori demõstrare, meum hoc tui demerendi officium non esse à tua amplitudine alienum. Nam quid ego PLVTARCHVM laudem, virum (quod summi viri testati sunt, hodiéque vno omnes periti ore adfirmant) incomparabilem? quid commendem philosophiæ omnes partes, historiam, litteraturam, & antiquitatis reconditissimæ declarationem, quæ omnia hoc volumine quasi in copiæ cornu vberrimo cõpræhensa proponuntur? quid de meo studio, conatu, labore, ærumnis exanclatis in hoc opere me iactem? PLVTARCHVM quidem laudare si ordiar, non iniurià repræhendi possim eo modo, quo ab Antalcida repræhensus quidam fertur, Spartæ Herculem laudare aggressus. quis enim Plutarchum vituperauit? Ac nos quidem cùm dudũ in Vitas ab hoc scriptas præfaremur, vtcunque narrauimus qui is vir fuisset: quæ huc inculcanda minimè duxi, suo loco copiosiùs omnia (Deo volente) enarraturus. Tamen me continere non possum (tanta est in animo meo huius scriptoris veneratio) quin aliquid saltem dicam. Spintharus Tarentinus, magni vir nominis, Epaminondam cùm vellet laudare, aiebat Neminem sibi obtigisse hominem, qui & sciret plura, & pauciora loqueretur. Magna mehercle laus, magníq; de maximo viro præclarum testimonium. Ego autem de Plutarcho pronũciare hoc non dubito (doctioré sque etiam idem fassuros de se quenque arbitror) neminem vnum scriptorem in manus pervenisse meas, qui & plura in omnis generis rebus habuerit cognita, & plura litteris complexus philosophiæ, prudentiæ humaniorísque litteraturæ, quam philologiam dicunt, studiosis fide & facundiat tanta tradiderit subsidia. qua laude an maior vlla scriptori alicui egregio tribui possit, haud scio. Equidẽ fateor taciturnitatem in vita cõmuni apprimè vtilẽ ac laudabilẽ esse, tutámque (vt Flaccus noster scitè dixit) habere mercedem. Verùm de multarũ earúmq; optimarũ rerũ peritis & doctis appositè, puto, vsurpauerit aliquis illud Cyclopis Euripideum. qui, cùm Vlisses diceret,

Plutar. gen. Socrat. & de aud.

3. Carm. 2.

Habens

Habens tua ipse, videberis honoratior: respondit.
Vtilior autem, amicis largiens, ero.

& in hoc genere maximè verum est, quod apud eundẽ poëtam Iolaus pronũciat, virũ bonum proximis natũ esse. Ac si Heraclidis. bonum communius quanto est, tanto haberi debet melius, quæ sententia in Proverbium abiit: bone Deus, quàm meruit præclarè de humano genere Plutarchus, qui non contentus didicisse & docuisse tam multa támque admiranda, ad posteritatem quoq; & vniuersos mortales condẽda hac bibliotheca (sic enim meritò appellabimus hoc eius opus) doctrinam & peritiam suam propagauit. Quanquam hanc quidem locupletiorem multò haberemus, si ad nos omnia autoris huius scripta pervenissent: cùm Eusebius, Stobæus, & Gellius (siue is Agellius est) citent libros Plutarchi iamdudum amissos. quorum iacturam apparet è reliquiis esse dolendam: Stromatéas Plutarchi, & opus de Dędalis Platæensibus Eusebius adducit. Stobæus cùm alia, tum librum de mulieribus instituendis, Epistolam de amicicia, contra vires corporis, de quiete, de nobilitate, contra nobilitatem, contra diuitias, de amore, de diuinatione. Gellius de diversa animorum & corporum indole & virtute, secundum de Homero librum (de eo quem nos damus, alibi dictum est quid sentiremus) & primum de eodem, de anima primum, aliósque citat, vt Sympoſiaca, non sanè iisdem verbis, aut eodem ordine quo hodie legũtur. Laudatur etiam vt testis de rebus non vulgaribus præter eos quos dixi ab Eustathio cõmentariis Homericis: adeóque à Simplicio Aristotelem de anima interpretante. ne Athenæum referam, aut Macrobium, qui bucula ipsius non ita raro arauerunt. Qua de re, aliísque ad Plutarchum nostrum pertinentibus, prudens hæc plura dicere supersedeo. cùm (vt dixi) breui sperem fore, vt rem istam commodè pertractem totam. Ergo de Plutarcho in præsentia satis. Opus ipsum quale esset, iam obiter monui. MORALIA titulum ei faciunt, itáque vulgò appellant. siue quòd maiorem partem putant esse de philosophia morali, siue ꝙ ab ea sophiæ parte, quæ vitæ humanę maximè est necessaria, tanquã à potiori denominandam totam horum opusculorum duxit congeriem, quicunque tandem huius indicis autor est. Nam moralia quidem sunt

[Margin notes: 1. & 2. lib. De præpar. Euan. — I. 1. / II. 8. / IIII. 12. / XV. 10.]

& multa & admirandæ doctrinæ atque venustatis. Sed audire velim, quænam pars porrò philosophiæ, quæ facultas, quæ litteratæ philologiæ portio non plurimum ex his ipsis disci Plutarchianis & illustrari queat opusculis. poterã recẽsionem huic loco demonstrãdi eius quod dixi gratia attexere. sed vt ne te Illustrissime Princeps, diutius abstinerem ab ipsius Plutarchi nostri lectione, aut per transennam ignauis proponere voluisse inspiciendas tantas res existimarer: saltem ad Indices eorum quæ Latina damus opusculorũ prouoco, minimè vel obscuros, vel arrogantes: sed qui cũ moralibus physica, mathematica, logica, historica, deniq; omnis generis litteras tractari doceríq; demonstrẽt. Reliquum lectio librorũ ipsa abvndè patefaciet. Itaq; iam nũc quod non supervacaneum esse magnis argumentis colligo, ad rationem meorum laborum breuiter reddendam me confero. Res ergo ita habet. Ante annos aliquot, ex quo Vitæ Plutarchi nostrę hominum doctorũ & ingenuorũ manus peruolitarunt, non defuere qui suaderent, hortarentur, vrgerent, instarent; vt alterum quoque hoc volumen eodem modo è Græco in Latinum sermonem transferrem. Hæsitaui diu, quòd viderem ante me neminem vnum ausum esse tantum opus moliri. vtpote cuius absolutio ineffabilem laborem, & tantum non totius philosophiæ ac litteraturæ peritum, plurimæque lectionis & acerrimi iudicij hominem desideraret, ne quid dicam de felicitate loquendi & facundia. quę omnia quanta in me sint, satis probè noui. Videbam viros doctissimos ita ferè hæc piscatos, vt facilima aut gloriã paratura aliquam deligerent Latinè edisserenda, iis quæ difficiliora aut minus splendida essent præteritis. quo factum est, vt quædam in hunc vsque diem (nisi quid nos fugit) interpretem nullum sint nacta. Nolo nunc commemorare, quàm multa & miseranda interdum errata eorum qui ante nos delibauere de hoc Opere aliquid deprẽhẽsa sint. cùm probem tragicam illam imprecationem:

Pereas, quicunque humana seligis mala.

Tandem victus ęquitate, vt arbitrabar, flagitãtium, & rempublicam adiuuandi indefesso etiamnum studio, in humeros meos hoc mihi onus imposui, & quo potui omnino modo ad finem pertuli. Hic locus facit vt te, Illustrissime atque

beni-

benignißime princeps, paulò liberiùs compellem: causæ bonitate meæ, & tuæ in primis fretus æquanimitatis fiducia. Considerans enim aliquis tanti operis molem, & cùm varietate rarißima coniunctam maiestatem, tum mendarũ & lacunarum paßim impedientium multitudinem, (quorum magnam partem interpretes nos antegreßi aut non obseruauerunt, aut pro suo commodo dißimulauerũt: nos asteriscis allitis inopiam nostram testatam fecimus) tum quàm multi ac varij versus carmine nobis reddendi, quis labor in conquirendis & annotãdis ad expediendũ Lectorem locis ab autore allegatis, quantúsque fuerit & quàm molestus tolerandus. hæc inquam, & alia quæ modestiæ causa dißimulo, considerans aliquis: facilè intelliget (modò homo sit) me mihi ita esse conscium, vt citra vllum vel somniũ impudentiæ & potuerim, & debuerim T. A. has meas vigilias, meque vnà tuæ benignißimę liberalitati offerre. Atque adeò, vt sumam (quod Horatius vsurpauit noster) superbiã quæsitam meritis: cepi provinciam duram, aut durißima potiùs quavis duriorem, & quam nondum vidi quis vnus se aditurũ ita polliceretur, vt promissum impleret. adiui tamen & multo quidẽ sudore, grauißimísq; laboribus, tamen Dei benignitate adiuuãte hoc monimentũ exegi. quod quale sit, ipsa res loquetur. Doctorũ quidẽ hominũ iudicia non reformido: periti modò sint rerũ, & candidi. cæteros facilè cõtemno. Id de me citra arrogãtiã poßũ affirmare, hac mea lucubratione nõ iis modò cõmodatũ esse, qui Gręcæ linguę ignari PLVTARCHVM vel omnino nõ legũt, vel sępe alienũ pro autoris sensum in vulgatis versionibus accipiũt: sed etiã iis, qui non planè imperiti Græci sermonis, in tãta varietate rerum cõparatione gaudent vtriusq; linguę. Glaciem, quod aiũt, ego secui: multísq; molestiis leuaui studiosos pulcerrimarum rerũ cognitionẽ affectantibus. Quo minùs curo eorũ morositatẽ, qui nisi Ciceronianũ, tersum politũq; & nescio quo tandẽ instrumento limatũ nihil probãt. Ego perspicuitati operã dedi, qua nihil debet esse antiquius interpreti. Verba vsitata & disertè significantia multo malui suis locis adhibere, quàm obscurare studio nescio cuius Latinitatis res ipsas. ausus sum etiã vti nõnunq̃ in philosophicis explicãdis licẽtia confingendorũ verborũ, vt intelligi sentẽtię possent.

Denique id quod licuisse mihi arbitratus sum in Vitarum interpretatione, & ibi in Prefatione quale esset exposui: hæc mihi imperatum ab ipsa re sensi, ac morem gesi necesitati. Sed hæc præcidenda sunt: nam repræhensores neque spero fore vllos: neq; sycophātas metuo. Satis mihi est, & erit, doctis atq; cādidis iudicibus, & qui circunstantias etiam rerum mearum, temporum, opportunitatúmq; æquo animo norint perpendere, me posse probare ærumnosam hāc meam operam, reipublicę litterariæ nauatam. atque id me posse, confido.

Tantum itaque est, quod præfari ad te, Princeps Illustrissime, volui. Restat vt tibi opus nostrum commendem. Sanè spem non dubiam animo meo concepi, hanc meam lucubrationem iampridem à doctis etiam viris exspectatam, in manus hominum ita perventuram, vt & vsui, & oblectationi permultis sit futura. vtque sic sperarem, & PLVTARCHI scriptorum præstantia, & mea (quod arroganter non dico) solertia atque laboriosisima industria mihi persuaserunt. omnino autē hinc ad rempub. & ad priuatos homines vtilitatē fructúmq; non pœnitendum rediturum, etiā alij me tacente ausi sunt spondere. Ergo, Illustrisime princeps, totum hoc emolumentum quod ad rempublicam è nostra ærumnosisima pertinebit hac lucubratione, tibi volo acceptum grato animo ferant, tibi se Latinos hos Plutarchi commentarios debere agnoscant, tuis auspiciis me hoc confecisse opus sentiant, ideóque te colant boni & eruditi omnes. Totum hoc tuum esto, quidquid est laude & gratiarum actione dignum: erit pofectò nonnihil. Ego abs te, P. A. vicisim vnum hoc peto qua debeo reverentia & submissione, vt hoc nostrum munus benigno æquóque accipias animo, & miseriarum laborúmque nostrorum eam habeas rationem, quam tibi generosisima tua indoles, auita virtus, PATRIS exemplum, & spes nostræ gratitudinis non deceptura dictabunt. Credo non defuturos, quibus hæc nostræ præfationis coronis putida & sordida videbitur. Sed meæ res sic sunt, sic est animi candor. & Tuæ, Princeps, humanitati certus sum hæc acceptiora fore, quàm per adulandum & ambages quæsitam (vt hodie vulgò fit) liberalitatis tuæ solicitationem. Non erit Tibi dedecori, non erit fraudi,

Princeps

Princeps Illustrissime ac clementissime, fructum nostræ lucubrationis huius quem multi putant fore neutiquam aspernandũ) ad rempublicam cum aliqua, etiam tuæ munificentiæ prædicatione redire: nos quidem, & nostra omnia invenies tibi præstò esse, si quis vsus tenuitatis nostræ esse aliquando tuæ Amplitudini possit. Interim tuæ Illustrissimæ Celsitudini, & coniugi lectissimæ Principi, liberis, familiæ omnibúsque iis quæ cara habes, à DEO OPT. MAX. omnia faustissima precamur, tuæque nos clementiæ suppliciter commendamus. Heidelbergæ. Eidibus Sextil. anno M. D. LXX.

T. I. C.

Subditus, & addictissimus cliens

M. Guilielmus Xylander, philosophiæ publicus in Academia Heidelbergensi professor.

LIBRORVM ET TRACTATVVM, QVI hoc PLVTARCHI MORALIVM volumine continentur, ordo.

De

ΕΙΣ ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΝ ΚΑΙ Ξύλανδρον τοὺς φιλοσόφους.

α Τίς βίβλος; β πλούτοιο γέμουσα. α τίνος φίλε πλούτου;
β ἱστορίης, σοφίης, παντοδαπῶν τε λόγων.
α Θαῦμα λέγεις μέγα. τίς δὲ βροτοῖς τόνδ' ὤπασε πλοῦτον;
β Πλούταρχος, πάσης πλοῦτον ἔχων ἀρετῆς.
α ἀρχὸς ἄρα πλούτοιο σοφῶς Πλούταρχος ἐκλήθη.
καὶ τίσι συλλέξας ὤπασε πλοῦτον ἑόν;
β Ἑλλάδι. α τίς μετὰ κεῖνον ἅμα προύθηκεν ἅπασι,
ξύμπαντ' ἀλλάξας γῆρυν ἐς αὐσονίην;
β Ξύλανδρος. α σέ νυν ἀμφαγαπῶ Πλούταρχε φέριστε,
καὶ Ξύλανδρον ἑόν, πλουτοδότην ἕτερον.

Ioan. Levuenklaius.

PLVTARCHI CHAEronæi, grauissimi & Philosophi & Historici,

ETHICA, siue MORALIA opera:

G. XYLANDRO Augustano interprete.

PLVTARCHI
DE LIBERIS EDVCANDIS, Commentarius.



ONSIDEREMVS in præsentia, quid dici possit de ingenuorum puerorum institutione, & quanam vsi ratione bene morati evadere possint. Opinor autem initium ab ipsa ducendum procreatione. Ergo qui parentes fieri cupiunt laude dignorum liberûm, iis ego quidem hoc consulerem, ne cum quibusvis mulieribus rem haberẽt: quales, inquam, sunt meretrices, & pellices. Quorum enim vel à patre vel à matre aliquid vitij habẽt natales, eos per omnem vitam opprobria comitantur, quæ elui nullo modo possunt, suntque in promtu vitia ista, si qui afficere eos ignominia volunt. Ac sapienter dictum est à poëta,

Procreatio.

Nisi fundamenta stirpis iacta sint probè,
Miseros necesse est esse deinceps posteros.

Euripid. Hercul. furente.

Est itaq; præclarus libertatis thesaurus ingenuitas, cuius plurimã ducere debent rationem, qui legitimam liberorum affectãt procreationem. Etenim eorum quibus genus est subditicium & adulterinum, animi spiritus ponere, humíq; repere solent. rectissiméq; hoc cecinit poëta,

Non duritate tanta est quisquam pectoris,
Obnoxio qui non animo & seruo fuat,
Culpæ patris matrísve conscius sibi.

idẽ Hippolyto.

Sicvt contrà arrogantia quadam animiq; exsultatione implentur illustribus nati parẽtibus. quo modo Diophantum Themistoclis F. frequenter aiunt & ad multos dixisse, Quidquid ipsi placuisset, id populo quoq; Atheniẽsi probari. suæ enim sententiæ matrem suffragari, huius Themistoclem, cuius vniuersi Athenienses ratum habeãt decretum. Omnino autem laude digni sunt Lacedęmonij ob altitudinem animi, qui Archidamum regem suum pecunia mulctauerunt, quòd pusillam vxorem ducere non esset veritus. causa exposita, quod is non reges, sed reguncvlos ipsis statuisset generare. His continuò id subiungendum est, quod ne eos quidem fefellit, qui ante nos hoc argumentum tractauerunt. quid, inquies, illud? Quod qui rem habere cum mulieribus prolis gignendæ causa volunt, aut omnino vini vacuos, aut certè mediocriter eo vsos hoc convenit facere. Adsolent enim vinosi & ebriosi fieri, quos patres ebrij seuerunt. Quamobrem etiam Diogenes adolescentulum videns animo abalienatum, & mentis malè compotem, dixit: Adolescens, pater te ebrius genuit. Atq; hæc quidem de procreatione dicta sunto. nunc de institutione dicendum. Vt igitur summa rem totam complectar, quod de artibus & scientiis solemus, idem & de virtute pronunciandum est. scilicet ad eius perfectionem tria oportere concurrere: naturam nimirum, rationem, & adsuefactionem. rationem verò intelligi volo doctrinam, & adsuefactionis nomine exercitationem. Initia hoc in genere debentur disciplinæ, vsus exercitationi,

Quæ ad institutionem necessaria.

perfectio omnibus. & vbi horum aliquid defecerit, ab ea parte mancam fieri virtutem necesse est. Natura quippe absque disciplina si sit, cæca est: disciplina, si à natura destituatur, defecta: exercitatio his duobus demtis imperfecta est. Et quemadmodũ ad agriculturam primùm requiritur bonũ solum, deinde peritus colonus, deniq; semina frugi: ita planè hîc natura solo, agricolæ magister, semini præcepta atque instituta respondent. Hæc ego omnia contendere ausim convenisse atque conspirasse in animas omnium ore decantatorum hominum Pythagoræ, Socratis, Platonis, atq; aliorum, qui nulla vnquam obliuione delendam gloriam sunt consecuti. Sanè beatus diisque acceptus est, cui deus ista omnia tribuit. Si tamen aliquis ita putat, eos qui ingenio non sunt felici, vbi ad virtutem rectè instituuntur atque exercentur, non posse naturæ defectum mediocriter exsarcire, scire debet in errore se non paruo, immò autem summo versari. Naturæ enim bonitatem socordia corrumpit: vitium doctrina corrigit. & cùm facilia negligentes nos fugiunt, tum difficilia consequimur accuratione. Et verò multarum rerum contemplatione addiscere possis, quantum efficacitatis atque ad perficiendas res virium habeant industria atque labor. Nam & aqua guttatim lapsa lapidem cauat: & ferrum atq; æs manuum contrectatione atteruntur: & rotas curruum labore magno curuatas nullo possis conatu in pristinam restituere rectitudinem: ac incuruos histrionum lituos in rectum dirigere nulla vis queat. adeò quod contra naturam labor effecit, ipsa naturali facultate fit validius. Quid? an hæc duntaxat sunt quibus diligentiæ vis demonstrať? immò verò sunt innumera porrò alia. Solum telluris bonum fuit: cultura cessante sterilescit. quantóque melius fuit natura, tanto deterius fit neglectu. Alia contrà est tellus dura atque asperior æquo, ea tamen culta præclaros illicò edit fructus. Iam quæ arbores non tortuosæ fiunt atque infrugiferæ, si per incuriam habeantur? quæ non frugiferę fiunt atque fecundæ, si rectè educantur? Aut quorum corporum robur non hebescit atque dissipatur socordia, luxu, prauáque habitudine? quis contrà ita fuit invalida natura, vt nõ exercitationibus & certaminum studio maxima fecerit ad robur incrementa? Qui verò equi à prima ætate rectè domiti non parent sessoribus? qui maturè non subacti, duriceruices & feroces non exstiterunt? Et quid attinet alia nos admirari, quando de bestiis ferissimis multas videmus cicures mansuetásque labore redditas? Rectè etiam Thessalus ille, qui percontanti quinam Thessalorum essent placidissimi, respondit, Qui militandi finem fecissent. Cur verò insistam pluribus recensendis? cùm mores ipsi Græco sermone nihil sint quàm adsuefactio diuturna, neq; abs re morales virtutes dixeris virtutes cõsuetudinis eorum lingua. Vno adhuc huius rei exemplo proposito, desinam prolixiùs ista declarare. Lycurgus, is qui Lacedæmoniis leges posuit, duos catulos iisdem prognatos canibus diuersa omnino ratione educauit, alterum delicatum & luxuriosum, alterum indagini & venationibus aptum reddens. Quodam inde tempore cùm frequentes in concionem Lacedæmonij coiuissent: Magnum, (inquit) Spartani, ad virtutem concipiendam momentum adferunt adsuefactio, educatio, doctrina, atq; condocefactio. quod ego vobis iamnunc cõmonstrabo. simúlque duos istos catulos productos posita in medio patina & lepore, dimisit. quorum cum alter illicò leporem, alter patinam peteret, neque etiamnum assequerentur Lacedæmonij quid sibi catulis illis ostendendis vellet: hi, inquit, iisdem nati parentibus, diuersa educati ratione, ventri alter deditus, alter venaticus evaserunt. Dictum satis de adsuefactione & vitæ institutione. Consequens est vt de nutritione disseramus. Mea quidẽ sentẽtia matres ipsæ nutrire infantes atq; lactare debent. maiore enim cum adfectu animi alent eos, maioréq; studio, vtpote intimè, & à teneris (quod aiunt) vnguiculis diligentes. Nutricum enim amor subditicius atq; adsciticius est, vtpote mercedis gratia diligentium. Sed & ipsa natura docet ipsis matribus lactandam esse atq; alendam suam prolem. ideò enim cuivis animali parienti alimentum lactis suppeditauit. ac planè sapiens est providentia, quæ bina mulieribus vbera dedit, vt etiã si gemellos partu edidisset, vterq; haberet alimenti sui fontẽ. Absq; etiã hoc esset, tamen isto modo matres liberis redderẽtur benevolentiores, amorémq; erga eos maiorẽ cõciperent. neq; id iniuria. convictus enim quasi intensio quædã est benevolentiæ. quando etiam à bestiis ademtas alias quarum vsæ erant convictu, desiderari videmus. Maximè igitur, vt dixi, tentandum hoc est, vt ipsæ matres mammam suis præbeant infantibus. Sin id præstare nequeant, vel ob corporis invaletudinem, (vsu enim hoc venire potest) vel quia ad nouæ sobolis festinant

Industriæ & exercitationis vis.

Educatio.

Quomodo nutriendi liberi.

pro-

procreationem: saltem nutrices non quasvis, sed quàm fieri potest maximè probas deligamus. Primũ in hac re sit, vt moribus eæ sint Græcanicis. Sicvt enim membra corporis statim ab ipsis natalib. infantis sunt fingenda, vt rectè adolescãt, neq; distorqueanť: ita & iam inde ab initio indoles eius informanda est. Est namq; pueritia ob mollitiem efficťu facilis, animisq; puerorum teneris etiamnum facilè insidet quod discunt. sicvt contra quæ dura sunt, ea difficulter molliuntur. Et sicvti sigilla mollibus imprimuntur ceris, sic disciplinæ puerilibus adhuc animis insiguntur. Ac mihi videtur diuinus Plato nutricibus prudenter præcepisse, ne quasvis fabulas pueris recitent, ne horum animi à principio stoliditate ac prauitate occupentur. Sed & Phocylides videtur bene hortari hoc versu,

Ad finem secũdi de repub.

Instituenda bonis est ipsa pueritia rebus.

Cæterùm ne id quidem prætermittendum est, debere pueros qui alumnis inseruient vnàq; alentur quæri, primùm qui bonis sint moribus, deinde Græco vtantur eóq; plano sermone: ne cum barbaris & prauos habentibus mores si consuescant, inde aliquid vitij ducant. proverbio enim sententia minimè absurda iactatur, si cum claudo habites, fore vt subclaudicare discas. Postquàm eò ætatis puer pervenit, vt iam sit pædagogo subdendus, ibi tum adhibenda est accuratio, ne filios nostros per imprudentiam mancipiis, aut barbaris, aut leuibus hominibus tradamus. Nam plus quàm deridiculum est, quod hodie plerisque vsu venit. qui cùm seruorum quos habent probos, alios agriculturæ, alios rei nauticæ, alios mercaturæ, alios administrationi rei familiaris, alios vsuræ exercendæ adhibeant: si quod inveniunt mancipium ebriosum ac gulæ deditum, & ad omnia invtile negocia, id liberis præficiunt. Oportet autem bonum pædagogum eo esse ingenio, quo fuit Phœnix Achillis pædagogus. Nũc quod omnium est eorum quæ hactenus dixi maximũ atq; summum, dicere aggrediar. Quærendi sunt liberis magistri, quorum & inculpata sit vita, & mores iustæ repræhensioni non obnoxij, & peritia minimè vulgaris. Fons enim & radix virtutis atque honestatis vitæ, est institutio proba. vtq; agricolæ stirpibus pedamenta apponũt: sic probi magistri accuratis pręceptis admonitionibúsque adolescentes suffulciunt, vt mores recti inde germinent. Nunc verò etiam despuas in contumeliam quorundam parentum, qui priùs quàm futuri magistri vllum fecerint periculum, ignoratione aliquando aut etiam imperitia decepti, non spectatis, adeóque etiam malæ notæ hominibus filios suos committunt. Quanquàm non hoc est vsque adeò ridiculum, si quidem imprudentia peccatur. Illud extremè absurdum, quod aliquando, monentibus qui id melius norunt, scientes quanta sit magistrorum quorundam imperitia iuxtà atque prauitas, iis tamen suos mandant liberos: vel adulationibus blandientium victi, vel rogantibus eam amicis gratiam dantes. quod perinde est, ac si quis ægrotans omisso qui arte mederi posset medico, in amici gratiam deligat à quo ob eius inscitiam necetur: aut repudiato nauis optimo rectore, amico petente pessimum deligat. Prò deûm atque hominum fidem: patris nomen gerit aliquis, & maiorem habet rationem gratiæ petẽtium, quàm liberûm institutionis? Nonne cõsentaneum est, q̃d antiquus ille Crates dixit? se, si fieri posset, altissimo vrbis loco conscenso proclamaturum: Quô tenditis homines? qui rei faciundæ omne impenditis studium, filiis, quibus opes vestras relinquetis, curam perparuam? Quibus ego adderem, tales patres perinde agere, ac si quis de calceo sit solicitus, pedem nihil curet. Multi etiam parentes eò progrediuntur & auaritiæ & in liberos suos odij, vt ne maiorem opus habeant mercedem pendere, magistros filiis conducãt homines nullius precij: inscitiam sectantes vilem. Quam ob rem Aristippus patrẽ excordem neq; inelegante, & pvrbano sermone pupugit. à quo interrogatus quantũ mercedis pro filij sui institutione posceret, Mille denarios respõdit. eóque exclamante, Hercules, vt valdè nimium exigis, cùm possim mille denariis seruum emere. Proinde, dixit, duo habebis mancipia, filium scilicet tuũ, & id q̃d emeris. Deniq; qui non sit absurdum, cum adsuefacias puerum vt alimentum dextra sumat manu, increpésque si læuam porrigat: nullam interim te curam adhibere, vt dextros probósque is sermones audiat? Iam quid eveniat mirificis istis parentibus, postquam liberos malè enutritos malè instituerunt, audi. Postquam hi sumta iam virili toga, contemto sano & composito vitæ ductu, in incompositas atque seruiles voluptates sese præcipitauerunt: tum demum eos pœnitet neglectæ liberorum institutionis, mœrorem ex eorum sceleribus percipientes, quem nulla subsequitur vtilitas. Alij

Pædagogus.

Magistri seu præceptores quales quærendi.

Dictum Cratetis.

enim adulatores sibi adiungunt ac parasitos, hominum genus prauum & execrabile, perniciem pestémq; iuuentutis. alij scorta & meretrices redimunt proteruas atq; sumtuosas. alij abliguriunt sua, alij in aleam & comessationes à recto vitæ cursu efferunt. sunt qui & maiora audent flagitia, adulterantes, orgia Bacchi obeũtes, & vel vnã voluptatem morte redimendam putantes. Qui si versati cum philosopho aliquo fuissent, nunquam profectò talibus sese emancipassent rebus: sed Diogenis saltem præceptũ didicissent. qui verbis quidem insolentibus, verè tamen quod ad res ipsas attinet, monuit, Ingredere lupanar aliquãdo, vt discas nihilne res honestæ ab indignis differant. Vt autem vna summa rem totam explicem, et si haud iniuria vaticinari potius quàm præcipere videri possum, ita pronuncio: vnum esse primum, idémq; & medium & vltimum in hac re caput, educationem rectam, legitimámque institutionem. atque hæc ego conducere & adiumentum ad parandam virtutem adferre aio, ádque felicitatem. Nam reliqua quidem bona, humana sunt, exigua, neque digna in quæ operam impendas. Natalium splendor res est præclara sane: sed bonum à maioribus profectum. Diuitiæ in precio sunt: verùm earum possessio à fortuna pẽdet: quæ eas sæpenumero ademit habentibus, & non sperantibus obtulit. magnæ opes tanquam scopus propositæ sunt iis qui cupiunt loculos exhaurire, seruis maleficis, ac calumniatoribus. &, quod maximum est, etiam pessimis adsunt diuitiæ. Gloria res est vt venerabilis, ita instabilis. Pulcritudo optabilis, sed paruo durans tempore. Sanitas preciosa res est, eadémque facilè mutatur. Robur digna res est laude ac voto, sed morbo ac senectute facilè aboletur. quanquam, vt vno verbo dicam, qui ob vires corporis sibi plaudit, scire debet se à vero aberrare. quantum enim est hominis robur cum aliorum animalium robore comparatum? elephantorum puta, taurorum, leonum? Doctrina omnium quæ nobis adsunt bonorum sola immortalis est & diuina. Sunt enim duo in hominis natura principatum facilè obtinentia, Mens & Ratio. quorum Mens rationi præest, Ratio mentis imperia exsequitur. hæc fortunæ non obnoxia, nulla calumnia auferri, nullo morbo corrumpi, senectute lædi non possunt. sola enim mens senescens iuuenescit, & tempus cùm adimat alia, senectuti apponit scientiam. Et bellum cùm torrentis in morem omnia proruat, solam doctrinam auferre nequit. Ac mihi quidem videtur dignum memoratu Stilponis Megarensis philosophi dictum. qui à Demetrio, quo is tempore Megaram ciuibus in seruitutem abductis solo æquauit, interrogatus ecquid suarum rerum amisisset, Nihil se amisisse respondit: neque enim bellum virtutem inter spolia capere. Cui concinit atque consonat Socratis illud, qui Gorgiæ (nisi fallor) quærenti quid de Persarum rege sentiret, & an eum felicem esse putaret, Ignorare se respondit, quòd nesciret virtute & doctrina præditus esset, nécne. scilicet in his felicitatem, non in fortunæ obnoxiis bonis ponebat Socrates. Porrò quemadmodum hortor, vt institutione liberorum nihil habeamus antiquius: ita rursum moneo, sectandam esse eam, quæ corruptelarum vacua & sana sit rationem. & à nugis istis ad populares cœtus comparatis quàm longissimè abducendum filios. Vulgo enim placere, sapientibus est displicere. Testimonium mihi perhibet Euripides his verbis,

Bonorũ humanorum comparatio.

Institutio vera & salutaris tenenda.

Hippol. coron.

Ad turbam ego verba facere sum imperitior,
Inter sed æquales paucósque doctior.
Habet hoc locum. nam qui inter doctos nil valent,
Gratior apud vulgum est eorum oratio.

Equidem animadverti, qui in eo studium suum ponunt, vt dicendo placere promiscuis turbis hominum, eorúmque reportare possint gratiam, eorum vitam ferè intemperantem voluptatibúsq; deditam existere. idq; optimo me Hercle iure. qui enim ita se comparant, vt hominibus nullam honestatis rationem ducentibus voluptates concilient, multum abest ij vt propriæ oblectationi atq; luxuriæ prælaturi sint ea quæ recta sunt atq; sana, aut pro dulcibus moderata sectaturi. Ad hæc, quid pueros vtile docebimus aliud, aut quibus eos bonis inhærere iubebimus? Pulcrũ est profectò nihil frustra neq; dici, neq; agi: & in proverbio est, difficilia esse ea, quæ sint pulcra. Verùm orationes ex tempore habitæ, plenæ sunt multæ leuitatis atq; vanitatis, neq; initiũ habentes aptum, neq; finem. Ac præter alia delicta, qui subitò dicunt, in periculosam incidunt verborum redundantiam atq; loquacitatem. cùm meditatio non sinat orationem modi

Ex tempore dicere.

di

di proportionem finésque transsilire. Narrant Periclem sæpenumero vocatum à populo, non obtemperasse, quod se negaret esse præmeditatum. Eodémque modo Demosthenes æmulus eius in republica gerenda rationis, cum ab Atheniensibus ad consilium dandū vocaretur, recusauit, se non esse commentatū secum rem inquiens. Verùm hæc fortassis nullo auctore tradita sint, & conficta. In oratione quidem Mediana evidenter commendat meditationis vtilitatem. sunt enim hæc eius verba. Ego verò, viri Athenienses, meditatum me esse profiteor, neque inficiabor me quantum omnino in me fuit, studiosè commentatum esse orationem. profectò enim miser essem, si talia perpessus, atque etiamnum sustinens, ea neglexissem, quæ in mea mihi causa erant dicenda. Interim ego promtitudinem differendi neque improbandam prorsus, neque rebus nō dignis adhibendam aio: sed instar medicamenti vsurpandam censeo. tamen ante virilem ætatem non permitto ad subitò oblatum argumentum orare. vbi facultas differendi radices egerit, tunc invitante occasione liberè vti oratione licebit. Nam quemadmodum qui diu fuerunt vincti, postmodò soluti, ob diuturnam vinculorum consuetudinem ambulare nescientes titubant: ita qui orationem multo à tempore constrictam tenuerunt, ij etiamsi aliquando oporteat subitò dicere, nihilominus eandem tamen interpretationis formam retinent. Adhuc puericiam agentibus verò permittere vt ex tempore dicant, causam præbet extremæ vaniloquentiæ. Ferunt quendam ineptum pictorem Apelli imaginem ostendisse, quam subitò à se pictam diceret. tulisseque id ab Apelle responsi: video vel te tacente eam esse festinanter pictam, sed id miror, quòd non plures tales eo spacio temporis pinxeris. Sicvt igitur (redeo enim ad institutum) orationis formam theatralem nimísque tragicam iussi, ita rursum iubeo nimiam dictionis humilitatem atque exilitatem attentè vitare atque fugere. nam & nimio turgens fastu ad res ciuiles inepta est: & nimis gracilis nihil habet ad percellendum roboris. ac sicvti corpus non sanum modò, sed & firmo habitu esse: sic oratio non morbo tantùm carere, sed & vires habere debet. tuta enim laudantur duntaxat, quæ etiam cum periculo sunt coniuncta, porrò & in admiratione sunt. Eadémque est mea de animi affectione sententia, quem neque ferocem, neque inaudacem deiectúmque esse convenit. quorum illud impudentiæ, hoc seruili cuidam submissioni mentis ansam præbet. artificiosum verò est, atque accuratum, in omnibus Medium tenere. Ac dum adhuc institutionis huius memini, volo meam de oratione sententiam exponere. Orationem ego prorsus vniformem primùm pro signo litterarum bonarum imperitiæ non paruo reputo. deinde eam & in exercitatione statuo fastidium gignere, & planè non posse diu placere. Vbique enim vnius tenoris cantilena satietatem adfert, & offendit. varietas delectat & hîc & vbique, vt in auditionibus & spectaculis. Oportet ergo puerum ingenuum ne eas quidem disciplinas, quæ ob vulgarem vsum Encyclia dicuntur, inauditas incognitásque præterire. verùm eas in transcursu velvti gustus percipiendi gratia discere: (nam in omnibus perfectionem cōsequi nemo potest) philosophiam verò seriò colere. possúmque meam sententiam hac similitudine exponere: quod pulcrum quidem est circa multas vrbes nauigare, vtile autem præstantissimam inhabitare. Vrbanum est etiam Bionis philosophi dictum, qui aiebat, sicvt Penelopes proci cum non possent cum Penelopa concumbere, rem cum eius ancillis habuissent: ita qui philosophiam nequeunt appræhendere, eos in aliis nullius precij disciplinis sese conterere. Itaque reliquorum studiorum quasi caput & summa, constituenda est philosophia. Etenim ad corporis curationem duæ inventæ sunt ab hominibus scientiæ, Medicina & Gymnastice: quarum altera sanitatem, altera firmam sani corporis constitutionem conciliet. Animi autem ægritudinibus atque motibus sola medetur philosophia. Hac duce & comite cognoscere datur quid honestum sit, quid turpe, quid iustū, quid iniustum, quid ad summam expetendū, quid fugiendum, quomodo nos erga deos, erga parentes, seniores, leges, alienos, magistratus, amicos, vxores, liberos, seruos gerere debeamus. scilicet, vt veneremur deos, parentes honore afficiamus, seniores revereamur, legibus obtēperemus, amicos diligamus, vxores castè amemus, liberos animi interno quodam amore complectamur, seruos iniuriosè non tractemus. &, quod summū est, neque rebus secundis efferamur gaudio, neque adversis nimio luctu deiiciamur: ac neque voluptatibus diffluamus, neque ira ad sæuiciam nos abripi sinamus. quæ ego omniū nobis à philosophia obtingentium bonorum antiquissima iudico. Fortuna enim prospera ingenuè vti, viri est officium: citra

Oratio nimis exilis.

Animi moderatio.

Philosophiæ præstantia, & vtilitas.

Homo perfectus.

Vitæ rationes.

invidiam, hominis moderati: ratione vincere voluptates, sapientis: iram compescere, non cuiusvis viri. Perfectos autem viros ego eos censeo, qui norunt facultatem ciuilem permiscere & contemperare cum philosophia: duóque illos summa bona existimo adipisci, vt & in republica versando communis vitæ vsum augeat, & philosophiã tractando vita fruantur tranquilla ac sedata. Cùm enim tria sint viuendi genera, vnum in agendo, alterum in contemplando, tertium in perfruendis voluptatibus occupatum: qui tertium hoc sequitur, dissolutus & voluptatum seruus, belluarum similis abiectúsque est: contemplator, si actionibus abstineat, invtilis: rebus gerendis deditus philosophiæ ignarus, rudis est & facilè errat. Pro viribus igitur enitendum est, vt & publica tractemus, & quantum ratio temporis sinit, philosophię nos demus. Sic in republ. versati sunt Pericles, Archytas Tarentinus, Dio Syracusanus, & Epaminondas Thebanus, de quibus posteriores duo Platonis fuerũt familiares. Neq; iam puto verbosiùs immorandum disputationi de recta eruditione. Præter autem ea quæ diximus, vtile est etiam, aut necessarium potiùs, vetustorum commentariorum coëmtionem non negligere, sed & ista colligere * secundum agriculturæ rationem * eodem modo instrumentum doctrinæ est vsus librorum, & à fontibus conseruare scientiam vsu venit.

Bibliotheca.

Corporis exercitatio:

Verùm ne corporum quidẽ exercitatio est prætermittenda, sed mittendi in ludum eius rei pueri, vt in eo genere quantũ est satis elaborent, cùm propter corporis concinnam conformationem, tum roboris gratia. nam bonæ senectuti fundamentum in puericia iacitur, firma nimirum corporis ad sanitatem constitutio. Quemadmodum igitur tranquillo cœlo adornanda sunt quæ adversus tempestates faciunt: ita in adolescentia moderationem & temperantiam ad viaticum senectuti parandum adhiberi par est. Sic autem labori moderandum est, ne eo exsiccati ad litterarum studia animum despõdeant. nam, vt ait Plato, somni & defatigationes, disciplinarum sunt hostes. Sed quorsum hæc? quin id propero dicere potiùs, q̃d præcipuã dictorum iam vim continet. Exercendi sunt adolescentes ad militaria opera, iaculorũ & sagittarum missionibus, ac venationibus. Eorum enim qui in prœliis succumbunt bona, præmia victoribus sunt proposita. bello verò corporis habitus in vmbra educati non convenit. gracilis autem miles bellicis adsuetus certaminibus, athletarum & hostium phalãges disiicit.

7. de rep. fine.

Militia.

De pauperũ liberis instituendis.

Enimverò obiiciat aliquis, me, qui de ingenuorum puerorum educatione præcepta daturum promiserim, pauperum & plebeiorum prætérita institutione, solis profiteri diuitibus me rationem præscribere. Cui respondere non est difficile. Nihil enim ego mallem, quàm meam doctrinam omnibus in vniuersum esse vtilem. quod si tamen quidam ob suam inopiam vti meis præceptis non poterũt, fortunam ij culpent, non me talia præcipientem. Veruntamen pro virili etiam pauperibus annitendũ est, vt quàm optimè suos educent liberos. sin id non datur, ea vtanť qua datur ratione. Atque hæc ego orationis cursui inserui, vt deinceps reliqua etiam ad rectam adolescentum institutionem conducentia attexere possim.

Plagæ & cõtumeliæ instituen-

Sic itaq; dico, ad liberalia studia adducendos esse pueros verbis adhortationibúsq;, non me Hercle verberibus, aut contumeliosa tractatione. hęc enim seruis magis quàm liberis convenire videnť: torpéntque & abhorrent sic tractati à laboribus, partim ob dolores plagarũ, partim ob contumelias.

Item laudationes & increpationes.

Laudationes autem & vituperationes quavis contumeliosa tractatione plùs valent apud ingenuos, illæ ad pulcra incitãtes, hæ à turpibus arcentes. Alternis porrò vicibus increpationes & collaudationes sunt adhibendę, vt & cùm exultant animi, repræhensionibus ad pudorem rediganť: & cùm deiecti sunt, rursus laudibus erigantur. imitandæq; in hoc genere nutrices, quæ infantes cum ad fletũ provocarunt, rursum vt consolentur mammã præbent. Est verò ex vsu, eos non inflare & ad superbiam extollere nimiis laudibus. nam harũ excessum vanitas quædam & luxuria animorum comitari solet. Ac vidi ipse patres, quibus nimius amor causa fuit ne amarẽt verè. vtq; intelligi possit quod dico, exemplo rem faciam dilucidiorem. Dum festinant eò vt filij ipsorũ primas in omnibus rebus ferant, immodicos eis imponunt labores. ad quos ij animo elanguescente deficiunt, ærumnísq; alioquin oppressi, doctrinã æqua mente nõ admittũt. Quo enim modo stirpes mediocribus aquis alunť, abvndantibus suffocanť: eodem animus etiã moderatis crescit laboribus, nimiis obruitur.

Requies.

Dãda est ergo pueris à cõtinentib. laborib. respiratio: idq; in animo habendũ, totã nostram vitã in remissionẽ esse, seriúmq; studiũ diuisam. quã ob causam nõ vigilia modò, sed & somnus invẽtus est, neq; bellũ dũtaxat, sed & pax: neq; sine serenitate tempestas, neq; seria negocia tantùm

tùm

tùm, sed & feriæ. vtq; vnam in summam contrahamus, Requies laborũ est condimentũ. Neq; in animalibus solis, sed & rebus anima carentibus, id depræhendas. nam & arcus & lyras remittimus, vt intendere possimus. atq; in vniuersum seruatur corpus impletione atque vacuatione, animus autem remissione & labore. Culpandi autẽ sunt parentes nonnulli, qui postq; filios suos pædagogis magistrisq; cõmendauerunt, ipsi quid discatur neque inspiciunt vnq;, neque inaudiunt: magno sanè cum errore. oportebat enim ipsos intervallo paucorum dierum subinde explorare puerorum profectus, neque in mercenarij voluntate omnẽ spem collocare. qui & ipse maiorem diligentiam pueris instituendis erat impensurus, si identidem sui sibi muneris rationem reddendã fore sentiret. Atque huic loco eleganter convenit equisonis illius dictum, qui aiebat nihil esse, quod perinde saginaret equum, atque oculus regis. In primis porrò puerorum memoria est exercenda atque adsuefactione roborãda. ea enim est velvti penus eruditionis. eámq; ob causam mnemosynem, hoc est memoriã, fabulati sunt esse Musarum matrem, innuentes nihil ita & gignere & alere eruditionem, vt facit memoria. Quapropter vtroque modo exercenda ea est, siue naturæ beneficio valeant memoria pueri, siue obliuiosi sint. Sic enim & copiam naturalẽ confirmabimus; & quod ei deest implebimus: atque vt illi alios, ita hi seipsos vincent. Est enim præclare ab Hesiodo dictum,

Inspectio parẽtum.

Memoria.

Operibus.

Nam si vel paruum pergas superaddere paruo;
Et crebrò id facias, ingens exsistet aceruus.

Ne id quidem ignorent parentes, memoriæ vim in discendo exercitatam non ad eruditionem modò conducere, sed & ad ciuiles actiones non modicũ adferre adiumentum. nam præteritarũ actionum memoria exemplar præbet bene consultaturo de futuris. Præterea abducendi sunt filij à turpitudine sermonis: cùm auctore Democrito sermo actionis sit vmbra. Deinde opera est danda, vt affabiles fiant, inque colloquio comes. nihil enim ita dignum est odio, vt eorum mores, qui compellantibus se difficiles præbent. Iam in colloquiis pueri invisi aliis non fient, si non omnino in disputationibus victoriam semper obtinere laborent. Non enim tantùm egregium est scire vincere, sed etiam posse vinci pulcrũ est, vbi victoria est damnosa. cùm sit revera etiam Cadmea quædam victoria. Possumque huius sententiæ testem laudare Euripidem illum sapientem, cuius hæc sunt verba,

Sermo.

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, est sapientior.

Addamus his ea, ad quæ non minore quàm dicta hactenus, immò & maiore studio est contendendum. Sunt autem hæc. Vita degenda est sine luxu, lingua coërcenda, ira superanda, manus continendæ. quæ quanti sint momẽti, singulorum exemplis propositis meliùs innotescet. Vtq; à postremo ordiamur, nonnulli dum iniustis pecuniæ capturis manus adiiciunt, omnem actæ vitæ gloriam fecerunt irritam. vt Gylippus Spartanus qui nummorum publicorum sacculos cùm aperuisset, actus est in exsulium. Irã autem superiorem esse, sapientis est Socrates calce impetitus ab adolescentulo admodum feroce & impuro, cùm suos videret indignè id ferre ac fremere, adeò vt illum in ius quoque trahere cogitarent: Quid ergò, inquit? an si me asinus calce feriisset, iussuri cratis vt contrà calcem ei impingerẽ? Neque tamen invltum planè id adolescẽs tulit, sed omnibus ei facinus hoc exprobrantibus, calcitronémq; appellantibus, suspendio vita sese exuit. Idem Socrates, quando Nebulis fabula edita Aristophanes in ipsum omnis generis convicia iaciebat, iisque in scena recitatis amicorum quidam dicebat, Non ista molestè fers Socrates? nequaquam verò, inquit. nam in theatro, velvti in magno conviuio, verbis vexor. Horum germana sunt atque iis coniuncta Archytæ Tarentini & Platonis facta. Ille cùm à bello, in quo exercitum duxerat, reversus agrum offendisset ob incuriam vitium cõtraxisse, accersito colono, Malè, inquit, tecum ageretur, nisi ego admodum ira exarsissem. Plato seruo guloso & impuro iratus, vocato filio sororis suæ Speusippo, Hunc tu, inquit, verbera. ego enim animo sum valdè commotus. Diceres, difficilia sunt hæc, neque ad imitandum procliuia. Fateor. Sed tamen his exemplis vtendum est, summisque conandum viribus, vt abvndantiam intemperatę insanientisque iræ aboleamus. Nam neque aliis in rebus eorum æquamus vel peritiam vel virtutem: nihilominus velvti deorum quorundam sacerdotes ac facigeri sapientię, facta eorum, vbi fieri potest, imitari sectarique nitimur. De frænan-

Præceptorũ cõgeries.

Iræ coërcitio.

Linguæ temperandum.

da lingua restat vt dicamus. quam rem qui exigui momēti aut vilem putat, plurimum à vero aberrat. Tempestiuum enim silentium res est sapiens, ac quavis oratione potior. Eáque, opinor, de causa prisci mystica sacra instituerunt, vt in his taciturnitati adsuescentes, ad fidem humanorum arcanorum metū deorum transferremus. Et quidem tacuisse neminem pœnituit, dixisse permultos. ac quod tacitum fuit, facilè datur eloqui: quod dictum est, indictum fieri nullo pacto potest. Sexcenta auditu me percepisse memini exempla eorum, qui ob linguæ licentiam in grauissimas inciderunt calamitates. quorum reliquis omissis vnum duntaxat atque alterū pro specimine adducam. Cùm Ptolemæus Philadelphus sororem suam Arsinoen in vxorem duxisset, Sotades, quòd ei dixisset ipsum in nequaquā licitū foramē intrudere aculeū, in carcere per longum tempus contabuit: pœnámque dedit importunæ loquacitatis non indignam, qui vt aliis risum moueret, multum ipse fleuit temporis. His æqualia & consentanea, imò grauiora multo passus est Theocritus sophista. Cùm enim Alexander Græcis mandaret, vt purpureas sibi vestes pararēt, quippe domum reversus è bello, sacrificium de parta è barbaris victoria peracturus, eóque nomine gentes pecuniam viritim contribuerent: aiebat Theocritus se aliquando dubitasse, nunc autem liquidò sentire, hoc ipsum esse purpuream, quam Homerus dixisset, mortem. qua voce Alexandrum sibi inimicum reddidit. Idem Antigonum Macedoniæ regem altero carentem oculo, cùm vitium hoc ei exprobrasset, ad iram non mediocrem provocauit. Iubebat is Eutropionem coquorum principem, qui munus aliquod gesserat, ad se venire ac rationes secū conferre. quod cum hic ei renūciaret, ac sæpiùs accederet, scio, inquit Theodorus, quod me crudū vis Cyclopi apponere: huic quod coquus, illi quod vnoculus esset exprobrans. & Eutropio, Ergo, ait, tu capite mulctaberis, eásque dabis loquacitatis istius tuæ atque insaniȩ pœnas: ac regi rem renunciauit, qui & misit qui Theocritum interficerent. Præter hæc omnia, adsuefaciendi sunt pueri vt vera dicant. qua in re summa est sanctimonia. mentiri enim seruile est, dignúmque apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidē seruis ignoscendum. Atque hæc quidem de pueris decorè & ad modestiam instituendis hactenus nihil dubitans aut ambigens disserui. Quod restat dicendum, dubium me tenet, ancipitémque in deliberando adfert curam, ac quasi in trutina positus in vtranque partem momentis impellor, neutri insistere valeo. valdéque cunctor rei huius vel autor fieri, vel dissuasor. Audendum tamen est, & eloquenda res. Est autem hæc quæstio, an amatores puerorum sinere debeamus vti eorū consuetudine, an verò potiùs ab iis arcere. Cùm enim intueor in patres suo sensu omnia metientes, moribúsque crudos & austeros, qui consuetudinem amatorum ob contumeliam liberorum intolerabilem putant: vereor eius autor esse atque suasor. Rursus cùm in mentem venit Socratis, Platonis, Xenophontis, Aeschinis, Cebetis, totiúsque chori istorum virorum, qui masculos approbauerunt amores, adolescentulósque produxerunt ad doctrinam, popularē rationē, morúmque honestatem: sententiā muto, flectórq; admiratione & æmulatione istorū virorū. Atque his quidem etiam Euripides testimonio hoc fauet,

Iliad.ι,83 (margin note beside "dò sentire, hoc ipsum esse purpuream")

Veritas. (margin note beside "Theocritum interficerent. Præter hæc omnia")

Sed est & alter inter mortales amor,
Iustique castique animi scilicet, ac probi.

Non tamen omittenda est Platonis sententia quæ seriæ rei admixtā habet vrbanitatē. ait enim permissum debere esse iis, qui rem præclarè gesserint, vt quemcunque velint osculentur. Etenim arcendi sunt, qui pulcritudinem corporis spectant: animæ autem amatores omnino deligendi. & amores quidem, quales Thebis sunt & Elidæ, & quæ in Creta vocatur raptio, fugiēdi: æmulandi autē qui Athenis sunt & Spartæ. Sed hac de re quisq; suam sequatur sententiam. Ego de puerorum moderatione & decoro hactenus locutus, de adolescentia porrò pauca omnino subiiciam. Sæpenumerò enim vituperaui malarum consuetudinū introductores, qui cùm pueris pædagogos & magistros præfecissent, adolescentum impetus passi sunt liberè ferri. cùm contrà hi maiore q̄ pueri cura atque custodia fuerint regēdi. Quis enim nescit puerorum peccata exigua, planéque emendabilia esse: profecta scilicet à pædagogorum contemtu, aut quod magistrorum institutioni aliquando non obtemperarent. At iam ex ephebis egredientium peccata sæpenumerò ingentia fiunt & atrocia: ingluuies ventris, furta pecuniæ paternæ, alea, comesationes, potationes, virginum amores, adulteria. Quapropter iuueniles impetus accuratis rationibus vinciri ac compesci convenit

5.de rep. (margin note beside "ait enim permissum")

Adolescentes vt regendi. (margin note beside "coro hactenus locutus")

nit. est enim vigor illius ætatis incontinens voluptatum, lasciuitque, & fræno opus habet: & qui ætatem istam non magno opere regendam suscipiunt, imprudentes animo licentiam qua ad flagitia feratur concedunt. Ergo cordatis parentibus sub id temporis maximè vigilandum est, vt custodiant adolescentes, ac intra modestiæ fines contineant, docendo, minando, rogando, consulendo, pollicendo, exempla demonstrando cùm eorum, quos voluptatum studium in miseriam coniecit, tum qui abstinentia laudem sibi gloriámque parauerunt. Hæc enim duo quasi elementa sunt virtutis; Spes honoris, & Metus pœnæ. quorum illa incitatiores ad pulcerrima studia, hic segniores ad vitia reddit. In vniuersum verò malorum consuetudine hominum prohibendi sunt pueri. nam affricatur illis aliquid inde vitij.

Malorum consuetudo.

Atque hoc etiam Pythagoras suis monuit præceptorum involucris. quæ ego adducam atque evoluam: momentum enim ad virtutem conferunt non minimum. Tale est, Non gusta quibus nigra est cauda: significat enim non consuescendum cum hominibus ob maliciam nigris. Stateram ne transgrediaris: summam docet habendam esse rationem iusticiæ, neque eius fines exeundum. Chœnici non inside. fugere iubet ignauiam: ac prospicere de necessario victu. Non cuivis iniice dextram. hoc vult, non temere esse cum quoquam contrahendum. Angustum annulum non gesta: id est, vitæ genus liberum sectare, nec vinculo temetipsum obstringe. Ignem gladio non scrutare. hoc dicit, iratos non esse iritandos, (est enim hoc indecorum) sed iis concedendum. Cor ne edas. vult animam curis non esse affligendam. Fabis abstine. hoc est, reip. administrationem vita. nam olim magistratus per suffragia fabis lata creabantur. Cibum in matulam non iniice. præcipit prauo animo non esse elegantem orationem committendam. est enim oratio cibus animi, quem cibum immundum humana reddit perversitas. Ad fines vbi perveneris, non revertito. monet cum moriendum est, & finem vitæ instare videmus, æquo id animo esse ferendum, ac citra mœrorem. Sed eò, vnde digressa fuit, nostra se referat oratio. Sunt itaque pueri ab omnibus, vt dixi, malis hominibus abstinendi: maximè autem ab adulatoribus.

Aenigmata Pythagoræ explicat.

Adulatores.

Quod enim identidem & multis dicere parentibus consueui, nunc quoque affirmo. Genus hominum adulatoribus pestilentius nullum est, neque quod magis ac celeriùs iuuenes in perniciem præcipitet. Illi enim & parentes & natos radicitus perdunt, & inter consulendum esca voluptatis difficulter evitabili illicientes, parentum senectutem iuxtà & filiorum iuuentutem dolorum plenam reddunt. Diuitibus liberis parentes sobrietatem commendant; adulatores ebrietatem. illi continentiam, hi libidinem. illi parsimoniam, hi prodigalitatem. industriam illi, hi ignauiam. punctum (aiunt adsentatores) temporis est tota nostra vita, frui ea, non abvti ad alias res convenit. quid attinet nos minas patris curare? delirus est, & alterum pedem iam in sepulcro habet: mox illum sublimem arreptum efferemus. Non desunt ex iis, qui & scorta submittant, & nuptas prostituant: & quæ parentibus erant senij viatica, intervertant atque rapiant. Impuri sunt isti homines amiciciæ simulatores, libertatis imperiti, diuitum adulatores, pauperum contemtores, velvti lyrica quadam arte ad adolescentes decipiendos instructi, ad risum eorum qui ipsos alunt labia in risum diducentes, animi subditiciæ, ac vitæ spuriæ partes. ad nutum diuitum viuentes, fortunæ statu liberi, instituto serui, ac se contumelia affici putantes, si non tractentur contumeliosè, sed frustra alantur. Quare si quis est pater solicitus de bene educandis liberis, fœdum hoc pecus domo eiiciat. Amoliatur etiam condiscipulorum prauos mores, qui satis habent virium ad corrumpendum vel optima ingenia. Atque hæc quidem præclara sunt; & vtilia. quæ subdam, humana sunt. Nam & parentes vicissim ego nolim vsquequaque duro esse & aspero ingenio: sed sæpenumerò eos quorundam peccatorum gratiam facere adolescentibus, sibique ipsis suam adolescentiam revocare in memoriam.

Parentum lenitas.

At quemadmodum medici amara medicamenta dulcibus succis permiscentes, oblectatione ad vtilitatem sibi accessum aperiunt: ita convenit parentes repræhensionum seueritatem lenitate temperare: & interdum habenas cupiditatibus filiorum laxare, interdum astringere. & maximè quidem peccata æquo animo ferre, vbi tamen fieri id nequit dare operam, vt concepta ob delictum ira celeriter deflagret. Præstat enim patris iras subitas esse, quàm graues. quia infensus & implacabilis animus patris, non leue est argumentum odij erga liberos.

Cōducibile est etiam nonnulla peccata liberûm simulare parentes se non animadvertere: cúmque sub senectutem visus soleat auditúsque hebescere, eò istam sensuum imbecillitatem transferre, vt videntes quædam quæ aguntur, non videant, audientésque non audiant. Amicorum delicta toleramus: quid mirum, si etiam filiorum? quando etiam seruorum crapulam ebrietatémque sępe non repræhendimus. Parcus aliquando fuisti, fac etiam impensas: indignatus es aliquando, ignosce vicissim: delusit te aliquando serui vsus opera, iram cohibe: par boum ex agro abduxit, venit aliquādo hesternam olens crapulam, dissimula: vnguentum redolet, tace. sic lasciuiens domatur adolescentia. Danda porrò est opera, vt qui voluptatibus nimis dediti sunt, & repræhensionibus minùs obtemperantes, matrimonio devinciantur, quod est tutissimum iuuentutis vinculum. Vxores autem filiis despondebunt, quæ neque nobilitate generis, neque diuitiis multum eos superent. sapienter enim dictum est, Tibi congruentem versa. & qui multo se præstātiores ducunt vxores, non mariti earum, sed dotis serui sua imprudentia fiunt. His pauca quædam si adiecero, finem præceptis imponam.

Coniugium.

Exempla parētum.

Ante omnia debent parentes nihil peccando, ómniáque pro officij rationibus agendo, evidens sese liberis exemplum præbere: vt in istorum ij vitam tanquam in speculum intuentes, à turpibus dictis factísque avertantur. Etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsi in eadem prolabuntur vitia, ij se non sentiunt sub illorū nomine semetipsos accusare. Quorum verò tota vita turpis est, ij ne seruos quidem obiurgandi libertatem sibi relinquunt, nedum filios. Quò accedit, ꝙ tales patres scelerum consultores ac doctores suis sunt filiis. vbi enim senes sunt impudentes, necesse est ibi adolescentes quoque invere cūdissimos esse. Ergo ad decoram liberorum educationem quæcunque conducere possunt, in iis elaborandum est: æmulatione Eurydices. quæ cùm Illyria esset & plus ꝙ̄ barbara mulier, tamen vt filios docere posset, provecta iam ætate disciplinis animū studiúmque applicuit. Cuius quantus fuerit erga liberos suos amor, satis declarat inscriptio ab ea Musis consecrata. cuius hic est sensus,

Quo desiderio, Musæ, nouistis, amârit
Doctrinæ vestræ munera, quóque animi
Eurydice studio flagrans Hierapolietis:
Quæ grato vobis dedicat hæc animo.
Nam maternatis iam pubescentibus ausa est
Thesaurum sophiæ discere litterulas.

Enimverò omnia, quæ exposuimus, vt in vnum concurrant atꝗ simul coniungantur, optari fortassis rectiùs potest ꝙ̄ mandari. Pleraque verò præcepta sequi & imitari, res quidem hæc ipsa est felicitatem requirens magnámque accurationem: potest tamen ab humana præstari natura.

Plutarchi commentarius, Quomodo

ADOLESCENS POETAS AVDIRE DEBEAT.



VOD Philoxenus poeta dixit, M. Sedate, eas carnes suauissimas esse, quæ carnes non sint, itémque pisces, qui pisces non sint: de eo pronunciare sinemus istos, quos palato plus sapere, quàm corde, Cato aiebat. De hoc autem nobis constat, adolescentulos magis gaudere, libentiúsque obsequi, ac mansuetiores se præbere iis philosophiæ dictis, quæ philosophicè & seriò dicta non videntur. Non enim Aesopicas tantùm fabellas & poetica argumenta, sed & Heraclidis Abarin, & Aristonis Lyconē, inque his sentētias de anima fabulis permixtas legentes, quasi cœlesti quodam mentis instinctu non sine voluptate excitanť. Quare non id modò curandum est, vt circa voluptates quæ ex cibo & potu percipiūtur, modestiam seruent: sed magis etiam ad hoc sunt adsuefaciendi, vt in lectionibus & auditionibus delectatione tanquam obsonio fruantur, vtiliáque & salubria ex iis captent. Nam neque vrbi portæ cæteræ clausæ id præstabunt, vt nō capiatur, si per vnam aliquam hostes recipiantur: neque adolescentem continentia adversus reliquas voluptates adhibita conseruabit, sicvbi imprudens per auditum se illis capiendū de-

derit. quinimò auditus, quò mentem ac rationem propiùs attingit, eo plus damni ac corruptelæ affert eà per negligentiam admissa illecebra. Quoniam itaq; neq; fortassis licet, neq; etiam expedit à poëmatibus arceri eo natu adolescentē, quo Soclarus meus est, & tuus Cleander: peraccuratè nobis obseruādi sunt, quippe in legēdo magis quàm in ambulando ductoris egentes. Proinde quem nuper de poëtis sermonem habui, eum mihi subiit in præsentia, conscriptū ad te mittere. quem vbi perlegeris, siquidem tibi videbitur non minorem vim iis habere amuletis, quę nonnulli ad conviuia ebrietatis arcendæ causa appensa gestant, aut iis intra corpus antè sumtis accedunt: Cleandro imperti, iisq; ingenium ipsius, quod ob vigorem & alacritatem acuménq; facilè istis perducatur illecebris, præmuni.

Polypodis capiti perhibent bonum inesse, malúmq;.

nam suauissimum esu cùm sit, difficilem somnum facere, ac turbulenta & absurda visa excitare creditur. Eodem sanè modo poësis quoque multa iucunda & adolescentis animo pabuli instar conducentia in se habet: non pauciora verò quæ conturbent eum, & de sanitate mentis dimoueant, vbi lectioni recta institutio defuerit. Neq; enim de Aegypto tantùm, sed de poëtica etiam licet dicere,

Illam noxia multa, & multa salubria ferrè — Odyss. δ,230.
Cultori medicamenta.—— Etenim
Hìc amor, hìc desiderium latet, hìc quoq; blandum — Iliad. ξ,216.
Alloquium, quamvis sapientem fallere callens.

Quippe illecebræ eius fatuos planè & stupidos non attingūt. quare Simonides quoque interrogatus, cur solos Thessalos non deciperet: rudiores esse respondit, quàm qui ab ipso decipi possent. Et Gorgias tragœdiam dixit esse imposturam, quam & qui adhiberet, non adhibente iustior, & qui passus esset, non passo esset sapientior. Vtrum igitur adolescentes instar Ithacensium, aures eorum cera solida obthurantes, cogemus lintre Epicuri poësin prætervehi atque fugere? an verò recta potius quadam ratione iudicium circumdantes atq; vincientes ita dirigemus, ne delectatione ad noxia deferantur?

Nam neq; atrox, natus genitore Dryante, Lycurgus — Iliad. ζ,130.

sana est vsus mente, quod multis vino captis ac per temulentiam peccantibus, vites passim exscidit: cum debuisset potius fontes propiùs adducere, insanúmque (vt ait Plato) deum alio sobrio repressum castigare. (nam id quod noxium est, de vino aufert aqua admixta, vtili relicto.) neque nos sanè poëticam Musarum partem exscindamus aut aboleamus. Sed vbi præ nimia voluptate fabulosæ eius & theatrales partes contumaciter se iactant & efferunt, nimiáque libidine insaniunt: ibi manus iniicientes, reprimamus eam. Vbi verò erudita venustas & suauis atque alliciens animum oratio vana fructúsve expers non est, ibi philosophiam introducamus atque admisceamus. Quemadmodum enim mandragora iuxta vites nascens, suámque in vinum vim diffundens, efficit vt suauiùs dormiant, qui id biberunt: sic poësis è philosophia doctrinam desumens, eámque fabulis permiscens, facilem eius & gratam adolescentibus perceptionem præbet. Non ergo fugienda sunt poëmata philosophaturis: sed adhibenda poëmatibus philosophica consideratio, adsuescendúmque vt in eo quod delectat vtilitatem quæras, & eam amplectaris: sin verò, repugnandum ei est, & succensendum. hoc enim eruditionis principium est. Atqui secundum Sophoclem,

Quamcunq; rem ratione recta ceperis,
Bonum illius rectè sperabis exitum.

Primùm ergo introducemus in poëmata hominem, cui nihil ita meditatū in promtū que sit, atque illud, — I. Præceptum. Prænosse iubet, multa esse apud poetas ficta, idque bifariam.

——permulta canunt mendacia vates:

id quod partim coacti, partim sponte faciunt. Sponte, quia ad delectationem auditionis, & gratiam, quam plurimi captant, ob austeritatem suam veritas mendacio minus iis esse commoda videtur. Quod enim re vera fit, id tametsi exitum habet tristem, non mutatur. Quod autē commentum est, id facillimè cedit, & de tristi in iucundū mutatur. Nam neq; numeri, neq; verborum immutationes, neq; dictionis maiestas, neq; translationis opportunitas, neq; concinnitas & compositio tantum habet

blandiciȩ atque gratiæ, quantum fabulæ aptè connexa dispositio. Enimverò sicvt in picturis color plus afficit quàm lineæ, propter similitudinem corporis, & fallendi aptitudinem: ita in poëmatibus mēdacium probabilitate temperatum magis percellit, & gratius est apparatu carminis & dictionis fabula & figmento carentis. Itaq; Socrates quibusdam somniis ad scribendum carmen compulsus, cùm ipse, vt qui per omnē vitam pro veritate decertasset, facultate probabilia mendacia fabricādi destitueretur, Aesopi fabellas argumentum sibi delegit: poësin non putans eam à qua abesset mendacium. Etenim sacrificia quædam nouimus choris & tibiis carentia: poësin fabularum & figmētorum expertem non nouimus. nam Empedoclis & Parmenidis versus, Theriaca Nicandri, ac sententiæ Theognidis, orationes sunt, vt pedestris incessus humilitatem effugerent, granditatem & mensuram à poëtica pro vehiculo mutuatæ. Proinde vbi absurdum aliquid aut durum in poëmatibus dicitur ab aliquo præstanti viro de diis, dæmonibus, aut virtute: is qui eum vt verum amplectitur sermonem, in errorem incidit, falsaq; opinione animum corrumpit. At qui nunquam immemor est poëticarum in mentiendo præstigiarum, idque perspicuè semper tenens, identidem poësin sic compellare nouit:

O machinatrix lynce versipellior,
Quid ludis, & supercilium quid contrahis,
Fraudémq; texens, te simulas verum loqui?

is, inquam, mali nihil feret, neq; quicquam absurdi credet. Nimirum is se revocabit à
Iliad.υ,61. metu, sicvbi timebit ne Neptunus terram eruat, & inferos detegat: aut vbi subierit ei Apollini irasci ob Achiuorum principem,

Ipsus suaui quem celebrans in conviuio,
Hæc fatus ipsius, ipsus & letho dedit.

Quin & exstincti iam Achillis, ac Agamemnonis lacrymas compescet, cupiditate viuendi manus viribus cassas intendentium. Quòd sicvbi à perturbationibus superatus, victúsq; veneficio erit, nulla interposita mora ita seipsum alloquetur:

Odyss.λ,222 *Affecta reditum, superas repete impiger auras*
Quamprimùm: tum quæ sunt hîc tibi visa sub vmbris,
Vxori quondam caræ narranda memento.

venustè enim hoc in suam Necyam dixit Homerus, quòd ea auditio propter fabulas est mulieribus congruens. Ac talia quidem sunt quæ poëtæ sua sponte fingunt. Plura sunt, quæ non fingentes, sed ita esse opinantes, falsitatem eam nobis pigmentis fucatam offerunt. vt, cum de Ioue Homerus dixerit,

Iliad.χ,209 *Iuppiter ipse duas æquato examine lances*
Sustinet, & fata imponit diuersa duorum,
Pelidæ huic magni, pugnacis at Hectoris illi.
Dardanidæ fatum lethali pondere lancem
Impulit, ad manes vergens. tunc Hectora Phœbus
Deseruit:—— totam tragœdiam huic fabulæ aptauit Aeschylus, titulo Psychostasiæ. assistere enim facit lancibus Iouis, alteri Thetidem, alteri Auroram, deprecantes pro filiis suis Achille & Memnone manum conserentibus. Nemo non vi-
aut det, fabulam esse hanc delectādi aut perterrendi auditoris causa confictā. Hæc autem,

Iliad.Δ,84. *Iuppiter humanæ dispensans prœlia gentis:* &,
Nam causam Iuppiter præbet mortalibus,
Cum familiam statuit euertere funditùs:

hæc iam ex ipsorum sunt dicta opinione, falsam de diis sententiam, & ignorationem suam nobis tradentium. Iam illȩ apud inferos portentorum fictiones & dispositiones, quæ terribilibus nominibus spectra fabricantur ardentium fluminum, locorum horribilium, ac terribilium suppliciorum: ferè ab omnibus depræhenduntur esse fabulosȩ admodum, & in quibus tanquam in alimētis venenum, ita mendacium sit admixtum: nemóq; pœnè nescit, neq; Homerum, neq; Pindarum, neq; Sophoclem, pro certo habuisse id quod scribebant:

Vbi immensas ructant tenebras
Validi vmbrosæ noctis fluuij. Item,

Odyss.ω,11. *Oceani fluctus legēre, & Leucada petram.* Item,

Vbi

Vbi æstus gurgitis, inferorum angustiæq;.

Tamen quotquot mortem velvti miserabilem, & sepulturæ priuationem tanquam miseram rem deplorantes, huiusmodi verba extulerunt:

Non inhumatum oro tu me, infletúmq; relinquas. Item, Odyss.λ,72.

Tunc anima ad manes de membris mœsta volauit, Iliad.χ,362, & alibi.

Interitúmque suum lugens, & robur, & annos. Item,

Non me priùs quàm fert ætas interfice:

Nam dulce lucem est cernere. noli cogere

Vt abdita infra terram conspiciam miser:

hæ inquam voces sunt ita sentientium, & errore captorum. quo magis nos attingunt, & perturbatione istà atque imbecillitate exagitatos angunt, à qua proficiscuntur. Adversum hæc ergo rursus promtè id aures nostras personet, poësi non admodum curæ esse veritatem: quod autem verum sit de his rebus, id ne ab iis quidem, qui in aliam nullam quàm huius ipsius rei discendæ cognoscendæq; curam incubuerint, omnino percipi aut investigari potuisse: quod quidem ipsi etiam fateantur. Atque hîc ad manum sint Empedoclea hæc:

Non oculis possunt homines, non auribus ista,

Non comprændere mente. ——

Et illa Xenophanis,

De superis, sed & his quæ cepi dicere cunctis,

Nullus homo fuit, aut qui possit certa docere

Existet. —— sed & Socratis verba apud Platonem, eiurantis istarum rerum noticiam. Minus enim poëtis tanquam istorum aliquid scientibus animum advertent, qui videbunt de iis rebus philosophis quoque pronunciaturis velvti vertiginem quandam obortam. Magis quoq; adhuc cautum eum reddemus, si simul atque eum ad poëmata applicamus, ipsam poëticam ei describamus: artem nimirum eam esse imitatricem, pingendique arti quasi ex altera parte respondentem. Neque id modò auditum habeat omnium sermone tritum, quo loquentis picturæ nomine poësis, pictura tacentis poësis afficitur: sed præterea quoque eum doceamus, quòd pictam lacertam, aut simiam, aut Thersitæ faciem videntes delectamur, miramúrque: non pulcritudinis, sed similitudinis causa. Suapte enim natura fieri id quod turpe est, pulcrum, non potest: imitatio, siue pulcræ siue turpis rei similitudinem exprimat, laudatur: eadémque rursus, si pulcram turpis corporis imaginem effingat, decorum non seruauerit. Pingunt etiam quidam actiones absurdas, vt Timomachus Medeam liberos necantem, & Orestem matri necem inferentem Theo, Parrhasiúsque Vlissis simulatam insaniam, & Chærephanes mulierum cum viris impudicam consuetudinem. In his adolescens maximè est adsuefaciendus, vt discat rem quæ imitatione est expressa, non laudari: sed artem, quæ id quod propositum erat, rectè repræsentauerit. Quando igitur poëtica etiam ars sæpenumerò turpes actiones, & prauas affectiones moresque imitando exponit: adolescentis est, id quod in his præclarè elaboratum admirationem meretur, neque probare vt verum, neque amplecti vt pulcrum: sed eatenus laudare, quatenus argumento congruit. Quomodo enim porci grunnitum, & trochleæ stridorem, & venti fremitum, & maris strepitum, non sine molestia audimus: si quis verò commodè ea imitetur, vt suem Parmeno, & trochleas Theodorus, delectamur. & morbo captos homines, aut suspectæ valetudinis, tanquam spectaculum iniucundum fugimus: Aristophontis verò Philoctetam, & Silanionis Iocastam ad similitudinem contabescentium & morientium effictos, cum gaudio videmus. sic adolescens, vbi leget quę Thersites scurra, aut Sisyphus corruptor, aut Batrachus leno, agens vel loquens in poëmate introducitur, sciat artem imitatricem laudandam: quæ verò ista imitatione affectiones & facta exprimuntur, reiicienda esse, atque vituperanda. Non enim idem est, rem aliquam esse pulcram, & eam imitari pulcrè: quorum hoc in decoro & convenientia consistit, turpibus autem turpia conveniunt. Quippe Demonidis etiam claudi illius, quas eius qui furto eas subtraxisset pedibus congruere optauit, crepidæ, erant quidem eæ malæ, sed Demonidi aptæ. Iam hæc

II. Poetica in imitatione consistit.

Nam si violandum est ius, regnandi gratia

Violandum est. —— &,
Existimationem iusti fac pares,
Sed lucri causa quid vis interim face. &,
Quod ni precario talentum cepero. &,
Viuam talento neglecto, & gratus sopor
Obrepet: atque flagitij, hoc argenteum
Propter talentum quod patraui, non quidem
Apud inferos pœnas luam:

hæ quidem improbæ sunt, & falsæ orationes: sed quales Eteoclem, Ixionē, senem, fœneratorem deceant. Ergo si adolescentulos moneamus, hæc eos non vt quæ laudi vertant atque probent, sed ita scribere vt absurda ac mala, ideóque moribus & personis improbis attributa: nunquam ij opinione de poëtis concepta decipientur. Quinimò de loquentis persona suspicio insinuata, & factum & orationem suspectam reddet, vt Fine Iliad. γ, mala, & à malis profecta. Tale est, quòd Homerus Paridem è prœlio profugum, cum Helena concumbere facit. Nam cùm neminem alium interdiu cum vxore rem habere commemoret, extra intemperantem hunc & adulterū: satis evidenter docet, se hoc de eo opprobrij & repræhensionis causa referre. III. Ipsi poetæ de dictis iudicium vbi ferūt. Quo in genere magnoperè advertendus est animus, sicvbi poëta ipse contra ea quæ dicentur, indicium suæ improbationis edit. quod in prologo Thaïdis suæ Menander fecit:

Ergo mihi talem velim dea tu canas,
Audacia & forma simul & facundia
Quæ prædita, exerceat iniuriis suos
Procos, domo excludat, crebróque postulet
Munera, simulans amare semper, nullum amet.

Optimè omnium Homerus hoc est vsus genere, malè dictis repræhensionem, bene dictis commendationem præmittens. Hæc ita:

Odyss. β,148. *Mox ille hæc blanda est astutè verba locutus.* Item:
Iliad. β,189. *Hunc ille assistens pulcro sermone tenebat.*

Illud verò agens, tantùm non protestatur ea se non dicere aut probare, quippe inepta & praua. Exempli gratia, narraturus quomodo sacerdotem Agamemnonem inhumaniter tractauerit, hæc præmisit:

Iliad. α,24. *Non hæc Atrides Agamemnon dicta probauit:*
Sed malè reiecit, —— id est, sæuè & superbè, ac præter decorum. Achilli etiam ferocem hanc tribuens orationem,

Ibidem,223. *Ebrie, cui cerui est pectus, vultúsque caninus:*

suum de ea iudicium addit,

Rursum Pelides prauis Agamemnona regem
Impetiit verbis, neque adhuc dimiserat iram.

consentaneum quippe est, nihil per iram & vehementiam rectè dici. Sic & de factis:

Iliad. ψ,24. *Sic fatus, facinus concepit in Hectora diuum*
Immane: extendens quem pronum adstrata Patrocli, etc.

Præclarè etiam in fine dictum quoddā, quasi calculum dictis factísve adiungit. Quale est, cum deos facit de adulterio Martis ac Veneris dicentes:

Odyss. θ,329. *Successu mala facta carent: celerem quoque tardus*
Assequitur sontem vindex. ——

& de Hectoris superbia atque iactantia:

Iliad. θ,198. *Talia iactanti Iuno succensuit alma.*

& de Pandari sagittatione:

Iliad. δ,104. *Hoc animum stulti Pallas sermone fefellit.*

Huiusmodi effata & sententias quivis sanè depræhenderit, modò animum animadvertat. Alia in ipsis rebus documenta exhibent: quemadmodum Euripides fertur Ixionem vt impium flagitiosúmque conviciantibus dixisse: enimverò nō antè eum è scena eduxi, quàm rotæ affigerem. Apud Homerum id mutum doctrinæ genus extat, considerationem habens vtilem iis in fabulis etiam, quæ maximè vituperantur. Quas allegoriis (ita enim nunc vocant, cùm aliud dicitur, intelligitur aliud: antiqui hyponœam, ab occulto qui subesset sensu nominabant) nonnulli aliò detorquentes

ac

ac pervertentes, indicium de Venere à Marte adulterata Solem detulisse aiunt hoc sensu, quòd Veneris sideri sidus Martis congressum, adulterio obnoxias natiuitates reddat: sole autem rursus elato & depræhendente ea, non lateant. Ita quòd se Iuno ornauit Iouem aggressura, & veneficium cesti, volunt esse aëris quandam purgationem, ad igneam accedentis naturam. Quasi verò non ipse interpretationem poëta addiderit. Nam in Veneris fabula, eos qui animum advertunt, docet, musicam prauam & cantilenas malas, sermonésque de rebus vitiosis facere ad corrumpendos mores, efficeréque vitam effeminatam, & viros luxum, molliciem, consuetudinémque mulierum amantes, ac

Iliad. ξ,170.

Mutatas itidem vestes, calida atque lauacra, Odyss. θ,249.

Et thalamos. —— Iccirco Vlissem etiam facit citharœdo præcipientem,

Hinc age digressus, potiùs quæ machina cepit Ibidem 492.

Vrbem Dardanidûm, canta. ——

pulcrè docens, musicæ & poëticæ argumenta à prudentib. esse & cordatis petenda. In Iunonis fabula optimè demonstrauit consuetudinem mulierum cum viris, gratiámque quam eæ veneficio & præstigiis ac dolo sibi conciliant, non modò in diē durare, ac fastidiosam esse, & instabilem: sed in odium præterea inimiciciámque mutari, postquam voluptas evanuit. Sic enim ei Iupiter in hanc sententiam minatur:

Vt videas, iuuet an Venus hæc te, concubitúsque, Iliad. ο,32.

Quo mihi clam superis fraudem commixta struebas.

Nimirum effictio & imitatio facinorum malorum, vbi simul dedecus atque damnum inde autores consecutum proponitur, non incommodum, sed vtilitatem affert auditori. Philosophi quidem exemplis vtuntur, eáque ad cohortandum & instituendum sumunt, quæ ad manum sunt: at poëtæ idèm hoc agunt, exempla ipsi fingentes, ac fabulas proponentes. Sanè Melanthius, siue seriò id, siue ioco, Atheniensium ciuitatem conseruatam fuisse dixit oratorum dissidiis atque turbis: ita enim non in vnum vniuersos parietem inclinasse, sed eorum qui rempublicā tractabant in dissidio quippiam fuisse, quod recelleret à damnosa parte vrbem. Poëtarum quoque contradictiones, quibus fidem dictorum dubiam faciant, nō sinunt ea ad nocendum satis momenti habere. Vbi ergo iuxta se posita contraria dicta apud illos evidenter sunt, meliori parti adstipulandum est, vt in his:

IIII. Contraria poetarũ dicta.

Multis homines in rebus decipiunt dij,
Mea proles, atque dura conciliant mala.
FIL. Dixti id, nihil quo facilius dictu est, deos
Incusans. —— Item,
Non cupia auri te gaudere hac addecet?
R. Ditem esse, nilque scire præterea, malum est.
Item:
Quid ergo? mortem te nùmnam oppetere expedit?
R. Ita. nam piè colere deos, non est labor.

Hæc & horum similia dubij solutionem habent promtam: siquidem, vti dictum est, iudicium adolescentulorum ad meliora dirigimus. Quod si qua absurdè dicta sunt, neque statim soluta: ea refutanda sunt iis, quæ in contrariam partem ab eodem alibi dicta sunt. neque succensendum poëtæ, aut molestè is ferēdus, sed ea improbāda quæ vulgato more & per iocum dicta sunt. Statim adversus ea quæ apud Homerum exposita sunt, deos alium ab alio deiectum, & sauciatos ab hominibus fuisse, inter se discordias & odia exercuisse, ita ei occines:

Rectius hoc aliquid poteras sermone poeta Iliad. η,358.
Sentire, & multo melioribus edere verbis.

ac sentis profectò melius, & loqueris alibi rectiùs hæc ipsa:

Dij facilem vitam ducentes. —— &, Odyss. δ,805.
Hic sese oblectant superi sine fine beati. &, Odyss. ζ,46.
Hunc superi statuêre modum mœrore carentes, Iliad. ω,525.
Viuendi miseris mortalibus. ——

Hæ enim sanæ sunt & veræ de diis opiniones: ista ad animos hominum percellendos conficta. Rursum Euripide dicente,

Multis dij formis homines sophismatum,
Quod his potentia præstant, in fraudem agunt:

inferre expedit, quod rectius idem dixit,

Si turpe dij faciant aliquid, non sunt dij.

Et cum Pindarus acerbè admodum, & ad irritandum accommodatè dixerit:

Verum est, cuncta delendi hostis gratia agere:

ipsius verbis ei respondebimus, quod dicit,

Fine voluptas acerbissimo iniusta clauditur.

Ac Sophocle dicente,

Suaue est lucrum, profectum etiam à mendacio:

respondebimus, At verò teipsum audiuimus dicere,

Mendacibus verbis fructum haud succedere.

Et ad ea quæ de opibus protulit,

Omnia diuitiis, quamuis inuia, peruia. &,
Voti sui pauper neq; compos maximè
Cùm sit, potitur. ——
Nam turpe corpus, & nullius nominis
Visu pulcrum facundia reddit, & elegans:

his multa opponet lector Sophoclea: de quibus & hæc sunt:

In honore pauper etiam quin sit, nil vetat. &,
Deterior haud est pauper, quicquam si sapit. Atq;,
Nam quæ bonorum sit multorum gratia?
Autor malorum prosperas quandò souet
Diuitias cura. ——

Menander quidem extulit apertè voluptatis studium, animósq; vanitate impleuit, amatoria ista & feruida cantans:

Quæcunq; viuunt atq; nobiscum iubar
Solis vident, voluptati omnia seruiunt.

At idem nos rursus circumegit, & ad honestatem retraxt, illuxuriæq; ferocitatem repressit, ita fatus:

Vtcunq; sit iucunda, si turpis siet,
Opprobrium est graue vita. ——

hæc prioribus adversantur: meliora sunt autem & vtiliora. Ergo alterum horum necesse est ista contrariorum dictorum iuxta se collocatio & consideratio efficiat: aut ad meliorem partẽ traducet, aut fidem quoq; deteriori derogabit. Sin eveniat, vt ipsi eorum quæ absurdè dicta sunt refutationem non præbeant: nihil obstat, quin aliorum probatorum autorum contraria dicta velut in trutina cum his comparantes, quid rectius sit experiamur. Velutì cum Alexis aliquos mouet his verbis:

V. Dicta fide dignorum hominũ, poeticis opponenda.

Sapientis est voluptates sectarier.
Tres inter has potentia sunt prædita,
Verè vtilis quæ sit vitæ mortalium:
Edere, bibere, Venerísq; muneribus frui.
Accessionis omnia reliqua sunt loco.

tenendum hoc est, Socratem contrà dixisse, Malos viuere edendi & bibendi causa, bonos vitæ gratia tolerandæ edere & bibere. Adversus eum qui scripsit, Contrà malum esse maliciam non invtile armorum genus: cùm is iubeat nos quodammodo adsimilari malis: Diogenis illud obiiciendum est, qui interrogatus, qua quis ratione vlcisci inimicum posset, respondit, Si ipse quàm optimus fiat. Eodem Diogene etiam contra Sophoclem vtendum, qui multa hominum millia animi ægritudine afflixit, de mysteriis hæc scribens:

His qui sacris visis abeunt ad inferos
Homines, beati sunt: solis quia viuere
Contingit illic istis. turba cætera
Omni malorum generi incidit. ——

At

At verò Diogenes cùm tale aliquid inaudiuiſſet, Quid aïs, inquit? num nam melior conditio erit Pataecionis furis, eo quòd ſacris eſt initiatus, quàm Epaminondæ? Timotheo ſanè in theatro Dianam canenti, inſanam, furioſam, diuino inſtinctu concitam, rabioſam: Cineſias ſtatim occinit, Talis tibi contingat filia. Elegans & illud Bionis ad Theognidem. cum enim Theognis diceret:

Paupertate etenim de victo lingua ligata eſt,
Vt facere aut fari iam nihil ille queat.

Bion contrà: Quomodo, ait, ergo tu pauper cum ſis, tam multa nugando & garriendo nos obtundis? Neq; verò eæ quæ ad corrigendum dictum præbentur ex adiectis & vnà pronunciatis verbis occaſiones ſunt prætermittendæ. Sed quemadmodum medici pedes ac alas cantharidis, cùm quidem ipſa ſit mortifera, prodeſſe, & diſſoluendi vim habere putant: ſic in poëmatis quoque ſi quod eſt nomen aut verbum adpoſitum, quod efficiat quo minus ad deteriorem ſententiam abducamur, arripiendum eſt, ádque explicationem adhibendum. Sicvt quidam in his Homericis verſibus faciunt: **VI. Adiacētia.**

Scilicet hoc miſeris mortalibus extat honoris, **Odyſſ. δ, 197.**
Vt lacrymis maláſq; rigent, ponántq; capillos. &,
Hunc ſuperi ſtatuere modum mœrore carentes **Iliad. ω, 525.**
Viuendi miſeris mortalibus. ——

Non enim ſimpliciter omnibus hominibus miſeram vitam à diis fatali neceſſitate deſtinatam dicit, ſed ſtultis ac imprudētibus: quos, prauitatis ſuæ cauſa miſerabiles cùm ſint, miſeros ſolet appellare, & ærumnoſos. Alius porrò modus eſt, quo quæ in poëmatis ſuſpecta ſunt, in meliorem partem vertuntur, qui ex vſu vocabulorum pendet: in quo magis decet exerceri adoleſcentem, quàm in iis quæ gloſſæ dicuntur. Nam neque inelegans quidem eſt, & eruditum, ſcire verbo ῥιγεδανὴ malam mortem adferens ſignificari: quia Macedones δανοὶ mortem nominant. Sic Aeoles victoriam καμμονίην, permanendo nimirum & tolerando partam. Et πόπους Dryopes, quos alij dæmonas. At verò illud neceſſarium iuxtà atque vtile, ſi non damnum volumus, ſed vtilitatem ex poëmatibus percipere, vt cognitum habeamus, quomodo deorum nominibus poëtæ vtantur, itémque bonorum & malorum: & quid animæ aut fati vocabulo intelligi velint: vtrùm ſcilicet hæc apud eos vno tantùm modo, an verò pluribus ſumantur, cuius generis ſunt multa alia. Nam οἶκος aliquando ſignificat domum, vt οἶκον ἐς ὑψόροφον, —— aliquando rem familiarem, ἐσθίεταί μοι οἶκος. Et βίοτος aliàs vitam, **VII. Vſus vocabulorum.** **Odyſſ. α, 42.** **Odyſſ. δ, 318.**

——ἀμφιλύωσιν δέ οἱ αἰχμὴν **Iliad. ν, 562.**
κυανοχαῖτα Ποσειδάων βιότοιο μεγήρας. aliàs facultates, ——βίοτον δέ οἱ ἄλλοι ἔδουσιν. Et ἀλύειν eſt vbi pro morderi, & animo æſtuare ſumitur: **Odyſſ. ν, 419.** **Iliad. ε, 352.**

Ὣς ἔφαθ᾽, ἡ δ᾽ ἀλύουσ᾽ ἀπεβήσατο, τείρετο δ᾽ αἰνῶς.

alio loco pro geſtire, & lætitia exultare: vt hîc,

ἦ ἀλύεις ὅτι Ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην. **Odyſſ. σ, 332.**

Et θοάζειν vel moueri ſignificat, vt apud Euripidem,

Κῆτος θοάζον ἐξ Ἀτλαντικῆς ἁλός: **Initio Oedypi tyranni.**

vel ſedere, id eſt θαάσσειν: vt cum Sophocles ſcribit,

Τίνας ποθ᾽ ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε.

Scitum eſt etiam, vſum vocabulorum rebus ſubiectis aptare, quemadmodum Grammatici docent, alibi aliud ſignificantium. Quale eſt,

Νῆ᾽ ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ᾽ ἐνὶ φορτία θέσθαι. **Heſiod. operib.**

αἰνεῖν enim hîc ἐπαινεῖν ſignificat, id eſt, laudare: laudare autem pro recuſare ponitur hoc loco. ſicvt vſitatum nobis eſt dicere, Bene habet, & Valeat, cum aliquid nolumus, & non accipimus. Atque ſic quidam aiunt Proſerpinam vocari ἐπαινήν, quaſi aſpernandam. Hanc ergo vocum diſtinctionem maioribus in rebus & magis ſeriis obſeruantes, à diis incipiemus docere adoleſcentulos, quod deorum nominibus poëtæ vtantur aliquando cùm de ipſis iis intelligi volunt: aliquādo commune vocabulum facultatibus iis tribuentes, quæ ab iis proficiſcuntur. In promtu eſt Archilochi exemplum, à quo ſatis liquet ipſum Deum invocari his verſibus: **Iliad. ι, 457.**

Tu mea propicius vota o rex Mulciber audi,

Adésq; supplici, & largire quæ soles.

Cùm autem sororis maritum qui in mari perierat, neque legitimam sepulturam consecutus erat, deplorans, æquiore ait animo se eam calamitatem laturum fuisse,

Si caput illius pulcráq; membra simul,
Vulcanus puris tunicis velata cremasset:

de igne, nón de deo hæc loquitur. Rursum Euripides his verbis in iuramento vtens,

Non, per Iouis Martísq; cruenti sidera:

ipsos deos nominauit. Sophocle autem dicente,

Cæcus Gradiuus, vsúsq; expers luminum,
Confundit omnia, aper vel vt, mala impetu:

intelligendum est nomine Martis bellum. Eodémq; æs in illis Homeri:

Iliad.ε,329. *Quorum nunc atrum tua propter Xante cruorem*
Flumina Mars diffudit acutus. ——

Cùm verò talia multa dicantur, sciendum est, memoriáq; tenendum, ipso etiam Iouis nomine aliquando ipsum Deum, nonnunquam fortunam, sæpe etiam fatum nuncupari. Cùm enim dicunt,

Iliad. γ,276. *Iuppiter, à celsa genitor qui consulis Ida.* &,
Te quis sapientiorem se Iuppiter putet?

ipsum Iouem dicunt. Cùm verò in causis euentorum Iouem nominant, & dicunt:

Ilia. α, princip. *Ille animas validas multas detrusit ad Orcum.* &,
Consilij Iouis hic fuit exitus: ——

fatum intelligunt. Non enim putat deum poëta hominibus mala struere: sed rerum necessitudinē rectè indicat, quod scilicet fato prosperitas & de hostibus victoria destinata sit ciuitatibus, exercitib. & ducibus, modestiam seruātibus: sin verò affectibus obsequuti peccēt, (sicvt isti secum dissident & tumultuantur) indecorè agere, perturbari, & infortunium habere eodem fato eos cogi:

Fatale namq; consilia est propter mala
Mortalibus tristes rependier exitus.

ἔργοις α. Hesiodus verò vbi Prometheum inducit fratri Epimetheo suadentem, ne à Ioue vlla dona accipiat, sed ea aliò dimittat: Iouis nomen de potentia fortunæ vsurpauit. Bonis enim fortunæ tribuit appellationem donorum Iouis, opibus, coniugiis, imperiis, & omnibus in vniuersum externis bonis, quorum possessio invtilis est rectè vti iis nescienti. Itaque etiam Epimetheum, hominem vitiosum & fatuum, cauere sibi iubet, & metuere à rebus secundis, damno nimirum ei & exitio futuris. Iterum vbi ait:

Lib.2. *Nunquam pauperiem diram, exitiúmq; animai*
Exprobare ausis homini. namq; illa deorum
Est munus: —— diuinitùs datum vocat, id, quod fortuna obtigit: innuens, nō esse eos culpandos, qui fortunæ iniuria pauperes sunt: cum ignauia potius, socordia, mollicie & luxu cōiunctas diuitias in turpibus & vituperatione dignis habēdas. Cùm enim fortunæ nomen nondum vsurparetur, scirent autem illi, vim eius quæ nullo ordine nullísq; finibus contenta vagatur causæ validam esse, humanóq; consilio euitari non posse, deorum nominib. eam extulerunt. quomodo nos etiam res, mores, ac orationes adeò homínésq; solemus diuinos appellare. Hac ratione corrigi debent multa ista, quæ absurdè dicta de Ioue videntur, vt hoc:

Iliad.ω,527. *Dolia namq; Iouis duo sunt sita limine in ipso:*
Hoc aduersa, illud sed prospera fata replerunt. Item,

Iliad.γ,69. *Namq; fidem Iuppiter sacramenti ipse fefellit,*
Exitium parti monstrans se voluere vtriq;. Item,

Odyss.θ,81. *Hoc tunc exitij Teucris fuit atq; Pelasgis*
Principium, magno sic hæc statuente Tonante.

hæc, inquam, de fortuna & fato interpretabimur, quas causas, neq; ratiocinando possumus assequi, neq; omnino in nostra sunt potestate. Vbi verò consentaneum, decorum & probabile est, ibi propriè poni nomen dei iudicabimus. vt,

Iliad.λ,542. *Priamides acies aliorum victor obibat,*
Aiacem tantùm vitans Telamone creatum.

Succen-

Succensebat enim meliori conserere auso
Iuppiter ipse manum. —— &,
Nam tales res curat Iupiter mortalium,
Aliis minuta dæmonibus tractanda dans.

Magnopere etiam alia sunt animadvertenda vocabula, multas ad res accommodata, & variè vsurpata à poëtis. Quo ex genere est Virtutis nomen. Quia enim non prudẽtes modò, iustósq; & bonos virtus præstat in verbis & factis, sed existimationem etiã ferè & potentiam conciliat: iccircò & bonam famam ij, & potentiam virtutis nomine afficiunt. quomodo castaneæ fructum castaneam, & nucis nucem, communicato nomine dicimus, Noster proinde adolescentulus, vbi apud poëtas legerit, Virtus.

Numina virtuti sudorem præposuerunt. &, Hesiod. operib.
Ruperunt Danai iam tum virtute phalangem. Item, Iliad. λ, 90.
Quod si fata iubent, nunc vitam claudere morte,
Mors est pulcra quidem hæc, virtuti immergere vitam.

hæc legens, statim cogitet dici hæc de præstantissimo & maximè omnium nostrorum diuino habitu, quem rationis rectitudinem, & naturæ ratione præditæ perfectionem, animíque consentientem secum affectionem intelligimus. Rursum hæc legens,

Virtutem Iupiter mortalibus addit & aufert. &, Iliad. ν, 241.
——*diuitias virtus & fama sequuntur:*

non desideat diuites cum stupore admirans atq; suspiciens, quasi verò ij pecunia emere virtutem possint, aut suæ prudentiæ incrementum decrementúmve in fortunæ sit potestate. Verùm hoc iudicet, virtutis voce pro gloriæ, potentiæ, secundarum rerum, aut similis alicuius rei nota poëtam vsum fuisse. Nam κακότητος etiam verbo aliquando maliciam & prauitatem animæ designant, vt Hesiodo:

τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι. α. ἔργων

aliquando calamitatem & miseriam, vt apud Homerum,

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. Odyss. τ, 360.

Quomodo is quoque falleretur, qui felicitatem eo modo apud poëtas accipi putaret, quo philosophis significat perfectum bonorum omnium habitum, seu possessionem & perfectionem vitæ secundum naturam prospero cursu euntis: non sentiens abvti eos sæpè nomine, & qui diues sit, eum felicem ab iis appellari, aut beatum, potentiámque & famam bonam felicitatis vocabulo insigniri. Nam Homerus quidem rectè vtitur appellationibus istis:

Non equidem gaudens ego possideo bona tanta. Odyss. λ, 93.

Et Menander:

Amplæ facultates mihi sunt, & ab omnibus
Diues vocor: nemo beatum me vocat.

Euripides multum confusionis & turbarum infert, hæc scribens:

Non sit mihi vita beata, quæ molesta sit. &, Medea.
Tyrannidem tanti quid iniustam facis
Beatitatem? —— nisi, vt dixi, translationem & abvsum vocum spectes.

Ac de his quidem satis. Hoc non semel, sed sæpenumerò monendi sunt adolescentes, poësin, cum argumentum ei sit ad imitandum propositum, adhibere quidem eam ornatum & splendorem rebus moribúsq;, quæ pro argumento sumsit, illustrandis: interim tamen veritatis similitudinem non dimittere, quippe quæ in imitatione id habet quo lectorem delectet atq; ducat. Itaq; imitatio quæ non planè veritatis rationem nullam habeat, permixta actionibus virtutum & vitiorum indicia simul profert. Talis est Homeri poësis, quæ longum vale dixit Stoicis, neque virtuti vitium, neque vitio virtutem vnquam adesse censentibus, sed omnino vsquequaq; insipientem peccare, sapientem rectè agere. Hæc sanè in scholis audiuntur. At in rebus ipsis vitáq; communi, sicvt Euripides sensit, VIII. Vitia virtutibus admixta.

Nunquam à malo seiungitur prorsus bonum:
Quædam sed est horum inter se commixtio.

Veritate remota poësis maximè varietate multiplici vtitur. Nam animorum permotionem, vt & à ratione aliena res & ab opinione videatur, (quod & ad animos

percellendos magnam habet vim, & ad parandam gratiam) fabulis imitationes conciliant: quod simplex sit, id neque fabulis est, neq; animo perturbando aptum. Itaque neq; vincentes semper eosdem, neq; perpetuò rebus secundis vtentes faciunt, neque rem rectè gerentes. Adde, quod ne deos quidem, cum ij in humana incidunt negocia, affectuum vacuos & errorum sinunt esse: necubi poësis, periculo & adversario de rebus sublato, ociosa planè sit, neq; perturbans iam neq; percellens animos. His ad hũc modum habentibus, adducemus ad poëmata adolescentem, non illam secum opinionem de claris illis & magnis nominibus afferentem, quasi sapientes illi & iusti fuerint homines, præstantissimique reges, & omnis virtutis atque rectitudinis normæ. Damnum enim caperet, omnia magna putans, & cum stupore admirans, nihil auditum improbans: neque admitteret repræhendentem eos, cùm talia dicunt aut faciunt, quale hoc:

Achilles. *Sic pater ipse deûm faciat, sic cæsia Pallas,*
Iliad. π, 97. *Sic Phœbus: mortem Teucrûm ne quis vel Achiuûm*
Evitet. nobis detur superesse duobus,
Vt sacrata solo sternamus Pergama soli.

Item:

Agamemno. *Maxima tum trepidam subiit miseratio mentem,*
Odyss. λ, 420. *Cùm vox Cassandræ nostras pervenit ad aures*
Mœsta, Clytæmnestræ nobiscum fraude necatæ. &,

Phœnix. *Me miscere patris iussit cum pellice corpus,*
Iliad. ι, 452. *In senis invidiam quo me malesuada vocaret.*
Quod suasit feci. —— Item,

Menelaus. *Non est te, Iupiter, superûm damnosior vllus.*

Iliad. γ, 365. Condocefaciamus verò adolescentem, vt nihil tale laudet, neq; versutus esse velit, & probabiles sectari prætextus, aut rebus malis speciosas præscriptiones excogitare. Id potius iudicet, poësin esse imitationem morum & vitarum hominum non perfectorum aut sincerorum, aut ab omni repræhensione immunium: sed in quibus locum habeat multum perturbationum, opinionum, mendaciorum, ignorationum: quæ tamen ij ob naturæ bonitatem sæpenumerò corrigant. Hoc enim modo instructus adolescẽtis animus, nullum ex auditione damnum sentiet, elatus atque concitatus ad ea quæ rectè dicuntur aut aguntur, contraria indignè ferens ac repudians. Qui verò omnia admiratur, omniáque familiariter amplectitur, iudicio Heroicorum nominum existimatione mancipato: is imprudens, multis se vitiis facilè obnoxium præbebit: quemadmodum iis evenit, qui curuitatem Platonis & balbutiem Aristotelis imitantur. Oportet autem eum non timidè, neque vt in templo superstitiosè ad omnia horrere, omniáque adorare: sed adsuetum audacter acclamare suo loco non minus, Malè hoc & Iliad. α, 54. ac deinceps. inconvenienter, quàm, Rectè hoc & decorè. Verbi gratia. Militibus morbo correptis Achilles concionem cogit, vacationem belli ægrè ferens, maximè quod ea suæ in bello gloriæ & præstãtię officeret. Atq; vt erat rei medicæ peritus, post nonum diem, quo iudicari talia natura fert, sentiens morbum nõ esse vulgarem, aut ab vsitata aliqua causa profectum, surgénsque ad dicendum, non populo se accommodat, sed consiliarium regi se præbet:

Nunc equidem retrò miseris erroribus actum
Atrida in patriam redituros suspicor iri.

Rectè hæc, moderatè & decorè. Cùm autem vates dixisset, se potentissimi Græcorum iram metuere: iurans se viuo neminem illi manus illaturum, non rectè iam, neq; moderatè hoc adiicit,

—— *siue ipsum Agamemnona dicas:*

ostendens pro nihilo se ducere principem, ac despicere. Magis deinde irritatus gladium arripit, trucidandi regis cupiditate, neque rectè, neque vtiliter. Mox pœnitentia ductus,

Ingentem rursum vagina condidit ensem,
Parens consilio Tritonidis. ——

rursum hoc rectè & præclarè, quòd cum iram omnino avertere non potuisset, eam tamen rationi obtemperare coëgit, priusquam ad flagitium erumperet. Rursum Aga-

gamemno ridiculus est, in iis quæ in concione dicit atque gerit: grauitatis plus adhibet, & regij decori in Chryseidis negocio, quàm in simili causa Achilles. Hic enim, cũ Briseis abduceretur,

Consedit lacrymans, socius procul inde relictis.

Agamemno ipse in nauem imponens, tradens, & amãdans eam, quam antè sibi vxore sua chariorem dixerat, turpe aut amatorium nihil agit. Iam Phœnix à patre ob pellicem diris devotus, ait:

Hunc ferro iugulare ego sum meditatus acuto: Iliad. ι, desunt post versum 457.
Verùm aliquis superûm rabidam compescuit iram,
Et famæ admonuit popularis dura vereri
Tunc animo subiit varij conuicia vulgi:
Ne patris occisor Græcos ego dicier inter
Perferrem. ——

Sanè Aristarchus sustulit hos versus, metuens * Sed tempestiuè positi sunt, Phœnice Achillem docente quid rei sit ira, ac quę per iram homines audeant, ratione non vtentes, neq; consulentibus obtemperantes. Nam & Meleagrum inducit, ciuibus iratum, & deinde placatum. rectè perturbationes animi vituperans: vtq; rem bonam & vtilem laudans iis non obsequi, sed resistere, eas superare, ac pœnitudine earum duci. Ac in his quidem manifestum est discrimen. Vbi verò obscura est sententia, attento animo sic (exempli causa) distinguendum est. Siquidem Nausicaa peregrinum virum Vlissem conspicata, eodémque quo Calypso erga eum modo affecta, (quippe delicatè viuens, & nuptiis matura) hæc ad ancillas stultè verba loquitur, [Ibid. 549. & inde.] [IX. Consideratio dictorũ aut factorum.]

O vtinam tali me iungant fata marito, Odyss. ζ, 244.
Hicq; illi lubeat nobiscum ducere vitam:

repræhensionem audacia eius meretur, ac impudicicia. Sin ex sermone viri ingeniũ perspiciens, admirataq; alloquium eius ita prudens, optat talem sibi potiùs maritum, quàm nauicularium aliquem, & saltatorem ciuem: admirationem meretur. Item, Penelopa cum procis comiter colloquente, iisq; vestimenta & alium mundum donantibus, Vlisses lætatur:

Dona quod illorum captans, animos fallebat. Odyss. σ, 281.

Hîc si Vlisses captione munerum, & lucro gaudet, Poliagrum quoque infamem lenocinij causa in comœdiis superat. de quo est illud:

Poliagrus est felix, cœlestem qui domi
Opes ipsi parantem alit capram. ——

Sin eo magis illos in sua potestate fore arbitratur, nihil tale ob spem futuri expectantes: delectatio eius & animi confirmatio rationem habet. Rursum in numerandis donariis, quæ Phæaces vnà cum ipso exposuerunt, ipsiq; avecti sunt: siquidem hoc modo in solitudine constitutus, & adeò ignarus incertúsque quid de se factum esset, de iis tamen verè solicitus est, ne

Abstulerint secum naui Phæaces euntes: Odyss. ν, 216.

miseranda est, imò abominanda mehercle hominis auaricia. Quod si, vt nõnullorum fert opinio, de Ithaca ambigens, quòd salua essent dona, id pro demonstratione pietatis Phæacum accipit, (non enim sine lucro deportaturos eum fuisse in alienam terram, intactísque bonis istis relicturos) neque inepto vtitur argumento, & prudentiam par est laudari. Sunt qui hanc ipsam expositionem, siquidẽ revera dormiens est è naui expositus, reprẹhendunt. & aiunt apud Etruscos etiamnum narrari, somniculosum fuisse Vlissem, ideóque à multis difficulter potuisse compellari. Quod si is non fuit re ipsa somnus: sed cùm & puderet eum Phæaces sine xeniis, nulláque humanitatis officia expertos dimittere, & ipsis tamen præsentibus latêre hostes non posset, somno simulato hac se difficultate expediuit: probant. Hæc ergo adolescentibus demonstrantes, non patiemur eos ad prauos mores momento aliquo impelli, sed ad delectum imitationémque bonorum: statim vbique quid laude, quid vituperatione dignum sit, docentes. Maximè id in tragœdiis adhibendum est, vbi turpibus ac prauis factis sermones accommodantur probabiles & astuti. Non enim verum prorsus est Sophocleum illud,

Non verba factis à malis veniunt bona.

nam & ipse solet moribus perversis, & factis prauis, rationes quæ arrideant, atque benignas excusationes applicare. Et in eadem scena versatus alter, vides vt faciat à Phædra porrò etiam ipsum incusari Theseum, cuius scilicet iniuriis ad amorem Hippolyti fuisset adacta. Eandémque dicendi libertatem in Troadibus Helenæ tribuit, quæ Hecubam vt adulteri genetricem, quàm se, digniorem pœna affirmet. Horum ergo nihil scitum aut callidum arbitrari adolescens adsuescat, neque huiusmodi verborum commentis arrideat: sed magis quàm ipsa impudica facta, orationes huiusmodi abominetur.

X. *Causæ dictorum inquirēdæ.*

Expedit etiam vbique causam eorum quæ dicuntur quærere. Ac Cato quidem puer etiamnum, facere quod iussisset pædagogus solebat: mandati tamen causam & rationem postulabat. Cæterùm poëtis non ita vt pædagogis aut legislatoribus parendum est, nisi rationem habeat quod proponunt. Habebit autem, si sit rectum: sin prauum, inane & vacuum esse apparebit. Sed plerique acerbè causas postulant, inquirúntque quomodo & cur dictum sit:

Hesiod. β. 157.

Nec cùm vina bibunt, supra cratera tenebis
Tu cyathum. —— &,

Iliad. Δ, 306.

A curru quicunque suo transibit in axes
Alterius, pugnet porrecta protinus hasta.

grauioribus verò sine vllo examine assentiuntur. cuius generis est:

Eurip. Hippolyto.

Animum viri, quantumvis fortis, deiicit
Culpæ patris matrísve conscientia. &,
Humili esse corde calamitosos convenit.

Atqui talia ad mores pertinent, vitámque turbant, iudicio absurdis opinionibus deprauato, nisi adsuefacti ad singula dicamus: Cur abiecto animo esse debet qui passus est infortunium? Cur non potiùs reluctari fortunæ, séque ipsum erigere, & non deiectum præstare? Cur si patre malo & stolido genitus, ipse bonus & prudens sim, non deceat me propter meam virtutem spiritus altos ducere, sed demissum esse & humilem ob patris inscitiam? Qui enim hoc modo obviam it & obsistit, neque se cuivis orationi tanquam vento obliquè impellendum exhibet, sed rectè illud dictum sentit. Stultus quovis verbo percellitur: is multa neque verè neque vtiliter dicta repudiabit.

XI. *Occultus sensus investigandus.*

Hæc ergo sunt, quæ poësis auditionē innoxiam præstabunt. Iam sicvt inter vitis folia ac palmites copiosos sæpe fructus occultatur, súbque vmbra latet: sic in dictione quoque poëtica & fabulis circumfusis multa vtilia adolescentis conspectui subtrahuntur. Cæterùm id ferendum non est, neque à rebus aberrandum: sed inhærendum iis maximè, quæ ad virtutem ferunt, & formandis moribus apta sunt. Itaque ex re est de his quoque breuiter tractare, ita vt delineatis modò rebus, longitudinem apparatúmque & multitudinem exemplorum iis relinquamus, quorum ad rem demonstrandam scriptio instituitur. Principio bonas malásque personas indoléśque cognitas habens adolescens, sermonibus animum factísque advertat, quas vtrique generi poëta decenter attribuit. Verbi gratia, Achilles ad Agamemnonem, quantumvis iratus, hæc dicit:

Iliad. α, 163.

Non mihi quippe pares tecum tribuuntur honores,
Præmiáque, Argiuus quandoque exercitus vrbem
Troianam capit. ——

Thersites verò eidem convicium faciens, sic loquitur:

Iliad. β, 226.

Aere tibi tua sunt multo tentoria plena,
Captiuarum ingens numerus, quas vrbe potiti
Eximias tibi nos aliqua damus. ——

Iterum Achilles,

Iliad. α, 128.

—— *Si Iuppiter olim*
Concedet muris munitam evertere Troiam.

At Thersites,

Iliad. β, 231.

Quem vel ego captum, vel quisquam ducit Achæus.

Rursum Diomedes, ad Agamemnonis exercitum obeuntis convicium, nihil ipse respondet,

Iliad. δ, 402.

Nimirum reverens venerandi iurgia regis.

Sthenelus autem, nullius homo nominis, hæc regerit:

Noli, cùm verum possis, rex, dicere falsa.

Nos

Nos nostris multo genitoribus esse priores
Virtute affirmo. ——

Hoc enim discrimen obseruatum docebit adolescentem, fastus vacuitatem & moderationem animi rem esse præclaram: contrà, iactantiam & sui laudationem, vt vitium esse vitanda. Atque hîc vtile est etiam in Agamemnonem intueri. Sthelenum non allocutus præteriit: Vlissem autem non neglexit, sed respondit ac cōpellauit,

Iratum cernens, rursúsq; ita dicere cepit. Ibid.357.

Seruile enim est, omnibus se velle purgare: omnes autem despicere, superbi est & imprudentis. Optimè verò Diomedes in pugna tacet, à rege convicio affectus: à pugna autem liberè adversus eum loquitur,

Antè inter Danaos tu me virtute carere Iliad.ι,34.
Dixisti: —— & cætera.

Expedit etiam, non prætermittere discrimen viri prudentis, & vatis in populi convētu multitudinis applausum captantis. Etenim Calchas, occasionis nulla ducta ratione, Iliad.α,94. pro nihilo putauit in ipsa multitudine regem accusare, vt qui pestem populo intulisset. At Nestor de reconciliando Achillis animo sermonem illaturus, ne videretur Agamemnonem apud populum traducere, vt qui per iram peccasset, ita ei suadet: Iliad.ι,70.

Conuiuas accerse senes: te res ea digna est.
Collectis multis, tum cuius cætera vincet
Consilium pare. —— atq; à cœna legatos emittit. Nimirum hoc erat peccati correctio: illud criminatio, & cōtumelia. Quin & nationū discrimina sunt cōsiderāda: quæ sunt huiusmodi. Troiani ad prœlium eunt cum clamore & ferocia, Achiui autem Iliad. γ, principio.

Ductorum taciti formidine. ——

Nam quod iam congressuri cum hoste duces suos metuunt, id signum est cùm fortitudinis, tum obedientiæ. Iliad.δ,431. Atque iccirco & Plato adsuefacere nos vult, vt repræhensiones & turpitudinem magis metuamus, quàm labores & pericula: & Cato rubentes sibi pallidioribus chariores esse dicebat. Sua est etiam promissionibus nota. Dolon enim sic pollicetur:

Vsq; adeò Graiūm prorsus pertranseo castra, Iliad.κ,325.
Donec ad Atridæ nauem peruenero magni.

At Diomedes nihil promittit: in minore tamen metu se fore ait, altero sibi adiuncto aliquo. Ibidem,220. Græcanicum proinde est, & scitum, prudentia: barbaricum verò & vitiosum, audacia. & imitandum illud est, hoc aspernandum. Contemplationem quoq; non invtilem habet affectio animi Troum, & Hectoris cum Aiace singulari prœlio congressuri. Nam Aeschylus sanè, cùm Isthmico certamine pugil in faciē ictum accepisset, essétq; exclamatum: Quid rei, inquit, est consuetudo? spectatores vociferant, ictus tacet. Et cum poëta dicat, Aiace in armis cum splendore viso gauisos esse Græcos, cum

Troum cuiq; graui quaterentur membra tremore, Iliad.η,215.
Ipse etiam pulsum sentiret pectoris Hector.

Quis hîc nō miretur discrimen? cùm eius qui adibat periculum, cor tantum saliret, nimirum tanquam lucta aut cursu decertaturi: spectatorum autem quaterent & tremerent corpora, ob benevolentiam & metum quem gerebant pro rege. Hîc depræhendas etiam, quo optimus à deterrimo distet. Thersites enim:

Pelidæ in primis fuit, atq; inuisus Vlissi. Iliad.β,220.

At Aiax cùm semper Achilli amicus fuit, tum ita ad Hectorem dicit:

Solus tu soli congressus nunc mihi, nosces Iliad.η,226.
Quales hîc Danais præstantes Marte supersint;
Præter Pelidam, qui dissipat agmina vasto
Robore, magnanimi cui pectus forte leonis.

In his Achillis est laudatio. quæ sequuntur, commodè sunt de omnibus dicta:

Nos tales multi sumus, vt concurrere tecum
Possit pro se quisq;. ——

se neq; solum, neq; præstantissimū dicit: sed qui cum multis hoc habeat, quod Hectorem subsistere queat. De discrimine hæc satis: nisi id quoq; assumimus, quòd Troianorum multi in potestatē hostium viui pervenerunt, nemo Græcorū. Et quòd illorū multi supplices facti sunt hostibus, vt Adrastus, Antimachi filij, Lycaō, ipseq; Hector Iliad.,45.,125 φ,71.χ,338.

pro sepultura Achillem deprecans: horum nullus. quippe barbaricum esse, in pugna supplicare: Græcanicum, pugnando vincere aut mori. Cæterùm sicvt inter pascendum apis florem, capra germen, sus radicem, aliæ bestiæ semen fructúmve captant: ita legendis poëmatis alius historiam decerpit, alius elegātiæ & apparatui verborum inhæret, (quomodo Aristophanes de Euripide ait,

XII. Moralia obseruāda præcipuè.

Oris rotunditate eius quoniam fruor)

alius verò ea, quæ de moribus vtiliter dicta sunt, consectatur. Iccirco eum, ad quem hic noster sermo pertinet, admonebimus: indignum esse, si honestatis pulcrique studiosus, & non ioci, sed doctrinæ capiendæ causa poëmata legens, obiter negligentérque percipiat, quæ ad fortitudinem, temperantiam aut iustitiam declamantur in iis: cùm interim fabularum studiosum, quę in iis insolenter aut impendio ornatè, aut orationis studiosum, quæ eleganter & artificiosè dicta sunt, minimè lateant. Quæ ad virtutem pertinent, talia sunt:

Iliad. λ, 313.

Martia quo casu, Diomedes, pectore virtus
Excidit? huc assiste mihi. nam dedecus ingens
Hoc fuerit, naues capiat si splendidus Hector.

Videre enim hominem prudentissimum in mortis periculo cum tota multitudine cōmuni constitutum, non mortis, sed turpitudinis metu duci, animo adolescentis ad virtutis studium motum afferet. Et hoc,

Odyss. γ, 52.

Gauisa est sapiente viro, iustóq; Minerua:

idem ratiocinari docet, cum dea non diuite, aut formoso aliquo, aut robusto, sed prudente & iusto delectari fingitur. Rursùm vbi eadem dicit se Vlissem non destituere aut negligere,

Odyss. ν, 332.

Quòd prudens, animóque sagax, cordatus & esset:

indicat, nihil de rebus nostris diis esse charum & diuinum, præter virtutem: siquidem similia gaudere similibus solent. Porrò cùm & videatur & sit magnum, iræ posse moderari: maius est cauere prudenter, ne ad iram delabamur, ac talia auditoribus non obiter sunt demonstranda. Verbi gratia, quod Priamum Achilles, homo minimè lenis aut patiens, quiescere iubet, ne ab eo iritaretur:

Odyss. ω, 560.

Iritare senex caue me (namq; ab Ioue missus
Nuncius est mihi: iámq; tuum tibi reddere natum
Decreui) ne nostra tibi tentoria cano
Non sint tuta satis, violem præcepta Iouísq;
Supplice te cæso. ——

lotúmq; & velatum Hectorem ipse currui imponit, priusquam eum pater videret turpiter tractatum:

Ibidem 584.

Pectore ne mœsto senis exardesceret ira,
Conspecto nato, córq; iritaret Achillis:
Isq; illum magni violans mandata Tonantis
Cæderet. ——

Admirandæ est enim prudentiæ, hominem ad iram procliuem, naturáque asperum & iracundum, seipsum non ignorare: sed cauere sibi, & declinare causas irascendi, eminúsque se ratione præmunire, ne vel inuitus in eam perturbationem delaberetur. Hoc modo & vinosus contra ebrietatem, & adversus amorem ad eum affectum propensus se præparare debet. Quomodo & Agesilaus nō passus est osculum sibi dari à formoso ad se accedente. & Cyrus, ne videre quidem Pantheam sustinuit. Cùm contrà malè instituti materiam suis affectibus, ac tanquam fomites conquirant, ad eáq; vltrò se dēt mala, ad quæ periculosè sunt propensi. At verò Vlisses non seipsum modò iratum cōpescit: sed & Telemachum colligens iratum esse, & odio malorum occupatum, multo antè retundit, continere se iubens, & tolerare.

Odyss. π, 274.

Turpibus illi me verbis factísq; per ædes
Incessent: firmo tu nostra opprobria perfer
Pectore. seu pedibus tractum me nate per ædes
Eiicient, seu missilibus manus improba adactis
Fortè petent: hæc tu cernens, tolerare memento.

Sicvt enim equos non in cursu, sed ante cursum frænant; sic eos qui difficulter continentur

nentur

nentur indignitate rerum obiecta, & iracundos, ratione occupare & temperare atq; ita demum ad certamina adducere convenit. Ne nomina quidem negligenter sunt adolescenti inaudienda. VIII. Vocum obseruatio. Ac Cleanthis quidem ludicra missa faciet, qui nonnunquam dum se interpretem fert, nugatur, vt in his:

Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων. — Et Iliad. γ, 276.
Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε. — Iliad. π, 233.

hoc ille legi vult vno vocabulo ἀναδωδωναῖε. scilicet ita appellari aërem, qui à terra exhalando effertur. Chrysippus quoque sæpenumerò ieiunus est, non ludens, sed quod nulla probabilitate dicatur comminiscens, detorquénsque verba hæc Εὐρύοπα Κρονίδην Odyss. β, 146. eò, vt sit vi dicendi præditus, eáque alios excedens. Præstat his ad Grammaticos ablegatis, iis insistere, quæ & vtilia sunt, & iuxtà vero consentanea.

Nec mî cor suasit: didici quoniam bonus esse. & Iliad. ζ, 444.
—*namq; sciebat cunctis esse benignus.* Iliad. ρ, 671.

Fortitudinem enim discendo parari pronuncians, comitatémque, & in consuetudine cum hominibus gratiam à scientia & ratione proficisci statuens, hortatur ne nos ipsos negligamus: sed discamus quæ honesta sunt, & animũ docentibus advertamus. quippe perversitatem & timiditatem esse inscitiæ & ignorationis. Admodum his consentanea sunt quæ de Ioue & Neptuno dicuntur:

Amborum commune genus, patria vna duobus. Iliad. ν, 354.
Sed natu Iupiter præcedit, pluráq; nouit.

Pronunciat enim, prudentiam esse diuinissimam rem, & maximè regiam: in qua Iouis summam ponit excellentiam, nimirum huic virtuti reliquas quoq; comitari sentiens. Adsuefacere quoque adolescentem debemus, vt & ista vigili animo audiat:

Est sapiens: non ergo tibi mendacia dicet. & Odyss. γ, 20.
Antiloche, antè quidem prudens, facinus modò quale Iliad. ψ, 570.
Patrasti, nostræ virtuti dedecus addens,
Læsisti mihi equos. — &,
Cur absurda adeò es tu talis Glauce locutus, Iliad. ρ, 171.
Qui mihi visus eras reliquis prudentior esse?

nimirum docent hæc, neq; mentiri homines prudentes, neq; dolo in certaminibus vti, neq; alios iniustè culpare. Idem dicens Pandaro stulticiã in causa fuisse vt fœdus confunderet, Iliad. δ, 104. iniusticiam abesse à prudentibus liquidò ostendit se sentire. Eadem de pudicicia licet ostendere, his insistentem:

Deperiit Prœti hunc coniunx Antea, coire Iliad. ζ, 160.
Concubitu occulto cupiens: facinus tamen illud
Nunquam cordato persuasit Bellerophonti. Item,
Principio sanæ rectum rationis ob vsum Odyss. γ, 264.
Diua Clytæmnestræ facinus tam turpe recusat.

In his prudẽtiam pudiciciæ causam facit. In exhortationibus porrò ad prœlium identidem hæc ponens,

Non pudet, ô Lycij? quorsum fugietis? an estis Iliad. π, 422.
Sic celeres? — Item,
Cordi cuiq; pudor sit, & indignatio iusta, Iliad. ν, 121.
Orto tam grandi certamine. —

hæc ostendunt, eum modestis adscribere fortitudinem, qui turpitudinis metu & voluptates vincere, & pericula subsistere possint. Qua occasione etiam Timotheus in Persis non malè hortatur Græcos,

Colite verecundiam, adiutricem virtutis bellicæ.

Aeschylus hoc quoq; prudentiæ imputat, nullo fastu ad gloriam ferri, neq; insolescere aut efferri multitudinis laudationibus, sic de Amphiarao scribens:

Neq; enim videri, sed vult esse is optimus, Septem ad Thebas.
Sulcum profundum in pectore consitum gerens
Suo, veneranda consilia vnde pullulant.

Cordati enim est hominis, sibi ipsi, animóq; suo optimè affecto multum tribuere. Cum ergo omnia ad prudentiam revocent, ostendit doctrina omne virtutis genus parari.

Iam quemadmodũ apis à natura hoc habet, vt ex acerrimis floribus, spinísq; asperri- XIIII. Vtilitas

ex suspectis locis captanda.

mis, lenissimũ mel optimúmq; eliciat: sic pueri in poëmatis rectè instituti, etiam ab his quę absurditatis & prauitatis suspecta sunt, cõmodi aliquid & vtilitatis trahere discẽt. Prima fronte Agamemnon videtur auaricia ductus, à diuite isto equam Aetham accepisse, ipsiq; militiæ vacationem concessisse,

Iliad.ψ,296.

Vnà ventosum ne miles ad Ilion iret:
Sed se diuitiis, quas illi Iupiter amplas
Præbuerat, patriis in sedibus oblectaret.

Attamen rectè (vt ait Aristoteles) fecit, bonam equam tali viro præferẽs. nam neq; canem, neque asinum meherclè precio æquat vir timidus & imbellis, diuitiis & mollicie diffluens. Rursum turpissimè videtur Thetis filium ad voluptates exhortari, & rei Venereæ admonere. verùm hîc quoque ab altera parte continentia Achillis consideranda est, qui amata, & ad se redeunte Briseide abstinet, cum sciret sibi finem vitæ instare: neque ad voluptates fruendas festinat, neq; (vt solent vulgò facere) amicum per ignauiam & intermissionem officij deplorat: sed præ luctu voluptatibus se abstinens, in agendo & exercitum ducendo strenuum se præbet. Item Archilochus non laudatur, quòd sororis maritum, qui in mari perierat lugens, vino & ioco mœrorem diluere cogitat. Causam tamen rationi consentaneam adducit:

Iliad.ω,130.

Nam neq; restituam lacrymis, neq; deteriorem
Quærens delicias, vináq; rem redigam.

Etenim si ille censebat se nihil mali facturum, si delicias & cõviuia sectaretur: quomodo nobis præsens conditio fieret deterior philosophantibus, rempub. gerentibus, & in forum progredientibus, & in Academiam descendentibus, & agriculturæ vacantibus? Itaq; correctiones etiam istæ vitio carent, quibus Cleanthes vsus est, & Antisthenes. Hic enim tumultuantibus in theatro Atheniensibus ad versum hunc,

XV. Correctiones.

Quid turpe sit, nisi quod qui rem tractat putat?

subiecit hunc,

Quod turpe, turpe est: seu putes, seu non putes.

Ille versus de diuitiis,

Quod des amicis, atq; morbo languidum
Corpus reficias sumtu: —

sic immutauit,

Quod des meretricibus, atq; morbo languidum
Corpus conficias sumtu. —

Et Zeno Sophocleum illud,

Quisquis tyranni scilicet intrat in domum,
Fit seruus eius, liber etsi venerit:

sic correxit,

Non seruus ille fit, si liber venerit.

liberi nomine intelligens metu vacuum, & magnanimum, & infractum. Quid verò impedit nos quoq; huiusmodi acclamationibus adolescẽtes in meliorem partem vocare? Sic ergo agemus.

Hoc illud expetendum hominibus maximè est,
Si quis sagitta curæ quod vult attigit.

non ita nos, sed

Curæ sagitta si tangit quod expedit.

Miserum enim est, nullóq; modo expetendum, id consequi quod non expediat, quantumvis id volueris. Item,

Eurip. initio Iphig. Aul.

Gaudere oportet & dolere te: pater
Neq; enim fruiturum rebus tantùm prosperis,
Agamemno, te creauit Atreus. —

immò dicemus:

Mediocribus gaudere te rebus decet
Vtentem, non dolere. nam neq;
Atreus fruiturum rebus tantùm prosperis
Agamemnonem creauit. — Rursum,
Eheu, malum mortalibus diuinitus

Venit,

Venit, vt bonum videant, non vtantur tamen.

immò verò belluinum, non diuinum est hoc malum, & brutum ac miserabile, melius videntem intemperantia & mollicie ad deterius rapi. Et,

Mores mouent dicentis, haud oratio.

sanè & mores, & oratio: aut mores oratione, sicvt equus fræno regitur, & nauis clauo. non enim virtus aliud oratione humanius magisve familiare instrumentum habet. Tum hoc,

Mulieribus est mage deditus quàm masculis,
In vtranq; partem pulcritudo eum mouet.

rectiùs dixisset:

In vtranq; partem impellitur modestia.

Non enim dexteritatis est, sed sinistri instabilisque animi, à voluptate & pulcritudine hâc illâc transigi. Iam illud,

Metus deorum hominibus adest prudentibus,

nequaquam rectè: sed,

Prudentibus fiduciam afferunt dij:

metus causa cum sint imprudentibus, ingratis, stultis, qui etiã eam vim quæ omnis boni causa & principium est, damnosum suspicantur & metuunt. Tale ergo est correctionum genus. Quomodo aũt ad plures vsus vnum aliquod dictũ accommodari possit, rectè demonstrauit Chrysippus: nimirum id ad ea quæ eiusdem sunt generis transferendum. Sic quod Hesiodus dicit, XVI. *Vnius dicti ad res plures accommodatio.* 197.a.

Non vel bos pereat, nisi vicinus malus adsit:

id & de asino, & de cane, & de omnibus eodem modo quæ perire possunt, accipitur. Rursum Euripides,

Quis seruus est? de morte pensi nihil habens.

hoc intelligendum est etiam de labore & morbo eum loqui. Vt enim medici ad certum morbum adhibito medicamento, id facultate eius perspecta transferunt deinde & accommodant ad quæcunq; similia: sic orationem quoq; communem, & quæ vsum suum publicare possit, nõ debemus vni affixam rei relinquere, sed ad omnia similia traducere: adolescentésq; accuratè adsuefacere multis exemplis propositis, vt celeriter communitatem istam perspiciant, sentiántq; expeditè quid quò familiariter transferri possit. Vt cùm Menandrum audiunt hæc proferre,

Felix, opes qui cum sapientia tenet:

iudicent hoc & de gloria itidem, & de principatu, & de facundia dictum esse. Et quibus verbis Achillem in Scyro inter virgines sedentem Vlisses increpat,

Generis illustre lumen extinguens tui,
Proles parentis Graiûm præstantißimi,
Lanificium tractas?——

posse & prodigo dici, & turpi quæstui dedito, & socordi & inerudito,

Potas parente natus Graiorum optimo,

aut tesseris ludis, aut coturnices cædis, aut cauponaris, aut fœnebrem exerces rem, nihil magnum aut genere dignum cogitans?

Ne dixeris diuitias: non magni Deum
Facio hunc, parat facilè sibi quem vel peßimus.

ergo ne gloriam quidem, neq; corporis formositatem, neq; vestem imperatoriam, neque coronam ex sacra festiuitate reportatam: quæ omnia etiam pessimis videmus cõtingere. Rursum

Etenim metus turpes progenerat liberos:

& verò mehercle etiam intemperantia, & superstitio, & invidia, & reliqua omnia vitia. Iam cum optime dixerit Homerus:

——*Infelix Pari, præstantißime forma.* &, Iliad. γ. 39.

——*Hector pulcerrime:* (ostẽdit enim vituperio & opprobrio dignum, cui ζ. 142.

nullum pulcritudine præstantius adsit bonum) hæc similibus adaptanda porrò sunt, iisq; reprimendi qui se efferunt ob res nullius precij: docendiq; sunt adolescentes, huiusmodi verba exprobrationes esse & convicia, Opibus præstantissime, cõviuiis, pueris, iumentis, atq; adeò facundia. Oportet enim bona excellentissima sectari, inq; pri-

mis rebus primum, & in magnis maximum esse. Gloria verò à paruis rebus & vilibus parta, ignobilis est, & nō magni facienda. Atq; huius rei nos statim submonebunt exempla, cum vituperationes & laudationes perpendimus: maximè in Homeri poëmatis. Magno enim argumento sunt, corporis & fortunæ bona non esse magni æstimanda. Primùm in congressibus & compellationibus, nō formosos, aut diuites, aut robustos appellant, sed huiusmodi collaudationibus vtuntur:

Iliad. β, 173. & passim.

O Ioue nate, vafer, Laertæ proles, Vlysses. Item,

O Priamo prognate, Ioui par consilio Hector. &,

Iliad. η, 47.

O Pelida, ingens Graiorum gloria, Achilles. &,

Iliad. π, 21.

Diue Menœtiades, nostro gratissime cordi.

Iliad. λ, 607.

Tum in conviciando incessunt non ea quæ corporis sunt, sed vitiis repræhensiones offerunt:

Iliad. α, 225.

Ebrie, cerui corde, & vultu instructe canino. Item,

Iliad. ψ, 483.

Aiax stulte, aliisq; magis contendere gnare. Item,

Ibid. 474.

Idomeneu, quorsum blateras ita promtus? an vsquam
Te blaterare decet? &,
Aiax praua loquens, iactator.

Iliad. β, 246.

Deniq; Vlisses Thersitæ non claudicationem, non caluiciem, non gibbum exprobrat, sed promiscuè garriendi vitium. Contrà Vulcanū mater blandè alloqui volēs, à claudicatione titulum ei tribuit,

Iliad. φ, 361.

Capte agedum pedibus mi nate. ——

Sic Homerus deridet eos quos claudicationis, cæcitatis, aut similium pudet: neq; vituperabile ducens, quod turpe non sit: neq; turpe, cuius non penes nos, sed penes fortunam est causa. Hæc ergo duo præclara cōsequuntur, qui poëtis audiendis adsuescūt: ad moderationem, ne cui fortunam importunè stultéve exprobrēt: & ad magnanimitatem, vt adversis rebus non deiiciantur aut perturbentur, sed æquo animo ferant sannas, convicia, ac risus. Ac præsertim quidem Philemonis illud in promtu habendum:

Iucundius nihil est, neq; musicum magis,
Quàm posse hominum maledicta æquo animo perpeti.

Vbi tamen dignus aliquis increpatione videbitur, vitia eius & animi morbi incessendi sunt. Sic in tragœdia Adrastus ab Alcmæone his verbis lacessitus,

Tibi, quæ maritum interfecit suum, est soror:

respondit,

Matrem necasti tu manu tua tuam.

Sicvt enim qui vestes flagellant, ii corpora ipsa non attingunt: sic qui fortunæ aut natalium damna exprobrant, stultè & incassum ij exteriora verberant, animam ipsam nō attingentes, neq; ea quæ revera correctione aut insectatione indigēt. Enimverò sicvti suprà fidem derogare prauis & damnosis poëmatis docuimus, opponendis præclarorum & in republica illustrium virorum dictis atq; sententiis: ita quicquid in poësi elegans inveniemus atq; vtile, demonstrationibus id & testimoniis philosophorum quasi enutriemus atq; augebimus, hisq; eorum inventionem adscribemus. Iustum enim hoc est & vtile, corroborata ita & aucta fide, cùm iis quæ in scena dicuntur, aut ad lyram cantantur, vel in schola discurrtur, Pythagoræ Platonisve decreta consentiant, & Chilonis præcepta: eodémque tendant Biantis sententiæ, quò istæ pueriles prælectiones. Itaq; de industria ostendendum est, quod hæc,

XVII. Poetarum dicta philosophorū sententiis munita.

Iliad. ε, 428.

Non mandata tibi, nata, est curatio belli:
Sint tibi coniugij suauissima munia curæ. Item:
Nam tibi succenset Iupiter, quando meliori
Congrederis. —— planè eiusdē sunt sententiæ cum hoc, Nosce teipsum.

Hæc autem,

Hesiod. 1. operum.

Stulti, nec norunt multo præstantius esse
Dimidium toto. —— &,
Consilióq; malo præ cunctis læditur autor:

hæc germana sunt iis quæ in Gorgia & de republica Plato disputat, Iniuriam inferre peius esse quàm ea affici. Et ad hoc Aeschyli,

Animo

Animo bono es, tempore summus caret dolor:

dicēdum, id esse ipsum quod apud Epicurum est tritum semper & in admiratione habitum, Magnos dolores celeriter prętenire, diuturnos magnitudine carere. quorum illud perspicuè dixit Aeschylus, hoc est eius consequens. Si enim magnus & intentus dolor non permanet: qui permanet, magnus non est, neq; intolerabilis. Iam illa Thespidis,

Viden' vt ob hoc deûm sit princeps Iuppiter,
Mendacio fastúq;, & risu quia vacat
Stulto, voluptatémq; solus omnium
Ignorat. —— quidnam differt ab hoc Platonis dicto, Procul à voluptate & dolore locatum est numen? Tum illud à Bacchylide prolatum,

Virtuti certam dicimus esse fidem,
Diuitiæ cum sæpe malis mortalibus adsint:

atq; huic adfine illud Euripidis,

Antiquius nihil ipse temperantia
Duco, boniśq; semper adest. Itémq;,
Honorem consecuti, diuitias probæ
Virtutis instrumenta facite: sic boni
Credemini, & vitam beatam degere
Poteritis. —— nónne hæc demonstrationem habent eorum, quæ de diuitiis & externis bonis tradunt philosophi, ea sine virtute nihil possessoribus prodesse? Huiusmodi ad placita philosophorum reductio & accommodatio poëmatum, ea fabulis personáque exuit: facitq; vt seria habeantur, quæ sunt dicta vtiliter: præterea animum adolescentis philosophiæ decretis aperit, & ad ea inclinat. Accedit enim ad ea neque nullo prorsus eorum gustu percepto, neque omni auditione vacuus, neq; sine vllo iudicio plenus tantùm eorum quæ ex matre identidē & nutrice audiuit, immò autem etiam ex ipso patre & pædagogo: qui diuitum beatitatem prædicare solēt ac venerari, mortem autem & dolorem exhorrescere, virtutem sine opibus & gloria pro re despicabili & nihilo ducere. Quibus cū reclamantia apud philosophos decreta audiunt, principio statim terror quidam & perturbatio ac stupor invadit, nō admittentes ea, neq; perferentes: nisi tanquam ex tenebris ad solem aspiciendum proditu-ri, adsuescant tanquam in adulterina luce & veritate temperatis fabulis lenem habente splendorem intueri in ista, neq; reformidare. Vbi enim iam antè apud poëtas hæc audiuerint, aut legerint,

Qui nascitur, lugendus est propter mala
In quæ venit: contrâq; qui doloribus
Solutus, ærumniśq; morte tollitur,
Cum gaudio, faustis & ille vocibus
Domo efferendus est. —— &,
Nam præter hæc duo qua tandem mortalibus
Re sit opus? almæ telluris cùm frugibus,
Tum quæ sitim salubris lympha subleuet. &,
Iò tyrannis, amica genti barbaræ. &,
Hæc est enim mortalium felicitas,
Dolere, quàm fieri queat, rarißimè:

hæc, inquam, secum afferentes, minus perturbantur aut offenduntur apud philosophos audientes, Mortem nihil ad nos attinere, Diuitias naturæ esse definitas: felicitatem & vitam beatam non in multitudine pecuniæ, aut opum mole, aut principatu potentiáque consistere: sed in vacuitate doloris, affectuum animi moderatione, animíq; affectione naturæ finibus res omnes circumscribente. Itaq; cùm propter hęc, tum prędictorum causa omnium, adolescenti in lectione poëtarum bona opus est gubernatio: ne sinistra suspicione occupatus, sed præcedente potius institutione formatus, placidus ita familiarísq; & amicus à poësi ad philosophiam deducatur.

Plutarchi de Homero liber.



VPERVACANEVM fortasse nonnullis videbitur, de Homeri patria parentibúsque inquirere, cùm ne ipse quidem de suis rebus quicquam dicere dignatus sit: immò adeò se continuerit, vt ne nominis quidem sui vllam faceret mentionem. Attamen quandoquidem multarum rerum peritia facit saltem ad institutionem eorum qui erudiri incipiunt, conabimur exponere quæ de eo antiqui memoriæ prodiderũt. Iam Ephorus Cumæus in libro quem de Cumæis rebus inscripsit, hoc agens vt eum gentilem suum fuisse ostẽdat: Atellem, Mæonem, & Dium fratres, Cuma oriundos perhibet fuisse. Ex his Dium æris alieni causa Ascram, qui est Bœotiæ pagus, commigrasse: ibique Pycimeda vxore ducta, Hesiodum procreasse. Atellem Critheidis filiæ suæ tutela Mæoni mandata, in patria mortem cum vita commutasse. Ab hoc auunculo vitiatam puellam: ab eodémque eam, ciuium ob perpetratum facinus damnationem metuente, Phemio Smyrnæ litteras docenti nuptum traditam. Porrò eam, cum ad lauacra, quæ propter amnem Meletem sunt, deambularet: partu Homerum edidisse, iuxta ipsum amnem: inde Melesigenem filium appellatum. Mutato autem nomine Homerum vsurpatum fuisse, cum luminibus esset captus. Tales enim à Cumæis & Ionibus ὅμηροι vocantur, quod ὁμηρευόντων, id est, ductorum indigeant. Hæc Ephorus. Aristoteles tertio de Poëticà scribit, in insula Io, quo tempore Neleus Codri filius coloniæ in Ioniam ducendæ præfuit, puellam indigenam, à genio quodam ex eorum numero qui cum Musis choros ducunt compressam, cum intumescente vtero facti pudore moueretur, devenisse in quendam locum, cui nomen est Aegina. Ibi à prædonibus, qui eò excursionem fecissent, captam, Smyrnámque adductam ab his, Lydorum (sub his enim tunc erat Smyrna) regi Mæoni socio suo dono datam: ab hócque pulcritudinis causa in matrimonium eam adscitam. Hanc, cum ad Meletem fluuium commoraretur, partus doloribus circumventam, ad ipsum fluuium peperisse Homerum, statimque expirasse. Infantem à Mæone susceptum, filíique loco enutritum: paulo pòst ipsum Mæonem in fata concessisse. Secundum hæc cum Lydi ab Aeolibus affligerentur, ac de Smyrna relinquenda cogitarent, & duces per præconem sequi iussissent eos qui vellent exire vrbe, Homerũ, puerulum etiamnum, se quoq; ὁμηρεῖν (id est, sequi) velle dixisse. Inde pro Melesigene Homerum appellatum. Adultus iam, & poëtica arte nomen consecutus, de parentibus & patria Deum consuluit, isq; sic respondit:

Insula Ios matris patria est. Vita hæc quoq; functum
Accipiet: sed tu iuuenile ænigma caueto.

Alterum quoq; oraculum tale fertur:

Felix & miser (ad sortem es quia natus vtramq;)
Perquiris patriam: matris tibi, non patris extat
Patria. in vndoso iacet hæc ponto insula, Cretæ
Non adeò vicina, & non longè vsq; remota.
Hic te fata tua cogent decedere vita,
Cùm pueri ignotis obscurum ambagibus olim
Sermonem inuoluent, téq; hunc euoluere poscent.
Quippe duplex vitæ fatum tibi contigit: orbum
Luminibus, superis Musa immortalibus æquat:
Post mortem te vita manet secura senectæ.

Non multo pòst tempore Thebas nauigans ad Saturnalia (certamen ibi hoc musicum celebratur) Ium venit. ibi saxo insidens, piscatores vidit adnauigantes, eósque Ecquid haberent, interrogauit. Illi, quòd nihil cepissent, sed prædæ inopia pediculos legissent, ita responderunt:

Non capta afferimus: fuerant quæ capta, relictis.

Per ambages autem innuebant, se pediculos, quotquot cepissent, interfectos dimisisse: quos verò non cepissent, eos se in vestibus suis secum ferre. Hoc cum non posset coniicere Homerus, præ mœrore vitam finiit. Ienses eum magnificè sepeliuerunt, hac addita sepulcro inscriptione:

Terra

Terra sacrum caput hîc diuini occultat Homeri,
Heroum egregias qui dixit carmine laudes.

Non desunt qui Colophonium fuisse demonstrent, maximo vtentes argumento, elegiacis versibus, qui inscripti sunt statuæ. Eorum hæc est sententia:

Nate Meletis Homere, ornasti nomine Graios
Aeterno, & patriam qui Colophona tuam.
Semideûm gemino complexe volumine laudes,
Diuinæ mentis prole viges duplici.
Vna vagum duplicis reditum decantat Vlyssis;
Altera luctiferæ prœlia Dardaniæ.

Dignũ etiã est Antipatri epigrãma, quod adscribatur, nõ carẽs grauitate, est autẽ tale:

Sunt Colophona tibi patriam qui rentur Homere,
Sunt & qui Smyrnam, quiq; fuisse Chium.
Quidam & Ion dicunt: alij Salamina beatam,
Ast alij Lapithas quæ tulit Aemoniam:
Diuersi diuersa ferunt. Oracula Phœbi
Quod si iam pleno mî licet ore loqui:
Omnipatens cœlum est tibi patria, nec mulier te
Mortalis peperit, sed dea Calliope.

Qua ætate vixerit, ambigitur. Quidam tempore belli Troiani aiunt, eiúsq; fuisse inspectorem: alij centum post annis, alij centum & quinquaginta. Duo scripsit poëmata, Iliadem & Vlisseam. Quidam, non tamen verè ij, exercitationis & lusus gratia addidisse & Batrachomyomachiam & Margitem asserunt. Belli Troiani quidam fuisse de sententia Homeri principium tradunt, de dearum Iunonis Mineruæ & Veneris formæ præstantia iudicium à Paride factum. ita enim canere Poëtam:

Nam Paris iniusta damnauerat arbiter olim Iliad.ω,27.
Voce deas, pastoralem in certamine formæ
Cum subiere casam: reliquis tunc prætulit illam,
Munus adulterij quæ præbuit exitialis.

Enimverò isti versus haud immeritò pro non genuinis habiti sunt: quòd neque deos hominum submittere se iudicio decorum sit, neque huius rei Homerus alibi meminerit. Præstat igitur dicere, Alexandrum Priami F. cum Græcam vitæ degendæ rationem cognoscere cuperet, Spartam nauigasse, vsúmque ibi hospitio Helenæ, absente marito Menelao, ei persuasisse vt secum abiret: vt in insulam nomine Cranaam peruenit, primùm cum ea corpus miscuisse: inde per Sidonem & Phœniciam nauigio Ilium delatum. Agamemnonem re cognita, Aulide, quæ est vrbs Bœotiæ, exercitum collegisse. Ibi eis sacrificantibus draconem in vicinam arborem adscendisse, octóque pullos passeris, nonámque quæ iis accubabat matrem perdidisse. eo ostento indicatum, Græcos nouem annis ad Ilium bello gesto, decimo vrbem capturos. Postquam ad Troiam Græcorum naues appulissent, Græci post primum cõflictum, in quo Protesilaus occubuit, Menelaum & Vlissem legatos reposcendæ Helenę causa miserunt. Troianis negantibus, rursus commissa pugna superiores facti Græci, partem exercitus obsidendæ vrbi reliquerunt: cæteri duce Achille circumiacentes vrbes vastauerunt, vt auxilio Troianos spoliarent. Inter alias capta Chrysa, Chryseidem, Chrysæ, qui sacerdos erat Apollinis, filiam Agamemnoni muneris eximij loco dederunt. Chryses redimendæ filiæ causa ad stationem nauium profectus, & per contumeliam ab Agamemnone habitus, ab Apolline votis contendit, vti Græcos is vlcisceretur. Deus rata vota ea habuit, pestémque Græcis immisit. Quo tempore cum Achilles iuberet Chryseidem reddi, iritatus Agamemnon, minatus est se erepturum Achilli Briseidem, quæ ei honoris causa obtigerat. Hic ergo Thetidi matri persuadet, vt à Ioue impetret, vt Græci in bello succumbant. Id cum evenisset, Patroclus Nestoris monitu Achillem exorauit, vt ipsius armatura sibi vti aliquantisper ad repellendos à nauibus Troianos permitteret. itáque egressus, re fortiter gesta mox interfectus est. Achilles hoc ægrè ferens, ira, qua adversus Agamemnonem flagrabat, missa, armis à Vulcano factis indutus, cum multos alios, tum ipsum tandem Hectorem occidit. Hæc est series rerum. Cæterùm Poëta à nono demum anno orsus est: quod quæ A-

Iliad.γ,445. Iliad.β,303. Iliad.γ,205. Iliad.α, initio. Iliad.λ, sub fine, & initio π. Iliad.σ. Iliad.χ.

chillis iram antecesserunt, minus essent grandia, neq; vel longas vel crebras actiones haberent. Nam Achille inter Græcos pugnante,

Iliad.ι,788.

Nunquam Dardanidis ausi se emittere portis
Troes erant, vim Pelidæ telúmque timentes.

At eo militiam deserente, receptis animis progrediebantur: & æquo vtrinq; Marte pugnatum est, virtúsq; multorum heroum continentibus prœliis eluxit.

HOMERVM poëtam tempore quidem plerisq;, virtute autem omnibus priorem, rectè primum omnium legimus: cum & ad sermonem, & ad intelligentiam, & ad multarum rerum peritiam plurimum nobis conferat. De poësi eius dicemus, paucis prius de genere eius commemoratis. Homerum ergo Pindarus & Chium & Smyrnęum fuisse ait: Chium Simonides, Antimachus & Nicander Colophonium: Aristoteles autem philosophus Iensem, Ephorus historicus Cumæum. Quidam Salamine Cypri vrbe oriundum dicere non dubitarūt: Argiuum alij, Aristarchus & Dionysius Thrax Atheniensem. Filius à nonnullis dicitur Mæonis & Critheidis: ab aliis, Meletis fluuij. Non minor dubitatio est de tempore, quo vixerit. Aristarchus eum in id tempus reiicit, quo Ionum colonia deducta est. fuit hoc annis post Heraclidarum reditum sexaginta: & is reditus octoginta annis Troiano bello est posterior. Crates eum ante Heraclidarum reditum extitisse tradit: vt ne octoginta quidem prorsus annis Troianum bellum sit subsecutus. Apud plerosq; pro certo habetur, centum annis eum Troiano bello posteriorem fuisse, nō multo ante Olympicorum ludorum institutionem, à qua Olympiades numerantur. Duæ sunt eius poëses, Ilias & Vlissea: vtraq; numero litterarum in libros diuisa, non hoc ab ipso poëta, sed ab Aristarcho grāmatico. De his Ilias à Græcis barbarísq; res ob raptum Helenę gestas complectitur, ac præcipuè Achillis eo in bello demonstratam fortitudinem. Vlissea, reditum Vlissis à bello Troiano in patriam habet, ac quæ in reditu errans pertulerit: vtq; insidiantes familiæ suæ vltus sit. Vnde liquet, eum Iliade fortitudinem corporis, Vlissea autem animi excellentiam proposuisse contemplandam. Neq; culpandus est poëta, quòd non virtutes tantum, sed & vitia animi in poësibus suis descripserit: dolores nimirum, gaudia, metus, atq; cupiditates: quasi verò & hæc ad imitandum proposuerit. Enimverò citra hæc res magnæ & minimè vulgares non fiunt. Licet autem auditori ea deligere, quæ præstant. Deos hominum consuetudine vtentes introduxit, non delectandi modò, aut animum percellendi causa: sed vt hoc ipso quoque ostenderet, curæ esse diis homines, neque ab eis negligi. In summa autem, narrationem rerum à communi hominum opinione diuersam, fabulosámq; adornauit, vt auditoris animum suspenderet, ac admirationis impleret, auditionémq; eam efficeret quæ animos percelleret. Inde est quòd quædam parum cōsentanea dixisse videtur: quòd non semper fidem invenit id, quod prima fronte à cōmuni hominum opinione alienū ac sublime apparet. Ob id non res modò amplificat, & à cōsuetudine hominū aversas proponit: sed etiam verba. Nemo autē ignorat, noua & non in promtu posita admirationē sui excitare, auditorémq; allicere. Enimverò in his ipsis fabulosis sermonibus, si quis non obiter, sed accuratè singula quæ dicuntur obseruet, videbit eum omni dicēdi scientia, omniq; artificio vsum, multásq; occasiones ac quasi semina omnis generis dictorū factorúmq; posteris præbuisse: neq; id poëtis tātùm, sed & iis qui soluta oratione historias aut de contēplatione rerū scripserunt. Nos priore loco dictionis Homericæ multiplicem copiam perspiciemus: inde ad rerum doctam varietatem nos conferemus.

Poesis.

Omnis poësis vocibus certo ordine quodam compositis, numero & mensura terminatur. Nam cum leuitate & facundia maiestas coniuncta, atq; suauitas, delectando attentionem conciliat. Ita fit eadem opera, vt non modò iis quæ percellunt animum, atq; voluptate afficiunt, delectetur auditor: sed etiam iis quæ ad virtutem conducunt, facilè assentiatur. Homeri verò poësis perfectissimo constat carminis genere: nimirum senario, quod & heroicum dicitur. Senarium, (id enim hexametrum dico) quòd quivis versus sex pedibus absoluitur, qui vel duabus longis syllabis constant, ac spondei dicuntur: vel vna longa, & duabus quæ sequuntur breuibus, dactylum vocant. (tantundem autem temporis vtriq; competit, quòd duæ breues vnius longæ spacium explent) atq; hi pedes inter se compositi, hexametrum versum perficiunt. Heroicum autem dicitur, quòd eo res heroum gestas percenset.

Carmen heroicum senarium.

Dialecti apud Homerum.

Varia autem vsus dictione Homerus, omnis Græci sermonis diuersitatis (dialecton ipsi appellant) notas operi suo

suo intexuit. vnde liquet, eum vniuersam Græciam, omnésque eius nationes obiuisse.
Doriensium vsitatam vocabulorum diminutionem vsurpauit, δῶ pro δῶμα dicens:
—αἶψα δέ οἱ δῶ Ἀφνειὸν πέλεται. & pro ὅτι posuit ὅ. —ὅ μοι αὐτὸς ἔκτανε χεῖρας. & pro ὀπί- Odyss.α,392.
σω dixit ἄψ, mutato ο in α, & ps in duplicem quæ ex iis fit. Pro ἄλλοτε, ἄλλο posuit; Odyss.γ,543.
ἤδη γάρ με καὶ ἄλλο τεὴ ἐπίνυσσεν ἐφετμή. ac quę alia huiusmodi sunt. Ita etiã media vocabula Iliad.ξ,249.
concidẽs, pro ὁμότριχας & ὁμοετέας, dixit ὄτριχας, οἰέτεας. — ac pro ὁμοπάτριον, ὀπάτριον: & Iliad.β,765.
pro τρέμειν, τρεῖν: pro τιμῶ, τίω. Eorundẽ est etiam litterarũ traiectio: vt cũ κάρτιστοι pro κρά-
τιστοι ponitur. Aeolensium concisione in compositis vtitur, καδδραθέτην dicens, pro
κατεδραθέτην. & ὑββάλλειν, pro ὑποβάλλειν. Tertiæ personæ singularis numeri præteriti im-
perfecti temporis, aliis in ε, Aeolibus in η finiuntur: vt ἐφίλη, ἐνόη. Ita Homerus quoque fe-
cit: —δίδη μόσχοισι λύγοισι, pro ἔδει, ligabat. Et alibi, τοὺς μὲν ἄρ' ὅτ' ἀνέμων διάη μένος ὑγρὸν Odyss.ι,491.
ἀέντων. Aeolicum etiam est, quòd σ in δ mutat: vt in ὀδμή, ἴδμεν: & quòd aliquando lit- Iliad.λ,80.
tera abvndat, vt in εὔκηλος, αὐτάρ: quę recta sunt ἕκηλος, ἀτάρ. Sic & κεκλήγοντες, pro κεκληγό- Iliad.λ,105.
τες. Tum quòd secundæ verborum personæ adiicitur θα, vt in ἔφησθα, εἴπησθα. Gemi- Odyss.ι,in fine.
natione consonantiũ alij Doribus, alij Aeolibus adscribunt: qualis est ἔλλαβε pro ἔλα-
βε, ὁππότερος pro ὁπότερος. ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος: — &, ὁπποτέρῳ τάδε ἔργα. — Ab Iliad.ε,83.
Ionibus habet, quòd præteritorũ verborũ principio aliquid detrahit: vt in βῆ, & δῶκεν, Iliad.γ,318.
quæ sunt pro ἔβη & ἔδωκεν. nam Iones præterita ab iisdem incipiũt literis, à quibus præ-
sens. Item quòd ι literã detrahit ex ἱερεὺς & ἱέραξ, pro quibus ponit ἱρεὺς & ἵρηξ. Item quod
tertiis subiunctiuorũ personis σι in fine adiicit: vt ἔλθῃσι, λάβῃσι. Itémque datiuis, θύρῃσιν,
ὕλῃσιν. Item quod pro ὄνομα, νόσος, κενὸν, μέλας, ponit οὔνομα, νοῦσος, κεινὸν, μείλας. Item quod α longũ in η
mutat: vt in Ἥρη, Ἀθήνη, pro Ἥρα, Ἀθηνᾶ. Aliquãdo vice versa, λελασμένος pro λελησμένος. Nec
nõ quod cõtracta verba solutè effert, pro φονῶν, νοῶν, dicẽs φονέων, νοέων: quod idẽ in genitiuis
in ους exeuntibus vsurpat, Διομήδεος dicens & Σαρπηδόνος: & in genitiuis pluralibus cõtra-
ctis idem, pro πυλῶν, νυμφῶν, ponens πυλέων, νυμφέων: atque plurales nominatiuos neutro-
rum in η exeuntes, & eorundem genitiuos dissoluẽs dixit στήθεα, μέλεα, στηθέων, μελέων, pro
στήθη, μέλη, στηθῶν, μελῶν. Peculiare etiam Ionibus est πεγράφαται, & similia. Attica præ-
cipuè vsus est dialecto, quæ reliquis permiscebatur. Itaque cum Attici pro λαὸς, dicant
λεὼς: ea ipse consuetudine ductus, πηνέλεων dixit, ac χρέως. Solent iidem aliquando duas
syllabas in vnam cõflare (quod genus Synaliphe dicitur) quale est τοὔπος, & θοἰμάτιον,
quorum integra sunt τὸ ἔπος, τὸ ἱμάτιον. Talia sunt apud Homerum, Τρῶες δὲ προὔτυψαν Iliad.ν,306.
ἀολλέες. — id est, προέτυψαν, & πέδονδε κυλινδοῦντο (?) λωτεῦντα, pro λωτεόντα. Eorundem est, optatiuis
adimere η, vt ex δοκοίης fiat δοκοῖς, de τιμώης fiat τιμῷς. qua forma dixit Homerus,
— ἄλλοι δ' ἐ διακρίνειε τοίχισα. Iliad.γ,102.
Atticum etiam est, οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους, pro κακίονες, ἀρείονες. Et quòd si- Odyss.β,277.
miles accusatiui contractè enunciantur, τοὺς βοῦς, τοὺς ἰχθῦς: quæ communis lingua βόας,
ἰχθύας effert. Homerus autem, βοῦς πολυτειμομένους. Item — ἰχθῦς ὄρνιθάς τε. Id quoque At- Odyss.κ,401.
ticè dixit — οὐδέ τί μιν σθένει ῥηγνῦσι ῥέοντες. vt eorum sunt ζευγνῦσι, ὀμνῦσι. Atticum etiam est, Iliad.ε,fine.
breues vocales elidere, ac pro λύεται, οἴομαι, scribere λῦται, οἶμαι. Sic ille λύτο posuit pro
ἐλύετο. Eorundem est supervacanea appositio elementi ι, in ἰάρων, ἰωνοσάμην. inde Ho-
merus suum ἰωνοχόει effinxit. Tum quòd in vnam cum alia syllabam η coire facit, in νόο-
νες, νηρεῖδες. Est & eorum, Σφῶ δὲ μάλ' ἠθέλετον. & in datiuis qui in ι purum præcedẽte α de- Iliad.κ,781.
sinunt, κέρᾳ, γέρᾳ, σέλᾳ. Est & hoc Atticum, dicere ἴσαν, ἐπίσθων, pro ἴσασαν & ἐπίσθωσαν.
Item vti optatiuis loco præteritorum indicatiui modi: quod crebrò facit Homerus.
Tum, cum femininis articulos, participia, adiectiuáve masculini generis coniungere:
vt τὼ χεῖρε, τὼ γυναῖκε: quomodo & apud Platonem est ἄγοντε καὶ φέροντε, & ἡ σοφὸς γυνὴ, & ἡ
δίκαιος. Sic ergo Homerus etiam de Iunone ac Mineruа dixit,
συνκὰν ἐφ' ὑμετέρων ὀχέων πληγέντε κεραυνῷ. Iliad.θ,455.
Et alibi: Ἤτοι Ἀθηναίη ἀκέων ἦν. —&, κλυτὸς Ἱπποδάμεια. Iam cum in vocabulorum con- Iliad.Δ,22.
structione propria multa singulæ habeant dialecti, Atticam consuetudinem exhibet Iliad.β,742.
Poeta, cum dicit: Ἀλλ' ἄγ' οἴσινδε Μενελάου κυδαλίμοιο. Cum autem dicit, Δέξατο οἱ σκῆ- Iliad.Δ,100.
πτρον. &, — Θέμιστι δὲ καλλιπαρῄῳ δέκτο δέπας, Doricè loquitur. Manifestum autem est, Iliad.β,186.
eum, vt varietatem orationi conciliaret, omnes Græcorum voces collegisse: ac modò Iliad.ο,87.
peregrinis vsum, vt sunt quas modò retulimus: modò vetustis, vt cũ ἄορ & σύαρ pro-
fert: modò communibus aut vulgatis, vt cum ξίφος & ἀσπίδα. Ac miretur aliquis maie-
statem orationis apud eum vulgatis quoque vocabulis conseruari. Enimverò quo- *Ad tropos di-*
niam artificio omni adornata oratio, aliquid à communi consuetudine requirit alie- *greditur.*

num, quod ei vel evidentiæ, vel maiestatis, vel omnino delectationis amplius adferat: porrò autem vocabulorum à sua significatione in aliam aversio Tropus, compositionis immutatio Schema appellatur, & vtriusque generis species in artis præceptionibus annotata sunt: contemplemur agedum, ecquid horum Homerus prætermiserit: aut num aliquid posteri invenerint, quod non primus ille extulerit. De tropis

Onomatopœia. Onomatopœia (nominis noui fabricationem possis Latinè dicere) admodum ei est familiaris. Norat enim vetustam vocabulorum originem: nempe eos qui primi rebus nomina fecerunt, multas ab accidente aliquo appellationes traxisse: sonósque articulatim non editos, scriptis vocibus expressisse. Cuius generis sunt φυσᾶν, quod est sufflare: & πρίζειν, id est, serra findere: & μυκᾶσθαι mugire, & βροντᾶν tonare, ac horum similia. Proinde ipse quoque nomina quædam noua finxit, ea rebus quas designarent conformans: vt δοῦπος est, & ἄραβος, & βόμβος, & ῥοχθεῖ, & ἀνέβρυχε, & σίζε, ac quæ talia porrò sunt, quibus significantiora non invenias. Rursus quædam vocabula aliis rebus im-

Iliad. φ, 337. posita, in alium vsum transtulit: quorum est, φλέγμα κακὸν φορέουσα. significat enim efficaciam vrendi. & πυρετὸν, quo nomine febris intelligitur, pro igne posuit. & χαλκοτύπους

Iliad. τ, 25. ὠτειλὰς dixit, ab ære impressa vulnera. Omnino autem multa vsus est nouitate magna cum licentia, quædam à consueta significatione aliò traducens, quorundam significationem augens, quo orationem elegantiorem & ampliorem redderet. Magna e-

Epitheta. tiam ei est Epithetorum (adiectiua hæc dicuntur, quæ eorum quibus adduntur naturam aut accidens aliquod insigne exprimant) copia, quæ propriè & cohærenter subiectis adaptata, tãtundem atque propria nomina valent. Ita cuivis deorum peculiarem appellationem accommodauit, Iouem μητίετα vocans, & ὑψιβρεμέτην, hoc est, consultorem & altitonantem: Solem ὑπερίονα, quòd in sublimi feratur: Apollinem, à nitore aut mundicie Φοῖβον. Sed videamus etiã alios post Onomatopœiã tropos. Cata-

Catachresis. chresis, quæ vocabuli vsum à propria significatione ad aliam rem proprio nomine ca-

Iliad. θ, initio. rentem transfert, est apud Homerum: vt vbi Σειρὴν χρυσείην dicit, hoc est, catenam auream. etenim σειρὰ propriè de fune dicitur. & cum dicit αἰγείην κυνέην. nam galerus ab eo κυνέη dicitur, quòd ex pelle canis fieri receptum esset: hîc eo nomine eam vocat, quæ ex capræ exuuio.

Metaphora. Metaphora, quæ est vocis à proprio significato in aliam rem priori certa similitudinis ratione respondentem translatio, & freques ei & multiplex est. Quale est,

Odyss. ι, 481. *Tum magni nauim iaculatus vertice montis.* Et alibi:

Odyss. κ, 195 *Insula, quam totam immensa æquoris vnda coronat.*

Quo enim modo se ad hominem habet vertex, hoc montis summitas ad montem ipsum: & quæ ratio est coronæ ad id cui circumdata est, eadem maris ad insulam. Cæterùm venustior fit & evidentior oratio, vbi similia nomina propriorum loco ponuntur. Sunt autem variæ apud eum translationes. Quædam ab animatis ad animata: vt,

Nauis cæruleæ tum sic auriga profatur.

aurigam dixit pro nauta. Item,

Iuit pastorem populorum Agamemnona quærens.

id est, regem. Aliæ ab animatis ad inanima: vt,

Iliad. β, 824. —*imo Idæ sub pede montis.*—

ita radicem montis appellans. &,

Iliad. ι, 141. —*Vbere terræ,* designans fertilitatem.

Iliad. ω, 205. Rursus ab inanimis ad animata: σιδήρειόν νύ τοι ἦτορ, id est, ferreũ habes pectus. ferreum di-

Odyss. ε, fine. xit pro duro. Et ab inanimis ad inanima: Σπέρμα πυρὸς σώζων. — *Ignis conseruans semen.* id est, principium, ei producendo aptum. Neque nominum modò, sed & verborum translationibus vtitur. vt,

Iliad. ρ, 265. *Eructante salóque vndas, dant litora vocem.* id est, resonant. Alius tropus est

Metalepsis. Metalepsis, vbi communi nomine res diuersæ notantur. vt,

Odyss. ο, 298. Ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκε θοῇσι.

Vult enim denotare insulas eas, quæ propriè dicuntur ὀξεῖαι, id est acutæ. At in Græco sermone θοὸν idem est quod ὀξύ: ὀξὺ non modò id quod in motu velox est, sed id quoque significat quod in figuris acutum est, atque in tenuem mucronem desinit. Inde est illud

Odyss. ι, 327. — ἐγὼ δὲ θόωσα παραστὰς, id est, adstans exacui.

Synecdoche. Alius tropus est Synecdoche, quæ propria vocabuli significatione aliquid aliud sub eodem genere compræhensum innuit.

nuit. Non minus in hoc est varietatis, nã aut totius appellatione partẽ accipimus: vt,

—πρὸς τεῖχος ἐΰδμητον βόας αὔας. Iliad. μ, 137.

de bobus tergora intelligi voluit, ex quibus scuta fierent. Aut à parte totum indicatur: vt,

Talis me capitis desiderium tenet.— Odyss. α, 343.

per caput virum vult intelligi. sic formosam indicat vocabulo λευκώλενος, quod significat humeris albis præditam: & bene armatos voce ἐϋκνημίδων, qui crura bene munierint. Aut ab vno multa: vt cum de Vlisse dicit,

—*Troiæ sacram ex quo diruit vrbem.* Initio Vlyssee.

Non enim is solus, sed cum aliis Græcis Troiam excidit. Aut à multis vnum: vt, *Pectora chara,* — id est, pectus. Aut à specie genus: vt, *Marmore percutiens rigido.* nimirum lapide, cuius marmor est species. Aut contrà: Iliad. μ, 380.

Noscere aues, fatiq; ratos prædicere iussus. Odyss. γ, 159.

genus pro specie. Non enim omnes aues vult intelligi, sed diuinationi tantùm aptas. Aut actionem ab iis quæ eam comitantur: vt,

Pandarus, ipse arcum dederat cui magnus Apollo. Iliad. β, 827.

arcus enim peritiam sagittandi denotat. Item,

Inde maris lymphas fusi per transtra dealbant. &, Odyss. μ, 172.

Illi lora die, quàm longa est, concutiebant. Odyss. γ, 938.

horum prius impulisse eos remis nauim ostendit, posterius equorum cursum: vtrunq; ab accidente rei indicatum. Aut à priori consequens: vt, *Virgineam soluit zonam.* sequitur enim, imminuisse virginitatẽ. Aut contrà, vt cũ pro interficere ponit ἐναρίζειν, quod est spoliare. Ex posteriori enim prius intelligitur. Alius tropus est Metonymia, cũ vocabulũ aliud propriè, aliud relatione quadã, sine certo respectu significat: vt, Odyss. λ, 244. Metonymia.

Cùm verò Cererem metit agris lecta iuuentus.

frumentum innuens, quod à Cerere inventum est. Item cum dicit,

Viscera Vulcano verubus fixa imposuerunt. Iliad. β, 424.

nomine enim Vulcani ignis intelligitur. Tale est etiam, — *Meam quicunq; virorum,* Odyss. τ, 27.

Chœnicem attigerit. — chœnice contenta dicit. Est autem Chœnix, mensura frumenti. Alius tropus est Antonomasia, cum proprium nomen per epitheta, aut idem significantia vocabula enunciatur: Antonomasia.

Rursum Pelides duris conuicia verbis Iliad. α, 223.

Iecit in Atridem. — hoc Agamemnonem, illud Achillem designat.

Nata bono mea sis animo Tritonia. — &, Iliad. θ, 39.

Intonsus Phœbus. — quorum hoc Apollinem, illud Mineruam exprimit. Iliad. υ, 39.

Est & Antiphrasis, contrarium eius quod præ se fert significante voce: vt, Antiphrasis.

Nec verò hos cernens animo est gauisus Achilles. Iliad. α, 330.

contrarium enim voluit dicere, nimirum Achillem iis visis indoluisse. Est & Emphasis, quæ occulto sensu eius quod dicitur significationem intendit: vt, Emphasis.

Verùm postquam in equum descendimus. — Odyss. λ, 522.

nam descendendi vocabulo equi magnitudinem notat. Item,

Incaluit gladius tum sanguine totus.— Iliad. π, 333.

Est enim in hoc maior significandi vis: scilicet cùm intelligi velit, ita immersum fuisse corpori gladium, vt is calefieret. Hæc de tropis Homericis sufficiant. Iam & constructionis immutationes videamus, quæ vocantur Schemata: ecquid ea primus omnium Homerus ostenderit. Schema est oratio, à communi consuetudine varians fictione aliqua, idque ornatus aut vtilitatis gratia. Ornatum quidem conciliat orationi varietate & mutatione sermonis, dictionique aliquid maiestatis adiicit. Vtilis verò est, ad rerum qualitatem & vim extollendam atq; amplificandam. De schematibus Pleonasmum (is est, cum superuacaneum ponitur vocabulum) vsurpat, aliquando versus complendi causa: vt, Schemata. Pleonasmus.

χρυσοῦ δὲ στήσας δέκα πάντα τάλαντα. Iliad. τ, 246.

nam πάντα illud insertum est nulla significatione. Aliquando ornatus gratia: vt,

ἦ μάλα δὴ τέθνηκε Μενοιτίου ἄλκιμος υἱός. Iliad. σ, 12.

hîc μάλα abvndat, Attico more. Alicvbi pluribus verbis rem exprimit, quę vocatur Periphrasis: vt cum filios Achiuorũ pro Achiuis dicit, & vim Herculeã pro Hercule. Periphrasis.

Quin & Enallagen (immutationem ad verbum diceres) adhibet; consuetum inver-
Hyperbaton. tens ordinem. Idque vel in medio vocabulum inserens, quod Hyperbaton dicitur: vt,
Iliad.ρ,542. Αἱματοεὶς ὥς τίς τε λέων κατὰ ταῦρον ἐδηδώς, pro λέων ταῦρον καταδηδώς. Aut totam
orationem: vt,

Iliad.β,333. ——Ἀργεῖοι δὲ μέγ᾽ ἴαχον, ἀμφὶ δὲ νῆες
Σμερδαλέον κονάβησαν ἀϋσάντων ὑπ᾽ Ἀχαιῶν,
Μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο.

Parenthesis. Ordo enim est, ἴαχον μῦθον ἐπαινήσαντες. Eiusdem generis est & quæ Parembola voca-
tur, quasi interiectio, cum aliunde quædam ad propositam rem nihil pertinentia inse-
rit: quibus etiam sublatis, nihil tamen constructioni adimatur. Tale est:

Iliad.α,234. *Per sceptrum hoc iuro. nunquam illud germina fundet,*
Postquam in monte semel summo florere recisum
Dedidicit, posuitque comas & brachia ferro.

ac quæ alia ibi de sceptro sunt. quibus infert, id quod cum initio (*Per sceptrum hoc iuro*)
cohæret:

Pelidæ Graiis desiderium insidet olim.

Epanalepsis. Est etiam iteratio (palilogiam Græcus vocat) cum repetitur aliqua pars eorum quæ
dicta sunt, aut etiam compluria vocabula: duplicationem etiam appellant, seu inge-
minationem: vt,

Iliad.υ,371. *Contrà ibo, vel si manuum vis ignea ei sit,*
Sit manuum vis ignea, certet robore ferro.

Aliquando interiectis aliis quibusdam, priora repetuntur: vt,

Aethiopes longè sed adiuerat ille remotos,
Odyss.α,22. *Aethiopes hominum extremi qui sedibus hærent*
Diuisi geminis. —— hoc schema & motum dicentis indicat, & simul audi-
torem excitat. Et est eiusdem generis Epanaphora, cum eadem particula in principio
multorum membrorum ponitur, cuius exemplum habet Homerus:

Νιρεὺς δ᾽ αὖ σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας.
Iliad.β,671. Νιρεὺς Ἀγλαΐης υἱὸς, Χαρόποιό τ᾽ ἄνακτος.
Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.

schema hoc & mouendo, & elegantiæ sermonis est aptissimum. Est apud eum e-
tiam Epanodos: quæ fit, cum duabus rebus atque vocabulis propositis, nondum senten
Iliad.ι,692. tia finita retrò redimus, ac de vtroque id quod sententiæ deerat exponimus: vt,

Ἄρης τε βροτολοιγὸς, ἔρις τ᾽ ἄμοτον μεμαυῖα.
Ἡ μὲν ἔχουσα κυδοιμὸν ἀναιδέα δηϊοτῆτος,
Ἄρης δ᾽ ἐν παλάμῃσι πελώριον ἔγχος ἐνώμα.

Similiter desinens. schema hoc ad varietatem & perspicuitatem conducit. Est etiam apud eum Ho-
mœoteleuton, siue similiter desinens, cum membra in easdem syllabas terminatis vo-
cabulis, in eundem sonum exeunt. vt,

Odyss.ο,74. Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν. Et in eo:
Odyss.ζ,42. Οὔλυμπόνδ᾽, ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι, οὔτ᾽ ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔ τέ ποτ᾽ ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ᾽ αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ᾽ ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Similiter cadens. Cum autem conversiones desinunt in nomina eodem modo declinata, eosdémque ca-
Iliad.β,87. sus, Homœoptoton id peculiari nomine appellatur, quod est similiter cadens: vt,

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων.

His & similibus maximè delectatio & suauitas orationi additur. Quantum artificio
componendi studuerit, vel hoc indicio est, quòd sæpe simul duobus schematis, Epa-
naphora & Homœoteleuto vsus est: vt in his versibus,

Ibid.381. Εὖ μέν τις δόρυ θηξάσθω, εὖ δ᾽ ἀσπίδα θέσθω,
Εὖ δέ τις ἵπποισιν δεῖπνον δότω ὠκυπόδεσσιν.

Parison. Parison quod vocatur schema, his adiunctum est; quod fit ex duobus aut pluri-
bus membris æquali vocum numero contentis. Hoc primus Homerus posuit: vt,

Iliad.η,93. Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ᾽ ὑποδέχθαι. &,
Iliad.ω,282. Μνηστηρσιν...

Mani-

Manifestum est autem, hac ratione admodum exornari dictionem. Eadem venustas etiam est Paronomasiæ, cum vox priori similis non longo pòst intervallo statim subiungitur: vt, Paronomasia.

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος παῖς κρατερὸς Λυκόεργος. Iliad.ζ,130.

Et alibi: — Τῶν ἦτοι Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν. Iliad.β,758.

Atq; hæc quidem quæ hactenus commemorauimus, aut abundantia aut fictione aliqua figurata sunt. Aliud eorum est genus, quæ fiũt defectu dictionis: qualis est Ellipsis, cùm vocabulum aliquod etiamsi non efferatur, sententia tamen ex antecedentibus liquet: vt, Ellipsis.

Δώδεκα μὲν σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνθρώπων, Iliad.ι,328.
Πεζὸς δ' ἕνδεκά φημι. deest hîc ἀλαπάξαι, sed quod ex antecedentibus facilè suppleas. Est & in hoc Ellipsis,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Iliad.μ,243.

deest enim verbum substantiuum. &,

Ὦ πόποι, ἦ μοι ἄχος μεγαλήτορος Αἰνείαο. Iliad.υ,293.

deest πάρεστιν, aut συμβέβηκεν, aut aliquid tale.

Affine huic est Asyndeton, cum coniunctiones omittuntur, quarũ est dictionem coniungere: idq; non modò celeritatis, sed etiã affectuũ exprimẽdorum causa adhibetur. Exemplum:

Ἤομεν ὡς ἐκέλευες ἀνὰ δρυμὰ φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ, Odyss.κ,251.
Εὕρομεν ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης.

nam eo qui narrabat breuitate summa cupiente rem referre, copulã ipse omisit. In Schematum numero est etiam Asyntacton, id est, non constructũ: quod & Alloeosis, quasi alteratio dicitur: fitq; tũ, cùm vsitata cõstructio mutatur. Fit hoc variè, idq; ornatus causa, & venustatis: cum cohærere verborũ structura ob insolentiam nõ videtur, & tamen suam habet peculiari ad certum aliquid respectu cohærentiam. Sæpenumerò id evenit generibus nominum mutatis, vt in κλυτὸς Ἱπποδάμεια, pro κλυτή: & θῆλυς ἐέρση, pro θήλεια. Solebãt enim antiqui masculina etiã pro femininis ponere, vtpote præstantiora, ac maioris momẽti. non hoc tamen immodicè, aut sine ratione: sed tũ, cùm attribuendũ esset adiectiuũ substantiuo tale, qđ in eius corpore nõ inhæreret. Nã magnus magna, pulcer pulcra, & horũ similia, in ipso insunt corpore. Extrà sunt, gloriosus, fortunatus. Ac præterea hæc, ideò quia cõposita sunt, (εὔδοξος inquam, & εὐτυχής) cõmunia sunt. Nam in vniuersum adiectiua cõposita vtriusque sunt generis. Item cùm nominibus masculino & fœminino commune adiectiuũ aut participium respõdet, tunc masculinum gènus prævalet: vt, Enallage.

Παρθενικαί τε καὶ ἠΐθεοι ἀταλὰ φρονέοντες. Iliad.σ,567.

Quædam etiam secus extulit, quàm vel dialectorum natura ferret, vel eius temporis vsus: vt,

— ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς Odyss.α,53.

Μακρὰς. Sæpe etiam metri causa genus mutat, vt in eo,

Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ τέκνον φίλε τοῦτο δίδωμι. Odyss.ο,125.

nam ad personam respiciẽs, masculinum φίλε neutro τέκνον apposuit. cuius simile est in verbis Diones ad Venerem,

Τέτλαθι τέκνον ἐμόν, καὶ ἀνάσχεο κηδομένη περ. Iliad.ε,382.

Eandem rationem ac respectum etiam illud obtinet,

Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο Odyss.λ,90.
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. — nam ἔχων refertur nõ ad ψυχὴν, sed ad ipsum Tiresiã. Sæpe enim non ad vocabula, sed ad rem significatam accommodauit constructionem: vt in hoc,

Πᾶσιν ὀρίνθη θυμός, ἐκίνηθεν δὲ φάλαγγες, Iliad.π,280.
Ἐλπόμενοι παρὰ ναῦφιν ἀμύμονα Πηλείωνα.

nam hîc ἐλπόμενοι non aptatur ad φάλαγγες, verùm ad ἄνδρες, scilicet ad viros, ex quibus phalanges erant compositæ. Alio quoque modo genus mutat: vt cum dicit,

— νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε
Κυανέη, τὸ μὲν οὔποτ' ἐρωεῖ. — nam quia idem significant νεφέλη & νέφος, priore posito, adiectiuum ad posterius accommodauit. Talia sunt & hæc, Odyss.μ,75.

Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά, Iliad.β,459.
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι.

nam cum neutro genere genera auium proposuisset, ac species masculino explicasset: rursum infert neutrum genus κλαγγηδὸν προκαθιζόντων. — quod ad ὀρνίθων respicit. Praeter genus numeros quoque permutat saepe poeta: vt cum scribit,

Iliad. ο,305. Ἡ πληθὺς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν ἀπονέοντο.

proposito enim singulari, plurale intulit, respectu nimirum significationis. Nam πληθὺς multitudinem significat: estque numero singulare, cum in se multa complectatur. Contra plurali proposito, singulare ei applicat: vt,

Iliad. π,265. — οἱ δ' ἄλκιμον ἦτορ ἔχοντες, πρόσσω πᾶς πέτεται —

πᾶς enim, quod omnis est, numero singulare, plurali respondet, quia idem significat quod πάντες. Eandem formam hoc habet,

Initio Odyss. γ. Οἱ δὲ Πύλον Νηλῆος ἐϋκτίμενον πτολίεθρον
Ἷξον, τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον.

τοὶ enim Pylios notat, quorum vrbs modò nominata fuit. Iam casuum quoque apud eum est permutatio. Vocatiuus pro nominatiuo positus, θυέστα pro θυέστης:

Iliad. β,107. Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι.

& νεφεληγερέτα Ζεύς, pro νεφεληγερέτης. Item,

Δός φίλος· οὐ γάρ μοι δοκέεις ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν.

Odyss. ρ,415. Datiuus pro genitiuo:

Iliad. γ, initio. Τρωσὶ μὲν προμάχιζεν Ἀλέξανδρος θεοειδής.

pro Τρώων. & contra σπέος pro σπῆϊ,

Odyss. ι,68. ἡ δ' αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπέους γλαφυροῖο.

Causa est, quod cognati inuicem videntur, rectus, accusatiuus & vocatiuus casus: itaque & in neutris omnino, & in multis masculinis ac femininis sunt iidem. Itidem & datiuus genitiuo videtur cognatus quodammodo: vnde fit vt in duali numero in omnib. generib. iidem sint. Quare & casuum à recepto vsu varians mutatio aliquid habet consentanei.
Iliad. ι,222. Quanquam causa nonnunquam etiam adferri potest, vt in ἐφισσάμενοι πεδίοιο, & in διέ-
Iliad. γ,14. πρησσον πεδίοιο: hoc .n. est perinde ac si dixisset ἐπορεύοντο διὰ τοῦ πεδίου. Bene habet etiam apud eum mutatio casuum initio vtriusque poematis, cum accusatiuo posito, deinde nominatiuus locatur pro eo.

Iliad. α,1. Μῆνιν ἄειδε θεὰ —
μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν. &,
Odyss. α,1. Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη. — Aliquando genitiuo rectum subiicit: vt,
Iliad. α,272. Τῶν οἳ νῦν βροτοί εἰσι. —

Multa etiam alia forma protulit: vt,

Iliad. β,350. Φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
Ἤματι τῷ, ὅτε νηυσὶν ἐπ' ὠκυπόροισιν ἔβαινον
Ἀργεῖοι, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες,
Ἀστράπτων ἐπιδέξι', ἐναίσιμα σήματα φαίνων.

Cuius simile est illud:

Iliad. ζ, fine. — ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς, ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει. —

Atque haec ipsa quoque more antiquo quodam extulit, neque nulla ratione. Quippe participiis per verba explicatis, cohaerentia apparebit. nam ἀστράπτων id valebit quod ἤστραπτε, & πεποιθὼς idem quod ἐπεποίθει. Germana horum sunt:

Odyss. μ,73. Οἱ δὲ δύο σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. & alibi:
Iliad. η,306. Τὼ δὲ διακρινθέντε, ὁ μὲν μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν
Ἥϊ', ὁ δ' ἐς Τρώων ὅμαδον κίε. — & similia. Non enim à ratione alienum est, dicturum de duobus, rectum casum praemittere, in quo id quod commune est alteri cum altero seruatur: quam communitatem nemo non videt multum gratiae orationi apponere. Alicubi communi casu praeposito, verba de altero deinde facit: vt,

Iliad. γ,211. Ἄμφω δ' ἑζομένω, γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς.

Species quoque nominum permutat: saepe ponens pro positiuo comparatiuum: vt,
Iliad. α,32. — σαώτερος ὥς κε νέηαι. Aliquando superlatiuum pro eodem: vt, δικαιότατος κενταύρων. Ta-
Iliad. λ, fine. lis ergo est in nominibus immutatio. In verbis porrò aliquando modos permutauit, vt cum loco imperatiui infinitiuum ponit: vt,
Iliad. ε,124. Θαρσῶν νῦν Διόμηδες ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι, pro μάχου. Aut pro optatiuo indicatiuum,
Iliad. β,488. Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω pro μυθησαίμην, ὀνομήναιμι. Ac vice versa optatiuum pro indicatiuo:
Iliad. ε,388. Καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο Ἄρης. — pro ἀπώλετο. Aliquando tempora. praesens pro futuro:

Τῇ

τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισι. erat enim dicendum, ἐπελεύσεται. Aut pro præterito imperfecto: Iliad.α,29.

Ἔνθ' ἦτοι πλυνοὶ ἦσαν ἐπηετανοί, πολὺ δ' ὕδωρ Odyss.ζ,51.
Καλὸν ὑπεκπρορέει.—pro ἔῤῥει. Aut futurum loco præsentis:
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος. Vel idem loco præteriti: Odyss.α,24.
Δείδω μὴ μοι πάντα θεὰ νημερτέα εἴπῃ. pro εἶπε.

Genera sæpenumerò permutat. Passiuũ ponit pro actiuo, aut medium: vt, Ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος.—pro εἷλκε, & καθορώμενος αἴας: pro ὁρῶν. Ac vicissim actiuũ loco passiui: Iliad.α,194.
Δωρήσω τρίποδα χρυσούατον.— cum esset dicendũ δωρήσομαι. Numerũ quoq; pro numero ponit. pluralẽ pro singulari: quod vsitatum est, cum quis de se ipso loquitur: vt,
Τῶν ἀμόθεν γε θεὰ θύγατερ Διὸς εἰπὲ καὶ ἡμῖν. id est, ἐμοί. Est & vbi permutat personas: non modò sic, Odyss.α,10.

Ἄλλοι μὲν γὰρ πάντες ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν Ὀλύμπῳ, Iliad.ε,877.
Σοί τ' ἐπιπείθονται, καὶ δεδμήμεσθα ἕκαστος.

Multi enim cum sint dij, quorum vnus etiam est ea quæ loquitur persona, vtrunq; rectè extulit ἐπιπείθονται tertia, & δεδμήμεσθα prima persona. Aliàs, cùm misso eo de quo sermo est, ab vna persona transitus fit ad aliam, quod ἀποστροφὴ seu auersio propriè dicitur: atq; hæc figura imitatione verborũ loquentis, auditorẽ mouet atq; ducit. tale est,

Ἕκτωρ δὲ Τρώεσσιν ἐκέκλετο μακρὸν ἀΰσας
Νηυσὶν ἐπισσεύεσθαι, ἐᾶν δ' ἔναρα βροτόεντα. Iliad.ο,346.
Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω.

A narratione enim & oratione obliqua ad mimesim, i. directam, qua ipsius Hectoris verba referunt̃, desciuit. Quin & in ipsa narratoria oratione sæpe apostropha vtit̃: vt,

Ἀμφὶ σὲ Πηλέος υἱὲ μάχης ἀκόρητοι Ἀχαιοί. Iliad.υ,2.

Etiam personas in eo sermone mutat, quo verba alterius referuntur: vt,

—Ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγοράασθε
Νηπιάχοις, οἷς οὔ τι μέλει πολεμήϊα ἔργα, Iliad.β,337.
Ἀτρείδη, σὺ δ' ἔθ' ὡς πρὶν ἔχων ἀστεμφέα βουλὴν
Ἄρχευ' Ἀργείοισι κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Aliud genus Apostrophæ hoc est:

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη. pro οὐκ ἄν τις γνοίη. & alibi, Iliad.ε,85.
—Ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει Odyss.ι,209.
Θεσπεσίη, τότ' ἂν οὔ τοι ἀποσχέσθαι φίλον ἦεν.

Participiis vtitur loco verborum: vt,

—ἥ τ' ἐνὶ κήπῳ Καρπῷ βριθομένη.—pro βρίθεται. Iliad.θ,306.
Ἔνθ' οἵ γ' εἰσέλασαν πρὶν εἰδότες.—pro εἰδέναι. Odyss.ν,113.

Sæpenumerò etiam articulos permutat, loco subiunctiuorum præpositiuis vtens: vt,

Τοὺς ἔτεκε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυια Ποδάργη. pro οὕς. Iliad.π,150.
Et, Καὶ θώρηχ', ὅ γοι ἦν οἱ, ἀπώλεσε πιστὸς ἑταῖρος. pro ὅς. ac vice versa. Iliad.σ,460.

Ita præpositiones etiam solet commutare: vt,

Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα.—pro ἐπὶ δαῖτα. Sic &
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν.— Iliad.α,424. Ibid.10.

Ac præpositionibus præterea nomen alieno casu subdit: vt,

Μή πως καὶ διὰ νύκτα μενοινήσωσι μάχεσθαι, pro διὰ νυκτός. Aliquãdo præpositiones omittuntur: vt, Τοὺς ὄγε κεῖτ' ἀχέων.—id erat, περὶ ἧς. &—ὑποδεξάμενος ἔπειτα προσέειπε.—pro προσέειπε. & alias quoque præpositiones quà permutat, quà omittit. Adverbiis quoq; localibus, ad locum, in loco, vel de loco significantibus, promiscuè vtitur: vt, Iliad.κ,101. Iliad.β,694. Odyss.ψ,91.

Υἱωνοὶ δ' ἑτέρωσε καθίζον.—pro ἑτέρωθι. &
Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε. pro ἐγγύς. Coniunctionum quoq; permutationẽ apud eum deprehendas. Εὐνῇ δ' οὔποτ' ἔμικτο, χόλον δ' ἀλέεινε γυναικός: pro γὰρ posito δέ. Hæ sunt dictionis figuræ, quibus & reliqui omnes non poetæ modò, sed & solutæ orationis scriptores vtunt̃. At verò sentẽtias multis figurarũ modis idem variauit. Est eius generis & προαναφώνησις, quæ fit, cum aliquid narrans, interim id prædicit, quod pòst futurum, & alio loco deinde dicendum erat: vt, Iliad.ε,219. Odyss.α,433. Figuræ sentẽtiarum.

Gustaturus erat primus sanè ille sagittam. & Odyss.φ,98.
ἐπιφώνησις, seu acclamatio:

Nam rem, quando vsu venit, stultus quoq; sentit. Iliad.ρ,32.

Multæ quoque sunt apud eum & variæ prosopopoeiæ. nã multas ac varias inducit personas loquentes, iisque omnis generis mores affectúsque attribuit: nonnũquam etiam eas confingens personas, quæ nullibi sunt. vt,

Iliad. κ, 125. *Proh quantus dolor annosum nunc Pelea tangat.*

Hypotyposis. Est & Diatyposis, descriptio eius quod vel fit, vel est, vel fore dicitur, perspicuitatis causa proposita. vt in his:

Iliad. ι, 589. *Quippe viros cædunt, vrbem flamma improba delet,*
Abducit miseris natos cum matribus hostis.

Aut fit hoc miserationis mouendæ gratia. vt,

Iliad. χ, 60. *Me miserum, in senij Iupiter quem limine sæuus*
Aduerso perimet fato, mala plurima passum:
Occidi postquam natos, natásque videre
Raptari, excindi thalamos, duræque misellos
Allidi infantes terræ me cernere adegit.

Ironia. Est & Ironia, vbi contrarium verbis indicatur, ciuili quadam simulatione, quale illud Achillis:

Iliad. ι, 346. *Nunc tecum Laertiade, & cum regibus ille*
Hostiles aliis depellere nauibus ignes
Cogitet.— & paulò pòst,
—*alium sibi quærat Achiuûm,*
Ipsi qui quadret rectè, & mage regius extet.

Atque hic est modus, cum de seipso aliquis abiectè loquitur, vt contrariũ innuat. Alius, cum simulamus nos aliquem laudare, quem reipsa vituperamus. Ita apud Homerum Telemachus:

Odyss. ρ, 397. *Antinoe, vt genitor nato, sic tu mihi certè Consulis.* —

Et vicissim, cum subsannandi causa magni aliquid alteri tribuimus:

Odyss. β, 325. *Nimirum exitium parat illætabile nobis*
Telemachus, sociósque Pylo Spartáve vocatos
Adducet: quorum, toto quod pectore tractat,
Auxilio expediat facinus.—

Sarcasmus. Ironiæ species est & sarcasmus, cum contrariis verbis exprobrãs quippiam alteri, subridere se fingit: vt Achilles in his,

Iliad. ι, 336. *Dona aliis sua tuta iacent. Graiûm mihi soli*
Abstulit ille meam: grata cum coniuge porrò
Oblectet sese.—

Allegoria. Affinis horum est Allegoria, cũ aliquid aliud quàm quod dicitur, intelligi volumus. Tale est,

Odyss. χ, 195. *Certè equidem hanc duces omnino Melanthie noctem*
In molli stratus, nam conuenit hoc tibi, lecto.

qui enim erat in vinculis, ac suspensus, illum in molli strato dormiturum ait.

Hyperbole. Hyperbola sæpe est vsus, quæ rem extollendo excedit veritatem, magnam intendendi vim habens: vt,

Iliad. κ, 437. *Vincebant candore niues & flamina cursu.*

Orationis genera. Hisce ergo vsus est figuris ac tropis Homerus, vsúmque eorum posteris ostendit: quo nomine ab omnibus gloria, quæ istis rebus debetur, meritò illi defertur. Iam cum tria sint genera orationis, quas effictiones vocant, grande, tenue, ac medium: videamus, omnium ne apud Homerum sint exempla. Nam qui eum subsecuti sunt & poetæ & oratione soluta scribẽtes, vnũ de his aliquod sectati sunt: vt, verbi gratia, Thucydides grande, Lysias humile, medium Demosthenes. Grande est, in quo & dictionũ & sententiarum apparatus vim in se quandam magnam habet. exemplum est:

Odyss. ε, 291. Ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον,
Χερσὶ τρίαιναν ἑλὼν, πάσας δ᾽ ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ᾽ οὐρανόθεν νύξ.

Tenue, quod & materiã dicendi supmpsit exilẽ, & dictione gracili cõpræhenditur: vt,

Ος

Ὣς εἰπὼν, οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος Ἕκτωρ, Iliad. ζ,466.
Ἂψ δ᾽ ὁ πάϊς πρὸς κόλπον ἐϋζώνοιο τιθήνης
Ἐκλίνθη ἰάχων, πατρὸς φίλου ὄψιν ἀτυχθεὶς,
Ταρβήσας χαλκόν τ᾽ ἠδ᾽ αὖ λόφον ἱππιοχαίτην.

Medium quod vtriq; interiectum, hoc grandius, illo humilius est: vt,

Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεὺς, Initio Odyss. χ.
Ἆλτο δ᾽ ἐπὶ μέγαν οὐδὸν ἔχων βιὸν ἠδὲ φαρέτρην
Ἰῶν ἐμπλείην, ταχέας δ᾽ ἐκχεύατ᾽ ὀϊστοὺς
Αὐτοῦ πρόσθε ποδῶν, μετὰ δὲ μνηστῆρσιν ἔειπεν.

Frequens esse apud hunc poetam orationis etiã id genus quod floridum dicitur, quia floris instar pulcritudinẽ habeat, gratiámq; oblectando aptã, quid dicere attinet? Nã tali apparatu repleta est eius poesis. Forma igitur dictionis Homericæ eam habet varietatem, quam indicauimus paucis expositis exemplis, ex quibus etiã alia intelligere liceat. Cæterùm quoniã omnis sermo qui inter homines vsurpatur, aut historicus est, aut ciuilis: agedũ dispiciamus, nũ & horũ principia apud Homerũ extent. Historica oratio est, quæ rerum præteritarum continet narrationẽ. Omni narrationi occasionem præbent hæc: persona, causa, locus, tempus, instrumentum, actio, affectio, modus: neq; extra hæc quicquam vlla in historica narratione inest. Invenias autem apud Poetã multas non modò rerum aut gestarum, aut tanquam gestarum narrationes: sed & singularum circunstantiarum. Personæ: vt, Oratio historica.

Inter Dardanidas præstans virtutis opúmq; Iliad. ε, initio.
Laude Dares erat, atq; tuus Vulcane sacerdos.
Huic duo erant nati quæcunq; ad prœlia docti
Phageus, Idæúsq;, & noti fortibus armis.

Aut cum formam alicuius describit: vt Thersitæ,

Lumina distortus, claudum crus ille trahebat: Iliad. β, 217.
Conuexi in pectúsq; humeri, deformis acumen
Insuper in summo capitis, tum glabra capilli
Caluicies illum turpabant. — & multa alia, quibus aut formam, aut mores, aut actionem, aut fortunam alicuius personæ solet enarrare. cuius generis est & hoc,

Principio Iouis est de semine Dardanus ortus: Iliad. υ, 215.

ac quæ sequuntur in genealogia Aeneæ. Loci descriptio: vt cum insulã insulæ Cyclopum vicinam, quæ eius forma, quantitas, ac qualitates, quid in ea & circum eam sit explicat. Item cum narrat, quæ circa antrum Calypsonis fuerint: Odyss. ι, 116.

Ὕλη δὲ σπέος ἀμφιπεφύκει τηλεθόωσα, Odyss. ε, 63.
Κλήθρη τ᾽ αἴγειρός τε καὶ εὐώδης κυπάρισσος.

Temporis: vt,

Quippe nouem toti fluxerunt cœlitùs anni. & rursus: Iliad. β, 134.
Aulide cum classis quondam conuenit Achiuûm, Ibid. 303.
Troibus & Priamo tristem allatura ruinam.

Causæ, cum indicat propter quid fiat res aliqua, aut facta sit. quale est illud initio Iliadis:

Quisnam illos superûm tam dira ad iurgia adegit?
Quem Latona Ioui peperit, deus ille Pelasgûm
Iratus regi, pestem per castra malignam
Dispersit, populum sæuo exitióq; necauit:
Pontifici nullum quòd honorem habuisset Atrides
Chrysæ: — & cætera. Nam hîc causa contentionis, quæ extitit inter Achillem & Agamemnonẽ, refertur: pestis, pestis causa, ira Apollinis: huius, iniuria qua sacerdos ipsius erat affectus. Instrumenti, vt cum scutum describit, quod Achilli Vulcanus fabricatus est. & breuior alia hastæ Hectoris: Iliad. σ, 478. inde.

Huc superûm gratus regi sese intulit Hector, Iliad. ζ, 318.
Vndecimum in cubitum porrectum hastile gerebat
Ille manu, ærata præfixum cuspide, & illam

Fibula committens circumdabat aurea ligno.

Actionum sunt cùm aliæ, tum hæ:

Iliad.δ,446. *Atq; illi, vt vacuo concursum est æquore campi,*
Inuadunt Martem clypeis, & robore & hastis,
Dántq; fragorem arma, inter sese vmbonibus asper
Collisis latè resonátq; tumultus in auras.

Affectionis, cum id quod accidit, aut causa, aut actione aliqua declarat: qualia sunt, quæ commemorat de iis quos ira, metus, dolórve incessit, aut qui vulnerantur, occiduntur, vel tale aliud quippiam patiuntur. A causa: vt,

Iliad.α,103. *Indoluit, sæuo præcordia concitáq; æstu*
Intumuere, oculis arsítq; furentibus ignis.

Ab actione,

Iliad.ρ,51. *Sanguine fœdata est coma ei pulcerrima, qualem*
Formosæ ostentant Charites: auróq; & amœno
Intorti argento maduerunt sanguine cirri.

Modus est, qui efficit actionem aut affectionem aliquam, aut respectum, cuius causa alterum certo modo agit, alterum certo modo afficitur: isq; omnibus talibus narrationibus adhæret. exemplum est,

Odyss.χ, initio. *Huic intentata guttur iuuenile sagitta*
Transadigit Laertiades: moribundus at ille
Voluitur in latus éq; manu patera excidit icti,
Fistuláq; extemplò per nares crassa cruoris
Erupit.— & cætera.

Narratio apud eum plerunq; dilatata verbis est, & pro rei quæ refertur magnitudine absoluta. aliquando breuis, ac iuxtà efficax: vt hæc,

Iliad.σ, initio. *Patroclus periit tibi, déq; cadauere nudo*
Certatur: tenet arma, illum quibus exuit Hector.

quæ forma sæpenumerò vtilis est, quòd breuitate & apud eum qui dicit, & apud eum qui audit, plus valet, ac facilè id quod vult consequitur. Aliquando rem nudam narrat, aliquando exemplo, aut similitudine, aut comparatione adhibita. Exemplo: vt,

Odyss.τ,53. *Egressa est thalamo tum prudens Penelopea,*
Filia Latonæ vel vt, aut Venus aurea qualis.

Similitudine:

Iliad.γ,196. *Verùm tanquam aries, Graias obit ille cateruas.*

Comparatione, cùm similibus rebus iuxta se collocatis atq; expositis, ad præsentem rem accommodationem facit. Sunt autem varia apud eum comparationum genera: quòd assiduè & multifariam humanis actionibus atq; affectionibus, aliorum animalium naturas atque actiones confert. Aliquando à minimis similitudinem petit, non ad corporis magnitudinem, sed ad naturam eorum quæ comparat respiciens. Ita peruicaciam muscæ exemplo expressit:

Comparationes Homericæ.

Iliad.ρ,570. *Atq; animo illius muscæ indidit improbitatem.*

& multitudinem continuam, eodem:

Iliad.β,469. *Qualia muscarum quis crebrarum agmina cernat.*

multitudinem verò bono ordine compositam, apum:

Ibid.87. *Qualia apum densa volitant examina turba.*

Iram quoq; & insecutionem ita expressit:

Iliad.π,259. *Mox sese toto effuderunt agmine, quales*
Sæpe viam propter cernus se effundere vespas,
Iritant quas more suo pueri.—

quod additum est, vt naturalis vesparum iracundia puerorum iritatione acrior facta, intelligeretur. Item de continuo sermone ita dixit:

Iliad.γ,151. *Fundere verba boni: quales vbi syluа cicadas.*

nam cicada animal est, vt ita dicam, loquacissimum, ac vocem edere nunquã desinẽs. Promiscuas voces eorum qui nullo ordine incederent, ita expressit:

Ibid. initio. *Vtq; gruum it cœlo clangor.—*

&

Multitudinem quæ in ordinem componitur, auibus comparat conſidentibus,

Cum clangore ſedem capiunt.— Iliad.β,463.

Celeritatem viſus & actionis accipitri confert: qui,

Cæde palumbibus infenſus, volucrúmq; ſupremus
Impete pennarum celeri.— Iliad.ε,283.

aliquando aquilæ:

Illa etiam ſublime volans, cœlóq; propinquans, Iliad.ρ,675.
Velocem pedibus leporem videt eminus, atq;
Arripit.— viſus acumen eo indicans, quòd tam procul cernit: velocitatem, quòd animal celerrimum capit. Perterritum adſpectu hoſtis, aſſimilauit ei qui ſerpentem conſpexerit, non dedignatus etiam ab humi reptantibus exemplum ſumere,

Vt cum conſpecto greſſum quis rettulit angue. Iliad.γ,33.

Ab aliis animalibus, à lepore & ceruo timiditatis,

Quid ſtatis? cur hinnuleorum inſtar ve pauetis? Iliad.Δ,243.

A canibus aliquando fortitudinis,

Vtq; canes validis duo freti dentibus.— Iliad.κ,360.

aliquando amoris erga prolem,

Vt cum pro teneris catulis canis anxia latrat. Odyſſ.υ,14.

aliquando ad ſtudium diligentiámq; cuſtodiendi eam comparationem adhibet:

Non ſecus atq; canes, pecoris cuſtodia clauſi Iliad.κ,183.
Quîs data, peruigiles ſonitus cum fertur ad aures.

Raptum, qui animoſè ſimul & nullo metu fit, lupis adſimilauit:

Vtq; agnos hædóſ ve lupi inuaſere feroces. Iliad.π,352.

Fortes, & qui ſe de ſtatione pelli nõ ſinant, exemplis aprorum, pardorum, & leonum depinxit: vnicuilibet id tribuens, quod eſſet naturæ ipſius proprium. Apris impetum ad pugnam, qui ſubſiſti nequit:

Qualis apri, ad pugnam talis tunc impetus acrem Iliad.Δ,253.
Idomenea tulit.—

Pardali, audaciam compeſci neſciam,

Nec transfixa graui ſæuam vim deſinit haſta. Iliad.φ,577.

Leonibus cunctationem, ſed quæ in animoſum erumpat facinus,

Tum geminum latus ille, & verberat ilia cauda. Iliad.υ,170.

Rurſum viri fortis curſum equo cibi ſaturo confert,

Qualis vbi ſatur, & ſtare ad præſepe recuſans Iliad.ζ,fine.
Fertur equus.—

Contrà tardum inceſſum, ac invictam in eo perſeuerantiam ſic indicauit,

Qualis vbi inuitis aſinus cum fertur in agros, *Et paſcit pueris.—* Iliad.λ,557.

Formam regiam & excellentem, ſic:

Qualis in armento bos præſtantiſſimus omni. Iliad.β,480.

Nec maritimorum quidem animalium ſimilitudines præteriit. Polypi permanſionẽ, & quàm vix à ſaxo avelli poſſit, in his extulit,

Vt cum polypodem cæca extraxère caverna. Odyſſ.ε,432.

Delphini principatum & imperium in alios, ita:

Ingentem vel vti piſces delphina marini, etc. Iliad.φ,22.

Sæpenumerò etiam quæ ab hominibus agerentur, aliis comparat actionibus: vt,

Quales meſſores, qui parte ab vtraq; locati, Iliad.λ,67.

& cætera: quibus virorum ſedulitatem ac laboris tolerantiam exponit.

Perſpicua ſimilitudine exprobrat parum virilem fletum,

Quid ploras inſtar teneræ Patrocle puellæ? Iliad.π,initio.

Elementis quoq; comparare auſus eſt humanas actiones. vt,

Sic fatum populus clamore excepit Achiuus Iliad.β,394.
Ingenti. qualis reſonat vox litore in alto,
Cum procurrenti ſcopulo in mare turbidus Auſter
Allidit fluctus, quem nunquam non grauis vnda
Verberat omnigenis agitantibus æquora ventis.

Apparet autem hîc eum & auxesi vsum esse, & hyperbola. Non enim contentus fuit clamorem sonitui fluctus conferre: sed addidit talis fluctus, qualis ad altum littus appellitur, ibiq; elatus in sublime, maiorem sonitum dat. neq; fluctum simpliciter dixit, sed ab austro excitatum, qui maximè humida mouet: idq; in scopulo qui in mare protenditur, ab eóq; alluitur: itaq; perpetuò fluctibus feritur, vndecunq; venti incidant. Hoc ille modo narrationes suas elaborauit: quod ex his paucis exẽplis liceat etiam in multis depræhendere. Consideremus nũc alia quoque orationis genera, vt & ea primum omniũ Homerus animo conceperit, evidentérq; composuerit. Hîc quoq; similiter pauca exempla proposita, reliquorum intelligentiam patefacient.

Oratio philosophica.

Oratio contemplatiua (sic appellemus theoreticam) est, quæ ea quæ theoremata dicunt, complectitur: sunt autẽ ea disciplinarum percepta, siue veritatis artificiosa cognitio. per hæc naturam diuinarum, humanarúmq; rerum cognoscere, virtutes ac vitia morum distinguere datur: ac præterea intelligere, arte ne aliqua differẽdi indagare veritatem conveniat. Tractauerunt ista ij, qui philosophiæ studium suum, vitámq; addixerũt:

Philosophiæ partes.

& adhuc partes philosophiæ habentur, Physica, Ethica, ac Dialectica. Quòd si ergo depræhendamus omnium horum initia ac semina Homerũ scriptis suis inseruisse, cur non is maiori, quàm quivis alius, admiratione dignus habeatur? Neq; alienũ à ratione videri debet, si quædã per ambages & fabulas indicauit. Hæc enim causa est poeseos, isq; mos veterum: vt & qui discendi studio tenentur, quadam subtilitate illecti, eò facilius inquirerent veritatem, atq; invenirent: & indociles ea non contemnerent, quæ nequirent assequi. Nescio enim quomodo id quod occultè dicitur, in admiratione habetur: cùm contrà vile videatur, quod manifestò effertur.

Physica de rerum principiis.

Initium ergo sumamus ab vniuersi exordio & ortu, quæ Thales Milesius ad aquæ substãtiam refert. Videamus, an non primus hoc senserit Homerus, cùm diceret:

Iliad. ξ, 246.

Præbuit Oceanus cunctis primordia rebus.

Post hunc Xenophanes Colophonius principia rerum autumans aquam esse ac terram, videtur ansam arripuisse de Homerico isto,

Iliad. η, 99.

Vos verò in terram cuncti redigamini, aquámq;.

Elementa.

Significat enim dissolutionem vniuersi in principia ea, ex quibus ortum habet. Maximè autem vera opinio quatuor elementa perhibet, ignem, aerem, aquam & terrã: quæ videntur ipsa quoque Homero nota fuisse. singulorũ enim non semel meminit. Quin & ordinem eorum intellexit. Nam quòd terra infimum sit omnium, consideremus. Cum mundus sit globosus, rectè quidem superiorem locum cœlo, quod complectitur omnia, tribueris. Terra autẽ in medio prorsus constituta, inferior cõtinente eam cœlo est. Id Poeta præsertim ibi ostendit, vbi Iupiter ait, se demissa è cœlo catena terrã ac mare sursum attracturum, ita vt omnia in sublimi pendeant. Locus est Iliadis octaui libri initio. Porrò cum supra terram sit aer, hoc ipso sublimiorem ætherem facit:

Iliad. ξ, 287.

Abiete conscensa procera, quæ super Idæ
Vertice ad æthercam sublata per aerea sedem
Creuerat.— Aethere cœlum superius,

Iliad. ρ, 424.

—*Sterilémq; per æthera longè*
It strepitus cœlo vehemens pugnantibus illis.

Item illud:

Iliad. α, 467,

ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν ὀυρανὸν οὔλυμπόν τε.

Partem enim aeris purissimã, quæ summo loco est, longissiméq; à terra & eius exhalationibus remota, Olympum aiunt dici, quasi ὅλον λαμπρὸν, id est, totum splendidum. Quòd autem Iuno Iouis vxor dicitur, cuius est soror, videtur eo sensu dictũ, quòd Iuno intelligatur esse aer, quæ est humida substantia. vnde etiam dicit,

Iliad. φ, initio.

—ἤερα δ' ἥρη πίτνα πρόσθε βαθεῖαν.—

Iupiter autem æther sit, quæ est substantia ignea, & calida. vnde illud,

Iliad. ο, 192.

Sorte Ioui datus est æther, cœlum, nebulæq;.

Germani itaq; videbantur propter contiguitatem ac quandam similitudinem: vtrũq; enim elementum leue, & quod in motu sit: coniuges dicuntur, quòd eorum coitu o-

Iliad. ξ, 346.

mnia nascant̃. Itaq; etiam in Ida congrediuntur, terráque eis herbas ac flores edit. Eô-

Iliad. ο, 18.

dem pertinet, quòd Iupiter dicit, se suspendisse Iunonem, appensis ad pedes eius duabus incudibus: nimirum hæ sunt terra & aqua. Maximè autem elementorum conficiunt

tiunt explicationẽ, quæ apud eũ loquitur Neptunus, tres esse filios Saturni & Rheæ, Iouem scilicet, se, & Plutonem, qui inferis imperet: in tres partes vniuersum esse tributum, ita vt cuivis sua obtigerit dignitas. Ioui enim cessisse ignis substantiam, sibi Neptuno aquæ, Plutoni aeris: eum enim vocat ζόφον ἠερόεντα, quia lumen proprium nõ habet, sed à Sole, Luna, reliquisq; illustratur stellis. *Ibid.185.* Quarta communis omnibus relicta esse dicitur terra. Nam cùm trium elementorum natura in perpetuo sit motu, sola terra immobilis permanet. Atque huic Olympum adiungit: qui si mons sit, pars vtique est terræ: sin cœli splendidissima & purissima pars, etiam hæc erat quinta cum elementis essentia: in qua sententia nobiles quidã fuerunt philosophi. Itaque convenienter vtrunq; commune dixit: & terram quæ infima est ob grauitatem, & cœlum quod ob leuitatem est summum. quippe versus hæc ea quæ in medio sunt aliàs deferuntur, aliàs efferuntur. Porrò cum elementorum natura ex contrariis constet, siccitate, humiditate, caliditate, & frigiditate: eademq; ob mutuam proportionem atq; temperamentum vniuersas res producant: cúmq; partes vniuersi mutationibus sint obnoxiæ, interim tamen ipsum nequaquam dissoluatur: hæc inquam cũ sint, Empedocles vniuersa constare dixit,

Vinculo amicicia coalescant cùm modò cuncta,
Dissidij in diuersa aliàs cum pondere vergant
Singula.— elementorum enim concordiam & vnitionem amicitiæ vocabulo afficit, discordiæ contrarium. At Homerus eo prior, per ambages amiciciam istam, discordiámq; innuit, his verbis:

Nunc terræ fines vado inspectura feracis, *Iliad.ξ.200.*
Principiúmq; deûm Oceanum, & Thetyn genitricem,
Dissidiis quorum longis imponere finem *Visendo institui.*—

Tale est etiã, quod Martis ac Veneris fabula innuit, quorum hæc Empedocleæ amiciciæ, ille discordiæ respondet. Itaque aliquando congrediunt, aliquando disiũguntur. Indicat eos Sol, ac vinculis eos cõstringit Vulcanus: soluit autem Neptunus. *Odyss.θ,266.* Vnde apparet, calidam naturam ac siccam, tum huic contrariam quæ frigida est & humida, aliquando omnia componere, aliquando dissoluere. Quibus convenit id quod ab aliis est poetis traditum ex Martis & Veneris coitu Harmoniam ortam: nimirum ex contrariis, grauibus ac leuibus certa ratione temperatis, quandã convenientiã. Quomodo autem repugnent sibi invicem ea quæ contrariæ sunt naturæ, id occultè indicauit Poeta, vbi deorũ aduersos ordines describit, Græcis partim, partim Troianis auxiliantium, singulorum vim sub involucro proponens. *Iliad.υ,67: & φ,210.* Ac Apollinem quidem Neptuno opponit, calidum & siccum frigido humidóq;: Mineruã verò Marti, ratione præditum ei quod rationis est expers, hoc est bonum malo. tum Iunonem Dianæ, id est, aerem stabilem Lunæ mobilissimæ. item Mercurium Latonæ, cùm ille rationem notet, quæ semper inquirit & meminit: hæc obliuionem, ei contrariam. denique Vulcanum fluuio eadem ratione, qua Solem mari. Spectatorem pugnæ, eáq; gaudentẽ, facit deorum principem. Apparet porrò ex prædictis, id quoq; Homerum innuisse, vnicum esse mundum, eúmq; finitum. *Mundus vnus & finitus.* Nam si infinitus esset, non diuideretur in partes finito numero comprehensas. Et quidem ipsum Vniuersi nomen, vnum aliquid designat: * sicvt & in aliis multis pro singulari vtitur plurali. Idq; ipsum apertius ostẽdit, dicens: —*fines terræ.* & rursus: *Iliad.ξ,200.*

Non si telluris fines adeas, pelagi've *Iliad.θ,478.*
Extremos.— Item:
Multiiugi super extremo tum vertice Olympi. *Iliad.α,499.*

Vbi enim est summitas aut extremũ, ibi etiam finis. De Sole quoq; quid senserit, manifestum est: nempe eum motu circulari ferri, ac modò supra terram extare, modò infra eam descendere. *Sol.* Hoc enim illi versus docent:

O socij, neq; enim noctis qua parte tenebræ *Odyss.κ,191.*
Nascantur, vel qua roseis aurora quadrigis
Vecta diem referat, præceps vbi lampada condat
Titan, qua curru terram superét've supino,
Nouimus.— Sensit etiam, eum semper supra nos ferri, itaq; eum Hyperionem appellat. Eundem ex aqua terram circumdante, id est, Oceano oriri, inque eandem occidere scribit. Ortum ita explicat:

Odyss.γ,initio. *Interea stagnum Phœbea relinquit amœnum*
Lampas, & ærato sublata accedit Olympo,
Præbeat vt diuis lucem.—

Occasum sic:

Iliad.θ,486. *Incidit Oceano clari lux splendida Phœbi,*
Frugiferæ noctem telluriq; intulit atram.

Formam quoq; eius monstrat:

Odyss.τ,234. *—splendebat solis & instar.*

Magnitudinem:

Iliad.λ,734. *Vt supra terram nitidus sese extulerat Sol.*

Item disertius,

Iliad.θ,68. *Vt medium cursu Titan superauit Olympum.*

Vim,

Iliad.γ,276. *Sol qui cuncta videt, qui præsens omnia inaudit.*

Animatum esse eum, suáq; sponte & arbitrio moueri, indicat his verbis:

Odyss.μ,381. *Sub terras lucem laturus manibus ibo.*

A quo eum Iupiter dehortans, inquit:

Phœbe tuam lucem tu diis ostendere perge,
Quiq; tenent terram mortalibus.—

Ex quibus liquet, solem non esse ignem, sed aliam præstantiorem naturam: quod & Aristoteles censuit. Quippe cũ ignis sursum feratur, anima careat, facilè intercipiatur, interituiq; sit obnoxius: Sol in orbe fertur, viuus est, æternus, & interitus securus. Reliqua etiam cœli sidera Homero non fuisse incognita, ex his constat, quæ scripsit:

Iliad.σ,487. *Pleiadásq; Hyadásq;, & vim grauis Orionis.*

Descripsit etiam Vrsam, quæ perpetuò conuertitur circa polum Septẽtrionalem, qui nobis semper apparet, ac quæ propter sublimitatem nunquam horizontem tangit. Ostendit etiam eodem tempore rotatione circumagi, & minimũ Vrsæ, & maximum Orionis circulum. Meminit & tardè occidentis Bootis, qui rectus defertur, ac descendunt cum eo quatuor signa, qualia sex toti nocti tribuuntur. Neque mirari quispiam debet, quòd non omnia quæ de siderum contemplatione habentur percensuit, sicvt fecit Aratus: non enim hoc instituerat. Elemẽtorum quoq; accidẽtia quæ sunt, vt motus terræ, & luminũ defectus, quibus de causis existerent, non ignorauit. Cum enim vniuersa terra in se aliquid aeris, ignis & aquæ, à quibus ambit etiã, contineat: consentaneum est, in eius profundo vapores ventosos coire. Hos, aiunt, si foras efferantur, aerem commouere, intus autem detentos intumescere, cùm vi foras erumpere nitantur. Quod autem spiritus intra terram cõcluditur, mari adscribitur eius rei causa, quod aliquando exitus obthuret: quo etiam aliquando cedente, aliquæ partes terræ corruant. Hæc Homerus cùm sciret, causam terræmotuũ Neptuno tribuit, γαιήοχον eum, quasi telluritenentem, & ἐνοσίχθονα, quod est motorem terræ, passim appellãs. Quia verò ventis intra terram conclusis, tranquillitas aeris existit, & caligo, & Solis obscuratio: videamus an id quoq; nouerit. Finxit ergo Neptunum terram concutere, Achille ad pugnam egresso. Qualis autem pridie fuerit aeris constitutio, prædixerat, de Sarpedone loquens:

Terræmotus.

Iliad.υ,initio.

Iliad.π,567. *Iuppiter ipse atra velauit prœlia nocte.*

Et rursus de Patroclo:

Iliad.ρ,366. *Non adeò Solem, non tunc superesse Dianam*
Dixisses, tantæ crassus caliginis aer
Obstabat.—

& paulo pòst precatur Aiax:

Ibid. 646. *Iuppiter è denso serua pater aere Graios,*
Atq; oculis lucem miseratus redde serenam.

Post terræmotum verò, cùm iam spiritus erupisset, vehemẽtes oborti sunt venti. hinc Iuno dicit:

Iliad.,335. *Ipsa Noti celerem à ponto, Zephyriq; procellam*
Excibo impellens.—

Postridie ventos Iris ad Patrocli rogum excitat,

—at illi Iliad. ψ,213.

Ingenti stridore ruunt, séq; ante frequentes

Conturbant nubes.—

Quin & defectum Solis apparet eum intellexisse naturaliter fieri, cum Luna cum eo coiens, inter nos eúmq; ad rectam lineam intercedit, eiúsq; conspectum nobis aufert. Eclipsis Solis.

Cum enim prædixisset venturum Vlissem,

Iam finito alio mense, atq; alio incipiente, Odyss. ξ,163.

(hoc est coeunte Luna cum Sole: tum enim finis mensis prioris, & initium sequentis est) postquam Vlisses venit domum, vates hæc procis ait:

Vnde malum hoc miseri? vobis nox desuper atra Odyss. υ,351.

Inuoluit capita & vultus, & fertur ad imos

Vsque pedes: sed & umbrosum vadentium ad Orcum

Vestibulum simulacra replent, aulámq; tremenda:

Disperiit cœlo Titan, ac luminis exors

(Infandum) tristi caligine inhorruit aer.

Ventorum porrò naturam accuratè cognitam habuit. Ortus iis ex humore. nam in aerem mutatur aqua, & ventus est fluens aer. Hoc ille cùm multis aliis locis indicat, tum his præsertim verbis: Venti.

Humida ventorum vis.— Odyss. ε.478.

Ordinem eorum rectè explicauit ita:

Vnà Eurúsq; Notúsq; ruunt, Zephyrúsq; procellis Ibid. 296.

Creber, & ingentem, qui cœlo nubila pellit,

Aduoluens fluctum Boreas.—

Primus horum ab ortu flat, secundus à meridie, tertius ab occasu, à septentrionibus quartus. Et Subsolanus cū sit humidus, in Austrū calidum mutatur: is tenuior factus in Fauoniū abit: atq; hic adhuc tenuior redditus expurgatúsq;, fit Aquilo. Inde hoc:

Impulit hic celerem Boream, fluctúsq; retudit. Ibid. 385.

Naturæ convenienter etiam eorum oppositionem extulit:

Nunc auster Boreæ dimisit quippe ferendum, Ibid. 332.

Nunc impellendum Zephyrus rapido dedit Euro.

Nouit etiam polum Septentrionalem supra terram esse eleuatum, nobis quidem qui hoc clima habitamus: & contrà Austrinum infra terram depressum. Itaque de Borea cum dicit, eum serenitatem efficere, & magnū fluctum torquere, ad vim desuper incidentis venti respexit. Vocabulo ὦθει, nisum à cauo ad sublime innuit. Pluuias ex humida exhalatione fieri intellexit, atque his indicauit verbis: Ibid. 279. Pluuiæ.

Sanguinis humentes stillauit ab æthere guttas. &, Iliad. λ,54.

Sanguineum in terras rorem diffudit.— Iliad. ,459.

nam antè dixerat:

Quos vita exuerat dulci Gradiuus, eorum Iliad. η,329.

Sparserat effuso Xanthi ripásq; cruore.

Vnde liquet, quòd quæ ab aquis terrestribus sursum efferuntur humida aquísq; permixta, eadem similiter decidunt. Eòdem pertinet & hoc:

Luce autumnali quando largissimus imber Iliad. π,385.

Decidit.— tunc enim Sol ex profundo terræ, quæ sicca admodum est, humorem eleuat turbidum, ac terræ permixtum: isque ob pondus confertim decidit. Vt autem exhalationes humidæ pluuias gignunt, ita siccæ ventos. At cùm in nube ventus includitur, eámq; vi perrumpit, tonitrua fiūt & fulgura, & simul fulmen emittitur. Quod Poeta sciens, ita dixit:

Intonuit grauiter cum fulgure.— & Iliad. θ,594.

Tum simul horrendum intonuit Saturnius, atq; Odyss. μ,414.

Iniecit naui fulmen.—

* * *

Deos esse, omnes sana mente præditi arbitrantur: ínterque hos Homerus primus est. Semper enim mentionē facit deorū. vt cū dicit, μάκαρες θεοί, ῥεῖα ζῶντες, beati dij: & facilè viuentes. cum enim sint immortales: facilem, & non cessaturam habent viuendi De diis. Odyss. ζ,46. Odyss. δ,805.

naturam, neq; cibo opus habent, sicut mortalium animalium corpora:

Iliad.ε,341.
Nam neque edunt panem, neq; vini ducere succos
Consueuere dij: quapropter sanguine cassi,
Atque immortales perhibentur.—

Quoniam verò poesis deos requirebat agentes aliqua: vt sensibus quoque obijceret quæ de iis dicebat, corpora illis affinxit. Et quia nullum corpus, excepto humano, sermone ac scientia præditum esse potest: itaq; singulos deos hominibus assimilauit. Porrò magnitudine & pulcritudine eos exornans, simul hoc quoque ostendit imagines & simulacra deorum humana forma expressa ac dedicata esse propterea, vt etiam qui minus sapiunt, deos tamē esse admonerentur. Ac quia præstantissimi philosophorū corpore vacare iudicant deorū principem atq; imperatorē, mentéq; potissimùm esse intelligendum: videtur id quoque Homerus sensisse, apud quem Iupiter dicitur

Passim.
—hominum pater atq; deorum. Item,

Odyss.α,56.
O pater, & diuûm princeps supreme potentum.

Atque ipse ait:

Iliad.θ,27.
Quàm generi humano, diuísq; potentior ipsis
Sim, cernetis.— & Minerua Ioui:

Ibid.32.
Nam satis inuicto scimus te robore fretum.

Quòd si id quoque quæratur, an mente sola percipi posse deum sciuerit: tametsi id palàm non professus sit, quippe poesin condens fabulis permultis temperatā, tamen intelligi hoc potest ex iis quæ dicit:

Iliad.α,498.
Inuenit solum secreta in sede sedentem
Illa Iouem.— Item:

Iliad.ν,22.
Solus in excelso cœli maneo ipse recessu,
Inde hæc grata meæ capiam spectacula menti.

Ipsa enim solitudo, & quòd non permiscetur reliquis diis, sed secum se esse gaudet, séq; vtitur in ocio, sempérq; vniuersas res temperat: hæc inquam deum exhibent, qui sola mente sentiatur. Sciebat autem hoc etiam, Deum esse mentem quæ omnia sciret, & administraret. Ita enim loquitur Neptunus:

Iliad.ν,354.
Idem vtriq; pater sanè est, eadem patria ambos
Protulit: in lucem sed me prior editus ille,
Nouit plura.——

Sæpe etiam hoc ponit,

His actis, aliud secum pater ipse volutat:

id nimirum significans, eum semper cogitare aliquid. Ad cogitationes Dei pertinet etiam prouidentia & fatum: de quibus multa apud philosophos disputantur, quibus omnibus ansam præbuit Homerus. Ac de prouidētia quidē quid dicamus? cùm per totam poesin dij non tantū ipsi inter se de hominibus colloquantur, sed etiam in terram descendant, atq; cum illis versentur. Pauca exempli causa consideremus. Tale est illud Iouis ad Neptunum:

Prouidentia & fatum.

Iliad.υ,20.
Quæ mea sit nosti frater sententia: curam
Illorum, quanquam pereunt, gero.—— Et alibi,

Iliad.χ,170.
Proh mihi quàm charus sua nunc vir mœnia circum
Cursu agitur, nostrúmq; vrget miseratio pectus.

Regiam quoque dignitatem, & humanitatem, indicat his:

Odyss.α,66.
Nos Laertiadæ capiat ne obliuio magni?
Cuius in humana summa est sapientia gente,
Sacra deûm summáq; colit qui religione.

In quibus vides, vt Vlissem laudet primùm à prudentia, deinde à deorum cultu. Passim autem licet animadvertere, quomodo deos inducat hominibus operam nauātes: vt Mineruam aliquando Achilli, semper Vlissi: Mercurium Priamo, & rursum Vlissi. In vniuersum autem arbitratur deos semper hominibus adesse. Sic enim ait:

Odyss.ρ,486.
Namq; peregrini sub forma sæpe, vagiq;
Hospitis occultè superi plerunq; latentes
Perlustrant vrbes, hominúmq; immitia facta,
Iusticiámq; vident coram.——

Proui-

Providentiæ deorum proprium est, quod volunt homines iustè viuere. Id evidētissimè pronunciat Poeta:

Nam non facta hominum superis inhonesta probantur, Odyss. ξ,83.
Sed scelerum pœnas infligunt sontibus acres. Item,
Iusta Iouem quando in mortales asperat ira, Iliad. π,387.
Iudicia exercent qui vi, non legibus æquis.

Quemadmodum autem deos hominum curam gerere, ita homines quoq; eorū quacunque fortuna memores inducit. Itaq; & Imperator rebus secundis ait,

Damnabit voti Iupiter me, spero, diiq;:
Hinc diros arcebo canes, abigámq;.— Iliad. θ,527.

& in periculo constitutus,

Iuppiter è denso serua pater aere Graios. Iliad. ρ,646.

Item interfecto hoste, ille:

Hunc hominem postquam superi iugulare dederunt. Iliad. χ,381.

at moriens alter:

Tu caue, me propter tibi ne diuûm ingruat ira. Ibid. 359.

Vnde ergo, nisi ex his, ortum est Stoicorū illud decretum? Proinde vnum esse mundum, in quo cum diis homines versentur tanquam in republica, iusticiæ communicatione coniuncti, docet. Cum enim scribit,

Concilium Themidem superis indicere mandat Iliad. υ, initio.
Iuppiter.— & paulo pòst,
Cur ad concilium Saturno nate vocasti
Cœlicolas? num res Danaûm Troúmq; volutas?

quid aliud hæc ostendunt, quàm ciuitatis in morem gubernari mundū, consiliáq; capere deos, principe deliberationis eo qui est deorum & hominum pater? De fato sententiam perspicuè his verbis indicat:

Nemo adeò, siue ille malus, siue est bonus, vnquam Iliad. ζ,488.
Natus homo, sese potuit subducere fato.

atq; aliis etiam locis vim fati confirmauit. Sensit autem id, quod post eum nobilissimi philosophi, Plato, Aristoteles & Theophrastus, non omnia fato evenire, sed & in hominibus aliquid esse positum, quibus initium quidem à voluntate est: cum eo autem coniungitur quodammodo necessarium, cùm quis eo quod volebat acto, in id quod nolebat incidit. Hoc multis locis apertè monstrauit, atq; adeò vtriusq; poeseos initio. Nam in Iliade dicens, iram Achillis causam exitij Græcis fuisse, tunc Iouis voluntati satisfactum ita scribit. In Vlissea monstrat, socios Vlissis sua stulticia in perniciē prolapsos: peccauerunt enim cùm sacros Soli boues aggressi sunt, quibus abstinere licebat. Erat enim prædictum, Fatum. Voluntas.

Si cordi reditus vobis, neq; tangere Solis Odyss. μ,138.
Armenta est: Ithacam, quamvis mala plurima passi,
Ibitis: exitio stabit tetigisse supremo.

Itaq; ergo in ipsorum erat potestate, abstinere ab iniuria: quod autem ob illatam iniuriam perierūt, fato consecutū est. Licet etiam id quod aliâs eventurum erat, prudētiæ auxilio effugere. quod hoc exemplo docet:

Hic etiam præter fatum periisset Vlisses, Odyss. ε,327.
Quantumvis patiens: in mentem cæsia Pallas
Consilium præsens illi nisi promta dedisset.
Irruit, atq; manu saxum complexus vtraq;,
Multa gemens retinet, dum fluctus transeat ingens.

Hic enim vice versa cum esset periturus, à providentia seruatus est. Cæterùm quemadmodū Philosophi de multis ac variis rebus diuinis loquendi ansas ex Homero plerunque sumserunt, ita etiam de humanis. Primùm hoc in disputatione de Anima experiemur, Omnium de hac opinionum nobilissima est Pythagoræ ac Platonis, qui eam immortalem asserunt: & quidem ei Plato etiam alas affingit. Quis ergo primus hoc pronunciauit? Homerus, qui præter alia hoc quoq; dixit: De Anima.

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη, ἀΐδόσδε βεβήκει. Iliad. χ,363.

vocabulo ἄϊδος intelligit locum qui videri nõ possit: siue aerem quis accipiat, siue locum sub terra. Tum in Iliade Patrocli animam fingens dormienti adstare Achilli,

Iliad.ψ,66. (*Inde Menœtiadæ miserandi anima adstitit illi*)

sermonem ei attribuit, in quo & hæc sunt:

Nam simulacra procul me arcent, & lumine vitæ
Iam cassorum animæ.—

In Necya autem quid aliud tota agit, quàm vt post mortem superesse animas ostẽdat & loqui, simulatque sanguinem biberint? Sciebat enim, sanguinem esse alimentum spiritus: ac spiritum esse vel ipsam animam, vel animæ vehiculum. Apertissimè autem hoc quoque pronunciauit, se hominem nihil aliud existimare, quàm animam. Ita enim scribit:

Odyss.λ,91. Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων.—

Dedita enim opera cùm substãtiuum ψυχὴ fœminino genere posuisset, masculino genere adiectiuum applicauit, vt ostenderet ipsam animã esse Tiresiam. Atq; iterũ post:

Ibid.600. Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
Εἴδωλον, αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.

nam hîc quoque ostendit quòd simulacrum, quod à corpore avolarat, neq; quicquam secum illius materiæ traheret, imaginatus sit: purissima autẽ animæ pars quæ discessisset, ipse fuerit Hercules. Hinc philosophis id quoq; videtur, corpus esse quodammodo carcerem animæ. Quod & ipsum primus ostendit Homerus. Corpus enim viuentium semper appellat δέμας: vt,

Iliad.α,115. Οὐ δέμας, οὔτε φυήν.— Et,
Odyss.δ,796. —δέμας δ' ἤικτο γυναικί. Et iterum,
Odyss.σ,251. —ἦρι ἐμὴν ἀρετὴν, εἶδός τε δέμας τε.

Id autem, quod amisit animam, σῶμα, neq; aliud quicquam appellat: vt in his,

Iliad.χ,343. Σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν.— Et,
Odyss.ω,185. Σώματ' ἀκηδέα κεῖται ἐνὶ μεγάροις Ὀδυσῆος. Et
Odyss.λ,54. Σῶμα γὰρ ἐν μεγάροις Κίρκης κατελείπομεν αὐτοί.

Idem enim corpus viuo homine, velvti vinculũ quoddam erat animæ: & eo mortuo, quasi σῆμα, id est monimentum relinquitur. His consequens est aliud Pythagoræ decretum mortuorum, nempe animas transire in formas alias corporũ. Sed ne hoc quidem ab opinione Homeri alienum est. Qui enim induxit Hectorem cum equis colloquentem, & Antilochum, ipsumq; Achillem: atque hunc quidem non loquẽtem modò, sed & audientem verba equi: tum canem qui hominibus prius, ùsque domesticis, Vlissem cognouerit: quid aliud quàm communitatem rationis agnationémq; humanæ cum brutorum animis ostendit? Ii quoque qui Solis boues ederunt, ideóque periêre, monstrant, non boues modò, sed & alia quævis animalia, vt eandem viuẽdi naturam sortita, à diis magni fieri. Tum quòd socij Vlissis mutantur in porcos, & alia id generis animantia, eo ænigmate innuitur, demẽtium hominum animas in bestiarum corpora immigrare, cùm incidant in vniuersi circularem revolutionem: quam Circen ipse appellat, & (vt par erat) Solis filiam facit, habitantem in insula Aeæa: cui insulæ à verbo αἰάζειν nomen dedit, quia homines propter mortem lamentãtur. Atqui Vlisses, qui esset sapiens, istam mutationem perpessus non est: contra eam à Mercurio, id est ratione, munitus. Ac idem ille ad inferos descendit, quasi indicans, à corpore animam posse separari, inspectórque fit animarum cùm bonarum, tum malarum. Ipsam porrò animam Stoici definiunt spiritum cognatum, & exhalationem sensibus præditam, quæ ex humore corporis accendatur. In hoc Homerum secuti sunt, dicentem:

Iliad.α,89. *——Dúmq; habitus hos reget artus.*

Et iterum,

Iliad.ψ,102. *Ipsa infra terram tenuis ceu fumus abiuit.*

In his animam viuificantem humidæ rei comparat: eam verò quæ iam extinguitur, fumo. Quin & ipso spiritus vocabulo vtitur, de anima loquens:

Iliad.v,162 *Sic ait, atq; animi magnam inspirauit ei vim.*

Et alibi:

Iliad.δ,524. *Expirans animam.—* Item,
Iliad.χ,475. *Hæc vbi respirauit, & in præcordia rursum*

Vis animi est collecta.— id est, postquam spiritum dispersum collegit. Item,

Tum respirauit rursum, Boreæ simul afflans Iliad.ε,697.
Pœnè exhalantem vitam leuis aura refecit.

Nam animo deficientis spiritum externus flatus refocillans, quippe cognatus, in vitam revocat. Huc facit, quod & externo spiritui id nominis tribuit, vnde animā Græci deducunt,

ἦκα μάλα ψύξασα.— volens dicere, Contrà spirans. Iam Plato atque Aristoteles incorpoream esse animam senserunt, sed quę semper circa corpus versaretur, eóq; vehiculi loco vteretur: inde etiam à corpore digressam, spirituale quoddam quasi impressum simulacrum sæpe secum trahere, seruantem eam qua in corpore fuerat prædita formam. Ita Homerum quoq; nunquam in sua poesi invenies corpoream dicere animam: corporis enim vocabulum cadaueri vbiq; attribuit, vt & antè paucis ostendimus. Cum autem animæ, etiam philosophorum iudicio, pars ratione prædita, in capite sit collocata: altera ratione carens, cuius ea vis, qua irascimur, in corde sedem habet: quæ appetit, in ventri propinquis partibus: videamus númnam iis prior Homerus hoc nouerit discrimē. Finxit enim Achillis rationem iræ reluctantē, eúmq; eodem momento deliberantem, vtrum vlcisceretur eum, à quo fuerat læsus, an verò iram compesceret: Iliad.υ,440. Facultates animæ.

Hæc inter mentis iussus, animiq; furorem Iliad.α,193.
Voluebat dubius.— nimirum recta ratione & ira luctantibus inter se: ab illa autē superatam fuisse irā, Minerua superveniēs indicat. Atq; alibi etiam rationem ostendit, quæ irascenti parti præcipiat, atque tanquam subdito magistratus imperet:

Passe anime his grauiora, feras. Odyss.υ,18

Ac sæpe quidem irascens pars rationi obtemperat: vt hîc. sequitur enim,

Sic animi motum fatus repræhendit: & illi
Paruit, exemplo rationis, consilio cor.

Sic & ea pars qua dolemus, rationis dicto audiens inducitur:

Nunc quanquam tristes, quæ præcessere sinamus: Iliad.τ,65.
Cogamúsq; animo iustum parêre dolorem.

Aliquādo iram rationi prævalentē ostēdit: non obscurè ostendēs, se id nō laudare, sed vituperare. vt cum Nestor Agamemnoni exprobrat iniuriā, qua Achillem affecerat:

Non equidem arbitrio nostro: nam plurima contrà Iliad.ι,108.
Dicebam, cordis motus tu verò secutus
Indomiti, charum superis iniustus Achillem
Læsisti.— Similia horum sunt Achillis ad Aiacem verba:

Rectè cuncta quidem mihi tu dixisse videris, Ibid.641.
Sed mihi cor penitus turgescit tristibus iris,
Cùm decore atq; omni me orbatum laude recordor.

Sic & à metu nonnunquam ratio vincitur. vt cùm Hector cogitasset pugna Achillem subsistere,

Præstat quamprimùm sæuis concurrere telis, Iliad.χ,130
Et superûm quæ sit ferro tentare voluntas.

mox appropinquante Achille, retrocedit:

Hunc simul aspexitq;, timoréq; inhorruit Hector,
Nec iam stare loco valuit, sed territus intra
Portam abiit.—

Id quoq; manifestum est, affectus ab eo in corde collocari. Iram: vt, Affectus.

—*Intus latrabat ei cor.* Dolorem: vt, Odyss.υ, initio.

Quo tandem vsq; tuum cor edes mi nate dolendo? Iliad.ω,126.

Metum: vt,

Cor mihi quippe fuga linquit præcordia, & extra Iliad.κ,92.
Procurrit, mihi membra metus quassátq; tremore.

Eodem modo etiam audaciam, siuè animi confidentiam in corde reponit:

Perpetuiq; iubet cor prœlia Martis obire. Iliad. ,12.

Ex prædictis visum est, Stoicis principatum animi in corde esse, cōcupiscentiam circa ventrem habitare. Id Homerus multis indicat: atq; hoc etiam,

Odyss.σ,54. *Ad pugnam sed me venter damnosus adegit.* Et,
Odyss.ρ,287. *Non occultari ventris damnosa cupido*
Sustinet. — Causas quoque & naturam affectuum, qui irascenti animæ accidunt, monstrauit. Iram ab iniuria excitari, esse sanguinis efferuescentiam, & eius qui
Iliad.α,103. huic inest spiritus, ostendens ait:

Indoluit, sæuo præcordia concitáque æstu
Intumuêre, oculis arsitque furentibus ignis.

Pro æstu habet μένος, quo spiritum notat vocabulo, qui insit, & iratis incendatur. Idem rursus spiritus in metu perculsis, confunditur atque refrigeratur: & ob id horrores & tremores, ac pallores in corporibus eveniunt. Hæc enim omnia refrigeratio efficit: pallorem, quod calore in medio concurrente rubor superficiem relinquit: tremorem, quòd intus collectus agitatúsque spiritus, corpus pulsat: horrorem, quòd humore densato pili pressi eriguntur. Hæc omnia Homerus disertè indicat, ita:

Iliad.ο,initio. *Pallentésque metu.* — &,
Sæpe. *Pallidus inuasit metus hos.* — &,
Iliad.κ,93. — *mihi membra metus, quassátque tremore.* Item:
Iliad.ω,347. *Sic fatur: sed mens longæuo protinus ingenti*
Est confusa metu, recti per membra pilique
Tunc steterunt. — Eadem de causa, pro extimuit, ῥίγησε ponit, quod est, diriguit: & metum κρυόεντα vocat, id est gelidum: & cùm audaciam, tum bonam spem, θαλπωρὴν appellat, quasi calorem diceret. Atque hoc modo ille prauos affectus diuisit. Cùm verò Aristoteles indignationem (id enim Nemesin intelligi volumus) & miserationem bonos affectus censeat: (nam Nemesis est, cùm boni ægrè ferunt rebus secundis indignos uti: miseratio, cum ægrè ferunt bonis malè esse) etiam hæc Homerus bonis convenire censet, cùm ipsi adeò Ioui tribuat. Nam inter alia sic quoque scribit:

Iliad.λ,168. *Maiori tamen Aiaci concurrere cauit,*
Succensebat ei quoniam Saturnius ipse,
Obuius aduerso si se ferret meliori.

Atque idem Iupiter alibi eundem Hectorem miseratur, cùm circa mœnia fugaretur.
Virtus & vitiũ. De virtute porrò & vitio animi quid senserit, passim significat. Cùm enim animi pars aliqua intelligentia sit & ratione prædita: altera bruta, & affectibus obnoxia: ideóque medium inter Deum & bestiam homo locum teneat: Poeta summam virtutem, diuinam censet: & extremum vitium, belluinũ: quod ipsum postea Aristoteles indicauit. Atque hoc in comparationibus declarat. Semper enim bonos θεοειδεῖς, id est, deorum similes appellat:

Iliad.β,167. —*Consilióque pares diuûm genitori.*

Iliad.γ,103. De vitiosis, timidos fugacibus ceruis adsimilat, & pastore carentibus ouibus, & leporibus agitatis. De iis autem qui temerè & inconsideratè ira efferuntur, scribit:

Iliad.ρ,474. *Non furor est tantus pantheræ, siue leonis,*
Iliad.ρ,20. *Siue immanis apri, quo vix vehementius vlla*
Perfurit, aut rabie desæuit bestia tanta,
Panthoidæ claris est quanta ferocia in armis.

Dolore grauiori affectorum eiulatus vocibus lusciniæ contulit, quæ

Odyss.π, 217. *Amissos queritur fœtus: quos durus arator*
Obseruans, nido implumes detraxit. —

Virtutem porrò Stoici in vacuitate affectuũ ponunt, ea secuti, quæ Homerus dicendo omnem affectum sustulit. vt de dolore ait,

Iliad.τ,228. *Quo magis est æquum tumulis mandare peremtos,*
Immaniq; animo fletum donare diurnum? &,
Iliad.π,initio. *Quid teneræ ploras instar Patrocle puellæ?*

De ira autem,

Iliad.σ,108. *O vtinam ex hominum & diuûm contentio cœtu,*
Iliad.ι,252. *Iráque tollatur.* — De metu:
Iliad.ν,494. *Vt metuam nobis, frustra ne perge monere.* &,
Iliad.ν,161. *Eminus at si quis nostrûm, vel cominus ictus*
Occumbat, pereat sanè. —

Ita etiam ad singulare certamen provocati, absq; metu parent, pluresque vnius loco prodeunt. Et qui vulnus acceperat, nihilominus forti est animo, atq; ait, Iliad.λ,388.

Te strinxisse pedis calcem mihi vulnere iactas.

Et fortis quisq; confertur leoni, apro, torrenti, aut procellæ. Cōtrà Peripatetici vacuitatem affectuum humana conditione superiorem iudicantes, moderationem eorum statuunt, excessuq; eorum sublato virtutem mediocritate describunt. Ita Homerus etiam præstantissimum quenque neque abiecto animo, neque tamen omni timore vacuum atque dolore, sed hoc præstantem deterioribus inducit, quòd non omnino ab affectibus regatur. Hæc enim eius sunt: In Iliade passim ι,782.etc.

Semper degeneris mutatur enim color, atq; Iliad.ν,281.
Stare loco haud patitur mens irrequieta pauentem,
Vsq; metu mortis quatiens præcordia, & ipsos
Collidens trepido dentes stridore sonantes.
Semper at est forti color idem, nec grauis illum
Pertentat nimium metus.—

Quibus perspicuè nimium metum generoso animo adimēs, moderatum aliquem eidem relinquit. Quod idem de similibus affectionibus, dolore nimirum, & ira, intelligendum est. Tale est & hoc,

Troibus Aiacem membra intremuêre videndo: Iliad.η,215
Ipse etiam pulsum persensit pectoris Hector.

nam cùm alij etiam aspectu tremerent, is qui in periculo esset constitutus, fortis quia erat, tātùm animi motu afficiebatur. Sic aliter Dolonem vel Lycaonem fugere facit, aliter Aiacem & Menelaum: retrocedentes hos, & pedetentim se recipientes, velvti leones à stabulo profligatos. Eodem modo dolentium & lætantium discrimina constituit. Verbi gratia: Vlisses, narrans quomodo Cyclopibus imposuisset: ait, Iliad.κ,358. Iliad.φ,34. Iliad.λ,546. Iliad.ρ,109.

—Est mihi tunc in pectore risus obortus. Odyss.ι,412.

At proci cum prostratum viderunt Irum,

Sublatis manibus risu tum dissiluerunt. Odyss.σ,99.

Discrimen autem vtrisque in inferioribus apparet. Et Vlisses quidem vxorem suam caram sibi videns ipsius causa flere, perfert. nam ei

Intra palpebras, vel vti si cornea haberet, Odyss.τ,211.
Ferrea siue, immota manebant lumina.—

At procis amore eius correptis, cùm eam cernerent,

Genua labant, vis alta animum permutat amoris, Odyss.σ,211.
Concubitumq; eius voto sibi quilibet optat.

Talia Homerus habet de animi facultatibus atq; perturbationibus. Cùm verò de bonis & felicitate multa sint à philosophis dicta, id apud omnes constat, maximum bonorum esse virtutem animi. Sed Stoici virtutem sufficere putāt ad beatitatem: occasione ex Homericis petita, qui sapientissimum ac prudentissimum virum Vlissem fingit, gloriæ causa labores summos perferre, ac voluptates contemnere. Prius ita: De felicitate.

Quale fuit facinus, cui fortiter ille subiuit? Odyss.δ,245.
Verberibus proprium corpus turpauit acerbis,
Inuoluénsq; humeros pannis, seruiq; miselli
Assumta hostilem forma penetrauit in vrbem.

Posterius hoc modo:

Sanè detinuit secum me diua Calypso, Odyss.ι,30.
Atq; Aeæa domi tenuit me callida Circe,
Viraq; me gaudere suo conata marito:
Sed nunquam nostram suadendo impellere mentem
Eualuêre.—

Maximè autem virtutis gloriam commendat, cùm Achillem quidē facit non fortem modò, sed & formosissimum, & pedibus velocissimū, & natalibus summis ortum, illustriq; patria, & summi deorum auxilio adiutum: Vlissem autem sapientē sanè, & animo infracto præditum: sed neque statura, neq; forma eadem, parentibus non admodum claris, patria ignobili, inuisumq; Deo alteri: quorum tamen nihil obstitit, quin

gloriam egregiam consequeretur, eo quod animi virtute præditus erat. Peripatetici verò primas partes bonis animi deferũt, prudentiæ scilicet, fortitudini, temperantiæ, iustitiæ. secundas, bonis corporis: vt sunt bona valetudo, robur, pulcritudo, celeritas. externa bona, tertiæ sunt iis classis: vt gloria, vt natalium nobilitas, vt diuitiæ. Ac laudabile quidem esse statuunt, & admiratione dignum, in doloribus, morbo, paupertate, aliisq; non sponte nostra accitis calamitatibus vti animi virtute malis resistente: nõ tamen expetendum hoc, neque beatum. At in prosperitate sapere, id revera esse felicis. Neque enim possessionem tantùm virtutis, sed vsum etiam efficaciámq; esse ho-
Odyss. θ,324. nestam. Atque hæc ipsa palàm demonstrat Poeta noster. Deos enim vocat δωτῆρας ἐάων, id est, datores bonorum, quæ etiam homines votis à diis poscunt: nimirum, nõ vt nulli sibi vsui futura, aut neque vtilia, neque invtilia, sed vt ad felicitatem conductura. Quæ ergo sint bona, quæ ab hominibus expetunt, & ob quæ beati habentur, passim declarat. Simul omnia de Mercurio,

Iliad. ω,330. *Qualis corpore tu pulcer, formáq; stupenda,*
Atq; animo prudens, & natus patre beato.

Tribuit ei pulcritudinem corporis, prudentiam & nobilitatem. Aliquando singula:

Iliad. ζ,156. *Huic formam superi dederant, & amabile robur.*

& rursus de alio quodam:

Iliad. β,670. *Diuitias diuûm genitor superaddidit amplas.*

Nam diuitiæ quoq; donum sunt Dei,

Iliad. ζ,188. *Distribuit generi humano quas Iuppiter ipse.*

Aliquando & honorem bonum esse censet:

Iliad. θ,541. *Ac mihi Palladis & Phœbi tribuantur honores.*

Aliquando prolem:

Odyss. γ,195. *Quàm prodest natum extincto superesse parenti.*

Et fruitionem domesticarum suarum rerum:

Odyss. ν,40. *Nunc pateris libate Deo porróq; valete,*
Méq; domum incolumem patria dimittite vestra.
Omnia enim confecta, mea quæ mente volebam,
Aspicio: comites, & splendida munera cerno,
Quæ mihi fausta precor diuorum & læta voluntas
Esse velit, socios cara vt cum coniuge saluos
Inueniam, patriam reduci cùm corpore tangam.
Vos hîc in dulci patria præbete manentes
Gaudia coniugibúsq; & natis plurima vestris.
Prospera cuncta dij mittant: sit publica vestro
Læticia, & secura malorum tempora regno.

In comparatione autem bonorum ostendit virtutem præstantius esse bonum, quàm diuitias:

Fine Bœotiæ. *Qui tunc bellum auratus adibat more puellæ,*
Stultus: non auro potuit depellere pestem. Item:

Odyss. λ,93. *Quàm non lætus opes ego diues possideam istas.*

Item prudentiam pulcritudine esse potiorem:

Odyss. θ,169. *Inuenias formæ cui non sit tanta venustas:*
Prudenti eloquio sed quem Deus exornârit.

Manifestum ergo est, etiam corporis dotes eum, & quæ sunt externæ istius felicitatis, in bonis numerare. Quòd autẽ sine his ad vitam beatam virtus non sufficiat, ita ostendit. Duos viros perfecta virtute præditos inducit, Nestorem & Vlissem, aliis præstantiores, & inter se prudentia, fortitudine atq; facundia pares: cæterùm diuersa vsos fortuna. Nam Nestori quidem,

Odyss. δ,208. *Cùm charæ primùm matris prodiret ab aluo,*
Et cum quærendæ faceret connubia proli,
Fausta dedêre dij, & vitam tribuére beatam.
Ipse domi longum felix pertexuit æuum,
Consilióq; bonos natos, & fortibus armis
Spectauit. — Contrà Vlissem quantumvis consultum, & astutum, & cor-

datum

datum, sæpe interim infelicem nominat. quippe cum Nestor reditum in patriam suam citò & tutò confecerit: Vlisses diu admodum vagatus, labores & pericula innumera subierit. Adeò optabile & beatum est, virtuti fortunam non repugnare, sed adminiculari. Virtutis porrò, nisi agat, possessionem nihil prodesse, ex verbis apparet, quibus Patroclus Achillem obiurgat:

O virtute quidem, at nullius prædite frugis, Iliad.π,31.
Ni turpe exitium miseris defendis Achiuis,
Quis virtute tua fretus lætabitur olim?

αἰναρέτην, id est infelici virtute præditum eum appellans, qui eam invtilem nihil agẽdo redderet. Atque hoc ipsum suum ocium Achilles deplorans, ait:

Nauibus assideo telluris inutile pondus, Iliad.σ,104.
Inter magnanimos virtute ego primus Achiuos.

Indignatur se virtute sua non vti. nam iratus Græcis,

Non ad concilium, non ille ad prœlia adibat: Iliad.α,489.
Sedq; domi residens miserè cruciabat, & acri
Pugnandi desiderio proprium cor edebat.

erat verò à Phœnice edoctus,

Vt sermone simul, rebúsq; valeret agendis. Iliad.ι,442.

Itaq; etiam mortuus molestè fert istud ocium:

Mallem equidem in terris serui tolerare labores Odyss.λ,487.
Paupere sub domino, quàm manibus imperitare.

& paulo pòst causam explicat:

Nam non talis ei nunc sum defensor, ad altam
Qualis eram Troiam, supera cùm vescerer aura.

Porrò quod Stoici dicunt, bonos viros diis caros esse, ab Homero acceperunt. De Amphiarao enim dicit:

Iuppiter hunc magno, Phœbúsq; amplexus amore. Odyss.ο,245.

Et de Vlisse:

Gauisa est sapiente viro, iustóq; Minerua. Odyss.γ,52.

Eorundem decretum est, disci posse virtutem, principiúmq; eius esse bonam indolem, (quod & Homerus docet:

Nam tali genitore satus rectè omnia dicis.) Odyss.δ,206.

perfici autẽ institutione. Virtutis enim scientia, est rectè viuere: id est, scire quæ agenda sint rectè victuris. Hæc quoque apud Homerum sunt:

Infantem, nondum belli veve fori ve peritum. Et alibi: Iliad.ι,440.
Nec mî animus tamen hoc suasit: nam viuere rectè Iliad.ζ,444.
Doctus eram. —

Et Phœnix de Achille ait:

Idcirco hæc opera voluit te discere nostra, Iliad.ι,442.
Vt sermone simul valeas, & rebus agendis.

Quia enim vita in actione & sermone consistit, propterea horum se doctorem adolescenti datum ait. Ex quibus liquet, quod omnem virtutem discẽdo percipi senserit. Ad hunc ergo modum primus omnium Homerus de natura & moribus philosophatus est. Eiusdem considerationis sunt, Arithmetica etiam, quæ est numerorum scientia, & Musica, quas plurimi fecit Pythagoras. Videamus an de his quoq; aliquid Homerus dixerit. Ac dixit sanè plurima: sed pauca adduxisse, satis erit. Pythagoras, cùm maximã vim numeris tribueret, omniáq; iis accepta ferret, tam conversiones siderũ, quàm ortus animaliũ: duo suprema principia constituit eorum: finitum alterũ, quod est vnitas, alterum infinitum, qui est binarius: alterum bonorum, alterum malorum principiũ. Vnitatis enim natura si aeri insit, bonam temperiem: si animo, virtutem: si corpori, sanitatem: si ciuitatibus & familiis, pacem & concordiam præstat. Omne enim bonum concordiæ cognatum est: contrà, binarij natura aeri tempestatem, animo vitium, corpori morbos, ciuitatibus & familiis seditiones ac odia infert. Omne enim malum ex dissidio oritur. Itaque & de reliquis ordine numeris, parem, imperfectum & indigentem: contrà imparem, plenum ac perfectum appellauit: quòd scilicet hic cum pari mixtus, semper suam retinet naturam, abvndante sem- Arithmetica.

per impare: idémque impar secum ipse compositus parem generat. Foecundus enim est, & habet principij vim, neque diuisionem admittit, semper in eo vnitate superante. at par, neque imparem producit secum compositus, neque diuisionis est expers. Proinde etiam Homerus vnitatis naturã in bono, & binarij in malo posuit non raro. Apparet hoc & ex his, quòd bonus ei ἐνηής, ac talis affectio ἐνηείη aliquoties dicitur: ac contrarium δύη. Huc & id facit,

Iliad. β, 212. *—Dominos plures non expedit esse:*
Esto vnus dominus.— Et:
Odyss. γ, 126. *Non in consilio, non nos dissensio in ipsa*
Turbauit pugna: semper fuit vna voluntas.

Semper autem impari numero, vt præstantiori, vtitur. Nam totum quoque mundum in quinque partes diuidens: tres, quæ in medio sunt, distribuit:

Iliad. ο, 188. *Nam tribus est mundus diuisus partibus omnis,*
Quisq; suum sortitus honorem.—

Itaque etiam Aristoteles quinque elemẽta esse sensit: quasi impari & perfecto numero in omnibus plurimam vim obtinente. Quin & diis superis imparia dedicat. Nam
Odyss. γ, initio. & Nestor Neptuno nouies nouem bobus litat, & Vlissem iubet Tiresias immolare
Odyss. λ, 130. suovetaurilia. Et Achilles parentat Patroclo paribus omnibus: quatuor equos, duo-
Iliad. ψ, 171. etc. decim Troianos adolescentes, & de nouem (quos habebat) canibus duos rogo iniicit, vt sibi septem seruaret. Sæpe autẽ aliâs ternario, quinario & septenario vtitur numero: præcipuè autem nouenario: vt,

Iliad. κ, 160. *Surrexêre nouem ad pugnam, sic Nestore fato.* Item:
Odyss. λ, 310. *Annos quippe nouem nati, iam pectore lato*
Ter tres æquabant cubitos, proceráq; in vlnas
Corpora tollebant totidem.— &,
Iliad. α, 53. *Tela nouem Phœbi volitabant dira diebus.* Et:
Iliad. ζ, 174. *Ter tribus hospitium cui præbuit ille diebus,*
Mactauitq; boues totidem.—

Cur autem nouenarius numerus est perfectissimus? quia quadratus est, primùm imparem numernm radicem habẽs: éstque impariter impar, in tres diuisibilis terniones, quorum quilibet in tres vnitates diuiditur. Neque vim modò numerorum, sed & logisticam methodum docuit. Nam in Bœotia scripsit,

Initio. *Quinquaginta ibant naues, & quæq; ferebat*
Centum & viginti iuuenes.— & rursum,
Quinquaginta fuêre viri.— Vnde supputare licet, cùm naues vniuersæ fuerint ferè mille ducentæ, quarum singulæ haberent centum vectores, totum numerum hominum fuisse centum viginti millium. Iterum de Troibus dicens:

Fine Iliad. θ. *Mille rogi in campo flagrabant: cuilibet horum*
Quinquaginta viri adstabant:— colligendum nobis præbet, fuisse Troum numerum quinquaginta millia, præter sociorum copias.
Musica. Musicam porrò, quæ animo maximè convenit, quatenus est concinnitas ex diuersis temperata principiis, ac cantilena & numeris cùm relaxatum animum intendit, tum nimis intentum remittit: Pythagorici magni fecerunt, atq; his prior Homerus. Laudes eius Sirenum verbis celebrat, ita ea claudens:

Odyss. μ, 188. *Pòst variis auido satiatus pectore Musis*
Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.

Alibi in conuiuiis citharam adhibet: vt,

Odyss. ρ, 270. *Et lyra, quam sociam dapibus superi iunxerunt.*

Et apud Alcinoum citharœdus:

Odyss. θ, 267 *—Incœpit amabile carmen.* Et in nuptiis:
Iliad. σ, 495. *Fistula cum cithara vocem dabat.—*

Et in faciendo opere, cùm in vindemia

Ibid. 569. *—puer cithara persuaue sonante*
Iucundum cecinit: argutam chordáq; vocem
Tacta dedit.—

Et in bello tibiarum ac fistularum sonitum audiri facit. Nec non luctui adhibet Musicam,

ſicam, cantorē lamentationi ſua voce præire inducens: vt qui carminis lenitate, animi aſperitatem demulceat. Non eſt autem ignotum, duplex eſſe genus canēdi: vnum vocis, inſtrumentorum alterum, quæ vel inflantur, vel tenduntur: tum ſonorum alium eſſe grauem, alium acutum. Horum quoq; diſcrimina Homero nota fuerūt. Nam pueris, mulieribus & ſenibus acutam vocem attribuit, ob tenuitatem ſpiritus: viris autem grauem, cùm alibi, tum hîc: Iliad.ω,13. Iliad.ω,720.& Odyſſ.ψ,60.]

Aſtitit alta graui ſuſpiria voce trahenti, Iliad.σ,71.
Atq; amplexa caput nati Nereis, acuto
Lamentata ſono eſt.— Et alibi:
Ille graues ducens gemitus, ſic fatur Achæis. Iliad.ι,16.

Senes autem cicadis ſimiles, animalibus acuta voce præditis, facit. Inſtrumentorum porrò fides, quæ ſunt tenues, & identidem mouentur, facilè aerem ſecant, eòque acutum edunt ſonum: craſſæ contrà, ob tardum motum, grauem. Ea ratione flagellū Homerus acutè ſonans (id eſt enim λιγυρὴ μάστιξ) dixit, quod cùm ſit tenue, ſonitum exhibeat acutū. Hæc de Homeri Muſica. Ac quoniam facta à nobis eſt Pythagoræ mentio, cui maximè probatum fuit ſilentium, & eorum quæ dicere nihil attineret taciturnitas: conſideremus, an eiuſdem Homerus quoque fuerit ſententiæ. Equidem de ebrio dicit: Iliad.γ,151. Iliad.λ,530 Silentium.

Quódq; fuit melius tacuiſſe, improuidus effert. Odyſſ.ξ,465.

At Therſitem obiurgans Vliſſes, inquit:

Suauiter vt dicas, tamen heus ignare loquendi Iliad.β,244.
Quis modus, aut quæ ſit ratio, Therſita, taceto.

Et Aiax Idomeneum repræhendens, ait:

Mos garrire tibi multa eſt: neq; fundere verba Iliad.ψ,478.
Te tamen, atq; adeò ſemper decet eſſe loquacem.

Copiis quoq; ad prœlium euntibus:

Ibant cum clangore auium inſtar vociſerantes Initio Iliad.γ.
Dardanidæ.— & mox:
Spirantes robur taciti ſed Iaones ibant.

Vociferatio enim barbarorum eſt, ſilentium Græcorum. Itaque vt quiſq; prudentiſſimus ab eo, ita & linguæ continentiſſimus eſſe idem dicitur. Et Vliſſem facit ita filio præcipientem:

Si meus es verè, noſtro ſi ſanguine cretus, Odyſſ.π,300.
Sentiat huc rediiſſe domum caue ne quis Vliſſem,
Non hoc Laertes intelligat aut Eumæus,
Non vel ſeruorum quiſquam, vel Penelopea
Ipſa ſciat.— & alibi eidem:
Parce loqui, ſed mente tene, neq; quærere cura. Odyſſ.τ,42.

Hæ ſunt nobilium philoſophorū ſententiæ, ab Homericis principiis profectæ.

Quòd ſi mentio eſt facienda eorū quoque qui ſibi ſectas peculiares inſtituerunt, inueniemus ſanè & eos ab Homero occaſionem accepiſſe. Democritum quidē, cum viſa ſeu ſimulacra ſua comminiſceretur: Sectæ philoſophorum.

Arcitenens verò ſimulacrum fecit Apollo. Iliad.ε,448.

Quoſdam deceptos, cùm quæ non ita ſentiens, ſed occaſioni inſeruiens aliquis dixerat, arriperent. Nam cum Vliſſes apud Alcinoum detentus, luxuriæ & voluptatibus deditum, in gratiam eius hæc diceret,

Nam nihil in vita iucundius arbitror eſſe, Odyſſ.ι, initio.
Quàm cùm lætitia populus perfunditur omnis,
Conuiuæq; domi, digno ordine quiſq; locati,
Percipiunt ſuaues cantus: menſæq; grauatæ
Muneribus Cereriſq;, & gratis carnibus adſtant:
Vináq; depromens largo cratere miniſter Odyſſ.τ,225.
Infundit pateris: ſummè hæc mihi vita probatur. Odyſſ.ξ,194.

his ſeductus Epicurus, voluptatem ſummum eſſe bonum ſtatuit. Et quoniā ipſe Vliſſes quandoque veſte amictus fuit villoſa & delicata, aliquando pannis & centonibus peram geſtans: ac modò cum Calypſone dormiit, modò ab Iro & Melan- Odyſſ.ι,197. Odyſſ.ε. principio. Odyſſ.ξ,232.

thio est per contumeliam habitus: hanc vitæ imaginē arripiens Aristippus, cùm paupertatem & labores fortiter tulit, tum voluptatibus affatim vsus est. Homeri sapientiæ hoc quoque est documentum, quòd præclara & multa sapientum dicteria prior
Apophthegmata. ipse extulit. Quale illud, Deum sequere. ille ita,

Iliad. α, 217. *Qui superis paret, rata vota is nuncupat illis.*

Et, Ne quid nimis, hoc modo:

Odyss. ο, 69. *Ipse modum si quisquam excedit amicus amando,*
Aut odio nimis indulget, succenseo: præstat
Cuncta modo fieri.— &,

Odyss. θ, 351. Sponde, præstò noxa est: sic ille,

Pro prauis spondere equidem est res plena pericli.

Et Pythagoras, quod quidam quærenti Quid est amicus, respondit, Alter ipse, sic:

Iliad. σ, 82. —*Non secus atq; meum caput.*

Gnome. Eiusdem cum apophthegmatis forma est & Gnome, siue sententia: quæ est, vniuersalis paucis verbis comprænsa de rebus ad vitam humanam pertinentibus enunciatio. Qua cùm vsi sint omnes poetæ, philosophi, aliique librorum cōditores, operámq; dederint, vt sententiosè quædam dicerent: princeps Homerus multas atque præclaras sententias protulit, per totam sparsas poesin: eásque partim exponentes quale sit id de quo agitur: quo sensu hæc dixit,

Iliad. α, 79. *Quippe potens vbi rex succenseat inferiori,* etc.

partim aliquid præcipientes,

Iliad. β, 24. *Non decet hunc nocti somnos æquare, regendus*
Cuius consilio est populus.—

Cum autem multas Homerus sententias, ac de officiis præceptiones præclaras extulerit, multi posteriorum eas transtulerūt: cuius rei aliquot apponere exempla, intempestiuum non est. Homerus ergo ita:

Iliad. ο, 103. *Quæ nos vana Iouem stolidos væcordia contrà*
Incitat? ánne adeò verbis vel viribus illum
Proposito aggressos spes est deducere posse?
Ille sedens solio solus, nos, ceptáq; temnit
Nostra, nec illorum curam dignatur habere:
Vt qui robore se multum præstare potenti
Cœlitibus ferat, & sceptro rebúsq; potiri.
Ergo quæ vestrûm cui vis incommoda mittet,
Ferre dij, vestram tacitiq; agnoscite sortem.

Hinc illud Pythagoræ:

Aur. car. *Iam cum fatali mortalibus insligantur*
Fortuna, & diuûm vexent mala plurima nutu:
Quæ tibi contigerint, animo æquo ferre labora.

Tum Euripidea hæc:

Rebus etenim aduersis frustra succenseas:
Nihil hæ tua mouentur ira: sed sua
Quicunq; sorte, ceu decet, vtitur, sapit.

Rursum Homerus ait:

Iliad. ω, 126. *Quò nate immensum produces vsq; dolorem,*
Ipse tuum cor edens?

Pythagoras verò:

Parce tuæ vitæ, neq; eam perdas cor edendo.

Iterum Homerus cùm dixisset:

Odyss. σ, 75. *Humanæ talis nam stat sententia menti,*
Qualem quottidie lucem ipse Diespiter affert.

Archilochus cùm alia imitatus, tum hoc quoque transcripsit:

Mortalium mens, Glaucie Leptinæ
Create, talem præbet identidem
Sese, Tonantis summa qualem

Quottidie

Quottidie exhibuit voluntas.

Item cùm alibi Homerus dixerit,

Nanque alicui dono diuorum bellica virtus Iliad.ν,730.
Obtigit: ast alium prudenti pectore iussit
Pollere, ac mentis præclaris dotibus vti,
Iuppiter: atque huius prodest sapientia multis,
Adfert integris sed & vrbibus illa salutem.
Conscius ipse sibi propriæ virtutis honorem
Vindicat, & vanæ ridet conuicia turbæ.

Huius loci imitatione Euripides ita scripsit:

Nam ciuitas prudentis consilio viri
Bene temperatur, & domus: inque bellica
Vel plurimum conducit hoc re, scilicet
Multas manus consilium vincit vnicum
Bonum: d imno est inscitia multitudinis.

Iam quibus verbis socium Idomeneus adhortatur,

Si mortis vitam exsortem, duræque senectæ, Iliad.μ,322.
Fata darent bellum subterfugientibus istud
Tecum, chare mihi, spésque hæc nos certa maneret:
Non equidem aut acies primos ipse inter obirem,
Aut tibi famosi mandarem prœlia Martis.
Nunc cùm circunstent nos mille pericula mortis,
Extra etiam pugnas, & ineuitabile fatum
Omnigena rapiat mortales cæde cateruas:
Ibimus aucturi famam nobis, aliisve.

Ea Aeschylus ita expressit,

Neque multa vir qui pectore vulnera percipit,
Moritur: nisi vitæ concurrat terminus.
Neque ad focum quis desidens domi suum,
Fatale vitat eo magis infortunium.

Demosthenes aũt ita soluta oratione: Omnibus hominibus vitæ terminus est mors: etiamsi quis eam in domuncula cõclusam asseruaret. Itaque præclari viri est, omnia honesta quovis tempore aggredi: ac quod Deus iniunxerit, ferre forti animo. De corona.

Rursum Homerus:

Nam præclara deûm non sunt dona abiicienda. Iliad.γ,630.

Sophocles ita hoc transtulit:

Est munus hoc Dei. proinde quæ dij
Dederint, nihil fugiendum eorum sentias.

Dixerat Homerus,

Illius à lingua vox ipso melle fluebat Iliad.α,248.
Dulcior.— Hinc Theocritus,
Dulce eius nectar quia Musa effuderat ore.

Aratus quoque Homerica transcripsit: vt,

Arctos, Oceani est expers quæ sola lauacri. &, Odyss.ε,275.
Nam vitam morti eripiunt. Pro his Aratus: Iliad.ο,628.
Vrsus Oceani metuentes æquore tingi. &,
Et paruum gelido lignum defendit ab Orco.

At de his quidem satis. Ciuilis oratio est in Rhetorica: cuius peritia primùm fuisse præditum Homerum apparet. Si enim est Rhetorica, ad persuadendum apposité dicendi facultas: quisnam hac Homerum superauerit? quippe qui & grandiloquentia reliquos omnes excellat, & in sententiis non minorem ea vim ostẽdat. Primum in arte locum obtinet dispositio. Hanc ille per totam poesin ostentat: maximè autem initio operum. Non enim longè repetiit Iliadis principium, sed ab eo tempore, quo vehementiores actiones ac frequentiores extiterunt. Quæ verò lãguidiora erant, ac antè gesta, ea alibi compendio recensuit. Idem in Vlissea fecit, à postremis errorum Rhetorica. Dispositio.

Vlissis temporibus sumto initio, cum tempestiuum esset etiam Telemachum iam introduci, ac procorum libidinem declarari. Quæ verò his priora Vlissi erranti evenissent, ipsum ea narrantem introducit: vt ab eo qui ipse perpessus ista erat enumerata,

Exordium.

plus fidei, & ad mouendos animos virium haberent. Porrò cùm Oratores principiũ in quavis adhibeant oratione, vt auditorem vel benevolum sibi, vel attentum reddãt: ipse Poeta vsus est exordiis, quæ ad mouendum, ádque auditionem alliciendum maximè conducant. Nimirum in Iliade primo loco profitetur se explicaturum, quæ mala Græcis propter Achillis contumeliosè ab Agamemnone tractati iram evenerint: & in Vlissea, quantos labores, ac quæ in pericula Vlisses inciderit, quæ tamen omnia sapientiæ & tolerantiæ ope superauerit. In vtroque poemate Musam invocat, vt dictis diuinitatis atque probabilitatis eo plus conciliaret. Cùm verò multas introducat personas, quæ ad suos aut amicos, aut hostes, aut populum verba faciant: singulis decorum sermonem attribuit. Ita initiò statim Chryses in sua ad Græcos oratione principio vtitur commodissimo. Comprecatur enim primo loco iis, vt victis hostibus domum redeant, benevolentiæ eorum sibi parandæ gratia: atq; ita tandem filiam petit.

Iliad.α,149. etc.

Achilles autem minis Agamemnonis iritatus, iis quæ de seipso diceret, sermonẽ pro omnibus Græcis admiscet, vt eos sibi auditores benevolentiores redderet. Vniuersos ait ad bellum id profectos esse non priuatarum causa inimiciciarũ, sed in gratiam Agamemnonis, & fratris eius. Se, cùm præclarè meritus esset, non ab his, sed à cõmunitate Græcorum munus cepisse. His contradicenti Agamemnoni, ipsi quoque non

Ibid.172.

deest quo populum demulceat. Cum enim Achilles dixisset, se in patriam abiturum propter iniuriam acceptam: non ait illi Agamemnon, Abi: sed, Fuge: id quod simpliciter fuerat dictũ, ignominiosè pervertens. Et, Non, ait, te vt maneas oro: adsunt enim & alij qui me honore dignabuntur. quod ipsum erat auditoribus gratum. Post hos inducitur orator Nestor, quem suauiloquum & iucundum sermocinatorem appellat,

Ibid.248.

Cuius & à lingua flueret vox dulcior ipso
Melle.— qua maior laus oratori tribui nequit. Quid autem ille dicendo conficit? Exordium nempe adhibet, quo efficere conatur, vt pœnitendum sibi rixarum putẽt principes: significans eis, quòd rixando ipsi lætitiã hostibus essent præbituri. Tum pergit vtrunq; dictis castigare, sibiq; vt seniori vt obtemperent adhortari: ac dum alterum castigat, alteri simul grata loquitur. Agamemnonem quidem hortatur, ne præmium magnorum laborum alteri eripiat: Achillem, ne cum rege ipsi præfecto contendat: ac vtrunq; decenter laudans, illum vt pluribus imperantem, hunc vt

Initio Iliad.β.

virtute priorem, ita eos mitigare intẽdit. Quid? quæ sequitur narratio, cùm in somnio Agamemnon, quod à Ioue missum bona ipsum spe impleuerat, excitatus, Græcos arma capere iubet: an nõ in ea re oratorio vsus est artificio? quippe contrariũ eius quod ipse volebat, populo suadet, vt de eorum voluntate periculum faceret: neq; molestus esset, si sui eos causa pugnare cogeret. Itaq; ipse quidem verbis populo blandit. alius aũt aliquis, qui persuadendi facultate esset præditus, manere iubet: scilicet hoc re ipsa velle regem, & in sua oratione id innuere affirmans. Vlisses est, cui hæ partes dantur. Is libertate decenti vtitur, præstantissimis comi oratione suadens, & minores minaciter cogens: tumultum multitudinis & motum incompositũ sedans, omnibus prudenti sermone persuadens: & qua leuiter exprobrans eis, quòd non starẽt promissis: qua venia eos dignans, quòd tanto tempore nulla re gesta, iis quæ charissima habẽtur, carerent: tum cõsolationem quoque ex oraculis adhibens, ad fiduciam erigit, & manere persuadet. Similiter & Nestor orationem habet diuersam quidem, sed eòdem tamẽ tendentem: maioriq; libertate ad iam mollitos vtens, populo suadet: causamque contemtus regis in paucos quosdam nullius precij homines conferens, pudorem incutit plebi. minatur quoq; inobedientibus statimq; cõsulit regi, quomodo ordines militares sint constituendi. Rursum in bellicis actionibus, cum Græci modò prosperis vterentur rebus, modò adversis, atque in metum venissent: Diomedes, vt qui nuper

Iliad.Δ,369.

præclarè gesta re libertatem dicendi sibi parasset, cùm antè nondũ sua virtute declarata convicium à rege sibi factum silentio dissimulasset, tunc eum increpat, vt qui timiditate adductus fugam suaderet. Ita enim loquitur:

Iliad.ι,32.

Contra te primùm, quia stultè dicis, Atrida,
(Quam libertatem sibi poscit concio) dicam:

Sed

Sed caue tu stomachère.—

Quibus verbis cùm eum castigare vult, tum iram quoq; amolitur. inde res à se gestas citra importunitatem ita commemorat:

Nam mea facta senes Graij norunt, iuuenésq;.

Deinceps Græcos exhortatur, laudans eos artificiosè:

Insane, vsq; adeon' imbelles dicere Achiuos,
Vsque adeon' audes molles?—

Atq; ipsum Agamemnonē pudore afficit, cōcedens ei vt abeat si velit: satis virium in reliquis fore. Quinetiā si omnes fugiant, tamen se cum socio mansurū & pugnaturum:

Ipse equidem, & Sthenelus mecum, pugnabimus.—

At Nestor cum huius & in consulendo & in agendo virtuti testimonium tulisset, quià *Ibid. 53.* in fine deliberationis dissentiebat, se vt seniorem audiri par esse ostendit, orationeq; progressus, de mittenda ad Achillem legatione cōsulit. Qua ipsa in legatione Home- *Iliad. ι, 225.* rus variū oratorib. tribuit artificium. Nam Vlisses, qui primus orat, non hoc statim dicit, Agamemnonem pœnitentia raptæ Briseidis ductum, hanc reddere, & dona cùm iam mittere, tum alia pòst daturum polliceri. neq; enim in rem erat futurū, turgēte adhuc animo horum memoriam renouare. Itaq; primùm miserationem Græcarum calamitatum conatur in animum Achillis inducere: deinde ostēdit, fore vt posthac vbi voluerit cladibus eorum succurrere, non possit. pòst, Pelei præceptorum eum admonet, amolitus à se quod molestum erat: & patris Pelei personæ, vt quæ maius momentum afferre posset, orationem tribuens. inde cùm iam placatus aliquantum videretur, donorum Agamemnonis meminit: rursùmq; orationem ad deprecationem pro Græcis convertit, quos Achilles, tametsi iustè iratus Agamemnoni, seruare tamen deberet, nulla ab iis læsus iniuria. Nam & per orationem oportebat omnibus quæ offendere auditorem possent, vacare: quia maximè ea pars orationis animo inhæret. Et quidem extrema adhortatio facit aliquid ad excitandum in hostes, à quibus eum contemni ait. Nunc, inquit, Hectorem interficere poteris, si te subsistat: nam nullum is Græcorum sibi parem ait. At Phœnix metuens ne deprecatio iusto languidior esset, lacry- *Ibid. 432.* mas addit. Ac primùm assentitur instituto in patriam abeundi, dicens se nolle relinqui, eo nauigante: id quod erat Achilli gratum. causámque refert, quomodo sibi eum Peleus crediderit, educandum puerum etiamnum, docendúmque & dicere & agere. inserit etiam narrationi peccata per ætatem à seipso, innuens consilij expertem esse iuuentutem. In progressu orationis nihil omnino quod faceret ad exhortandum prætermittit, artificiosè omnia capita tractans: Honestum esse reconciliari deprecanti, ac dona mittenti, & præterea legatos, viros præstantissimos, & maximè apud omnes honoratos. Se quoque meritò impetrare quod petat, quippe alumnum & præceptorem. Pœnitentia correptum iri, si præsentem dimiserit occasionem. exempli causa narrationem de Meleagro inserens, qui ipse quoque à suis rogatus vt patriæ opitularetur, non antè assensus sit, quàm necessitas patriæ iam calamitatibus circumventæ eò adegit. At verò Aiax miseratione & precibus nequaquam sibi vtendum *Ibid. 619.* ratus, Achillis nimis altos spiritus ad humilitatem aliquam detrahere instituit: partim tempestiuè increpando, partim ingenuè adhortando, ne prorsus iritaret. Hæc enim oratio decebat hominem virtute præditum. Cæterùm Achilles singulis respondendo, ingenium suum generosum iuxtà atque simplex demonstrat. Nam reliquis ita se opponens, vt præter magnitudinis animi indicia, etiam redargueret atque refelleret eorum dicta, iustas iræ causas afferens, Aiaci sese excusat. Ac Vlissi quidem dixerat se postridie naui discessurum. Inflexus autem quodammodo Phœnicis deprecatione, de abitu deliberaturum ait. Tandem victus libertate Aiacis, fatetur quicquid instituerat facere: scilicet non antè se ad pugnam exiturum, quàm Hector ad tentoria eius & naues veniat, multis Græcis necatis. Tum, inquit, censeo à me Hectorem, quamvis summa vehementia pugnantem, repressum iri. Addit autem hoc vt responderet ei quod Vlisses de impetu Hectoris reprimendo dixerat. Porrò id quoq; Homerus in oratione Phœnicis ostendit, rhetoricam esse artem. Ita enim is ad Achillem:

Te puerum pater, ignarum belliq; cruenti *Ibidem 440.*
Misit, & orandi, quo virtus maxima claret.
Iccirco tibi me præfecit, qui doceam te

Dicendo rectè præstare, & rebus agendis.

Quibus verbis hoc quoque ineſt, facundia viris ſummam parari gloriam. In multis quoque aliis poëſeos locis orationes invenias artificio rhetorico factas. Accuſationis
Iliad.γ,initio. etiã & defenſionis modum indicauit, cum aliàs tum vbi Hector fratrem obiurgat, timiditatem ei exprobrans, & luxuriam: ac quòd, talis cùm eſſet, iniuriam remotas regiones habitantibus intuliſſet, maláque eo facto ſuis paraſſet. & Alexander iram fratris mitigat, fatens ſe iuſtè increpatum, ac promittens ſe cum Menelao ſingulari pugna congreſſurum, timiditatis crimen ita diluit. Enimverò nemo ſanus non faciſlè & ex his, & omnino legendis eius ſcriptis deprehendat, artificem orationis fuiſſe Homerum. Notas quoque ſuas oratoribus addere non neglexit. Neſtorem introducit ſuauem, & auditoribus gratum: Menelaum breuem, gratioſum, ac propoſiti tenen-
Iliad.γ,211. tem: Vliſſem multa ac varia dicendi vi vtentem. Hoc enim his duobus heroibus teſtimonium Antenor perhibet, qui ipſos audiuerat, cùm legati Ilium adveniſſent. Atque has orationis formas per vniuerſam poëſin ipſe Homerus exhibuit. Nouit etiam, in quavis re opponi contrarias orationes, fierique peritiæ dicendi abvndantia quadam, vt quod ab altero affirmatur, id ab altero refutetur. Sic enim ait:

Iliad.υ,247. *Lingua hominum quippe eſt verſatilis: atq; in vtranque*
Hinc atque hinc magna eſt ſermonis copia partem.
Qualia dixiſti, tibi talia verba viciſſim
Reddentur. —

Nouit etiam eadem multis verbis perſequi, & paucis in ſumma repetere, quod Anacephalæoſis dicitur: eſtq; apud oratores in vſu, cum multas res narratas in memoriam
Odyſſ.ι,κ,λ,μ. compendio revocari oportet. Sic quæ Vliſſes apud Phæaces quatuor totis rhapſodiis enarrat, eadem paucis verbis recenſet, ibi:

Odyſſ.ψ,308. *Cœpit, qua primum Ciconas ratione domârit,* &c.

Leges. Ciuili orationi adhæret legum ſcientia. Ne huius quidẽ expertem Homerum inveniemus. Ipſum legis nomen, quod eſt νόμος, an eius tempore in vſu fuerit, certò dici non poteſt. Sunt qui notum id ei fuiſſe dicant, argumento verſus:

Odyſſ.ρ,487. Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Ariſtarchus εὐνομίαν dictã putat, à recta diſtributione. Et quidem inde apparet etiam νόμον appellatum, quòd æqualiter omnibus, aut cuivis pro eo atq; dignus eſt diſtribuatur. Sanè multis locis Homerus demonſtrat, ſe vim legum intellexiſſe, ſi non ſcriptarum, at ſaltem in hominum animis conſeruatarum. Sic enim facit Achillem de ſceptro loqui:

Iliad.α,237. —*Quod nunc manibus geſtatur Achiuûm,*
Qui dant iura Iouis iuſſu. —

Iura autem legibus compræhenduntur, quarum autorem Iouem facit: cuius etiam cõ-
Odyſſ.τ,179. ſuetudine Minoem Cretæ regem vſum ſcribit. Ea autem conſuetudo fuit diſcendarum legum, quod & Plato teſtatur. Apertè etiam oſtendit legibus parendum, neque iniuſtè agendum eſſe, his verbis:

Odyſſ.σ,140. *Non ergo illicitis ſeſe quiſquam efferat auſiſt*
Sed tacitè his, ſuperi quæ donauère, fruatur.

Reipublicæ formæ. Enimverò reſpublicas primus Homerus diſtinxit. Nam in ſcuto, quod totius mundi exemplum Vulcanus parauit, (is intelligitur ſpiritus vis) duas fecit vrbes, vnam in pa-
Iliad.σ. ce & læticia degentem, alteram deditam bello: ac vtriuſq; conſectaria enarrans, oſtendit aliam eſſe ciuilem vitam, aliam bellicam. Sed ne ruſticam quidem præteriit: ſed hanc quoq; demonſtrauit, oratione cùm perſpicua, tum ornata. Iam quòd in omnibus ciuitatibus leges iubent ſenatus eſſe quoddam concilium, quod de rebus conſultet, antequam populus coeat: id liquet ex his Homericis eſſe petitum:

Iliad.β,53. *Cogere magnanimum ſed regi cura ſenatum*
Prima fuit. —

Senes enim ibi Agamemnon convocat, cúmq; his deliberat de armanda ad pugnam multitudine. Et quod præ aliis principem oporteat de omnium ſalute eſſe ſolicitum, in eadem perſona docet, cùm ita monetur,

Ibid.22. *Non decet hunc ſomno totas impendere noctes,*

Cuius

Cuius consilio populus committitur. —

Item quòd magistratui parere subditi debeant, ac quomodo is singulos tractare debeat, Vlisses docet: præstantiores sermone mansueto compellans, iis qui de plebe e- Ibid. 186.
rant acerbiùs obiurgatis. Iam quòd receptum est apud omnes, vt assurgatur præstantioribus, id dij quoque faciunt. Ioue enim intrante,

Assurgunt omnes superi, neque sede sedere
Sustinuit quisquam. Iliad. α, 533.

Lex est, vt in concione maximi natu verba faciant. Ergo Diomedes belli necessitate coactus, vt primus dicendi partes sibi sumeret, veniam precatur:

Ne mihi quis vestrûm succenseat, oro, loquenti, Iliad. ξ, 110.
Quòd minimus natu vobiscum versor. —

Id quoque leges vbique iubent, spontanea peccata puniri, inuitis factis veniam dari. Id ipsum Poëta docet, apud quem sic cantor Phemius Vlissi,

Hoc tibi Telemachus verum ipse fatebitur heros, Odyss. χ, 349.
Me neque sponte mea, neque spe mercedis in ædes
Huc intrasse tuas, conuiuiaque arte procorum
Delectasse mea: sed vi rapuêre potentes
Ac plures numero, & mensæ apposuêre coactum.

Cùm autem tres sint formæ reipublicæ ad iustitiam & leges aptæ: regnum, optimatum administratio, ac popularis potestas: hísque tres opponantur iniustæ, & legibus contrariæ, tyrannis, paucorum potẽtia, plebis imperium: ne has quidem videtur Homerus ignorasse. Regnum quidẽ per totam poësin celebrat, ac commẽdat: vt & in his,

Nanque animus regi Iouis altitonantis alumno Iliad. β, 194.
Magnus inest, Iupiterque illum dignatur honore,
Atque amat. —

Apertè etiam ostendit, qualis debeat esse rex:

Imperio populos mansuetus vt ille paterno
Rexerat. — Et: Odyss. β, 234.
Nec quenquam è populo factis verbísve superbis Odyss. δ, 690.
Læsit: sed regis munus præstantis obiuit.

Optimatum gubernationem descripsit, cùm Bœotorum quinque reges numerat: & a- Initio Bœotiæ.
pud Phæaces Alcinous hæc,

Bis seni populum reges hunc iure gubernant: Odyss. θ, 410.
Tertius his supra decimum superadditus ipse
Sceptra gero.

Popularis status reipublicę picturam in scuto exhibuit. duabus enim ei vrbibus inser- Iliad. σ, 490.
tis, alteram populari administratione facit contentam, nemine imperante, sed omnibus sua sponte secundum leges viuentibus: vbi & tribunal collocat. Quin & his verbis eam reipublicæ formam indicat,

Iratum fugiens populum: quia fœdere iunctos Odyss. π, 425.
Nobis Thesprotos socio violauerat ipse,
Prædones Taphios, atque arma iniusta secutus.

At eum qui per vim & contra leges dominaretur, tyrannum quidem non nominat, quòd ea vox recentior est: qualia autem is agat, ita demonstrat:

Ad regem te mittam Echetum: notissima cuius Odyss. σ, 84.
Sæuitia in quosuis homines, qui vulnere nares
Immani, & ferro truncabit protinus aures.

Aegisthum quoque tyrannum inducit, qui interfecto Agamemnone, potitus sit Mycenis: neque post mortem sepultura fuerit afficiendus, siquidem Menelaus adfuisset. Ea enim pœna tyrannis constituta est:

Non huic puluereo tumulassent membra sepulcro, Odyss. γ, 257.
Verùm grata canum iacuisset, & esca volucrum
In campo: facinus quoniam crudele patrârat.

Paucorum potentiam videtur innuere, cùm de procorum scribit auaricia, inter alia hæc dicens,

Atque Ithacæ quotquot duræ dominantur. — Odyss. α, 247.

Plebis autem dominationem in Troianorum republica monstrat, in qua & vniuersi Alexandro opitulantes infortunium habuerunt, & ipse Priamus liberos vt malorum causam increpat,

Iliad.ω,261. *Nati infelices hæc mî properate.——*

Et alius quidam Antimachus:

Iliad.λ,123. *Aurea cum Paridis cepisset dona, negabat*
Reddendam esse Helenam Menelao.——

Quandoquidem autem hoc apud homines iustum censetur, vnicuiq; pro eo atq; meretur tribuere: in quo præcipuè inest pietas erga deos, & cultus qui parentibus ac necessariis debetur: religionem quidem sæpenumerò docet, introducens heroës sacrificantes, vota facientes, & dona diis consecrantes, eósq; hymnis honorantes, ab iísq; auxilium præmium pietatis recipientes. Pietatem erga parentes præcipuè Telemachi persona ostendit, & in quibus laudat Orestem:

Pietas.

Odyss.α,298. *Non audis quantam laudem præclarus Orestes*
Rettulerit, quem nunc vno cuncti ore celebrant,
Quòd patris interfectorem læto dedit.——

Et quòd in senectute à liberis ali parentes naturæ lex iubeat, idque compensandi causa ij debeant, vna dictione aperuit:

Iliad.δ,476. *Non alimenta suis genitoribus ille rependit.*

Fratrum benevolentiam & fidem mutuam in Agamemnone & Menelao, amicorum in Achille & Patroclo proposuit, vxoris pudiciciam & amorem mariti in Penelopa, mariti desiderium vxoris in Vlisse. Quo autem modo pro patria sit agendum, in hoc maximè versu declarauit:

Iliad.μ,243. *Vnicum id augurium est, patriam defendere, verum.*

Rursum, quomodo reipublicæ participes amiciciam oporteat colere:

Iliad.ι,63. *Ille tribu mihi, iure, domóq; carere videtur,*
Quem populare iuuat crudele & lugubre bellum.

Item quàm præclarum sit, esse veracem, quámq; fugiendum mendacium:

Ibidem 312. *Pœne mihi est Orci portis inuisior ipsis,*
Cuius verba sonant aliud, quàm mente recondit.

Et alibi:

Odyss.σ,167. *Qui mala moliri sueuerunt, grata loquentes.*

Oeconomica. Cùm familiæ saluti plurimùm hoc cōducat, vt neque in arcana viri mulier curiosè inquirat, neq; iniussu illius agere quicquam intendat: vtrunq; exemplo Iunonis significauit. Prius, hunc Ioui sermonem tribuens:

Iliad.α,544. *Iuno, ne mea te speres cognoscere posse*
Omnia consilia.——

Alterum, ita loquentem fingens Iunonem:

Iliad.ξ,309. *Ne mihi ad Oceanum pòst te ignorante profectæ,*
Irascare.——

Neque præteriit poëtam id quod vsu apud omnes est receptum vt qui in bellum exeunt, aut alioqui sunt in periculo constituti, aliquid necessariis mandent. Nam Hectorem deplorans Andromacha, sic loquitur:

Iliad.ω,768. *Nam neq; mî moriens de lecto perdite dextram*
Porrexti: neq; te suprema voce monentem
Audiui, semper quæ condita mente tenerem
Assiduos inter fletus noctésq; diésq;.

At Penelope Vlissis præceptorum memor est: qui discedens ita mandauerat,

Odyss.σ,264. *Illic an peream, an verò me fata reducant*
Incolumem, dubium est: hæc tu seruare memento
Interea, vt curæ tibi sint socrúsq;, socérq;,
Quantæ iampridem, vel (postquam filius absum)
Maiori natus postquam lanugine malas
Tectus erit, tunc arbitrio secura maritum
Quære tuo, atq; illi patrios concede penates.

Norat & curatores:

Quippe

Quippe domum, soluens Ithaca, commiserat omnem Odyss.β,220.
Huic Laertiades, cunctos parére seniq;
Iusserat, & fidei mandauerat omnia amici.

Luctus propter familiariũ mortem neq; nimios voluit esse (est enim nequaquam ingenuum) neq; planè nullos: quòd vacuitas affectionum supra humanam esset conditionem. Itaq; hæc cecinit,

Sanè aliquis se plorato solatur amico: Iliad.ω,48.
Namq; homini mentem patientem fata dederunt.

Alibi autem dicit:

Quo magis est æquum tumulis mandare peremtos, Iliad.τ,228.
Immaniq; animo fletum donare diurnum.

Nouerat & ista, quæ nunc in sepulturis consueuerunt adhiberi. Inde hoc, Iliad.π,455.

Hic illum socij tumulabunt, atq; propinqui,
Et (qui defunctos vita comitantur honores)
Aggere donabunt, tumulo figéntq; columnam.

Tum quæ de Hectoris nudò iacente cadauere loquitur Andromacha:

Te vermes comedent, raptabunt membra canésq; Iliad.χ, extremo.
Postmodò: cum vestes iaceant tibi in ædibus amplis,
Tegmina (heu frustra) muliebri texta labore
Solerter: quæ nunc igni crepitante cremabo,
Non tectura tuum miserande marite cadauer,
Sed mihi apud ciues laudem præbentia vanam.

Sic & Penelope Laërtæ heroi vestem sepulcralem texit. Atq; hæc quidem mediocria. At præterea refert superuacanea, Achillem cum rogo Patrocli cremasse cùm alia animalia, tum etiam homines: non quidem hoc laudans, vt qui accinat, Odyss.β,98.

Facta agitans animo mala. — Iliad.ψ,176.

Quin & sepulcreta primus excitauit, vbi multi simul humarentur:

In campo tumulum nos exaltabimus vnum. Iliad.η,336.

Primus quoq; sepulcralia certamina memoriæ prodidit. Atq; hæc communia belli pacísq; sunt. Iliad.ψ,157. &c. Peritiam verò bellicam, quam scientiam ordinum instruendorum nonnulli appellant, ei non defuisse, docet tota poësis, pedestribus ac nauium etiam, tũ oppidorum oppugnationibus, acierum conflictibus, & singularibus certaminibus variè exornata: ac multa quoq; consilij imperatorij artificia compræhendens, quorum quædam referre conuenit. Cùm in acie instruenda semper priori loco equitatum poni, sequi peditatum oporteat, id sic indicat:

Prima equites & equos acie, currúsq; locauit: Iliad.δ,296.
Illis à tergo pedites multósq; bonósq;.

Item in singulis ordinibus militum esse ductores:

Namq; duces septem præsunt custodibus, horum Iliad.ι,84.
Hastati centum comitantur quenque. —

Ducum alios in prima acie pugnare, alios in extremo agmine versari, ac reliquos ad prœlium adigere:

Idomeneus acie in prima fulgentibus armis Iliad.δ,283.
Cinctus, qualis aper, valido se robore agebat:
Merione extremas pellente in prœlia turmas.

Et quòd fortissimi in extremitatibus castrorum debeant tendere, muri instar reliquis obiecti: rex autem in tutissimo, id est, in medio: ostendit, cum extremas nauium partes tẽtoriis fortissimorum Achillis & Aiacis adsignat, medium Agamemnoni & reliquis præstantissimis. Iliad.θ,223. & initio Iliad.λ. Iam vallum iácere cùm castra figuntur, fossas in longum latúmque ducere, eásq; palis in orbem munire, vt & latitudo transilire, & altitudo transire prohibeat, Homerus ita dòcuit:

—nam fossa absterruit illos
Ampla, nec hanc vlli saltu superare dabatur, Iliad.μ,52.
Nec gressu transire. etenim præceps ab vtraque

Margo parte viros arcebat: & vndiq; acutis,
Grandibus & vallis confertim Graia iuuentus
Munierat, defendendis opus hostibus aptum.

Moriuntur quoq; fortiter pugnantes, qui hæc eius verba sequuntur:

Iliad.χ,304. *Non sanè ignauam mortem sine laude subibo,*
Sed seri accipient mea fortia facta nepotes. &,

Iliad.ο,493. *Eminus ac si quis uostrûm, vel comminus ictus*
Occumbat, pereat sanè, neq; dedecus illi
Pro patria cecidisse sua est. ——

Iis quorum virtus claruit, honores dantur:

Iliad.ι,334. *Regibus, & meritis præclarè munera præbet.*

Desertoribus autem supplicium denunciatur.

Iliad.ο,348. *Si quem se rigidæ subducere sensero pugnæ,*
Hîc illum ad naues occidam. ——

Quid verò commemorem, quomodo & quàm variè heroas in pugna inducat vulnerantes ac vulneratos? Id admonendum duxi ab Homero esse petitum, quòd qui adverso corpore vulnerati sunt, eos gloria dignos iudicamus, vt qui hostem subsistẽdo, locúmq; suum tenendo fortitudinem suam declarauerint: contráq; ignominia notamus, qui in tergo vulnus acceperunt, quippe quibus id in fuga acciderit. Sic ille,

Iliad.ν,288. *Nanq; inter Martis si fors feriare laborem,*
Non in posticam colli tu vulnera partem
Excipies, tergúm ve hostiles sentiet ictus.
Verùm inter primos obeunti prœlia, pectus
Aut venter telis occurret. —— Item:

Iliad.χ,283. *Non tua mî tergo fugientis lancea stabit:*
Verùm traiicies contrà mihi pectus eunti.

Vtiliter etiam monet, fusis hostibus non debere prædæ statim intentos esse, neque fugiendi tempus iis concedere victores: sed instandum, & persequendum victos:

Iliad.ζ,70. *Ne studio quisquam spoliorum prœlia linquat,*
Idq; agat vt præda naues accedat onustus.
Cædere nunc hostes præstat: pòst inde quietis
Per campos spoliare cadauera fusa licebit.

Omnibus ætatibus egregia facta attribuit, quæ ad quemvis hominem excitandum faciant. Iuuenis, exemplo Achillis excitari potest, & Aiacis, & Diomedis: adolescens, Antilochi & Merionæ: matura ætate vir, Idomenei & Vlissis: senex, Nestoris: rex autem horum omnium, & Agamemnonis. Huiusmodi apud Homerum sunt ciuilium orationum & actionum documenta.

Medicina. Medicæ quoq; rei videamus quàm non fuerit ignarus. Magni eum fecisse artem eam, vel hic versus docet:

Iliad.λ,514. *Namq; vir est multis medicus præstantior vnus.*

Porrò medicina scientia videtur esse salubrium, & saluti adversorum. Quod hinc discas. Esse scientiam,

Odyss.δ,230. *Ast medicum reliquis diuina scientia maior*
Instruit. ——

Esse salubrium & insalubrium:

Ibid.229. *Atq; bonis medicamentis permixta venena.*

Medicinæ altera est pars in contemplatione posita, quæ vniuersalibus rationibus certáque via doctrinæ ad singulorum cognitionem perducit: cuius alia pars signa, alia causas tractat. Altera est effectrix, quæ opus facit: cuius partes sunt, victus rationem præscribens, manuum opera vtens, & medicamenta adhibens. Videamus, vt Homerus singula attigerit. Contemplatricem medicinam sibi notam fuisse, hoc versu obscurè indicat:

Ibid.227. Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα.

Iliad.λ,831. μητιόεντα dicit medicamenta, nempe contemplatrice peritia apparata. Signa tractantem disertè in Achille proponit. Is enim vt Chironis discipulus, primus causam luis,

quæ

quæ Græcos invaserat, depræhēdit: nimirum sentiens morbos qui populum simul inficiunt (Epidemios vocant) ab Apolline esse, qui idem est sol. Is anni tempestates adducit: quæ vbi inæquali temperie cōstant, morbos gignunt. Et in vniuersum adeò salutem ac exitium virorum Apollini, mulierum Dianæ, hoc est, lunæ harum, soli illorū adscribit: sagittarios eos fingens, ob coniectum radiorum: diuidens autem masculum à femineo, quòd illud natura est calidius. Propterea ait Telemachi tantam esse staturā voluntate Apollinis: Tyndarei autem filias ope Dianæ adoleuisse. Mortem iisdem imputat cùm sæpe alibi, tum de filiis Niobes filiabúsq; vbi loquitur, ita distinguens: Iliad.α,54. Odyss.τ,86. Odyss.υ,71.

Hos Titan, illas pernix Diana necauit. Iliad.ω,617.

Caniculæ quoque ortum refert, signum ac causam æstus morborúmq;:

Exsuperat splendore suo qui sidera cuncta: Iliad.χ,27.
Sed mala designat, magnum mortalibus æstum
Ille ferens. —

Causas etiam persequitur, de iis hæc scribens:

Nam neq; edunt Cereris, neq; Bacchi munera potant: Iliad.ε,341.
Hinc immortales, & cassi sanguine viuunt.

Alimentum quippe tam siccum, quàm humidum, sanguinem gignit: sanguis corpus alit, idémq; abvndans aut corruptus morbos generat. Effectricem medicinam ita tractat, cuius pars est etiam ea quæ victus ratione vtitur. Primum discrimen morborum acutorum & diuturnorum aperuit in his:

Nam quæ te mortis species dulcissima mater Odyss.λ,150.
Abstulit? an longi vis morbi? Cynthia vel te
Ipsa suis telis subitò iaculata peremit?

Manifestum quoq; est, eum tenuem victus rationem existimasse salubrem. Facit enim heroas assatis carnibus vesci, ciborum curiosum apparatum omnē amputans. Et quoniam venter semper indiget iterata alimentorum suggestione, postquam priores cibi concocti, corpori suum succum, ac quod ideoneum est in cor & venas transmiserunt, & superflua excreta sunt: itaq; sic scribit,

Me sinite interea quam vis cœnare dolentem.
Nam nihil inuiso ventre importunius vsquam est,
Qui meminisse sui nolentem cogit, & vrget. Et statim:
Me iubet ille cibum capere, & potare, malorum Odyss.η,215.
Oblitúmq; iubet se tantùm explere. —

Vini quoq; diuersos vsus nouerat: nimium, damnosum: mediocrem verò, vtilem. Itaque prius ita describit, Vinum.

Temetum tibi dulce nocet: quod pluribus antè Odyss.φ,291.
Obfuit immodicè vinosis faucibus haustum. Posterius sic:
Auget enim membris quæ languent fracta labore Iliad.ζ,260.
Egregias vinum vires. —

Et quòd robur gignat:

Ast vir, Lenæi quem dona cibúsq; refecit, Iliad.τ,167.
Per totam durent quantum vis prœlia lucem,
Sufficit & robur membris, audacia cordi
Acris adest: neq; eum vires & strenua virtus
Destituunt, campo priùs atq; eiecerit hostes.

Ac suaue quidem conviuiis adhibet:

Sic ait, & grata præstans dulcedine vinum Odyss.η,182.
Fudit Pontonous. —

Vehemens, & grauem soporem gignens, Cyclopi Vlisses præbet. Adstringens autē, ad medicinā facit. Tale enim est πράμνειος οἶνος, quod Machaoni saucio datur. Exercitationibus vtendum esse hortatur. Semper enim agentes aliquid fingit, vel opus facientes cōueniens, vel animi causa. quando etiam deditissimos voluptatibus Phæaces, & luxuriosos procos exercere corpora facit. Ac sufficientes quidem labores facecere ad sanitatem existimat: eorum verò quibus corpus aggrauetur, remedium ponit somnum. Ait enim, Vlissi à maritima iactatione defatigato somnū immissum, qui eum Odyss.ι,204. 343. Iliad.λ,638. Odyss.θ,120. Odyss.Δ,625. Odyss.ε, fine.

quàm celerrimè liberaret molesta illa defatigatione. Natura enim requirit, vt defessum corpus requiescat: & in quo calor est exiguus, cùm is non possit in omnes partes egredi, vult eum in profundo manere. Quòd autem quiescat corpus animo remisso, & solutis membris corporis, id evidenter dixit:

Odyss. δ, 794. *Illa reclinata obdormiuit, & omnia membra*
Dissoluit sopor.—

Quòd autem in omnibus rebus ea quæ modum excedunt, invtilia sunt, id de somno quoque pronunciauit, cùm ita,

Odyss. ο, 392. *Est etiam nimio coniuncta molestia somno:*

Odyss. υ, 52. tum sic, *—totam quippe molestum est*
Noctem peruigilare.—

Bonam quoque aëris temperiem ad sanitatem conducere cognitum habuit: vt apparet ex his,

Odyss. δ, 563. *Sed te, quà terræ postremus terminus exstat,*
Elysium ad campum cœlestia numina mittent,
Quem Rhadamanthus habet: quà vita facillima longè
Ducitur. haud campos Iupiter niue conspuit illos,
Miscetur variis neque tempestatibus aer.
Nulli imbres: tantùm spirat leuis aura Fauoni,
Missáque ab Oceano nimios refrigerat æstus.

In quibus duo hæc rectissimè vidit, cùm ventorum principium ab humore existere, tùm animalis innatum calorem refrigeratione indigere. Affectuũ quoque corporis remedia sciuit: animi deliquium refrigeratione curari, ita de Sarpedone scribens:

Iliad. ε, 697. *Tum respirauit rursum, Boreæ simul afflans*
Penè exhalantem vitam leuis aura refecit.

Frigoris, calefactionem esse remedium. Sic Vlissem iactatum salo & tempestate, facit sub arbusto occultari, vbi & à ventis & à pluuiis esset tutus, & se præsenti materia tegeret. Lauacris quoque & vnctionibus suum vsum tribuit: vt cum iis Vlissem & Diomedem se refecisse scribit, qui insomnem exegissent noctem. Maximè etiam his verbis vsum lauacri docet:

Odyss. ε, ad fin. Iliad. κ, fine. Odyss. κ, 360.

Tunc animo gratam supra caput, atque humeros mî
Diua effudit aquam.——

manifestum est enim, quod cùm nerui inde exoriantur, rectè etiam defatigationis remedium inde auspicetur, quod consistit in calefaciendo & humectando: labor enim siccat. Restat vt videamus, quomodo chirurgiã intellexerit. Menelaum ergo Machaon curat, primùm sagittam extrahens, deinde vulnus cõtemplans, atque sanguinem exprimens, ac siccantia medicamenta inspergens. Id secundum artem fieri, totum evidens est. Eurypylo porrò, qui in femore vulnus acceperat, Patroclus primum cultello oblato sagittam execat: deinde aqua tepida vulnus abluens, vt dolor minueretur, radicem iniicit. Multæ autem passim nascuntur vulnerariæ. Nouit autem hoc quoque, quòd amara medicamenta ad siccandum sunt apta: vulnera autem siccari debent. Neque statim Patroclus adhibita medicina abit: sed

Iliad. δ, 210. Fine Iliad. λ.

Ibid. 638. *Assidet, oblectátque suis sermonibus.*——

Alloquio enim indigebat, qui vehementi dolore vexabatur. At Machaonem, qui neque magnum, neque periculosum vulnus in humero acceperat, minus accurato victu vti non absurdè facit: fortassis artem quoque eius eo ipso indicans. nam quacunque vteretur victus ratione, seipsum nimirum curare poterat. Id quoque apud eum est obseruare, quòd non ignorarit medicamentorum alia esse quæ mollita imponãtur, vel inspergantur: vt cùm ait,

In cura Eurypyli. *Lenáque inspersit medicamenta.*——

Odyss. δ, 220. Alia quæ bibantur: vt cùm Helena in cratere temperat medicamentum, quod omnem dolorem & acerbitatem animi aboleat, & obliuionem omnium malorum adducat. Eodem modo sciebat venena alia illini, dicens,

Odyss. α, 261. *Quærebat, posset quo tela linire, venenum.* alia potari: vt,

Odyss. β, 330. *Crateri iniiciat, nos illóque enecet omnes.*

Atque hæc de re medica, quantum eius apud Homerum est. Vtilitatem porrò homines

Diuinatio.

nes percipiunt, vt ex medicina, ita aliquando etiam ex diuinatione. Huius quandam partem Stoici dicunt artificio constare, vt extispicium, augurium, omina, signa: quæ vno verbo artificiosa nuncupãt. aliam artis & disciplinæ expertem: vt insomnia, vt afflatus diuinos. Ne hæc quidem Homerus ignorauit. Nouit enim vates, sacrificulos, somniorum coniectores, augures: & quendam in Ithaca, qui aues nosset, & futura inde vaticinaretur. Quin & Vlisses precatur:

Odyss.β,159.

Omne nunc aliquis hominum intus mî vigilantum
Exhibeat, Iupiterq; foris signo omina firmet.

Odyss.υ,100.

Sternutatio quoq; apud eum inter felicia signa ponitur. Et procis adstat diuino furore correptus vates, futura quibusdam indiciis præsagiens. Ac cùm Helenus dicat, se vocem deorum immortalium auribus suis percepisse, fidem facit Socrati, qui genij voce monitus diuinasse perhibetur.

Odyss.ρ,540. Odyss.υ,351. Iliad.η,52.

Tragœdia.

Anne aliqua præterea dicendi ars aut scientia superest? Nimirum ipsa etiam Tragœdia sui principium ab Homero arcessit, rerum verborumq; elata magnitudine. Extant omnes apud Homerum formæ tragœdiæ: actiones grandes, & à communi opinione alienæ, deorum apparitiones, orationes ab elato animo profectæ, & quibus quævis ingenia, quivis mores exprimantur. In summa, nihil aliud sunt Homeri poëmata, quàm fabulæ quę in scena agantur. Graues proponuntur res: eæq; amplificatæ verbis, sententiis, actionibúsque. Neq; tamen adsunt nefariorum facinorum commemorationes, qualia sunt incestæ nuptiæ, parentum aut liberorũ cædes, aut quæ alia portenta nouæ tragœdiæ sunt inventa: quinetiam cùm aliquid tale commemorat, lenire potius peccatũ, quàm exprobrare conatur: vt de Clytæmnestra. Ait enim, eam probam fuisse, quandiu cantorem habuit secum: id est, magistrum quẽdam vxori ab Agamemnone adiunctum, qui ei optima præciperet. Hoc demum amoto, mulieri adulteriũ Aegisthus persuasit. Etiam Orestem laudans, qui cæde Aegisthi vltus patrem sit, necem matris reticuit. Multa etiam alia huiusmodi apud hunc poëtam invenias, vt qui tragœdiam, magnificam quidem illam, sed non inhumanam quoq; scripserit.

Odyss.γ,266. Odyss.α,298.

Nihilominus comœdia quoq; hinc ansam cepit. Invenias enim apud eum, qui res maximè sublimes atq; grandes referat, quædam esse etiam, quę interim risus materiam præbeant. Itaque & in Iliade Vulcanus claudicans inducit, qui fundat vinum diis: qua occasione,

Immensus cepit cœlestia numina risus.

Fine Iliad.α.

& Thersites turpissimus animo ac corpore, tumultuãdo, maledicendo, ac sese iactando Vlissem concitans, ab eóque verberatus, omnibus risum mouet:

Quantum vis mœstis, suauem tamen omnibus ille
Elicuit risum. ——

Iliad.β,270.

Et in Vlissea, apud diffluentes voluptate Phæaces Demodocus Martis cum Venere adulterium cantat: vtq; in vincula Vulcani incidentes risum cęteris diis mouerint, hiq; festiuè inter se iocati sint. Et apud intemperantes procos, Irus mendicus fingitur cum Vlisse præstantissimo viro palæstra congredi, ipsáque in actione fit ridiculus. Omnino enim humanæ naturæ consentaneum est, non intendi modò animum, sed remitti etiam, vt sufficere possit ad vitæ labores. Itaq; talis animi oblectatio à poëta invẽta est. Quod autem ij qui postea comœdias ediderunt, risus captandi gratia turpibus, & nimis apertè obscenis verbis vsi sunt: certè non possint dicere, se melius aliquid invenisse. Sobriè enim Homerus amatorias affectiones ac sermones memorauit, vt cum Iupiter dicit:

Odyss.θ,267. Iliad.σ,initio.

Nam nunquam cepit mentem mihi tanta cupido.

Iliad.ξ,333.

Et de Helena:

Non equidem indignum est, quòd talis femina tantis
Aerumnis, tanto petitur iam tempore vtrinq;.

Iliad.γ,156.

Et quæ alia id genus sunt. At reliqui poëtæ incontinenter, ac vltra modum isto affectu captos homines proponunt. Et hęc quidem hactenus.

Epigramma.

Elegans etiam est genus orationis epigramma, siue inscriptio: quod inventum est imaginum & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis sit cui honoris causa aliquid tale obtigit. Hoc ipsum quoq; Homeri est. Sic enim alicubi:

Hîc situs est vita iampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus còncidit ense. & iterum:

Iliad.η,89.

Iliad. ζ,460.

Hectoris hæc vxor, quo circum Pergama nemo
Fortior hostiles Graiorum inuasit aceruos.

Pictura. Neque aberrauerit à vero, si quis pingendi quoque magistrũ fuisse Homerum dicat. Dixit sanè quidam sapientum, poësin esse picturam loquentem, & picturã esse poësin tacẽtem. Quis ergo vel priùs, vel posteriùs Homero, sententiarum imaginibus, aut verborum aptitudine exornauit deos, homines, loca, actiones varias? Idem materia verborum effinxit etiam omnis generis belluas, maximè fortissimas: vt leones, apros, pantheras: quorum impetus & affectiones depingens, iisque humanas actiones comparans, vtriusque proprietates demonstrauit. Ausus est etiam diis hominum formas affingere. Vulcanus verò scutum Achilli fabricans, auróque insculpens terram, cœlum, mare, magnitudinẽ Solis, Lunæ pulcritudinem, multitudinem stellarum vniuersum hoc coronantium, vrbes diuersis moribus ac diuersa fortuna vtẽtes, animalia motu & sermone prædita: quo tandem non pictore præstantior in hoc genere artifex videbitur? Ex vno saltem de multis exemplo cõsideremus, visu potius quàm auditu percipi poëmata videri. Qualia sunt, quæ Eurycleæ tribuit verba, cùm ea Vlissis cicatricem esset conspicata:

Odyss. τ,467.

Quam pronis nutrix manibus complexa, per ipsum
Agnoscens tactum, subito perterrita casu est,
Dimisitque pedem: simul impulit iste lebetem
Delapsus, sonitúmque dedit fuditque liquorem.
Verùm lætitia simul & correpta dolore
Est anus: atque oculos lacrymæ impleuere, repressa
Est vox, & mentum tangens ita fatur: Vlisses
Omnino meus es: neque te tamen antea fili
Agnoui, quàm te contrectans omnia sensi.
Sic ait, atque ad Penelopem sua lumina vertit,
Effari cupiens.——

Hîc sanè plura iis quæ in picta tabula oculis subiici possunt cernas, non visu, sed sola intelligentia percipienda. qualia sunt, pes propter subitam cõsternationem è manibus dimissus, aheni tinnitus, effusa aqua, vetulæ dolor lætitię mixtus, eius ad Vlissem verba, & quæ dictura erat ad Penelopen, in quam coniecerat oculos. Multa & alia quasi pictoria arte poëta ob oculos ponit: quæ inter legendum licet spectare. Cæterùm hîc finem orationi imponere, tempestiuum est: quam tanquam ex prato multis floribus variegato coronam cum texuerimus, Musis consecramus. Neque mouebimur, si quis repræhendat nos, quod cùm Homeri poësis malum argumentum tractet, nos ei physicas, politicas, ethicásque orationes, tum etiam varias adscribimus scientias. Necesse enim habuit poëta, pro materia sibi actiones admirabiles, itémque affectus & mores varios sumere. Cuius rei causa est, quod bona ipsa per sese simplicia sunt vnius generis, & ornatus non capacia. Quando verò cum rebus malis permiscentur, tum varios modos, & omnis generis formas admittunt: vnde rerum materia existit. In qua ipsa tractanda cùm iuxta se bona & mala collocentur, facilius meliorum & agnitio demonstratur, & electio. In summa autem, huiusmodi argumentum occasionem poëtæ tribuit omnis generis orationes referendi, alias à se, alias à personis quæ introducuntur: ex quibus magna ad lectores redeat vtilitas. Denique cur non omnis virtutis laudem Homero tribuamus? cùm posteri etiam ea in ipsius poësi animadverterint, quæ ipsi fortuitò, etiam nihil tale cogitanti, exciderunt. Nam & quidem versibus eius ita vtuntur, vt oraculis deorum: & alij, cùm aliam sibi materiam sumserint, versus eius transcribentes atque componentes eò accommodant.

Plu-

Plutarchi de auditione libellus.



VAM de audiendi ratione habui disputationem, eam litteris mandatam ad te, mi Nicander, mitto, vt quando virili sumta toga è præceptorum potestate exiuisti, rectè monentibus obtemperãdi modum habeas cognitum. Nam licentia, quam nonnulli iuuenum non probè instituti libertatem putant, iis qui pueros rexerant magistris ac pædagogis importuniores imponit dominos, cupiditates, inquam, quasi vinculis iam solutas. Et quomodo Herodotus ait simul cum tunica mulierem etiam verecundiam exuere: ita adolescentum quidam simul cum puerili veste pudorem ac metum deponentes, soluto qui eos condecorabat amictu statim contumacia obruuntur. Tu verò, qui sæpenumero audiuisti idem esse DEVM sequi, & parère rationi, existimare debes eos qui sana sunt mẽte ita iudicare, se quando à puericia ad virilem euadunt ætatem, non abiicere imperium, sed mutare imperatorem, dum loco mercede cõducti aut ẽre emti magistri diuinum vitæ ductorem accipiunt. Rationem cui qui parent, soli digni sunt qui pro liberis habeantur. Soli enim hi viuunt vt volunt, qui quid velle debeant didicerunt. ineruditæ autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quandam ignobilémque voluntatis libertatem multa cum pœnitentia coniunctam habent. Iam sicvt qui in ciuiũ numerum adscribuntur alienigenæ & omnino peregrini, multa eorum quæ fiunt repræhendunt ac iniquè ferunt: qui verò inquilini educatione ac consuetudine sibi leges familiares reddiderunt, absque molestia quæ suarum sunt partium obeunt, iisque sunt contenti. ita oportuit à multo tempore in philosophia enutritum, ac iam inde ab initio ætatis adsuefactum ad percipiendum disciplinas auditionésque pueriles philosophica oratione permixtas, mansuetum proinde atque quasi domesticum conferre se ad philosophiam. quæ sola virilem & re vera perfectum iuuenibus apponit ornatum. Neque iniucundum, puto, tibi erit audire de sensu auditus, quem Theophrastus omnium sensuum maximè ad motus animi ciendos facere ait. neque enim quicquam eorum quæ visu, quæ gustatu, quæ tactu percipiuntur, tantas mentis alienationes, tumultus, consternationésque adfert, quantæ animum occupant, strepitibus quibusdam & fragoribus & sonitibus ad aures accidentibus. Est tamen hic sensus magis rationi quàm affectibus idoneus. Vitiis enim multæ partes corporis multáque loca aditum spaciúmque ad animam penetrandi præbent. vnica virtuti qua adolescentes arripiat ansa aures sunt, siquidem puræ sint, & iam inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactæq; à prauis sermonibus seruentur. Itaque Xenocrates aurium munimenta pueris potiùs quàm athletis applicari iubebat: quòd horum aures verberibus, illorum mores verbis perverterentur. neque ille auditionis vacuitatem aut surditatem commendabat: sed hortabatur vt tantisper ab audiendis prauis sermonibus abstinerentur, dum bonæ orationes tanquam custodes ingenio philosophiæ educatione appositi eam regionem occuparent, quæ maximè oratione mouetur atque ducitur. Ac Bias quidem ab Amaside iussus simul & optimam & pessimã victimæ carnem mittere, linguam ei exsectam misit. nimirũ quia sermo & vtilitatis & damni plurimum affert. Et vulgo paruulos qui deosculantur, cùm ipsi aures eorum tangunt, tũ eos idem iubent facere: per iocum innuentes, maximè amandos esse eos qui per aures prosunt. Nam hoc quidem in promtu est, adolescentem ab omni exclusum auditione, vbi gustare doctrinam ceperit, non modò sterilem planè fore, neq; vlla virtutum editurum germina: sed & ad vitia facilè desciturum, cùm ex animo rudi velvti solo inculto pleraque pullulent syluestria. Impetus enim animi ad voluptatem ferentes, ac sinistras de labore suspiciones (qui nõ extrinsecus in animum allabuntur aut oratione introducuntur, sed velvti indigenæ sunt infinitorum affectuum ac morborum fontes) si quis patiatur laxatis habenis eò quo natura ducit deferri, neq; bonis ea præceptis minuendo aut alio deflectẽdo naturam componat: nullum profectò animal est quod nõ mansuetius sit homine isto futurum. Quapropter cum magnopere vtile, non minus tamen periculosum sit adolescentibus audire, operæprecium esse existimo vt quisque & secum semper, & cum aliis de ratione audiendi colloquatur. Nam in eo quoq; videmus errare plerosq;, quod in dicendo se exercẽt ante quàm se ad audiendum adsue-

Licentia

Lib. 1. in Gygis historia.

Libertas vera

Auditus

Lingua

Error audiendi rationem negligentium.

fecerint: putántque dicendi esse disciplinam atque meditationem, vtiliter autem quovis modo audiri. At verò qui pilæ ludum tractant, simul & iacere & accipere pilam discunt: in vsu verò sermonis prius est rectè accipere quàm emittere. sicvt conceptio & retentio fetus, partum antecedit. Iam quod aues interdum irrita & quæ Zephyria vocantur oua pariunt, in causa aiunt esse imperfectos & inanimatos cõceptus. qui autem audire nesciunt adolescentes, neq; vtilitatẽ ex auditione capere cõdocefacti sunt, eorum sermo verè inanis ac subventaneus excidens,

Irritus, ignotus, sub nubibus evanescit.

Et vasa quidem inclinare solent atque obvertunt, vt quæ infundere volunt, recipi possint, fiátque verè infusio, non effusio: seipsos verò dicenti accommodare, attentionémque auditioni adhibere, ne quid vtiliter dictorum effugiat, non discunt. sed (quod omnium maximè deridiculum est) si incidāt in aliquem, qui crenam, pompam, insomnium aut altercationem sibi cum alio habitam narret, taciti audiunt, et vt pergat dicere flagitant. sin verò eosdem alius ad se trahat, ac de re vtili docere, vel admonere, aut peccantem verbis corrigere, aut demitigare animo commotum cupiat, nõ patiuntur: sed vel contentiosè impugnant eius orationem si victoriam sperāt, vel eo omisso proripiunt se aliò vbi nugas audiant, aures suas, tanquã invtilia & vitiosa vasa, quavis potiùs quàm necessaria aliqua re implentes. Cæterùm sicvt equos qui rectè instituunt, eos docent fræno facilè parére: ita qui pueros, ad audiendum promtos faciũt, docéntque audire multa, loqui pauca. Nam Epaminondam laudans Spintharus aiebat, Non facilè se cum alio rem habuisse, qui & plura nosset, & pauciora diceret. Ac naturam aiunt propterea vnicuiq; nostrum duas dedisse aures, vnam linguã, quod pauciora loqui debeamus quàm audire. Proinde cum vbiq; silentium adolescenti tutum sit ornamentum, maximè tum prodest, cum audiens dicentem non perturbatur, neque ad singula elatrat: sed etiamsi oratio non probetur, sustinet tamen expectátque dum dicendi ille finem faciat: ac vbi is perorauit, non illicò contrà dicere orditur, sed (vt Aeschines pręcipit) spaciũ ei relinquit siue addendi aliquid dictis si ita videatur, siue mutandi quidpiam vel detrahendi. Qui verò statim interrumpunt, & neq; audiunt neq; audiuntur, sed adversus dicentes dicunt: ij contra decorum agunt. At qui continenter verecundéq; audire adsueuit, is & quod vtile est sermonis eius percipit atque retinet, & invtile seu falsum faciliùs perspicit ac depræhendit, veritatísque studiosus habetur, non contentionis, neque temerarius aut rixator. Quare non ineptè quidam dixerunt, non minùs studiosè fastum ac spiritus elatos adolescentum ex animis, quàm aerem ex vtribus excutiendum esse, si quid vtile velis infundere. alioqui arrogantiæ pleni inflatique non admittunt. Porrò invidia cum liuore quodam & malevolentia nullam ad rem vtiliter adhibetur, sed omnibus bonis impedimento est: pessimus autem assessor est auditori atque consiliarius. quia enim invidi quavis potiùs re delectātur quàm rectè dictis, ita fit quæ vtiliter dicuntur, molesta eis reddantur, & iniucunda, neque approbetur. Et verò quem diuitiæ, gloria, aut pulcritudo aliorum vrit, is tantùm invidus est: molestè enim fert res aliorum secũdas. Qui orationi bonæ invidet, hunc sua ipsius bona excruciant animi. Sicvt enim lumen videntium, ita sermo audientium bonum est, si velint amplecti. Sed invidiam aliarum rerum, incompositæ aliæ quædam & prauæ animi affectiones efficiunt. quæ adversus dicentes inanem ob gloriæ cupiditatem, ambitionémque iniustam concipitur, hoc modo affectum ne attendere quidem animum orationi sinit: sed tumultuatur, mentémque circumagit simul & suos habitus cõsiderantem, & exquirentem an dicentis facundiæ cedant, simúlq; in alios intuẽtem an delectentur & mirentur dicentem: iuxtà consternatam laudibus, & frementem adversus auditores, si probant dicentem. Eadémq; quæ dicta sunt dimittit, quia molesta est eorum recordatio: & turbata ac tremens reliqua audit, solicita ne prioribus sint meliora. ac tum maximè finem orationis fieri optat, cùm optima dicuntur. & finita auditione nihil dictorum considerat, voces tantùm & affectiones præsentiũ supputat, ac laudantes quasi furore concita fugiens vitánsq;, repræhendentibus ac pervertentibus dicta accurrens & se adsocians: aut si nihil perverterit, iuniores aliquos comparans, qui videantur eadem de re meliùs ac maiore cum vi dixisse, donec tandem corruptam vitiatámque auditionem prorsus invtilem sibi effecerit. Oportet ergo factis studio audiendi cum ambitione induciis, placido animo audire, tãquam ad sacrum conviuium aut sacrificij primitias invitatum, vímque oratoris, sicvbi scopum suum assecutus est, col-

Audire multa, loqui pauca, præclarum.

Invidia auditori cauenda.

collaudare: in reliquis boni cõsulere studiũ eius, qui quę norat in mediũ protulerit, iisq́ mouere auditores voluerit rationibus, quib. ipse fuerat motus. Quæ dicta sunt præclare, nõ debet auditor fortunę aut casui imputare, sed studio, diligentię, laboriq́ accepta ferre: eaq́ cũ admiratione & æmulatione imitari. vbi peccatũ est, causas & originem erroris circumspecte perqrere. Sicut enim Xenophõ ait bonis rei familiaris tractatorib. & ab amicis cõmodari & ab inimicis: ita vigili & attento auditori nõ modò rectè, sed etiam vitiosè disserentes prosunt. Vilitas enim sententiæ, vanitas vocabuli, figura importuna, eruptio cũ inepto gaudio ad laudẽ, et alia id genus, magis audiendo alios depræhenduntur, q̃ dicendo. Itaq́ culpa à dicente nobis est in nos transferenda, vidēdúmq́ an nostrũ nos aliqd tale fallat vitium. Nihil enim facilius est quàm reprehendere alium. q̃d inutiliter fit, & vanũ est, nisi ad emendãdos aut vitandos similes lapsus referatur. Itaq́ aliorum peccata consideranti in promtu sit sibi Platonicũ illud occinere, Núm nã & ego fortasse talis sum? Queadmodum enim in oculis aliorũ nostros refulgere cernimus: ita in orationibus aliorũ contemplari formã nostræ debemus, vt neq́ nimis audacter alios contẽnamus, & ipsi in dicẽdo nos maiori cũ diligentia obseruemus. Vtilis est hac in re etiã cõparatio vt cum soli sumus post auditionẽ, eorum aliqd, quæ nõ rectè aut non sufficienter dicta putamus resumentes, conemur idẽ tractare argumentũ, aggrediamúrq́ vel implere, vel corrigere, vel aliter dicere, vel prorsus noua oratione persequi, q̃d Plato fecit Lysiæ oratione ꝓposita. Non .n. difficile est orationem alterius improbare, sed oppidò procliue factu: meliorẽ aũt eius loco reponere, id verò perq́ magni est laboris. Qua ratione Spartanus ille cũ Philippus diceret Olynthum evertisse, Atqui (aiebat) ille profectò talem vrbem condere non posset. Quando igitur in disserendo de eadem materia sentiemus nos non multum præstare iis qui ante dixerant, à contemnendo valdè retrahemur: & superbia qua nobis placemus ipsi, in huiusmodi contentionibus redarguta, facilè reprimetur. Contemtui admiratio est adversa, quæ cadit in æquiora & mansuetiora ingenia. verùm hîc quoque non exigua, ac fortasse etiam maior adhibenda est cautio. quatenus nimirum contemtores & feroces minus vtilitatis audiendo sibi comparant: ad admirationem autem propensi atq́ simplices faciliùs damno afficiuntur. Et Heracleti dictum non improbatur, Stupidum hominem quavis oratione percelli. Oportet verò laudẽ candidè tribuere dicenti: orationi fidem cautè adhibere, ac dictionem quidẽ & actionem æquo animo & simpliciter spectare: vtilitatem autem & veritatẽ eorum quæ dicunt, accurato acriq́ iudicio perpendere. vt & qui audiunt, odio vacent, & qui dicunt, nihil damni afferant. nam multas falsas & malas opiniones benevolentia erga dicentes, eorúmve apud nos autoritate inducti in errorem amplectimur. Spartanorum principes cum sententiã hominis parum laudatæ vitæ approbarent, alteri spectatæ vitæ morúmque eam pronunciandam mandauerunt. rectè admodum & ciuiliter populum adsuefacientes, vt moribus potiùs quàm verbis consulentium duci studerent. Sed quæ in philosophia dicuntur, ea oportet existimatione eius qui dixit detracta, seorsim per se examinari. Vt enim in bello, ita etiam in auditione multa sunt inania. Etenim canicies dicentis, gestus, supercilium, sui iactatio, maximè autem vociferationes ac tumultus & saltationes eorum qui intersunt, faciunt ad percellendum imperitũ auditorem atq́ adolescentem, velvti fluxu quodam abreptum. ipsa etiam dictio habet quippiam ad decipiendum conducens, si rebus applicetur suauis ac copiosa & cum fastu aliquo atque apparatu. sicvt enim eorum qui ad tibiam canunt errores plerique latent auditores: ita abvndans atq́ ornatu superbiens dictio animum auditoris præstringit, ne rem de qua agitur intelligat. Et Melanthius quidem interrogatus (vt aiunt) de Diogenis tragœdia, negabat se eam videre, quòd vocabula eius conspectum intercluderent. Sed plerorunque sophistarum orationes atque declamationes, non vocabulis modò tanquam cortinis velant sententias, sed vocem quoq́ accuratis quibusdam sonis ac mollicie & cantillationibus illi edulcantes, bacchicum quendam furorem in auditorũ animis concitant, eósq́ transversos abripiunt: pro vana quam adferunt voluptate vaniorem etiam gloriolã reportantes. itaq́ illis vsu venit id, q̃d Dionysium ferunt dixisse: q cùm citharœdo cuidam præclara cum approbatione cantanti inter audiẽdum magna quædã dona promisisset, deinde nihil dedit, ꝑsoluisse se iam ei gratiã dicens: qui quanto tempore canens delectasset, tanto etiam spe fuisset oblectatus. Atq́ hoc stipendiũ tales auditiones dicẽti rependũt. Is enim in admiratione est quãdiu delectat, deinceps

Vitia dicentiũ auditori vtilia.

Admirationis cautio.

Ornamẽta orationis invtilia.

ſimul cum auditione deſinit & voluptas, & dicentis exiſtimatio. & alter tempus, alter vitam fruſtra perdidit. Proinde oportet copia & vanitate dictionis remota, ipſum perſequi fructum, imitaríq; nõ eas quæ ſerta plectunt mulierculas, ſed apes. Illæ enim florida & odorata ſectantes folia, cõſerunt atq; pertexunt opus iucundum quidem illud, ſed in diem duntaxat durans atq; infrugiferũ. Hę ſępenumero prata pervolitantes violarum, roſarũ, hyacinthorúmq; copia conſita, in thymum aſperrimũ atq; guſtus acerrimi deferunt, eíq; adſident mel meditantes flauũ: perceptóq; vtili ſucco ad ſuũ revolant opus. Eo itaq; modo debet ſincerus artíſq; ſtudioſus auditor omittere florida et luxurioſa verba, réſq; ad actiones ſcenicas aut ſpectacula pertinentes, eáq; putare ꝓ pabulo fucorũ ſophiſticen ambientiũ: animo aũt in ipſos orationis ſenſus penetrare, intentionémq; dicẽtis, & q̃d vtile eſt atq; commodũ ad ſe trahere: memoria tenens, nõ in theatrum ſe aut odeũ, ſed in ſcholam ludúmq; litterarium veniſſe, vt oratione vitã corrigat. Idcóq; auditionem conſiderare ſecũ debet atq; examinare q̃modo ea ſit affectus, ac ratiocinari an aliquis ea motus animi factus ſit ſedatior, an aliquid de moleſto leuius redactum, an fiducia & animi altitudo confirmata, an ad virtutem & honeſtatem inſtinctus aliquis animi excitatus. Cum enim è tõſtrina abituri ſpeculo adſiſtamus, capútq; contrectemus, vt tonſuram & præciſionẽ crinium examinemus: quãto magis è ſchola atq; ab auditione diſcedentes ſtatim debemus animum noſtrum intueri, an ille moleſtis ocioſíſq; depoſitis aliquibus cogitationibus factus ſit trãquillior. Nam vt aiebat Ariſto, neq; balnei neq; orationis non purgantis vllus eſt vſus. Delectetur itaq; vtilitate ex oratione percepta adoleſcens: non tamen delectationem auditionis finem ſtatuat: neq; exiſtimet debere ſe è ſchola philoſophi diſcedere cantillantẽ ac lætitia delibutũ, neq; vnguentum quærere, cùm irrigatione & cataplaſmate indigeat: ſed grato animo accipere, ſi q̃s aſpera oratione animũ (velvti fumo aluearib. apes eiiciunt) caligine & ſtupore quo fuerat occupatus evacuet. Etſi enim dicentẽ par eſt non nullã planè curã in id ponere, vt dictio ſuauis ſit & ꝓbabilis: tamen auditor eius minimã debet habere rationẽ, ab initio quidem. pòſt, quemadmodũ qui bibunt, exſtincta demũ ſiti obvertunt pocula, cælaturámq; contemplant: ita ipſi ſententiis impleto iã deĩ reſpirandi ſpaciũ, dictionémq; an elegans aliq̃d & elaboratum habeat conſiderandi. Qui aũt ſtatim ab initio nõ rebus ipſis inhæret, ſed orationem requirit Atticam atq; ſubtilem. perinde facit, ac ſi q̃s antidotum nolit bibere, niſi teſta ſit in Attica Colia deficta: aut hyeme veſtem ſumere recuſet, ſi nõ ſit ex Attica lana texta. eodem enim ille modo in lacerna orationis Lyſiacæ deſidebit tenui ac vili, iners atq; immobilis. Hæc vitia magnã vanitatem animorũ, magnámq; inania garriẽdi ſubtilitatem atq; argutias adoleſcentũ in ſcholis genuerunt, neq; vitam neq; actiones neq; in repub. converſationem philoſophorum obſeruantiũ, ſed vocabula duntaxat ac verba: laudantiúmq; ſi q̃d bene pronunciaretur, id verò de quo pronunciabaĩ vtile eſſet an invtile, neceſſarium an inane & ſuꝑvacaneum neq; intelligentiũ, neq; inquirentiũ. Conſequens his eſt præceptio de quæſtionibus. Nã eum quidẽ, qui ad cœnam venit, vti appoſitis decet, neq; vel alia poſcere, vel culpare appoſita. Qui verò invitatus eſt ad auditionem, is ſiquidem certa lege vocatus eſt audiat tacitè dicentem. qui enim ad alia argumenta deducunt, aut interrogationes interiiciunt, aut dubitationes mouent, importuni auditores, & quibus cum dicente non facilè conveniat, nullam capiunt auditionis vtilitatem, ſed ſimul & orationem & oratorem conturbant. Vbi verò is qui dicit, auditores quærere & ponere de quo diſputetur iuſſerit, ibi ſemper danda eſt opera, vt neceſſarium aliquid aut vtile quæſtio tua proponat. Deridetur apud procos Vliſſes

Fructus ex auditione captandus.

Delectationis quæ habenda ratio.

Quales proponendæ quæſtiones.

Odyſſ.ρ,222.

Panis fruſta petens, non enſes, ſiue lebetes:

magni animi q̃ppe putabant eſſe vt dare, ita etiam petere aliq̃d magnũ. Rectiùs verò auditorẽ aliq̃s derideat, paruas & friuolas quęſtiones proponentẽ. quemadmodũ adoleſcentes nõnulli vt ſuas argutias & dialectices aut mathematũ peritiã oſtentẽt, ſolent quærere de infiniti ſectione, & q̃ ſit motus ſecũdũ latus aut ſecundũ dimetientẽ. Quibus reſpõderi poteſt, quo pacto Philotimus reſpõdit cuidã pure intus laborãti & tabi iã obnoxio, q̃d ex colore & reſpiratione medicus depræhẽdebat, medicamentũ petẽti adverſus reduuiã: Nõ eſt tibi, amice, adverſus reduuiã opus medicina. Ita & adoleſcẽti dicet, Nõ eſt tẽpus tibi de his quæſtionib. cogitãdi, ſed quo pacto faſtu, arrogãtia, amoribus, nugíſq; liberatus poſſis vitę ſtatũ vanitatis expertẽ ac ſanũ inire. Ad peritiã quoque dicentis & naturalẽ ꝓpenſionẽ oportet auditor vt ſe accõmodet ſtudioſè, & de iis

quæ-

querat, in quibus ille tractandis plus quàm vllo alio in genere valeat, neq; aliò eũ adigere: vt si morali philosophiæ dedito physicas aut mathematicas difficultates proponas, aut naturæ cognitionem sibi sumentem in connexorum iudicium, aut solutiones pseudomeni trahas. Sicvt enim qui claui ligna findere, aut securi fores reserare conẽt, non tam illa instrumenta corrumpere, quàm se ipsum vsu vtriusq; & facultate priuare videatur: ita qui à dicente quod offert non accipientes id exigunt, quod is non didicit aut non exercuit, non in eo tantùm læduntur, sed & in malignitatis atque odij cuiusdam crimen incurrunt. Id quoque cauebis, ne multa aut frequenter quæras. est enim hoc eius, qui quodãmodo interim se ostentet. alio autem proponente audire placidè, studiosi est & communicantis rationem discendi cum aliis: nisi sit priuatim qui vrgeat affectus inhibitionem requirens, aut morbus admonitionis egens. Nimirum enim, vt aiebat Heraclitus, non conducit occultare inscitiam: sed in medium proferenda, eique facienda est medicina. Quod si ira aliqua, aut superstitio, aut dissensio cum domesticis vehemens, aut ab amore profecta furiosa cupiditas,

Non antè motas mentis commouens fides

animum conturbet: non debes repræhensionis vitandæ studio alia disserendi argumẽta quærere, sed in disputationibus de his ipsis audire, & digressus inde priuatim accedere & rem disquirere. *Ad nos pertinẽtia audire debemus.* Contrà vulgo in eo peccant, quod gaudent & admirantur vbi philosophi de aliis loquuntur. quibus ij omissis si ad ipsos orationem convertant, & liberè moneant de iis de quibus ipsorum interest, indignè ferunt, operámque putãt eam sumi supervacaneam. opinantes scilicet philosophos in scholis ita esse audiẽdos, vt tragœdi in theatro audiuntur: in rebus extra scholam, philosophos nihil ipsis esse præstantiores. Quod quidem de sophistis nõ iniuria sentiunt. qui vbi de suggesto descenderunt, libróstue deposuerunt & institutiones suas, in seriis vitæ rationibus explicandis ieiuni sunt & vulgo nihilo meliores. Quod autẽ ad veros attinet philosophos, ignorant eorum & seria & iocos, & nutus, & vultum siue ad subridendum compositum siue tetricum, maximè autem verba ad aliquem seorsim directa, habere fructũ suũ iis conducibilem, qui sustinere animúmq; attẽdere didicerunt. *Philosophi aliter audiendi, quàm sophistæ.* Iam quod ad laudationes attinet, requirit hoc officium cautionem aliquam & mediocritatem: quando neq; excessus eo in genere neq; defectus est liberalis. Molestus est enim & importunus auditor, qui nulla orationis parte mouetur aut delinitur, repletus fastu quodã inuidia suffuso & insita sui solius approbatione, velvti qui aliquid iis quæ dicuntur melius dicere se posse præ se ferat: cum neq; supercilium pro decoro moueat, neq; vllam emittat vocẽ quæ eũ animo æquo audire testetur, sed silentio & ficticia grauitate atq; habitu opinionẽ venetur constantis profundíq; hominis, qui laude perinde atq; pecunia seipsum ea priuaturũ se pùtet quam alteri impertiat. *Laudandi modus.* Sunt autẽ multi, qui malè & alieno sensu Pythagoræ dictum accipiũt, qui id se è philosophia lucri abstulisse dixit, nihil vt miraretur. ij verò in despicientia collocant abstinentiam à laudando & honorãdo, contemtúq; aliorum grauitatem suam metiuntur. Etenim philosophica ratio eam quæ ab hæsitatione & ignoratione proficiscitur admirationem atq; stuporem eximit, cognitione & enarratione causarum subiecta: facilitatem interim, magnanimitatẽ, humanitatémq; non delet. Qui enim revera & constanter sunt boni, iis honor est pulcerrimus honore dignum aliquem afficere, summúmq; ornamentũ alios ornare: quod abvndantia quadam gloriæ & liberalitate possunt. qui verò in aliis laudãdis parci sunt, suarum adhuc inopes laudum famelicíq; videntur. Peccat in alteram partem qui nihil interponit iudicij, sed cuivis voci aut syllabæ insistens acclamat, leuis quidam homo & auicularum similis. atq; is plerunque ne ipsi quidem probatur actori: auditoribus quidem molestus semper est, excitãs eos inuitos identidem, & quasi vi obtinens, vt verecundia tracti vnà adstrepant. & nullam consecutus vtilitatem, quod plenam tumultus effecerit laudationibus suis concionem, discedit cum vno ex his tribus titulo, vt aut subsannator videatur fuisse, aut adulator, aut orationum rationis imperitus & ineptus. Porrò qui iudicis officium fungitur, is & odio & benevolentia vacuus audire debet integro animo quid iuris sit. In iis autem auditionibus quæ de litteris sunt, neq; lege vlla neq; iureiurando impedimur quo minus benevoli audiamus differentẽ. quin & Mercuriũ veteres in dedicandis fanis adiunxerunt Gratiis, significaturi orationem maximè flagitare benignas & amicas aures. *Aequanimitas in audiendo.* Nunquam enim putabant eum qui diceret adeò absurdum fore aut à scopo aberraturum, quin si non sentẽtias laude dignas aut comme-

morationes aliarum rerum, aut argumentum ipsum institutúmq; orationis protulisset applausum merens, saltem dictio aut collocatio orationis deberet approbari:

Inter echinopodes velut, asperam & inter ononin
Interdum florent mollia leucoia.

Quando enim quidã vomitus, febris, atq; adeo ollę laudationibus publicè declamatis non expertes fuerunt approbationis: viri alioquin philosophi vel nomẽ vel existimationem gerentis oratio non possit omnino respirationem aliquam & laudãdi tempus parere auditoribus benignis atq; humanis? Ait Plato, qui formosi sunt quocunq; tandem, aliquo saltem modo mordere amatores suos. q̃ amator albos deorũ filios appellans, nigris virilium nomen tribuens, adunco naso præditis regiorum, compresso gratiosorum, pallido mellei coloris, amplectitur atq; diligit. nam amor hederæ instar valet se quavis arrepta ansa applicare. Multo igitur magis audiendi litterarúmq; studiosus subinde aliquã repererit causam, cur non abs re quemvis dicentem videat laudare. Nã & Plato cum Lysiæ orationis neq; inventionem laudaret: & dispositionem conturbatam culparet, elocutionem tamen laudauit, & q̃ singula vocabula perspicuè essent ac rotundè tornata. Ac repræhendere posset sanè aliquis Archilochi argumentum, Parmenidis versuum compositionẽ, Phocylidis tenuitatem, Euripidis loquacitatem, Sophoclis inæqualitem: quo pacto & ex oratoribus alius placidis animi motionibus caret, alius ad concitãdos grauiter animos nil habet virium, alium gratiæ destituũt. quivis tamen peculiarem vim mouẽdi & ducendi habuit ob quam laudatur. Quo fit, vt auditoribus copia suppeditet materiæ, vnde dicẽtem demereantur. Quibusdam enim sufficit etiamsi voce non testemur approbationem, oculus saltem placidus, faciésq; hilaris, & cõstitutio vultus. hæc enim iam vsurpari etiã vbi quis planè infeliciter dicit, vulgo receptum est, inq; omni auditione adhiberi. Sessio autem non insolens, & sine flexu recta forma, & oculi in ipsum dicentem cõversi, ac seriæ attentionis, vultúsq; quieta constitutio, & quæ non modò nullum contemtus aut indignationis, sed neq; aliarũ curarũ aut occupationum animi indiciũ habeat, eòdem faciũt. Ac quemadmodum in quacunq; re id q̃d pulcrum est ex multis numero diuersis & ad vnum temporis articulum convenientibus, quadã concinnitate & concentu perficitur: cum turpitudo statim existat, vel vna aliqua etiã leuicula re deficiente, aut absurdè adsumta. sic etiã in ipsa auditione nõ modò grauitas supercilij, & vultus parũ iucundus, oculi vagi, corporis circumactio, indecora femorum inter se permutatio: sed & nutus, & susurrus ad alterum, & subrisio, & somnolentæ oscitationes, ac demissio vultus, & quidq̃d tale est, in vitio ponitur, éstq; accuratè cauendũ. Sunt interim qui putẽt suas esse dicẽtis partes, auditoris nullas. atq; illũ volũt venire præmeditatum atq; paratũ: ipsi meditationis curarúmque vacui & nõ ductis sui officij rationib. in auditorium se coniiciũt, sedéntq; velvti ad cœnã si venissent aliorũ labore partam voluptatẽ percepturi. Atq; & cõviua scitus suũ habet officiũ, & multo magis auditor. Particeps est enim orationis, & dicẽtis adiutor: neq; debet eius delicta seuerè examinare, dictionẽ actionémq; vbiq; sub censuram vocãdo, & ipse censuræ liber in auditione turpiter se gerere. Sed quemadmodũ in pilę ludo qui excipit iacienti se motibus corporib. concinnè solet accommodare: ita inter dicentẽ quoq; & auditorẽ, si vterq; officiũ suum tueatur, quædam est proportio. Porrò in laudando nõ est temerè quibusvis vtendũ vocibus. Nam Epicurus quoq; molestus est, q̃ à suis familiarib. ad epistolia amicorũ tumultus plausuum excitari scribit. Et qui nũc invsitatas in auditoria introducũt voces, dum acclamãt Diuinitus, diuino instinctu, Prẹclariùs q̃ vt æquari ab vllo possit: (quasi verò ea non sufficiant quibus Plato, Socrates & Hyperides vsi sunt laudum indiciis, Rectè, sapienter, verè.) ij supra modũ indecẽter agunt, dicentésq; traducũt, quasi hi superbia impulsi nimias laudes affectarent. Vehemter etiã molesti sunt, q iureiurando adhibito, velvti in foro, testimonia dicentibus perhibent. Neq; his minùs ij, qui personarũ decorũ nõ obseruãt, dũ philosopho acclamãt Acriter, seni Ingeniosè aut Floridè: voces ludentiũ lasciuientiúmq; in scholasticis declamationib. ad philosophos ij transferẽtes orationiq; serię amatoriã laudẽ accõmodantes. perinde ac si q̃s athletæ sertum liliorum rosarúmve, nõ lauri aut oleastri coronam imponeret. Euripides sanè poëta, cum quidã risisset dictante ipso chori personis carmen quoddã ad harmoniã cõpositum: Nisi, inquit, stupidus esses indoctúsq; homo, non vtiq; risisses me Mixolydiè cantante. Et vir nimirũ philosophus ac ciuilis, auditoris in læticiam effusi luxuriã his verbis compesceret: Tu mihi demens quidam homo videris, disciplinæq; expers. alioqui me docente, aut verbis castigante, aut differente de

5. de rep. prope finem.

Auditorem debere esse præmeditatum.

Laudum moderatio.

de deo, vel republica, vel imperio, non tu cantillasses aut saltasses. ac mihi seriò considera quid rei sit, philosopho differente eos qui foris sunt propter auditorum vociferationem & fremitum dubitare tibicen ne aliquis, an citharœdus, an verò saltans laudetur. Cæterùm admonitiones & obiurgationes non sunt sine doloris sensu, neque effeminatè etiam audiendæ. Qui enim facilè & neglectim ferunt se maledictis philosophorum peti, ita vt repræhensi rideant, laudéntq; repræhensores, quomodo parasiti eos à quibus aluntur laudant si ab iis convicio impetuntur: ij planè proterui & feroces, impudentiam neq; bonum, neque verum fortitudinis argumentum ostentant. Salsè enim in se iactum aliquod dictum, citra tamen iniuriam & cum facetia, ferre sine dolore & hilarè, non est indignum ingenuo & disciplinam experto, sed omnino liberale ac Laconicum. Verùm vbi castigatio vitæ corrigendæ gratia suscepta sermone vtitur acriter arguente, tanquā medicamento mordente: ibi nō audire submissè, neq; pudore animum accensum vertigine corripi & sudore perfundi, sed immotum audire diductísq; in risum labiis, ac dissimulare omnem dolorem, planè illiberalis est signum adolescentis, & à verecundia alieni: ob consuetudinem peccandi continentem animo eius, sicvt in dura fit et callosa carne, vibicem non admittente. Diuerso autē modo sunt affecti, qui cùm semel malè audiuerunt, fugiunt ita vt nunquam retrò se convertant, omninóq; philosophiam transfugæ relinquunt: ij cum à natura habeant verecundiam, bonum ad salutem parandam principium, perdunt illud dum ob luxum & molliciem non tolerant repræhensiones, neq; fortiter correctiones sustinent, sed ad blandas atq; delicatas auditiones se cōvertūt, vbi adulatores aliqui aut sophistæ vocibus dulcibus quidē, sed vtilitatis omnis vacuis demulceāt. Sicvt ergo qui post sectionē fugit medicū, ~~neq; ligari~~ factū vulnus finit, eā is medici operis partē quæ dolorē affert pertulit, eā quę sanat aspernatus: ita qui orationē, qua stulticia ipsius lancinata ac sauciata fuit, non patitur etiā persanare vlcus & ad cicatricē perducere: is morsus & dolore affectus, nullo percepto cōmodo, à philosophia recedit. Non enim solum Telephi vulnus, vt est apud Euripidem,

Ramenta lima demta cuspidi fouent:

sed etiam morsum bonæ indolis adolescentibus à philosophia inflictum eadem quæ sauciauit sanat oratio. Itaque pati quidem oportet & morderi, non cōteri autem, neque animo concidere qui repræhenditur, sicq; statuat, se philosophiæ tanquam mysteriis quibusdam magnis initiatum, primas lustrationes ac tumultus vbi pertulerit, spem habere iucundi splendidique fructus præsentem molestiam & conturbationem secuturi. Sic etiam vbi videbitur immeritò increpatus, rectè aget sustinendo, & ad finem vsq; patiēter audiendo: fine facto compellabit hominem sui purgandi causa, precabitúrq; vt libertatem repræhendendi istam atq; vehementiam qua adversus se nunc fuit vsus, ad arguendum aliquod verè peccatum reseruet. Præterea sicvt in litteris, lyra, palæstra ea quæ initio discenda sunt multum habent tumultus, laboris, ac obscuritatis: inde paulatim factis progressibus cōsuetudo tanquam cum hominibus & noticia plenior parta, omnia amica, māsueta & faciliora dictu actúq; facit. ita cùm philosophia quoq; in primis vocibus atq; rebus habeat omnino quippiam ieiunum & insolens, non convenit quenquā ipsis initiis perterritum (q̄d planè fuerit ad quemvis timescentis strepitū hominis atq; inaudacis) rem totam deserere: sed conantē singula, operámq; impendentem, & progressibus intentum, expectare cōsuetudinem quæ omnia bona reddere valet iucunda. ea enim non multo pòst tempore aderit, magnam adferens disciplinæ lucem, & acres amores inserens virtutis: sine quibus planè ærumnosi est aut meticulosi hominis reliquam posse perferre vitam, vbi ob molliciem quis philosophia excidit. Neq; abnuerim prorsus res ipsas habere quippiam quod imperiti & iuuenes initio perspicere vix, aut ne vix quidem possint. sed tamē in maximam obscuritatis partem ipsi sua culpa incurrunt, in idem diuersis ingeniis peccatum prolabentes. Quidā enim verecūdia quadā ducti, & parcere doctori volētes, metuunt interrogare & confirmare doctrinam, vt re percepta assentiri possint. alij intempestiua ambitione & inani cum aliis certandi studio vt acumen ingenij ac facultatem discendi ostentēt, priusquam acceperint habere se profitentes, nihil percipiunt. Ita vsu venit, verecundis quidem istis ac taciturnis, vt digressi in mœrore sint ac dubitationibus, coguntúrq; tandē necessitate impulsi maiore cum pudore dicentes interpellare, & quæstiones revocare ac retrorsum discurrere. ambitiosis aūt illis atq; audaculis, vt suā insci-

Obiurgationes vt audiendæ.

Principia difficilia.

Cur nihil discāt pleriq.

tiam semper occultent atq; tegant. Repudiata itaq; omni id generis stupiditate atq; arrogantia, in id incumbamus vt discamus animóq; comprehẽdamus quidqd vtiliter dicitur, patiamúrq; nos rideri ab his qui sibi ingeniosi videntur, sicvt fecerunt Cleanthes & Xenocrates. qui cum videretur tardiores esse quàm qui vnà scholam frequentabãt reliqui, non profugerunt à discendo, neq; animos desponderunt: sed vltrò in seipsos dicteria iecerunt, vasis angusti orificij, & æreis tabulis se similes dicentes, vt qui ægrè doctrinam perciperent, perceptam firmiter constantérq; retinerent. Non enim duntaxat quod apud Phocylidem est,

Exempla patientiæ in discendo.

Qui vult esse probus, falli hunc persæpe necesse est:

sed & derideri oportet sępe, & ignominiã ferre, & falsè dicta, & scurriles insectationes. omni deniq; robore animi adversus inscitiã niti, eámq; deiicere oportet. Sed & illud vitandũ est in quo in diuersas alij partes peccant. Sunt enim qui ob ignauiã suam molesti sunt doctoribus atq; importuni. qui cũ nolint seorsim ipsi laborẽ discendo impendere, sæpenumerò eadẽ de re interrogãdo negociũ facessunt doctori: instar implumiũ pullorum semper ad alienũ os hiantes, cupientésq; omnia sibi iam antè ab aliis præparata & elaborata tradi. Alij attentionis & acuminis gloriam nõ suo aucupantes loco, garrulitate & curiositate magistros obtundunt, semper aliqd non necessarium in disputationem trahentes, demonstrationésq; rerum nihil ad institutum facientium quærentes.

Duo alia auditorum vitia.

Hoc pacto iter, breue quod sit, longum redditur,

vt Sophocles ait, non ipsis tantùm, sed & aliis. nam identidem vanis & supervacaneis interrogationibus magistrum occupantes, velvti in faciundo itinere, impediunt continuationẽ doctrinæ, interceptæ atq; morã passę. Atq; hi quidem, vt Hieronymus sentit, similes sunt ignauorum ac timidorũ canum, qui cùm domi pelles mordeant, ac villos vellant, ipsas feras non tangunt. Segnes aũt illos hortor, vt cũ capita rerũ animo complexi fuerint, ipsi suo Marte reliqua adponãt, memoriáq; inventionem quasi manu ducant, & orationem alterius velvti initium ac semẽ accipientes enutriant atq; augeant. Non enim vt vas, ita mens quoq; impleri opus habet: sed fomitem tantùm & alimentum (sicvt materia effectoris eget) requirit qua incitetur ad inveniẽdum, & ad veritatis indagationem feratur. Sicvt ergo fatuus sit qui à vicino ignem petens, invento ibi splendido foco perpetuò adsideat & se calefaciat. ita si quis ad alium accedẽs discendi causa, non existimet suum se peculiare sibi lumen debere accendere in sua mente, sed gaudeat auditione, eáq; se oblectans magistro semper adsideat: is ruborem quidem nitorémq; opinionis quendam audiẽdo sibi parat, sed internam animi æruginem flammis non excoxerit, neq; caliginem luce philosophiæ dispulerit. Quòd si igiť alio præcepto vsus est ad rectam audiendi rationem, oportet nos huius quod modò exposui memores, simul cum discendo inveniendi exercere facultatem. vt cum statuerimus principium rectè viuendi esse rectè audire, habitum nobis non sophisticæ ostentationis aut nudæ cognitionis, sed animo impressum, philosophicúmq; paremus.

Plutarchi cõmentarius, Quomodo possit

ADVLATOR AB AMICO INTERNOSCI.

Lib.5.de leg. Amor sui.



Apvd Platonem est, Antioche Philopappe, veniam omnes dare ei, qui sui sese maximo teneri amore profiteať: verùm præter alia hoc summũ ex amore tali vitiũ in animo hominis existere, quod iustus sui ipsius incorruptúsq; esse iudex nequit. cæcus enim est rei amatę cognitoꝛ qui amat: nisi quis adsueuerit pulcra potiùs in precio habere ac sectari, quàm cognata quæ sint & domestica. Hoc vitium adulatori sub specie amici sese ingerẽdi magnam aperit fenestram opportuna ad nos subigẽdos arce vtenti nostro amore nostri: qui amor facit, vt quisq; sui ipsius assentator cum sit primus atq; maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult esse sibi atque accedere testem adstipulatorémque. Cui enim obiicitur ꝙ adulatoribus delectetur, is seipsum valdè amat, atq; ob benevolentiam omnia sibi vult adesse, omnia putat ea, quæ velle quidem habere non est absurdũ, opinari aũt se iis esse præditum, periculosum est, multámq; requirit cautionem. Quod si veritas res est, vt ait Plato, diuina, omniúmq; bonorum & diis & hominibus principium, apparet diis inimicũ esse adulatorem, Pythio præ cæteris Apollini. impugnat enim semper hãc

Ibidem.

vocem,

vocē, Noſce teipſum, animũ vniuſcuiuſq; decipiens ignorationémq; ingenerans bonorum ac malorũ quę ei adſunt, propter quam neceſſe eſt & bona mutila imperfectáque, & mala prorſus inemendata relinqui. Quod ſi, vt pleræq; aliæ ſolent res malæ, adulator aut ſolos, aut præcipuè adoriretur ignobiles atq; viles homines: non ita periculoſa eſſet ea res neq; adeo difficilis evitatu. Nunc, quemadmodum teredines lignis innaſcuntur potiſſimùm teneris atq; dulcibus: ita ferè generoſa ingenia, & frugi atq; placida adulatorem recipiunt alúntque adhæreſcentem. Atque, vt Simonides ait, equos alendi ſtudium non lecytho comitari, ſed agris frugiferis: ita videmus adulatores non pauperib. ſe adiungere, aut ingloriis & plebeiis, ſed magnarum familiarũ rerúmq; amplarum ruinam hūc morbúmq; eſſe, qui ſæpe etiā regna imperiáq; ſubvertit. Quare non paruum eſt negociũ, neq; providentia indigens exigua, ita adulationem conſiderare, ne cùm adeo ſit agilis, amiciciā lædat aut criminibus obnoxiā reddat. Etenim pediculi moriētes deſerunt, abeúntq; ab eorũ corporibus, exſtincto quo alebantur ſanguine. Sed nunquā omnino videbis adulatores eò ſe cōferre, vbi res ſunt acciſę & homines frigēt. vbi gloria eſt & potētia, eò advolāt, ibiq; augent, & mutāte fortuna celeriter diffluūt. Non eſt autē res ad illud vſq; experimentũ trahēda, quod invtile ſit, adeóq; damnoſum, neq; periculo careat. Durum eſt enim in eo tēporis articulo ſentire non eſſe, qui putabātur, amicos, quādo res non ſinit inconſtantē & ficticiũ conſtante ac probo permutare. Sed ſicvt nomiſma, ita amicũ oportet habere antè q̃ vſus poſtulet probatũ, nō ipſo vſu repręhēſum. neq; damno accepto ſentire debemus, ſed peritiā cognoſcēdi adulatoris habere, ne lędamur. Alioquin idē nobis vſu veniet q̃d iis qui guſtato demũ veneno ſentiunt id eſſe lethale, iudiciúmq; ipſis hoc ſuo cōſtat exitio. Nā neq; hos probamus, neq; eos qui amiciciā honeſtate ac vtilitate metiētes, putāt adulatores ipſo facto ſe depræhēdiſſe eos, qui blādè ac gratioſè cōverſant. Non enim inſuauis eſſe debet amicus aut incōditus, neq; grauitas auſteritáſq; amicicię morũ acerbitate cōſtat: ſed ipſa illa eius pulcritudo atq; grauitas, ſuauis eſt ac deſiderabilis,

Quam iuxta Charites, ſedes poſuitq; Cupido.

neq; ſoli ei qui eſt in calamitate,

Faciem intueri dulce hominis eſt beneuoli,

ſicvt ille apud Euripidem ait: ſed vitam comitatur amicicia non minus voluptatē rebus lætis adiiciens ac gratiā, quàm adverſis dolores difficultatéſq; adimēs. Atq; vt Euenus dixit omniũ condimentorum optimũ eſſe ignem: ita Deus amiciciā vitæ admiſcens, omnia læta, dulcia ac grata vt eſſent amico præſente vnáq; fruente fecit. Et verò qui voluptatum occaſione obrepere vellet adulator, ſi noſſet amiciciam nihil iucundi vſquā admittere? Sed ſicvt quæ aurum mentiunt & adulterina ſunt, fulgorem tantùm auri atq; nitorē imitantur: ſic adulator ſuauitatē venuſtatémq; amici imitans, ſemper hilarē ſe ac renidētem præbet, nunquā reſiſtens, nunquā repugnans. Itaq; non ſtatim debemus adulationis ſuſpectos habere quicunq; laudāt. nō minùs enim ſuo tēpore laus amicũ, quàm obiurgatio decet. Quinimò moroſitas ac ad quævis repræhēdendũ procliuitas, ab amicicia eſt & cōſuetudine res aliena. Quę autē benevolentia liberaliter atq; alacriter laudem laude dignis tribuit, huius etiam in repræhendendo libertatem facilè & ſine moleſtia perferimus ac probamus credentes neceſſitate ductum increpare, qui in laudando fuit facilis. Operoſum eſt ergo, dicet aliquis, adulatorē ab amico internoſcere, ſi neq; voluptatē afferendo, neq; laudando differunt. nam & in miniſteriis & in obſequiis videmus ſæpe adulatores amicis eſſe celeriores. Quid ni verò ſit, inquā, difficile? Siquidem agimus de vero adulatore qui artificioſè & cum quadā calliditate rem gerit: neq; cũ vulgo eos intelligimus adulatores, quos antolecythos & menſarũ vocamus aſſeclas, ac qui poſt datā manibus aquā verba eorũ referūt quibus aſſentant: quorũ ad vnicā patinā ac calicē illiberalitas ſcurrilitate & impuritate comitata ſeſe prodit. Non enim, puto, neceſſe erat Melanthiũ Alexādri Pheræi paraſitũ adſentationis cōvincere: qui interrogantib. quomodo cōfoſſus eſſet Alexander, reſpōdit, Per latus in ventrē meũ. neq; eos qui circa opulentā mēſam in orbē verſant, quos neq; ignis arcere, neq; æs ferrúmve poteſt à petēda cœna. neq; adulatrices Cyprias, quę poſtquā in Syriā trāſiuerūt, climacides (quaſi ſcalarias diceres) appellatę ſunt, q; ſcalarũ loco eſſent regũ vxoribus, iis ſe ſubmittētes, vt per ipſas hę vehicula conſcenderet. Quē igit̃ oportet cauere? Eum qui neq; videt neq; profitet̃ ſe adulari: quē nō depræhēdes circa culinā oberrare aut vmbrā metiri vt cœnæ tēpus exploret,

Adulatores optimis inſidiari.

Cautio.

Non omnes eſſe adulatores, qui ſunt iucundi aut laudant.

aut ebrium quovis modo sese prosternere: sed plerunque sobrius est, curiosè agit, & actionum vult esse socius, arcanorúmque particeps: & in summa tragicus est, non satyricus aut comicus histrio, amici personam gerens. Sicvt enim Plato ait extremæ esse iniusticiæ, iustum videri neque esse: ita & hæc periculosa est existimanda assentatio quæ fallit, non quæ aperta est, & quæ seriò, non quæ ioco agit. Hæc enim veræ quoque amicicię plurimum fidei derogat, sæpe eodem recidenti, nisi animum advertamus. Gobrias cum mago, quem persequebatur, in obscurum delatus conclaue ac colluctans, Dario supervenienti ac qui magum altero saluo iugularet non reperienti, mandasse fertur, vt vel per vtrumque exigeret mucronem. Nos autem, quando minimè gentium dictum illud, Pereat cum inimico amicus, probamus: adulatorem multis similitudinib. cũ amico implicatũ cupiẽtes avellere, summo studio cauere debemus, ne aut cũ malo bonum abiiciamus, aut dum vtilibus parcimus, in id incidamus quod est noxium. Sicvt enim agrestia semina quæ tritico permixta eiusdem cum eo sunt figuræ ac magnitudinis, difficulter secernunt, cùm aut non excidãt per angustiora cribri foramina, aut per ampliora vnà cum tritico excidant: ita adulatio amicicię sese admiscẽs similitudine omnis affectus, motus, vsus, atq; consuetudinis, difficulter deprę-

Adulatorum artes.

henditur. Enimverò quia òmnium rerum suauissima est amicicia, nihilque plus adfert læticiæ, ideò adulator etiam voluptatibus delinit, in iisque administrandis est. Et quia gratia vsúsque amiciciam consequitur, quam ob rem dicimus igne magis & aqua necessarium esse amicum: iccirco adulator ministeriis sese vltrò offert, conatúrq; summo studio officiosus, impiger, promptúsq; videri. Ac quoniam principium amiciciæ ac stabilitas in similitudine studiorum ac morum maximè consistit, earundémq; omnino rerum appetitio aut aversatio ob affectuum animi similitudinem primò homines coniungit ac continet: hoc sentiens adulator, seipsum velvti materiã quandam componit atque conformat, accommodare se ac affingere studẽs imitatione iis quos adoritur, mollis & facilis ad repræsentandos similitudine eos, adeò vt diceres:

Non filius Pelidæ, Achilles ipsus es.

Id verò astutissimè agit, quòd intelligens libertatem sermonis & dici & esse amicicię, tanquam animalis alicuius, propriam vocem, sicvt contrà dissimulatio parum ingenua & ab amicicia aliena habetur: eam libertatem quoq; nõ relinquit inimitatam. sed sicvt periti coqui dulces succos, ne ij satietatem gignant, amaris austerísque cõdiunt: sic & adulatores non genuinam, neq; vtilem, sed velvti superciliis adnictantem, ac titillantem temerè libertatem adhibent. His itaque de causis difficulter depræhendi potest adulator, sicvt & animalia ea, quæ colorem mutandi facultate prædita, subiectæ materiæ ac locis adsimilantur. Proinde cum ille similitudinibus decipiat, sub iisq; delitescat, nostri muneris est, vt discriminibus expositis eum detegamus atq; denudemus, alienis coloribus atq; figuris, vt Plato ait, propriorum ob inopiam ornatum. Atq; hoc ab ipso arcessamus initio. Diximus autem principium amiciciæ esse plerisque animi indolisq; affectionem similem, qua eosdem mores, easdem consuetudines amplectimur, iisdem rebus, studiis, occupationibúsq; capimur. in quam sententiam etiam hæc dicta sunt:

Seni senilis vox est iucundissima,
Puero puer, mulieri mulier congruit,
Aegrotus ægrotanti: cui res asperæ
Sunt, is experto calamitatem concinit.

Quomodo similitudinem ingenij ac studiorũ affectet adulator.

Ergo adulator sciens à natura insitum esse earundem rerum studium, hæc primùm appropinquare & contubernio eodem vti aggreditur, velvti in pascuis animali cuidam sese adiungens, sensim iisdẽ institutis, earundémque tractatione rerum, iisdémq; studiis & viuendi eadem ratione sese applicando, conformémque exhibendo: donec tandem is, quem petit, ansam præbeat, palpantíque cicurem se & tractabilem exhibeat: itaq; & vituperat eas res, mores atque homines, quibus illum offendi intelligit, & quę placere ei sentit, ea non mediocribus sed nimiis fert laudibus, ita vt cum stupore quodam se ea admirari simulet, confirmétque se iudicio magis quàm animi subito motu alia amare, alia improbare. Quibus ergo differentiis coarguetur, deprehendetúrque non similis esse aut fieri, sed similem imitari? Principiò intuendum est in similitudinem

nem instituti atque continuationem, perpetuóne iisdem gaudeat, eadémque laudet, vitámque suam ad vnum dirigat atque exigat exemplar, sicuti decet ingenuum amicitiæ iisdem moribus formatæ, consuetudinisque amatorē. talis enim est amicus. At verò adulator, stabilem nullam cum habeat suorum motum sedem, neque certum aliquod viuendi delegerit genus sibi quod placeat, sed quod alteri, cúmque alteri sese effingat atque accōmodet: non simplex est aut vnius modi, sed varius ac multiplex, ex alia in aliam subinde formam transiens: quo modo aqua defluēs subinde mutatur ad formam eorum in quæ incidit. Simias aiunt capi, dum homines imitari conantes, eorum motus & saltationes adsectantur. Adulator autem alios imitando decipit, atque illicit, non eodem omnes modo. cum aliis saltat atque cantat, aliis palæstræ se & exercitationum corporis socium adiungit. quòd si incidat in studiosum aliquem venationis, tantùm non Phædræ ista inclamans sectatur, *Mutabilitas adulatorum.*

Dij boni, maculosus ceruus
Insequens cupio canes incitare! *Eurip. Hippolyto.*

neque tamē illi quicquam cum feris rei est, ipsum venatorem in laqueos agit. quòd si adeptus est litteris ac disciplinis deditū adolescentem, totus iam in libris est, barbā ad talos vsque demittit, palliū gestat, rerum delectum omittit, in ore sunt numeri & rectangula ac triangula Platonis. sin cum socorde aut potatore diuite res ei sit,

Tum verò sapiens centones ponit Vlysses: *Odyss. χ, initio.*

abiicitur pallium, tōdetur barba velut infrugifera seges, caldaria promuntur ac pateteræ, ridetur in ambulationibus, & dicteria in philosophantes iaciuntur. Ita ferunt Syracusis, cùm eò venisset Plato, ac Dionysius insano philosophiæ studio exarsisset, regiam pulueris plenam fuisse ob multitudinem geometrica tractantium. postquā Plato gratia excidit, Dionysiúsque philosophia valere iussa rursum se vino, nugis, libidinique & intemperantiæ dedit, confertim vniuersos velut à Circe aliqua transformatos inscitiam, obliuionem, fatuitatémque esse amplexos. Testimonio sunt etiam magnorum facta adulatorum, & eorum qui populari gratiæ intenti remp. gesserunt. quorum princeps Alcibiades, Athenis salsè dicta iaciendo, equos alendo, vitámque facetam & gratiosam agendo notus, Spartæ raso capillo, palliatus, frigidáque lotus degebat: idem in Thracia militabat ac potabat, vbi ad Tisaphernem ventū est, mollicie & luxu atque arrogantia vtebatur: hócque modo omnes demulcebat, eorum se moribus studiísque adsimilans. Talis non fuit Epaminondas, non Agesilaus: qui tametsi cum plurimis versati sunt hominibus, vrbibus, moribus, suos tamen vbique mores, suum vestitum, suam victus rationem, & dicendi, viuendíque retinuerunt. Atque ita Plato etiam idem fuit Syracusis qui in Academia, & Dionysio talis, qualis Dioni. Cæterùm adulatoris velut Polypi mutationes facilè deprændet, qui se ipsum simulabit variè mutari, ac vituperata qua fuisset adhuc vsus vitæ ratione subitò tanquam sibi placentes eas amplectatur, quas priùs improbarat res, aut rationem victus, aut genus orationis. videbit enim illum nequaquam constantem aut suum esse, aut qui proprio animi affectu amet vel oderit, gaudeat vel indignetur: sed instar speculi affectuum alienorum, & vitæ institutorum ac motuum imagines recipere. Si vituperes amicorum aliquem apud eum, dicet: Serò depræhendisti quis esset: mihi ne antè quidem placuit. Sin mutata sententia rursum laudes, deierabit gratum sibi hoc esse, & gaudere hominis gratia, fidémque habere. Si mutandam dices vitæ esse rationem, puta à reipublicæ cura ad ocium & quietem transeundum: Iampridem, inquiet, tumultibus & inuidia debuimus nos exonerare. vbi rursum videberis ei ad res gerendas & dicendum te conuertere, accinet tibi: Digna te ipso cogitas: ocium enim suaue quidem est, sed inglorium atque abiectum. Tali statim est occinendum illud,

Nunc alius subitò mihi, quàm paulo antè, videris. *Odyss. π, 181.*

non mihi opus est amico mecum sese mutante & mea momenta sequente, (hoc enim vmbra meliùs præstat) sed qui verum vnà mecum sequatur atque diiudicet. Atque hæc vna est ratio depræhendendi adulatoris. Alterum in similitudinibus discrimen est obseruandum, quòd verus amicus neque imitatur omnia, neque laudat facilè, sed optima duntaxat: nam, vt est apud Sophoclem, *Alia ratio simulationis depræhendendæ.*

Non impetus solet esse, sed amoris comes.

Nimirum enim vnà officium facere, & adiuuare in pulcrarũ rerum studio cupit, non peccandi aut malitiosè agendi socium se præbet: nisi inuitum, sicvt solet lippitudinis, ita vitij quoq; aut peccati quædam ob consuetudinẽ afficiat contagio. quemadmodum familiares aiunt Platonis curuitatem imitatos, & balbuciem Aristotelis, & Alexandri regis colli inflexionem ínq; dicendo vocis asperitatem. quidam enim imprudentes morum vitæq; aliquam percipiunt labem. Contrà adulatori evenit quod Chamæleoni. Hic enim omni colori se potest similem præstare, demto albo. & adulator in iis quæ operæprecium habent similem sese præbere non valens, nihil non turpe imitando exprimit. Sed quomodo inepti pictores pulcra repræsentare cum nequeant, rugas, verrucas, & cicatrices referunt: sic adulator intemperantiam imitatur, superstitionem, iracundiam, acerbitatem adversum seruos, infidelitatem erga domesticos & cognatos. Est enim natura propensus ad deteriora: ac præterea quàm longissimè à repræhẽdendo videtur abesse, si turpia imitetur. Suspecti enim sunt qui meliora quærunt, videntúrq; iniquè amicorum ferre peccata. quæ res & Dionem Dionysio, & Samium Philippo, & Ptolemæo Cleomenem invisum fecit atque perdidit. Adulator dum vult esse ac videri iuxtà suauis ac fidelis, præ nimio amore fingit se ne vitia quidem improbare, vt eodem modo vbiq; affectus atq; eiusdem naturæ putetur. Itaque neq; eorum, quæ nolentibus fortuitò eveniunt, expertes esse volunt. Sed ægrotis adulantes eodem se morbo teneri simulant: & visu se auditúq; valere negant, si cum cæcutientibus aut surdastris viuant: sicvt Dionysij adulatores lusciosos se fingebãt, aliúsque in alium impingentes inter cœnandum paropsides de mensis deturbabant. Alij vt affectus magis æquent, altiùs penetrant, & ad arcana vsq; eodem se modo affectos esse fingentes procedunt. sentientes enim aut coniugium eius cui blandiuntur infelix esse, aut de liberis eum vel domesticis sinistra suspicari: ipsi quoq; sibi non parcunt, sed de suis liberis, aut vxore, cognatis, familiaribúsve arcana quædam crimina cum luctu recensent. Similitudo enim facit vt maiore affectu conspirent. itaq; alter quasi obsidibus iam acceptis aliquid arcani committit adulatori, ac deinceps eo vtitur, ac fidem fallere metuit. Ego verò noui qui amico suam vxorem eiiciente, suam ipse quoque repudiauit. Sed tamen amici vxor deprǽhendit eum clàm istam invisere, ac per internuncios cum ea agere. Quare quid rei esset adulator non habebat cognitum qui cancro magis quàm adulatori convenire putabat Iambica hæc:

Nihil est nisi Venter corpus omne, prospicit
Partes in omnes bestia, reptat dentibus.

Parasiti enim est hæc effigies, amici circa sartaginem & post prãdium, vt ait Eupolis. Verùm hæc in suum reiiciamus orationis huius locum. Id verò commentum adulatoris in imitationibus non prætereamus, quod etiam si quid boni imitatur, tamen ei cui assentatur palmam relinquit. Qui enim veri sunt amici, apud eos nulla est obtrectatio, nulla invidia: sed siue vincant rectè agendo, siue superentur, citra molestiam sus déque ferunt. Adulator autem memor se vbiq; secundas agere partes, similitudinem ita affectat vt semper inferior sit, primámque laudem & palmam alteri relinquat, exceptis prauis rebus. In his enim priores sibi vindicat. ac si ille se morosum dicat, se profitetur atra bile exagitari: si superstitiosum, se diuinitus exagitari: si amare, se insanire: si intempestiuè risisse, se risu emortuum. Contrà in bonis rebus. se ait velocem cursu, illum autem volare. se mediocriter equitare, sed quid hoc ad equitem hunc centaurum? Ego, inquit, ad poësin non inepto sum ingenio, versúmq; condo non pessimum,

Sed mihi non datur, est posse tonare Iouis.

Simul enim & institutum eius videtur pronunciare esse egregium dum id imitatur, & vim æquari non posse, dum certare conatus succumbit. Atque hæc sunt, quibus in adsimilando ab amico differt adulator. Quando autem, vt docuimus, voluptas etiam vtriusq; communis est, (vir enim bonus non minùs delectatur amicis, quàm adulatoribus vitiosus) agedum hîc quoq; discrimen constituamus. id autem erit, voluptatis ad finem relatio. Atq; hoc ita consideremus. Inest in vnguento gratus odor, inest etiam in medicamento. Sed hoc interest, quòd illic tantùm ad voluptatem refertur, neque vllius præterea rei gratia inest: hîc autem ei, quod purgandi corpus, aut calefaciendi, aut carnem reparandi facultatem habet, accedit. Rursum pictores floridos colores admiscent: sed & medicamenta sunt quædam cõspectu florido, & colore minimè ingrato. at discrimen in promtu est, quòd fine scilicet vtilitatis differunt. Ita amicorum

Adulator turpium imitator.

Adulator bona imitans, fingit se non æquare.

Voluptas ab adulatore aliter quàm ab amico paratur.

micorum quoque mutuæ delectationes voluptatem habent quasi efflorescentem in re aliqua pulcra & vtili. aliquando etiam honesti ac virtute præditi homines iocis, conuiuiis, vino, risu, atque adeò etiam nugis inuicem velvti condimentis vtuntur. in quam sententiam dicta sunt hæc,

Hi se oblectabant grato sermone vicissim. &
——neque nos iam res diuelleret vlla,
Quin nos colloquiis oblectaremus amicis.

Adulatoris autem is finis, hoc opus est, vt subinde iocum aliquē, aut actionem, aut sermonem voluptatis gratia & ad parandam voluptatem quasi coquat atq; cōdiat. Vtq; vno verbo rē totam cōplectar, adulator omnia putat sibi facienda esse vt delectet: verus amicus semper id agens q̄d debet, sępe delectat, sæpe molestus est, non q; ita velit, sed quoniā ita vsus fert. Sicvt enim medicus vbi res poscit crocū nardúmve adhibet, & aliquando leni lauacro alimentóq; grato vtit: nonnunquā his omissis castoriū inicit,

Aut polium, tetrum latè quod iactat odorem,

aut veratrum tritum potui exhibet: quod neq; hîc molestiā, neq; ibi voluptatem finis loco sibi proponit, sed vtrobiq; vtilitatē eius respicit quem curat. sic & amicus alicvbi laudando & gratiosè prædicando atque delectando ad honestum incitat, vt ille:

Carum Teucre caput, populi Telamonie princeps, Iliad.θ,281.
Hoc calamos torqueto modo.—— & alius,
Quonam diuini pacto obliuiscar Vlissi? Iliad.κ,243.

Rursum vbi correctione opus est, mordacem sermonem, libertatémque curatore dignam vsurpat.

Quid frustra insanis, & præterrem Menelae? Iliad.η,109.

Aliquando etiam factū verbis adiungit. Sic Menedemus Asclepiadæ amici filium intemperātem & dissolutè viuentē foribus exclusum non dignatus alloquio, in rectam viuendi viam redegit. Et Arcesilaus Batto schola interdixit, cū is in comœdiā versum in Cleanthem fecisset: inq; gratiam tum demū recepit, cum is mutato facto Cleanthem placasset. Oportet enim bene merendo amicum offendere, non lædendo amiciciam abolere: sed eo quod mordet vti tanquā medicamento, quo seruetur & sanetur qui curatur. Itaq; amicus musici instar mutationib. ad pulcrū & vtile accommodatis aliâs intendendo aliâs remittēdo, sæpe quidem delectat, semper autem prodest. Sed adulator quasi vnica tantùm nerui intentione identidem solitus eam vocem reddere, quæ delectet & grata sit, neq; facto repugnare, neq; verbo molestus esse nouit, semper cum eo concinit eúmq; assectatur cui blandiri statuit. Quemadmodum igitur Xenophon Agesilaum ait eorum habuisse collaudationes gratas, qui & culpare per occasionem vellent: ita eum amicè delectare ac gratificari censeamus, qui aliquando etiam molestia afficere & adversari possit. eam verò consuetudinem, quæ continentibus blandiciis vsa omni morsu caret, vitij suspectam habeamus. Sitq; nobis in promtu illud Laconis dictum, qui cum rex Charilaus laudaretur, Quî, inquit, iste probus sit, qui ne malis quidem acerbus est? Tauris ferunt asilum sub aures subire, itémq; canibus ricinum. & adulator aures ambitiosorum laudibus occupans iisque adhærens, non facilè depellitur. Itaque ibi maximè iudicium est adhibendum sobrium atque cautum, vt discernamus homóne laudetur an actio. Rem ipsam laudari intelligemus, si absentibus potiùs fiat quàm præsentibus nobis, si eadem ipsi volentes atq; affectantes non nos modò, sed omnes idem institutum tenentes sectentur, neque nunc alia, alia pòst agant aut dicant: & (quod maximum est) si nos ipsi sentiamus non duci nos pœnitudine eorum propter quæ laudamur, neque eorum nos pudeat, neque contrarium potiùs nos dixisse aut egisse optemus. Internum enim iudicium animi nostri laudi reclamans, eámque non admittens, nullo affectu trahitur aut mouetur, neque potest ab assentante corrumpi. Sed nescio quo pacto fit vt plerique cum in calamitatibus consolationes non admittant, magísque delectentur iis qui vnà lamentantur: iidem si quid peccauerint aut deliquerint, pro inimico atque accusatore habeant quicunque repræhensione ac vituperatione mordere, & ad pœnitentiam trahere cupit: laudantem autem, & facinus verbis comprobantem amplectantur & benevolum amicúmq; sibi ducant. Sed qui factum tamen aut dictum alicuius siue seriū siue iocosum facilè laudant eique applaudunt: ij tantùm in re præsenti sunt noxij. Qui autem Laudationum examen.

ad ingenium ipsum laudando penetrant, & à moribus ad indolem pertingunt: idem ij faciunt quod serui qui non aceruo sed semini aliquid furtim detrahunt. indolem enim quæ initium est ac fons vitæ degendæ pervertunt, dum nomina virtutum vitiis imponunt. Equidem scribit Thucydides in seditionibus ac bellis nomina hominum æstimatione à consueta fuisse significatione detorta ad res alias. audacia enim rationis expers, habita fuit ꝓ fortitudine, prudẽs cunctatio pro timiditate speciosa, modestia pro mollicici prætextu, & callida in omnibus rebus adhibita accuratio pro summa ignauia. Ita in adulationibus quoque obseruandum est, quòd prodigalitas liberalitatis vocabulo, timiditas cautionis, temeritas celeritatis, sordes frugalitatis, amoribus deditus consuetudinis amantis & ad caritatem propensi, iracundus ac superbus animosi, vilis humilisque humani titulo afficitur. Sicvt & Plato alicvbi ait amatorẽ amasij adulatorem, simo gratiosi, advncum habenti nasum regij, nigro virilis, albo deorum filij imponere nomen: deniq; plane adulatorie ab amatore mellei coloris dici pallidos, verbo palloris odium minuente, & boni eum consulente. Sanè deformis persuaderi sibi sinens formosum se esse, aut paruus magnum, neque diu in errore eo persistit, & damnum leue neque irreparabile accipit. Laus autem quæ vitiis adsuefacit dum pro virtutibus habentur, ita vt non dolori nobis sint, sed delectationi, & quæ verecundiã peccantibus aufert: ea inquam ratio laudandi effecit, vt Dionysij & Phalaridis tyrannidem Siculi iusticiæ ac odij in malos nomine ornarẽt. eadem Aegyptum pessundedit, mollicicm Ptolemæi ac furiosam superstitionem, vlulatúsque, & liliorum ac tympanorum impressas in corpus notas, pietatis erga deos cultúsque numinum appellatione velans. Eadem eodem tempore parum abfuit quin Romanorum mores corrũperet atque perderet, luxum Antonij, & intemperantiam, & publicas profusiones pecuniæ voce molli actiones hilares atq; humanitatis plenas appellans, hominis liberaliter sua potentia fortunáq; vtentis. Quid verò aliud Ptolemæo capistrum tibicinis fistulámq; appendit, quid Neroni scenam erexit tragicam, laruásque & cothurnos induit, quàm adulantium laudes? an non plerique reges dum cantillarent, Apollines, dum ebrij essent, Bacchi, dum palæstram exercerent, Hercules salutati, iisque gaudentes nominibus assentando ad extremam sunt adacti turpitudinem? Quapropter maximè vbi laudat cauendum est ab adulatore. Idq; non fallit adulatorẽ, sed callidus suspicionem cauere, vbi in delicatulum aliquem agrestémve incidit, suilla cute crassa amictum: ibi tum quanto potest flatu adulatur. vt Struthias calcans Biantem, eiúsque stupiditati laudationibus insultans: Alexandro rege amplius bibisti, & risu ad Cyprium decolans. Cæterùm elegantiores adortus adulator, cùm hos videt hũc locũ hãcque occasionem potissimùm obseruare, non rectà laudationem profert, sed longis in orbem ambagibus vsus accedit, velvti citra strepitum tacturus pecus aliquod atq; tẽtaturus. Modò enim aliorum quorundam de ipso pronunciatas laudes refert, rhetorum exemplo aliena vsus persona: periucundum, inquiens, mihi fuit in foro cum peregrinis, vel senioribus colloquium, qui de te multa in bonam partem non sine admiratione tui dixerunt. Modò leues & falsas adversus eum criminationes confingens se ex aliorum habere dictis, studiosè accedit, ac interrogat, vbinam tale quippiam egisti aut dixisti? inficiantémq;, vt fieri solet, iam oblata ex ipsa inficiatione laudandi occasione, sic demulcet: Ego sanè mirabar te malè dixisse familiarium alicui, qui ne inimicis quidem soleas: aut si tu alienis inhiasses, qui de tuo adeò es liberalis. Iam sicvt pictores lucida atq; splẽdida appositis vmbrosis & tenebrosis reddunt illustriora: ita adulatores dum adversa proscindunt maledictis, aut traducunt atq; derident, occultè eorum quibus assentantur vitia laudant atque fouent. Nam apud homines luxu perditos, auaros, maleficos, & opes turpibus malísque rebus consecutos, modestiam vituperant sub rusticitatis nomine: & eos qui suis contenti facultatibus iustè viuunt, nihil animi aut virium ad res gerendas habere criminantur. si cum socordibus ocióque deditis & mediocrem in ciuitate stationem subterfugientibus versentur, non pudet eos administrationem reipub. denominare alienarum rerum laboriosam tractationẽ: & honoris studio, sterilis gloriolæ ambitionis nomen indere. denique etiam rhetorica quadam adulandi arte philosophum traducũt: & inter impudicas mulierculas palmam merentur, dum vno cõtentas marito, eiúsque solius amantes, Veneris expertes agrestésque vsurpant. Ea verò est summa malicia, quòd ne sibi ipsis quidem parcunt adulatores. Sicvt enim luctatores corpora sua demittunt, vt alios prosternant: sic seipsos

Appellationum abvsus.

l. de repub. non procul fine.

Artes adulatorũ insidiosè laudantium.

psos illi vituperando obrepunt ad alios laudandos. Ego, inquiunt, in mari timidum sum mancipium, ad labores animum despondeo, insanio præ ira maledictis impetitus. verùm iste nullo terretur periculo, omni caret vitio, homo est singulari ingenio, omnia fert æquo animo ac citra molestiam. Quod si quis sapere se præclarè existimans, cupiénsque videri austerus & à proprio pendens iudicio, rectitudine quadam rationis subinde illud obiiciat,

Nec me Tydida nimia tamen affice laude, Iliad.κ,249.

Nec nimium culpa: —— non iam eadem hunc via adoritur adulator, sed aliam adhibet machinam. Accedit enim eum de rebus priuatis vtpote prudentiorem, consulturus. & habebam quidem, inquit, alios magis familiares, necessitate tamen cogor te interpellare. nam ad quem alium confugeremus consilio indigentes, aut cui potiùs credamus? audito deinde eius responso ita discedit, vt non sententiam se, sed oraculum reportare dicat. Aut si eum peritiam affectare artium dicendi senserit, aliquid ei abs se compositum exhibet, orans id vt legat atque emendet. Mithridati regi, cùm is rei medicæ studeret, nonnulli sociorum secandos se vrendósque præbuerunt, facto, non verbis adulantes. testimonium enim peritiæ eius ferre videbantur, quòd sese ipsi crederent. adeò

Multæ sunt rerum diuinarum formæ. Eurip. fine Alcestidis.

Cæterùm genus hoc occultatarum laudationum, quod cautionem requirit astutiorem, vt redarguas, dedita opera propones consilia, argumenta, correctiones, absurda omnia. nihil enim refellens, sed omnibus annuens, atque omnia admittens, & ad singula exclamans bene ac sufficienter habere, depræhenditur liquidò

Rogasse compositò, atq; aliud sectarier,

nimirum quò laudandi inflandíque nancisceretur occasionem. Porrò sicvt nonnulli dixerunt picturam esse mutam poësin: sic etiam assentatio tacentem laudationem quandam habet. Quemadmodum enim venatores, dum non venari se, sed iter facere, aut pascere, aut agrum colere fingunt, faciliùs feras latent: ita adulatores laudando tum maximè penetrant, cùm non laudare, sed aliud aliquid agere putantur. Qui enim accedenti sella locóve decedit, aut ad senatum populúmve verba faciens, vbi videt diuitem aliquem accedere, oratione abrupta huic suggestum & dicendi copiam tradit: is tacendo meliùs quàm si vociferaretur, priores se huic prudentiæ partes deferre ostendit. Itaq; videre licet qui in auditoriis ac theatris prima sedilia occupēt, non quòd se iis dignentur, sed vt diuitibus inde assurgentes atq; concedentes, adulentur. Alij in congressionibus & consessibus initium dicēdi faciunt: deinde si quis potens, diues, aut nobilis contrà disserat, facilimè tāquam meliori adsentiuntur, suámq; retractant sententiam. Quare apprimè necessarium est huiusmodi cessiones locorum & victoriæ arguere, nō peritię, virtuti, ætative, sed diuitiis & gloriæ delatas. Etenim Apelles pictor adsidenti sibi Megabyzo, & de linea nescio quid vmbráq; volenti disserere: Nónne vides, aiebat, puerulos istos qui melidem terunt? tacenti tibi admodum ij fuerunt intenti, purpuram aurúmq; admirantes. nunc te rident orsum loqui de rebus iis quas non didicisti. Et Solon Crœso de felicitate perquirēte, Tellum quendam obscurū Athenis hominem, Bitonémq; & Cleobin ipso pronūciauit feliciores. Atqui adulator reges, diuites ac magistratum gerentes, nō fortunatos modò & beatos, sed & prudentia, arte, virtutéq; omnibus superiores affirmat. Iam Stoicos quidā ne audire quidē sustinent, sapienti simul diuitis, pulcri, nobilis, regis nomen attribuētes. adulatores verò diuitem iuxtà & oratorem, & poëtam, & (si velit) pictorem, tibicinémque pronunciant, & pedibus velocem, & robustum, cadētes si cum eo lucta, & à tergo eorum manentes, si cursu certent. sicvt Crisson Himeræus cursu cum Alexandro certans dedita opera posterior fuit, quod & animadversum ægrè tulit rex. Carneades dicebat diuitum ac regum filios nihil aliud bene ac rectè discere, quàm equitare. quippe magistri in ludis iis assentantur, & qui colluctatur vltrò se inclinat. equus nulla habita ratione, priuatus an princeps, pauper an diues insideat, eum qui regere non didicit, præcipitem excutit. Stultè itaque ac fatuè Bio, qui agrum laudando putabat se redditurum fertilem ac frugiferum potiùs, quàm fodiendo & colendo. Non tamen homo absurdè facit laudans, vbi id iis qui laudantur est vtile. Atque ager quidem laudando non fit deterior: hominem inflant ac perdunt qui immeritò laudant. Verùm de his satis. deinceps de libertate agamus. Oportuit sanè, quemadmodum Patroclus

Tacitæ laudes.

Libertatem a-

dulator affectat. Iliad. π, 100.

Achillis arma cùm indueret, & equos eius ad pugnam educeret, solam non ausus fuit contrectare Peliadem hastam: ita adulatorem quoque dum amici insignia atque cultum sibi circumponit, solam libertatem, vt gestamen amicitiæ eximium,

Grande, graue, & validum, —

intactam inimitatámque relinquere. Nunc quando adulatores repræhensiones metuunt quibus ob risum, pocula, dicteria ac iocos sunt obnoxij, ideóque supercilióse adsentantur ac tetrico vultu, vituperationis aliquid & increpationis admiscentes: agedum hanc quoque partem examinemus. Puto autem sicvt in Menandri comœdia falsus Hercules in scenam progreditur, clauam gestans non validam, neq; robustam, sed figmentum quoddam inane ac molle: ita experientibus visum iri libertatem adulatoris laxam, & pondere vehementiáque carentem, ac simile quippiam habentem cum ceruicalibus mulierum. hæc enim cum videantur capitibus reniti debere atque obsistere, multo magis cedunt iis ac subsidunt: & adulterina ista libertas inanem ostentans ac mendacem & intus vitiosam molem, sublimis atque inflata est, vt in sese concidens abripiat secum eum qui in ipsam impegit. Nam vera & amici propria libertas peccantes adoritur, adfértque salutarem & tutelarem dolorem, mellis in morem: quod cum vlcerosas partes mordeat atque expurget, cætera vtile est ac dulce. qua de libertate suo peculiari loco dicetur. At adulator primò quidem acerbitatem quandam adversus eos quibus insidiatur præ se fert, iracundum se & implacabilem gerens. nam seruis eius difficilis est, promptúsque ad insultandum peccatis domesticorum atque cognatorum: nihil eorum qui foris sunt laudare, nihil admirari, despicere omnia, nemini ignoscere, calumniosè ad iram alios provocare, laudem odij in malos concepti venari, vt qui volens non facilè libertatem adversus eos non vsurparet, aut in gratiam eorum quicquam vel faceret vel diceret. Deinde vera & grauia eius cui adulatur peccata omnia simulans se nescire, in exiguas & externas culpas grauiter ac cum contentione quadam & vehementia invehitur: puta si quid supellectilis malè est collocatum, si incommodè habitat, si tonsuram, amictúmve neglexit, si canem equúmve non rectè curauit. At si parentes contemnit, liberos negligit, vxorem contumeliosè tractat, domesticos despectui habet, pecuniam prodigit: omnia hæc nihil ad se adulator pertinere putat, ad hæc mutus est, hiscere non audet. non aliter, quàm si aleptes athletam sinat inebriari ac libidini indulgere, eundémque gutti olearij aut strigilis gratia grauiter obiurget. aut grammaticus ob tabellam ac stylum increpans puerum, solœcismos eius barbarismósve dissimulet. aut si rhetor ineptus ac ridiculus de ipsa oratione nullum ferens iudicium, vocem culpet, incusétque grauiter quòd frigidæ potu arteriam corrumpas: vel perlegere iussus miserè compositum scriptum, chartæ asperitatem insectetur, & librarij impuritatem atque socordiam. Ita planè cum videretur Ptolemæus litteris operam dare, de glossa aliqua, versiculo, aut historia vsque ad mediam noctem disputationes vnà traxerunt eius asseclæ: neque in tanto tamen numero quisquam fuit qui eum inhiberet crudeliter agentem ac contumeliosè, atrociáque supplicia exercentem. Denique adulatores suam libertatem iis duntaxat adhibentes, quæ neque lædunt neque dolent, perinde faciunt ac si quis hominis à tuberculis ac fistulis laborantis crines vnguésque cultro medico desecet. Sunt alij his etiam astutiores, qui libertatem vituperationésque ad voluptatem conciliandam accommodant. Sic Agis Argiuus cùm Alexander cuidam scurræ magna daret dona, præ inuidia ac dolore exclamauit, Proh rem absurdissimam. cúmque iratus rex se ad eum convertisset, & Quid ais dixisset: Fateor, inquit, indignari me ac molestè ferre quod vos Ioue genitos omnes video hominibus adulantibus ac ridiculis vti. nam & Hercules Cercopibus quibusdam, & Bacchus Silenis sese oblectauit, & tales apud te in precio esse manifestum est. Tib. Cæsare aliquando in curiam progresso, quidam adulatorum surrexit, dixitque liberorum hominum liberas debere esse voces, nihilque dissimulandum aut reticendum eorum quæ prodessent. Qua oratione cum omnium attentionem excitasset, facto ei silentio, & Tiberio auscultante, Audi, inquit, Cæsar quid in te vniuersi desideremus, nemo tamen audet palàm eloqui. Negligis teipsum, corporisque rationem tui non habes: sed te curis quas pro nobis geris neque interdiu neque noctu quietem capiendo atteris. cúmque multa id genus collegisset, Cassium aiunt Seuerum rhetorem dixisse, Ista hunc hominem libertas perdet.

Adulatorum libertas leuia inuadit, grauia dissimulat delicta.

Libertas ob voluptatem.

Atque

Atque hæc quidem leuiora sunt. Illa verò grauia iam & exitiosa imprudentibus, cùm contraria verorum vitia ipsis obiiciuntur. Ita Himerius assentator diuiti cuidam Athenis illiberalissimo auarissimóque homini prodigalitatem exprobrauit ac socordiam, fore inquiēs vt aliquando cum liberis probè esuriret. Aut cum sumtuosis ac prodigis sordes obiiciunt nimiámque parsimoniam, vt Neroni fecit T. Petronius. Vel cùm principes, à quibus subditi crudeliter inhumanitérque tractantur, deponere iubent nimiam clementiam, intempestiuámque & invtilem misericordiam. Quorum simile est si quis cauere se & metúere vtpote callidum versutúmque hominem simulet eum, qui stupidus sit & fatuus. aut inuidum ac maledicum adsiduísque gaudentem repræhensionibus, fortè ad laudandum aliquem præclarum virum se convertentem, corripiat, impugnétque, & liberalitatem hanc laudandi velvt vitium ei inhærens carpat, dicens: Homines laudas nullius precij. quis enim est hic, aut quid præclari fecit dixitve? Maximè verò adulatores in amoribus adoriuntur suos, ignémque augent. Fratres enim cùm vident dissentire, aut parentes despici, aut insolenter vxorem tractari: neque verbis castigant, neque repræhendunt, sed iras etiam amplificant. Non enim, inquiunt, sentis qui sis. ipse causa es huius mali: semper enim obsequētem te ac submissum præbuisti. Verùm vbi ex ira & obtrectatione animus exarsit meretricis aut adulteræ amore, ibi tum splendida cum libertate adulator præstò est ignem igni superaddens, amoríque patrocinans; & amatorem eo nomine incusans, quod multa non amatoriè agat, dura multa & digna repræhensionibus faciat: occinítque illud,

Ingrate tam crebris amoris osculis.

Sic Antonio amici flagranti Aegyptiæ amore persuaserunt ipsum ab ea amari, duriciémque ei & superbiam exprobrauerunt. Illa quidem, aiebant, tanto regno vitæq; ratione beata dimissis amore tui perit, tua castra sequens habitu pellicis:

Sed tibi non vlla mens est placabilis arte, Odyss.κ,329.

qui negligis illam his animi molestiis conflictantem. ille autem repręhensionibus his iniusticiæq; insimulationibus magis quàm laudibus gaudēs, non sensit eo seipso dum castigari putat perverti. Similis est enim ista libertas morsibus lasciuarū mulierum, eo qui videtur esse dolore excitans voluptatem ac titillans. Ac sicvti merum, quod alioqui adversus cicutam valet, si cicutæ admisceatur, facit vt resisti veneno planè nō possit, ob calorem celeriter ad cor penetranti: ita mali cùm sciant libertatem dicendi magnum adversus assentationem esse præsidium, illa ipsa ad adulandum abvtuntur. Quapropter ne Biantis quidem dictum vitio planè caret; qui interrogatus quodnam animalium esset molestissimum, respondit ferorum quidem tyrannum, cicurum autem adulatorem. Veriùs enim dici poterat, adulatorum quosdam esse mansuetos, qui balnea & mensas sectantur. qui verò curiositatem, calumnias, & malignitatem suam velvti polypus flagella in ipsas vsque ædes & gynæcea protendunt, sæuos esse, ferósque & intractabiles. Vna cauendi tales insidias ratio ēst, quod sciendum Remedium. atque in promta semper habendum est memoria, cùm animi pars vna veritati atque honestati dedita rationi rectæ obtemperet, altera bruta sit, falsi appetens, incertísque obnoxia motibus: amicum semper meliori parti se accommodare consiliarium atque monitorem, instar medici sanitatem augentis atque conseruantis. adulatorem verò brutæ & cupiditatibus addictæ parti se applicare, eámque prauis voluptatibus submittendis scabere ac titillare, & à rectæ rationis obsequio avertere. Quemadmodum verò cibi quidam sunt, qui neque sanguini, neque spiritibus neque neruis neque medullis virium quicquam apponunt, sed pudenda tantùm erigunt, ventrem suscitant, ac carnem generant putridam & morbosam: sic adulatoris oratio nihil sobriæ ac rationis imperio obsequenti parti adiicit. sed cùm semper vel amoris aliquam conciliet voluptatem, vel iram inconsultam augeat, aut ad inuidentiam excitet, aut molestum inanémque arrogantiæ fastum ingeneret; vel dolorem lamentando augeat, vel malignitatem, illiberalitatem, infidelitatémve nouis quibusdam calumniis atque præsagiis exasperet, meticulosámve & suspicacem reddat, non fallet eos qui animum attendunt. semper enim sub aliquem subit animi affectum, eúmque saginat, bubonis instar subinde morbosis & inflammatis animi motibus adnascens. Irasceris: puni, inquit. appetis: eme. metuis: fugiamus. suspicaris: crede. Quod si circa hos

motus non ita facilè deprædhendi possit, ob vim & vehementiam rationis eum repellentis, tamen in minoribus capietur facilius, eundem sese gerens. Nam vbi te viderit suspicari crapula aut repletione tibi nocuisse, ideóque de balneo aut alimento dubium cogitare amicus, abstinere hortabitur & considerate agere. adulator verò in balneum trahet, nouúmque aliquid apponere iubebit, neque corpori iniuriam abstinentia facere. Idem si videat te ad iter, aut nauigationem, opúsve aliquod obeundum animo esse ob molliciem segni: dicet nullam vrgere temporis necessitatem, ac posse idem agi re dilata, aut alio misso. Quod si pollicitus familiari alicui pecuniam mutuò dare aut largiri, mutes consilium, & tamen pudore ducaris: momentum in deteriorem partem afferet adulator, sententiámque pro crumena confirmabit, & verecundiam expellet, parcere te iubens vt qui impensas facias magnas, multísque velis sufficere. Itaque nisi nos nostræ ipsorum fallant cupiditates, impudentia, timiditas: non latebit nos adulator. is enim est horum idētidem affectuum patronus, libereque nos vt in his modum trāsgrediamur monet. Ac de his quidem satis. Veniamus nunc ad vsus & officia. Nam in his frequenter suam & amici differentiam adulator confundit aut obscurat, dum se vbique impigrum atque alacrem absque vlla tergiversatione ostentat. Etenim amici mores sicvt veritatis apud Euripidem oratio, simplices sunt, sincerique, & nihil habent ficticium. Adulatoris autem revera

Phœnissis.

Praui suapte natura, artis indigent

& quidem callidis profectò, multísque & operosis adminiculis. Iam primùm in ipsis congressibus amicus sæpenumerò neque compellans ipse neque compellatus, placido tantùm contuitu atque revidendo vltrò citróque declarata benevolentia & familiaritate præterit. adulator verò currit, persequitur, eminus manum porrigit, ac si compelletur priùs conspectus, sæpe testibus & iureiurando adhibitis se purgat. Eodem modo in actionibus amicus multa minuta negligit non percunctans curioséve perquirens omnia, neque ad quævis sese obiiciens ministeria. adulator autem in his frequens atque assiduus est & indefessus, nulli alteri locum aut spacium ministerij concedens, sed iuberi volens, ac nisi iubeatur, ægrè ferens, atque adeò etiam animum despondens & fortunam suam deplorans. Quæ ipsa quidem sanis argumenta sunt non veræ sobriæꝗ amiciciæ, sed meretriciæ ac se promtiùs quàm oporteat ingerentis. Veruntamen est primùm in promissionibus considerandum discrimen. Rectè enim maiores quoque nostri dixerunt, amici hanc esse promissionem,

Officia & obsequia adulatorum qualia.

Si possum præstare, & si fieri pote res est.

Iliad.ι,427.

Adulatoris autem hanc,

Adulatorū promissiones.

Dic quodcunꝗ velis.—— nam & comici tales introducunt,

Ibid.426.

Nicomache, me precor huic opponite militi.
Peponis ego illum instar flagris emolliam,
Reddámꝗ mollius vel spongia caput.

Deinde amicus nemo rei gerendæ socium se prębet, nisi priùs in consilium adhibitus, decori aut vtilitatis rationibus subductis institutum comprobauerit. Adulator etiam si eum ad deliberandam rem, ferendámque sententiam adsciscas, non modò gratificandi palmámque concedendi studio, sed & ne in suspicionem veniat detrectantis officium, cupiditati tuæ locum dat, eámque incitatione sua comitatur. Non enim temerè invenias diuitem, aut regem, qui hoc vsurpet:

Vtinam mihi sit pauper, aut (si res ferat)
Paupere miserior, qui bene cupiens mihi,
Timore misso dicat id quod senserit.

nam hi quidem instar tragœdorum requirunt chorum accinentium amicorum, aut theatrum applaudens. Ac tragica quidem Merope sic præcipit:

Verbis amicos quære qui non mulceant
Blandis: & assentando gratiam tuam
Captantes foribus arce non probos tuis.

Vulgo autem contrà agunt. Qui enim non assentantur verbis, sed repugnant vtilitatis gratia, eos aversantur. blandiētes autē, malos homines & illiberales atꝗ impostores, nō intra fores duntaxat & domū, sed & ad affectus résꝗ arcanas admittunt. Quorū qui simpliciores sunt, tantarū rerum consultandarū negant se posse aut debere esse

socios,

socios, ministeriũ obire & exequi decretũ sui aiunt esse officij. Astutiores autẽ intersunt deliberationi, superciliúmq; cõtinent, vultúmq; ad annuendũ componunt, neq; interim quicquã eloquuntur: vbi verò alter sententiã suam pronunciauit, Dij boni, inquiunt, paululo me antevertisti, idẽ planè meditatũ dicere. Sicvt enim mathematici superficies aiunt & lineas neq; flecti neq; intendi neq; moueri per se ꝙ corpore careant ac intellectu modò percipiant: flecti autem, intendi, moueriq; vnà cum corporibus, quorũ sunt extremitates. ita adulatorem quoq; depræhendes, semper alterius vocem, enunciata, sensum, irámq; subsequentem. Itaq; hoc quidem in genere omnino facilimum est investigatu discrimen. Magis tamen ipso in modo officiorum præstãdorum *Officiorum modus.* liquet. Ab amico enim quod præstatur officium, velvti animal quoddam intus præcipuam habet vim, ad ostentationem & pompam nihil. sed sæpenumerò sicvt medicus occultè sanat, ita & amicus sua præsentia aut absentia amico prodest ignoranti pro se curam geri. Talis fuit Arcesilaus, qui (prætereo enim alia) ægrotantis Apellis Chij paupertate cognita, reversus ad eum drachmas vnà viginti attulit, assidénsque ægroto, Hîc quidem (aiebat) nihil est præterquam Empedoclis illa elementa,

Ignis, aqua, & tellus, atq; ætheris ambitus almi:

sed tu etiam incommodè cubas. simúlque mouens puluinar eius, clàm pecuniam subiecit. quam cum vetula, quæ ægroto ministrabat, reperisset, Apellíque cum admiratione renunciasset, subridens hic: Arcesilai, inquit, hoc est furtum. Et verò in philosophia locum habet illud, Nasci prolem parentum similem. Arcesilai discipulus Lacydes, vnà cum reliquis amicis in iudicio aderat Cephisocrati perpetrati publici contra ius non scriptum delicti postulato. ibi actore annulum rei postulante, cuius argumento eum convincere poterat, eúmque Cephisocrate sensim in terram demittente, pede annulum imposito texit Lacydes. absolutus autem Cephisocrates cùm iudicibus gratias priuatim ageret, vnus eorum, qui (vt apparet) factum obseruauerat, Lacydi eum iussit gratiam habere, rémque gestam narrauit, cùm Lacydes ipse nemini eam exposuisset. Sic etiam deos puto plerumque occultè benefacere, cùm ea sint natura, vt ipsa sua beneficentia delectentur. Adulatoris autem facta nihil habent iusti, nihil veri, nihil simplex, nihil liberale. Sudat, discurrit, clamat, vultum contrahit, vt ministerio speciem laboriosæ ac difficilis operæ conciliet: picturæ operosæ instar, cui evidentiæ simulacrum lasciuientibus coloribus, fractísque plicis, rugis, atque angulis paratur. Idem & narrando molestus est, dum recitat quemadmodum huius rei causa vagatus, qua solicitudine fuerit, vt offenderit alios, tum alias sexcentas res & affectus, vt dicere possis, Non erat hoc operæprecium. Etenim omnis quidem quæ exprobratur gratia, molesta est & ingrata atque intolerabilis. Sed adulatorum non postmodò, sed etiam dum adhuc exhibentur officia, exprobrationem secum trahunt & pudefaciunt. Quanto rectiùs Spartani, qui cum indigentibus Smyrnæis cibum misissent, iíque beneficium hoc laudibus veherent, Nihil se admiratione dignum præstitisse responderunt, qui cùm vnius diei prandio sibi suísque iumentis decreto interdixissent, subsidium hoc ipsis collegissent. Huiusmodi beneficium non liberale tantùm est, sed & accipientibus eo gratius, quòd censent non magno damnò præbentium se id accipere. Porrò non tantùm ex importunitate in nauanda opera, aut pollicendi leuitate agnosci potest adulator, sed ipsius etiam operæ honestate siue turpitudine, & ad vtilitatem voluptatémve respectu. Non enim verum est quod Gorgias dixit amicum ab amico in rebus tantùm iustis operam postulaturum, ipsi autem in multis etiam non iustis rebus operam daturum. Amicus enim *Finis officij.*

Vnà agere rectè, non peccare vnà solet.

itaque amicum aut ab his quæ non decent avertet potiùs: aut si non persuadeat, eo vtetur, quod Phocion ad Antipatrum dixit, Non potes me & amico vti & adulatore, id est & amico & non amico. Adiuuandus est enim amicus in factis, non flagitiis: in consultando, non in parandis insidiis: testimonio, non fraude. Denique socius etiam aduersæ amico fortunæ esse, non autem maleficij debes. vt enim aliquando conscij amicis turpitudinis alicuius simus, non tamen consortes facti turpis esse velle debemus. Victi pugna ab Antipatro Lacedæmonij, cùm pacis conditiones componerentur, ab eo flagitârunt, vt quæ vellet damnosa ipsis, modò nihil turpe, iniungeret. Ita amicus quoque, si sumtuosum, periculosum, aut laboriosum requiretur officium

primum se volet hoc pósci, alacritérque & nihil causatus obsbit. tum duntaxat parci sibi volet, ac recusabit, cùm res erit cum turpitudine coniuncta. Contrà adulatorum est laboriosa ac periculosa ministeria subterfugere: & si periculi faciundi causa velvti ollam pulses, sub aliquo prætextu sonitum reddit obtusum instar rupti vasis. in turpibus atque abiectis & ingloriis officiis abvtere eo, calca: nihil indignum putabit aut contumeliosum. Simiam considera. domum vt canis custodire, ferre vt equus, arare vt bos nequit. ergo contumelias fert & scurrilitatem ac lusus, & risus instrumentum se præbet. Sic adulator cùm in dicendo, consulendo, certamina obeundo præstare operam nullam queat, labórque eum & seria studia omnia destituant: ad ea quæ sub axilla geruntur, id est fœda & clandestina, impigrum sese offert. minister amoris est fidus, in meretrice adducenda accuratus, non indiligens ad diluendam de sumtu conviuij curam, industrius in cœnis adornandis, pellicibus obsequens, iussus ferocire adversum curatores, aut vxorem heri exemplo familia exturbare, absque misericordia verecundiáve obtemperat. Itaque ne hîc quidem difficile est eum deprǣhendere. quidquid enim iusseris turpe aut indecorum, paratus est in gratiam tuam nulla in re sibi parcere. Quod si obserues quo modo erga alios sit amicos affectus, facilè quantum ab amico differat intelliges. Amico enim nihil iucundius est quàm cum multis amare atque amari, in idq; perpetuo dat operam, vt amicus à quamplurimis diligatur atque colatur. amicorum enim communia esse omnia censens, nihil magis putat commune debere esse atque ipsos amicos. At falsus ille ac spurius & vitiosus, vt qui maximè intelligat se iniuriam facere amicitiæ, quam instar nomismatis adulterat, natura invidus cum sit, adversum sui similes invidentiam exercet, certans eos scurrilitate & garrulitate superare. meliores autem metuit ac tremit, non sanè vt qui pedes iuxta Lydium currum incedat, sed qui collatus auro excocto ipse, vt ait Simonides, ne plumbum quidem sincerum habeat. Itaque vbi cum vero ac graui & solido comparatus amico impedire non potest quin leuis, adsciticius, ac fallax deprǣhendatur: tunc eum imitatur qui gallos inscitè depinxerat. is enim puerum veros gallos iubebat longissimè à tabula abigere. Ita ergo adulator veros amicos arcet, neque appropinquare sinit: aut si hoc non potest, palàm quidem eos demulcet, colitque & admiratur vt meliores: clanculum autem submittit aliquas & spargit calumnias. occultò autem sermone vlceris pruritum excitante *

Quod si non statim rem perficit, memoria tamen tenet atque obseruat Medij dictum. Fuit is Medius chori adulatorum qui Alexandrum cingebat velvti princeps, & sophistarum summus in calumniandis optimis viris. iubebat autem suos audacter calumnias iacere iisque mordere alios: docens, tametsi morsi vlcus consanaretur, tamen calumniæ cicatricem mansuram. His quidem cicatricibus, aut gangrænis potiùs & cancris corrosus Alexander, Callisthenem interfecit, & Parmenionem, & Philotam: Agnonibus autem, Bagois, Agesiis & Demetriis sese tradidit affatim supplantandum, cum ab his adoraretur, vestiretur, adornaretúrque barbarici instar simulacri. Ita magnam assentatio habet vim, ac nimirum maximam apud eos qui maximi putantur. fidem enim & audaciam adulatori parat, quod ij & putant se optima habere, & ea volunt. Etenim sublimia loca difficilia aditu sunt insidiantibus: sed animi ratione non instructi altitudo atque elatio à fortunæ aut natalium bonitate profecta, paruis & humilibus aditum facilimum præbet. Quapropter & initio huius commentarij monuimus, & nunc iterum hortamur, vt sui quisque amorem & arrogantiam excindat. hæc enim adulatione occupans, faciliores nos & iam præparatos externis præbet adulatoribus. Si verò deum secuti, tenentésque summam vnicuique in eo positam esse salutis vt Norit seipsum, naturam, educationem, institutionémque nostram examinauerimus, quibus innumeri defectus pulcritudinis, plurimum vanitatis ac vitij admixtum est in actionibus, in verbis, in animi motibus: non ita facilè calcari nos ab adulatoribus patiemur. Alexander aiebat somno potissimùm ac re venerea se doceri, fidem non esse habendam iis qui ipsum deum appellabant: quòd his duabus in rebus seipso deterior esset, ac ampliùs æquo afficeretur. Et nos multa passim atque identidem turpia, molesta, imperfecta, ac peccata nobis inesse obseruantes, sentiemus non amico nobis laudatore atque prædicatore, sed reprǣhensore & liberè vitia nostra increpante opus esse. Pauci enim de multis sunt, qui liberè potiùs cum amicis loqui audeant,

Adulator qualis erga veros amicos.

Nosse seipsum.

deant,

deant, quàm gratificari. ac in illis ipsis paucis non facilè inveneris qui libertate vtiſciat: ſed ferè putant liberè ſe dixiſſe, ſi vituperauerint & conviciati ſint. Enimverò vt alia medicamenta, ita & libertas dicendi intempeſtiuè vſurpata abſque vtilitate moleſtiam adfert ac perturbat: facitque idem quodammodo cum dolore, quod adulatio cum voluptate. Non enim laudationes modò ſed & vituperationes nocent, ſi alieno adhibentur tempore. atque hoc maximè adulatoribus obiicit homines, cùm à nimis arduis atque adverſis velvti in morem aquæ ad mollia & humilia delabuntur. Itaque lenitate oportet temperatam eſſe libertatem, orationique velvt lumini adimenda eſt nimia copiæ vis: ne perturbati & dolore affecti ab omnia repræhendentibus & culpantibus ad adulatorem velvti in vmbram confugiant, eóq; divertant, vnde non lædantur. Omne enim vitium, Philopappe, virtute, non adverſo vitio eſt corrigendum. in quo errant nonnulli, à nimia verecũdia ad impudentiam, à ruſticitate ad ſcurrilitatem confugientes, ac tum ſe lõgiſſimè abeſſe à timiditate & mollicie putantes, cum proximi videntur proteruitati eſſe & ferociæ. quidam etiam impietate ſuperſtitionem, ſtoliditatem improba aſtutia amoliuntur, mores inſtar ligni ab vna parte in alteram incuruantes, dum rectitudinis reſtituendæ ſunt ignari. Turpiſſima verò eſt adulationis fuga, ſine vtilitate moleſtias exhibere: omninóque rudis & imperitæ eſt ad benevolentiam parandam conſuetudinis, inſuauitate ac moroſitate id evitare quod in amicicia illiberale habetur atque abiectum. ſicvt & parum ingenuum eſt in comœdia accuſandi impunitatem pro æquo iure liberè dicendi vſurpare. Proinde quandoquidem turpe eſt gratiæ captandæ ſtudio adulatorem fieri, turpe item vitandæ adulationis gratia, libertate dicendi immoderata amiciciæ ac procurationis rationem corrumpere: ac vtrunque vitium fugiendum eſt, atque vt aliis in rebus etiam libertatis in dicendo decorum è mediocritate ſumendum: ipſa ratio videtur poſtulare, vt ſub finem cõmentarij iam huius ea de re præcipiam. Ergo cum videamus libertati dicendi complura adhærere vitia: primo amorem noſtri cæcum demamus, ac diligenter caueamus, ne aliquam ad nos priuatim pertinentem rem velvti læſi aut dolentes videamur exprobrare. non enim à benevolentia, ſed ab ira proficiſci putant ſermonem, quo quis pro ſe ipſo vtitur: neque admonitionis loco, ſed vituperationis accipiunt. Eſt enim libertas amica res & grauitatem habet: repræhenſio & amorem ſui, & animi illiberalitatem aliquam arguit. Vnde fit, vt revereamur admiremúrque liberè nos increpantes, vituperatoribus autem par pari referamus, eóſque contemnamus. ſicvt Agamemno Achillem, qui tamen non vltra modum provehi liberè dicendo videbatur, non ferens, Vliſſi acerbè increpanti, ac dicenti,

Libertatis in dicendo verus vſus.

Vitiorum genuina correctio

Moderatio libertatis in dicẽdo.

Primo Iliad.

Perdite, cuiq; vtinam non iſte exercitus eſſet
Subditus. —— concedit, ac perfert, oratiõne cordata & profecta ab animo de republica ſolicito correptus. Hic enim cùm nihil eſſet priuatæ cauſæ, ob publicũ Græciæ commodum iſta vtebatur libertate: Achilles ſui ipſius potiſſimum cauſa videbatᷣ eſſe moleſtus. Quin & ipſe Achilles, homo nequaquam lenis aut placidi animi, ſed

Difficilis, vélq; inſontem culpare paratus: *Iliad.λ,653.*

tamen Patroclum tacitus audiuit multa ipſi talia obiicientem,

Iam neq; te Peleus genuit, neq; candida mater *Iliad.π,initio.*
Eſt tibi, ſæue, Thetis: ſed duri cærula ponti
In lucem hanc, altéq; minacia ſaxa dederunt
Immani dotatum animo. ——

Sicvt enim Hyperides rhetor ab Athenienſibus poſtulabat, vt non tantùm conſiderarent an acerbè diceret, ſed & an iniquè eſſet acerbus: ſic amici admonitio omnis priuati affectus animi vacua, venerabilis eſt & grauis, & contra quam oculos nõ audeas ſuſtollere. Vbi verò eum qui liberè repræhendit conſtat quæ amicus in ipſum peccauit planè miſſa facere, alia aũt eius delicta arguere, & ad ſe non pertinentia ob facta dictis largiter inceſſere: id genus libertatis vim habet cui reſiſti nullo poteſt modo, ipſaq; caſtigãtis ſuauitas acerbitatem & auſteritatem increpationis auget. Itaq; rectè quidẽ dictum eſt, cùm iraſcimur amicis aut cũ iis contendimus, tũc maximè nos agere aut ſpectare aliquid debere eorũ, quæ ipſis proſint aut cõveniant. non minùs tamẽ hoc quoq; ad rationes amiciciæ pertinet, cùm ipſi negligentiùs haberi aut deſpici videmur, vt tũ amicos propter neglectos ab iis alios liberè admoneamus. Hoc modò egit Plato. Hic enim qua tempeſtate à Dionyſio contemtui habebatᷣ, erátq; invíſus tyrãno, colloquẽ-

Platonis egregium factum.

di cum eo copiam petiit. eáq; impetrata, quòd tyrannus putabat Platonem sui ipsius causa expostulaturum atque verba facturum, in hanc allocutus est sententiam. Si quē sentires, Dionysi, hostili animo in Siciliā appulisse tui lędendi causa, & tamen occasione destitui, patererísne eum impunè hoc ferentem inde soluere? Nihil verò minùs, ait Dionysius. inimicorum enim non facta modò, sed & proposita odium pœnámque merentur. ergo, subiecit Plato, si quis benevolentia erga te adductus huc se contulisset, cuperétq; tibi alicuius boni esse autor, neque tu ei occasionem perficiendi præberes: dignum est eum abs te præteriri atque contemni? ad hoc interrogante Dionysio, quisnam ille esset: Aeschines, inquit Plato, est, moribus vt quisquam alius Socratis familiarium probis, aptúsq; ad castigandum verbis eos quibus cum agit. qui longo mari emenso vt tecum philosophicè colloqueretur, huc profectus, negligitur. Hæc ita permouerunt Dionysium, vt & Platonem statim manu iniecta sit amplexatus, benevolētiam hominis animíque magnitudinem admiratus: & Aeschinis honestè atq; magnificè rationem habuerit. Proximum est, vt mala libertatis condimenta amoliamur, contumelias inquam, risum, insectationem salsam, scurrilitatem. Quemadmodum enim medicus carnem secans, agilitatem aliquam debet ac mundiciem operi adhibere, gesticulatoria autem & temeraria atque vaga mobilitate atq; ociosis agitationibus manum abstinere. sic dicendi libertas dexteritatem vrbanitatémque admittit, si elegantia grauitatē seruet: quam perdit omnino temeritas, leuitas, atq; contumelia. Qua de causa non ineptum est illud citharœdi, neq; inelegās quo Philippo os obthurauit dictum, disputare cum ipso de sonis neruorum aggresso. dicebat enim, Absit verò, rex, vt eo tu infortunij devoluare, vt harum rerum scientia me fias prior. Non rectè autem Epicharmus, qui ab Hierone, cum hic familiarium quosdam necasset, paucis pòst diebus ad cœnam invitatus, respondit: Atqui nuper cùm immolares amicos, nō vocasti. Malè etiam Antiphon: qui cum apud Dionysium quæreretur ac disputaretur quódnam æs optimum esset, id pronunciauit omnibus præstare, ex quo Athenienses Harmodij ac Aristogitonis statuas parauissent. Id genus dicta acerbitatem habent invtilem, & scurrilitatem iocúmque non delectantem. sed incontinentium est, odium malicia ac contumelia permixtum gerentium, quo vtentes sibi ipsis exitium conflant, saltantes (quod in proverbio est) circum puteum. Nam & Antiphontem interfecit Dionysius: & Timagenes amicicia Cæsaris excidit, cùm nulla vnquam libera voce vsus, in conviuiis interque deambulandum identidem nullius seriæ rei gratia, sed

Libertas sine leuitate.

Iliad.β,215.

Vt foret vnde corona cachinnum tollere posset,

convicia sub amiciciæ iaceret prætextu. Etenim & comici in theatris multa odiosa atque ciuili ratione depromta protulerunt. sed ridicula iis & scurrilia admixta velvti cibis intritum vitiosum, effecere invtilis vt esset & inanis libertas: ac propterea actores in crimen malignitatis atque impuritatis inciderunt. Proinde licet ioco & risu adversum amicos etiam vtcunque vti: sed libertas in dicēdo seria debet esse ac modesta: & si graue sit argumentum, affectu etiam, gestu, ac contentione vocis orationi autoritas mouendíque vis concilianda est. Occasionis autem neglectio cùm aliis omnibus in rebus est damnosa, tum vtilitatem præcipuè libertatis perdit. Satis verò liquet inter pocula & apud ebrios ea abstinendum esse. Nubem quippe serenitati inducit, qui inter iocos & hilaritates orationem mouet quæ superciliū attollat, & seueritatem vultus inducat, quasi adversans Lydio deo, qui, vt ait Pindarus, funem molestarum soluit curarum. Sed & magno cum periculo importunitas vsurpatur. Sunt enim animi ob vinum ad iram præcipites, & sæpe ebrietas libertatem in inimiciciā convertit. Omnino autem neque generosi neque audacis, sed timidi est libertate apud sobrios abstinere, in mensa latrare, sicvt solēt ignaui canes. Itaque hac de re nihil attinet prolixiùs disserere. Iam cum multi amicos rebus secundis vtentes neque velint neque audeant castigare, sed planè inaccessam admonitioni prosperitatem putent: eosdem verò in calamitatem aliquam prolapsos adoriantur atque calcent fractos iam & humiles, & in eos torrentis instar præter naturam aucti invehantur, abvndè libertatis adversus eos promentes, lætiq; mutatione hac fruantur, cum ipsi antè imbecilli, isti superbi fuissent. ex vsu est hac quoq; de re verba facere, & Euripidi dicenti

Vbi abstinendū libertate oris.

Cùm res secundæ sunt, quid amicis est opus?

respōdere, Maximè amicis libero ore loquentibus opus esse ei cui fortuna est prospera, qui nimios retundant spiritus. Pauci enim sunt qui non successibus lętis insolescāt: ple-

Rebus secundis libertas, non

plerique indigent aliorum externis consiliis, rationibusque foris eos deprimentibus à fortuna inflatos & æstuantes. vbi fortuna in adversam mutata fastu exuit, ipsæ calamitates in se habent quod pœnitentiam inducat & castiget. Itaq; afflictis rebus nullus est vsus liberarum amici vocum, aut molesti ac mordacis sermonis: sed revera in his mutationibus *adversis adhibenda.*

Faciem intueri dulce est hominis beneuoli,

consolantis atque animum addentis: quomodo Xenophon ait prœliantes aut aliis in periculis constitutos milites viso Clearchi placido ac benigno vultu animosiores fuisse redditos. At qui libertatem dicendi morsúmque homini infortunio icto adhibet, perinde agit ac qui oculo conturbato ac inflammato medicamentum iniicit quod visum acuat: nam neque sanat aut quicquam de dolore deminuit, & iram dolori addit, exasperátque ægrum animum. Et quidem rectè valenti amico molestus non est, neque planè agrestis videtur, reprehendens nimium eius venereæ rei ac vini vsum, ignauiam, adsiduam in gymnasiis & balneis obversationem, & repletiones corporis intẽpestiuas. ægrotus tolerare non potest, sed ipso morbo molestius ipsi est audire, Hęc tibi evenerunt ex intemperãtia & mollicie, ex vsu ciborum & mulierum. ô, dicet, te hominem intempestiuum: ego testamentum condo, castorium mihi aut scammoniã pręparant medici: tu me verbis castigas & philosopharis. Eodem modo res quoque adversa fortuna laborantium non libertatem, non sentẽtiarum recitationem requirunt, sed æquanimitatem & auxilium. Nam & nutrices puerulis cadentibus, non accurrũt vt maledictis incessant, sed erigunt, abluunt, sedant: posteà tandem obiurgant atq; castigant. Demetrium ferunt Phalereum, cùm patria exulans apud Thebas obscuram humilémque vitam ageret, accedente Cratete nonnihil cepisse molestiæ, Cynica eum erga se liberrate asperísque vsurum sermonibus opinantem. Sed cum Crates comiter ipsum allocutus de exsulio disseruisset, docuissétq; illi nihil mali, aut quod deberet ferre iniquiùs accidisse, negociis liberato periculosis atque lubricis: hortatúsque esset vt in seipso animiq; affectione sui omnem collocaret fiduciam. ibi tum Demetrium molestia abiecta, animóque recepto amicis dixisse: Piget verò me actionum istarum atq; occupationum, quarum culpa tantum virum non licuit videre.

Quippe ægrum animum vox comis amicorum iuuat.
Stulto nimis debetur castigatio.

Atq; hi sunt mores ingenuorum amicorum. Degeneres & abiecti fortuna fauente adulatores, sicvt Demosthenes aiebat rupturas & convulsas partes tum demum moueri cùm corpori malum aliquod accidit, ipsi quoque mutationibus inhærescunt, quasi fruentes iis & sese oblectantes. Etenim si qua opus est commonefactione iis in adversitatibus in quas se ipsum aliquis consilij sui prauitate coniecit, sufficit hoc:

Hoc equidem sine mente mea, qui plurima dixi Iliad. ι,108.
Dissuadens tibi rem. —

Vbi ergo, dices, vehemens debet esse amicus, & liberæ increpationis vigore vti? vbi inquam inhibendus est ad voluptatem, iram, contumeliámve factus impetus, aut auaricia excutienda habitúsve animi alius stultus oppugnãdus. Sic liberè Solon Crœsum monuit, instabili rerum prosperitate corruptum ac luxuriãtem, Finem respicere iubẽs. Ita Socrates Alcibiadẽ repressit, convictóq; vitij veras extorsit lacrumas, ac cor invertit. Talia sunt Cyri ad Cyaxarem, Platonis ad Dionem, cùm eum splendentem summa gloria, & ora omnium hominum in se ob pulcritudinem facinorum conversa habentẽ cauere sibi iussit, & metuere ab eo vitio, quo sibi soli placere aliorũ spretis iudiciis homines solent, quòd ei vitio adsideat solitudo. Scripsit ad eundem Speusippus, Non debere eum altos ducere spiritus propterea quod multus de ipso sermo esset apud pueros & mulierculas: sed dare operam, vt sanctimonia, iusticiáque & optimis legibus ornata Sicilia, gloriã Academiæ conciliet. Euctus contrà & Eulæus Persei socij, cũ rebus vtenti secundis perpetuò assentati essent, & omnia eius momenta insequendo comitati, apud Pydnam prœlio cum Romanis cõgressum atq; victũ adorti acerbè obiurgauerunt, & singula eius peccata ac delicta commemorantes exprobrauerunt, tantisper donec dolore iráq; exagitatus vtrunq; pugione occidit. Definitum hoc modo esto, quæ sit in vniuersum liberè dicendi occasio. Interim omittendæ hæ non sunt amico fideli, sed arripiendæ quas ipsi amici sæpe præbent occasiones. aliquando enim

Liberæ voces vbi vsurpandæ.

Epist.4.

interrogatio, narratio, similium rerum laudatio aut vituperatio, ansam libertati exhibet. Hoc modo Demaratus Corintho in Macedoniam cum venisset sub id tempus, quo cum vxore & filio Philippus dissidebat, amicè à Philippo exceptus, interrogatúsque quomodo Græcis inter se conveniret, dicitur (vt erat ei benevolus atque familiaris) respondisse: scilicet verò Philippe, rectum est te inquirere de concordia Atheniensium & Peloponnesiorum, qui familiam tuam pateris tanta seditione & dissensione laborare? Rectè etiam Diogenes, qui in castra Philippi in bellũ contra Græcos proficiscentis cum venisset, essétque ad regem adductus, & nõ agnitus interrogaretur ab eo núnnam explorator esset: Omnino, inquit, sum tuæ, Philippe, stulticiæ atque amentiæ explorator, qui nulla necessitate vrgente de regno & corpore tuo venis vna hora fortunæ aleam subiturus. atque hoc quidem videri potest dictum vehementius. Alius modus est castigandi verbis, cùm ob delicta sua aliorum maledictis impetiti animos ponunt ac submissiores fiunt. eóque accuratè vtetur scitus atq; elegans amicus, obtrectatores depellens atque refellens, priuatim autem amicum compellans atque monens, vt si nullam aliam ob rem, saltem ea de causa viuat cautiùs, ne ferociendi materiã inimicis præbeat. quo.n.ore iis respõdebis, inquiet, si vltrò ipsis ea porrigis, ob quæ malè audias? hoc pacto offensa conviciatori, vtilitas monitori adscribit. Alij venustiore vtẽtes ratione, aliis obiurgãdis, suos, quos in eodẽ q̃d illis obiiciũt, esse sciũt vitio, castigant. Ammonius magister noster in cõventu vespertino, cùm animadvertisset discipulorum aliquos vsos esse prandio non simplici, puerum suum à liberto verberari iussit, causatus eum absque aceto prandere non posse: simúlque in nos respexit, ita vt obiurgatio reos tetigerit. Ad hæc cauendum est, ne coram multis libertate adversus amicum vtamur. tenendúmque illud Platonis. Cum enim Socrates in conviuio disputans quendam familiarium acriùs incesseret, Platoni dicenti, Nónne præstabat hæc priuatim loqui? respondit, Et tu nónne rectiùs de hoc ipso seorsim me monuisses? Ferunt adolescentulum quẽdam à Pythagora, cui operam dabat, multis præsentibus compellatum asperiùs, suspendio vitam finiisse. atque ab eo tempore Pythagoram nunquam alio præsente quenquam corripuisse. Oportet tanquam morbi turpis, ita peccati etiam detectionem & sanationem occultam esse, nihil pompæ, nihil ostentationis habentem, neque testes spectatoresq; adducentem. Non enim amici est, sed rabulæ, in alienis gloriam quærere peccatis, venditantem se ostentatione sua præsentibus. sicvt in theatris medici manibus gesticulantur, vt suæ operæ conductores sibi parent. Porrò absque etiam sit contumelia (quæ sanè abesse ab omnibus debet remediis) considerandum tamen est quàm sint pertinacia atq; contumacia vitia. Non enim quod est apud Euripidem, amor duntaxat castigatus magis premit, sed quodvis omnino vitium si quis coram multis liberiùs repræhendat, impudentiam induit. Sicvt igitur Plato senes, vt verecundiam adolescentibus ingenerent, primùm ipsos vult verecundè versari cum adolescentibus: ita verecunda amici libertas maximè pudore afficit: & cum peccantem sensim cautéq; adorimur, subruitur atq; aboletur vitium, dum verecundia occupatur is quem verecundè tractauimus. Quare percommodè vsurpatur illud,

Sub aliena persona castigare.

Obiurgationes priuatim fieri debere.

Odyss. α, 157. *Admoto capite, vt reliqui exaudire nequirent.*

Minimè autem convenit vxore audiente maritum, patrem coram liberis suis, amatorem præsente amasio, aut apud discipulos magistrum obiurgare. nam præ ira ac dolore transversi aguntur, qui coram iis repræhẽduntur, apud quos volunt in precio & existimatione proba esse. Ac nisi fallor, non tam ebrietas fecit quod ita grauiter commotus Cliti obiurgatione fuit Alexander, quàm quòd multis coram testibus eam vsurpauit. Aristomenes etiam Ptolemæi præceptor, cum hunc in legatione audienda dormitantem excitasset, ansam adulatoribus præbuit, simulantibus se regis causa factũ indignè ferre, ac dicentibus ei: si post tantas defatigationes ac vigilias somnus tibi obreperet, priuatim eras admonendus, non manus tibi tot hominibus præsentibus iniiciendæ. ita Ptolemæus Aristomeni calicem veneno plenum misit, vtq; biberet adegit. Cleoni etiam Aristophanes hoc exprobrat, quòd

Malè ciuitati diceret audientibus
Coràm peregrinis, —— Athenienséq; iritaret.

Itaq; inter alia magnopere cauenda est ostentatio, & popularis applausus captatio. sed cùm libertate dicendi volumus vti, faciendum est hoc vtiliter atque ad sanandum vitium

Ostentatio.

tium aliquod accommodatè. & quod Corinthij nõ malè, vt est apud Thucydidem, de seipsis dixerũt, dignos se esse qui alios vituperent: id in prõtu habere debent, qui libertate dicendi volunt vti. Lysandrum perhibent Megarensi cuidam, cùm is inter socios pro Græcia liberiùs diceret, respõdisse, sermones eius ciuitate opus habere. Sed profectò libertas dicentis morum probitate vt commendetur requirit: idq; rectissimè obiicitur alios monentibus atque castigantibus. Nam Plato suæ se vitæ exemplo dicebat corrigere Speusippum. sicvt & Polemonem Xenocrates conspectus tantummodò in schola, & ipsum intuitus, ad aliud vitæ genus traduxit. Homini autem qui leuis sit, & moribus prauis, si liberè obloqui alij conetur, licebit semper occinere illud,

Alius medetur, ipsus vlceribus scatens.

Veruntamen quandoq; dem sæpe res ipsa nos adigit eò vt alios castigemus dictis, quãvis vitio ipsi non carentes: id hoc modo faciemus commodissimè, si quam obiicimus culpam, in ea nos quoque ipsos esse quovis modo fateamur. quo sensu dictum est hoc: *Communicatio culpæ.*

Cur nos virtutis Tydida oblitio cepit? *Iliad. λ, 313.*

& illud:

Nunc non arcendis vel solius Hectoris armis *Iliad. θ, 234.*

Sufficimus? — Et Socrates ita paulatim adolescentes redarguit, seipsum quoq; non vacare inscitia simulans, sed vnà cum illis se debere virtuti operam dare & verum quærere profitens. Benevolentiam enim autoritatémque sibi parant, qui cùm eadem in culpa esse, tum amicos eodem quo seipsos modo corrigere videntur. At qui alteri detrahens seipsum iactat, quasi sincerum & vitij expertem, nisi vel ætate multo sit grauior, vel ob virtutem nota sit autoritate atque gloria, pro molesto importunóque habetur, & nihil adfert vtilitatis. Non ergo abs re Phœnix sua ipsius delicta protulit, qui per iram interficere patrem voluerit, móxq; mutauerit sententiã,

Ne patris (inquit) occisor Græcos ego dicier inter *Iliad. ι, post versum 457. deest.*

Perferrem. — ne Achillem obiurgans, arrogare sibi videretur nihil se per iram peccasse. Penetrant autem huiusmodi admonitiones blandè, faciliúsque concedimus iis qui eodem modo lapsi, quàm qui despicere nos videntur. Quoniam autem neq; lumen clarum inflammato oculo debet obiici, neque affectu concitatus animus libertatem admittit obiurgationémq; meram, inter vtilissima adiumenta est admixtio laudis modicæ, vt in his:

Vos verò turpe est forti desistere pugna, *Iliad. ν, 116.*
Argolicas inter primos virtute cohortes.
Haud equidem certare viro lubeat mihi, bellum
Qui fugiat timidus: grauiter succenseo vobis.

Et illud:

Pandare, qui nulli es nostrorum laude secundus, *Iliad. ε, 171.*
Arcus vbi tuus est, volucres vbi súntq; sagittæ?

Sed & huiusmodi vehementer revocant in peius sublabentes.

Vbi Oedipus nunc est, & clara ænigmata? &,
Tam multa passus sic'ne loquitur Hercules?

Non enim modò excitat repræhensionis asperitas vim habens imperiosam, sed & sui ipsius æmulationem ingenerat, & recordatio bonorum suorum verecundiã increpato incutit, præclarè facta sua sibi ad imitandũ proponenti. Si verò alios cum eo compares, vt æquales, ciues, cognatos: pertinacia vitij indignat̃ atque exasperat. & sæpe hoc modo increpati stomacho moto occlamant: quin tu ergo me missum facis, ádque illos me præstantiores abis? Cauendum est ergo dum liberè aliquẽ incusamus ne alios laudemus: nisi fortassis eorum parentes, vt Agamemno:

Non equidem similem natum genuit sibi Tydeus. *Iliad. ε, 800.*

& Vlisses in Scyriis:

Illustre generis lumen dedecorans tui
Proles parentis Graiũm præstantissimi
Lanificium tractas? —

Minimè aũt convenit castigationẽ castigatione, libertatẽ libertate vicissim cõpensare. facilimè enim hinc discordiæ exardescũt, omninóq; cõcertatio hæc nõ libertatẽ vi- *Certamen libertatis.*

cissim vsurpantis sed eam non sustinentis videri potest. Præstat itaque ferre amicum obiurgantem. qui si ipse postmodò peccet, ac opus habeat castigatione: hoc ipsi libertati dicendi libertatem iam quandam parauerit. commonefactus enim absque offensæ obiectione quod ipse quoque non negligere amicos delinquentes, sed arguere soleat atq; docere, faciliùs concedet, & correctionem admittet, quam sentiat benevolētiæ & gratiæ esse, non repræhēsionis aut iræ compensationem.

Libertatis vsus in magnis rebus.

Porrò sicvt Thucydides ait qui ob rem maximam subit invidiam, eum rectum sequi cōsilium: ita & amicus debet molestiam castigãdi in magnis modò rebus, & in quibus plurimum est sitū momenti, in se recipere. si enim omnibus in rebus difficilem se præbeat, ac cum familiaribus pædagogi potiùs quàm amici more agat, admonitiones eius in summis rebus hebetes erunt & inefficaces: cum medici instar libertatem acre medicamentum aut amarum quidem, sed necessarium & preciosum in multa minuta & non necessaria invtiliter absumserit. Ipse igitur summo studio cauebit ne continentibus vtatur querelis. socio autem in omnia curiosè etiam minima inquirente & calumniante, ansam ipse habebit maiora eius peccata repræhendendi. Philotimus medicus, cum quidam pure circa iecur laborans ei digitum exvlceratum commonstrasset: Heus, inquit, non tibi cum reduuia est negocium. Sic & occasio dabitur, cùm amico parua quædam & nullius momenti culpanti, iocos puta, conviuia, nugas, dicere possimus: Ille verò scortū ableget, aut finem aleæ imponat, aliis in rebus quantivis nobis erit precij. Qui enim veniam minutorum impetrat, non illibenter de maioribus liberè dicendi facultatem amico concedit. qui vbiq; incumbit, semper odiosus ac molestus, omnia cognoscens, omnia curiosè percunctans, is neque liberis tolerabilis est, neque fratribus, imò ne serui quidem ferre eum possunt.

Laus libertati miscenda.

Cæterùm quoniam neq; senectuti, vt est apud Euripidem, neque amicorum stulticiæ omnia adsunt mala: debemus non delicta modò amicorum, sed & rectè facta obseruare, ac sanè initio alacriter collaudare. & sicvt ferrum priùs vi ignis laxatum atque emollitum, deinde frigidæ immissum densatur ac duriciē cōsequitur: ita amicis, postquam laus eorum animos calefecit atq; relaxauit, paulatim quasi tincturæ loco adhibenda est libertas repræhensionum. Offeret enim se occasio, vbi dicere poteris: Hæccine cum illis comparari dignum est? Viden' quos fructus honestum referat? hæc abs te poscimus amici, hæc sunt cōvenientia, ad hæc te natura formauit: illa verò alia repudianda sunt, & amandanda

In montem, rapidas aut obstreperi maris vndas.

Vt enim humanus medicus somno aut victu mallet morbum depellere, quàm castorio aut scammonio: ita & amicus verus & benignus pater & magister laude magis quàm vituperatione vti gaudet ad morum emendationem. neque quicquam facit vt liberæ correctiones tam & parum molestiæ, & multum vtilitatis secum trahant, quàm cùm eæ sine ira placidè & animo benevolo peccantibus accommodantur. Itaq; neque arguendi sunt acerbè qui inficiantur, neque purgandi sui potestas adimenda: sed in argumentis honesti prætextus excogitandis vtcunque adiuuandi sunt, & causa deteriore omissa tolerabiliores suggerendæ. Ita Hector:

Iliad.ζ,326.

Infelix, animo tantas malè tu geris iras.

sic enim Paridem alloquitur, & eius digressum è prœlio iram vocat, non fugam aut timiditatem. Et Agamemnoni Nestor:

Iliad.ι,109.

Sed te magnanimi iuuit concedere cordis
Motibus. ——

humaniùs enim hoc nimirum dictum est, quàm Iniuriam fecisti, inhonestè egisti. & lenius est, Non percepisti, quàm Ignorasti: Noli certare cum fratre, quàm Noli invidere fratri, & Fuge mulierem quæ te corrumpit, quàm Desine mulierem corrumpere.

Duplex libertas.

Hunc enim modum libertas ad sanandum comparata requirit: diuersum ea, quæ in agendo occupatur. Cum enim oportebit peccaturum ab incepto depellere, aut violentum animi impetum in diuersam partem avertere, aut ad rès pulcras animo languentē incitare: tum rem præsentem ad causas indecoras ac absurdas transferemus. Ita apud Sophoclem Vlisses Achillem instigans, negat eum cœnæ gratia irasci: sed (inquit)

Troiæ times iam conspicatus mœnia.

rursùmque hæc admodum iniquè ferente Achille, & se cum suis nauibus abiturum dicente, ait:

Non

Non me latet quid fugias: non opprobria,
Sed Hector est propinquus, hunc non sustines.

Sic ergo animosum & fortem opinione obiecta timiditatis, temperantem & modestum intemperantiæ, liberalē & magnificum sordium & auariciæ terrentes, ad honesta excitamus, & à turpibus depellimus, & vbi remedio mali locus nō est relictus, ibi mediocres nos gerimus, inque libertate dicendi plus miserationis ac mœsticiæ quàm repræhensionis adhibemus: in puniendis autem delictis, & oppugnandis animi prauis motibus vehementes, inexorabiles, adsiduique sumus. hæc enim occasio benevolentiæ nihil blandientis, genuinæq; libertatis indiget. Alioquin vituperatione factorum videmus etiam inimicos vti. Et Diogenes dicebat eum qui saluus esse deberet, amicis bonis, aut infensissimis inimicis opus habere: illi enim docent, hi repræhendunt. Præstat verò consulentibus obtemperantem vitare peccata, quàm cōmissa culpa pœnitentia ob maledicta affici. Atque hanc ipsam ob rem tanto accuratiore cum artificio adhibenda est libertas dicendi, quanto ea maximum est & validissimum in amicicia medicamentum, occasionis felicem coniectationem & temperiem moderatam requirens. Quia igitur, vt docuimus, libertas dicendi sæpenumerò molesta ei est, ad quem sanandum adhibetur, imitari debemus medicos. Neque enim illi vbi sectionem adhibuerunt, partem affectam in dolore relinquunt, sed hunc placidè rigando ac perfundendo amoliuntur: nec qui ciuiliter verbis obiurgant, acerbitate & morsu orationis defuncti aufugiant, sed aliis colloquiis, sermonibusque lenibus demulceant ac recreent. quemadmodum lapicidæ statuas asperè excisas læuigant atq; poliunt. Ictus autem aliquis libera oratione & compunctus, si relinquatur asper animóque ob iram turgente & æstuante, in posterum ad æquanimitatem revocari ac consolando deliniri vix potest. Quare hoc inter præcipua obseruandum est, ne verbis amicum castigantes, colloquium verbis molestiam afferentibus & iritantibus abrumpentes discedamus.

Lenia post libertatem adhibenda.

Plutarchi libellus, Quomodo quis suos IN VIRTVTE PARANDA SENTIRE possit profectus.



POTERI'TNE aliqua, Sossi Senecio, ratione conscius sibi quispiā suorum esse ad virtutem profectuum, si nullam ij de stulticia faciūt deminutionem, sed vitium æquali semper pondere appensum

Plumbi instar est, deorsum quo rete trahitur?

Certè enim neque in discenda grammatica se proficere aut musica intelliget, qui nullam partem ignorationis istarum rerū deponat, sed eadem semper in inscitia perseueret. neque medicina ægroto, quæ eum nihil alleuet, aut vtcunque remittente ac concedente morbo leuiusculè habere efficiat, vllum sensum mutatæ in melius valetudinis afferet, antè quàm corpore pristinæ sanitati reddito contrarius habitus integer morbo successerit. Sanè vt his in rebus profectus nullus est, si inter proficiendum pondere vitij tanquam in trutina diminuto, rursum in diuersam partem facto momento mutatio lateat. ita etiam his qui philosophiæ animum adiecerunt, nullum profectum, neque profectus sensionem vllam tribui permittemus, si nulla pars stoliditatis animo fugatur atque expurgatur, sed donec summo perfectóque is bono potiatur, meris vitiis interim occupatur. Non enim aliquis sapiens fieri potest, quanta esse potest maxima vitiositate in virtutis habitum omni accessione superiorem puncto temporis mutata: quam (dico) vitiositatem non temporis aliquo spacio abiecerit, sed subitò totam simul exuerit. Nosti verò hoc qui fieri affirmant, quantis seipsos implicent molestiis, ac quàm difficiles agitent quæstiones, quánam fiat ratione, quòd non animadvertit aliquis etiamnum sapientem se factum, sed ignorat atque ambigit: eo quòd longo temporis decursu paulatim addendis aliis, aliis detrahēdis ad virtutem progressus fecit, & quasi viam sensim carpendo ad virtutem pervenit. Quod si celeritas & magnitudo mutationis tanta esset, vt qui manè fuerat deterrimus, vesperi redderet optimus: aut ea sic alicui accideret, vt cū

obdormiuisset vitiosus, expergisceretur sapiens, dimissásque ex animo hesternas fatuitates & imposturas ita compellaret,

Insomnia vana valete, nihil eratis:

ísne ignoraret tanto se à seipso discrimine fuisse mutatum, & prudentiam subitò ac cõfertim elucescentem? Mihi quidem videtur faciliùs homo, si instar Cænei ex voto vir de muliere fieret, transformationem sui ignoraturus: quàm vt non sentiat aliquis mutationem sui, è timido, stulto, atque incontinente fortis, prudens temperánsque redactus, momentóque temporis è belluina in diuinam viuendi rationem translatus. Enimverò rectè dictum est,

Applicandus lapis amussi, non ad lapidem amussis est.

Stoicorũ decreta cum rebus pugnant. At Stoici non sua rebus accommodantes decreta, sed res ad decreta sua, cum quibus consentire eas natura nõ sinit, detorquentes, multis difficultatibus philosophiam impleuerunt. quarum maxima est, qua homines, solo perfecto excepto, vni omnes vitio statuuntur subiecti, ex qua ænigma illud enatum est, q̃d Procopen ipsi Græcè, nos Latinè puto Profectum dicimus. qui profectus cum ab extrema demẽtia exiguo distet intervallo, eius beneficio ab omnibus expeditos animi perturbationibus ac morbis, nõ minùs miseram vitam degentes iis relinq̃t, qui nullo summorũ malorum sunt liberati. Atque hi q̃dem seipsos repellunt. qui cum in scholis iniustitiã Aristidæ & Phalaridis exæquent, metúmque Brasidæ timori Dolonis parem dicãt, neque quicquam inter Meliti ac Platonis animi errorem differre: in vita et actionibus fugiẽtes illos vt implacabiles, his vt magni precij hominibus maximis in rebus vtunt᷑ atque fidunt. Nos aũt cùm in omni vitiorum genere, maximè aũt inordinato ac confuso animi statu, gradus quosdam quantitatis inesse videamus, (vnde etiam discrimen est profectuum, prauitate instar vmbræ dilabente, dum ratio animum sensim illustrat atque expurgat) non putamus mutationis sensionem, ratione nulla æstimari, (quomodo qui ex profundo subitò attolluntur, moram motus supputare nequeunt) sed rationes eius iniri posse de quibus hoc primùm consideremus. Quemadmodum qui datis velis vastum pelagus nauigant, cõparata temporis ratione cum robore venti, colligũt quantum confecerint spacium. sic & philosophia profectuum suorum rationem ex assidua progressuum continuatione ratiocinari potest: quæ nõ multis institionibus, ac rursum impetibus ac incitationibus in medio factis, sed planè æquabilitérque ad vlteriora semper absque offensa vsu rationis ac doctrinæ progreditur. Quod enim dictum est,

Nam si vel paruum pergas superaddere paruo,
Idq́ue frequenter agas, magnum citò habebis aceruum:

Continuatio philosophiæ. non de pecunia duntaxat augẽda verum est, sed ad omnia pertinet, maximè ad virtutis incrementum, cùm ad doctrinam adsidua atque efficax adiungitur adsuefactio. contrà inæqualitates ac segnicies philosophantium, non modò inhibent progressus, velvti iter interrumpentes institutum: sed etiam regressus causa sunt, cùm subsistẽtem vitia identidem per ocium adoriantur, ac retrò auferant. Errantes quidem stellas mathematici finito eorum in anteriora progressu insistere perhibent. At in philosophando profectus nullam facit intercapedinem, nunquam intermittit aut subsistit. sed ingenium semper aliquo citatum motu, ac velvti in trutina situm nunquam non momento aut ad meliora facto fertur, aut in diuersam partem ad mala exitiosè impellitur. Si igitur secundum Cirræis datum oraculum, quo dies noctésque belligerare iubebantur, conscius tibi sis dies te noctésque contra vitia depugnare, aut saltem non sæpe statione abire, neque continenter velvti induciis factis internuncios ab iis, voluptates aliquas aut oblectationes aut aliena negocia, accipere: non iniuria alacri confidentique animo ad reliqua perges. Quin etiam si feceris aliquas philosophandi intercapedines, ita tamen vt posteriora tua studia prioribus constantiora fuerint ac prolixiora: id nõ leue indicium præbet, ignauiam esse labore ac exercitatione elisam. contrà malum est signum, si post exiguũ tempus multis & continentibus cessationibus alacritas velvti elanguescens retundatur. Sicvt enim calamus ab initio maximo & pulcerrimo incremento adsurgit in æquabilem & continuam longitudinem, magnísque intervallis exigua admittit interstitia: dein vbi in altum se erexit, velvti qui ob anhelitus angustias in conscendendo sublimi loco animum despõdent, ꝓpter imbecillitatem suam multis ac crebris nodis intercipit᷑, spiritu ictũ tremorémque patiente. sic qui initio magno cursu ad philosophiam contenderunt, si deinde nullũ ad meliora profectũ sentientes crebrò

Pugna adversus vitia continens.

brò impingāt atq; ab instituto avellanī, ad extremū omnino defatigantur ac desperāt. At verò alter ille velut alatus, ad vtilitatē propositam rectà ferī, omnésq; prçcidit prętextus, (velut turbam impedientem) vi & alacritate industriæ. Sicut igitur signum est amoris incipientis non delectatio quæ pulcri præsentia percipitur, (est enim hoc vulgare) sed morsus & dolor qui avulso eo sentitur: ita multi capiuntur philosophiæ studio, & valdè magno cum conatu se ad discendum conferre videnī: vbi verò aliis rebus aut negociis avocantur, animi iste motus evanescit, eáq; facilè carent. *Amor philosophiæ.*

Amoris at morsum qui veri senserit,

is tibi præsens vnáq; philosophās moderatus videbiī ac placidus. avulsum verò ac seorsim agentem cerneres inflāmatum, animíq; ægrum, omniúmq; rerum & occupationum odio affectū, & tanq; si rationis expers esset amicorum oblitū desiderio philosophiæ impelli. Non enim vt vnguēto, sic doctrina præsentes delectari debemus, absentes non eam requirere, neq; cum molestia carere: sed verè proficientis in philosophia est, simile aliquid fami ac siti sentire si avellatur: siue nuptiæ, siue diuitiæ, siue amicicia, siue expeditio incidens eum à philosophiæ studio seiungat. quanto enim plus ex philosophia perceptum est, tanto maiorem animo molestiam exhibent quæ relinquuntur. Cum hoc nimirum aut eadem, aut proxima ei est antiquissima illa Hesiodea profectus declaratio, cùm iam non ampliùs ardua aut nimis accliuis est via, sed facilis, ac plana, & expedita: quippe exercitando læuigata, illatóq; in philosophandi conatum lumine iam & splēdore, post hæsitationes, errores, institutiq; mutationes illas, in quas incidunt initiò, qui se philosophiæ dant: exemplo eorum, qui terra sibi nota relicta, nondum eam cernentes quam petunt, solicitudine anguntur. Sic enim isti communibus & consuetis studiis relictis, priusquam meliora cognoscant atque consequantur, in medio sæpenumerò circumaguntur ac subvertuntur cursu. Simile est, quod de Sextio Romano narrant, eum vrbanis dignitatibus honoribúsque resignatis vt philosophiæ vacaret, cùm inter philosophandum ab initio graues sentiret molestias, animúsque doctrinam ægrè amplecteretur, parum abfuisse quin sese de biremi quadam in mare abiiceret. Et Diogenem memorant Sinopensem cùm philosophari cepisset, ac fortè Athenienses festos agerent dies, epularentúrque splendidè, spectaculáque essent, & conuiuia ac comessationes per totam noctem ducerētur, in quodam fori angulo pannis involutum somni capiendi causa iacentem, in cogitationes incidisse animum ipsius non leuiter ab instituto avertentes atque frangentes, reputantem nulla se necessitate vitæ genus laboriosum atq; à communi vsu alienum iniuisse, ac seipsum omnibus bonis priuasse. vt verò murem arrepere, & circa micas mazæ eius obversari vidit, animum rursus erexisse, ac seipsum increpasse damnauisséq;. quid ais (inquiētem) Diogenes? mus hic reliquiis tuis lætus vescit, tu verò præclarus scilicet homo teipsum deploras, quod non isthic in stragulis teneris atq; floridis inebriare? Cæterùm vbi nō frequentes huiusmodi aversiones accidunt, animúsq; tanquam è fuga adversum eas sese celeriter obiiciens & efferens facilè molestiam ægritudinémq; dissipat: existimandum est profectum probè esse confirmatum. *Animi obfirmatio.* Quoniam verò philosophantibus non modò à seipsis incidunt, quæ eos imbecilles etiamnum concutiant & in diuersam partem avertant: sed & seria amicorum consilia, & diuersorum repræhensiones ioco risúque mixtæ flectunt & molliunt, nonnullos etiam prorsus è philosophia excusserunt: non leue indicium profectus fuerit æquanimitas hominis erga talia, nō perturbati neque morsum passi, cum ei narraī æquales aliquos ipsius in aulis regum florere, aut dotatas duxisse vxores, aut caterua hominum stipatos in forum petendi magistratus, vel patrocinandi gratia descendere. qui enim adversus talia imperterritus est, neq; iis mulcetur, eum constat iam ita vti debuit captum devinctúmq; philosophiæ esse. quod fieri non potest vt mirari desinamus quæ vulgò in admiratione sunt, nisi ingenerata sit nobis iam virtutis admiratio. *Contemtus externorum bonorum.* Etenim vel ira nonnullos mouet, vel dementia, vt adversus homines ferociant. quas verò res multitudo hominum plurimi facit, eas contemnere nisi vera constantiq; animi præditus elatione potest nemo. Tales qui sunt, sua cum istis comparantes, seipsos alto animo iactant atq; exhortantur, vt Solon:

At nos virtutem non permutabimus horum,
Pulcráq; virtutis munera, diuitiis.
Virtutis quoniam semper possessio perstat:

Incertæ varia sorte feruntur opes.

Ac Diogenes suam Athenis Corinthum, Corinthóque Thebas transitionem, regis Persarum migrationibus comparabat, vere Susis, hyeme Babylone, æstate in Media commorantis. Et de eodem rege Agesilaus: Qui enim, aiebat, maior me ille sit, si non etiam iustior est? Aristoteles quoque de Alexandro ad Antipatrum scribens, Non illum modò affirmabat animo debere efferri ob imperij magnitudinem: nihilo enim minus id licere ei, qui veram deorum noticiam habeat. Ac Zeno videns Theophrastum in admiratione haberi ob discipulorum multitudinem: chorus eius, inquit, maior est, meus meliùs concinit. Cùm itaque virtutem hoc modo externis rebus opponens, invidias, obtrectationes, aliósque id genus affectus qui multos philosophari orsos vrunt atque animum eorum deprimunt eieceris, id quoque magnum argumentum tibi tui sit profectus. Non paruum est etiam, orationis mutatio. Omnes enim ferè qui ad philosophiam primùm accedũt, eam sectantur quæ ad gloriam facit. quorum alij auium instar ob leuitatem & ambitionem in splendorem & sublimitatem physicorum devolant: alij catulorum (vt est apud Platonem) in morem raptando & laniando gaudentes, ad lites, disputationes obscuras, & sophismata se conferunt. plerique dialecticis se immergentes, commeatum sibi sophisticæ parant. sunt qui sententiosa dicta et historias colligentes, circũeunt (quomodo Anacharsis dicebat se nõ videre ad aliam rem nomismate vti Græcos quàm ad numerãdum) enumerantes ea & metientes, nullo inde emolumento percepto. His vsu venit illud, quod ab Antiphane dictum quidã ad auditores Platonis accommodauit. Ioco enim Antiphanes dixit, in vrbe quadam voces illicò frigore loci congelare, ac per æstatem gelu soluto demum exaudiri, quæ dicta erant hyeme. ita ille quæ adolescentes è Platone audiuissent, aiebat plerosq; vix tandem ingrauescente ætate intelligere. Hoc sanè modo ad vniuersam affecti sunt philosophiam, donec iudicium probè constitutum incipiat ea appræhendere, quæ ad componendos animi motus magnitudinémq; ei comparandam faciunt, sectaríq; orationes, quarum (iuxta illud Aesopi) vestigia intrò magis quàm foràs sint conversa. Sophocles aiebat se primò fastum Aeschyli accidisse, deinde apparatũ nimis densum atq; artificiosum, postremò etiam dictionis formã mutasse, quæ pars maximè ad mores ptinet & est potissima. ita philosophantes, cum à compositis ad ostentationem & artificio nimio elaboratis orationibus, ad orationem animi motus placidos grauésq; attingentem transiuerint, verè incipiunt fastu repudiato proficere. Animadverte igitur, non tantùm philosophorum scripta legendo, aut orationibus eorum audiendis, ne sis verbis magis quàm rebus attentus, neq; maiori impetu feraris ad ea in quibus subtilitas aliqua & curiosa compositio, quàm ad ea in quibus medulla rerum & vtilitas inest: sed & poëmata historiásq; tractans caue, ne qd eorum prætermittas inobseruatũ, quæ ad morum correctionẽ, aut affectus animi alleuationem accõmodatè dicta sunt. Sicvt enim in florib. versari Simonides ait apem, flauũ mel meditantem, cùm alij colorem eorum vel odorẽ, nihil aliud quærant aut percipiãt. ita aliis poëmata voluptatis iociq; causa versantibus, tu aliquid inveniens ac colligens seriũ, videberis iã consuetudine & amore pulcritudinis & eorum quæ philosophi sunt propria, horum cognoscẽdi facultatem tibi parasse. Qui enim Platonis aut Xenophontis libros propter dictionem, nullâq; alia de causa legũt, quàm vt Atticam illã mundiciem inde velvti rorem despument: qd aliud diceres illos facere, quàm fragrantiam & floridũ medicamenti colorẽ amplecti, vim verò expurgandi corporis aut sedãdi doloris neq; nosse neq; admittere. Iam qui magis etiam pfecerunt, non ex orationibus solùm, sed è spectaculis quoq; & rebus qbuscunq; norũt vtilitatẽ capere, idq; colligere, qd ipsorũ instituto cõmodet. cuius rei aliqt subiiciã exempla. Aeschylus Isthmici certaminis spectator, cũ vnus pugilũ plagã accepisset, theatrúmq; clamorẽ sustulisset: latere Ionis Chij fosso, vt is animadverteret: Viden', inqt, exercitatio qd possit? tacet ictus, spectatores vociferant. Brasidas murem inter aridas ficus deprẽhẽsum, morsus ab eo dimisit. tũ sic secũ: Hercules, q̃ nihil est ita paruum aut infirmũ, vt nõ possit vitã tueri, si audeat se defẽdere? Diogenes è vola quendã bibere cõspicatus, poculũ pera eiecit. Adeò ad sentiẽdũ & pcipiendũ ea quæ vndecũq; ad virtutem cõducant attentio & assidua exercitatio facit idoneos. Idq; fit eo magis, si orationes reb. adhibeãt: nõ modò, vt est apud Thucydidẽ, prẽsenti periculo meditãtes, sed et circa voluptates, cõtẽtiones, iudicia, patrocinia, magistratus, quasi demõstrãtes vim suorũ decretorũ: aut potiùs iis reb. tractãdis sua cõdentes decreta.

Quavis ex re decerpendam esse vtilitatem.

Nam

Nam qui adhuc discentes & occupati in circumspiciendo, arreptum aliquid è philoso phia statim circulatorum in morem in forum, aut adolescentum scholam, aut regium colloquium proferunt: eos non magis credendum est philosophari, quàm medicinam facere medicamentorum & mixturarum institores. immò huiusmodi sophista nihil ab Homerica illa aue distat, quæ discipulis suis tanquam implumibus pullis ore in os ingerit quidquid est nacta, atq;

Interea proprium genium defraudat:— Iliad.ι,324.

cùm nihil eorum quæ percepit, in suam vertat vtilitatem, neque concoquat. Quare considerare oportet, orationéne vtamur seorsim ita, vt nobis hoc sit commodo, apud alios autem non vanæ gloriæ aut contentionis gratia, sed audiendi ac cùm docendi tum vicissim discendi causa. maximè autem obseruemus, an studium contendendi & rixandi de propositis quæstionibus remiserit, ac desiuerimus oratione adversus alios velvti cestibus aut pilis armati certare, magisq; impetendo & vincendo quàm discēdo docendóve gaudere. nam in hoc genere modestia & mansuetudo, vbi colloquia neq; certandi studio incipis, neq; cum ira finis, neq; vel in refutando contumeliam adhibes, vel te refelli iniquiùs fers, nota est nō pœnitendorum profectuum. Ostendit hoc Aristippus, qui quodam in congressu sophistica fraude circumventus ab audace homine, alioqui stulto & furioso, cùm videret eum exsultare atq; fastu tumere, Ego quidem, inquit, abeo suauiùs te qui me refelleris dormiturus. Possumus etiam inter dicendū nosmetipsos explorare, an neq; multis præter exspectationem nostrā convenientibus præ metu tergiversemur, neq; ęgrè feramus si apud paucos agendū sit, neq; si ad populum aut coram magistratu verba facienda sint, penuria apparatus verborū occasionē agendi dimittamus: q̄d de Demosthene & Alcibiade fert̄. hic enim cum ad bene cogitandum de rebus esset facultate summa prędítus, ad dicendum autem non satis animatus, in actionibus seipsum impediuit, ac sæpe inter dicendum vocem aliquam elapsam memoriæ quærens & persequens aberrauit. Homerus verò tantum fiduciæ in sua posuit facultate, itaq; abvndauit confidentia, vt primum etiam operis versum legibus carminis non satisfacientem intrepidè posuerit. Quo magis æquum est qui de virtute & honesto certant, eos occasione & rebus vti, minimè solicitos de strepitu plausúve qui ob dictionem excitetur. Non orationem autem solùm, sed & actiones quisque suas consideret, plurá ne eæ ad veritatem conducentia, quàm ad pompam ostentationémque comparata in sese habeant. Si enim verus adolescentis aut mulieris amor non requirit testes, sed fructum percipit suauem, etiamsi occultè rem desideratam cōficiat: multo magis convenit honesti & sapientiæ studiosum, cùm agendo fruitur virtute, ipsum apud sese tacitum animo efferri, neque laudatores auditorésve vllos requirere. Sicvt ergo ille qui domi ancillam vocans, clamabat, Cerne Dionysia, deposui fastum: ita & is qui pulcrum aliquod atq; scitum facinus suum passim narrat ac circumfert, satis apertè ostendit se adhuc foràs respicere & ad gloriam trahi, neque etiamnum verum se virtutis fuisse spectatorem, neq; reipsa, sed per somniū vmbras eius & simulacra pervagatum, factum deinde suum velvti picturam spectandum proposuisse. Proficientis ergo in virtutis studio est, nō modò si quid amico donauit, aut noto benefecit, id aliis non narrare: sed etiam si inter multos iniustos sententiam iustam ipse dixerit, aut diuitis principísve alicuius petitionem inhonestam obnixè repudiauerit, aut munera spreuerit, aut etiam noctu sitiens potu abstinuerit, osculúmve formosi aut formosæ aversatus fuerit, vt fecit Agesilaus, secum id seruare & reticere. sic enim ipse sibi placens, neque seipsum contemnens, sed gaudens seipso atque contentus vt satis idoneo teste ac spectatore pulcrorum, ostendit rationem iam intra sese conversam radices agere, & (quod iubet Democritus) ex seipso sui oblectandi materiam petere condocefactum se esse. Agricolæ quidem, spicas libentiùs vident quæ inclinatæ versus terram vergunt: quæ enim ob leuitatem sursum attolluntur, eas inanes putant esse & cassas. Ita & adolescentum philosophiæ dare operam volentium, qui maximè vani sunt & grauitatis expertes, audaciam ij habent, speciémque, & incessum vultúmq; plenum superbiæ ac contemtus nemini parcentis: vbi verò impleri incipiunt, fructúmque è doctrina colligere, tum ferocia ista & vanitas deponitur. ac quemadmodum vasis humorem recipientibus inanis aër eliditur: ita hominibus quando veris implentur bonis, fastus decedit, & arrogantia remittit, cessantésque propter barbam & pallium superbire, exercitationem ad animum transferunt: mordaciq; & austera ratione adver-

Oratio qualis esse debeat.

Actionum examen.

Fastus deminutio.

ſum ſeipſos potiſſimùm vtentes, cum aliis manſuetiùs colloquuntur. nomen verò & gloriam philoſophiæ non, vt antè, ſibi arrogant atque inſcribunt: ſed & hoc nomine compellatus adoleſcens ingenij probi, rubore perfuſus & ſubridens maturè ſic occurret,

Odyſſ.π,187.

Non ego ſum deus, ad quid me cæleſtibus æquas?

Vt enim Aeſchylus ait iuuenis mulieris, quæ virum experta ſit, oculum flagrantem nō latére: ita virum iuuenem, qui veri in philoſophia profectus guſtum percepit, Sapphica hæc comitantur:

Lingua iam torpet, tenues per artus
Flamma demanat, ——

oculiſque placidis & vultu conſtanti adſtans, cuperes eius ſermonem audire. Ac velvti qui ſacris initiantur, initio cum tumultu & vociferatione coëunt ſeque mutuo trudunt: cùm peraguntur inde & commonſtrantur ſacra, animum timidi tacentéſque advertunt. ita & in principio & circa fores philoſophiæ multum videas tumultus, ferociæ, & loquacitatis, dum nonnulli ad gloriam ruſticè & per vim ſe proruunt. qui intrò venerit, magnúmq; lumen velvti ſacrario aperto viderit, alio iam habitu accepto tacitus atque attonitus, humilis modeſtúſq; doctrinam velvti deum ſubſequitur. In hos videtur etiam iocus Menedemi congruere. Aiebat enim eorum qui ad ſcholam Athenas nauigarent pleroſque primùm ſapientes ſibi eſſe, deinde philoſophos fieri, poſteà oratores, tandem progreſſu temporis rudes ac plebeios: quo enim magis doctrinæ ſe

Correctio vitiorum.

præberent, eo magis eos faſtũ arrogantiámq; deponere. Quibus medicina opus eſt, ſi dens aut digitus malè eſt affectus, ipſi rectà ad medicũ eunt: qui febricitant, domũ vocant medicum, eiúſq; opem implorant: qui in melancholiam, aut phrenitidem, aut deliria inciderunt, aliquando ne venientem qdem ad ipſos medicum ſuſtinẽt, ſed eiiciũt aut fugiunt, vehementia morbi etiam ſenſum morbi tollente. Sic & eorum qui peccãt, inſanabiles ſunt qui hoſtili animo affecti ſunt ſæuiúntq; adverſum repræhẽſores ac caſtigatores: qui verò ſuſtinent admittúntq; diſciplinam, manſuetiores ſunt. id verò non vile eſt profectus indicium, ſi quis commiſſa culpa ſe repræhendentibus offert, vitium exponit & malum detegit, neq; gaudet latendo, cõtentúſve eſt ſi clam id ferat, ſed cõfitetur opémq; correctoris requirit. quo modo Diogenes dixit, eum qui ſeruandus ſit quærere debere aut probum amicum, aut infenſiſſimũ hoſtem, vt vel repræhenſus vel correctus vitio liberet̃. Vbi verò ſordes aliquis maculámve oſtentans veſtis, aut ruptum calceũ, venditat ſe aliis, exiſtimátq; ſe præclari aliquid præſtare, ſi vana faſtus vacuitate ſuam ſtaturæ humilitatẽ aut curuitatẽ ipſe dicteriis notet: interim verò animæ turpitudinem, & vlcera, puta vitæ offenſas, invidiam, malignitatem, auariciam, libidinem, velat atq; occultat, metúq; repræhenſionis neminem ea videre aut contrectare patitur: certè hũc parum, aut nihil potiùs profeciſſe cenſendum eſt. At qui vitia aggreditur, & vel (quod præcipuum eſt) ſeipſum ob peccatum damnare ac caſtigare nouit, vel quod proximum eſt, alio caſtigãte tolerantẽ ſe præbet, vitiúſq; exonerari correctoris opera libenter ſinit, eum apparet verè deteſtari & excutere prauitatem. Equidẽ vereri debemus & fugere nomẽ vitioſi. ſed cui vitium ipſum moleſtius eſt quàm infamia inde nata, is vt emendari poſſit, non verebit̃ malè audire ac loqui. Scitũ eſt enim Diogenis illud ad quendã dictum adoleſcentem, qui viſus in caupona, intrò in eam fugiebat. quanto, dicebat, magis intrò fugies, tãto magis in caupona eris. ita quivis vitioſus quanto magis inficiat̃ ſuũ vitiũ, tanto magis in ipſum penetrat ac ſeſe includit morbũ. quomodo nimirum pauperes dum ſe diuites eſſe ſimulant, ob ipſam arrogantiam ſunt pauperiores. Qui verò reipſa proficit, exemplum Hippocratis ſibi imitãdũ ducet, qui errorem ſuum de ſuturis capitis profeſſus eſt, inq; litteras retulit. exiſtimabítq; indignũ fore, ſi (cùm tantus vir, ne alij eodẽ erroris venirent, ſuam teſtatã fecerit ignorantiam) ipſe ſalutis ſuæ ſtudio nõ auderet ſtulticiam inſcitiámq; ſuam detegere atq; confiteri. Enimverò Pyrrhonis & Bionis dicta, non profectus iam, ſed maioris perfectioriſque habitus indicia poſſunt intelligi. Hic ſuos familiares tum demum certos de profectu iubebat eſſe, cum perinde audirent maledicta, ac ſi quis ita alloqueretur:

Odyſſ.ſ,187.
Odyſſ.ω,401.

Hoſpes, non mihi tu malus inſipiénſve videris,
Viue, vale lætus, tibi dij dent proſpera multa.

Pyrrhonem ferunt, cùm nauigans orta tempeſtate periclitaretur, porcellum oſtẽdiſſe qui hordeo affuſo hilariter veſceretur, ac dixiſſe ſociis, talem affectuum vacuitatem doctri-

doctrina & sapientiæ studio parandã esse ei qui nulla obtingente re perturbari vellet. Zenonis porrò perpendamus sententiam, qui etiam ex insomniis suis vnumquenq; *Insomnia.* sentire posse suos profectus dixit. nimirum si neq; turpi aliqua se re per quietem sibi videatur delectari, neq; inhonestũ aut iniustũ vel agere quicquam vel approbare: sed velvti in serenitate profundissima & omnis fluctus experte vis animæ imaginãs affectionibúsq; obnoxia pelluceat, à recta ratione illustrata. Hoc, puto, prior Plato animadvertit, qui essent brutæ & imaginãtis quæ in animo tyranni est facultatis per somnum motus, quasi effigie proposita declarãs. nimirum affectatio coitus cum matre, *Initio 9. de rep.* & appetitio quorumvis illicitorũ ciborum. indulget enim tunc tyrannus libidinibus suis tanquã solutis, quas metu & pudore leges interdiu coërcent. Sicvt ergo iumenta probè condocefacta, ne dimissis quidem à rectore habenis à via aliò divertere conantur, sed quomodo adsueuerunt iter sine errore aut offensa continuant: ita facultas animi bruta vbi iam ratione subacta & ei obtemperans reddita est, neq; in somnis neque in morbis porrò facilè cupiditatibus prauis se impelli patitur, vt contra rationis rectæ præcepta proteruè aliquid aut illicitè moliatur: sed consuetudini insistit, eámque sequitur, quæ attentioni vim quandam & vehementiam ingenerat. Nam si ipsum corpus exercitatione potest animus cõdocefacere, vt vacuitatẽ perturbationis eius subsequatur, partésq; obsequentes præbeat, ita vt & oculi in miseratione lacrymis, & cor obiecto metu palpitatione, & pudenda motu ad conspectum pulcrorum corporum abstineãt: cur non sit probabilius exercitatione partem animi quæ affectibus est obnoxia ita subigi, vt eius motus & imaginationes etiã ad insomnia vsq; quasi læuigentur & rectæ rationi cõformes redigantur? Stilponem philosophum somniauisse perhibent, videre se Neptunum expostulantem secum, quòd non bouem ipsi immolasset, qui mos erat sacerdotũ. se verò nihil territũ, Quid ais Neptune, dixisse, *Profectus ex somniis animaduertendus.* pueri instar venis mecum cõquesturus, quòd non sumta in fœnus pecunia vrbem nidore impleui, sed rem tibi sacram è mea re familiari pro meis facultatibus feci: visúmq; sibi fuisse, Neptunum dextra porrecta subridentem polliceri, ipsius gratia magnum se aquarum proventum Megarensibus largiturum. Proinde quibus ita læta, perspicua, & facilia somnia offeruntur, in quibus nihil terribile, asperum, maliciosum, aut obliquum in mentem revocatur: his profectus aiunt quasi resplendescere suos. stimulos autem, pauores, degeneres fugas, puerilia gaudia, & luctus in somniis miserabilibus, & absurdis, similes esse quorundam litorum asperitatibus, & iactationibus in mari. quòd animus nondum in se habens quo componatur, sed adhuc legibus & decretis fingendum se præbens, ab his per somnum longissimè abductus rursum in pristinum habitum resoluatur atque explicetur. Verùm hæc tu ipse mecum perpende, profectuine debeant adscribi, an habitui potius alicui, constantiam iam rationis & firmitatem inconcussam adepto. Iam cum omnium affectuum animi vacuitas res sit magna ac diuina: nos autem profectum remissione quadam & mansuetudine affectuum *Examen affectuum.* definiamus: necesse est & inter se, & cum aliis comparare motus animi, itáque discrimen examinare. Inter se, an cupiditates, metus, iræq; nos quàm olim remissius nunc tentent, an celeriter ratione incendium eius & excandescentiam restinguamus. cum aliis, magísne iam verecundi simus quàm timidi, an æmulemur citra invidentiam, an gloriæ & pecuniæ cupiditate careamus, denique an cantorum instar Doriis magis quàm Lydiis excessibus peccemus, duriores in victus ratione quàm molliores, cunctanter magis quàm temere ad agendum accedentes, nimiũ potius admiratores aliorum hominum & ab aliis dictorum, quàm contemtores. Sicvt enim bonum recuperandæ sanitatis signum est morbi in partes corporis non præcipuas aversio: ita vitia proficiẽtium dum in tolerabiliores mutantur affectiones, videntur paulatim extingui. Phrynidem, cum septem neruis duos addidisset, ephori interrogauerunt, superioresne vellet an inferiores ipsis amputandas præbere. Nobis autem & superiora & inferiora sunt præcidenda, siquidem ad medium volumus & mediocritatem pervenire. profectus tamen ea quæ nimia sunt primò tollit, acrimoniámque affectuum imminuit, ad quos (vt est apud Sophoclem) incontinentes furioso feruntur impetu. Iam illud quoque dictum à nobis fuit, debere nos orationem ad res ipsas *Imitatio.* transferre, in iísque de ea iudicium facere. esse enim hoc vel in primis officium proficientis. Eius rei indicium primum est, si quæ laudamus, ea imitari conamur, promtíq; sumus agere ea quæ admiramur, quæ autẽ vituperamus, nolumus admitte-

re. Equidẽ probabile eſt ab omnibus Athenienſibus laudatam fuiſſe Miltiadis audacem fortitudinẽ. ſed Themiſtocles ſomnum ſibi Miltiadis trophæo adimi, eóq; ſe excitari è lecto fatus, ſtatim oſtendit ſe non laudatorem modò & admiratorem, verumetiam æmulũ eius imitatorémq; eſſe. Parum itaq; nos profeciſſe arbitremur, dum nos præclarè agentium admiratio ocioſa, non ad imitanda eorum facta impellit. Nam neque corporis amor efficax eſt, niſi obtrectatio ei adſit: neq; laus virtutis ardens atque ſtrenua eſt, quæ nõ pungit neq; ſtimulat, & loco invidiæ æmulationem ingenerat bonorum, idem præſtare cupientem. Non enim ad orationẽ duntaxat philoſophi debemus, vt dicebat Alcibiades, animũ convertere, & lacrymas excutere: ſed qui verè proficit, multo magis viri boni & perfecti factis actionibúſq; ſeſe comparans, ſimul mordente ipſum ſuæ inopiæ conſcientia, & ſpe deſiderióque læticiam afferente, plenus inquieto impetu, volet quod eſt apud Simonidem,

Lactens equum pullus vel vt curſu ſequi,

tantùm non in idem cum præſtãte viro corpus coaleſcere affectans. Veri enim profectus hoc proprium eſt, vt quorum æmulamur facta, eorum inſtitutum amemus atq; diligamus, & cum benevolentia honorem iis adſiduum deferẽtes, collaudationibúſq; lætis proſequentes, eorum ſimiles fieri conemur. Cuius verò animo contendendi ſtudium & invidia adverſus præſtantiores inſtillata eſt, is ſciat ſe gloriæ alicuius aut potentiæ riualitate pungi, virtutem neque honorare neque admirari. Quando itaq; ſic incipiemus bonorum eſſe amatores, vt non modò, ſicvt Plato alicvbi ait, ipſum temperantẽ putemus beatum, beatũ etiam qui dicenti auſcultat, ſed & geſtũ eius, & inceſſum, & vultũ & riſum admirãtes carúmq; habẽtes, parati ſimus nos quaſi concinnare ei & agglutinare: tunc exiſtimãdum eſt nos verè proficere. Idq; eo magis, ſi non modò rebus vtentes ſecundis eos admiremur: ſed ſicvt amatores formoſorum etiam balbuciem aut pallorem diligunt, & Araſpem lacrymæ quoque & mœſticia lugentis & calamitate afflictæ Pantheæ perculerunt: ſic nos neque exſulium Ariſtidis, neque carcerem Anaxagoræ, neque paupertatem Socratis, neque Phocionis damnationẽ formidemus. ſed virtutem etiam cum his amore dignam ſentientes, appetamus, ad ſingula Euripidis hunc verſiculum accinentes,

Virtus cum rebus aduerſis. Xenoph. 6. Inſtit. Cyri.

Proh, quàm virtute præditos omnia decent.

Qui enim eo ad virtutẽ inſtinctu fertur, vt eius admirationẽ atq; æmulationem ne ea quidẽ reprimãt, quæ videntur grauia eſſe mala, eum nulla porrò res ab honeſtatis ſtudio avertet. Conſequens horũ eſt, vt cum rem aliquã aggredimur, aut magiſtratũ occipimus, aut fortuitum aliquid nobis offertur, ante oculos nobis proponamus exempla bonorum virorum, ſiue ij ſunt, ſive fuerunt: cogitemúſq; quid facturus fuerit hoc loco conſtitutus Plato, quid dicturus Epaminondas, qualem ſe geſturus Lycurgus aut Ageſilaus. vt velvti in ſpeculum intuentes, ornemus nos atque componamus, vel vocẽ aliquam degenerem corrigentes noſtram, vel animi motum aliquẽ reprimentes. Qui Idæorum dactylorum nomina didicerunt, iis ſingulis ſenſim recitandis vtuntur ad auerruncandos terrores. Sed bonorum virorum memoria & cõſideratio celeriter adhibita in omnibus motibus animi aut difficultatibus oblatis, proficientes in ſtudio virtutis integros conſeruat atq; erectos. itaque hoc quoque ipſum indicium eſt profectus. Ad hæc, non iam vt antè vehementer perturbari, aut rubore perfundi, aut occultare vel transformare aliquid ſuorum, viro illuſtri gloria & virtute ſubitò interveniente, ſed conſtanti animo ei obviam ire, conſcientiæ quandam habet confirmationem. Alexandrum ferunt, cum videret nuncium gaudio plenum ad ſe adcurrere, dextrámq; porrigere, dixiſſe: Quid mihi nunciaturus es, niſi Homerum revixiſſe? putabat enim ſuis rebus nihil deeſſe præter famæ ad poſteritatem propagationem. Iuueni autem qui mores emendauit ſuos, nullius rei maior inceſſit amor, quàm ſe ſpectandũ præbendi bonis honeſtíſq; viris, conſpiciendámq; exhibere domum ſuam, menſam, vxorem, liberos, ſtudia, dicta & ſcripta ſua. itaque etiam malè ipſum habet antè è viuis deceſſiſſe patrem aut præceptorem, quàm vt videre iſto eum in ſtatu potuiſſent: nihilque tantopere à diis immortalibus peteret votis, quàm vt ij vitæ redditi morũ ſuorum actionúmq; fierent ſpectatores. Sicvt contrà, qui ſeipſos neglexerunt ac corruperunt, ſuos ne in ſomnis quidem ſine tremore & metu vident. Id quoque, ſi lubet ad prædicta adiunge ſignum non exiguum, quod rectè proficiẽs nullum iam peccatum exiguum putat, ſed omnia ſtudioſè vitat atq; obſeruat. Sicvt enim qui diuites ſe fore deſpe-

Exempla proponenda.

Spectator virtutis expetendus.

desperant, paruos sumtus facere pro nihilo habent, quod nihil magni futurum putant si paruum paruo adiiciatur: spes autem ad finem propius accedens simul cum diuitiis auget diuitiarum amorem. ita & in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concedit, neq; dicit Quid tum postea, modò sic, aliàs meliùs: sed singulis intentus, vbi vel minimo peccato vitium sese insinuans veniæ locum dare videtur, ægrè fert & indignatur. manifestum facit se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit. faciles enim & negligentes facit, vt Aeschylus ait, opinio concepta nihil eorum quæ habemus magnum esse. Maceriam aliquam aut sæpem conficientibus nihil refert obvium quodq; lignum aut lapidem humi iacentem adhibere, aut columnam à monimento aliquo delapsam subiicere. quo modo & homines vitiosi omnia promiscuè facta, omnes temerè actiones congerunt ac coaceruant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ, velvti sacri ac regij ædificij, iactum iam est aureum fundamentum, nihil eorum quæ aguntur temerè admittunt: sed velvti amussi rationis aptant singula atq; concinnant. quo de ædificio vsurpari potest Polycleti dictum qui difficilimum opus tractare eos pronunciauit, quibus lutũ est ad vnguem exigẽdum.

Plutarchi De capienda ex hostibus vtilitate, libellvs.



VIDEMVS te, Corneli Pulcer, simul cum reip. administratione mansuetissimum vitæ genus delegisse, in quo cùm maximè publico prosis, priuatim compellantibus te facilimum iucundissimúmque præbes. Enimverò regionem aliquam invenire licet, quæ feris careat, quod de Creta narratur. respub. autem nulla adhuc extitit, quæ nullam inuidiam, nullam æmulationem aut studium contendendi, qui sunt affectus inimiciciis generandis fœcundissimi, protulisset. Quod si nulla alia res, ipsæ saltem nos inimiciciis implicarent amicicię. quod & Chilo ille sapiens sensit, cùm è dicente neminem se habere inimicum, interrogauit nullúmne etiam amicum haberet. Itaq; viro in rep. versanti cùm aliàs de inimicis disquisitio mihi non videtur negligenda, tum Xenophontis dictum attentè considerandum, qui cordati hominis pronunciat esse, Etiam ex inimicis vtilitatẽ capere. Quæ itaq; ea de re nuper mihi disserere subiit, ea totidem conscripta verbis ad te mitto, omissis maximè his quæ in præceptis reip. administrandæ scripsimus: cum videam illum tibi librũ frequenter esse ad manum. Priscis hominibus satis fuit, à diuersæ naturæ animalibus nullã accipere iniuriam: isq; fuit finis certaminũ adversus feras. Posteriores etiã in suos vertere eas vsus didicerũt, carnibus vescentes, pilis vestientes se, fellis aut coaguli medicina vtentes, pellibus se armantes. adeò vt non iniuria metuendum sit, ne si feræ homines deficerẽt, vita humana esset futura belluina, inops, & fera. Proinde quoniam aliis satis est nullo ab inimicis affici damno, prudentes autem etiam vtilitatem ex iis capere Xenophon dixit: fidem eius dicto derogare non convenit, ars tamen ac via & ratio quærenda est qua id bonum consequantur, quibus absq; inimico viuere non licet. Non potest quamvis arborem colonus exuere sylvestri natura, neq; venator omnia cicurare animalia. inventa tamẽ est ratio, qua & ille ex sterilibus, & hic ex feris emolumentum aliquod caperet. Aqua marina neq; potui est, & vitiosa: pisces tamen alit, hominibúsq; in diuersissimas regiones proficiscentibus loco vehiculi est. Cùm Satyrus ignem primò sibi visum osculari vellet & amplecti, monet eum Prometheus,

Vsus rerum non optimarum.

Barbam caper tuam deflebis protinus,
Tangentem adurit ignis. —— interim lumen præbet, & calorem, & vsus gnaris instrumentum est omnium artium. Inimicum etiam consideremus, an damnosus cæteroqui & intractabilis, quodam tamen modo ansam sui vtendi præbeat. Multæ sunt res parum gratæ, inuisæ, & aduersæ iis quibus obtingunt. vides tamen & morbis corporis nonnullos ad ocium vsos, & laboribus alios oblatis confirmasse atque exercuisse corpora. nonnullis exsilium & iactura pecunię viaticum fuere ad ocium &

philosophiam, vt Diogeni & Crateti. & Zeno cum nunciaretur nauim ipsius qua negociabatur fractam, Bene facis, inquit, fortuna, quæ nos intra palliolum compellis. Sicvt enim animaliũ ea quæ validissimo sunt ventriculo & sanitate firmissima, serpẽtes ac scorpios vorant atq; concoquunt, quædam etiam lapidibus & testis aluntur vigore & calore spiritus alteratis, cum contrà languidi & morbosi vino & pane sumto nauseent. ita stulti amicicias etiam corrumpunt, prudentes etiam inimiciciis vti commodè norunt. Primò omnium id quo inimiciciæ maximè nocẽt, cautis videtur mihi fieri commodissimum. Quid nam illud est, inquies? Inimicus perpetuò vigilans res tuas infensus obseruat, circuitq; vitam tuam vndiquaq; ansam nocendi captans, neq; tantum per quercum visu vt Lynceus penetrat, aut per lapides vel testas, sed & per amicos, famulos, familiares quoscunq;, quid rei geras pro virili explorans, & quid consilij capias per cuniculos inquirens ac perscrutans. Nam sæpe nobis non obseruantibus ob cunctationem & negligentiam ægrotant atq; adeò moriuntur amici. Inimicorum tantùm nõ etiam somnia curiositate nostra perquirimus. morbus quidem, æs alienum, dissidium cum vxore tuum faciliùs teipsum, quàm inimicum fefellerit. Maximè autem peccatis inhæret inimicus, eáq; investigat. & sicvt vultures ad odorem corruptorum putredine cadauerum feruntur, pura & sana non sentientes. ita inimicum vitia vitæ malæq; affectiones mouent, ad hæc assiliunt malevoli, eáq; arripiũt & laniant. Vtile igitur est, vt vsquequaq; cautus tibiq; attentus viuas, & neq; vel dicas vel agas quicquam temere aut inconsideratè, sed vitam tanquam in exacta victus ratione conserues omnis repræhensionis securam. hæc enim cautio sic reprimens animi motus, rationémq; in officio cohibens, studium ingenerat atque institutum rectè inculpatéq; viuendi. Ac quemadmodum continentibus vicinorum bellis atq; expeditionibus ciuitates edoctæ bonas leges reipublicæq; sanam formam seruare volunt: ita qui ob inimicicias coacti sunt sobriè viuere, & à negligentia sibi incuriáq; cauere, nihilq; nisi subductis vtilitatis rationibus agere, eos consuetudo etiam non sẽtiẽtes ad vitæ rationem errorum vacuam adducit, morésq; componit & ornat, vel paululum adiuuante doctrina. Quibus enim in promtu est illud semper,

Inimicorũ obseruatio & insidiæ nobis vtiles.

Iliad. α, 255.

Proh, quàm gauderet Priamus, Priamóque creati:

eos id monet, dehortatúrque & deducit ab iis agendis, quæ inimicis materiam gaudendi deridendique essent præbitura. Equidem histriones atque cantores scenicos videmus sæpenumerò in theatris pro sese remissè ac nulla cum alacritate aut solertia agere: orta autem concertatione adversus alios, non seipsos modò, sed & instrumenta sua maiore cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratiúsque concentum instruere & tibiis canere. Ita & qui adversarium sibi vitæ existimationísque suæ paratũ nouit esse inimicum, attentiùs seipsum obseruabit, res suas circumspiciet, vitámq; suam constituet. Nam & hoc vitij proprium est, quod cum peccamus, inimicos magis reveremur quàm amicos. Itaq; Nasica nonnullis putantibus atq; affirmantibus rem Romanam in tuto esse statu collocatam, deletis Carthaginensibus, & in seruitutem redactis Achæis: nunc verò, dixit, periculosè res nostræ se habent, qui neque quos metuamus, neq; quos revereamur, nobis reliquos fecimus. Adde his Diogenis effatum, oppidò philosophicum & ciuile. interroganti cuidam, Quo pacto vlciscar inimicum? respondit, si ipse probus honestúsq; fias. Cum vident inimicorum equos præclarè se gerere, aut laudari canes, molestia affici solent homines. si agrum probè excultum cernunt inimici, aut bene florentem hortũ, ingemiscunt. Quid censes futurum, si te exhibeas spectandum iis hominem iustum, prudentem, frugi, in dicendo laudabilem, in agendo purum, in victus ratione mundum,

Inimicos vlcisci tur, qui probus est.

Sulcum profundum habentem in pectore consitum
Tuo, veneranda consilia vnde pullulent?

Ait Pindarus homines victos linguam ita ligatã habere, vt mutire non audeant. Non simpliciter hoc, neq; de omnibus verum est, sed de his, qui superatos se vident ab inimicis industria, bonitate, magnanimitate, humanitate, beneficiis. hæc, vt ait Demosthenes, linguam avertunt, os obthurant, spiritum intercludunt, silentium imponunt.

* *Tu te malis meliorem præsta. nam licet.*

Vis inimico vt ægrè sit facere. noli ei exprobrare lasciuiam, molliciem, intemperantiam, illiberalitatem: ipse fortis esto, castus, verax, humanúmq; te & æquum iis cum

quibus

quibus tibi res est præbe. Quod si ad maledicendum provehere, cura vt quàm longissimè absis ab iis, quæ alteri obiicis. excute animum tuum, vide vbi sis mendosus: ne tuum tibi vitium occinat illud tragœdi, *Conviciandi modus.*

Aliis mederi vis, ipse vlceribus scatens.

Si illiteratum dicis, studium discendi tuum laborémque intende: si timidum, excita fortitudinem tuam. Si lasciuum, dele ex animo si quod restat adhuc delitescens libidinis vestigium. Nihil enim turpius est aut molestius maledicto in autorem recidente. sed sicvt refractum lumen magis lædit imbecillos oculos, ita & maledicta grauiùs offendunt, ab ipsa veritate in maledicẽtem retorta. Sicvt enim Cæcias nubes, ita vitiosa vita opprobria ad se trahit. Plato sanè quoties interfuisset hominibus contra decorum agentibus, digressus seipsum solebat ita alloqui: Númnam ipse quoque fortassis tali vitio laboro? Et qui vituperauit alterius vitam, si suam statim examinet atque emendet in diuersam partem dirigens atque avertens, aliquid ex conviciando habebit vtilitatis: cùm res ea alioquin invtilis ac vana & videatur & sit. Vulgo rident, si quis caluus aut gibbosus ipse, aliis ea vitia exprobret. In vniuersum verò ridiculum est iacere convicium in alium, cùm vicissim tibi convicium ab eo reponi possit. Quale est quod Leo Byzantius gibboso cuidam oculorum ipsi imbecillitatem exprobrãti respondit: Humanum mihi infortunium vitio vertis, ipse in dorso Nemesin gestans. Non itaque adulterium obiice alteri, ipse insano puerorum amore flagrãs, neque prodigalitatem, sordidus ipse. Alcmæon Adrastum hoc maledicto incessit,

Tibi quæ maritum interfecit suum est soror.

Quid Adrastus? non alienum sed proprium ei reponit opprobrium,

Matrem necasti tu manu tua tuam.

Et Domitius Crasso: nónne tu ob mortem murenæ quę in viuario tuo alebatur plorasti? vicissim Crassus: nónne tu absque vlla lacryma tres tuas vxores extulisti? Enimverò non ingeniosus sit aut vocalis aut proteruus oportet qui infligere alteri maledictum vult, sed inculpatus. videtur enim deus nulli ita seriò mandasse vt seipsum noscat, atque convicium alteri facturo. ne vbi dixit quæ voluit, quæ non vult audiat. Solet enim his evenire illud Sophocleum: —*lingua abusus futili*

Inuitus audit, qui volens dixit malè.

Hoc itaque commodi inest in maledicendo aliis. Sed non minus vtilitatis est in maledictis inimicorum audiendis. Vnde ab Antisthene dictum est rectè, eum qui saluus esse debeat, opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehementissimis. quod illi admonendo peccantes, hi criminando à vitiis avertant. Sed quoniam nostra ætate ad liberas repræhensiones voce valdè exili est prædita amicicia, loquax in adulando, muta in castigando: audienda est nobis ex inimicis veritas. Sicvt enim Telephus domestico destitutus remedio, vulnus hostili hastæ sanandum præbuit: ita quos defecit benevolus castigator, ij vt inimici sermonem audiant necesse est repræhendentis & punientis culpam: non animum maledicentis, sed rem ipsam considerantes. Iasonem Thessalum qui volebat interficere, gladio vomicam eius aperuit, eáque rupta salutem homini attulit. sic sæpe convicium ab irato aut inimico nobis inflictũ, animi morbum latentem neglectúmve sanauit. Sed plerique maledictis impetiti non considerãt an verè illis aliquid obiiciatur, quid sit in maledicente dispiciunt: & instar athletarum puluerem conviciorum sibi ipsis non detergent, sed eodem alios conspergunt atque opplent, atque ita cum his luctantur séque mutuò deiiciunt. Enimverò ab inimico crimine aliquo notatus, si id verum sit, maiore studio id expurgare debes, quàm vestis aliquam commonstratam maculam. Si falsum, tamen quærenda est causa quæ criminationi occasionem dedit: cauendúmque & verendum, ne imprudentes tale aliquid aut simile eius quod obiectum fuit committamus. Verbi gratia, Lacydem Argiuorum regem comæ quædam dispositio, & incessus delicatior, calumniæ molliciei obnoxium reddidit. vt & Pompeium, hominem à mulierositate & libidine remotissimum, quòd vno digito caput scaberet, Crassus insimulatus est incestæ cum Vestali quadam virgine consuetudinis, quòd cum ab ea emere prædium quoddam pulcrum cuperet, sæpius eam demerendi gratia conveniret. Postumia quòd promtiùs rideret, & cum viris liberiùs colloqueretur, in suspicionem non seruatæ pudiciciæ venit, ita quidem vt etiam causam in iudicio cogeretur dicere. & insontem criminis compertam Sp. Minu *Conviciorũ audiendorum vtilis ratio.*

cius pōtifex maximus cùm absolueret, monuit ne verbis vitæ castimoniã non æquantibus vteretur. Themistoclem etiam innoxium, amicitiæ cum Pausania vsus & missi crebrò nuncij ac litteræ, in suspicionem proditionis vocauerunt. Ergo cum aliquid obiicitur falsum, non id ideò quia verum non est, contemni debet aut negligi: sed circunspiciendum, quodnam tuum dictum aut factum aut propositum, vel quis eorum qui tecum sunt ansam similitudine huic calumniæ dederit, idq; studiosè cauendum porrò & fugiendum. Si enim alij rebus circumventi insperatis atq; tristibus discunt quid sit vtile, quomodo Merope ait:

—— me verò fortunæ vices,
Carissimis meorum mercedis loco
Erudiere ademtis. ——

quid impedit, quo minus gratis docentem magistrum admittentes inimicum, vtilitatem capiamus, & aliquid eorum quæ nos latebant discamus? Multa enim inimicus amico faciliùs sentit, cum amator, vt Plato ait, cæcutiat in amata re. Odio præter curiositatem etiam loquacitas adest. Hiero, cum ei quidam inimicus oris fœtorem exprobrasset, domum se ad vxorem recipiens, Quid hoc, inquit, rei est? cur tu mihi hoc non indicauisti? illa verò, vt erat pudica & simplex, Existimabam, ait, omnes viros sic olere. adeò & quæ in sensus incurrunt, & ad corpus pertinent, & omnium conspectui sunt exposita, priùs ex inimicis quàm ex amicis aut familiaribus cognoscimus. Iam linguæ continentiam, quæ pars est virtutis non exigua, obtemperantem rectæ rationi semper habere non potest, nisi qui exercitatione, accuratione, laborisq; cōtentione pessimos affectus, qualis est ira, edomuerit. Voces enim quæ inuitis excidūt, de quibus illud dici potest,

Linguæ moderatio.

Erupit claustris vallati dentibus oris,

Odyss. α, 64.

& quòd nonnulla verba evolant fortuitò, maximè vbi animi excandescentia exercitatione non subacta quasi labimur & diffluimus: hæc inquam proficiscuntur ab impotentia animi iram regere ignari, propter ruditatem iudicij, & vitæ rationem ferociorem. Cæterùm orationi, leuissimæ rei, grauissima (vt est apud diuinum Platonem) & apud deos & apud homines pœna est proposita. Silentium vbiq; est impune, neque tantùm, quod ait Hippocrates, contra sitim valet. maximè autem adhibitum vbi maledictis impetimur, grauitatem habet, éstq; Socraticum quippiam, aut potiùs Herculeum. siquidem Hercules etiam

Non, quantum vel musca, animum aduertit maledictis.

Neq; hoc sanè grauius & pulcrius est quiescere inimico criminante, & maledicum

Velut obstreperum scopulum præternatare:

sed exercitatio potior est. Consuefactus enim tacitus ferre cōvicia inimici, facilè etiam feres incitationem vxoris maledicentis, neq; perturbaberis amici aut fratris acerbioribus vocibus. & patrem quoq; aut matrem iacientem vel verbera ingerentem sine ira sustinebis. Etenim Socrates Xanthippam ferebat, iracundam morosámq; mulierem, quòd faciliùs cum aliis se versaturū putabat, si istam sufferre adsueuisset. Multo autem præstat inimicorum & alienorum dicteria ac convicia, iras, & obscenas insectationes exercitatione præparatum posse animo quieto & æquo tolerare. Atque hoc modo licet in inimicitiis mansuetudinem & malorum tolerantiam demonstrare. Simplicitati & magnanimitati atq; bonitati plus loci hîc est, quàm in amicitiis. non enim tam pulcrum est, bene amico facere, quàm turpe non facere id, cum necessitas eius requirit. Cæterùm oblata occasione vlciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est. qui verò & miseratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, & filiis eius ac familiæ adverso ipsorum tempore operam suam studiúmque defert: hunc qui non amat ob animi humanitatem, neq; ob probitatem laudat,

Aequanimitas adversus inimicos.

Huic pectus atrum est, atq; adamantinum,
Efficta ferro viscera vel rigent.

Cæsari cum statuas Pompeij deiectas erigi iussisset, Cicero dixit: Pompeij statuis restituendis tuas defixisti. Itaq; ne laudationi quidem parcendum est inimici, merito suo eam reportantis. hoc enim laudanti maiorem conciliat quàm laudato laudem: & cùm alio tempore vituperat, creditur non odio hominis id facere, sed quia factum eius improbet. &, quod pulcerrimum est atq; vtilissimum, longissimè abducitur ab inviden-

do

do amicis res secundas aut familiaribus gloriam rei bene gestæ, qui vsu didicit etiam inimicos laudare, neq; morderi eorum successibus, aut invidere iis prosperitatem. Et verò quænam alia exercitatio maiorem cõferat animis nostris vtilitatẽ, aut affectionem meliorem, quàm quæ ex eo invidentiã æmulationémq; malignã aufert? vt enim in ciuitate multa necessaria quidem ea, sed tamen mala, vbi consuetudine recepta vim legis adipiscuntur, nõ facilè possunt aboleri, quantumvis damnosa sint. ita inimicicia cum odio introducit invidiam, obtrectationem, læticiã de adversis inimici rebus, acceptarum iniuriarũ memoriam, eáq; in animo relinquit. accedunt fraudes, imposturæ, & insidiæ, quę hæc putamus adversus inimicos neq; malè neq; iniustè adhiberi: manéntq; & altè radices agunt. quæ nisi vsurpare adversus inimicos caueamus, victi consuetudine postmodò etiam ad amicos transferimus. Quod si rectè Pythagoras in brutis animalibus adsuefecit suos ad vitandam crudelitatem & iniurias, ideóq; & aucupes improbauit, & piscium redemtis capturis, dimitti eos iussit, omnísq; non feri animalis cæde interdixit: multo profectò honestius est in dissensionibus & contentionibus cum hominib. aliis inimicos nos esse ingenuos, iustos, & veraces, affectúsq; prauos & degeneres ac maleficos cõpescere. vt in consuetudine cum amicis animus planè sedatus omni abstineat maleficio. Exercebat cum Domitio inimicicias Scaurus, eique actionem iudiciariam intentauerat. ante diem iudicio dictum seruus Domitij ad Scaurum venit; indicaturus eorũ aliquid quæ ad eam actionẽ pertinerent, Scaurúmq; laterent. sed Scaurus indiciũ non admisit, hominémq; correptũ, ad dominũ remisit. Cato Murenæ diẽ dixerat ambitus, & argumenta quibus reum peragere criminis posset cõquirebat. eum sequebantur, vt erat moribus receptũ, qui obseruarẽt quid agerẽt. ij persæpe quærebãt è Catone, an ista die aliquid tractaturus esset quod ad iudiciũ Murenianũ pertineret. si acturũ se ea in causa quicquã negaret, fidẽ habebant viro, & discedebant. Hæc quidẽ maximũ continent argumentũ Catonianę existimationis. sed maius hoc est atq; pulcrius, quod iusticiã etiam adversus inimicos adhibere adsuefacti nunquam iniustè sumus aut per fraudationẽ cum amicis acturi. Sed quoniã, vt dixit Simonides, omnibus cassitis cassidẽ oportet esse innatã, ita etiã omnis natura humana profert studiũ rixãdi, obtrectationẽ, & invidiã vanorũ asseclã (vt ait Pindarus) hominum: nõ mediocriter profectò rebus suis cõsuluerit, qui istas animi affectiones in inimicos quasi effundens expurget, & cloacis vt sic dicã quibusdã ductis ista quàm lõgissimè à sociis & domesticis deriuet. Quod mihi animadvertisse Onomademus videt, homo rationũ ciuilium peritus. qui cũ in Chio orta seditione à potentiore staret parte, hortatus est socios, ne omnes adversarios eiicerẽt, sed quosdam in ciuitate relinquerẽt. dicebat enim alioqui periculũ fore, ne omnibus inimicis sublatis cum amicis exiturę ipsis essent cõtroversiæ. Eodẽ modo isti in inimicos insumti praui affectus, minùs molesti erũt amicis. Necesse enim non est vt figulus figulo invideat, & cãtor cantori, sicvt Hesiodus cecinit: neq; æmulatio malevola inter vicinos, cognatos aut fratres necessaria est, altero ad opes properante, & successibus vtẽte prosperis. Sed si omnino nulla alia ratio inveniri potest, qua rixis, invidia, cõtentionibus liberẽris: cõdocefacito teipsum, vt inimicorũ lætis rebus mordearis, in iisq; studium concertandi tuum irita, imprime, acue. Sicvt enim sciti agricolæ rosas & violas putãt se facere meliores, si halia & cepas iuxtà plantent: quod in ea excernitur quidquid alimento acerbum inest aut fœtidum. ita inimicus quoq; excipiens invidiæ & malignitatis tuę ictus, benevolentiorem te amicis secunda vtentibus fortuna reddet atq; commodiorem. Itaq; cum inimicis contendendum est de gloria, potentia, aut licitis rei familiaris incrementis, vt nõ vramur modò si in hoc genere ab iis superemur, sed & omnia ea obseruemus vnde illi nobis priores fieri potuerunt, conemúrq; eorum vincere industriam, constantiam laboris, & temperantiam, nósq; ipsi obseruemus. qua ratione dixit Themistocles, sibi Miltiadis Marathonia victoria somnos adimi. Qui enim inimicum existimat priores ferre in honoribus publicis, aut patrociniis, aut reip. procuratione, aut apud amicos vel principes: is si ab agendo & æmulando omnino ad invidendum & animo languendum se convertat: inani certè inefficacíq; cõflictatur invidentia. Qui verò nõ excæcatur odio inimici, sed vitã eius, mores, dicta, factáq; vt incorruptus spectator contẽplatur: is pleraq; eorũ, quorum sinistra æmulatione correptus est, intelliget ei diligentia, providentia, probísq; actionibus parta esse: eodémq; contendẽs, studiũ honestatis gloriæq; suũ augebit, vanitate & socordia affectuũ amputatis. Sin eveniat, vt inimici adulando, ne-

Vitia contra inimicos vsurpanda.

Initio Operum.

quiciosè agendo, causas forẽses tractando, aut operã mercenariã locando in rebus turpibus atq; illiberalibus videanť aliquid potẽtiæ in aulis rebuſpublicisve cõsecuti, fructũ inde nonnullũ percipere: non modò id molestiã nobis obiiciet nullam, sed & gaudiũ adferet, nostram libertatem vitámq; puram & contumeliæ expertem iis opponentibus. Quidquid enim supra & infra terram est auri, comparari cum virtute non meretur: siquidem Platonem audimus. Est etiam in promtu Solonis illud habendum:

Virtute nihil pulcrius.

At nos virtutem non permutabimus horum,
Pulcráq; virtutis munera, diuitiis.

nedum virtuti nostræ præferamus acclamationes theatrorũ epulis corruptorũ, aut honores & priores accubitus apud eunuchos & pellices & satrapas regũ. nihil enim horum dignum est admiratione aut æmulatione, neq; pulcrum, quod à turpitudine proficiscitur. nisi quod amans obcęcatur in consideratione rei amatæ, & faciliùs sentimus turpitudinem cum ea ab inimicis admittitur. Cæterùm neq; cõceptum de eorum peccatis gaudium, neq; dolor nobis ob eorum rectè facta obortus ociosa esse debent: sed rationes vtrinq; instituendæ ita sunt, vt & eorum erratis cauendis præstantiores & imitandis rectè factis non deteriores ipsis exsistamus.

Plutarchi de Amicorum multitudine

LIBELLVS.



MENONEM Thessalum, qui in differendo satis videbatur exercitatus, omninóq; in summo (iuxta illud Empedocleũ) sapiẽtiæ versari culmine, Socrates interrogauit, Quid esset virtus. cúmq; respondisset satis promtè atq; proteruè, virtutẽ & pueri esse, & senis, & viri, & mulieris, & magistratus, & priuati, & domini, & serui: Tu verò, inquit Socrates, pręclarè, qui de vna interrogatus virtute, velut apiarium quoddam virtutũ excitasti. non malè coniiciens, abs ne vnam quidẽ cognitam habente virtutẽ homine, plures nominaret. Nónne nos quoq; subsannauerit aliquis, qui cùm ne vnã quidem firmiter cõtraxerimus amiciciam, metuimus ne imprudentes in copiam complurium amicorum incidamus? ferè enim perinde hoc facimus, ac si mutilus cæcúsve aliquis vereatur, ne in centimanum evadat Briareum, aut Argum illum oculorum multitudine nobilem. Atqui maiorem in modum laudamus adolescentem illum Menandri, qui se valde admirari ait vnumquenque bonorum cui amici vel vmbra obtigerit. Iam inter multas alias hæc non est minima causa cur nullos amicos paremus, quod multitudinẽ amicorum appetimus, cùm instar impudicarum mulierũ sæpe & cum multis coëuntes, primos quosq; neglectos & dilabentes retinere non possumus. aut potiùs quemadmodũ Hypsipylæ alumnus ille in prato sedens carpebat aliũ post alium florẽ consectatus læto animo, vt est apud poëtam, infantia invtilem reddente delectũ: ita quivis nostrum studio quodam nouitatis & præsentium fastidio recenti semper & quasi virente capitur amico, ac subinde mutatur multas simul imperfectásq; ordiẽs amicicias ac familiaritates, & ob amorem eius quem sectatur, præterit iam partũ. Proinde initio repetito ex ipsa antiquitate, tot à priscis tẽporibus seculorũ decursum testem & consiliariũ rei huius adhibeamus, cõsiderémusq; de veris amicis quæ fama sit ad nos propagata. Inveniemus autem binos

Paria amicorũ.

semper amicos memoriæ perhibitos, Theseum & Pirithoum, Achillẽ & Patroclum, Orestem & Pyladẽ, Pythiam & Damonem, Epaminondã & Pelopidã. Est enim amicus animal vnà quidem degens, sed non vt in armẽto aut graculorũ caterua. & q; amicus dicitur alter ipse, id nihil aliud significat quàm binariũ esse amiciciæ mensurã. Iam neq; seruos, neq; amicos multos exiguo nomismate emere licet. Quod autẽ est nomisma quo amici cõparantur? benevolentia & gratia cũ virtute cõiuncta, quibus rebus nihil rarius fert natura. itaq; valdè amare & amari inter multos locum non habet. Sed sicvti amnes in multos diuisi alueos, imbecilli fluũt ac tenues: sic vehemẽs amor in animo si dissipetur in multos, eneruatur. vnde fit vt ea etiam animalia prolem suam magis ament, quæ vnum tantùm gignunt: & Homerus carum filium appellat

Iliad. ι, 478.

Solum, atq; in senio natum: —

scili-

scilicet cùm alium parentes neque habent neque sperant. Nos amicum quidem esse vnicum non volumus. sed inter reliquos sit tardè comparatus, ac qui proverbio vulgatum illum salis modium nobiscum ederit: non ita adscitus, vt hodie qui semel vnà potauerint, aut pila luserint vel alea, aut ex caupona, palæstra, foròve vnà discesserint, amici leguntur. Porrò cum in domibus diuitũ aut procerum magnam vident turbam hominum salutantium, prænsantium, stipantium, vulgo eorum laudant fortunas tot amicos habentium. atqui in culinis eorũ plures muscas videre possint: neq; tamen vel hæ esca, vel illi vtilitate sublata manent. Enimverò ad genuinam amiciciam tria requiruntur potissimùm, virtus vt pulcrum, consuetudo vt iucundum, vsus vt necessarium. Nam & cum iudicio recipiendus est amicus, & consuetudo læta esse debet, & vsus occasione exigente promtus. quæ omnia multitudini amicorum adversantur, maximè, quod principem locum in hac re obtinet, iudicium. Etenim non parum temporis requiritur ad deligendum qui in choro rectè colloquantur, remósve pari incitatione ducant, aut rem familiarem probè administrent, vel liberorum pædagogi vtiliter sint futuri: nedum subitò inveniri queant amici omnem vnà parati subire fortunam, ac quorum quisque *Amicus quomodo deligendus.*

Socium secundis esse rebus te velit,
Tuum nec auersetur infortunium.

Neque nauis ad tantas tempestates in mare deducitur, neq; locis munitiones, aut portubus claustra ac aggeres obiiciuntur tot tantorúmq; periculorum metu, contra quot adversitates auxilium & præsidium pollicetur amicicia veræ probatæq; constantiæ. qui verò non explorati se pro amicis ingesserunt, eos cùm instar pecuniæ improbæ exploramus & depræhendimus, vel gaudemus si se subduxerint, vel si adsint, optamus iis liberari. Est verò graue, & nequaquam facile, amiciciam quæ displiceat dissoluere. Sed quemadmodum perniciosum ac molestum nobis cibum neque possumus sine damno & dolore retinere, neq; talem qualem sumsimus eiicere, sed fœdum & aliis confusum rebus atque tetrum: ita malus amicus, aut nostra & ipsius cum molestia nobis adest, aut per vim cum odio tanquam fel eiicitur. Non itaq; facilè recipere debemus, neque temere coniungi cum quibusvis nos compellantibus, neque amare eos qui nos sectantur: sed potiùs sectari dignos amicicia. Non enim semper dignum est quod amplectare quidquid facile paratu est. nam vt ericam & rubum, quæ nos appræhendunt, calcantes & dimouentes ad oleam vitémve ferimur: sic non debemus perpetuò eos qui se nobis applicant admittere in amiciciã, sed ipsi potiùs eos appræhendere, quos experti sumus dignos esse amicicia, vsuiq; futuros. Sicvt igitur Zeuxis quibusdam culpantibus quòd tardè pingeret, respondit, Fateri se, multum se temporis insumere pingendo, quia in multum tempus vellet ea durare, quæ pinxisset: ita multo tempore probata amicicia, perdurabit. Quid? facile non est multos simul amicos diiudicare, cum multis simul versari facile? immò autẽ impossibile est. Atqui consuetudo id est, quo fruimur amicicia: neq; dulcius in se quicquam ea habet præsentia & vitæ societate. *Consuetudo amicorum.*

Non etenim viui sociis absentibus vnquam
Consilium capiemus.—— & de Vlisse Menelaus:
Nec nos extrema citiùs diuelleret hora *Odyss. Δ, 179.*
Mutua præbentes, vt amicum est, gaudia quicquam.

Contrarium amicicia multos complexa præstat. Simplex enim amicicia conducit, conciliat, & continet compactos colloquiis & officiis,

Ceu niuei partes immissa coagula lactis
Constrinxere,—— vt Empedoclis vtar verbis.

talem enim amicicia vnitionem & coitionem vult efficere. Multiplex verò illa dissipat, avellit, avertitq;, aliâs aliò avocans, neque sinit benevolentiam consuetudine circumfusa ac coëunte coalescere aut agglutinari. Atque hinc statim oritur officiorum inæqualitas & ineptus in iis obeundis pudor. Facit enim multitudo amicorum vt invtiles sint eæ partes amiciciæ, quæ vtiles esse debebant. cùm alij aliis hominibus mores, diuersa diuersis curæ sint. neque enim omnium eodem incitantur ingenia, neque omnium eadem est fortuna quibus cum viuimus, & occasiones rerum agẽdarum sicvt & venti nauigantibus aliquando adversæ sunt, aliquando secundæ. Quod si o-

mnes amici eadem opera aliquando indigeant, sufficere omnibus difficile est consultantibus, remp. gerentibus, ambientibus, aut hospites excipientibus. Sin eodem temporis articulo diuersis negociis & studiis dediti simul postulent, alius vt nauiganti comitem te præbeas, alius vt ei causam dicenti suã adsis, alius vt eum in reo aliquo accusando adiuues, alius vt ementi vendentive operam naues, alius vt nuptiali eius sacrificio intersis, alius vt funus vnà deducas: ibi verò in ista amicorum multitudine

Ex Sophoc. tyranno.

Suffitibus plena vrbs, & est pæanibus,

Et gemitibus. —— ibi neq; omnibus pręstare officium possis, & nulli, absurdum est, & multos offendere dum vni te das, durũ. Non enim quisquã æquo fert animo negligi se, qui amat. immò negligentiæ amicorũ minùs succensent, & absq; ira huiusmodi excusationibus placantur, quibus obliuio præscribitur. Qui autem sic se excusat, Non adfui tibi in iudicio, advocatus enim fui alterius amici: Non invisi te febricitãtem, quòd alteri amicis conviuium præbenti nauaui operam: dum ob alterius curam hunc se neglexisse fatetur, non diluit offensam, sed auget adiecta riualitatis materia. Sed nimirum multi tãtùm cõsiderant quæ commoda percipi ex amicicia possint, non obseruantes quid oneris interim ea imponat: neq; meminerunt debere multis vicissim inseruire cum, cuius multi inseruiuerunt vsibus. Sicvt igitur Briareus centũ manibus cibum in quinquaginta inferens vẽtres nihil eorum aliquo amplius habuit, qui duabus manibus vni ventri sufficiunt: ita amiciciarum vtilitatibus etiam hoc adest, quod iis qui fruitur, multis opus habet inseruire, & occupationum, certaminum, laborúmque multorum partem sustinere. Neque enim audiendus est Euripides sic præcipiens,

Hyppolito.

Mortalium mediocres esse enim decet
Vsus amoris mutui, & solubiles,
Nec ad medullas penetrare intus vltimas:
Intendere vt possis facilè aut remittere.

scilicet velvti gubernaculo nauim, ita vt vsibus amicicias verses. Hoc verò, mi Euripides, ad inimicicias trãsferamus, iubeamúsque contentiones esse mediocres, neque pertinere ad intimam animi medullam, sed odia, iras, querelas, suspiciones ita suscipi, facilè vt aboleri possint. Id autem hîc potiùs nobis præcipe Pythagoricum, Ne multis manum iniiciamus: hoc est, ne multos faciamus amicos, neque multis communem & quasi publicam amplectamur amiciciam, & in contrarium * * quæ multos secum affectus trahit, de quibus vnà cum amicis anxium esse, molestia affici, laborare, pericula subire, res est non planè intolerabilis ingenuis ac generosa indole præditis. Verum autem est illud Chilonis sophistæ, qui dicenti nullum se habere inimicum, respõdit: videris tu mihi amicum etiam nullum habere. Inimicicię quippe statim comitantur amicicias, iisq; sese implicant. neq; fieri potest vt amici non fiãt iniuriarum, ignominiarum, odiorúmq; participes. inimici enim amicum eius quẽ oderunt, suspectum illico habent, maléq; ei cupiunt: amici sæpenumero invident, obtrectant, & circumagunt. Oraculum Timesiæ de colonia ducenda quærenti, responsum fuit

Damna ex amicis.

Quære examina apum, vesparum & habebis abundè.

Ita qui amicorum gregem querunt, incauti in examina inimicorũ incidunt. Neq; verò eiusdẽ sunt ponderis inimici iniuriarũ memoria & amici gratia. Considera quomodo Alexãder tractauerit Philotæ & Parmenionis amicos atq; familiares: vtq; Dionis amicos Dionysius, Plauti Nero, Sciani Tiberius torserint atq; necauerint. vt enim Creonti nihil profuit filiæ aurum & diuitiæ, sed ignis subitò inflammatus accurrentem amplectentémque concremauit: sic nonnulli cum ex secundis amicorum rebus nullum perceperint fructum, calamitatis eorum & exitij fiunt comites. quod maximè vsu venit philosophis ac scitis hominibus. sicvt Theseus Pirithoo pœnas danti vinctóque

Compedibus alligatus est perennibus.

In peste ait Thucydides maximè eos qui virtutem affectarent, dum sibi ipsis non parcunt, sed suos invisunt, vnà cum ægrotantibus periisse. Itaq; virtute non ita est abvtendum vt eam aliis alligemus atq; implicemus: sed dignis eius est seruãda cõmunio, hoc est iis, qui vicissim eodem modo amare & communicare possunt. Etenim id omnium maximè multitudinem amicorum impedit, quod origo amiciciæ ex similitudine est. Cum enim bruta cum disparibus misceantur non nisi inuita, subsidántq; & subterfugiant,

Similitudo amiciciæ origo.

giant, cum sui autem generibus libenter mutua quadam affectione sociata coëant: quî possit existere amicicia vbi mores sunt diuersi, affectus dissimiles, vitæq; instituta discrepantia? Nam concentus quidem neruorum ex contrariis sonis conflatur, acutis & grauibus vtcunque similitudinem quandam gignentibus. Amiciciæ autem concentus, nullam vult partem esse dissimilem aut inæqualem: sed oportet omnia dicta, sensa, consilia, & affectus inter se convenire, velvti vno animo in plura diffuso corpora. Quis verò est ita laboriosus & mutabilis & varius homo, vt se multis similem reddere atq; accommodare velit, ac non potiùs Theognidem rideat sic præcipiẽtem?

Polypodis mentem versuti sume, sub omni
Qui visu præbet se similem lapide.

Atqui polypodis mutationes non penetrant intrò, sed in ipsa fiunt superficie, densitate & laxitate sua defluxum recipiente rerum vicinarum. Amiciciæ est mores, affectus, sermonem, studia, & animi sensum exæquare. Proteus verò sit quidam infelix, neque adeò bonus, qui subinde præstigiis quibusdam ex alio sese in alium transformet, legat cum litterarum studiosis, in arena sit cum palæstræ deditis, venetur cum venationem amantibus, cum ebriosis potet, cum ciuilibus comitia obeat, neque proprios habet suarum actionum lares. Sicvt autem philosophi naturam siue materiam formæ ac coloris expertem, vt subiectum, sui mutationibus aiunt modò incendi, modò humectari, & aliâs in aërem dissolui, aliâs condensari: ita amicorum multitudini subiicere oportebit animum multiplicem, versatilem, mobilem, & facilè mutabilem. Cęterùm amicicia stabile requirit quippiam, & immutabile ingenium, quod eandem retineat consuetudinem. ideò rarus & inventu difficilis est constans amicus.

Plutarchi libellus de fortuna.



ITAM regit fortuna, non sapientia, dixit quidam, res humanas non consilij dexteritate, sed fortuito dispensari sentiens. Quid ergo? neque iusticia, neque æqualitas, neque temperantia, neque modestia res humanas dirigunt? sed à fortuna & propter fortunam factum est vt in sua perseueraret Aristides paupertate, cum parare diuitias sibi posset? & Scipio Carthagine capta nihil prædæ neque videret neque acciperet? & Philocrates accepta à Philippo pecunia meretrices ac pisces emeret? Lasthenes & Euthycrates ventre ac rebus turpissimis metiti felicitatem, Olynthum perderent? Alexander Philippi F. captiuis mulieribus cum ipse abstineret, tum vim facientes puniret? Alexander autem Priami F. adversa fortuna eò adactus est vt stuprum hospitis vxori offerret, eáque abducta duas continentes bello ac malis impleret? Hæc enim si fortunæ adscribuntur, quid impedit quo minus feles, hircos, simias dicamus fortuitò esse gulosos, libidinosos, scurriles? Sin est aliqua temperantia, iusticia, fortitudo, quî consentaneum est prudentiam, si prudentia, consilij dexteritatem nullam esse? cum & temperantia dicatur quædam esse prudentia, & iusticia præsentem requirat prudentiam. Immò prudentiã qua adhibita circa voluptates officium tuemur, continentiæ & temperantiæ nomine afficimus: eandémque in periculis & laboribus tolerantiam ac fortitudinem, in contractibus & rebus publicis æquitatem iusticiámque vocamus. Vnde fit, vt si fortunæ imputamus quæ consilij dexteritate præstantur, eidem etiam iusticiæ & temperantiæ opera sint imputanda: & furari me hercle, & marsupia desecare, & lasciuire, fortunæ acceptum feretur. denique nostris ratiocinationibus valere iussis, fortunæ totos nos trademus, quasi vento quodam instar pulueris aut quisquiliarum exagitatos atque dissipatos. Iam consilij dexteritate sublata, par est neque considerationem vllam rerum relinqui, neque investigationem vtilitatis. sed delirauit Sophocles, cum diceret:

Virtutes fortunæ opponit.

——*quicquid quæritur.*
Licet inuenire: neglectum verò, latet.

& rursus, cum res diuidens ait:

Discenda disco, & inuenienda si qua sunt,
Inquiro: voti quæ sunt, à diis peto.

Quid enim invenire aut discere possint homines, si fortuna omnia diriguntur? cuiusnam vrbis curia, cuius regis concilium non evertitur, si fortunæ omnia parent? cui nos cæcitatem exprobramus, quia in eam cæci incidimus. Quî verò non incidamus, si consilij dexteritatem, quæ oculorum instar nobis est, abiicientes, cæcam vitæ ductricem eam nobis adsciscimus? Finge verò aliquem nostrum sic dicere: fortuna præstat vt videamus, non visus & oculi, quos luciferos Plato dicit. fortuna audimus, non facultate ictum aëris appræhendente qui per aures ad cerebrum fertur. quis non vereatur hoc modo sensibus detrahere? Atqui visum, auditum, gustatum, olfactum, reliquas item corporis facultates atque partes natura nobis dedit, vt earum ministerio prudentia vteretur. *Mentis vis.* Mens enim videt, mens audit, reliqua cæca sunt, & surda. Et sicvt sole sublato, quod ad reliqua sidera attinet, perpetuam haberemus noctem, vt Heracletus dixit: ita præstare reliqui sensus non possent absque mens esset & ratio, vt reliquis animalibus anteiret homo. Nunc quòd potiores sumus, iisque imperamus, non casu aut fortuito fit, sed Prometheus, id est rationis vsus, hoc efficit,

Fœtus equorum, asinorúmque, & boum genus,
Munera rependens, quæ nostris laboribus
Subeant. —— vt est apud Aeschylum.

Hominis cum brutis collatio. Alioqui sui ortus natura & cōditione pleraque bruta sunt quàm nos meliore. alia enim cornibus armantur, dentibus, stimulis: & echinus, vt ait Empedocles,

Dorsum horret spinis, & spicula torquet acuta:

tum verò amicta sunt & suffulta squamis, villis, chelis, vngulis duris. Solus homo, vt ait Plato, nudus, inermis, sine calceis & tegmine est à natura relictus.

Vnum sed hæc largita, emollit omnia:

scilicet rationis vsum & industriam ac providentiam.

Vires exiguæ sunt mortalium.
Sed calliditate multiplici,
Belluas maris, & terrestria,
Et sub cœlo volitantia
Omnia homo domat.

Nihil agilius equo, nihil velocius: sed hominibus currunt. ferox est animal canis, & iracundum: sed homines custodit. multum carnis habet porcus, esu suauissimus est piscis: alimentum & obsonium homini sunt. Quid maius elephanto, quid adspectu terribilius? verùm & hic ludicrum hominis factum est, & spectaculum in solennibus conventibus, discitque saltationes suas & choreas ac ingeniculare. Atque hæc non invtiliter spectanda proponuntur. faciunt enim eò, vt discamus quò hominem attollat ratio, & quibus rebus eum superiorem faciat, vtque omnia in suam redigat potestatem.

Odyss. 8, 246.
Non etenim pugiles, luctatorésve profectò
Inuicti sumus, aut cursu contendere digni:

sed in his omnibus præstant nobis bruta. Peritia autem, memoria, sapientia & arte secundum Anaxagoram omnia quæ ipsa habent in nostros vertimus vsus. fauos apum colligimus, lac mulgemus, & res brutorum nostro arbitratu agimus ac ferimus: nihilque hîc fortuna, omnia consilio & providentia geruntur. *Artes fortunæ opponit.* Enimverò in humanis rebus haud dubiè censentur etiam artificum opera, & fabrorum qui metalla cudunt, qui domos ædificant, qui statuas faciunt. in quibus nihil forte fortuna aut casu absolui videmus. vtque perpusillum aliquid fortuna interdum architecto aut mulcibero commodet, certè plurima & maxima opera ars seipsa contenta perficit. Hanc rem poëta sic declarauit:

Ite in viam nunc omnis artificum tribus,
Qui filiam trucibus oculis notam Iouis
Colitis cistas gerentes Erganam sacras.

est enim Ergane Opifex. hanc itaque Mineruam operum præfectam, non fortunam patronam agnoscunt artes. Ferunt quendam, cùm equum cæteras ad partes quod attinebat lineis & coloribus probè expressisset, spumam tantùm quæ fræno concusso

cum anhelitu efflabatur, non ita pinxisset vt sibi satisfaceret, itaque sepius deleuisset & denuo conatus esset perficere, ad extremum præ ira spõgiam vt erat plena pigmentorum in tabulam coniecisse: eámque non sine miraculo operi id quod desiderabatur addidisse. hoc vnum fortunæ artificiosum facinus narratur. Cæterùm artifices regulis, amussibus, mensuris ac numeris vbique vtuntur, ne quis casui locus in opere relinquatur. Et quidem ipsæ artes paruæ quædam appellantur prudentiæ, aut riuuli potiùs prudentiæ, & fragmenta quædam vsibus vitæ nostræ insperſa: quod ignis Promethei ænigma innuit, hinc inde dispersus. sic enim prudentiæ etiam particulæ quædam in minuta frusta diuisæ in ordines sunt redactæ. Mirum itaque sit, cùm artes vt suum finem consequantur nihil indigeant fortunæ opera, artem omnium maximam & perfectissimam, quæ summam humanæ gloriæ & officij continet, nullam esse. Est quædam in intendendis remittendísque fidibus prudentia, quæ musica dicitur: est in apparandis cibis, quæ culinaria: est in lauandis vestibus, quæ fullonum. tum pueros docemus se induere vestibus & calceis, dextráque cibum capere, læua panem tenere: quòd ne hæc quidem ipsa fortuitò fiant, sed attentione & peritia opus habeant. maxima verò & ad felicitatem præcipuè facientia dicemus non adhibere prudentiam, non rationis vsum & prouidentiam? Atqui nemo terram aqua madefaciens discedit, vltrò & fortunæ opera lateres inde exituros censens. neque quisquam lanis & corio partis sedet fortunam precans vt vestem sibi ex iis aut calceos efficiat. qui verò multum auri, argenti, mancipiorum collegerit, in aulis habitet multiforibus, atque ante se habeat lectulos sumtuosos & mensas: censebit ista, si absit prudentia, felicitatem fore, aut vitam beatam, doloris expertem, & mutationis securam? Interrogauit quidam repræhendendi animo Iphicratem, quis esset, cum neq; arma, neq; arcum, neque cetras ferentium in ordine censeretur. respondit, Eum se esse, quis hisce omnibus imperaret atq; vteretur. Ita prudentia neq; aurum est, neque argentum, neque gloria, neq; valetudo, neq; diuitiæ, neq; robur, neq; pulcritudo. quid ergo ea est? id quod rectè vti his omnibus potest, ac singula horum iucunda facit, laudabilia, vtilia, cùm sine hac inutilia, sterilia, damnosáque sint, & molestiam ac dedecus possidenti ea adferant. Præclarè itaque Prometheus apud Hesiodum præcipit Epimetheo, *Prudentia quid.*

—Ne munera magno
Ab Ioue missa vnquam accipiat, sed habere recuset:

nimirum de fortunæ bonis & externis loquens: perinde ac si musicæ ignarum canere fistula, aut recitare indoctum, aut equitare ignarum equi gubernandi vetaret: ita eum hortans ne magistratum gerat cum imprudẽs sit, néve sit diues, animo præditus illiberali, néve vxorem ducat, sub eius futurus imperio. Non enim duntaxat res secundæ indigno oblatæ occasionem stultis exhibent malorum consiliorum, vt Demosthenes dixit: sed & prosperitas meritò maior imprudentibus calamitatum ansa & origo est.

Plutarchi de Virtute & vitio libellus.



Vestes hominem videntur calefacere, cùm quidem ipsæ calorem non adferant, suapte natura frigidæ: (vnde etiam sæpe in æstu aut febri vestes subinde mutamus corporis refrigerandi gratia) sed calorem qui ex hominis editur corpore, vestes corpori adhibitæ cõtinent atq; comprimunt, inclusúmque corpori non patiuntur dissipari. Idem in rebus error multos decipit, qui suauiter se victuros putant, si in magnis habitent ædibus, multitudine mancipiorum & pecuniarum instructi. Atqui non foris est vitæ suauitas: sed rebus suis ex ingenio suo tanquan fonte voluptatem & gratiam adfert homo.

Sed lucente foco domus adspectu quoq; fiet
Pulcrior:—

& diuitiæ gratiores sunt, & gloria splendidior ac potentia, si animi lætitia accedit. siquidem paupertatem etiam, exsulium, & senectutem faciè & placidè ob morum mansuetudinem ac facilitatem ferunt. Sicvt enim aromata gratum odorem etiam lacernis & centonibus conciliant, cùm Anchisæ corpus saniem malam ederet,

In fila destillantem vestis byssinæ:

Vitiorum vis.

ita cùm virtute omne vitæ genus molestiæ expers est & iucundum: vitium iis etiã quæ splendida videntur & preciosa & veneranda si admisceatur, molesta facit, & fastidiosa, & ingrata possidentibus.

Beatus iste nuncupatus in foro,
Foribus domus apertis est miserrimus:

mulier totum occupat imperium, mandat, pugnat. Et verò facilè mala se exoneret muliere, qui quidem vir sit, non mancipium. Vitiis verò tuis non licet remisso nuncio, iussisq; suas res habere, seorsim viuere liberatum iis & quiete frui. Vitium enim in ipsis habitans visceribus atq; inhærens noctes diésq;

Absq; face exurit, crudæ mandátq; senectæ.

Molestus est itineris comes prauitas ob arrogantiam, sumtuosus conviua ob luxuriã, concubina acerba, quòd curis & solicitudinibus ac æmulationibus somnum avertit ac vitiat. Etenim dormientibus somnus corporis est requies: animo interim terrores obversantur, somnia, tumultus ob superstitionem:

Quòd dormitantem si me corripit dolor,
Insomniis miser enecor, — ait quidam. Eodem modo invidia etiam, & metus, & ira, & libido afficiunt. Interdiu enim vitium foras prospiciens ad alios, iísque se accommodans, pudore afficitur & occultat affectum, neq; omnino impetibus suis cõcedit, sed repugnat sæpe ac renititur. in somnis autem legibus iam & aliorum iudiciis non ampliùs obnoxium, remotúmq; longissimè à verecundia & metu, omnem mouet cupiditatem, maliciamq; suam & libidinem exsuscitat. nam & cum matre concubitum affectat, vt ait Plato, & cibis vesci quibus religio interdicit, neq; vllo facinore abstinet, fruitúrq; flagitiis quantum datur, imaginibus fingendis ac visis quæ in nullam voluptatem aut perfectionem cupiditatis desinunt, sed mouere tantùm & exacerbare affectus morbósq; valent. Vbi ergo est delectatio vitij, si nullibi vacuitas curarum & doloris, nullibi seipso contentum esse, nullibi tranquillitas animi ociúmve conceditur? Nam carnis quidem voluptatibus bona corporis temperies & sanitas locum ortúmque præbet. animo gaudium aut lætícia ingenerari non potest, nisi vacuitatem metus ac fiduciam & tranquillitatem is pro fundamento substernat. alioquin etsi spes aliqua aut delectatio arriserit, subitò eam cura aliqua erumpens confundet, ac conturbabit, sicvt tranquillo cœlo nauigantibus obiecta rupes. Congere aurum, collige argentum, ædifica ambulationes, imple mãcipiis domum, debitoribus vrbem. nisi animi affectus sedaueris, & inexpletę cupiditati finem imposueris, téq; ipsum metu & solicitudinibus liberaueris: vinum febricitanti colas, mel bilioso offers, cibos cœliacis paras & difficultate intestinorum laborantibus, qui eos non perferunt, sed ab iis perduntur. Non vides, vt ægroti purissimos & preciosos cibos aversantur, conspuunt, recusant vi oblatos? Postmodò mutata temperię, bonísq; spiritibus & dulci sanguine natis, caloréq; naturali restituto, surgunt, & vilem panem cum caseo & nasturtio non sine voluptate edunt? Huiusmodi doctrina animo ingenerat affectionem. Contentus eris te ipso, si didiceris quid bonum sit, quid honestum. Luxuriabis in paupertate, & rex eris, vitámque priuatam & ociosam non minùs habebis gratam, quàm quæ in imperiis & magistratibus agitur. Philosophiæ nauata opera, nunquam iniucundè viues, sed disces omni vitæ statu delectari, omni conditione. Læticiam tibi afferent diuitiæ, multis benefacienti: afferet etiam paupertas multis curis vacuo: & gloria, cùm honore afficieris: & obscuritas, tuto ab invidia.

Somnus vitiosorum.

Plutarchi de consolatione, ad Apollonium liber.



AM inde ab eo tempore, quo inaudiui filium tuum, Apolloni, adolescentem, modestum planè atq; frugi, et pietatis in deos, parentes, atq; amicos ita vt non multi alij obseruantem, immatura morte extremum vitæ diem confecisse: socium me tui doloris ægritudinisq; habuisti. Verùm sub ipsum funeris tempus, erat alienum te compellari abs me & moneri vt casum hũc humaniter ferres: cùm tu ob insperatam hanc calamitatẽ & animo langueres, & corpore: miserari potiùs oportebat. quando peritissimi etiam medici confertim ingruentibus vitiosorum humorum fluxionibus non statim medicamenta applicant, sed tumorem inde ortum patiuntur foris illitis remediis ipsum vltrò concoctione quadam emolliri. Ergo nunc, postquam tempus, quo maturari solent omnia, aliquod ab ista effluxit calamitate, animiq; affectio tui requirere videtur amicorum auxilium: existimaui me facturum officium, si te ad consolandum aptis rationibus impertirem, quibus & dolor tuus minueretur, & lugubres istæ inanésq; tollerentur eiulationes:

Ex Aeschyli Prometheo vincto.

Oratio saucij nanq; animi est remedium,
Si quis suo cor ægrum tempore molliat.

Et sapienter Euripides:

Remedia morbis diuersis diuersa sunt.
Dolentem amici sermo benignus subleuat,
Fatuo nimis debetur castigatio.

Cùm enim animum multi affectus moueãt, doloris ea est natura, vt omnium hoc grauissimè faciat. quem & insaniæ nonnullis causam aiunt fuisse, & aliorum insanabilium morborum. ac fuerunt, qui præ dolore sibi ipsis mortem consciscerent. Iam ex morte filij dolorem ægritudinémq; animi concipere, res est talis, quæ à naturali profecta principio non sit in nostræ voluntatis sita libertate. Non enim eos probo, qui feram quandam laudibus ferunt durámq; indolentiam: quæ neq; cõtingere nobis potest, neque vt posse fingas, commodatura nobis esset. abolitura enim erat, quam conseruari maximè oportet, quæ ex amore vltro citróq; exsistit benevolentiam. Mœrore autem vltra modum efferri, eúmq; cumulare immodicè, præter naturam esse affirmo, & à praua animi nostri opinione proficisci. Hoc itaq;, vt damnosum & vitiosum, & virtute præditos viros minimè decens, vitemus. mediocritas autẽ affectuum non est improbanda. Optandum est, inquit Crantor Academicus, ne ægrotemus. sed si in morbo simus, sensus eius aliquis adesse debet, siue secetur pars nostri aliqua, siue avellatur. Indolentia enim illa non sine magna iactura homini potest parari. quippe necesse est vt ibi corpus, ita hîc animum planè efferatum esse. Postulat itaq; ratio vt qui sana sunt mente, in talibus casibus neq; nullos neq; nimios animi motus sentiant: quorum alterum est duri & feri, alterum dissoluti effeminatiq; animi. probè rationes subduxit, qui se intra suos fines continet, ac moderatè ferre nouit quidquid in vita vel iucũdum obtingit vel asperum. maturéq; ita secum cõstituit, sicvt in populari reipublicæ statu sorte magistratus leguntur, vt si ea tetigerit te, imperandum, si præteriuerit, æquo animo ferenda sit fortuna: ita & rerum humanarum dispensationi esse obedienter & absq; incusationibus obtemperandum. Hoc qui præstare nequeunt, ij ne secundas quidem res ferre prudenter moderatéque possunt. Est enim inter alia pulcrè dicta & præcepta etiam hoc:

Modus in dolore.

Non vlla res tam prospera accidat tibi,
Ducas ob hanc iusto vt maiores spiritus.
Aduersa rursus animum haud deiiciant tuum,
Fac semper idem sis, vbique firmiter
Naturam, vt aurum in ignibus, seruans tuam.

Rectè enim instituti & cordati hominis est neq; mutari ob eventum rerum quæ videtur prosperæ, & constanti animo decorum in adversitatibus seruare. Et boni ratiocinatoris officium hoc est, aut præcauere malum ingruens, aut acceptum corrigere &

Quatuor virtutis officia.

quàm minimum redigere, aut tolerantia sese mascula & generosa instruere. Quatuor quippe modis prudentia circa bonum versatur, aut parans id, aut conseruans, aut augens, aut rectè vsurpās. hæ sunt cùm prudentiæ, tum reliquarum virtutum regulæ: quibus in vtraq; est vtendum fortuna.

Non viuit, omnia cui contingant prospera.

& mehercle

Quod oportet, haud efficies vt sit non opus.

Vices rerum.

Sicvt enim stirpes aliquando multos, aliquando nullos fructus ferunt, & animalia copiosos aliàs, aliàs nullos procreant fetus: & in mari tranquillitatis ac tempestatum sunt vicissitudines: sic & in vita multæ ac variæ eveniunt circumstantię, quę homines in diuersos fortunæ casus trahunt. in quos dispiciens aliquis, non ineptè dixerit,

Eurip. Iphig. Aul.

Non te omnia ad læta genuit,
O Agamemnon, Atreus.
Opus est te gaudere, & mœrere:
Mortalis enim natus es. & vt haud velis,
Superi sic constituerunt.

Et Menandri ista:

Si natus es tu, Trophime, solus omnium
Hac lege, partu cum te mater edidit,
Vt semper eant tibi res arbitrio tuo,
Felicitatem hanc si quis promisit deûm:
Irasceris iure. nam mala is fide
Et improbè egisset. Sin iisdem legibus,
Quibus aerem nos ducimus, in lucem es datus
Hanc publicam: tecum vt liquidò mage fabuler,
Ferenda sunt hæc, & putanda rectiùs.
Summam rei quod continet totius, homo es:
Quo celeriùs non vllum extollitur animal,
Citiúsve deiectum imo repit in solo.
Meritóq; sanè. cum sit enim infirmissimus,
Grauissimis inuoluit se negociis,
Suáq; plurima ruina perdit bona.
Iam tu neq; rebus excidisti illustribus,
Mediocre & obtigit tibi infortunium.
Reliqua ergo perfer fortunæ in medio situs.

Sed tamen cum hic sit rerum humanarum status, nonnulli præ stulticia eò progrediūtur stolidæ atque vanæ iactantiæ, vt cùm aut diuitiarum magnitudo, aut magistratus sublimitas, aut in republica sessio superiore loco, vel honores aut gloria eos aliquātulum sustulit, minentur etiam & insultent inferioribus: non cogitantes quàm instabilis sit & lubrica fortuna, & quàm facilè sublimia deiiciantur, humiliáque in altum celeribus momentis mutationum fortunæ extollantur. Est verò non rectè rationes rerum putantis, firmum aliquid in rebus instabilibus quærere.

Vertente enim rota, pars altera orbitæ
Superior, inferior altera subinde fit.

Humanæ res quales.

Ad parandam porrò doloris vacuitatem non est certius medicamentum ratione, indéq; petita ad omnes vitæ mutationes præparatione. Sic enim cuique statuendum est, non modò mortalem se esse, sed & vitam sortitum mortalem, résq; facilimè in diuersam mutabiles partem. Verè nimirum hominum mortalia sunt inq; diem durantia corpora, & fortunæ affectionésq; caducæ, omniáq; in vita fluxa,

Quæ non posit homo quisquam euitare cauendo:

sed, quod est apud Pindarum, Orci fundum obscuri calcamus ferreis necessitatibus. Euripidis sunt hæc:

Non sunt opes stabiles, sed durant in diem. Item,
Vel minima nos euertunt: vna adeò dies
Deiicere summa, extollere infima posiet.

Hæc

Hæc omnia rectè dicta aiebat Demetrius Phalereus: id tamen rectius habiturum fuisse, si pro vna die momentum temporis dixisset.

Redeunt in orbem res generis mortalium,
Telluris instar fructuum. atq; alij vigent,
Decerpit alios & metit necessitas.

Et Pindarus alibi. Quid est esse aliquem? quid nullum? Somnium vmbræ est homo. aptissima ad perspicuitatem & admodum artificiosa vsus hyperbola vitam hominum depinxit. Quid enim est imbecillius vmbra? aut quibus verbis somnium eius effari possis? Hæc secutus est etiam Crantor, qui in consolatione ad Hippoclem, cui liberos mors eripuerat, in hanc scripsit sententiam. Hæc ergo sunt, quæ vniuersa illa vetus philosophia docet atque præcipit. quæ si non omnia admittimus, id saltem nimis est verum, vitam nostram multis modis laboriosam esse ac difficilem. quod si non ita est natura comparatum, certè à nobis ipsis hæc ei invecta est corruptela: & incerta ista fortuna eminus nos ac iam inde ab initio comitata nihil sanum aut salutare nobis infert. Mali quædam fatalis portio omnibus nostris rebus iam tum admiscetur cum nascimur. ipsa semina mortalia cum sint, partem huius causæ sustinent, vnde prauitas ingenij, morbi, curæ, aliáque fatalia incommoda mortales insequuntur. Cur autem eo orationem avertimus? scilicet vt intelligamus, nouum non esse si homini infortunium accidat, sed omnes nos eidem casui esse obnoxios. Improvisa enim est, vt Theophrastus ait, fortuna, habétq; magnam vim auferendi quæ nobis labore parta sunt, & quæ apparet prosperitatem evertendi, neque vlla constituta temporis vtitur ratione. Hæc & alia id genus facile est cuivis & apud animum suum reputare, & dicta à priscis ac sapientibus viris audire. inter quos princeps diuinus Homerus sic cecinit:

Nil homine in terris infirmius ætheris aura Odyss. σ, 128.
Vescitur, aut perreptat humum. nihil ille malorum
Posse sibi sperat contingere dum viget, & dum
Permittunt rebus superi gaudere secundis.
At postquam casus immittunt numina diros,
Inuito tolerat fatalia tum mala corde.
Humanæ talis stat enim sententia menti,
Qualem quottidie lucem ipse Diespiter adfert.

Et alibi:

Quid genus inquiris Tydida strenue nostrum? Iliad. ζ, 145.
Nil ortus noster foliorum distat ab ortu.
Quæ ventus modò fundit humi, modò tempore verno
Multa renascuntur syluas passim per opacas.
Sic hominum pars orta viget, pars desinit esse.

Qua eum imagine humanæ vitæ vsum esse pulcrè, manifestum est ex iis quæ alio loco dixit:

Cur hominum causa tecum contendere coner? Iliad. φ, 463.
Qui foliorum instar nati quandoq; frequentes
Gratis vescuntur telluris frugibus: iidem
Dispereunt quandoq; frequentes, robore cassi.

Simonides poëta lyricus, cum Pausanias rex Spartanorum continenter sese ob res gestas iactaret, ipsúmque subsannans iuberet sibi aliquid sapienter præcipere: cognita hominis superbia monuit, vt se hominem esse memoria teneret. Philippus Macedonum rex, cum eodem tempore tres lætos accepisset nuncios: vnum, quòd quadrigæ ipsius Olympia vicissent: alterum, quòd legatus ipsius Parmenio pugna Dardanos superasset: tertium, quòd vxor Olympias marem ipsi peperisset: manibus ad cœlum intentis, O fortuna, inquit, modico isthæc compensa damno. scilicet intelligens solere fortunam magnis invidere prosperitatibus. Theramenes, vnus de XXX Atheniensium tyrannis, cùm collapsa domo in qua cum aliis compluribus cœnabat, solus evasisset mortem, multíq; eo nomine ipsum beatum prædicarent, magna voce sic exclamauit:

O fortuna, cur nam me reseruas occasioni. ac nō multo pòst tempore excruciatus tormentis iussu collegarum è vita decessit. Sed singularem laudem videtur commeruisse Homerus, qui Achillem introducit his verbis vtentem ad Priamum, ad se redimendi Hectorei cadaueris gratia profectum:

Iliad. ω,522.

Nunc solio Troiane sede: tristésq; dolorem
Quantum vis mœsti fac alto corde premamus:
Nil etenim gelidis ploratibus efficiemus.
Hanc misero sortem superi iniunxere, malorum
Expertes, hominum generi. nam dolia in ipso
Limine cælestis primo duo sunt posita aulæ,
Vnde duûm generum Iupiter mortalibus effert
Munera. in hoc bona sunt, aduersa recondita in illo:
Cui commixta Tonans depromit dona, fruetur
Nonnunquam aduersis, rebus quandoq; secundis.
Sed cui sola dedit de diro tristia vase,
Is miser est, neq; diis, hominum nec amabilis vlli,
In terráq; suos lugubriter exigit annos.

Proximus ab hoc gloria & tempore, ac qui se Musarum profiteretur discipulum Hesiodus, inclusa dolio mala ipse etiam fingit, quo aperto Pandora omne genus malorū per maria ac terras disseminauerit:

1. Operum.

Illa cadi tegmen manibus dimouit, & vna
Perniciem immisit miseris mortalibus atram.
Consedit sub supremis spes vnica labris,
Nec volucri nisu vacuas exiuit in auras,
Cùm Pandora cado priùs obderet improba tegmen.
Ast aliæ pestes diræ, numeróq; carentes
Per genus humanum, postquam erupere, vagantur.
Plena malis tellus, plenum est pelagúsq; malorum.
Inuadunt homines morbi noctúq;, diéq;,
Vltrò obrepentes, & tristia damna ferentes,
Idq; (etenim Iupiter priuauit voce) silentes.

Ab his pendet Comicus, de iis qui huiusmodi casus grauiùs ferunt, in hanc scribens sententiam:

Iam si mederentur nostris lacrymæ malis,
Finémq; ploratus dolori ponerent,
Auro redemtis vteremur lacrymis.
Nunc res eas, here, nil curant mortalium,
Nihil his mouentur, eadem sed pergunt via,
Seu tu fleas, seu sicca serues lumina.
Quid ergo proficiemus? nil. sed habet dolor
Hunc arboris instar, fructum nempe lacrymas.

Dictys quoq; consolans Danaën nimio luctui indulgentem, ita loquitur:

Putásne Ditem luctibus flecti tuis?
Natum remissurúmve tibi ob gemitus tuum?
Desine. intuensq; aliorum in infortunia
Solare mentem. fiet hoc, si cogites
In vinculis quàm multi homines mortem obierint,
Quàm liberis orbi multi consenuerint,
Vel ex tyrannide ampla in infimum ordinem
Fuerint redacti. cogitanda hæc sunt tibi.

Iubet eam considerare & minora & maiora adversa perpessorum casus, vt animum inde ægritudine leuet. Atq; huc pertinet etiam Socratis sententia, qui censuit si in vnum congereremus nostras adversitates, ea conditione vt æqualem inde quisq; portionem auferret, plerosq; libenter receptis quas attulissent abituros. Hoc genere animum demulcendi vsus est etiam Antimachus poëta, cùm enim morte amisisset Lyden

vxorem suam, quam admodum caram habuerat, leniendi doloris causa elegiam scripsit Lyden nomine, in qua enumeratis heroicis calamitatibus, alienorũ malorum cõmemoratione suum mœrorem detereret. vt satis evidens sit, eum qui consolatur lugẽtem, ostenditq́ casum hunc ei cum multis esse communem, his quæ aliis evenisse demonstrat commemorandis, opinionem ægri de sua calamitate diminuere, fidémque ei facere, non esse tantum quantum videbatur incommodum. Aeschylus quoque recte videtur increpare eos qui mortem malum putant, ita pronuncians: *Mors non est malum.*

Iniuria mors inuisa est mortalibus,
Summum malorum plurimorum remedium.

Eúmque imitatus is est, cuius hæc sunt:

O mors veni nostris certus medicus malis,
Qui portus humanis es tempestatibus.

Magnum enim est confidenter posse dicere,

Quis seruus est? qui mortem non meditatus est.

& hoc,

Orco adiuuante non vmbris ego terreor.

Quid habet tandem mors ita difficile, aut quod adeò molestum esse debeat? nescio enim qui fiat, quod cum adeò cognata nobis sit & familiaris, tamẽ doloris plena videatur. Quid verò admirationis meretur res, si scissum est quod erat natura scissile, aut liquatum quod liquabile, aut crematum quod vstile, si periit quod erat ita natum vt interire posset? Quando enim non inest in nobis mors? cùm, vt ait Heracletus, idem sit viuum ac mortuum, vigilans & dormiens, adolescens & decrepitum: quia hæc in illa, vicissimque mutentur. Sicvt qui argillam tractat, fingere ex ea animalis formam potest, rursúmque diffingere, iterúmque ac quoties libet perpetuò vices istas repetere: sic etiam natura ex eadem materia olim auos nostros, postea patres protulit, deinde nos, ac deinceps alios ex aliis evoluet: ac fluuius ille ortus nostri absque intermissione labens nunquam subsistet, sicvt & interitus flumen huius contrarium, siue is Acheron est, siue Cocytus à poëtis appellatus. Prima ergo causa, quæ nobis Solis ostendit iubar, eadem ad caliginosum orcum adducit. Ac mihi imaginem eius rei præbere videtur aër quo circumdamur, alternis vicibus diem ac noctem præstans, inducénsque vitam & mortem, somnum & vigiliam. Hac de causa etiam vita dicitur fatale esse debitum, quod contraxerint maiores nostri, sitq́ à nobis persoluendum. quod est faciũdum æquo animo & citra gemitus, vbi creditor repetet. hac enim ratione summam modestiam præstabimus. Existimo autem naturam, quod confusionem & breuitatem vitæ haberet cognitam, voluisse nobis terminum vitæ præstitutum esse ignotum. est enim hoc in rem nostram. Nam si prænossemus, multi profectò immaturis luctibus contabescerent, mortémque morte anteverterent. Iam hoc dispice, quot molestiis & curis vita nostra invndetur: quas si enumerare instituerемus, valdè equidem culparemus eam, & sententiam quæ apud quosdam obtinet cõfirmaremus, qua mors vita potior statuitur. Simonides ea de re sic est commentatus: *Cur terminus vitæ ignotus.*

Hominum est exile robur,
Curæ plerunq; inanes:
Breue vitæ tempus vrgent
Alij ex aliis labores,
Ineuitabilisq;
Mortis crudele fatum,
Sorte æqua destinatum
Iuxtà bonis, malisq;.

Pindarus autem sic:

Semper vni sunt duo
Bono mala à diis annexa summis; *Pyth. oda 3.*
Ferre quæ stulti probè nequeunt.

Sophocles verò:

Mortalis est quod abolitus, hoc tu gemis;

Ignarus an futura quid lucri adferant?

Euripides autem:

Alcestide.

Natura quæ sit rebus humanis tenes?
Non certè opinor. Vnde enim? sic accipe:
Mortalibus mors imminet certa omnibus,
Nec vllus est eorum qui certò sciat
Victurus an sit lucem porrò crastinam:
Nam quò sit euasura fortuna haud liquet.

Cùm ergo talis sit vita hominum, qualem isti tradunt, cur non eorum potius laudemus fortunas, qui eius obeūdis muneribus liberati sunt, quàm miseremur ac deploremus eos, vt quorundā fert inscitia? Socrates mortem persimilē aiebat esse vel profundissimo somno, vel peregrinationi longinquæ ac diuturnæ, vel vtiq; abolitioni animi iuxtà & corporis. quæ singula deinde examinans, mortem harum rationum nulla malam fieri ostendit. Primùm si somnus quidam est mors, dormientibus autem malè non est, constat ne cum mortuis quidem malè agi. Quid autem attinet differere somnum eum esse suauissimum, qui est altissimus? cum omnibus hoc sit notum hominibus. Testatur hoc etiam Homerus:

Mors somni similis.

Odyss. γ, 80.
Iliad. ξ, 231.

Dulcis & alta quies, placidaq; simillima morti. &,
Hîc fratrem lethi conuenit sedula somnum. &
Mortémq; & somnum geminos. ——

quasi oculis ingerens eorum similitudinem, quod gemelli maximè exprimunt. Alibi etiam mortem somnum vocat ferreum, conans docere nos, in morte nullum esse sensum. Neq; inscitè pronunciauit hac de re, quicunq; versiculi autor est:

Nam parua mortis somnus est mysteria.

somno enim verè initiamur morti. Sapienter etiam Cynicus ille Diogenes, cum ante exitum vitæ obruisset ipsum somnus, medicúsq; excitasset, & an grauiùs aliquid accidisset quæreret: respondit, nihil esse mali: fratrem enim fratri antevertere, somnum morti. Quod si peregrinationi similis est mors, ne hac quidem ratione malum est, immò autem bonum potiùs. Beatum enim est liberari à seruitute carnis, & affectionibus eam comitantibus, quæ mentem occupant, ac stulticia humana implent. Innumeras (inquit Plato) nobis facessit molestias corpus ob victus sui necessitatem. quod si præterea morbi aliqui incidunt, ij impediunt veri cōtemplationem. ad hæc amoribus, cupiditatibus, timoribus, omnísq; generis simulacris & vanitate nos opplet. vt revera eveniat, quod ille dixit, nos nihil vnquam sapere posse. Bella enim, seditiones, & pugnas nulla alia res excitat quàm corpus & eius cupiditates. ob parandas enim opes omnia sunt bella: opes autem cogimur parare ꝑpter corpus cui seruimus curando, quare occupati philosophiæ vacare non possumus. idq; extremum est, quod etiam nactos aliquid ocij, & ad considerandam veritatem conversos vbiq; corpus interpellat, turbásq; dat et percellit, obstátq; quo minus veritatem cernamus. Itaq; revera demonstrat Plato, quod si aliquando volumus purè aliqd cognoscere, corpus exuendum sit ipsóq; per se animo res intuendæ. ita demum consequemur quam expetimus, & cuius amatores nos esse profitemur sapientiam. eam autem ratio docet non viuentibus, sed mortuis nobis adfuturam. Si enim fieri non potest vt corpore præditi quicquam sincerè cognoscamus, alterum horum sit necesse est, vt aut nunquem, aut mortui scientiæ fiamus compotes. tunc enim ipse secum erit animus à corpore separatus, non antè. ac dū viuimus, quàm fieri potest proximè ad scientiam accedemus, si nihil cum corpore rei habeamus quatenus omnino licet, neq; cum eo quicquam nisi summa vrgēte necessitate communicemus, neq; contagio eius naturæ nos oppleamus, sed ab ea puros nos conseruemus, donec ipse nos Deus eo exsoluet. tum demum puri, & stulticia corporea exonerati cum diis erimus, omnia nobis ipsis sincera cernentes, scilicet ipsam veritatem. Nefas enim est purum ab impuro cōtingi. Quare etiam si ad alium locum mors nos traducat, malum non est, adeóq; bonum potiùs, sicvt Plato demonstrauit. Itaque diuinitus omnino dicta mihi hæc videntur à Socrate ad iudices: Mortem metuere, aliud nihil est, quàm falsò putare se sapere. Qui enim mortem metuit, videtur sibi scire quod ignorat. scit enim nemo, an mors sit omnium quæ homini contingere possunt bonorum maximum: metuunt autem eam, quasi certò sciant esse summum malum. Nihil ab his discrepare videtur qui dixit hæc,

Mors peregrinationi similis.

Phædone.

In apologia.

Nemo

Nemo metuat mortem, laborum terminum.

illa verò malis etiam maximis nos soluit. His testimonium ferre dicuntur etiam dij. Multos enim accepimus pietatis ergò id muneris à diis consecutos. quorum reliquis ob modum commentarij præteritis, eos duntaxat commemorabo qui sunt maximè illustres, & in ore omnium versantur. Primóque tibi loco referam, quid Bitoni & Cleobi vsu venerit, adolescentibus Argiuis. Hos ferunt, cum mater ipsorum sacerdos esset Iunonis, ac instante momento temporis quo adscendere ad fanum debebat, mulique vehiculum trahere soliti tardiùs venirent, subiuisse ipsos vehiculum, matrémque ad templum pervexisse. eam verò maiorem in modum delectatam filiorum pietate, à dea flagitasse hoc illis vt largiret, quod esset hominibus optimum. ibi eos in somnum solutos nunquam evigilasse, dea pietatem ipsorum morte vt præmio compensante. Porrò de Agamede & Trophonio Pindarus scribit, eos cùm templum Delphis ædificassent, ab Apolline mercedem postulasse: responsúmque fuisse, fore vt eam septima die reciperent, iussósque interea genio indulgere. obtemperasse eos, septimáq; nocte sopitos, vitæ extremum diem eum habuisse. Ferunt autem ipsum Pindarum, cum mãdasset his, qui ad oraculum scitandum communi Bœotorum nomine missi erant, vt interrogarent quidnam optimũ esset homini, hoc ab antistita responsi tulisse, Ne ipsum quidem id ignorare, siquidem autor esset scriptorum de Trophonio & Agamede. si tamen experiri velit, non multo pòst tempore rem ipsi fore perspicuam. itaque Pindarum his auditis, ad mortem se comparasse, & paulo pòst viuendi finem fecisse. Iam de Euthynoo Italo talis historia fertur. Mortuum esse eum subitò, nulla causa cognita calamitatis. Ibi tum Elysio patri (qui hanc vnicam prolem habuisset diuitiarum & opum amplissimarum hæredem, vir inter populares suos Terinæos virtute, fortunis, gloriáque primus) incidisse suspicionem hanc, fortassis veneno necatum esse filium. quod cùm quomodo exploraret certo non videret, venisse in Psychomanteum, sacrísque, vt erat in legibus, operatum, indormiuisse loco. Tum sibi per quietem tale fuisse visum oblatum. Venire ad se patrem suum, & abs se fuisse narrato filij casu magnoperè oratum, vt in causa mortis invenienda se adiuuaret. respondisse patrem: Equidem in hoc adsum. sed ab isthoc accipe quæ tibi adfert: inde enim omnia cognosces, propter quæ mœres. quem verò pater indicabat, planè Euthynoi fuisse statura & annis, vt apparebat, similem: interrogatúmque quis esset, retulisse hæc: Genius sum filij tui. simúlque porrexisse codicillos, quibus evolutis Elysius tres hos versus invenerit intùs exaratos.

Ignaris homines in vita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum munere læto,
Sic fuit vtilius finiri ipsiq; tibiq;.

Ex M. Tullio, fine 1. Tuscul.

Tales sunt narrationes hac de re ab antiquis perscriptæ. Deniq; si mors perfectus est interitus et dissipatio corporis animique (ea enim tertia pars fuit Socraticæ comparationis) ne sic quidem mors in malis numerari poterit. omnium nanq; sensuũ priuationem gigneret, omniq; nos dolore & solicitudine liberaret: & vt nullum bonum, ita ne malum quidem vllum porrò nobis adesset. vt enim bonum, ita etiam eodem pacto malum necesse est rei alicui quæ sit & subsistat inhærere. quod nihil est, & è rerum natura sublatum, ei neutrum horum adest. Ergo mortui ad eam redeunt conditionem, qua ante ortum suum fuerunt. vt sicvt nondum natis nobis neq; bene fuit neq; malè, ita neque post mortem sit futurum. ac quomodo ad nos nihil attinebant quæ ortum præcesserunt nostrum: ita etiam quæ finem subsequentur nostrum, nihil nostra referent.

Etenim dolor reuera haud tangit mortuos: quia
Idem puto esse prorsus non nasci, & mori.

Eadem enim est conditio post mortem, quæ fuit ante ortum. Nisi fortasse statuis differentiam aliquam inter non esse ortum, & desinere esse. quo autem id pacto, nisi aliam putas rationem esse domus aut vestis nobis vita defunctis, quàm fuit eo tempore, quo nondum erant ista parata. quod si in his discrimen nullum sit, satis est manifestum nullam etiam esse status ante ortum à statu post obitum diuersitatem. Elegans est Arcesilai dictum, Mors quæ mali nomine censetur hoc vnum habet peculiare ex omnibus quæ mala iudicantur, quod præsens neminem vnquam affecit molestia, absens & dum in exspectatione est, molestiam adfert. Re vera enim multi ob vilitatem animi, & con-

Deorũ iudicia de morte.

Mors si interitus, non malum.

ceptas adversus mortem calumnias moriuntur ne moriātur. Præclarè igitur Epicharmus, concretum, inquit, fuit & discretum est, rediítq; vnde venerat, terra deorsum, spiritus sursum. Quid ex his omnibus iniquum est? nihil. Quod autem Euripideus Cresphontes de Hercule dicit:

Apud inferos qui si sub terra nunc agit,
In his nihil qui iam sunt, ipse nihil valet.

mutatis verbis sic efferas licet:

Apud inferos qui si sub terra nunc agit,
In his nihil qui iam sunt, nil feret mali.

Generosum est etiam Laconicum hoc:

Nunc nos, antè alij viguere, aliíq; vigebunt,
Quorum nos æuum cernere fata vetant.

Et rursus:

His neq; defungi visum est, neq; viuere pulcrum:
Cura fuit rectè viuere, sicq; mori.

Admodum autem rectè Euripides de his qui diuturnas ægrotationes tolerant pronunciat:

Odi suam qui vitam extendere expetunt
Cibísq;, potibúsq;, & magicis artibus
Fati cursum auertentes, & mortis viam:
Quos, cùm nihil terræ prosint, oportuit
Abire morte, & iuuenibus locum dare.

At Merope virilibus dictis spectantium in theatro animos commouet, hæc dicens:

Periere nati, non mihi mortalium
Soli; nec sola marito sum viduata ego:
Tulere easdem calamitates plurimæ.

quibus non absurdè hæc subiungas:

Vbi enim nunc inclyta illa? vbi iste Lydiæ
Potens tyrannus Crœsus? aut Xerxes grauem
Qui ponte iunxit ceruicem Hellespontiam?
Omnes ad orcum, obliuionis & domos
Iuere, —— opibus vnà cum corporibus scilicet abolitis. Enimverò immatura mors luctum nonnullis eiulatúsq; exprimit. Verùm & hæc adeò expeditam habet consolationis viam vt etiam de vulgo poëtarum quisq; eam obseruauerit atque indicauerit. Considera enim quam orationem quidam Comicus tribuit consolanti aliquem qui immaturam mortem lugebat:

De immatura morte.

Si constitisset hac de re certò tibi,
Reliquum quòd ille vitæ cursum prosperè
Fuisset exacturus, mortem dicere
Intempestiuam tibi liceret. sin erat
Grauis aliqua euentura calamitas ei,
Mors melius illi, quàm tu, consuluit quidem.

Ergo incertum cum sit vtilitérne è vita discesserit, maioribúsq; ita sit miseriis liberatus, nécne, non ita grauiter mors eius ferenda est, quasi omnibus amissis, quæ à viuente cōsecuturos nos esse opinabamur. Et apud poëtam Amphiaraus non ineptè videtur cōsolari matrē Archemori, ęgram animo ob filij infantis mortem admodū intempestiuā:

Ex Cic.3.Tusc.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor,
Morbúsq;. multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi: mórsq; est finis omnibus,
Quæ generi humano angorem necquicquam adferunt.
Reddenda est terra terræ, tum vita omnibus
Metenda vt fruges. sic iubet necessitas,
Vt ille viuat, ille non. nihil hæc opus est
Lugere, naturæ quæ fiunt legibus.

Graue est nihil, homini quod fert necessitas.

In vniuersum autem quisque & secum cogitare, & cum aliis seriò commentari debet, non vitam longissimam esse optimam, sed quæ virtute maximè administratur. neq; enim qui plurimũ fidibus cecinit, aut orauit, aut naues gubernauit, in laude est, sed qui optimè ista fecit. nam pulcritudo nõ in temporis longitudine, sed in virtute & tempestiua moderatione collocanda est: hoc beatum & diis gratum censetur. Atq; hanc ob causam excellentissimos herouṁ & à diis prognatos poëtæ nobis proponunt, qui ante senectutem vitam cum morte commutent. quando ille etiam *Vitæ longitudo.*

Quem summo Diuûm genitor complexus amore *Odyss. o, 245.*
Dilexit, Phœbo neq; carior exstitit alter,
Non potuit senij supremum limen adire.

Videmus enim quavis in re priores partes tribui non ætati longæ, sed maturitati. nam & inter plantas eæ habentur præstantissimæ, quæ plurimum fructus minimo tempore ferunt: & inter animalia, ex quibus non longo temporis spacio plurimum vtilitatis vita nostra percipit. Præterea si cum æternitate compares vitæ tempus, nihil inter breue & longum invenies discriminis. nam de Simonidis quidem sententia anni CIↃ aut CCIↃↃ punctũ quoddam sunt infiniti, aut minima potiùs puncti portio. Iuxta Pontum animalia quædam memoriæ traditum est nasci, quorum vita vnius diei termino includatur, cum manè nascantur, meridie vigeant, vesperi consenescant viuendíq; finem faciant. censésne, si his animus hominis & ratio inesset, eodem quo nos more affecta fore, eadémve illis eventura? scilicet vt quæ ante meridiem morerentur, luctus & lacrymarum causam præberent? quorum autem totum diem durasset vita, beata prædicarentur? Mensura enim vitæ est non longitudo temporis, sed honestum. Has verò exclamationes, Non oportuit adolescentē adhuc ætate abripi, inanes esse & à magna proficisci fatuitate censendum est. Quis enim diceret oportuisse? sed & alia facta sunt, fiunt, fiéntq; postmodò multa, quę dicere aliquis possit non debuisse fieri. Nõ enim ea lege in hanc vitam venimus, vt ei leges ipsi præscribamus: sed vt iis obtemperemus, quæ decreta sunt ab vniuersi gubernatoribus diis, & constituta à fato ac providentia. *Fatum tolerandum.* Quid, qui ita immaturè mortuos lugent, suâ ne id tandem, an verò mortuorum causa faciunt? si enim sua id causa faciunt, quòd adempta ipsis est voluptas, aut vtilitas quam ex ipsis capiebant, aut quòd in senectute sua se ab illis alitum iri frustra sperauerant, certè sui ipsorum amori doloris præscriptionem adhibent: liquebítq; non defunctorum eos desiderio, sed suarum commoditatum teneri. sin mortuorum causa lugent, excutient facilè mœrorem, si cogitare apud se velint nullo eos in malo esse: veteriq; & sapienti adsentientur sententiæ, quæ præcipit vt bona quàm maximè amplificemus, mala autem summoperè extenuemus. Ergo si in bonis numerandus est luctus, quàm copiosissimum eum faciamus & maximum: si, quod veritas rei dictat, malis eum annumeramus, cõprimamus eum pro virili & diminuamus atq; deleamus. *Luctus vt sit diminuendus.* Quod quàm sit facile, exemplo consolationis proposito illustre efficiam. Accepimus quendam philosophorum priscorum ad Arsinoam reginam, quæ tum filij lamentabatur mortē, accessisse, & huiusmodi vsum sermone. Quo tempore Iupiter honores inter dæmones distribuit, fortè tum Luctum abfuisse, ac omnibus iam diuisis supervenisse. cúmque sibi quoque tribui aliquid honoris postularet, Iouem omnibus iam in alios insumtis honoribus, Luctui largitum esse dolorem & lacrymas quæ mortuis impenduntur. Tum sic intulisse: Sicvt ergo alij dæmones eos diligunt à quibus coluntur: ita ad te quoque, regina, Luctus non accedet, si nullo honore ipsum afficias. quod si iis eum honoribus, qui ipsi sunt attributi, studiosè venereris, (lacrymis inquam & lamentis) diliget te, sempérq; aliquam tibi suppeditabit materiam, ob quam abs te cõtinenter honoretur. Atq; hac oratione ille vsus mirabili arte feminam eam à luctu & lamentatione deduxit. Deniq; vt in summa dicam, quærere liceat ex lugente, statuerit ne finem aliquãdo ęgritudini imponere, an verò existimet eam sibi per omnem vitam esse continuandam. Hoc enim (dicerem) si decreuisti, omnibus absolutam numeris miseriam acerbissimámq; infelicitatem tibi ipsi ob animi tui ignauiam atq; molliciē imponis. sin est vt aliquando finem facere luctui statueris, cur non iam nunc mutas, téque ipsum miseria exsoluis? quibus enim rationibus ad liberandum te decurso aliquo tempore vteris, iis ipsis in præsentia animum adverte exoneráque te molestia. quando etiam in corporis affectionibus quæ ratio maturrimè malum tollit, optima ducitur. itaq; quod

Insperati casus. eras tempori tributurus, id rationi ac doctrinæ deferens exime teipsum malo. At inquiũt, præter spem mihi hic casus & exspectationem evenit. Enimverò oportebat exspectare, præmeditatum animo incertitudinem vilitatémque rerum humanarum: ne nunc imparatus velvti ab hostibus repente ingruentibus opprimereris. Præclarè enim Theseus ille Euripideus videtur ad id genus eventa fuisse præparatus, sic loquẽs:

Ex Tullio 3. Tusc.

Nam qui hæc audita à docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exsulij mœstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali:
Vt si qua inuecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Sed degeneri qui sunt ingenio & exercitatione nulla vsi, nunquam eò convertunt animum, vt vlla de vtili ac decora re cogitent: ad extremas tantùm exorbitant miserias, innoxium corpus adflictantes, & quæ ægrota non sunt, secundum Achæum, vnà dolere cogentes. Ideò admodum rectè videtur præcipere Plato, vt in huiusmodi casibus quiescamus: cum neque constat bonúmne an malum acciderit, neque proficias quicquam ægrè ferendo. dimoueri enim dolorem consultando, de eo quod factum est. itaque iubet vt in talorum iactu quidquid casus tulerit, id eo ponere, vbi maximè videbitur esse commodum. nõ debere ergo nos sicubi offendimus, pueros imitari qui manibus læsę parti iniectis vociferantur: sed adsuefacere animos nostros, vt quamprimùm eiulationem medica arte abolentes, sanandæ restituendęq; parti affectæ operã demus.

Lex de luctu. Eum qui Lyciis leges posuit, aiunt mandasse ciuibus, vt in luctu veste vterent̃ muliebri: significare volentem rem eam muliebre esse, neq; covenire viris moderatis & liberali doctrinę deditis. est enim re vera muliebre, imbecillisq; & degeneris animi luctus: & vt ad eum mulieres viris, ita barbari Græcis, ac deteriores præstantioribus sunt propensiores. ac de ipsis barbaris si qui luctum exercent, non animosissimi hoc Celtæ, nõ Galli, aut qui alij generoso pleni sunt spiritu id faciunt, sed Aegyptij, Syri, Lydi, aliiq; horum similes. *Barbarorum luctus.* Horum quosdam ferunt in foueas certas sese per dies complures abdere, neq; solis lumen videre sustinere, quo is quem lugent priuatus sit. & Ion tragœdiæ scriptor vt qui aliquid de stulticia hac inaudiuisset, quandam introducit sic loquentem:

Nutrix ego vestra, & vestræ prolis exij,
Scrobibus relictis ad luctum quas feceram.

quidam verò barbarorum etiam corpora sua naribus, auribus, aliisve partibus amputandis fœdant: gratificari se aliquid defunctis putantes, cùm in hoc genere à natura constitutam mediocritatem excedant. Sunt porrò, qui nobis sic occurrunt, non quanvis mortem lugendam dicentes, sed immaturè sublatorum: quòd hi nullo eorum potiti sint, quę vitę nostrę bona putantur: nuptias intellige, doctrinam, perfectionem, honores in republica, magistratus. hæc enim potissimùm dolorem afferre iis, quibus morte alicuius immatura calamitas accidit, cùm se spe sua ante tempus excidisse sentiant. *De morte immatura.* Hi verò ignorant, præproperam mortem, quod ad naturam rerum attinet, nihil ab aliis differre. Sicvt enim proposita in communem patriam profectione omnibus necessariò & citra recusandi licentiam incumbente, aliis præcedentibus aliis sequentibus omnes tandem eòdem conveniunt: ita etiam nobis ad fatale persoluendum debitum tendentibus, nihilo plus obtingit his qui seriùs, quàm qui citiùs eò pervenerunt. Quod si qua mors intempestiua dici debet, maximè id nomen competet in puerorum aut infantium, magísque etiam recens natorum obitum. quem tamen facilè & bono animo ferimus: iniquè & lugubriter iam ætate aliquò provectorum: ob vanas spes quas nobis finxeramus, putantes iis, qui eò ætatis pervenissent, certam iam esse ac permansuram incolumitatem. Porrò si ætas hominis spacio XX annorum determinaretur, natum annos XV putaremus iam non immatura morte decedere, sed ad iustæ ætatis mensuram progressum: qui autem vigesimum annum aut impleuisset, aut ad eum terminum proximè accessisset, omnino eius fortunas laudaremus, vt vita felicissima ac perfectissima functi. Sin CC annis definiremus curriculum, vtique deploraremus eum qui annos natus centum exspirasset, planè immaturam eius mortem iudican-

dicantes. Liquet ergo cùm ob hæc, tum ea quæ superiùs disseruimus, eam quoqꝫ mortem, quæ intempestiua dicitur, consolationem admittere. Verissimum enim vtiqꝫ est, minus lacrymasse Troilum, quàm Priamus erat ploraturus, si mortuus fuisset florente etiamnũ regno & opibus, quas amissas defleuit. Vide enim qualia sunt quæ ad filium suum Hectorem dicit, hortans eum vt se à prœlio adversus Achillem subducat:

Intra nunc vrbis, mi fili, mœnia, serues Iliad. x, 56.
Troadas vt, Troésqꝫ, nec eximium decus addas
Pelidæ, suauis spoliatus munere vitæ.
Præterea miserare tuum, dum viuo, parentem
Me miserum, in senij Iupiter quem limine durus
Aduerso perimet fato, mala plurima passum.
Occidi postquam natos, natásqꝫ videre
Raptari, excindi thalamos, duræqꝫ misellos
Allidi infantes terræ me cernere adegit
Excidio in patriæ diro. mea deniqꝫ membra
Postremi, cùm quis iactu, vel comminus ictu
Infelici anima gelidos exsoluerit artus,
In primis foribus raptabit sæua canum vis.
Id verò nimis est homini miserabile visu,
Cùm canum caput, & canum mentum atqꝫ pudenda
Occisi fœdare canes senis aspiciendum est.
Sic ait euellens manibus de vertice canos
Longæuus. mentem sermo tamen Hectoris iste
Non flexit. ——

Cùm itaqꝫ habeas exempla permulta huius rei, intelligere debes morte non paucos à magnis fuisse ac difficilibus seruatos calamitatibus, in quas omnino deveniendũ ipsis fuerat, si vixissent. quæ ego exempla, ne nimium extendatur oratio, contentus his quę retuli omitto: sufficientibus demonstrare, non debere nos vltra quàm natura & mediocritas ferunt ad inanes luctus & degeneres eiulatus exorbitare. Crantor ait, vacare culpa in calamitatibus maximum esse solatium. Ego ad liberandos dolore animos habere id vim vel maximam dicere non vereor. Ad hæc, amare & bene velle ei, qui mortuus est, non in hoc positum est vt tibi ipsi dolorem inferas, sed vt dilecto aliqua commodes ratione. quod præstiteris, si eum bona memoria honoraueris. *Vera in mortuos benevolentia.* Nemo enim bonus lamentis, sed hymnis dignus est & ladationibus: non luctu, sed honorifica recordatione: neque lacrymis à dolore extortis, sed primitiis quibusdam scitis. siquidem is qui inter mortales esse desiit, diuinioris cuiusdam vitæ factus est consors, liberatus seruitute corporis, & ærumnosis istis solicitudinibus atque casibus, quos necesse est vt perferant quibus mortalis hæc vita obtigit, donec conficiant fato destinatum ipsis vitæ curriculum. quam quidem vitam nobis natura non vt perpetuam possessionem concessit, sed pro fati legibus vnicuique certa ratione attribuit. Qui ergo sana sunt mente, non debent ampliùs quàm natura & mediocritas postulant, animo in luctus invtiles & barbaricos efferri, idqꝫ exspectare, quod multis evenit, vt prius ærumnosæ vitæ suæ finem, quàm lugendi faciant, inque lugubri (quem propter alios ceperunt) habitu, infelici sepulturæ ipsi mandentur: eáque obruantur simul & mœrores isti, & mala quæ sua sibi parauerunt imprudentia. *Luctus finis.* de quibus Homericum illud commodè vsurpari possit:

Hos lamentantes atra nox obruit vmbra.

Proinde in tali re sæpe nos ipsos ita cõpellemus: quid igitur faciemus? an per omne vitæ tempus miseriæ continenti tẽpus prorogabimus? an potiùs lugendi aliquando finem faciemus. Nam infinitum velle luctum facere, extremæ est insaniæ. cùm videamus qui in summo grauissimóque fuerunt mœrore, sæpissimè fuisse temporis progressu adeò demitigatos, vt apud monimenta, quæ sine acerbo eiulatu & pectoris planctu antè non visebant, iam conviuia musicis aliísque ad læticiam excitandam facientibus rebus adhibitis celebrarent. Insani ergo est, secum statuere velle se in luctu perseuerare. Si verò decreueris aliquando eum desinere, simul & hoc reputato, tempus

esse quod leniturum sit ægritudinem. Etenim quod factum est, infectum reddere ne deus quidem potest. ergo quod nobis nunc præter spem opinionémque evenit nostram, id ipso facto nobis demonstrauit quid plerisq; accidere soleat. Quid ergo? an nulla nos discere doctrina, neque ratiocinari possumus, quòd

Terra malis scatet, aduersis pelagúsq; redundat.

item illud:

Tales circum mortales miseriæ
Fundunt, tótq; fatalia mala,
Quibus nec in lucem hanc vacat exitus.

Multi quippe, vt ait Crantor, iiq; sapientes viri non nunc primùm, sed pridem deplorauerunt res humanas, supplicium iudicantes vitam hanc esse, & summæ calamitatis loco ducentes, nasci hominem. Hoc ipsum Aristoteles ait Silenum, cum captiuus ad Midam adduceretur pronunciasse. cuius hæc sunt (præstat enim opinor ipsa apponere) in Eudemo siue libro de animo verba. Itaque, inquit, præstantissime omnium & beatissime, cum felices censemus esse & beatos qui vita hac defuncti sunt, tum nefas putamus quicquam de iis falsò aut contumeliosè dicere: quippe qui melioris iam præstantiorisq; naturæ facti sint compotes. Atque hæc nostra sententia ita vetusta est, vt eius & initium & autor prorsus ignorentur, sed ab infinita vsq; æternitate continenter ea sic est propagata. Ad hæc, vides in ore hominibus esse omnibus iam inde à multis annis tritum illud. Quódnam? inquit ille. Quod (ait) omnium optimum est non nasci: præstat autem mori quàm viuere: eiúsq; rei multis sunt diuinitus perhibita testimonia. Atq; huc pertinet quod narratur Silenum à Mida isto captum, & à venatione ei sciscitanti quidnam optimum homini, maximéq; expetẽdum esset, principiò respondere noluisse, vocémque compressisse. tandem cum vrgendi vt aliquid diceret finem nullum Mida faceret, in hæc inuitum erupisse verba. Aerumnosi genij, & difficilis fortunæ semen in diem durans, quorsum me cogitis ea vobis dicere, quæ vobis nescire erat melius. maximè enim vacantes dolore viuunt, qui sua ignorant mala. Hominibus autem omnino optimum est non nasci, neque participem fieri præstantioris naturę. optimum enim omnibus vtriusque sexus hominibus hoc est. proximum huic, & inter ea quæ consequi homo possit primum est, quàm celerrimè mori. Manifestum verò est, sic eum pronunciasse, quòd melior sit mortuorum quàm viuorum conditio. Sexcenta alia, rursúsque totidem alia similia adferre ad huius capitis demonstrationem possem: sed opus nõ est protrahere orationem. Proinde lugendi non sunt qui in florente ætate mortem obeunt, quasi spoliati iis, quæ in diuturna vita pro bonis censentur. incertum est enim, vt aliquoties iam diximus, bonísne an malis priuati sint. cum multo plura sint mala quàm bona: quorum hæc difficulter, & multis impensis curis consequimur, illa vel facillimè obtingunt. ferunt enim mala esse teretia ac continua inter se, invicémque sese multis de causis insequentia: bona verò deiuncta, & quæ difficulter sub ipsum vitæ terminum coëant. Itaq; videmur obliti esse nostræ sortis. Non enim tantùm, vt est apud Euripidem,

Sileni de vita humana iudicium.

Non propriæ sunt, quas homines tenent, opes:

sed in vniuersum nihil homo possidet proprium. ac de singulis vsurpare hoc licet,

Homini nihil proprium.

Res procuramus à Diis nobis creditas,
Arbitrio reposcunt illi quas suo.

Quapropter iniquiùs ferre non debemus, si repetunt quorum nobis exigui temporis vsuram concesserant. quando ne mensarij quidem, nisi animum prauum gerant, indignantur vbi apud eos deposita sors reposcitur. & non promtè reddenti dicere possis haud iniuria, Oblitúsne es ea te hoc conditione accepisse, vt redderes? Idem verò omnibus vsu venit hominibus. Vita nobis cõtigit, diis eam apud nos fatali deponentibus necessitudine, neque certus est definitus terminus ad quem reddendum illud sit depositum: sicvt ne mensarij quidem scire possunt, quando reposcenda sit apud eos deposita sors. Qui ergo vel ipse moriturus, vel liberis moriẽtibus nimis indignatur, nónne perspicuum est eum oblitum esse mortalem se natum fuisse, & mortales genuisse liberos? neque enim sani est hominis, ignorare hominem animal esse mortale, & ad hoc natum vt moriatur. Itaq; si, vt in fabulis est, Niobe hanc sententiam in promtu habuisset, quòd

Non semper flore liberûm

Vi-

Vitæq; cursu prospero
Obusta suaue solis intuens iubar,

moritura esset: nunquam profectò eò indignationis prolapsa fuisset, vt & vitam cuperet abiicere ob calamitatis molem, & deos precaretur vt se ad quamvis grauissimam perniciē abriperent. Duæ sunt Delphis inscriptæ sententiæ, maximè ad vitæ humanæ vsum necessariæ, Nosce teipsum, & Ne quid nimis. Ex his dependent reliqua omnia: ipsa autem inter se concinunt, alterúmque alterius videtur vim declarare, alterúmque vicissim in altero inest. Itaq; Ion sic de his cecinit: *Sui cognitio, & Modus.*

Breuis est, Teipsum fac nôris, sententia:
Præstare solus rem sed nouit Iuppiter.

& Pindarus:

Sapientes hanc vocem, Ne quid nimis,
Affatim collaudauerunt.

Hæc ergo aliquis animo infixa tenens tanquam Apollinis Pythij oracula, facilè se ad omnes quas fert vita res accommodare poterit, eásque dextrè ferre, cùm in suam intuens naturam, tum operam dans vt ne amplius quàm convenit vel arrogantia efferatur ob fortunæ eventa, vel animum abiiciat, inq; luctus & eiulatus, ob fortunæ vel animi potius imbecillitatem, nobísque insitum mortis metum, profectum ab ignoratione eorum quæ nobis in vita necessitatis fative decreto contingere solent. Egregium est Pythagoreorum præceptum:

Inungent diuina tibi quos fata dolores,
Hos, vt vt eueniant, animo fer leniter æquo.

& tragicus Aeschylus:

Virtute præditorum est, & sapientium,
Non succensere in rebus aduersis deo.

& Euripides:

Necessitati qui cedit mortalium,
Sapiens apud nos, & diuorum gnarus est.

atque alibi:

Euenta quisquis rectè fert mortalium,
Mihi modestus is videtur, & optimus.

At plerique omnia vituperant, & quidquid eis præter spem evenit, existimant malignitate fortunę ac geniorum accidere: itaque ad omnes casus eiulant & ingemiscunt, ac de suæ queruntur adversitate fortunę. quibus hoc dicto occurrere nō ineptè liceat,

Non tibi deus nocet, sed ipse tu tibi

officis, & tua malè instituti vęcordia. Hæc scilicet falsa & fallax opinio facit, vt quodvis mortis genus incusent. Moritur aliquis in peregrinatione: cum gemitu hæc adferunt:

Ah miser, haud illi genitor, venerandáq; mater Iliad. λ, 452.
Compressere oculos.—— alibi.

Moritur in patria, & apud parentes: lamentantur quòd è manibus abreptus nihil prętersui luctum iis reliquerit. Moritur silens, neque vlla de re mandauit quicquam: inter plorandum proferunt hoc:

——*neq; te suprema voce monentem* Iliad. ω, 770.
Audiui, semper quæ condita mente tenerem.

Si collocutus ante excessum fuit, extremam eam vocem velvti alimentum doloris semper habent in promtu. Tollitur cita morte: deplorantes dicunt eum esse abreptum. tollitur lenta morte: quiritantur excarnificatum contabuisse. denique nunquam deest præscriptio luctus & lamentationes excitandi. Hæc poëtæ introduxere, primúsque adeò Homerus, ita canens:

Vt genitor nati lamentans concremat ossa Iliad. ψ, 222.
Sponsi, qui infando miseros mœrore parentes
Affecit.—— atque hæc quidem an rectè deplorentur, nondum liquet.

Vide autem quid adiiciat,

Vnicus in senio natus, magnas parentum Iliad. ι, 478.

Possessurus opes.——

Quis autem nouit, an deus paterna quadam providentia & procuratione humani generis, cernens quæ eventura essent, nonnullos immatura morte tollat: vt nihil iis accidisse sentiendum sit, quod fuerit abominandum.

Graue est nihil enim, homini quod fert necessitas:

siue adeò id præcedente ratiocinatione contingat, siue consequatur. multique matura morte calamitatibus grauioribus subtracti sunt. & vtile fuit quibusdam vt ne nascerētur quidem: aliis vt nati illicò extinguerentur: aliis vt aliquantisper viuerent, aliis vt in vigore ætatis morerentur. Hæc ergo omnia mortis genera boni sunt cōsulenda, cum sciamus fatum esse inevitabile. éstque hominis probè instituti præmeditatū esse quòd qui videntur ante tempus naturæ debitum persoluisse, exiguo nos tempore præcessērunt: cùm vel longissimum tempus exiguum punctique instar sit, si cum infinita æternitate comparetur. & quòd multi eorum qui luctui indulsissent, paulo pòst subsecuti sunt eos quos luxerant, cum nullam ex luctu percepissent vtilitatem, sed spōte sua miseriis sese afflictauissent inanibus. Iam cum peregrinationi in hac vita nostra breuissimum tempus sit præscriptū, non debemus profectò in squalidis luctibus infelicissimóque mœrore nosmetipsos doloribus conficere, corporáque nostra doloribus diuturnis excruciare: sed conari potiùs, vt humaniorem sectemur meliorémque viuendi rationem, iísque studiosè nos adiungamus hominibus, non qui se luctus nostri socios præbeant, eúmque adulando excitent, sed qui generosa ac graui consolatione dolorem leniant. Et audire debemus, animóque tenere Homerica illa, quibus Hector Andromachæ respondet, eámque consolatur:

Cōsolatio quærenda.

Iliad. ζ, 486.

Infelix, animum nimio ne conﬁce luctu.
Nemo equidem iniussu poterit me occidere fati.
At fatum nemo mortali semine cretus
Euitare suum potuit bonus aut malus vnquam.

quod fatum alibi sic expressit:

Iliad. υ, 128.

Stamina neuit ei nascenti qualia Parca.

Hæc in animum nostrum inducentes, vano & invtili luctu supersedebimus, præsertim cum admodum breue supersit viuendi tempus. cui parcendum est, ne id lugubribus mœroribus conturbemus, & luctus insignia deponenda sunt, habendáque corporis ratio, & eorum qui nobiscum viuunt salutis. Conducit etiam memoria repetere, quibus aliquando rationibus vsi simus apud cognatos vel amicos in simili calamitate versantes, cum consolaremur eos & hortaremur vt communes vitæ casus communiter ferrēt, ac humana humaniter. neque enim committere debemus, vt cùm ad aliorum animos dolore leuandos fuerimus satis instructi, nobis nihil prosit istarum consolationum recordatio. Ergo partem animi quæ in dolore est, statim pæoniis rationis remediis sanare conemur: cum in quavis re, quàm in vacuitate doloris quærenda, commodiùs dilatio admittatur. Cum enim tritum illud apud omnes dictum Dilatorem quacunque in re pronunciet cum exitio conflictari: multo (opinor) magis hoc quadrabit in eum, qui animi molestiis ac difficilibus perturbationibus amoliēdis tempus prorogat. Intuendum est etiam in eorum exempla, qui generosè magnóque animo filiorum mortes placidè pertulerunt. quales sunt Anaxagoras Clazomenius, Demosthenes Atheniensis, Dio Syracusanus, rex Antigonus, compluresque alij qui vel maiorum vel nostra vixerunt memoria. De his Anaxagoram narrant cum rerum naturalium causas auditoribus explicaret, interq; disserendum de filij morte nuncium sermone cuiusdam acciperet, paulùlum oratione inhibita iis qui vnà aderant dixisse, Sciebam filium me genuisse mortalem. Pericles, qui ob excellentem eloquentiæ & sapientiæ vim Olympius est vsurpatus, cùm filios suos ambos, Paralū videlicet & Xanthippum, inaudiuisset extremum diem obiuisse, qualem se gesserit, Protagoras his verbis exponit. Cum filij, inquit, eius ætate florentes atque egregij intra nonum diem vita decessissent, casum illum absque luctu sustinuit. Erat enim animi tranquillitate instructus: vnde in singulos dies magna percipiebat emolumenta ad felicitatem, doloris vacuitatem, & parandam apud ciues gloriam. quicunq; enim videbat eum suos casus ita obfirmata mente tolerare, magnanimum eum fortémque iudicabat, ac multo quàm ipse esset præstantiorem, probè sibi conscius suæ in tali re imbecillitatis: contrà

Exempla eorū, qui suorum mortē moderatè tulerunt.

Peri-

Periclem statim post acceptum de morte filiorum nuncium, nihilominus pro patriæ consuetudine, albisq; indutum vestibus verba ad concionem habuisse, bonorúmque fuisse consiliorum principem, & Athenienses ad suscipiendum bellum animasse. Xenophōtem Socraticum historiæ tradunt, cùm sacrificanti ipsi nūcium è bello allatum esset, Gryllum filium in pugna periisse, sertum capiti detraxisse, & quonam modo cecidisset perquisiuisse. cúmq; responderetur, eum generosè fortitérq; præ cæteris prœliantem, multis hostium interfectis occubuisse: exiguo admodum temporis sumto interuallo, dum ratione motum animi compesceret, rursus imposita capiti corona reliquum sacrificij absoluisse, nunciisque hoc respondisse: Non vt immortalem, aut longæuum filium meum redderent, à diis postulaui: (cùm incertum sit an hoc expediat) sed vt probum ac patriæ amantem: cuius quidem nunc voti sum damnatus. Dio Syracusanus (ita enim accepimus) cum sederet consultandarum rerum causa cum amicis, & domi tumultus magnáq; vociferatio extitisset, sciscitatus quid causæ esset, edoctúsq; filium de tecto lapsum periisse, nihil consternatus, corpusculum mortui iussit tradi mulieribus vt id sicut consuetudines ferebant sepelirent: ipse autem deliberationem institutam prosecutus est. Hunc imitatus fertur Demosthenes orator, cum vnicam & dilectissimam sibi filiam amisisset. qua de re Aeschines ita eum accusat: Septimo à morte filiæ die, ante quàm luctu defunctus esset, aut mortuæ iusta persoluisset, coronatus albatúsq; rem sacram fecit, legésq; violauit improbus, vnica amissa filia, & quæ prima eum patrem appellarat. Hæc Aeschines oratorio more protulit, cum vellet criminari Demosthenē: neq; animadvertit se eum laudare potiùs, qui luctu reiecto studium in patriam suū miseratione domesticorum antiquius sese habere ostenderit. Antigonus rex, vt accepimus, audita morte filij sui Alcyonei, qui in prœlio cecidisset, constāte animo in nuncios calamitatis intuens, paululúmq; vocem moratus, & vultu ad mœsticiam composito: ô Alcyoneu, inquit, seriùs opinione nostra occubuisti, adeò securè in hostēs irruēs, & neq; tuæ salutis, neq; nostrarum admonitionum rationem habens. Hos quidem viros nemo non admiratur ob animi magnitudinem atq; prædicat: imitari autem facta eorum ob imbecillitatem malè instituti animi non possunt. Cæterùm cùm extent permulta in historiis & Græcis & Romanis exempla eorum qui præclarè & decenter mortes necessariorum tulerunt: quæ ego retuli, sufficient puto ad permouendum te, vt omnium rerum molestissimam luctum deponas, supersedeásq; inani, quæ in eum nulla vtilitate proposita insumitur, opera. Nam quòd homines virtute præstantes, in prima ætate mortem obiuerint deorum, quibus cari erant, benevolentia, & iam antè monui in superiore orationis nostræ parte, & nunc denuò quàm breuissimè indicabo, testimonium ferens insigni huic Menandri dicto:

Iuuenis relinquit vitam, quem dij diligunt.

Sed fortassis, Apolloni carissime, ita nobis occurres: fuit Apollonius meus fato ad hoc constitutus, oportuítq; me vita defunctum ab ipso funerari. Fateor sanè ita naturam nostram, id est humanam, ferre. sed alia est ratio providentiæ vniuersum gubernātis, & ordinis quo totus mundus est dispositus. Illi enim beatitatem nunc adepto filio tuo secundum naturam non conveniebat diutiùs quàm præstitutus ei temporis ferebat terminus in hac vita commorari: sed ita postulabat natura, vt hoc expleto fatale iter conficeret, revocante eum iam ad se natura. Dices immatura morte abreptum esse. atqui eo felicior est, qui tot mala non senserit. verè enim dixit Euripides:

Hæc vita nomine vita est, ipsa re labor.

Enimverò Apollonius tuus in pulcerrimo flore ætatis decessit, perfectus iuuenis, suspiciendus & ęmulandus omnibus æqualibus suis: cum & in patrem matrémq; fuisset pius, & domesticorum studiosus, philosophię deditus, deniq; (vt vno dicam verbo) prorsus humanus: vt qui seniores non aliter quàm parentes revereretur, & æquales sodalésq; amaret, & præceptores veneraretur, & cùm peregrinis tum hospitibus mansuetissimus esset, & vultu gratioso, comíq; humanitate omnibus suauis carúsq;. Ergo ille tuæ suæq; pietatis comitante eum fausta acclamatione, ante nos ad æternitatem ex hac mortali vita digressus est: tanquam è conuiuio abiens priusquam in errorem ex temulentia aliquem incideret, quales in longa senectute accidere solent. Iam si, vt probabile est, vera sunt quæ veteres poëtæ ac philosophi perhibuerūt, piis postquam vitam hanc cum morte commutauerunt, esse suos quosdam honores, digniorémq; in consessu tribui locum, destinatámque esse piis animis certam in qua degāt regionem:

bene tibi sperandum est de beato tuo filio, qui inter eos viuet. De statu piorum apud inferos Pindarus poëta lyricus in hanc sententiam differit:

Fulget illis iubar Titanis,
Cum terras nox obumbrat,
Pratáq; puniceis ornata rosis
Eorum sunt suburbium,
Thuriferis arboribus,
Et aureos ferentibus fructus opacum.
Exercent alij sese equitatu,
Alij fidibus oblectant.
Floret apud illos læta rerum
Omnigenûm copia.
Regióq; amœna semper
Fragrat variis in ignem
Odoribus coniectis lucidum,
Diuûm super aras.

& paululum progressus in alia lamentatione, vbi de animo loquitur, hæc habet:

Felix sors obtigit omnibus,
Vitæ exsoluens laboribus
Mors, & calamitatibus.
Vis summa lethi corpora destruit:
Superest imago viua at æui,
A diis quæ sola propago ducta est.
Hæc dormit membris laborantibus,
Eiq; somnia monstrant
Quæ comitetur voluptas
Bene facta, quæ've pœnæ
Maneant incestos actus.

Diuinus verò Plato de immortalitate animi multa in libro qui Phædo seu de animo inscribitur, nõ pauca etiam in libris de republica, Menone, Gorgia, aliisq; sparsim disputauit dialogis. Sed quæ in dialogo de Animo sunt ab eo scripta, ea, sicvt petiisti, seorsim ad te mittam commentario meo illustrata. Nunc ea adducam, quæ huius loci sunt, vtiliterq; hîc poni possunt, Socratis ad Calliclem verba Atheniensem, socium & discipulum Gorgiæ rhetoris. SOCRATES. Audi ergo sermonem perelegãtem, quem tu, puto, fabulam arbitraberis esse, ego verum censeo. nam pro veris tibi dicam, quæ sum expositurus. Diuiserunt, vt est apud Homerum, acceptum hæreditate patris regnum inter se Iupiter, Neptunus, & Pluto. Fuerat autem de hominibus regnãte etiam Saturno hæc lex, valuitq; semper etiamnúmq; obtinet apud deos, vt quicunque hominum vitam suam iustè piéq; exegisset, is ea defunctus in Beatorum insulas proficisceretur, ibiq; omnis mali expers in summa viueret felicitate. qui verò vixisset iniustè & impiè, is in vindictæ ac Iusticiæ carcerem, quem Tartarum appellãt, abiret. De his sub Saturno, & primo imperij Iouis tempore iudicabant viui viuentibus, ea ipsa die sententiam ferentes, qua rei erant mortem obituri. quo fiebat, vt iudicia malè exercerentur. Itaq; & Pluto & procuratores ex insulis Beatorum ad Iouem se contulerunt, questiq; sunt vtroq; indignos commeare. Ne in posterũ ergo hoc fiat, efficiam ego, inquit Iupiter. Nunc quod malè feruntur sentẽtiæ, causa est quia rei amicti ad tribunal adducuntur, dum adhuc viuunt. Multi enim prauos gerentes animos, vestiti sunt pulcris corporibus, natalium nobilitate, & diuitiis: & quando iudicio sistuntur, multi veniunt qui testimonium ipsis vitæ iustè actæ perhibeãt. Iudices igitur cùm his rebus percelluntur, tum ipsi quoq; amicti iudicant, cum animi eorum oculis, auribus, dentibus, toto deniq; corpore obvelati sint. itaq; omnia hæc ipsis impedimento sunt, cùm sui tum reorum amictus. Primùm ergo eximenda hominibus est mortis prænotio. nunc enim terminum vitæ provident. estq; à nobis Prometheo iniunctum, vt efficiat ne porrò id possint. Deinde in iudicium venire debent, exuti istis rebus quas dixi omnibus. mortui enim ad tribunal venire debẽt. Sed & iudices de iis cognoscẽt nudi ipsi

Platonis ex vltimo Gorgia. de mortuorum statu.

ipsi & vita defuncti, vt ipso animo animum cuiusque simulac is vita decessit contemplentur, cum is desertus omnibus à cognatis omnem istum ornatum in terra reliquerit. sic enim iustè pronunciari poterit. Quæ ego cùm mecum priùs constituissem quàm à vobis sum admonitus, iudicium commendaui filiis meis, duobus Asianis Minoi & Radamantho, vni Europæo Aeaco. Hi ergo postquam viuendi in terra finem fecerint, iudicia obibunt in prato, in triuio, vbi itinerum est divortium, vno ad insulas Beatorum, altero ad tartarum pergente. In Asia itaque mortuos iudicabit Radamanthus, in Europa Aeacus. Minoi primariam iudicandi potestatem concedam, vt si quid alterum eorum fugerit, ipse sententiis eorum examinandis diiudicet, itáque iustissimo iudicio decernatur, vtrum cuique hominum iter sit ingrediendum. Hæc sunt, Callicles, quæ ego auditu percepta, vera esse arbitror, indéque sic ratiocinor habere rem. mors, mea quidem opinione, aliud nihil est, quàm duarum rerum, animi scilicet & corporis, à sese invicem dissolutio. Hæc ego collecta, Apolloni carissime, accuratissimè composui, orationémque hanc consolatoriam tibi confeci, apprimè necessariam & ad luctum præsentem excutiendum, & molestissimo dolori finem imponendum. Complexus sum etiam eum honorem, quem abs me deferri diis acceptissimo filio tuo Apollonio consentaneum fuit: quo honore nihil optabilius est iis, qui fausta memoria sui perennique famæ prosperitate consecrati iam sunt. Tui est officij, obtemperare doctrinæ nostræ, filióque eum te, quem par est, præbere, repudiatáque invtili illa corporis animíque tui adflictatione & corruptela, ad consuetam tibi, & naturalem vitæ rationem reverti. Cùm enim filius tuus, nobiscum adhuc communis huius lucis vsura fruens, illibenter planè mœstos te matrémve viderit: iam cum diis agens, eorúmque consuetudine potiens, vtique hunc vestrum viuendi modum probare non potest. Proinde animum boni, generosi, liberósque suos amantis viri recipe, & teipsum, matrémque adolescentis, cognatósque & amicos miseriæ isti exime: tranquilliorémque vitæ amplectere formam, quæ cùm filio gratissima tuo erit, tum nobis omnibus, quibus tu quantæ convenit es curæ.

Plutarchi De tuenda sanitate præcepta.

Personæ dialogi sunt Moschio & Zeuxippus.

MOSCH.



GLAVCVM tu Zeuxippe medicum aversatus es heri, cum is de philosophicis rebus nobiscum vellet colloqui? ZEVX. Equidem neque eum aversatus sum ego, mi Moschio, neque nobiscum ille philosophica tractare volebat. fugi autem hominem, quòd nolebam contentioso ansam digladiandi præbere. Est enim in rebus quidem medicis, qualem Homerus esse vult,

—— *multis dignus componier vnus:* *Iliad.λ,514.*

sed erga philosophiam animo est parum amico, sempérque asperitatem quandam in disserendo & morositatem vsurpat. ac tum quoque adversum nobis se ferebat, eminus vociferans, nos qui aggressi essemus de salubri vitæ ratione disputare, confundendis artium finibus facinus neque paruum neque æquum commisisse, distinctáque inquiens esse philosophica à medicis: perinde ac si de limitibus Phrygum & Mysorum statuendis ageretur. quinetiam à nobis quædam neque seriò & non tamen invtiliter dicta in ore habebat atque laniabat. MOSCH. Ego verò, Zeuxippe, cum hæc tum alia lubenter animóque promto audiuerim. ZEVX. Philosophico nimirum, Moschio, es ingenio, & succenses philosopho qui studiosus rei medicæ non sit: indignéque fers, si existimet magis sui esse officij vt videatur geometriæ, dialecticæ & musicæ deditus, quàm vt inquirere ac discere cupiat, in suo corpore, hoc est *Medicinæ studiũ decere philosophum.*

Odyss. A,392. *Aedibus in propriis quid rectè, quid malè fiat.*

Atqui plures ad spectaculum confluere solent, vbi publicitus pecuniæ aliquid inter spectatores distribuitur: sicvt fit Athenis. Et verò medicina de reliquis liberalibus artibus nulli nitore, copia, iucunditatéque cedens, sui studiosis præmium spectandi porrò largitur incolumitatem corporis atque sanitatem. Non itaque intentandum id crimen philosophis de sanitate disputantibus est, quasi verò limites transilierint. immò id potiùs vitio esset dandum, si non sublatis omnino terminis locum hunc sibi communem cum medicis ducerent, in eóque suauitatem cum necessitate iunctam egregio studio consectarentur. MOSCH. Proinde missum faciamus Glaucum, qui ex sese perfectus ob affectatam quandam vult videri grauitatem, & philosophia nihil opus habere ad suam professionem. Tu autem Zeuxippe, totam nobis narra disputationem. &, si libet, ea primo loco, quæ ais cum non prorsus seriò essent dicta, repræhensa à Glauco fuisse. ZEVX. Aiebat ergo socius noster, auditum abs se esse quendam, qui diceret si semper calerent manus, neque sinerentur frigere, non leuiter hoc ad sanitatem conducere. contra extremitatum refrigerationem, qua calor introrsum cogitur, quasi consuetudinem quandam & affectationem febris ingenerare. qui calor salubriter foras in omnes partes eliciatur ad differendam ac distribuendam materiam. atque hoc quidem motum præstare, vbi aliquid manibus agimus, vt ad eas evocetur, ibique contineatur calor. quando autem nullum opus manibus facimus, tunc nequaquam nos debere ad extremas corporis partes frigus admittere. Hoc vnum fuit ex iis, quæ risu excepta sunt. Secundum, si rectè memini, fuit de cibis quos ægrotantibus exhibetis. Hos ille interdum volebat sumi à nobis & gustari, vt iis nos sani etiamnum adsuescentes, neque puerulorum instar formidantes invisámve habentes victus illam rationem, sed paulatim appetitui nostro familiarem reddentes, ægrotantes olim non ab iis tanquam medicamentis abhorreamus, neq; moleste feramus cibum nobis apponi simplicem, & sine condimentis ac nullum culinę nidorem referentem. Eandem ob causam etiã aliquando illoti capere cibum non verebimur, aut aquam vino præsente bibere, tepidúmve æstate, cùm ad manus sit nix. Atq; hîc ad ostentationem factæ & sophisticæ talium rerum abstinentiæ vitãdæ sunt, & earum iactationes. ipsi apud nosmetipsos condocefaciamus appetitum, vt non invitus vtilitati pareat, eminúsque animum avertamus ab illiberalibus propter victus rationem in morbis parum lautam querelis ac lamentis, quibus alij deplorant suas fortunas, à magnis iucundísque voluptatibus ad sordidum detrusi abiectúmque alimentorum genus. Præclare dictum est, Vitam delige optimam, dulcem eam consuetudo efficiet. Verùm hoc vtile est etiã in singulis vitæ partibus conari, maximè in victus ratione, vt maximè sani consuetudine nobis familiaria ista naturæq; nostræ non adversantia redigamus: memoria tenentes quid nonnullis vsu veniat in morbis, qui ægrè aut ne vix quidem ferre possunt aquam aut sorbitionem vel panem si calida exhibeantur, impura hæc & molesta, impuros & importunos qui vti iis cogunt appellantes. Multos etiam lauacra perdiderunt cùm ab initio malum non fuisset magnum, tantum eo quod non possent neque sustinerent cibum capere non loti. è quorum numero etiam Titus fuit Imperator, vt affirmant qui ægrotum curauerunt. His additum fuit illud, semper ea corpora saniora esse quæ tenuiora essent: maximè verò fugiendam redvndantiam, crapulam, deliciarúmque vsum, cum præ manibus est festiuitas aliqua, aut amicorum conviuium, aut epulæ à rege vel duce exhibendæ, aut vbi aliàs largiùs sese inuitaturi sunt cibis & poculis, ita vt tibi detrectare nõ liceat. tum enim velvt tranquillo cœlo corpus tenue & leue pręparandũ est adversum ventum & vndas ingruentes. Difficile enim est in conviuiis mediocritatem consuetámq; edendi ac bibendi rationem ita tueri, vt nõ omnibus aliis molestus, iniucundus, importunúsq; videare. Ne igitur crapula crapulæ, vino vinum, tanquam ignis igni (vt in proverbio est) superaddatur, seriò imitandum est quod Philippus ioco satis elegante egit. Inuitârat eum rure quidã ad cœnam, paucos habere secũ comites opinatus: cum autem modicè apparatam ad cœnam Philippus plures adduceret, perturbabatur. quod vt sensit Philippus, ad singulos amicorũ submisit qui moneret, vt locum placentæ relinqueret. ita amicis obtemperantibus, placentámq; expectantibus, ac ideò parciùs vescentibus appositis cibis, omnibus cœna ea suffecit. Sic ergo præparare nos debemus ad necessarias istas inuitationes, vt obsonio, bellariis, adeóq; etiã ebrietati locũ relinquamus in corpore, nouúm-

Manus calidæ.

Cibis ægrotorum sano adsuescendum.

Repletio corporis vitanda.

nouûmq; ad ea & paratum adferamus appetitum. Cùm verò talis nos subitò invadit necessitas, vt corpore onusto & ad edendum bibendúmque inepto ob præsentiam principum virorum aut hospitum pudor videatur nos cogere potare cum probè ad potandum affectis: ibi tum maximè armatum esse oportet contra ineptam istam verecundiam, quæ magna adfert hominibus damna, vsurpandáque illa sunt Creontis in tragœdia: *Inepta verecundia.*

Præstat inimicum fieri hospes tibi me modò,
Quàm gemere postea, nunc agam si mollius.

Fugiendo enim rusticitatis opinionem in laterum dolorem vel insaniam se conijcere, revera agrestis est & væcordis hominis, qui rationem cum hominibus citra pocula & nidorem versandi ignoret. Ipsa enim recusatio, si dextrè fiat & vrbanè, non minus gratiosa est quàm obsequium. & si quis ab iis quæ apponuntur in conviuio se tanquam à sacra re abstinens, ad pocula interim mensámque alacriter & hilariter aliquid in seipsum ludat aut dicat, iucundior videbitur vnà se inebriante aut obsonia vorante. Ac mentionem faciebat socius ille noster ex vetustate Alexandri Magni, qui postquam abbibisset liberaliùs, Medio præ pudore non ausus adversari hortanti, & ad nouam trahenti compotationem, denuò merum potauit, ex eóque periit. ex iis qui nostra vixerunt ætate, Rigli pancratiastæ, qui prima luce ad balneum vocatus à T. Cæsare, venit vnàque lauit, cúmque semel inde bibisset, apoplexia correptus subitò vitam finiit. Hæc nobis per risum exprobrabat Glaucus ad pœdagogos dicens pertinere. neque ad reliqua audienda ille animo promto erat, neque dicenda nos illo præsente putabamus, neque enim singula considerabat. Iam primùm Socrates hortabatur vt caueremus à cibis qui non esurientes ad edendum invitant, & potu, qui non sitientes ad bibendum pellicit. non vsu eorum in vniuersum ille interdicens, sed docens tum vtendum esse cum est necesse, voluptate quæ inde percipitur ad necessitatem accommodata. vt cum ciuitas pecuniam aliâs spectaculis impendi solitam in vsus militiæ convertit. Quod enim suaue suapte natura est, id dum nutritioni inseruit, vsurpare convenit. esurientésque frui debemus necessario aut suaui alimento, non communi appetitui vbi satisfactum est, inuitamentis nouos ciere. Sicvt enim ipsi Socrati exercitatio corporis non iniucunda erat saltatio: ita cui bellaria pro cibo sunt, minus is læditur. id summopere cauendum est, ne cum pro naturæ modo satis accepimus, ac saturi sumus, ista appetamus. Studio voluptatis ingluuiéque circa has res non minus vitand est ambitio, & modi decorique imperitia, quibus sæpe adducuntur homines vt quædam edant non esurientes, & bibant non sitientes: dum illiberales planè & intempestiuæ illæ subiiciuntur opiniones, absurdum scilicet esse si rara re & preciosa apposita non fruaris, vt vbere, fungis Italicis, placenta Samia, niue in Aegypto. Hæc enim sæpenumerò impellunt ad vescendum nobilibus rebus & raris, animo vanæ gloriolæ quasi nidore quodam illecto, corpúsque nulla eius necessitate ei inseruire cogente, vt aliis narrare possint quòd vesci ipsis obtigerit rebus paratu difficilibus & supervacaneis, eóque scilicet nomine in admiratione sint. Quo modo etiam nonnulli cubantes in lecto cum suis vxoribus, caris etiam & dilectis, Venere abstinent: Phrynæ aut Laidi persoluta mercede, corpus malè paratum ad coitum vana opinione ducti exstimulant & ad libidinem iritant. Ipsa quidem Phryne ætate iam grauior dicebat, se fæcem pluris vendere propter suam nobilitatem. Mirum profectò est, & incomparabile hoc commodum, si quis concessis corporis quas naturæ exigit necessitas voluptatibus, immò autem diu corporis desideriis in actionibus obluctatus, ac obsequi cunctatus, difficultérque admodum eius necessitati gratificatus, aut vt Plato ait mordenti atque vrgenti obsecutus tandem, illæsum se potest conseruare. Vicissim cupiditates quæ in corpus ex animo descendunt, idque suis cogunt inseruire & comitari motibus, fieri non potest quin post obscuras & languidas voluptates maxima ac vehementissima illata damna relinquant. Minimè verò animi concupiscentia ad voluptatem permoueri corpus sinendum est: ipsum enim principium naturæ repugnat. & sicvt axillarum titillatio risum ab animo elicit non lenem aut placidum, sed convulsionis similem & molestum: ita quas compunctum ab animo corpus voluptates & turbatum concipit, eæ à natura alienæ sunt, & ad statum eius convellendum at-

Vtendum, non abvtẽdum suauibus.

Voluptatibus corporis vt moderandum.

que tumultibus exagitandum faciunt. Cum ergo veſcendum offertur rarum aliquid aut nobile, abſtinendo potiùs quàm fruendo quærenda eſt gloria. cogitandúmque ſicvt Simonides dixit nunquam ſe propter ſilentium, ſępe propter ſermonem pœnitentia fuiſſe correptum: ita nobis nunquam pœnitudinem obortam fuiſſe ob repudiatum aliquod obſonium, aut hauſtum aquæ Falerno prælatum, ſed contrà. Cæterùm tantum abeſt vt vis facienda ſit naturæ dum veſci aliqua re cupimus, vt appetentem etiam plerunque debeamus ad vulgaria & nobis vſitata avertere, vt adſuefaciamus eum & condocefaciamus.

Abſtinentia.

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: — inquit Thebanus ille, improbè quidem. nos rectiùs ſic dicemus, ſi quærenda eſt gloria, optimè quæretur continentia ad ſanitatem conducibili. Veruntamen ſunt, quos ſordes & tenacitas eò adigunt, vt cupiditates ſuas domi comprimentes atque attenuantes, apud alios precioſis alimentis perfruantur, iiſque ſe impleant non ſecùs quàm ſi ex hoſtico commeatum nulla cum parſimonia auferrent. deinde malè affecti domum redeunt, viaticum ingluuiei in diem ſubſequentem habentes cruditatem. Crates quod cenſeret non minimam cauſam, propter quam in ciuitatibus ſeditiones exiſterent & tyrannides, eſſe luxum & nimios ſumtus, iocoſè hortabatur ciues, ne vltra lentem ſubinde augēdis patinis ſeditionum cauſas præberent. Quiſque verò ſeipſum hortetur, ne identidem vltra lentes augendo patinas, præteritóque naſturtio & olea ad * thrium & piſcem pergendo, corpus in tumultum ac fluxiones ventris ex redvndantia coniiciat. Vulgares enim cibi appetitum intra naturæ modum continent: coquorum & opificum artes, & callidiſſimæ iſtæ aromatibus conditæ cupediæ, vt appellat Comicus, ſemper fines voluptatum proferunt, vtilitatémque ſupplantant. Ac neſcio quo modo fiat, vt vxores cùm ſuos maritos veneficio & poculis amatoriis adoriuntur, execremur averſemúrque: interim mercenariis & ſeruis permittamus vt cibos & obſonia tantùm non lenocinio commendent atque veneficio. Ergo tametſi acerbius videri poteſt Arceſilai dictum in adulteros ac libidinoſos, Nihil differre anticáve an poſtica corporis parte cinædus aliquis ſit: noſtro tamen propoſito non malè congruit. Quid enim intereſt, ſi veritatem rei ſpectes, ſatyriiſne aliquis libidinem provocet, aut guſtatum odoribus & condimentis iritet, ac ſcabioſæ partis alicuius inſtar pruritu ſemper titillationéque indigeat. Fortaſſis ſuus locus erit aliâs, vbi adverſus voluptates dicamus, & quæ pulcritudo ac dignitas continentiæ per ſe ſit demonſtrabimus. In præſentia autem multis magníſque voluptatibus noſtra patrocinatur oratio. Non enim tot actionibus, conatibus, peregrinationibus aut ludis morbi nos priuant, quàm multis voluptatibus nos ſpoliant. vt qui maximè voluptates conſectantur, minimè iis expediat ſanitatem negligere. Sunt quibus in adverſa valetudine, liceat tamen philoſophari, atque etiam imperia gerere & regnare. at corporis voluptates aliæ omnino exiſtere in morbo non poſſunt, aliæ vt oboriantur, parum habent genuini ac ſinceri, ſed multis alienis confuſæ contaminatæq; affectionibus velvti ex æſtu & tempeſtate emergunt. Non enim in redvndantia corporis Venus locum habet, ſed carnis quaſi ſereno & tranquillo ſtatu Venerem, cibúmque & potum voluptas ſubſequitur. & ſanitas voluptatibus, velvti ſerenitas alcyonibus, commodum tutúmque ortum præbet. Eleganter quidem dictum eſt à Prodico, omnium condimentorum ſuauiſſimum eſſe ignem. Sed veriſſimè dixeris, ſanitatem condimentum eſſe diuiniſſimum & iucundiſſimum. Elixa quippe, aſſata, & cocta nullam voluptatem afferunt, neque grata ſunt ægrotantibus aut crapula nauſeáve laborantibus: ſano corpori ſincerus & integer appetitus omnia facit dulcia, & quæ (vt Homerus ait) auidè rapiantur atque ſumantur. Verùm ſicvt Demades de Athenienſibus intempeſtiuo belligerandi ſtudio deditis dicebat, nunquam niſi atratos pacem decernere: ita & nos nunquam tenui & temperante victus de ratione cogitamus, niſi cùm à medicis vrimur, & medicamenta nobis impinguntur. quo quidem noſtro ſtatu delicta noſtra valdè ſupprimimus, memoriæ eorum reluctantes. & vulgus imitamur hominum, qui intemperantiam & nimium voluptatis ſtudium ſuum diſſimulantes, regionem morbo obnoxiam, aut luem publicè graſſantem cauſantur. Lyſimachus apud Getas ſiti eò redactus, vt ſe cum toto exercitu in poteſtatē hoſtium dederet, poſteà

Tullius ex Phœniſſis Euripidis. I. Offic.

Voraces alienæ domi.

**vide Suidam de hoc edulio.*

Voluptas corporis nulla, eo non ſano.

Odyſſ. ξ, 110.

steà cum frigidam bibisset, Dij boni, inquit, quàm ob breuem voluptatem summam amisi felicitatem. Nos quoq; in morbis nobiscũ reputemus, ob frigidæ potum, aut intempestiuum balnei vsum, aut obsequiũ in conuiuio præstitũ nos multas nostras perdidisse voluptates, actionésq; honestas, & iucũdas oblectationes. morsus enim huiusmodi ratiocinationũ memoriã sauciat, vt quasi cicatrix reliqua in sanitate nos cautiore vti moneat victus ratione. Non enim nimis vehementes appetitiones in corpore sano existent, neq; cõtumaces, neq; insolentes aut quæ coërceri non possunt. sed obfirmandus est animus cõtra concupiscentias istas vbi inter fruendũ sese efferunt & exsultant, tenendúmq; querimonias earũ & eiulatus viles esse ac pueriles, & horum finem fore sublata mensa: ac proinde appetitus istos nulla iniuria affectos, nihil nobiscum conquesturos, sed contrà puros ac hilares, non molestos aut fastidiosos, crastinã diem expectaturos. Huc pertinet quod Timotheus cùm pridie in Academia cœnę Platonis philosophicæ ac frugali interfuisset, dixit: Qui cum Platone cœnarent, eos postridie etiam suauiter viuere. Sed & Alexandrum Magnum narrant dixisse, cùm Adæ cocos relegasset, Meliores se habere quos secum ducat: nempe nocturnum iter quod ei prandium, & exilitatem prandij, quæ cœnam faceret dulcem. Non sum nescius febres hominibus, & ob defatigationes, & ob nimios cùm æstus tum algores accidere. *Plenitudo morborum causa.* Sed tamen sicvt florum odores imbecilles suapte natura, quando oleo admiscentur, vires vigorémq; nanciscuntur: ita externis causis atq; principiis redvndantia humorum in corpore velvti substantiam & corpus suppeditat. absq; hac nihil mali causæ illæ inferunt, sed elanguescunt dissipantúrq; facilè, sanguine tenero & spiritu puro motũ excipiente: vbi autem redvndantia est humorum, ibi velvt cœnum quoddam exagitatur impurum, omniáque difficilia reddit & pertinacia. Non igitur imitari debemus bonos nauiculatores, corpúsque subinde impletum & oneratum, purgando rursum & proluendo evacuare: sicvt illi ob auariciam multa in naues cum ingesserunt, adsiduò deinceps aquam exhaurire coguntur. sed corpora nostra habilia & expedita seruare, vt etiam si aliquando premantur, ob leuitatem suberis instar sursum sese efferant. Maximè autem præcauendum est in præsensionibus morborum. Non enim omnes morbi invadunt nos, sicvt Hesiodus ait, *Præsensio morborum.*

Muti, nam vocis priuauit Iuppiter vsu:

sed plerique tanquam prænuncios habent & præcursores ac præcones suos, cruditatem & motus difficultatem. Grauitas membrorum, inquit Hippocrates, & defatigationes sponte ortæ, morbum indicant. *1. Aphor. 5.* nimirum ob plenitudinem spiritu neruorum compresso & obstructo. Sed tamen multi, reluctante tantùm non ipso corpore & in grabatum atque ad quietem trahente, ob gulam & luxuriam seipsos in balnea coniiciunt, & ad propinationes festinant, velvti obsidione imminente commeatu se instruentes, metuentésque ne impransos febris corripiat. Qui videri volunt elegantiores, hac ratione non peccant. sed stolidè admodum, dum pudet crapulam aut cruditatem confiteri & in lecto diem exigere aliis ad gymnasium euntibus & ipsos eodem vocantibus, surgunt & exercitationibus sese quoque dant, eadémque cum sanis agunt. Plurimos intemperantiæ & molliciei spes patrocinium à proverbio quærens, quod vinum vino, crapulam crapula pelli & discuti ait, mouet, persuadétque vt omisso lecto audacter ad consueta redeant pocula. Cui quidem spei Catonis illa opponi debet cautio, qua is dicebat magna imminui, parua omnino aboleri: tenendúmque est, quod præstat frustra abstinuisse & quieuisse, quàm sanitatem ad balneum aut cœnam se proripiendo in periculum coniicere. etenim si mali aliquid subest, non cauisse, non se inhibuisse nocebit: si nihil suberat mali, non obest corpori abstinentia illa, qua factum est purius. Puerilis autem ille, qui veretur ne se ob repletionem aut crapulam malè affectum amici aut famuli sentiant: dum hodie pudet cruditatem confiteri, cras fatebitur fluxionem, aut febrem, aut tormina.

Turpiter inopiam, eius si te pudet, feres:

inquit ille. multo turpiùs feres cruditatem, grauitatem corporis & redvndantiam, si corpus in balneum trahas, velvt nauim putridam rimísque hiantem in mare. Sicvt enim qui nauigantes sub tempestatem dum in litore tempus terere pudori habent, deinde in altum provecti turpissimè vociferando & nauseando se gerunt: ita in suspi-

cione morbi corpoŕeque non bene affecto qui parum decorum putant vnam diem in lecto consumere ciböque abstinere, turpissimé per plures inde dies decumbunt, dum purgantur, & medicamentis oblinuntur, medicisque adulantur, & demerentur vinum petentes aut frigidam, turpiáque multa & abiecta facere ac dicere ob dolorem & metum sustinent. Et verò qui propter voluptates sibi ipsis non imperant, sed cupiditatibus suis aguntur aut inclinantur, docendi sunt & admonendi, maximam sui partem voluptates ex ipso sumere corpore. Et quemadmodum Spartani coquo acetum & salem dantes, reliqua in ipso quod mactandum erat animali iubebant quærere: ita in corpore eius quod huic exhibetur condimenta præcipua insunt, si sano ei exhibetur, atque puro. Quòd enim cibus potúsve aliquis dulcis est, quòd preciosus, id à sua natura habet, & extra corpus fruentis. suauis autem fit & iucundus ita demum, si fruentis corpus secundum naturam affectum eo delectetur. qui verò eum aversantur, aut ebrij vel ægroti sunt, apud hos ista omnem suam gratiam venustatémque amittunt. Itaque non considerandum est, an recens sit piscis, an purus sit panis, an balneum calidum, an scortum formosum: sed an qui his frui vult, nausea vacet, corporis tranquillo sit statu, non hesterna crapula vexetur, non perturbatus sit. alioqui sicvt comessatores ebrij in domum lugentium invadentes, non læticiam aut delectationem adferunt, sed fletus excitant: ita venus, obsonia, balneum, vinum corpori adhibita contra naturam affecto, pituitam bilémve concitant, tumultúque illato etiam sanas adhuc partes corrumpunt: speratæ autem voluptatis & delectationis conferunt nihil. Enimverò accuratissima illa & ad vnguem (vt aiunt) explorata victus ratio, corpus reddit admodum meticulosum & periculis obnoxium, ipsiúsque animi alacritatem retundit, omnibus de rebus, omni tam laboris tractatione quàm voluptatis fruitione suspicantem sinistri aliquid, nihílque confidenter aggredientem. Oportet autem corpus naualis instar veli neque sereno & tranquillo cœlo nimis contrahere aut comprimere: neque cum aliquis subest metus, nimis passo & laxato eo vti. sed concedendum est aliquid corpori, alleuandúmque est, neque eò vsque differenda cura, dum cruditates iam, & fluxus alui immodicus, aut æstus torporésve ingruant: quibus nonnulli vix tandem tanquam à nunciis aut apparitoribus admoniti febrim esse ante fores, conturbantur, & moderari sibi incipiunt: cum debuerint eminùs ante tempestatem sibi præcauere, velvti qui obseruant Boream (vt ille ait) ad maritimum promontorium flatu impingentem. Est enim absurdum, cùm crocitationibus coruorum, gallinarum cantillationibus, suúmque furiosis in cœno volutationibus, vt appellat Democritus, studiosè animum attendamus, ventorum inde & imbrium præsagia sumentes: motus nos corporum nostrorum, & iactationes, affectionésque morbum antecedentes non obseruare, non præcauere, neque indicia futuræ in nobis tempestatis præcipere animo. Ergo non ad nutritionem modò corporis quod attinet, & exercitationes notandum est, an iis corpus segniùs minoríve cum alacritate, quàm consueuerat, vtatur, & an solito ampliùs fame sitíve tentetur: sed somnus quoque si continuus aut lenis non sit, verùm inæquabilitatem habeat & divulsiones, suspicionem nobis morbi iniicere impendentis debet. atque ipsa adeò somnia absurda si sint, visáque nobis per quietem offerantur non legitima neque consueta, multitudinem aut crassiciem humorum internam, spirituúmve conturbationem deferunt. Ipsi etiam motus animi significant interdum corpus ad morbum esse procliue. nulla enim causa extante oboriuntur aliquando subitæ mœsticiæ & metus, repente spes animo conceptas exstinguentes. stomachus quoque facilè quibusdam mouetur, irásque & dolores celeriter minutissimas ob res suscipiunt, lacrymántque & animi sese angunt, cum vapores exhalationésque vitiosæ coëuntes, animi (vt ait Plato) permiscentur circuitionibus. Quibus ergo hæc accidunt, ij perpendere secum ea debent, & scire si spiritalis nulla sit causa, subesse corporeã aliquam, quam comprimi aut contemperari oporteat. Magnopere autem conducit, vt cùm invisis ægrotantes amicos, diligenter de causa morbi sciscíteris: non sophistarum hoc more & supervacanea curiositate, vt instãtias, incidentias, communitates in ore habeas, & medicarum vocum litterarúmque peritiam ostentes: sed vt vilia hæc & vulgaria non obiter audias, redvndantiam, defectum, defatigationem, insomnia: maximè autem eam victus rationem, qua is vsus in

Corpore non sano voluptas nulla sincera.

Accuratißima victus ratio invtilis.

Morborum prænotio.

Ex aliorũ morbis sumenda vtilitas.

in febrim incidit. Deinde, sicut Plato solebat aliorum peccatis animaduersis digressus secum disquirere, an non ipse quoq; eodem esset in vitio: ita exemplum ex aliis capias quid tibi vitandum sit, memoriáque tenendum, ne in idem incidas malum, & affixus lectulo dignam gloriatione sanitatem cum desiderio prædices: sed alterius casus tecum te doceat perpendere quanti faciunda sit valetudo bona, quantáq; sit attentione & parsimonia eius conseruationi studendum. Expedit etiam in suam ipsius vitæ rationem inquirere. Si enim biberimus, ederimus, laborauerimus, aliúdve quicquam præter ordinem fecerimus, neq; vllum indicium aut præsagiũ mali accepti corpus præbeat: nihilominus obseruare nosmet ipsos debemus, ac nos præmunire, si vsi sumus re venerea, aut lassati, quiete & somno: si vino liberalius vsi, aquæ potu: maxime autem si alimẽtis solidis, carnosis, aut variis indulsimus, cibi paucitate, ne quam superfluorum copiam in corpore relinquamus. nam cùm ipsa per se excrementa multorum sunt causa morborum, tum aliis causis materiam viresq; suppeditant. Est enim optime dictum, saluberrima esse hæc, Alimenti citra satietatem vsum, alacritatem impigram ad labores, naturæ seminis conseruationem. intemperantia enim coitus, eò quod maxime eam facultatem debilitat qua nutrimentum cõficitur, excrementorum gignit copiam. Verùm de his singulis repetito exordio disseramus. Primùm de exercitationibus quæ studiosis litterarum conveniant, hoc dicimus. sicut is qui se nihil scribere iuxta mare habitantibus de curatione dentium aiebat, vsum marinę aquę hoc ipso docuit: ita & nos profiteri possimus, non esse cur litterarum studiosis de exercitationibus aliqd præscribamus. Vsus enim sermonis voce pronunciati quotidianus, mirũ dictu quam vtile sit genus exercitationis, non ad sanitatẽ duntaxat, sed etiam ad vires: non quidem athleticas eas, aut quæ carnes augeant & extremas corporis, tãquam ædificij partes condensent: sed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ facultas potissimum est, naturale robur, vigorémq; verum ingenerat. Ac spiritu quidem augeri robur, aliptæ demonstrant, qui athletis præcipiunt, vt fricationibus renitantur, eásque subinde intercipiant, obseruatis semper partibus quæ contrectantur, & oleo ac puluere obducuntur. Sed vox cùm sit animæ motus, non in superficie, sed intimis in visceribus tanquam fonte invalescens, calorem auget, sanguinem tenerũ reddit, omnes expurgat venas, omnes aperit arterias, coire & concrescere humorem nullum supervacaneum patitur, aut tanquam fæcem subsidere iis in vasis quæ alimentum excipiunt ac conficiunt. Itaq; continenter orando debemus nobis familiarem hanc facere exercitationem: vel si suspicio insinuet, corpus imbecillius esse aut aliquanto lassius, legendo vel colloquendo. quod enim gestatio est si cum exercitatione conferatur, id lectio præstat vice colloquij, tanquam vehiculo orationis alienæ vocem molliter mouens atque differens. colloquium concertationem & vehementiam adiicit, animo conatum corporis adiuuante. Omnino autem vitandæ sunt vociferationes nimiis animi motibus expressæ, vocémque per vim quandam extorquentes. inæquales enim spiritus eruptiones & contentiones, rupturas gignunt ac convulsiones. Qui legerit aut disputauerit, is ante deambulandum læui atque tepida vtatur fricatione carnis & mollitione, quantum ferri potest viscera tangens, spiritúmq; leniter cõplanans ac vsque ad extremitates diffundens. modus fricandi sit sensui gratus, ac citra dolorem. Qui enim sic composuit tumultum in profundo corporis ac contentionem spiritus, ei excrementa nihil afferunt molestiæ: & si intempestiuũ sit deambulare, aut per occupationes non liceat, nihil est incõmodi. natura enim id accepit, q̃d ei debebat. Itaq; neq; nauigatione, neq; diversorio excusandũ prætexendúmve est silentium: sed exercenda vox, etiam si ab vniuersis derideare. Quo enim in loco turpe non est cibum capere, vtiq; etiam exercere ibi corpus inhonestum non est: sed turpius fuerit metuere ac pudore affici ob nautarum, agasonum, cauponúmq; risum. nõ quòd pila ludas aut vmbram pugnæ exhibeas te deridentium, quàm quod inter dicendum simul aliquid doceas, quæras, discas, in memoriam redigas exercendo. Socrates dixit, ei qui saltando exercere corpus velit, opus esse domo vel septem lectorum capaci. qui cantu aut sermone, ei sufficere se exercenti, stanti, cubantíq; quemvis locum. Id vnum cauendum est, ne conscij nobis repletionis, rei venereæ, aut defatigationis, vocem asperius contendamus: quod multis rhetoribus ac sophistis vsu venit, cùm ad certamen dicendi vel gloria & ambitione, vel spe mercedis aut propter ciuiles contentiones protrahi se sinunt alieno tempore. Niger sanè noster oratoriam artem in Galatia

Correctio peccatorum in victu & similibus.

De exercitationibus philologorum.

Sermonis mirifica vtilitas.

Lectio.

Colloquium.

docens, forte fortuna ſpinam piſcis deglutiuerat, cùm ſubitò foris ſupervenit alius quidam rhetor, ac declamare cepit. ibi Niger, ne ſpeciem concedentis ſilentio præberet metuens, etiamnum ſpina in faucibus hærente declamauit & ipſe: ſed orta inde magna ac dura inflammatione, impatientia doloris exſecari ſibi ſpinam introrſum profundè vulnere adacto paſſus eſt. per quod vulnus exemta quidem eſt ſpina: verùm ipſe eo ex vulnere, quod ſanatu difficile eſſet, humoréſque affluerent parti læſæ copioſi, mortuus eſt. Sed de his inferiùs erat commodior monendi locus.

Frigida lauacra

Ab exercitatione lauari, frigida quidem aqua, plus habet oſtentationis quàm ad ſanitatem vtilitatis. Videtur ſanè hoc præſtare, vt minùs facilè ab externis rebus corpus lædatur, duriciémque corpori aliquam conciliare. Maius tamen internis partibus damnum adfert, meatibus obſiſtens, humoréſque cogens, & vapores condenſans, qui ſemper laxari & digeri ſuapte natura cupiunt. Præterea qui frigida lauantur, neceſſe rurſum eſt vt eam, quam nos fugimus, prorſus accuratam præciſéque nimis ſtatutam vitæ rationem ſectentur, ſempérque curam adhibeant ne quid in eam delinquant: quod nunquam non vel quodvis peccatum acerbè caſtigetur.

Balneum.

Vſus balnei calidi multo plus veniæ meretur. Non enim tantum vigoris roboriſque aufert, quantum ad ſanitatem conducit eo, quòd exordia concoctioni præbet, eáque lenia: ac iis quæ concoctionem effugiunt, niſi planè ſint cruda & in ſummo ſuſpenſa maneant, diffuſiones dolorē nullum afferentes comparat, occultáſque membrorum defatigationes demitigat. Veruntamen vbi natura præbet mediocriter ſatiſque commodè affecti corporis ſenſionem, omiſſo balneo ad ignem inungi præſtat, ſi tepore corpus indigeat.

Vnctio.

Sic enim conſeruatur magis inſitus ac diſpenſatur calor. Sole neque magis neque minus vtendum eſt, quàm temperies aëris ab eo profecta permittat. Atque hæc quidem de exercitationibus ſufficiant.

De cibis philologorum.

Ad cibum porrò ſumendum quando acceditur, ſiquidem effecerunt aliquid ea quæ antè à nobis de appetitu demulcendo & manſuefaciēdo diſputata ſunt, reſtat vt aliud deinceps præceptum ſubiungamus. Quod ſi eum tanquam vinculis ſolutum tractare, & contendere adverſus ventrem auribus, vt Cato dicebat, carentem difficile fuerit: danda eſt opera, vt ciborum qualitate copiam minus moleſtam reddamus. Itaq; eos cibos, qui ſolidi ſunt, multúmque habent nutrimenti, (carnes puta, caſeos, ficus aridas, oua aſſa, & qui horum ſunt ſimiles) quando ſemper averſari vix poſſumus: tenues & leues arripiamus interim, cuius generis olera ſunt pleraque, & aues, & piſces non pingues. Licet enim his veſcentem & gratificari appetitui, & corpus non affligere.

Carnis eſus.

Maximè autem cruditates metuendæ ſunt ab eſu carnium. nam hæ & initiò ſtatim valdè prægrauant, & reliquias poſt ſe malas relinquunt. Ac optimum quidem erat, ita corpus adſuefacere, vt nullum id carnium requireret eſum. non enim ad nutriendum modò largiter ſufficientia tellus producit, ſed etiam ad delectationem voluptatémq; facientium copiam: quibus partim nullum apparatum alium requirentibus veſci poſſis, partim ſexcentis modis miſcere & ſuauia redigere. Sed quando conſuetudo, nō quidem omnino naturæ ea adverſa, in naturam iam abiit, carnibus veſcendum eſt ſanè: non tamen ad explendum appetitum, vt lupi faciunt ac leones: ſed cum eas tanquam fundamentum quoddam & munitionem qua reliqui cibi cōtineantur ingeſſerimus, alij deinde cibi atq; obſonia addantur, quæ & naturam corporis noſtri propiùs attingant, & mentem minùs hebetent noſtram, velut ex tenui & facili materia incenſam.

Potus.
Lac.
Vinum.

De liquoribus, lac quidem vſurpandum pro potu non eſt, ſed vt cibus vim validam, & ad nutriendum copioſam habens. De vino id pronunciabimus, quod de Venere Euripides:

Adſis mihi, ſed mediocris:
Neq; me deſtituas.

Eſt enim vinum & potuum vtiliſſimus, & medicamentorum ſuauiſſimum, & de obſoniis omnibus gratiſſimum appetitionibus noſtris, ſi occaſione magis etiam quàm a qua ſit probè temperatum.

Aqua.

Aqua, & vino ſi miſceatur, prodeſt: & quæ pura inter diluti vſum bibitur, ipſum dilutum reddit minùs noxium. Itaq; in quotidiano victu adſuefacere nos debemus, vt duo vel tria pocula aquæ ebibamus. hæc & vſum vini emolliet, & corpori familiarem reddent aquæ potum, ne cùm ea pota opus ſit, inſolentia rei offendamur ac recuſemus. Non enim deſunt, qui quo tempore maximè aqua erat bibēda, ad vinum ferant: vt cùm Solis calore vſti ſunt, cùm horruerunt, cùm vehementiùs

per-

perorauerunt, cùm maiore animi contentione de aliqua re cogitauerunt. deniq; à defatigatione & contentione vinum existimant bibi debere, quòd ipsa videatur natura quandam corpori bonam affectionem, & post labores mutationem exposcere. Atqui non voluptatem (siquidem hoc bona affectione intelligi velis) natura requirit, sed mutationem quæ medio inter voluptatem & dolorem loco constituat. Quapropter in his casibus & cibi aliquid detrahendum est, & vino aut abstinendum omnino, aut vtendum diluto interim multa aquæ potatione. cùm enim natura sit vinum impetuosa & acri, conturbationes corporis intendit, atq; exasperat, & partes affectas iritat, de mitigationem desiderantes ac læuigationem. quam rem aqua præstare optimè potest. Etenim si etiam non sitientes aquam bibamus tepidam à defatigatione, cõtentione virium, & æstu: sentimus internas partes relaxari & leniri. placida est enim aquæ humiditas, & quieta: cùm vini humiditas impetuum habeat multum, vimq; recentibus affectionibus nequaquam amicam aut æquam. Sin verò est, qui acrimonias illas & acerbitates metuit, quas nonnulli dicunt inediam ingenerare, aut sicvt pueri miserum putat si febre imminente malum præsagiens non occupet cibo vesci: limes est inter has res optimè congruens, aquæ potus. nam ipsi etiam Baccho sæpenumerò sacra Nephalia, id est sobrietatis, peragimus: rectè nosmet ita comparantes vsu, vt non semper merum desideremus. Minos quidem luctus causa tibiam sacrificio ademit & coronam: cum tamen sciamus animum qui in dolore sit neque coronis lædi neq; tibiarum cantu. Corpus autem ita validum est nullum, cui conturbato & inflammato vinum adhibitum non adferat aliquid damni. Lydos aiunt fame premente alternis diebus cibum sumendo, & ioco se lusúq; oblectando tempus contriuisse. Sed hominem litteris Musisq; deditum, sicvbi tardiùs cœnare oportebit, proposita aliqua geometrica descriptio, aut libellus, aut cithara, non patientur à ventre agi ac ferri: sed ad hæc subinde convertens à mensa & transferens cogitationes, Musarum ope concupiscentias velvti harpyas quasdam abiget. Scythæ cùm poculis indulgent, subinde arcum tangunt, neruóq; sonitum edentes animum crapula dissolutum revocant: & homo Græcus metuat irridentes ipsum, quòd immodestam pertinacémq; cupiditatem libris & litteris paulatim emollit atq; demulcet? Apud Menandrum leno quibusdam adolescentulis insidiatur, introducendis formosis & sumtuosis scortis: sed eorum quisq;, vt ibi dicitur,

Avocatio animi à nimiis appetitionibus cibi.

Edebat, in sese intuens, bellaria;

scilicet metuens inspicere scorta, idq; cauens. eruditi verò, pulcras, multas, eásque iucundas habent res in quas à gulæ iritamentis animum oculósq; divertant, si aliter non possunt apposita mensa compescere cupiditatum impudentem ferociam. Iam aleptarũ & pædotribarum voces, subinde inculcantium alimentum disputationibus in cœna litteratis corrumpi, capútq; grauari: tum pondus habere sinamus, cum Indum, fallaciam illam sophisticam, cœnantes dissoluturi, aut de cornuta, quam vocant, ratiocinatione sumus disputaturi. Cerebrum Phœnicis dulce admodum est, sed dolores capitis inducere fertur. At dialectica in cœna bellarium est nequaquam dulce, interim tamen caput vehementer lædit ac fatigat. Quod si isti nihil etiam aliud sub cœnam quærere ac philosophari nobis permittunt de iis rebus, quæ pulcræ iuxtà sunt, & vtilem præbent oblectationem: iubebimus, vt molestiam nobis facessere desinant, inq; Xysto & palæstris apud athletas disputent, quos à libris abalienatos, totos dies facetiis & scurrilibus iocis exigere adsuefaciunt, & vt scitè Aristo dixit, similes columnarum in gymnasio, nitidos scilicet lapideósq; fecerunt. Nos autem medicis pareamus, qui monent semper inter cœnam & somnum faciendam aliquam intercapedinem: ne cõgestis in corpus cibis & oppresso spiritu, confestim crudo ac feruido alimento aggrauemus vim concoctricem, sed respirationem & relaxationem concedamus. Ergo sicvt qui mouenda post cœnam corpora affirmant, non cursu aut pancratio id faciunt, sed lentis ambulationibus, & choreis modificatis: ita nos quoq; existimabimus à cœna animos nostros exercendos esse, non sanè negociis, non curis, neque sophisticis concertationibus, quæ ad ostentationem aut animorum motus concitandos tendunt. Sed multæ de rebus naturalibus quæstiones faciles ac probabiles suppeditant: multæ narrationes quæ ad disputationem de moribus faciant, nõ eam asperam, sed vt Homerus appellat menoeikea, id est, animum demulcere quæ possit. & historicæ ac poë-

An in cœna vel post cœnam disputandum.

Iliad. 1, 227, alibi.

ticæ quęſtiones non ineleganter quidam litteratorum hominum ſecundas menſas dixerunt. Sunt & narrationes non moleſtæ, & fabularum recitationes, & de tibia aliquid lyráve colloqui facilius eſt quàm ea ipſa audire. Terminus autem temporis hic præfigitur, vt iam alimento ſenſim ſubſidente ac conſpirante ſuperior eſſe idq; elaborare poſſit concoctio. Porrò Ariſtotelis de ſententia cœnatorũ exſuſcitat ambulatio, ſomnus à cœna ſtatim captus ſuffocat calorem: alij aũt quiete adiuuari concoctionem, motu perturbari digeſtionem nutrimenti putant. ideóq; aliis vt à cœna ſtatim deambulent, aliis vt quieſcant perſuaſum eſt. Vtriuſq; conſilij videtur ſcopum non ineptè attingere, qui fouens à cœna quietúmq; ſeruans corpus, animum non illicò ocio det, ſed (vt dictum eſt) dicendo & audiendo ea quæ blanda ſunt & neque mordent neque grauant, ſpiritus digerat atq; attenuet. Vomitus & purgationes ventris per medicamenta, turpia redvndantiæ remedia, ſine magna neceſſitate non debent vſurpari. quod vulgo faciunt, vacuationis cauſa replentes corpus, & rurſum repletionis gratia exinanientes, contra naturam non minùs repletionis quàm vacuitatis intolerantes: immò prorſus & plenitudinem vt impedimentum fruitionis moleſtè ferentes, & vacuando ſubinde receptaculum voluptatibus parantes. cum quidem euidens ſit, quid damni inde ſequatur: vtroque enim corpus conturbatur & convellitur. Hoc peculiare vomitui eſt malum, quod inſatiabilitatem auget atque alit. Fit enim fames * velvti concuſſis alueis aſpera & turbulenta, attrahitúrq; vi alimentum, non citra dolorem: appetitúſque excitatur non alimentum requirentis famis ſitiſve ſimilis, ſed inflammationi quæ medicamentorum hauſtum applicationémve requirat. inde voluptates naſcuntur celeres & imperfectæ, multum habentes pulſus atque exagitationis atq; ſtimulorum: quibus ſuccedunt contentiones & ictus meatuum, & ſpiritus includuntur, qui non exſpectare poſſint naturalis evacuationis tempus, ſed in ſuperficie corporum verſentur, eáque ſimilia faciant nimis oneratarum nauium, in quibus mercium iactura, non rerum ſupervacanearum opus eſt. Alui autem conturbationes, vbi medicamentis corrumpuntur atq; liquantur certi humores, plus addunt ſuperflui quàm educunt. & ſicvt Græcus grauiſſimè erraret, qui Græcæ in vrbe turbæ multitudinem moleſtè ferens, Arabibus & Scythis convenis vrbem impleret: ita nonnulli longiſſimè à recta ratione abſunt, qui eiiciendorum è corpore redvndantium humorum cauſa, qui familiares corpori ſunt & cõſueti, in corpus iniiciunt coccos Gnidios, Scammoniam, aliáq; medicamenta à temperie corporis aliena & ſæua, ac quæ expurgari debeant potiùs, quàm corpus purgare poſſint. Hac igitur in re optimum eſt, moderata & temperante victus ratione corpus ita comparare, vt vltrò ſit ad evacuationes & repletiones rectè compoſitum. Quod ſi tamen aliquando neceſſitas efflagitet, vomendum eſt, citra tamen medicamenti vſum & nimiam operam, nulla corporis cum conturbatione: ſed iis quæ redvndant ſponte ſua per gulam foras redeundi permittenda cruditatis vitandæ cauſa facultas. Sicvt enim lintea quæ ſaponibus aut nitro detergentur, mundiora redduntur quàm ſi aqua eluerentur: ita medicati vomitus corpori noxam perniciémq; inferunt. Vbi autem adſtricta fuerit aluus, nullum ad eam laxandam medicamentum ita valet, vt cibi nonnulli, qui & molliter eam irritant, & ſoluunt placidè. quorum & peritia familiaris, & vſus doloris vacuus eſt. quibus tamen ſi non moueatur, adhibenda eſt aliquot dierum potio aquæ, aut inedia, aut clyſter potiùs, quàm conturbantia ac corrumpentia corpus medicamenta iſta, quę nonnulli arripiunt, quo modo libidinoſæ mulieres abortum aut fœtus interitum efficientia pharmaca, vt impleri rurſum & voluptates poſſint percipere. Verùm hos omittamus. Alij ab altera parte ſunt nimis accurati, & qui ſtatis temporum converſionibus inediam ſibi imperant. nõ rectè ij naturam nulla eius vrgente neceſſitate cogentes ob conſuetum temporis articulum defraudare ſeipſam, & neceſſario, cum opus non ſit, alimento ſuo priuari. Præſtat autem his corporis caſtigationibus vti liberis, ita vt non præſentiantur antè, aut earum ſuſpicio ſubſit: ac totam victus rationem ita inſtituere, vt ad quaſvis mutationes obediens corpus, non obligatum mancipatúmve vni ſit formulæ, aut præceptis animo dierum numeris ſiue circuitibus. Nam neque tutum, neque facile, neque ciuile, neque homini, ſed conchylio conveniens eſt, aut trunco, genus viuendi illud immutabile & coactum: vbi quis in vmbratilem ſeſe, ocioſam, ſolitariam, & amicorum expertem obſcurámque vitam quàm longiſſimè à republica abdens, cibis & abſtinentia, motibus ac quiete vteretur neceſſitate quadam ſibi

Ambulatio à cœna.

De vomitu & purgationibus medicis.

Inſtatus inediæ.

sibi vltrò imposita præscriptis. idq; nullo mihi modo probatur. Non enim ocio ac inertia vænalis est sanitas: quæ duo maxima sunt malorum morbos comitantium. Et si quis bonam valetudinem quiete & actionum abstinentia putat se paraturum, perinde facit, ac si quis nihil dispiciendo oculos, aut vocem non loquendo conseruare instituat. quid enim ad tam multas & hominis officio consentaneas actiones proderit ei sanitas? Proinde desidiam salubrem esse, minimè putandum est. qui enim nihil agunt, sani non possunt verè dici: cùm cuius rei causâ sanitas expetitur, eam ignauia perimat. Neque verò ocio sanitatem Xenocrates quam Phocion, aut Theophrastus quam Demetrius Phalereus maiorem est consecutus. et Epicuro, eiúsq; sectatoribus nihil ad tritam illam corporis bonam affectionem contulit adiumenti omnium seriarum & ad gloriam pertinentium actionum fuga. Equidem omnis generis curis conseruanda est corporis naturalis constitutio: cùm nullum vitæ genus vicissitudini bonæ aduersæq; valetudinis non sit obnoxium. Sed præcipuè in republica versantibus præcipiendum est contrario atque adolescentulis Plato consuluit modo. Solebat is quoties è schola discederet dicere: Videte pueri, vt ocio ad honestam aliquam rem vtamini. nos autem illis mandabimus, vt labores in res pulcras necessariásque insumant, neq; ob vilia aut exigua negocia corpus fatigent. Multi enim quauis de causa seipsos affligant vigiliis, peregrinationibus, circuncursitationibus, nulla proposita vtilitate, nullo fine laudabili: sed quia aliis nocere cupiunt, invident, contentiosè adversantur, aut sterilem inanémq; sectantur gloriolam. In quos ego præcipuè existimo competere dictum illud Democriti: Animum, si damni infecti postularetur à corpore, damnatum crimine eo iri. Apparet quidem Theophrastum à vero non aberrasse, cùm translatione verborum quadam vtes pronunciaret, Grandem pro conducto domicilio mercedem corpori animum dependere. Sed tamen plura ob animum eveniunt corpori mala, si hoc ille non secundum rectæ rationis præscriptum vtatur, neq; quantam convenit eius curam gerat. Solet enim animus, dum in suis priuatim est affectionibus, conatibus, & institutis, corpore nimium abvti. Iason sanè Pheræus ille, nescio qua ratione adductus, iniustè quædam minuta agenda aiebat, vt iustè possent magnæ res confici. Nos rationi convenienter ciuilem hominem hortabimur, vt in rebus paruis remissionem admittat, ibiq; ocio & quieti indulgeat: si quidem velit ad præclaras & honestas rationes afferre corpus non lassatum laboribus, nō hebes, non succumbens oneri, sed in ocio (sicvt in naualibus naues solent) refectum: vt animum ad vsus necessarios vocantem,

Lactens equum pullus vel vt possit sequi.

Eam ob rem concedentibus negociis recreare nosmetipsos debemus, ac neq; somno defraudare neq; prādio corpus, sed eam consectari corporis gratam affectionem, quæ inter voluptariam sit & doloribus infestatam media. quem limitem non obseruantes quidam, mutationibus corpus adflictant, modò nimis pressum duratúmq; laboribus, ferri instar quod è flammis aquæ immersum duriciem accepit, rursus voluptatibus immodicè colliquantes & atterentes, modò dissolutum venere & vino emollitúmq; in forum, aulam, aliúdve negocium quod feruente & contento opus habet studio conicientes. Heracletus aqua laborans intercute, à medico postulabat vt imbrium abvndantiam in siccitatem converteret. At pleriq; in summo versantur errore, qui cum defatigatio, labor, indigentia vsu venerunt, tum maximè corpora sua voluptatibus humectanda (sic dicere liceat) & colliquanda exhibent: rursúsq; à voluptatibus ad labores convertunt & intendunt. Non enim hanc compensationem natura exigit. quippe cùm hoc modo illiberalibus & libidinosis motibus animi à grauibus laboribus ad voluptates deliciásq; impudenter conversis rursúmq; post voluptates perceptas animo corpus ad labores negociationésq; protrudente, natura non possit eam, quam maximè desiderat constitutionem & (vt nautica vtar locutione) tranquillitatem adipisci, inæqualitate ista semper turbante & tempestates concitante. At enim qui sana vtuntur mente, ij nequaquam corpori voluptates conciliant, dum in labore est. quippe omnino eas tum temporis non requirunt, neque meminerunt animo honestati actionis intento, eiúsque lætitia & seriis cogitationibus alias cupiditates opprimentibus. Quod enim Epaminondas ioco dixit, viro præstante circa Leuctricæ pugnæ tempus morbo exstincto: Dij boni, quomodo in tantis negociis vacauit huic mortem obire? id verè vsurpare possis de viro vel actionem ciuilem, vel philosophicam

Ocium non facere ad sanitatem.

Quando ocio & delectationi indulgendum.

aliquam disputationem præ manibus habente: Vnde huic homini nunc suppeditauit ocium cruditate laborandi, vino se obruendi, aut veneream libidinem exercendi? Defuncti autem iidem laboribus, nactique ocium, corpus quiete reficiunt, non tam invtiles labores, quàm non necessarias voluptates, vtpote naturæ inimicas, vitantes atque fugientes. Auditu accepi, Ti. aliquando Cæsarem dixisse, Ridiculum esse virum eum, qui annum vitæ egressus sexagesimum, manum medico porrigat. Hoc quidem mihi dictum aliquanto videtur proteruius. Ita autem sentio, debere vnumquenque & cognitas habere pulsuũ suis in arteriis proprietates, (multæ enim singulis sunt differentiæ) neq; ignorare, qua temperie corpus sit caloris aut siccitatis, quibúsve rebus iuuetur aut lædatur. se ipsum enim non sentit, suóq; in corpore cæcus inhabitat ac surdus, qui hæc ex alio cognoscit, & medicum percunctatur, æstaténe an hyeme melius valeat, commodiúsne humidis quàm siccis vescatur, naturáne crebrum habeat an rarum pulsum. Hæc & vtile est habere cognita, & facilè percipiuntur studio atq; vsu.

Cuiq; sui corporis debere esse notas proprietates.

Ciborum noticia.

Expedit etiam ciborum habere noticiam, vtilium potiùs quàm suauium, peritúmq; esse ventriculo convenientium potiùs quàm adversantium stomacho, & quæ cõcoctionem non perturbent, quàm quæ gustus sensum valdè titillent. è medico quærere, quid sibi facile sit aut difficile concoctu, quid ventri inimicum aut amicum, non minùs turpe est qàum sciscitari, quid sit dulce, amarum, austerum. Nunc vulgò coquorum corrigunt errata, peritè sentientes ipsi sicubi plusquam oportuit dulcedinis aut salsedinis aut austeritatis cibo sit admixtum: ignorantes interim quomodo temperari is debeat, vt corpori citra molestiam prosit. Itaq; in iure quidem condiendo apud eos rarò peccatur: seipsos autem vitiosè condientes quotidie, multum negocij medicis exhibent. Non enim id ius putant optimum, quod sit dulcissimum: sed & amara multa, acriáque admiscent. in corpus verò multa voluptatem conciliantia ad fastidium vsq; iniiciunt: siue ignari siue obliti naturam salubribus & vtilibus voluptatem molestiæ expertem stabilémq; addere. Itaq; cùm memoria tenere debemus quæ cognata & vtilia sint corporibus nostris, tum contrà in mutationibus tempestatum anni aliisq; circumstantiis subinde victus rationem convenientem vsurpare. Iam quæ multi damna sibi ipsis ob sordes & illiberalitatem inferunt, ob fructuum collectiones & conseruationes pervigilando ac hinc inde cursitando malè affectas corporis partes vitiúmq; intus alentes in apertum coniicientes morbum: metuendum non est ne eveniant litteratis & in republica versantibus viris, de quibus suscepta est hæc nostra disputatio. sed alia his cauenda est nimis anxia minimorum etiã momentorum cura in litteris & disciplinis versantibus, quæ eos eò necessitatis adigit interdum, vt rationem corporis non habeant, neq; parcant succumbenti laboribus, sed cogãt mortalem immortali, ac terrestrem æthereæ parti in elaborando æqualem pręstare industriã. Cæterùm vt camelo vsuvenit, quod ei bos pręd ixerat, cùm eidem seruirent domino, & parte oneris leuare ipsum camelus recusasset, Fore vt paulo pòst & ipsum, & totum onus cogeretur gestare: (mortuo enim boue id impletum est) ita animo quoq; contingit, vt dum defatigato corpori & quietem flagitanti nullam remissionem concedere vult, paulo pòst febri orta aut vertigine, libris & disputationibus omissis cogatur vnà ægrotare ac dolere. Rectè itaque Plato consulit, neq; corpus esse absq; animo, neq; sine corpore animum mouendum: sed quandam esse velvt iunctorum ad bigas equorum debere momentorum æquabilitatem. vt quo maximè tempore corpus animi conatus laborésq; adiuuat, eo id maximè etiam curemus atq; foueamus, pulcrámq; ei illam & amabilem sanitatem pręstemus: idq; nobis summum ab eo bonum, omnium quæ potest, exhiberi existimemus, cùm in cognitione virtutis vsúq; in dicendo & agendo nullum nobis obiicit impedimentum.

Parcendum corpori.

Coniu-

Coniugialia præcepta.

PLVTARCHVS POLLIANO & Euridicæ S. P. D.



OST patriam legem, quam vobis in cõiugialem thalamum conclusis antistita Cereris imposuit, arbitror etiam orationẽ nostram vtile aliquid legiq; consonũ facturam, si vos vnà cõpellet, hymenæumq; concelebret. De musicis modis vnus Hippothorus appellatus fuit quòd scilicet eo equi ad coitũ excitarentur. Sed cùm multæ sint in philosophia pulcræ disputationes, nulli eorũ postponenda videt̃ esse nuptialis oratio, quæ ad vitæ societatem coniungentes sese demulcẽs, placidos mutuò sibi cicuresq; reddit. Itaq; eorum, quæ vos in philosophia educati sæpe audiuistis, capita similitudinibus quibusdã breuibus cõplexus, vt eo faciliùs memoria teneri possent, commune ambobus donũ mitto, Musas comprecans, vt adesse Veneri, eiq; operam suam dare dignentur: non enim tam lyræ aut citharæ quàm coniugij & rei familiaris concentũ ab iis instrui oratione, concinnitate, & philosophia convenit. quando etiam prisci Mercurium iuxta Venerem collocabant, vt ostenderẽt matrimonij voluptatẽ maximẽ orationis indigere: itemq; Suadam & Gratias, vt docerent coniuges invicem quæ vellẽt impetrare debere persuadendo, non pugnando, aut rixando. Solon iubebat sponsam cum sponso concubituram priùs manducare malum Cydonium: innuẽs ea re, primam quæ ore & voce initur gratiam concinnam debere esse & suauem. In Bœotia sponsam velantes asphāragonia coronant. Hæc enim planta dulcissimum ex asperrima spina fructum edit: & sponsa non fugiẽti aut aspernanti quod primò insuauem se & difficilem ipsa præbet, mãsuetam ac dulcem vitæ sociam se præbet. Qui verò primas virginum dissensiones non sustinent, nihilo saniores iis sunt qui immaturæ offensi vuæ sapore, maturas aliis relinquũt. Multæ etiã recens nuptæ à maritis ob primas actiones abalienatæ animis, eadem sunt conditione qua qui ictum apis pertulerunt dimisso fauo. Sunt autem inito matrimonio præsertim principiò cauendæ dissensiones & offensæ: considerandũq; est vasa quæ ex partibus compinguntur, initio facilè quavis allisione divelli: vbi verò temporis progressu compages firmata est, solideq; coaluerunt, vix igni & ferro dissolui. Sicvt ignis in paleis aut pilis leporum facilimè exardescit, mox autem extinguitur, nisi materiam quæ ei sustinendo & nutriendo sit apta inveniat: ita amor recens coniunctorum à forma corporis incensus, durabilis & stabilis non est putandus, nisi in ipsis animis defixus mentemq; occupans viuam nanciscatur affectionem. Quemadmodum pisces medicamentis celeriter capiuntur, sed esui invtiles fiunt: sic mulieres quæ amoris poculis & veneficiis viros captãt, voluptateq; in suam potestatem redigunt, stupidos eos, vęcordes, corruptósq; deinceps vitæ socios habent. nam Circæ quidem nihil profuerunt ij quos veneficio mutauerat, neque vllam ad rem eis vsa est cũ in canes & asinos degenerassent: Vlissem autem prudentẽ virum, prudentérq; secum versantem supra modum dilexit. Quæ verò malunt fatuis imperare viris, quàm obtemperare prudentibus: eorũ sunt similes, qui in via cæcos ducere malunt, quàm vidẽtes & itineris peritos sequi. Non credunt mulieres Pasiphaen cùm regis esset vxor, bouem adamasse: cùm tamen videant quasdam, quæ austeros & temperãtes non ferunt, intẽperantibus & libidinosis, velvti canibus quibusdam aut hircis, libentiùs consuescere. Qui ob imbecillitatẽ aut molliciem nõ possunt insilire in equos, illos condocefaciunt vt se submittant ac ingeniculent. eodem modo quidam ducẽdis nobilibus vel opulentis vxoribus, non sese meliores redigunt, sed illas deprimunt, vt humilibus faciliùs imperare possint. cum oportuerit ratione habita vt magnitudinis in equo, ita dignitatis in muliere, fræno vti. Lunam videmus cum longè à Sole distat illustrem esse ac lucidam, obscurari autem cum ei appropinquat. contrà pudica mulier maximè cerni debet cum suo marito, eo autem absente domi se continere & abscondi. Non rectè est ab Herodoto dictum, simul cum tunica mulierem verecundiam exuere. quæ enim casta est, posita veste verecũdiam eius loco induit, maximáq;

Prima consuetudo.

Amor verus.

Imparum coniugium.

Verecundia.

verecundia coniuges tessera maximi invicem amoris vtuntur. Sicvt cum sumuntur duæ consonæ voces, cantus grauiori adscribitur: ita in familia rectè instituta omnes res geruntur quidem consensu coniugum, viri tamen vel imperium vel consiliū elucet. Sol Aquilonem vicisse aliquando traditur. cùm enim ventus adimere homini pallium vellet copioso flatu, arctiùs hic id contraxit atq; tenuit. Sole autem post ventum calidis radiis eum vrente, præ æstu simul cum pallio tunicam exuit. Hoc modo plurimæ agunt mulieres. maritis vi luxum eripere conantibus repugnant & irascuntur: placidis verbis suadentibus missum eum faciunt, mediocritatémq; seruant. Cato senatu mouit eum qui præsente filia osculatus erat vxorem. seueriùs fortassis æquo. Sed tamen si est (vt profectò est) turpe coniuges in præsentia aliorum blandiri, osculari, & amplecti sese invicem: quî non sit turpius coram aliis rixari & convicia mutua iacere? & cum quę ad amorem pertinent agantur in occulto, quî conveniens sit maritum in castiganda, reprehendendáve coniuge libertate vti aperta & omnibus conspicua? Sicvt speculum auro & gemmis ornatum nihil valet, nisi similem exhibeat rebus imaginem: sic diuitis mulieris nullus est vsus, vitam viro similem, morésq; consonos non gerentis. Vitiosum est speculum & prauum, quod læti imaginem tristem, tristis ac tetrici lætam atq; renidentem præbet. ita & vxor invtilis ac intempestiua est, quæ lusum quærente oblectationémq; viro toruum tuetur, serias res agente ludit ac ridet: quorum alterum insuauis est, alterum contemnentis maritū. Sed quemadmodùm geometræ dicunt lineas & superficies non seipsis moueri, sed motus corporum comitari: ita vxor debet non proprias habere affectiones, sed mariti seria, ioca, austeritatem vultus, risúmq; subsequi. Qui vxores secum edere ac bibere molestè ferunt, condocefaciunt eas vt solæ sese impleant: sic qui non hilarè cum vxoribus suis viuūt, iocísq; & risui socias non adhibent, docēt eas seorsim sibi voluptates quærere. Persarum regibus in cœna ac conviuiis adsident reginæ: verùm vbi ludendi & inebriandi incessit voluntas, eas amandant, & musicas pellicésque advocant. rectè hoc quidem, quod ebrietatis & libidinis suæ participes fieri vxores nolunt. Ergo siquis priuatus libidinis incontinens & malè moratus aliquid scorto aut ancilla abvsus deliquerit, nō indignari vxor aut iniquè ferre debet: sed existimare maritum veritum sua libidine & temulētia ipsi esse iniuriosum aliò divertisse. Reges si musicā ament, multos efficiunt musicos: si litteras, litteratos: si athletas, exercitationibus corporis deditos. ita vir si corporis cultui studet, vxorem ornādi corporis studiosam reddit, si voluptatibus indulget, libidinosam & meretriciā, si honestatem & pulcras res sectatur, temperantem ac modestam. Iuuencula quædam Spartana interrogata an iam cum viro rem habuisset, Non, inquit, sed vir mecum. hic modus, ni fallor, matronā decet, vt neq; fugiat neq; morosam se præbeat viro aliquid tale inceptante, neq; ipsa initiū faciat: hoc enim meretricium est & proteruum, illud superbum & ab amore alienum. Mulier amicos peculiares habere nō debet, sed viri amicis vti. Ergo cùm ex amicis primū potissimúmq; locum dij sibi vindicent, eosdem quos maritus nosse deos & colere solos vxor debet, supervacaneis autē religionibus & alienis superstitionibus fores occludere. nulli enim deūm grata sunt sacra, quæ mulier clanculum & furtim facit. Ait Plato felicem beatámq; eam esse vrbem, in qua hæ voces, Meū, non meū, rarissimè audiuntur: quòd ibi ciues rebus, quæ alicuius sunt momenti, quàm maximè vtantur communibus. E coniugio multo magis tolli istæ voces debent. Etenim sicvt medici aiunt ictus sinistrorum in dextris partibus sentiri: ita affici iis quæ viro eveniunt mulierem par est, atq; adeò vicissim. vt sicvti vincula alternis nexibus robur mutuò accipiunt, ita communitas coniugum reciprocam benevolentiam vtrinq; vsurpantium constet. Ipsa enim natura miscendis corporibus nostris vtrinq; partē sumit eásq; confundit, vt amborum commune sit quod producitur, neutríq; liceat quid suum, quid alienum sit discernere. Proinde talis opum communitas maximè coniugium decet, vt in vnā omnia congerant commisceántq; substantiam, neq; pars habitus alia propria, alia aliena habeatur, sed omnia propria ducantur, nihil alienum. Sicvt vinum aqua temperatum, tametsi aquæ adsit plus, vinum tamen vocamus. ita rem familiarem æquum est viri appellari, quanvis maiorem partem attulerit mulier. Inhiabat opibus Helena, voluptatibus erat addictus Paris. contrà Vlisses prudens, pudica Penelope. itaq; horum coniugium fuit beatū & dignum æmulatione: illorū coniunctio Iliadem malorū Græcis barbarísq; intulit. Romanus ille amicis castigantibus, quòd pudicæ, diuiti, formosæq; vxori

Viri imperium.

Vxor mariti similis.

Communitas rerum in cōiugio.

Lib. 5. de rep.

Aemilij Pauli est.

vxori nuncium remisisset: pede porrecto, Hic quoque, inquit, calceus pulcer adspectu est ac nouus, sed nemo scit vbi me premat. Ergo non doti, non natalibus, non pulcritudini fidere debet matrona, sed iis rebus freta esse, quibus maximè maritum tangit: consuetudine inquam, morum comitate, & obsequio: vt ea in singulos dies non dura, neque molesta, sed concinna & grata iucundáque præstet. Quo enim pacto medici febres ex occultis causis paulatimque collectis ortas periculosiores iudicant iis quæ illustribus & manifestis de causis exsistunt: eodem quæ plerosque fallunt exiles, continentes quotidianæq; offensæ coniugum grauiùs divellunt læduntque convictum. Rex Philippus deperibat Thessalicam quandam mulierem, quæ veneficio eum circumvenisse dicebatur. operam dedit Olympias, vt eam in suam redigeret potestatem. cùm in conspectum ea reginæ venisset, neque forma tantùm videretur egregia, sed & collocuta esset neque abiectè neque imprudenter: Facessant, inquit Olympias, calumniæ. tibi tua in teipsa sunt reposita veneficia. itidē eam benevolentiam mariti nulla res potest abolere quam vxor moribus & virtute sibi parauerit, dotem, genus, medicamenta, ipsúmque adeo Veneris cestum in sese ipsa collocans. Rursum Olympias cùm aulicus quidam adolescens formosam, sed malè audientem duxisset vxorem: Hic, inquit, si ratione esset præditus, nunquam profectò oculis matrimonium coiuisset. Enimverò non oculis, non digitis ista res agenda est: quod faciunt nonnulli, dotem supputantes sponsæ, non explorantes qualis in convictu sit futura. Socratis est præceptum, adolescentes, si in speculum intueantur, turpes formæ vitium debere morum virtute corrigere, formosos adhibere diligentiam, ne pulcritudinem prauitate morum contaminent. Sic matrona etiam in manibus speculum vbi erit, sic secum loquatur, deformis si est, Quid essem, si deforet pudicicia? sin elegante forma, Quanti fiam si accedat pudicicia? maius enim decus adfert deformi amor moribus conciliatus probis, quàm si ob pulcritudinem diligeretur. Lysander cùm Siciliæ tyrannus filiabus eius vestes cincinnósque preciosos mitteret, dona ista repudiauit: quòd diceret hoc ornatu filias suas dedecoratum potiùs quàm ornatum iri. Sed prior Lysandro id docuit his versibus Sophocles:

Mulier omnia in se reposita debet habere.

Speculi vsus.

Ornatus.

Non hæc ornatus, sed deformitas, tuæ
Mentis (miser) putabunturq; insania.

ornatus enim, vt dicebat Crates, est id quod ornat. præstant autē hoc ea, quę decētiorem faciunt mulierem. non autem id aurum potest, aut smaragdus, aut coccina tinctura, sed quæ grauitate, modestia, ac verecundia informant. Qui Iunoni nuptiali seu pronubæ sacrificant, ij fel non cum reliqua conficiunt victima, sed exemtum apud altare abiiciunt. quo instituto legis autor obscurè significauit, coniugio nunquam debere bilem iràmque interesse. nam matrisfamiliâs austeritatē esse oportet, vt & vini, vtilem suauitatéque conditam: non aloes in morem acerbam, & quæ medicamenti instar ingrata sit. Xenocratem Plato, virum bonum & honestum alioqui, sed moribus aliquanto seuerioribus, hortatus est vt Gratiis sacrificaret. existimo autem pudicæ mulieri apprimè apud virum gratiis opus esse, vt, quod aiebat Metrodorus, suauiter cum eo vitam degat, neque pudicicia sua stomachum ei moueat. nam neque mundicies frugali, neque blandiciæ ei quæ maritū diligit, negligendæ sunt: cùm morositas insuauem reddat modestiam, itémque sordes simplicitatem. Quæ arridere viro metuit, aut aliquid aliud id genus facere, ne videatur proterua & audax, nihil ab ea distat, quæ vt non videatur vnguento caput habere delibutum, etiam oleo abstineat, & ne fucare faciem putetur, ne lauet quidem eam. Videmus verò poetas atque oratores, qui genus loquēdi plebeium, illiberale, ac malè affectatum vitant, rebus ipsis & earum dispositione ac sententiis artificiosa industria cōparatis delectare ac mouere auditores. ita sanè matrona etiam rectè faciet, si omnia supervacanea, meretricia, & ad pompam pertinentia fugiat atque repudiet: in eóque operam ponat, vt moralibus & ad vsum vitæ pertinentibus officiis maritum demereatur, pulcritudinique vitæ cum voluptate coniunctæ eum adsuefaciat. Si qua tamen natura est austera, nihilq; iucundi admixtum habet ingenio, neque vsu vitæ suauior reddi potest: æquo animo id ferre maritum decet. & sicvt Phocion Antipatro respondit, parum honestam à se rem petenti, Non potes me & amico vti & adulato-

Ira.

Venustas.

re: ita iudicare de pudica & austera matrona, Non posse cum eadem se & vt vxore & vt scorto viuere. Aegyptiæ mulieres maiorum instituto calceis non vtebantur, vt domi meminissent tempus exigendum. hodie domi mansuræ sint pleræꝗ, si aureos calceos, & armillas, & periscelides, & purpuram atque vniones auferas. Theano tunica se amiciens cubitum exeruit. & dicenti cuidam, Pulcer hic cubitus est, respondit: Atqui non est publicus. cæterùm pudicæ non cubitus solùm, sed & sermo publicus esse non debet, voceꝗ ad alienos, tanquam parum conveniente denudatione, abstinendum ei est. in voce enim insunt indicia omnis generis animi affectionum. Eleorum Venerem Phidias fecit, quæ testudinē calcaret: quo signo mulieres domi sibi degendum esse, seruandúmꝗ silentium monerentur. nam aut viro, aut per virum mulieri loquendum est, neque indignè ferendum, si vt tibicen aliena lingua vocem edit propria grauiorem. Diuites & reges cum philosophos in honore habent, & se & eos ornant. philosophi diuites si demerentur, non gloriam illis addunt, sed sibi ipsis auferunt. Simili ratione mulieres laudem merentur, cùm se maritis submittunt: imperiū affectantes, plura contra decorum agunt, quàm ipsi viri qui dominium hoc sustinent. Imperare autem maritus mulieri debet, nō vt dominus rei quam possidet, sed vt animus corpori, iisdem affectibus obnoxius, & benevolentia devinctus: vt autem animi est curam corporis gerere, non tamen voluptatibus eius inseruire ac cupiditatibus: ita lætum esse debet & officiosum mariti imperium. Corporū philosophi alia aiunt ex partibus deiunctis constare, vt classem, exercitum, alia ex compactis, vt domum, vt nauim, alia ex vnitis & in vnam naturam concretis, vt animalium. id si huc accōmodare libeat, coniugium quoꝗ mutuò amantium, ex vnitis constat: dotis liberúmve gratia cohærens, ex compactis: concubitu solo iunctorum, ex deiunctis, quales cōtubernio vti quàm vitæ communitate rectiùs censeas. Sicvt autem humores physici dicunt totos totis permisceri, ita oportet matrimonium contrahētium, corpora, opes, amicos, familiaresꝗ invicem confundi. Etenim Romanus legislator lege cauit, ne coniugum alter alteri donaret quicquam: non vt nullius rei participes fierēt, sed vt omnia communia iudicarent. Lepti, quæ Africæ vrbs est, moris est patrij, vt postridie nuptiarum sponsa ad socrum mittat petitum ollam. illa verò negat, neꝗ se habere ait: vt nouercalem socrus animum initio statim sponsa experta, si quid postmodò cōtingat asperius, non ferat iniquiore animo. Hoc nosse convenit mulierē, & obviam ire offensarū occasioni. petit autem hæc ex æmulatione benevolētiæ, cui mederi hac vna ratione potest, si peculiarem sibi mariti concíliet benevolentiā, eam qua is matrem prosequitur non avertat aut deminuat. Filios matres magis amare videnť, quod ab his se adiuuari posse putant: filias patres, vt suo præsidio indigentes. & qui se mutuò honore afficiūt, operam dant vt quod alteri maximè familiare est, id alter gratū habere, eóꝗ apprimè se delectari præ se ferat. Verùm id fortasse aliquid diuersitatis habet. Illud scitum est, si mulier mariti parentibus conspiciať plus honoris tribuere quàm suis, & si quid molestū accidit, suos id celans ad viri deferat parentes. fidem enim nobis paramus apud eos, quibus nos confidere ostendimus, & amorem apud eos, quos diligere credimur. Cyri militibus duces mandauerunt, vt hostes cum vociferatione irruētes taciti exciperent, tacentibus autē eis ipsi sublato clamore occurrerēt. Prudentes itidem matronæ viris ex ira vociferantibus tacent, silentes alloquio demitigant. Rectè Euripides incusat eos qui lyra vterentur ad vini potum. erat enim musica ad sedandas iras luctúsꝗ potiùs vocanda, quàm ad encruādum eos qui iam antè erant in voluptate. Vos quoꝗ existimate perperam coniuges facere, qui voluptatis percipiendæ gratia concumbunt, cùm verò aliquid iræ & dissidij obortū est, secubant: neꝗ tum potissimùm Venerem advocāt, quæ his malis optimè solet mederi. quod & Homerus alicvbi docet, Veneri hunc sermonem tribuens:

Ornatus. *Silentium.* *Communitas.* *Socrus.* *Medea: verba nutricis.* *Irarum remedium.* *Iliad. ξ, 205.*

Dissidiis quorum longis imponere finem,
Et thalami insueto iamdudum iungere nexu
Constitui.—

Semper quidem & vbiꝗ locorum cauendæ sunt cōiugibus offensiones mutuæ, maximè autem ne in concubitu incidant opera danda. Quædam cum vrgeretur doloribus partus instantis, reclinantibus ipsam in lectum dixit: Et qui possit mederi lectus his malis, in quæ in lecto incidi? sed quæ in lecto nascuntur dissensiones, iurgia, iræ, difficulter possunt alio loco & tēpore aboleri. Hermiones videť verū esse hoc verbū:

Me

Me perdiderunt ad me ventitando mulieres malæ.

Eurip. Andromacha.

verùm id non simpliciter fit, sed cùm discordiæ & obtrectationes adversus maritos talibus mulieribus non fores duntaxat, sed aures etiam patefaciunt. Itaque tunc maximè quæ sapit aures occludet susurris istis, ne ignis igni addatur. habebítque in promtu Philippi illud, qui fertur amicis in Græcos eum concitantibus, quod beneficiis ab ipso affectos maledicere ei dicerent, respondisse: quid ergo agent, si malè ipsis fecero? & cum mulierculæ calumniatrices dicẽt, Amantem sui te & pudicam vir iniquè tractat: Quid ergo, dicet, fiet si odisse eum & iniuriis afficere inciperem? Fugitiuum quidam seruum aliquanto pòst tempore cum vidisset, & insequeretur, ísque in pistrinum profugisset, Nõ erat, inquit, locus vbi te mallem invenire, quàm hîc. Ita mulier quoque discidij libellum meditans ob obtrectationem: séque affligens, ita secum dicat: quid verò riualis mea maiore cum voluptate cernat, quàm sic me excruciari, & cum viro dissidere, domúmq; eius & thalamum deserere? Athenienses tres arationes sacras obeunt. vnam in Sciro, antiquissimæ segetis monimentum: secũdam in Raria, tertiam sub ipsa vrbe, quam à iugo boum Buzigiũ nuncupant. His omnibus sanctior est aratio atque satio procreandorum liberùm. & Venerem Sophocles præclarè vocauit fertilem Cythaream. itaque huic maximè cum cautione est danda opera viro & mulieri, abstinendúmque incestis & contra leges pugnantibus consuetudinibus, neque seminandum vnde nihil nasci velint, aut si quis existat fructus, eius pudeat & occultetur. Gorgia oratore Olympiæ orationem recitante, qua concordiam Græcis suadebat, Melanthius: Hic, inquit, nobis de concordia consiliũ dat, qui sibi ipsi, vxori, & ancillæ, tribus duntaxat priuatim hominibus, concordiam non persuasit. videbatur enim amare ancillã Gorgias, & ancillæ ea de causa obtrectare vxor. Ergo probè concinnatam habeat familiam oportet, qui concionem aut amicos cõcinnare conatur. faciliùs enim mulierum peccata vulgus fallant, quàm quæ ipsi adversus eas delinquimus. Felem aiunt vnguentorum odore ad insaniam redigi. eodem modo si vnguentis mulieres afficerentur, flagitium vtique esset non abstinere vnguentis viros, sed exiguæ voluptatis causa tantam pati illis evenire miseriam. Quando igitur mulieres ad insaniam adigit non vnguẽti vsus, sed maritorum cum meretricibus coitus: profectò iniustum est, voluptatis gratia paruæ tantum doloris atque perturbationis vxori inferre: ac nõ potiùs purũ intactúmq; ab omnibus aliis mulieribus ad vxorem accedere: sicvt ad apes solemus, quas creditum est iritari & pugnare, si quis re cum muliere habita aggrediatur. Qui ad elephantos accedunt, splendido, qui ad tauros, puniceo vestitu non vtuntur, quod his coloribus animalia ista in rabiẽ vertuntur. tigres traditum est tympanorum circùm pulsatorum sonitu omnino in furorem cõiici ac divellere seipsas. Cùm itaque viri quoque sint, quibus coccinæ & purpureæ vestis conspectus sit molestissimus, aut qui cymbala & tympana ægrè ferant: quid habet difficultatis abstinere his mulieres, neque perturbare aut iritare maritum, sed placidè & constanter cum eo degere? Mulier quædam Philippo invitam se trahenti Missam me fac, ait: sublata enim lucerna quævis mulier cuiusvis est similis. id rectè dictum est in adulteros & libidinosos. Matrona verò maximè exstincta lucerna debet nõ cuiusvis mulieris similis esse: sed cum corpus cerni nequit, elucere pudicicia eius, vnius viri studium, modestiáque & amor. Plato senes hortabatur, vt coram adolescentibus verecundè agerent, vt sic revereri senes illi discerent. vbi enim inverecũdè se gerunt senes, ibi nullam censebat adolescentibus verecundiam ingenerari posse. Hoc memoria tenere maritus debet, neque vllibi magis quàm apud vxorem verecundiam adhibere, sentiens ei thalamum scholam esse aut modestiæ aut impudicicię. Qui autem ab iis voluptatibus vxorem avertit, quibus ipse fruitur, perinde agit ac qui iubeat mulierem contra hostes depugnare, quibus sese ipse dediderit. De ornatus verò studio, te quidem, Eurydice, legere, ac memoriæ mandare velim quæ ad Aristyllam scripsit Timoxenes. tu autem, Polliane, noli putare vxorem sibi à cultu supervacaneo & sumtuoso temperaturam, si in aliis rebus videat te sumtui indulgere, & gaudere auro inducẽdis poculis, ædibus pictura, mulis & equis phaleris ac tegminibus preciosis ornando. Non enim potest gynæceo luxuria sumtuosa eiici, quæ in medio obversatur virorum conclaui. Ac tu quidem ætate iam ad philosophiam matura, iis quæ demonstrantur ac cum apparatu docentur mores exorna tuos, & eam ob rem cum iis, ex quibus vtilitatis capere potes aliquid, versare ac colloquere. apum verò

Susurri cauẽdi. *Liberûm procreatio.* *Verecundia.* *Ornatus.*

instar optima quæque vndique colligens, tecúmque domum ferens, mulieri tuæ imperti, colloquendóque amica ei & familiaria optima quæque dicta reddito.

Iliad. ξ, 429.

Namq; es ei pater et frater, venerandáq; mater:

vt illa apud Homerum de suo marito dicebat. ego autem sic iudico, non minus facere ad dignitatem viri, si mulier eum suum præceptorem, philosophum, magistrúmque appellet, rerum quidem diuinissimarum ac pulcerrimarum. Huius enim modi disciplinæ id præcipuum habent, quod ab ineptis rebus studiisque animos mulierum abducunt. pudebit nimirum saltationis mulierem geometriæ gnaram & magicis incantationibus se capi non patietur, Platonicis Xenophonteisque incantata disputationibus. Quod si qua erit, quæ se de cœlo Lunam detracturam polliceatur, stultitiam imperitiámque deridebit mulierum, quæ ista sibi persuaderi passæ sint. quippe non rudis astrologiæ, & quæ auditu perceperit, quo pacto Aganice filia Hegetoris Thessali perita pleniluniorũ in quibus deficit lumine luna, cùm præcepisset ratiocinatione quo tempore luna in vmbram illapsura foret, imposuerit mulieribus, persuaseritque se lunam cœlo detrahere. Equidem nunquam auditum est mulierem absque viri consuetudine prolem edidisse. informes autẽ fœtus ac carnis moles quæ ex corruptis humoribus in vteris coëunt, molas vocant. quod vitij cauendum est ne in animis mulierum contrahatur: qui nisi semina honestæ doctrinæ concipiant & instituantur virorum opera, ipsi ex sese opiniones absurdas, affectúsque prauos multos gignunt. Tu verò Eurydice in id maximè incumbe, vt sapientum præstantiúmque hominum scitè dicta tibi reddas familiaria, sempérque in ore habeto voces istas, quas virgo etiamnum è nobis percepisti, vt & virum exhilares, & apud alias mulieres ob ornatum ita multiplicem, ita decentem in admiratione sis, præsertim nulla partum impensa. Nam diuitis alicuius mulieris vniones, aut alicuius peregrinæ sericas vestes adipisci iisque te ornare non possis, nisi magna emas pecunia. sed Theanûs ornamenta, & Cleobulinæ, & Gorgûs quæ Leonidæ fuit vxor, & Timocleæ quæ Theagenis soror, & Claudiæ illius priscæ, & Corneliæ Scipionis sororis, aliarúmque illustris famæ mulierum gratis licet tibi sumere, iisque te condecorare, vitámque viuere gloriosam atque felicem. Si enim Sappho ob carminum quæ pangebat elegantiam tam magnificè de seipsa sensit, vt ad diuitem quandam sic scribere non dubitauerit:

Litteræ mulieribus vtiles.

Te simul lethum rapiet, iacebis,
Nec suo quisquam celebrabit ore:
Particeps non es quoniam rosarum
Pieriarum.

cur non altiores tibi liceat ducere spiritus, quæ non rosarum, sed fructuum compos facta sis, quos Musæ ferunt largiunturque iis, qui doctrinam & philosophiam magni faciunt.

Plutarchi Septem sapientum

Conuiuium.

Diocles.



MAGNAS nimirum tenebras, Nicarche, ingentémque obscuritatem rebus offundet temporis longinquitas, quando iam nunc falsis sermonibus compositis de rebus quarum recens adhuc memoria est, fides adhibetur. Nam neque septem tantummodò illi, sicuti vobis narratum fuit, conuiuio interfuerunt, sed numerus hominum duplo istius maior, quorũ vnus ipse quoque fui, ob artis vsum familiaris Periandro, & Thaletis (qui iussu Periãdri apud me diverterat) hospes: & quicunque fuit qui sermones conuiuarum retulit, (quem quidem satis apparet non fuisse in conuiuio præsentem) malè rem is exposuit. Sed quoniam ocio abundamus, neque senectus idonea cauere sponsione de differenda in aliud tempus narratione potest, ita vobis cupientibus rem totam ab initio enarrabo.

Con-

Conuiuium Periander apparauerat non in vrbe ipsa, sed in cœnaculo quod in Lechæo est iuxta templum Veneris, cui etiam sacrificabatur. Cùm enim ab eo tempore, quo ipsius mater ob amorem è vita sese subduxerat, Veneri rem sacram nunquam fecisset: tunc primùm quibusdam Melissæ adductus somniis eam sacrificio placare instituerat. Proinde vocatorum vnicuique bigæ præclarè exornatæ adducebantur. æstas enim tum erat, totámque vsque ad mare viam ob curruum hominúmque multitudinem puluis tumultúsque occupabant. Cæterùm Thales bigas apud ostium conspicatus, leni cum risu dimisit. Itaque ambulauimus via per agros diuersa tranquillitatem consectati, tertiúsque vnà nobiscum Niloxenus Naucratites, vir egregius, & cui in Aegypto cum Solone ac Thalete fuisset familiaritatis vsus. is tum denuò ad Biantem erat missus, neque causas legationis suæ ipse norat, nisi quod in libello suspicabatur se ei alteram quæstionem sigillo munitam portare: mandatum enim erat, vt si Bias abnueret, sapientissimis Græcorum aperiret. Ac mihi quidem, aiebat Niloxenus, codicilli hi (simúlque libellum nobis ostendebat) insperatum hoc lucrum opportunè obiiciunt, vt hoc in loco vniuersos vos inveniam. defero enim, vt vides, ad cœnam. Ibi tum Thales ridens, Si quid, inquit, mali est, Prienam referas. soluet enim Bias, sicvt & priorem soluit ipse quæstionem. Quid, inquam, id erat quæstionis? Victimam, ait Thales, miserat ad eum Amasis Aegypti rex, iubens exemtam ex ea optimam ac pessimam carnem sibi mittere. at noster præclarè, linguam exsectam ad regem perferri curauit. quæ ei res magnam gloriam admirationémque peperit. Non hoc duntaxat, inquit Niloxenus: sed & id, quod regum quoque amicicias non refugit, quemadmodum tu facis. Nam cùm te quoque ob alia quædam suspicit, tum verò mirum in modum ei arridet quòd Pyramidis altitudinem absque vllo labore aut instrumento dimensus es: sed scipione ad vmbræ, quam iaciebat pyramis, finem erecto, ac tactu radiorum duobus triangulis constitutis, demonstrauisti altitudinem pyramidis ad scipionis altitudinem ea esse proportione, quam vmbra illius ad huius vmbram haberet. Sed, cuius rei mentionem feci, ob odium in reges malè audis apud Amasin, súntque ad eum relata tua quædam contumeliosè in tyrannos dicta: qui interrogatus à Molpagora Ione quidnam vidisses insolens, Tyrannum responderis senem: rursúmque alicvbi de bestiis orta disputatione, pronunciaueris pessimam ferarũ esse tyrannum, de cicuribus adulatorem. hæc enim reges, tametsi nihil minùs videri quàm tyranni volunt, auribus nequaquam æquis audiunt. Ad hæc Thales: Isthuc quidem, ait, Pittaci est, ioco aliquando ad Myrsilum dictum. Ego verò non tyrannum, sed gubernatorem nauis si videam senem, pro miraculo sim habiturus. quòd autem ab hoc ad illum transfertur hoc dictum, ego id de mutatione hac sentio, quod adolescens ille, qui cum canem saxo petens nouercam feriisset, ne sic quidẽ malè cecidisse dixit. Itaque ergo & sapientissimum iudicaui esse Solonem, qui oblatam tyrannidem recusauerit: & Pittacus si solus dominari non fuisset aggressus, nunquam dicturus erat, Difficile est esse probum. Ac Periander mihi videtur tyrannide tanquam paterno morbo circunventus non malè emergere sese, salutaribus adhuc vtens consuetudinibus ac colloquiis hominum prudentum, iísque obsequens: neque admittens Thrasybuli ciuis mei consilium, qui eum ad oppressionem summorum hominum hortatur. Nihil enim discriminis est inter colonum qui loco tritici & hordei locustas comportare velit & aues, atque tyrannum qui mancipiis quàm viris malit præesse. Quippe multa mala dominationis vnico hoc compensantur bono, honore videlicet & gloria, siquidem bonis aliquis tanquam melior, & magnis vt maior imperet. qui autem securitatem decoro neglecto quærunt, digni sunt qui non hominibus, sed ouibus equis, bobúsque multis præsint. Verùm enimverò hospes iste in sermones nos coniecit nihil ad rẽ facientes, dũ non curat dicere atque inquirere de iis, quæ cōgruunt ad cœnam euntibus. nisi fortè non putas sicvt præbitoris, ita etiam inuitati suum esse apparatum. Sybaritæ feruntur toto antè anno mulieres inuitare soliti, vt eis liceret per ociũ vestibus auróque ornatis ad cœnam venire. Ego autẽ plus temporis requirere puto probè cœnaturi legitimã præparationẽ. quia difficilius est mores decorè cōponere, quàm corporis curiosum invtilémque ornatũ conquirere. Qui .n. sapit, is nō sese tanquã vas implendũ ad cœnã apportans venit: sed vt serio iocóque aliqd acturus, auditurúsque & dicturus, provt occasio cōviuarũ quæque monebit, siquidẽ velint suauiter vnà esse. Licet

Periander Veneri sacrificat.

Bias de lingua.

Pyramidis mensura. Vide Euclid. 6, 4.

Tyrannus.

Quomodo ad conuiuium sit accedendum.

sanè obsonium vitiosum aversari, & si vinum non probetur, ad nymphas confugere. at conviua qui caput obtundat, importunus, atque intractabilis, omnem cum vini & cibi, tum musicæ gratiam corrumpit atque perdit. cȏceptámque molestiam deponere non est facile, cùm nonnullis per omnem vitam inhæreant mutuæ offensæ, vel vt crapulæ quidam sensus pridianæ, ortæ ex contumelia inter pocula aut ira. Itaque Chilo rectissimè, qui cum heri vocaretur, non antè condixit, quàm eorum qui invitarentur eòdem nomina singulatim cognouisset. dicebat enim quibus cum necesse esset vnà nauigare aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contubernio vtendum esse. vltrò autem qualibuscunque admiscere se conviuis, non esse sani hominis. Aegyptij in conviuia inferre solent sceletum, id est exsiccata hominis, atque inter se compacta ossa, hortaríq; conviuas vt meminerint se non ita multo pòst tales fore. is quanquam ingratus & intempestiuus comesator, tamen suum habet locum, non ad potum & voluptates, sed ad mutuum amorem dilectionémq; cohortans, monénsq; vitam breue tempus sortitam non debere malis rebus lȏgam reddi. Inter hos sermones ad cœnaculum pervenimus. Ibi Thales lauare recusauit, quod vnctum se esse diceret. obiens tamen cursus spatia, & palęstras spectauit, & lucum ad mare probè exornatum: non quod eorum quicquam admiraretur, sed ne contemnere Periandrum, eiúsve despicere videretur magnificentiæ studiū. Cæteros, vt quisque vnctus lotúsve erat, famuli per porticum in cȏclaue viris destinatum introducebant. Ea tum in porticu Anacharsis sedebat, & ante eum puella stabat cæsariem eius manibus pectens. Hanc Thales ad se perquàm liberaliter adcurrentem osculatus, atque ridens: Fac ait hospitem nobis pulcrum, ne terribilis adspectu nobis, ferúsq; videatur, cum sit mansuetissimus. Mihi autem quærenti quænam hæc esset puella: Sapientem, inquit, & famosam non nosti Eumetidem? sic enim eam pater, vulgo de patris nomine Cleobulinam appellant. Tum Niloxenus: Nimirum, inquit, eam ob ænigmatum peritiam ac sapientiam laudas. nam & in Aegyptum quædam ab ea propositæ quæstiones pervenerunt. Non sanè, respondit Thales. his enim illa tanquam taxillis vbi ita res fert vtitur, & concertat cum compellantibus. Sed & animi altitudo inest ei mirabilis, & ingenium ciuile atque humanum, ac facit vt pater ciuibus humaniùs populariterque imperet. Omnino, inquit Niloxenus, ita videtur. idque apparet intuenti tenuitatem in amictu eius atque simplicitatem. sed quid caussæ est, quod Anacharsin ita amanter curat? Quia, respondit Thales, viris est temperans, multarúmque rerum gnarus, rationémq; victus & purgandi, qua in ægrotis curandis Scythæ vtuntur, prolixè ei libentérque tradidit. atque adeò nunc etiam discere eam aliquid atque disputare puto, dum virum tractat istum atque mulcet. Cùm iam cœnaculo appropinquaremus, occurrit nobis Alexidemus Milesius, Thrasybuli tyranni filius spurius, inde perturbato animo egressus, iratúsque secum quædam, quæ nos percipere nequiuimus, mussitās. Is vbi Thaletem conspexit, paululum sese colligens, atque ad se reversus: Atroci, inquit, iniuria nos Periander affecit, non passus me soluere nauim, cùm quidem id cuperem, sed vt ad cœnam manerem exorans: & nunc venienti cœnatū sedem adsignās indignissimam, Aeolibus, & insulanis, ac quibusvis tandem hominibus Thrasibulo prælatis. satis enim evidens est, despici ab eo patrem qui me misit, meámque in eum redundare contumeliam. Itáne verò, ait Thales, metuis, ne quemadmodum Aegyptij stellas aiunt viribus pro loci in quem attolluntur aut devehuntur conditione augeri minuíve, ita tibi quoque locus claritatem obscuritatémve adferat. & Lacone illo deterior es, qui cùm ei in choro quodam vltimum locū præfectus adsignasset, Bene, inquit, abs te factum est, qui rationem huius quoque loci cohonestandi repereris. non enim curādum est quo loco aut post quos collocemur: sed vt quibus adsidemus, cum iis bene nobis conveniat, statimque in nobis ipsis principium ansamque amiciciæ inesse ostendamus, dum nō succensemus locanti, sed laudamus quod talibus nos adiunxerit. Etenim qui loci caussa irascitur, is magis ei iuxta quē positus est, quàm collocāti succēset, & vtriq; infensus fit. Verba hæc sunt, inquit Alexidemus, ac obseruaui vos quoque sapientes honorem sectari. simúlq; præteritis nobis discessit. Nobis autem insolentiam hominis mirantibus, Thales: Ingenio est, ait, stupido ac monstroso. qui etiamnū adolescētulus, cùm allatū Thrasibulo esset vnguentū præclarū, id in magnā craterā infudit, meróq; affuso ebibit, inimicicia amoris loco perpetrata. Secundū hæc famulus accedēs: Iubet, inquit, Periāder te vnà cū Thalete venire visum quid rei

Scelctus Aegyptiorum.

Eumetis, siue Cleobulina.

Locus.

sit

sit quod modò est ad eum allatum, temeréne sit natum, an monstrum sit atque prodigium. ipse enim valdè videtur perturbatus, contaminari ac pollui eo sacrificium censens. hæc locutus, in domum quandam nos deduxit, vnam ex his quæ circa hortum erant. Ibi adolescens quidam pastoralis, vt videbatur, imberbis adhuc, forma non contemnenda alioqui, explicato scorteo sacculo, monstrauit nobis infantem equæ, *Mōstrosus fœtus.* vt aiebat, partu editum, supernè ad ceruices vsque & manus humana forma, reliquas partes equinas habentem, cæterùm in morem hominum recèns natorum vagiētem. Ac Niloxenus quidem, Dij auerruncēt vociferatus, oculos avertit. Thales autē aliquandiu in adolescentem intuitus, deinde subridens, vt solebat identidem de arte mecum iocari: Númnam (inquit) Diocles lustrationem aliquam molieris, negociúmque diis malorum profligatoribus facesses, re terribili scilicet atq; magna oblata? Quid ni, inquam ego? certè enim, Thales, portenditur seditio ac dissidium, metuóque ne malum in ipsum penetret matrimonium ac posteros, cùm dea priore nondum expiata, alteram hanc, vt cernis, iræ significationem edat. Ad hæc nihil respondens Thales, sed ridens discessit. ac Periandro apud fores obviam facto nobis, scitatóque quid videretur de spectaculo isto, omisso me, manum eius præhendit, & Quæ, inquit, Diocles mandabit, ea tu per ocium perages. Ego autem tibi consulo, vt equarum pastoribus non vtaris, aut eis des mulieres. Visus est mihi Periander his verbis auditis maiorem in modum delectari. nam & risum tollebat, & Thaletem amplexus osculabatur. Tum ille: existimo, inquit, ô Diocles, iam evenisse quod signo isto portendebatur. vides enim quantum damnum ceperimus, Alexidemo nobiscum cœnare nolente. Postquam intrò pervenimus, maiore iam voce Thales, Et vbi tandem, ait, homo ille indignè tulit se collocari? locóque commonstrato, ibi cùm ipse accubuit, tum nos vnà accumbere iussit, inquiens vel pecunia fuisse se redemturum vt eadem cum Ardalo mensa posset vti. Erat autem Ardalus Trœzenius, tibicen ac sacerdos Ardalidum Musarum, quas priscus Ardalus Trœzenius dedicauerat. Ibi Aesopus, qui nuper à Crœso ad Periandrum, ac præterea Delphos ad oraculum missus, humili sella iuxta Solonem supernè accumbentem adsidebat, Mulus, inquit, Lydus *Muli fabula.* suam in flumine contemplatus imaginem, pulcritudinémque & magnitudinem corporis sui admiratus, ferocire & equi in morem procurrere intendit. mox autem recordatus asini se filium esse, inhibuit cursum, ferociámque & spiritus repressit. Ad hæc Chilo Laconica voce, Tu quoque, ait, tardus es, & muli cursum imitaris. Secundum hæc Melissa accessit, & iuxta Periandrum accubuit. Eumetis autem inter cœnādum sedit. Cæterùm me Thales, qui supra Biantem accumbebam, ita compellauit. Cur nō significasti, Diocles, Bianti, Naucratitam hospitem iterum ad eum venire cum quæstionibus à rege propositis, vt sobrius & cautus eas percipiat. Ille verò, inquit Bias, iampridem me istis adhortationibus territat. Ego autem noui Bacchum cum alias *Vini vis.* validum esse, tum à sapientia cognomentum Lysij (quasi Soluentem diceres) invenisse. itaque non metuo ne plenus eius ad certamen minus animi sim habiturus. His illi invicem verbis inter cœnādum ludebant. Mihi verò consideranti cœnam vsitata ratione nonnihil frugaliorem, subiit apud animum meum cogitare, sapientum & bonorum virorum conviuia non augere impensas, sed minuere potiùs, dum *Frugalitas doctorum.* supervacanei obsoniorum apparatus omittuntur, & vnguenta peregrina ac bellaria, vinorúmque preciosorum diffusiones. quibus cum Periander quotidie vteretur, vtpote in tyrannide, opibúsque & rebus tantis, tum sese istis viris tenuitate & frugalitate commendabat. nam non aliarum duntaxat rerum, sed vxoris quoque demens atque occultans consuetum mundum, frugaliter eam & modicè ornatam ostendebat. Sublatis mensis, sertísque à Melissa distributis, nos quidem libauimus: & tibicina, cū paululum ad vota nostra cecinisset, è medio abiit. Tunc Ardalus Anacharsin allocutus, *De fistulis & oßibus.* interrogauit an apud Scythas tibicinæ essent. qui ex tempore respōdit, Ne vites quidem apud Scythas esse. Rursúmq; Ardalo dicente, Atqui dij sunt Scythis? omnino, inquit Anacharsis, iiq; intelligentes humanæ linguæ. neq; Scythæ putant, quod Græci: qui quanquam Scythis eloquio præstare se censent, tamen Deos ossium & lignorum sonos quàm humanam vocem libentiùs audire opinātur. Quid, intulit Aesopus, si videres, ô hospes, nostri temporis fistularum fabros, qui ossa hinnuleorū abiiciunt, & asininis vtuntur, meliùs sonare hæc dicentes. qua de causa etiam Cleobulum tibia hinnulea ad fistulam Phrygiam impulit mirari aurem cornigeram ictus

gratia. vt mirari subeat, asinum animal crassissimum & à musica alienissimum, tamen ossa tenuissima & maximè canora suppeditare. Hîc Niloxenus, nimirum, inquit, hoc

Asinus.

est quod nobis Naucratitis Busiritæ vitio vertunt, qui asininis iam vtimur tibiis, cùm ipsis etiam tubam audire nefas habeatur, quia eius sonus asininæ voci est similis. nostis autem asinum apud Aegyptios propter Typhonem in infamia esse. Facto deinde silentio, Periander cernens Niloxenum cupere quidem, sed tamen non audere sermonis facere principium, Ego verò, ait, ciuitates magistratúsque laudo, qui priore loco hospitibus, deinde ciuibus responsa dãt. itaque placet, vt in præsentia nostri sermones, quippe indigenæ & familiares, aliquantulum cessent, & quasi in concionem aditus permittatur Aegyptiis istis ac regiis quæstionibus, quas optimus hic Niloxenus ad Biantem adfert, Bias autem vult vnà nobiscũ excutere. Et Bias: vbi enim, aut quibus cum malit quisquam de his experiri, si ita vsus ferat, quæstionibus soluẽdis? præsertim cum rex mandauerit, vt à me principium fiat disputationis, & ea ordine per vos omnes circumeat. Ad hæc verba codicillos Bianti porrexit Niloxenus, iussitq; apertos coram omnibus legere. eorum quæ continebantur scripta, hæc erat sentẽtia.

Amasis rex Aegyptiorum, Bianti Græcorum sapientissimo S. Certat mecum Aethiopum rex de sapientiæ præstantia: victúsque aliis in rebus, vltimo loco absurdam à me & immanem rem postulat, mare me iubens ebibere: ídque ea conditione, vt si præstem, multi eius pagi multæq; vrbes meæ fiant ditionis: sin verò, oppida quæ circa Elephantinam sunt amittam. Tu quo pacto id fieri possit dispice, & statim nos remissq; huc Niloxeno doce. Si quid à me ciues amicique tui desiderabunt, non deero iis. Vale. His recitatis, non multum temporis cunctatus Bias, sed paululum secum meditatus, & paucula cum Cleobulo, qui ponè accumbebat, collocutus, Quid narras, inquit, Niloxene? tot hominum rex Amasis, tantúmque ditionis præstantissimæ possidens, ebibere mare volet obscurorum & vilium pagorum gratia? Tu verò, inquit Naucratites, tuo arbitrio perpende quid fieri possit. Indicet ergo, ait Bias, Aethiopum regi, debere eum interim dum ipse mare quod nunc est ebibit, in mare exeuntes fluuios inhibere. nam de eo quod nunc est mari, non de futuro mandatum fuit. Quæ simulatque dixit, Niloxenus præ voluptate non continuit se, quin amplecteretur atque oscularetur hominẽ. Reliquis autem responsum Biantis laudantibus atque approbantibus, ridens Chilo: Hospes, inquit, Naucratita, antequam mare ebibatur domum nauigans Amasidi indica, non esse ei quærendum quomodo tantum salsuginis exhauriat, sed potiùs vt potabile ac dulce subditis regnum suum faciat. harum rerum callentissimus, optimúsque magister est Bias, quibus perceptis Amasis nihil opus habebit aurea ad lauandos pedes pelui qua terreat Aegyptios, sed omnes ipsum demerebuntur atque diligent ob virtutem, etiam si millies esset quàm nunc videtur invisior. Est verò, inquit Periander, operæprecium vt vniuersi viritim (vt Homerico more loquar) Amasidi tales contribuamus primitias. Sic enim & illi additamentum ipsa negociatione præstabilius fiet, & nobis singulis aliquid vtilitatis accedet. Tum Chilo, Principium, inquit, dicendi Solon æquum est vt faciat, non tantùm quia natu omnibus reliquis est grandior, & primo accumbit loco, sed maximum ac perfectissimum quia gerit magistratum, Atheniensium legislator. Ibi tum Niloxenus submissa ad me voce: Profectò, inquit, multa falsò credũtur, multiq; sunt qui sinistris rumoribus de sapientibus viris delectantur, quos vel ipsi sibi confingunt, vel ab aliis promtè accipiunt. quomodo etiam ad nos in Aegyptum renunciatum fuit, Chilonẽ amicitiæ atque hospitij ius resignasse Soloni, q; hic leges mutabiles esse dixisset. Ridicula, inquam, narratio. ita enim primus Chiloni erat repudiandus Lycurgus, qui vnà cum legibus totã convellit atque immutauit rempubl. Lacedæmoniorum. Cæterùm Solon paululum moratus, Mihi, ait, videtur hac ratione maximè gloriam consecuturus siue rex siue tyrannus, si vnius imperium in popularem reip. statum ciuibus conuertat. Subiecit Bias: si primus pareat legibus patriæ. Post hos Thales pronunciauit, eum sibi principem videri beatũ, qui naturæ ordine senex moriatur. Quartus Anacharsis: si solus sit prudens. Quintus Cleobulus, si familiarium nemini fidat. Sextus Pittacus: si subditos princeps ita condocefaciat, vt non ipsum, sed ipsius causa metuant. Vltimus Chilo: principem nihil meditari debere mortale, sed omnia immortalia. His dictis à Periandro postulauimus, vt ipse quoque diceret aliquid. Ille verò vultu non admodum hilari, sed ad seueritatem composito: addo ergo, inquit,

De mari ebibẽdo.

Odyss. γ. initio.

Sapientum dicta de principe.

inquit, dictas sententias omnes fere sanæ mentis hominẽ ab imperio gerendo deterrere. Et Aesopus, vt erat repræhẽdendi studiosus: Hæc igitur, ait, oportebat nos seorsim tractare, ne dum consiliarij volumus esse & amici principum, eorum fiamus accusatores. Huius caput tangens Solon ac renidens, Non, inquit, videtur tibi moderatiorem principem ac tyrannum æquiorem reddere, qui ei persuadet præstare non imperare quàm imperare? Quis verò respondit Aesopus, tibi malit credere, quàm Deo? cuius sententia ex hoc tibi dato oraculo apparet,

Felix Vrbs, vocem præconis quæ vnius audit.

Et Solon: enimverò, inquit, nunc quoque Athenienses vnicum audiunt præconem, nimirum legem, quanquam penes populum reip. sit potestas. Tu autem coruorum graculorúmque voces audire peritus, tuam ipsius vocem non accuratè exaudis: sed qui vrbem de Apollinis sententia beatissimam fore putes quæ vnum audit, conuiuij hanc laudem esse censes, vt omnes disserant ac de omnibus. Tu enim, infert Aesopus, nullam legem posuisti, nẽ inebrientũ serui, sicvt Athenis seruis amoribus & sicca vnctione interdixisti. Cum risisset Solon, Cleodemus medicus: atqui siccæ vnctioni, inquit, simile est, vino rigatum loqui. est enim suauissimum. & Chilo id sic excepit: itaq; eo tanto magis abstinendũ est. Rursum Aesopus, Et quidẽ, ait, Thales visus est dicere, fore vt celerrimè consenescat. Hîc ridens Periãder, sic est locutus. Meritò quidẽ nos, Aesope, pœnã dedimus, qui prius quàm Amasidis sermonem reliquũ in mediũ proponeremus, in alias incidimus disputationes. Tu itaque Niloxene reliquum Epistolæ inspice, virisq; his præsentibus vtere. Tum Niloxenus hæc. Equidem postulatum illud Aethiopicum nihil aliud quàm vt est apud Archilochum scuticã cõfractam appellare quis iure possit. Tuus autem hospes Amasis in hoc quærendi genere humanior est & elegantior. Iussit enim eum explicare quid sit vetustissimum, quid pulcerrimum, quid maximum, quid sapientissimum, quid communissimũ, atque adeò quid vtilissimum, quid damnosissimum, quid fortissimum, quid facilimum. Quid, inquit Periander, respondítne, & soluit singula isthæc? Audietis, ait Niloxenus, quomodo, & vestrum erit iudicium. Summam enim in hoc rex noster impendit operam, vt neq; calumniari responsa possit dici verè, neque lateat & non arguatur si quid erratum est respondendo. Recitabo autem vobis quomodo respondit. Quid antiquissimum? Tempus. Quid maximum, Mundus? Quid sapientissimum? Veritas. Quid pulcerrimum? Lux. Quid communissimum? Mors. Quid vtilissimũ? Deus. Quid damnosissimum? Genius. Quid robustissimum? Fortuna. Quid facilimum? Quod suaue est. His ita recitatis, Nicarche, factóq; silentio Thales Niloxenum interrogauit, an has solutiones probasset Amasis. Respondentéque eo, quasdam admissas ab eo fuisse, quasdam improbatas, Et verò, inquit Thales, examinandæ sunt: omnes enim vitia magna erroresque habent. quale est, (verbi gratia) quod tempus omnium rerum vetustissimum dixit. quod quî potest esse verum? cum pars eius præterierit, alia sit præsens, alia futura: & quod post nos erit tempus, rebus hominibúsque qui nunc sunt recentius esse quivis videat. Iam quod veritatem putat esse sapientiam, tantundem mihi videtur ac si lumen oculum vocaret. Quod si lumen, ita vt est, pulcrum esse censuit, quomodo factum est vt ipsum Solem præteriret. De cætero quod respondit de diis ac geniis, id audax atque periculosum est responsum: valdè etiam à ratione alienum est, quod de fortuna dixit: non enim ea tam facilè mutaretur, si ita validissima rerum esset atque robustissima. Sed neque mors communissimum est, quæ nihil ad viuos pertinet. Cæterùm ne videamur in aliorum pronunciata inquirere, nostra cum eorum dictis componantur. & si Niloxeno ita videtur, primum ego me offero qui de singulis interrogetur. Exponam deinceps quid quæsitum, quid responsum fuerit. Quid est antiquissimũ? Deus, inquit Thales. ortu enim caret. Quid maximum? Locus. reliqua enim mundus continet, ab hoc continetur. Quid pulcerrimum? Mundus. omnes enim eius partes ordine aptæ sunt. Quid sapientissimum? Tempus. id enim alia invenit, reliqua inveniet. Quid communissimum? Spes. quibus enim reliqua omnia desunt, hæc adest. Quid vtilissimum? Virtus. hæc enim reliqua etiam rectè vtendo vtilia facit. Quid damnosissimũ? animi vitium. huius enim præsentia plurima bona corrumpuntur. Quid validissimum? Necessitas. ea enim sola est insuperabilis. Quid facilimum? Quod est naturæ consentaneũ. nam voluptates etiam sũt, quæ sæpenumerò respuanũ. Cùm Thaletis dicta omnes approbasset; Cleodemus,

Variæ quæstiones.

Aliæ solutiones earum.

Huiusmodi,inquit,Niloxene quæstiones proponere & soluere regibus cōvenit.barbarus autem iste, qui mare Amasidi propinabat, breuitate sermonis refellendus fuit ea, qua vsus est adversus Alyatten Lesbiis scripto superbè aliquid insolens mandantem Pittacus. nihil enim respondit aliud quàm debere eum cepas & calidum panem edere. Hunc eius sermonem sic excepit Periander. Enimverò priscis quoque Græcis in more positum fuit, Cleodeme, huiusmodi inter se quæstiones proponere. auditu enim accepimus, Chalcidem ad Amphidamātis exequias convenisse poëtas, quorum tum inter sapientes maximè vigebat gloria. Fuerat autem is Amphidamas vir ciuilis, cùmq; multum negocij exhibuisset Eretriensibus, in pugnis ob Lilantem commissis ceciderat. Sed cum poëtarum carmina arte elaborata difficilē molestámq; facerent diiudicationem ambigua victoria, & concertatores gloriosi Homerus atq; Hesiodus præ sui reverentia plurimum arbitris dubitationis afferrent: ventum est ad huiusmodi quæstiones.proposuerúntq;, inquit Lesches, talia:

Quæstiones argutas mos inter se proponendi vnde?

Musa mihi refer hæc, quæ nec priùs euenerunt,
Nec pòst euenient.—— & respondit Hesiodus ex tempore:
Sed Iouis ad bustum sonitu cùm quadrupedante
Frangentur currus ab equis certamine anhelo:

dicitúrq; ea maximè de causa magni factus ac tripode donatus. Quid verò, inquit Cleodemus, hæc à scirpis Eumetidis differunt. quos illam animi iociq; causa nectentem, vt aliæ cingula solēt & reticula, mulieribus proponere fortassis indecorum non est: ridiculum verò, si eos vt rem seriam tractēt viri cordati. Ac Eumetis quidem, cùm, vt apparebat, dicere aliquid adversus Cleodemum cuperet, præ verecundia sese cohibuit, faciésq; eius tota rubore oppleta fuit. Sed Aesopus, velvti vlciscēs eam: An verò ait, non magis ridiculum est, nō posse nos ista soluere? quale est quod paulò ante cœnam nobis proposuit:

Igni hominem æs humano in corpore figere vidi.

potésne explicare, hoc quid sit? Ne scire quidem opus habeo, respondit Cleodemus. Et verò, inquit ille, nemo te meliùs istā rem nouit aut vsurpat. quòd si inficias ire velis, testes habeo cucurbitulas. Risit Cleodemus: nemo enim medicorū ea tempestate frequētiùs cucurbitulis vtebatur, idq; remedij propter vsum non parum laudis invenerat. Cæterùm Mnesiphilus Atheniensis socius imitatórq; Solonis Periandrum sub hæc ita compellauit. Equidem æquum iudico, vt sicvt vinum, ita sermo quoq; nō pro censu aut præstantia virtutis, sed ex ęquo inter omnes distribuatur, sicvt in populari statu reipublicæ. At quæ iam à vobis dicta sunt de dominatione & regno, ad nos, qui populares sumus, nihil pertinent. Itaq; censeo debere vos denuò ea de reip. forma, in qua æquali omnes iure viuunt, viritim aliquid conferre, auspicante iterum Solone. Placuit hæc sententia omnibus. Primúsq; Solon: tu quidem, inquit, Mnesiphile audiuisti cum vniuersis Atheniensibus, quis meus sit de rep. sensus. Quando autem nunc quoq; vis audire, videtur mihi ciuitas maximè beata fore & conseruatura popularem statū, in qua iniuriæ alicuius autorē non minùs illæsi quàm qui læsus est in ius rapiāt atq; puniant. Secundus Bias dixit, eum popularem reip. statum esse optimum, in quo legem vniuersi tanquam tyrannum metuant. Thales: vbi neq; diuites nimis neque pauperes sint ciues. Anacharsis: in qua cùm reliqua omnia æqualia habeantur, virtuti tamen potior, vitio deterior conditio deferatur. Quintus Cleobulus pronūtiauit populum maximè facturum officium, si ciues repræhēsionem magis metuant quàm legem. Sextus Pittacus: vbi magistratum gerere non licet malis, licet bonis. Conversus deinde Chilo: ea, inquit, optima est respublica, in qua maximè leges, minimè oratores audiuntur. Rursum vltimus omnium Periander de dictis horum ita censuit, videri sibi omnibus his pronunciatis eam cōmendari popularē reip. formā, quæ simillima sit optimatū in ciuitate gubernationi. Hacquoq; disputatione finita, postulaui ego, vt domus quomodo regenda sit nobis illi explicarent: quòd regni & ciuitatis gubernatio paucis obveniret, quivis autem nostrū larem domesticū familiámq; haberet. Hìc ridens Aesopus: Non ita, inquit, res habet: siquidem in quibusvis illis Anacharsidem numeras. qui non modò non habet domum, sed & iactat se hoc nomine, quod domo carens, curru vtatur, quo modo Sole aiunt curru circumvehi, aliásq; aliam cœli obire regionem. Respondit Anacharsis: Itaq; ergo aut solus deorum liber, aut omnium liberrimus ille est, omnibúsq; imperat, nulli paret, sed regnat ac habenas tenet. Verùm Solis

De populari reip. statu.

Solis currus quàm pulcritudine excellens, magnitudineq́ mirabilis sit, te fefellit. alioqui non eras eum cum nostro ioci gratia comparaturus. Videris autem mihi, Aesope, pro domo habere lutea & figlina ista claustra, perinde ac si testam, non ipsum animal cochleæ nomine afficeres. itaq; non iniuria risum tibi mouit Solon, qui cùm domum Crœsi sumtuosè ornatam vidisset, non statim pronunciauit dominum eius beatè ac feliciter habitare: quòd bona in ipso domino sita potiùs, q̃ quæ circa ipsum erant, spectare cuperet. Atq; apparet te tuæ oblitum vulpis, quæ cùm in certamen de varietate ornatus cum panthera venisset, ea quæ intus sibi essent ornamenta disceptatorem inspicere iubebat: his enim se magis variè, quàm panthera esset, ornatam. Tu verò fabrorum & lapicidarum opera circumspicis, eáq; pro domo habes: non ea quæ intus quisq; sua habet, liberos, coniugium, amicos, familiam: cum quibus probè compositis si quis vel in fouea formicaria vel in nido aliquo degit, rerumq; communitate vtitur, domum is bonam & beatam incolit. Hæc ego cùm Aesopo responsa volo, tum pro mea stipe Diocli collata. reliqui pro se suam quisque sententiam pronuncianto. Tum Solon: Ea, inquit, mihi optima videtur domus, vbi res est neque iniustè parta, neque in ea vel conseruanda diffidentiæ, vel insumenda pœnitentiæ est locus. Bias: In qua dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges. Thales: in qua plurimum ocij domino conceditur. Cleobulus: in qua plures sunt qui diligant, quàm qui metuant dominum. Pittacus: vbi neque requiruntur superuacanea, neque desiderantur necessaria. Chilon: maximè oportet domum vrbi quæ sub rege est similem esse. adiecitque, Lycurgum cuidam qui populare imperium Spartæ instituere ipsum iuberet, respondisse, Prius tu hoc domi tuæ facito. Hoc quoque sermone exacto, Eumetis cum Melissa exiuit. Cùm autem Periander Chiloni benè magnum calicem præbibisset, ac Chilo Bianti: Ardalus adsurgens Aesopo ait: Tu verò non huc ad nos poculum transmittes, cum videas istos calicem tanquam Bathyclis poculum inter sese circummittere, nemini alteri impertite? Et Aesopus: ne hoc quidem, inquit, publicum esse videtur poculum, ita iamdiu soli adstat Soloni. Tum Mnesiphilum compellans Pittacus: Cur, ait, Solon non bibit, sed versus suos testimonio suo impugnat hosce,

Domus quid sit.

Familia quæ optima.

Nunc Veneris mihi grata, & læti munera Bacchi,
Musarúmq; : viris dant ea lætitiam.

Subiecit autem Anacharsis: quia tuam illam duram timet legem, qua si quis per ebrietatem delinquat, duplam eius, quæ sobrio infligeretur, pœnam constituisti. Tu verò, inquit Pittacus, ita contumeliosè in legem meam peccasti, vt & superiore anno, & nunc ebrius, præmium poposceris atque coronam. Quid ni, ait Anacharsis, proposito ei qui plus bibisset præmio, primus inebriatus præmium victoriæ poscerem? aut vos me docete quis alius sit multum bibendi merum finis, quàm inebriari? Cum risisset ad hæc Pittacus, Aesopus talem narrauit fabulam. Lupus cùm videret pastores in tabernaculo ouem comedere, propiùs accedens, Quantus, inquit, tumultus exortus esset, si hoc ego fecissem? Tum Chilo: Rectè, ait, Aesopus sese vltus est, cui paulo antè cùm os obthurauerimus, nunc videt à nobis Mnesiphilo præripi facultatem respondendi, interrogato cur Solon non biberet. Ibi Mnesiphilus hanc rationem attulit. Scio, inquit, Solonis hanc esse sententiam, vniuscuiusvis artis seu facultatis tam diuinæ quàm humanæ opus esse id potiùs quod ab ea efficitur, quàm quo id confit: & finem, quàm quæ ad finem pertinent. Nimirum enim textor suum opus magis dixerit lænam aut tunicam, quàm radiorum dispositionem, & insubulorum excitationem. ac faber ferruminationem potius, aut securis aciem solidam, quàm aliquid eorum quæ eius gratia necessariò fiunt, vt carbonum succensio, & apparatus ramenti lapidum. sed & architectus multo magis nos reprehendat, si opus eius affirmemus esse non nauim aut domum, sed ligna terebrare, & lutum miscere. Musæ autem omnino indignentur, si putemus ipsarum opus esse citharam & fistulam, non morum institutionem, & affectuum animi moderationem, quæ consequuntur qui cantilenis & concentibus vtuntur. Ergo Veneris etiam opus non est concubitus & corporum mixtio, neque vinum & ebrietas Bacchi, sed qui his conciliatur amor, & desiderium, ac mutua consuetudo & familiaritas. Hæc diuina opera Solon vocat, eáque se ait diligere & consectari maximè in senectute. Est autem amoris virorum ac mulierum

Ebrietas.

Finis rerum.

Veneris & Bacchi opus.

o

mutui effectrix Venus, ob voluptatem corporibus simul commiscens ac colliquefaciens animos. Multi porrò non admodum inter se noti aut familiares à Baccho vini velvti ignis opera cuiusdam ingeniis emollitis atque humectatis principium aliquod contemperationis inter se amiciciæq; nanciscuntur. Cæterùm vbi tales conveniunt viri, quales vos Periander convocauit, nihil (puto) est quod calix aut poculum agat: sed ipsæ Musæ proposito in medium sermone, tanquam sobrietatis cratera, cui plurimum voluptatis, ioci seriæq; rei item permultum adest, eo excitant, rigántq; & diffundunt amiciciam: plerunq; sinentes cyathum super cratera quiescere, quod Hesiodus prohibuit fieri apud eos qui bibere potiùs quàm disserere norunt.

Iliad. A, 261.

Nanq; vbi se vino criniti forsan Achiui
Largius inuitant: plenus scyphus est tibi semper.

Modus bibendi.

Alioqui teneo, apud antiquos moris fuisse vt propinarent invicem, certáq;, vt apud Homerum est, mẽsura biberent per ordinem, quomodo Aiax partes carnis ei qui iuxtà adsidebat obtulit. Hæc cum dixisset Mnesiphilus, Chersias poeta (iam enim crimine eum Periander absoluerat, inq; gratiam Chilone deprecante receperat) Nónne, inquit, Diis Iupiter, sicvt heroibus Agamemnon, potum fundit dimensum, vt apud eũ conviuantes invicem propinarent? Et Cleodemus: Si, ait, palumbes quædam, sicvt vos narratis, Ioui ambrosiam adferunt, volatu difficulter ęgréq; superatis saxis cõcurrentibus, quas Planctas Homerus vocat: non censes etiam nectar ipsum paratu difficile ac rarum esse, vt parcè depromtum cuiq; deorum tribuatur? Fortasse ita est, respõdit Chersias. Sed vellem de re familiari disputationem repeti, vt quod ei deest ab aliquo vestrum explicetur. puto enim omissum esse, quis modus rei faciũdæ sit sufficiẽs. Ad hæc Cleobulus: Atqui, inquit, lex mensuram sapientibus præscripsit. ineptis fabulam narrabo, quam mater mea fratri obiecit. Aiebat enim Lunam à matre petiisse, vt sibi tuniculam congruentem texeret; ac matrem respondisse, Qui possim verò, cum te iam plenam, mox in cornua attenuatam, rursum dimidio orbe videam? Sic etiam, mi Chersia, homini fatuo & vitioso nulla mẽsura opum est. necessitates enim eius subinde cupiditatibus & fortuitis casibus mutãtur, súntq; similes Aesopi cani, quem is ait hyeme sese contrahentem ob frigus ac convoluentem cogitare de domo sibi parãda: æstate autem cum porrectus dormiat, magnum sibi videri, & putare neq; necessarium & magni laboris opus esse tantam exstruere domum. Nónne enim vides Chersia, eos qui modò humiles, planè in arctum se cogũt, vtpote præcisè ac Laconicè victuri, paulo pòst nisi omnes priuatorum regúmq; res possideant, existimare se ob inopiam perituros? Postquam Chersias tacuit, excipiens sermonem Cleodemus: Veruntamen, inquit, videmus vos quoq;, qui sapientes estis, inęqualibus mensuris, si quis comparationem instituat, distributa bona possidere. Tum Cleobulus: Nimirum, ait, mi homo, lex velvti textor cuiq; cõgruam decentémq; & mediocrem portionem attribuit. nam tu quoq; ratione legis instar in alendis corporibus, victus ratione præscribenda, adhibendisq; medicamentis vtens, non æqualia omnibus, sed cõvenientia singulis tribuis. Subiecit Ardalus hæc. númnam ergo etiam sodalem nostrum, Solonis hospitem Epimenidem lex aliqua reliquis abstinere cibis iubet, ac tantùm exiguam partem arcentis famem materiæ, Alimum Græci vocant: quam ipse sibi componit voluptatem, sumere ore, itáq; impransum incœnatúmq; perdurare? Hæc oratio cum omnes conviuas attentos tacitósq; reddidisset, Thales iocans, probè facere Epimenidem dixit, qui molendo coquendóq; cibos molestias sibiipsi facere nollet: quod Pittaco vsuveniret. se enim cum in Lesbum venisset, audiuisse hospitam sic cantare ad pistrinum: Mole pistrinum, mole: nam & Pittacus molit, rex magnę Mitylenę. Solon autem: miror (inqt) Ardale, legem de victus Epimenidis ratione non legisse te in Hesiodi scriptam versibus. is enim est, qui primus Epimenidi semina huius alimenti præbuit, dum eum docuit quærere,

Quanta sit vtilitas in maluis asphodelisq;.

Maluæ et albuci vsus.

Existimas verò, inquit Periander, tale aliquid Hesiodo in mentem venisse, ac non potiùs eum, vt est adsiduus parsimoniæ laudator, ad cibos vilissimos nos, quippe dulcissimi qui sint, voluisse adhortari? vtilis enim est maluæ esus, & suauis hastula regia. Ista verò famem ac sitim arcentia, medicamenta potiùs esse audio quàm cibos, recipientia mel & caseum barbaricum, & multa minimè vulgarium seminum. quomodò ergo nõ, quod est apud Hesiodum, in fumo poneretur clauus, &

Mulo-

Mulorúmq; opera,atq; boum iam cuncta perirent,

si tanto opus foret apparatu? Miror autem tuum, Solon, hospitem, si nuper cùm Deliis magnam lustrationem faceret, non obseruauit ab ipsis in templum inferri monimẽta atq; exempla primi alimenti, cum aliis sponte sua nascentibus, maluam & albucum: quorum probabile est Hesiodum quoq; nobis vilitatem ac simplicitatem cõmendare. Non hæc modò, inquit Anacharsis, sed & vt ad sanitatem inter præcipua conducens vtraq; planta laudatur. Rectè dicis, ait, Cleodemus. Apparet enim Hesiodũ medicum fuisse, qui tam accuratè & peritè de victus ratione, vini temperie, aquæ bonitate, lauacris, mulieribus, coitus tempore, & infantium sessione disseruerit. Mihi autem videtur Aesopus rectiùs sese Hesiodi discipulũ professurus, quàm Epimenides. ille enim pulcræ suæ & variæ ac multarum linguarum vsu ornatæ sapientiæ initium sumsit ex accipitris ad lusciniam sermone. Cuperem autem Solonem audire. probabile enim est hũc cùm Athenis Epimenide multũ temporis vsus sit familiariter, nosse qua de causa quóve instituto is talem amplexus sit victus rationem. Quid attinebat, respondit Solon, ex eo causam quærere? cum in promtu sit, proximum à summo & maximo bono esse hoc, quàm minimũ reqrere nutrimentũ: siqdem rectè creditum est summũ bonum esse nullo prorsus alimento indigere. Hoc verò mihi nequaq; videt̃, inqt Cleodemus, siquidem licet dicere q̃d sentio: maximè mensa apposita, quæ alimento sublato tollit̃, cum sit diis amicitiæ hospitiiq; patronis consecrata. Sicvt aũt Thales ait igne demto totius vniuersi exstituram confusionẽ: sic mensa abolita necesse videt̃ esse omnes familiæ partes deletum iri. simul enim tollit̃ ignis Vestalis, focus sacer, crateres, cõuiuia, hospitia, quæ prima sunt & humanissima hominum inter se cõmercia. atq; adeò tota vitæ ratio peribit, siqdem à negociis aliq̃d est hominibus ad oblectationes diverticulum, quibus victus apparatio & vsurpatio plurimũ præbet materiæ. Iam & in agriculturã hoc mali redvndabit. qua cessante tellus nobis relinquet̃ informis, atq; inculta, ob vacationẽ operum repleta sterilis materiæ, & fluuiorum eluuione invndata. vnáq; peribunt artes omnes atq; opificia quibus illa præest, fundamentúmq; & materiã suppeditat, ac quæ illa remota nihil sunt. Quin et honor diis nullus porrò erit: qui Soli exiguus, Lunę etiã minor habebit̃, vbi ad homines ab iis præter lucẽ & teporem nihil rediturum sit. Ioui aũt pluuio, & Cereri arationis auspici, & Neptuno stirpibus prospero, vbi ara erit, vbi sacrificium? Aut q̃modo gratiarum dator Bacchus erit, si nihil eorũ quæ largit̃ ipse requiremus? Quid sacrificabimus, q̃d libabimus, quas offeremus primitias? Omnia hæc cum summarũ subversione rerũ coniuncta sunt. Eqdem brutũ est omnes et vsquequaque cõsectari voluptates: fugere aũt omnes, idq; omnino, voluptates, stupidi est. Esto enim suas quasdam peculiares & præstantiores animi esse, quibus is fruat̃, voluptates. certè nulla est corpori alia, qua innocentiùs frui possit, quàm ab alimento voluptas. q̃d omnibus est compertũ hominibus. Mensa enim in medio proposita, cõmunicant cœnis. rei venereæ tenebras prætexũt densas. q̃a huius voluptatis cõmunicationem beluinam impudentémq; iudicant p̃inde, atq; illius abstinentiã. Vbi finem dicendi fecit Cleodemus, ego succedens in partes eius, Hoc verò, inquam, præteris, quòd somnus simul cum nutrimento proscribitur. & somno sublato, somnia nulla sunt, ac vetustissima nobis diuinandi ratio aboletur. Ad hæc vita informis erit nostra, ac quodammodo corpus animo frustra fuerit circundatum. plurimæ enim eius, & præcipuæ partes ita sunt factæ, vt instrumenta sint nutritionis: lingua videlicet, dentes, stomachus, iecur: quorum nihil vel frustra, vel ad alios comparatum est vsus. Itaque alimento qui non opus habet, ne corpore quidem is indiget. quod est nihil aliud, quàm ipsum seipso opus non habere: nemo enim nostrum sine corpore est. Atque hæc quidem, inquam, ego velvti symbolum ad patrocinandũ ventri dare volui: si Solon, aut alius habet aliq̃s q̃d obiiciat criminis, paratus sum audire. Maximè verò, inquit Solon. nisi si volumus videri iudicio quàm Aegyptij minus valere. ij enim mortuũ dissecto ventre Soli ostẽdunt, deinde intestinis in p̃fluentem abiectis, reliquũ cadauer vt iam purgatũ p̃curant. Re vera enim corporis nostri cõtaminatio sunt ista, atq; orcus velvti apud inferos exitiosis q̃busdam fluminibus & ventis simul atq; igni confusis, cadaueribúsq; oppletus. Viuum q̃ppe nullũ viuo nutrit̃ alimento: sed nos necantes ea, quæ animata sunt atq; nascuntur, & vita non carere eo liquet q̃ alunt̃ & augescunt, iniustè agimus. Enimverò esu carniũ abstinere, q̃d factitasse Orpheum illũ priscum accepimus, calumnia magis arguta est, quàm vera depulsio criminis iniuriarũ à luxu profectarũ. Vni-

Nullo nutrimẽto vti, an summum sit bonũ.

Somnia.

Contra esum eorum quæ vixerunt.

ca est ratio vitandi sceleris, & purum se præstãdi, si quis se ipso contentus, nihilq; extra se positum desiderans viuat. Quẽ verò Deus ita comparauit, vt citra aliorum damnum suam salutem tutari non possit, huic ille naturam iniusticiæ principiũ destinauit. Nónne igiť, mi Diocles, æquum erat cum iniusticia simul exscindere ventrem & stomachũ & iecur? quæ membra nullius bonæ rei sensum appetitúmve ingenerant: coquorũ aũt instrumentis similia sunt, cultris puta, lebetibus: tum molitoriis, caminis, & puteorum fossioni, paniq; coquendo inseruientibus. Nimirum enim possis animadvertere in multis hominibus animam in corpore esse tãquam in pistrino abditam, eius tantũ necessitatum causa hac illac circumcursitantem. Quemadmodum profectò nos quoq; paulo ante invicem non vidimus neq; audiuimus, sed quivis nostrûm pronus necessitati nutritionis inseruiebat. nũc mensis remotis liberati, vt vides, sertisq; redimiti inter nos disserimus, mutuáq; fruimur consuetudine, & ocio, soluti necessitate expetendi alimenti. Quod si is status, in quo sumus in præsentia, per omnem nostram duraret vitam, nónne in perpetuo degeremus ocio, neq; paupertatem metuentes, & diuitiarum ignari? Studium enim rerum supervacanearum statim comitať necessariorum appetitionem. Iam quod alimentum debere esse putat Cleodemus, vt mensæ sint, & crateres, possitq; Cereri & Proserpinæ sacrificari: alius eodem iure dixerit bella debere esse & pugnas, vt muros, naualia, armamentariáq; habeamus, & centum hostibus occisis Hecatomphonia immolemus, quam ferunt apud Messenios legem valere. alius etiam sanitatem indignè ferat. scilicet iniquè fuerit comparatum, si nemine ægrotante lecti mollis nullus sit vsus, nullus culcitræ, neque Aesculapio sacrificemus, neque diis auerruncatoribus, & medicina cum instrumentis medicamentísque suis ingloria & abiecta negligetur. quid enim hæc ab illo differunt? certè enim cibus vt remedium famis sumitur: & curare seipsos dicuntur, qui victus ratione vtuntur certa: quod non voluptatem aut iucunditatem aliquam consectentur, sed naturæ necessitati obsequantur. Etenim molestias quàm voluptates plures enumerare licet à cibo ortas. immò autem voluptati in corpore & locus exiguus, & temporis parum est: cibi apparandi occupatio & difficultas quantis nos impleat turpitudinibus & doloribus quid attinet dicere? Equidem Homerum arbitror eò respexisse, cùm Deos immortales esse eo argumento demonstraret, quòd alimento nullo vterentur.

Cibi incommoda.

Iliad.1,341.

Nam neq; edunt Cereris, neq; Bacchi munera potant:
Hinc immortales, & cassi sanguine habentur.

innuit enim non viuendi modò, sed & moriendi viaticum esse nutrimentum. Hinc enim morbi corporibus adhærescunt, quibus repletio sæpiùs quàm inedia causam præbet: ac plerunq; maioris est laboris ingestum consumere & dissipare alimentum, quàm comparare. Sed perinde ac si Danaides quærerent anxiè qualem acturæ vitam forent, & quid rei gesturæ, si dolij sui tractatione liberarentur: ita nos percunctamur, si contingeret nobis finem facere tam varia terra mariq; conquirendi & congerendi in carnem nostram inexplebilem, quidnam essemus acturi. quia ob imperitiam rerum pulcrarum vitam necessitatibus inseruientem amamus. Quemadmodum igitur qui seruierunt, libertatem consecuti pro sese ac propter se ipsos ea faciunt, quæ olim dominorum obeuntes ministeria fecerant. sic anima nunc quidem multis occupata est laboribus in alendo corpore: sed eo ministerio vbi fuerit exonerata, seipsam nimirum libertate potitam alet, viuétque in sese & in veritatem intuens, nemine aliò abripiente aut abducente. Hæc, Nicarche, de alimento fuerunt disputata. Nondum finem dicendi fecerat Solon, cùm intrò venit Gorgias Periandri frater, à Tænaro reversus, quò missus fuerat vt oraculis quibusdam ita monentibus rem sacram faceret, ac pompam duceret. Eum à nobis salutatum, Periander amplexus atque osculatus, iuxta se collocauit. Ibi fratri Gorgias seorsim quædam renunciauit, ita audienti, vt satis appareret variè ea narratione affici eum, modò dolentis, mox indignantis, sæpè diffidentis, mox admirantis speciem præbentem. Tandem ridens nos ita affatur: Cupio, inquit, iam nunc vobis narrare quid nuncij acceperim: sed vix audeo, qui meminerim Thaletem aliquando dixisse, efferenda ea esse quæ sunt probabilia, reticenda incredibilia. Sub hæc Bias: Atqui, ait, Thaletis hoc quoque sapienter dictum est, hostibus etiam vbi credibilia narrant fidem derogandam, amicis etiam quæ fidem excedunt creden-

credenda esse. inimicos aūt ego cēseo malos & fatuos, amicos ab eo dici bonos & prudentes. Proinde, inquit Periander, coram vniuersis Gorgia rem expone, aut potius ad nouos istos dithyrambos illis, quæ affers, recitādis deduc. Tum Gorgias huiusmodi narrationem habuit. Cum sacrificium tribus diebus exactis confecissemus, vltimáque solenniter vniuersi noctem insomnem ad litus cum chorea & ioco duceremus, Luna mare illustrante, nulloque spirante vento, sed malacia ac tranquillitate obtinente, eminus horror quidam maris cōspectus est versus promontorium vergens, incitatione aquæ spumam strepitúmque edente magnum, vt vniuersi nō sine admiratione ad locum quò appellebat adcurrerimus. Priusquam verò possemus coniicere quid esset q̄d advehebatur (celeritate enim impediebamur) delphines conspecti sunt, alij confertim in orbem circumnatantes, alij ad litus quà læuissimum erat præeuntes, alij subsequentes à tergo & agmen claudentes. in medio autem super mare extabat moles quædam vehentis corporis, ignota nobis & indiscreta: donec delphini coëuntes & ad litus vnà applicantes in terram exposuerunt hominem viuentem ac mouentem sese. inde ipsi rursum ad promontorium reversi maiore quàm antè saltatione luserunt, præ voluptate (vt apparebat) quadam exsultim lasciuientes. Ibi verò plerique de nostris consternati à mari profugerunt: ego & mecum pauci sumus ausi accedere. Invenimus ergo & agnouimus Arionem citharœdum, qui & nomen suum edebat ipse, & amictu innotescebat: gerebat enim vestem qua in certaminibus musicis solebat vti. Hunc nos in tabernaculum detulimus. neque quicquam illi erat mali, nisi quod à celeritate & impetu vectationis defatigatus nonnihil languebat. Audiuimus autem ex eo narrationem omnibus incredibilem, præterquam nobis, qui finem & exitū rei spectauimus. Aiebat enim se, cum iampridem ex Italia discedere in animum induxisset, litteris Periandri vt id maturaret permotum, Corinthiam nauim onerariam forte tum oblatam conscendisse. cúmque vento veherentur satis commodo, animadvertisse se, nautas ipsi necem machinari, idque se deinde etiam ex rectore nauis cognouisse, clanculum monente statuisse nautas consilium suum noctu exsequi. Tum se omni destitutum auxilio, & in extremis hærentem difficultatibus, diuino quodam animi instinctu impulsum vt corpus exornaret, ac vestem qua in certaminibus obeundis fuisset vsus pro funebri sumeret, & sub finem vitæ caneret, neque hac in parte oloribus palmam concederet. Sic ergo ornatum se dixisse nautis, venisse sibi in mentem vt Pythicam cantilenam pro sua nauisque & comitum salute cantaret: adstitisséque in puppi ad fores, invocationéque marinorum numinum quadam præmissa, inde ad fides cecinisse Pythiam odam. Nondum planè medium cantilenæ cum absoluisset, occubuisse Solem, conspectámque fuisse Peloponnesum. Nautis verò non iam vlteriùs noctem præstolantibus, sed ad cædem se convertentibus, cùm nudari gladios, & gubernatorem caput velare iam videret, sese quàm potuisset longissimè à naui in altum proiecisse. Verùm priusquam totum corpus subsideret, delphinis subeuntibus elatum se fuisse, plenum initio anxietatis & ignorationis atque perturbationis. cum autem leniter veheretur, multósque circa se congregari delphinos cerneret placidè, onerique pernices velvti necessario & publico subire, simúlque nauis procul à tergo relicta velocitatem vectationis argueret: tum verò aiebat sibi neque mortis tantum metum, neque vitæ cupiditatem tantam ad animum accidisse, quantum sibi studium incessisset, vt seruatus & diis charus videretur, & firmam de iis opinionem conciperet. Simúlque se cùm cœlum intueretur stellis frequentissimis nitens, lunámque fulgidam & puram exorientem, stante mari tranquillo vndiquaque, & sine fluctibus cursum velvti semitam scissam præbente: cogitasse se cū animo suo, non vnum duntaxat iusticiæ esse oculum, sed his omnibus circumcirca Deum obseruare quæ terra marique agantur. His cogitationibus corporis partes grauatas iam & lassas fuisse recreatas. Tandem cum ad promontorium appulissent delphini, quod sublime erat ac præruptum, optimè eius asperitatem eos cauisse ac circumflexisse, ponè adnatantes: donec in terra ipsum, velvt nauim in portum tutum, deposuissent. vt planè senserit, Dei procuratione sic vectum sese fuisse. Hæc cum Ariō exposuisset: ego, addebat Gorgias, percunctatus sum, vbi putaret nauim istam appulsuram. respondit, omnino ad Corinthum, sed multo pòst venturam. nam se vesperi elapsum è naui existimare vectum esse non minus 1 ɔ stadiis spacium: & statim malaciam fuisse obortam. Dicebat præterea Gorgias se & naucleri nomine, & gubernatoris, & insigni nauis cognito, emisisse naues, & milites qui loca nauibus appellendis idonea

Arionis fabula.

obseruarent, dissimulato quod secum ferret Arionem, ne sontes fuga elabi re cognita possent. omnino autem diuino casui fortunæ hanc rem respondere: simul enim & se huc advenisse, & significatum sibi esse nauim in eorum quos emiserat militum potestatem vnà cum negociatoribus & nautis venisse. Sub hæc Periander Gorgiam statim surgere iussit, depræhensosque istos in carcerem compingere, vbi nemo accedere, aut de seruato Arione eos certiores reddere posset. Tum Aesopus: Vos verò, inquit, graculos meos & coruos disserentes subsannate porrò, cùm delphini hoc modo iuuenentur. Ego autem: aliud, inquam, Aesope est quod dicimus * hæc enim oratio, cui nos fidem adhibemus, ampliùs mille iam annos durauit, ab Inûs & Athamantis vsque temporibus. Solon verò hunc excipiens sermonem: Hæc quidem, inquit, Diocles, ad Deos propiùs pertinent, suntque nobis superiora. humanum est, & ad nos attinet, quod Hesiodo evenit. puto enim te narrari audiuisse. Non sanè, inquam. Atqui, ait, auditu digna res est. Milesius quidam, cum quo hospitij ac convictus vsus Hesiodo intercedebat, apud Locros hospitis filiæ pudiciciam clàm imminuerat: re comperta creditum est Hesiodum ab initio conscium flagitij fuisse, in eòque occultando operam nauasse. cùm quidem hic insons, nulla sua culpa in iram hominum per calumniam & sinistras incidisset suspiciones. Nihilominus eum puellæ fratres apud Locrēse Nemeum siue nemus ex insidiis trucidauerunt, vnàq; asseclam ipsius Troilum. Cæterùm cadaueribus in mare devolutis, Troili cadauer foras in Daphnum fluuium delatum, apud scopulum aquis ambitū & non ꝓcul à mari dissitum detentum fuit, qui scopulus etiamnū Troilus dicit̃. Hesiodi aūt cadauer, vbi primùm à terra excidit, excipiens delphinorum grex ad Rium & Molycriam deportauit. Fortè tum Locri solennē conventum agebant apud Rium, ac sacris operabant̃ publicis, quæ etiamnū splendidè isto in loco peragunt̃. Cum verò cadauer videret̃ adferri, mirati (vt par erat) ad litus adcurrerunt. cúmq; cadauer recens interfecti Hesiodi agnoscerēt, gloria hominis permoti nihil antiquius habuerunt quàm cędis autores quærere. ac citò iis successit res, invētósq; percussores viuos in mare præcipitauerunt, & eorum domū diruerunt. Ipse Hesiodus apud Nemeum sepultus est. & sepulcrū eius pleriq; peregrini ignorant. occultat̃ enim ꝓpter Orchomenios, qui id quærunt, & reliquias Hesiodi monitu oraculi cuiusdā auferre, & apud se humare cupiūt. Itaq; si delphini ita sunt adversus mortuos humani atque familiariter affecti, multo ꝓbabilius est viuis eos opem ferre, maximè vbi fistulis aut cantu invitant̃. Hoc enim iam omnibus nobis compertum est, musica animalia ista delectari, eámq; assectari, & iuxta vehentes in tranquillo cum cantu ac tibia adnatare. Natatione etiam puerorum gaudent, certántq; cum nantibus. Itaq; lege non scripta cautum iis est de securitate. nemo enim eos piscatur aut lędit: nisi si quando in retia ingressi piscationi nocent. tunc enim puerorum instar delinquentium verberibus castigantur. Ac memini me de Lesbiis audire, puellam quandam è mari à delphino fuisse seruatam. Verè, inquit Pittacus, hoc narratum tibi fuit: est enim res nota, & multorū memoria cònfirmatur. Lesbum condentibus oraculum mandauerat, vt cum nauigando ad stationem appulissent nomine Mesogeum, quasi Mediterraneum dicas, ibi tum Neptuno taurum, Amphitritæ ac Nereidibus viuam virginem demitterent in mare. Septem erant duces ac reges, octauus Echelaus princeps deducendæ colonię oraculo constitutus, isque etiamnum cœlebs. Cùm reliqui septem sorte de innuptis liberis comparassent, ea sorori Sminthei obtigit. hanc igitur vestibus & auro exornarunt, eránt que cùm loco appropinquassent conceptis votis in mare abiecturi. Erat inter eos qui vnà nauigabant adolescens quidam indolis nequaquam malæ, cuius nomen Enalus perhibetur. is cùm puellæ istius amore teneretur, & studio eius seruandæ ineffabili duceretur, sub ipsum temporis articulum impetu dato eam complexus, vnà se in mare demisit. Ac statim quidem fama certitudinis expers, sed cui tamen multi de exercitu fidem adhiberent, didita fuit incolumes eos fuisse in terram delatos. Postea verò temporis aiunt ipsum in Lesbo fuisse visum Enalum, ac narrasse, à delphinis se è mari in continentem citra periculum fuisse evectos. Possem alia his diuiniora, ac multorum animos quà percellentia quà demulcentia commemorare. sed difficile est omnibus fidem facere. Cùm enim fluctus ingens circa insulam attolleretur, hominésque ad mare accedere non auderent, solum ferunt Enalum accessisse, & secutam eum esse polypodum multitudinem ad templum vsque Neptuni, maximo lapidem gestante, quem Enalus dedicauerit. isq; lapis à nobis Ei dicitur. In vniuersum autē

De Hesiodi morte narratio.

Delphini hominum & musicæ amantes.

Puella à delphino è mari seruata.

vt verbo dicam, qui inter id q̃d fieri nefas est, & id q̃d invsitatum est distinguere possit, intelligátq; aliud esse à vero, aliud ab opinione hominum alienum, is ô Chilo tuum illud Ne quid nimis seruans, modum in habenda derogandáque fide tenebit. Post hæc Anacharsis ita locutus est. Cùm rectè senserit Thales in omnibus præcipuis mundi partibus ac maximis animã esse, admiratione dignum nõ est quòd pulcerrima quæque diuino nutu efficiuntur. Corpus enim animæ, anima instrumentum est Dei. & sicvt corpus à sese multos habet, plurimos verò & optimos motus ab anima: sic rursum anima alia suopte instinctu agit, in aliis deo sese vtenti præbet dirigendam atque eius arbitrio mouendam, cum sit omnium instrumentorum pulcerrimum. Inique enim fuerit comparatum, si ignis instrumentum sit, & ventus, & aqua, & nubes, & pluuiæ, quibus multa Deus seruat & alit, multa perdit atque abolet: animalibus cum ad nullum prorsus suum opus vti. cùm rationi magis consentaneum sit animalia suspensa à vi diuina, ei subseruire, motúsque eius subsequi, quàm Scythis arcus, Græcis lyras & tibias obtemperare. Deinceps Chersias poëta cùm aliorum mentionem intulit mirabiliter seruatorum, tum Cypseli qui pater Periandri fuit. eum enim, cum missi occisum puerum admodum oblatum declinassent, pœnitentiáq; ducti rursum quærerent, inventum non fuisse, cùm esset à matre in cypselam, id est cumeram, abditus. itaq; ædem etiam Cypselum Delphis dedicasse, quod tunc temporis à Deo se inhibitum fuisse crederet ne vagiret, itáque lateret inquisitores. Tum Pittacus Periandrum alloquens: Bene, inquit, à Chersia factum est, qui ædis istius mentionem proposuit. Sæpenumerò enim ex te volui quærere causam ranarum istarum, cur tam multæ ad fundum palmæ torno insculptæ sint, ac qua ratione Deum dedicantémve attingant. Hîc cum Periander Chersiam interrogandum diceret, cui notum id esset, vtpote qui in dedicatione adfuisset Cypselo, subridens Chersias: Non, inquit, priùs ego id explicauero, quàm ex his intelligam, quid sibi velit eorum isthuc Ne quid nimis, & Nosce teipsum, & (quæ vox multos à nuptiis, alios à fide interponenda deterruit, nonnullos planè mutos fecit) Sponde, præstò noxa est. Quid verò, inquit Pittacus, necesse est tibi nos ea enarrare, cùm Aesopi orationem de singulis istis compositam laudes? Et Aesopus: Chersias (ait) quoties mecum iocatur, iocatur autem seriò, Homerum istorum dictorum autorẽ facit. Hectorem enim sui ipsius noticiam habuisse dicit, qui alios invadens,

Maiori tamen Aiaci concurrere cauit. **Iliad.λ,542.**

& Vlissem laudatorem huius sententiæ, Ne quid nimis, sic præcipere Diomedi:

Tydide, nimium neq; me lauda, neq; culpa. **Iliad.κ,249.**

Sponsionem autẽ alij putant eum traducere vt rem periculosam & futilem, his verbis:

Pro prauis spondere equidem est res plena pericli. **Odyss.θ,351.**

Chersias autem noster Aten ait propterea fuisse à Ioue de cœlo præcipitatam, quòd interfuisset sponsioni de Herculis natalibus, qua Iupiter circumventus fuit. **Iliad.τ,126.** His subiecit Solon hæc verba: proinde pareamus sapientissimo Homero,

Iam nox incessit: nocti nos cedere verum est. **Iliad.η,282.**

ergo libemus Musis, Neptuno, Amphitritæq;: eoq; facto, nisi vobis contrà videtur, conuiuium dissoluamus. Hic fuit, Nicarche, istius conventus finis.

Anima corpus, animam deus mouet.

Plutarchi De superstitione libellus.



INSCITIA deorum atq; ignoratio iam inde ab initio in duos quasi riuos dimanãs, ab vna parte in duris ac refractariis ingeniis tanquam in aspero solo impietatem, quæ nullos putat esse deos, ab altera velvti in molli ac tenero solo superstitionem animis lenibus ingenerauit. Est quidem omnis falsa opinio, maximè de talibus rebus, perniciosa: cùm verò animi perturbatio adiungitur, perniciosissima existit. Omnis enim animi perturbatio, instar morbi est cum inflammatione coniuncti. & sicvt luxationes artuum humani corporis acce-

Error cum animi perturbatione, exitiosus.

dente vulnere, ita animi errores perturbatione comitante periculosiores sunt. Putat aliquis individua corpuscula & inane vniuersi esse principia: falsa est opinio, sed vlcus non gignit, neque palpitationem, neque dolorem lancinantem. Opinatur aliquis diuitias summum esse bonum: hic error venenatus est, animam depascitur, abalienátque, dormire non patitur, identidem exstimulat, de saxis præcipitat, strangulat, libertatem adimit. Sunt rursus qui virtutem & vitia corpori adsignant: fœdus profectò hic error, non tamen dignus deploratione & lamentis. Aliæ quædam sententiæ sunt ac opiniones, vt

O misera virtus, verba tu cùm sis, ego
Tanquam rei nauaui operam tibi, — omissa diuitias largiente iniusticia, & omnis voluptatis ferace intemperantia. huiusmodi opiniones cùm deplorandæ sunt, tum indignè ferendæ, quia vbi animo insunt, ibi multos morbos multásque perturbationes vermium instar ac lumbricorum ingenerant. Proinde, vt de iis dicam de quibus institutus est nobis sermo vitiis, impietas prauè sentiens nihil esse beatum, nihil interitus expers, animo quendam videtur stuporem inducere negatione numinis, finísque non credendi deum esse, est metu vacare. Superstitionem Græci desidæmoniam nominant: qua voce intelligitur opinionem de diis esse turbulẽtam, ac timorem incutere homini, quem consternat & deprimit, existimantem quidem esse deos, sed eos acerbos damnosósque esse putantẽ. Ac videtur is qui nullos putat esse Deos (quem impij voce intelligi volumus) nihil moueri numinis mentione: superstitiosus autem moueri quidem, sed perversè. illi enim ignoratio ne credat esse quod prodest confert: huic, idipsum vt credat esse damnosum. Ergo impietas opinio est falsa, superstitio affectus animi ex errore ortus. Turpes quidem sunt omnes animi morbi, fœda omnia eius vitia. tamen alacritas quædam & elatio animi adest ob leuitatem, neque impetui ad agendum quicquam ferè decedit. hoc commune omnium animi perturbationum crimen est, quod ad agendum vi quadam incitant, rationémque vrgent & circumscribunt. Solus metus, cùm non minùs quàm audacia rationis sit expers, vacuitatem rationis habet segnem, ociosámque & perplexam, animúmque perturbat & vincit territum: vnde metum desma, quasi ligamentum, Græci dixerunt. Neque verò vllus metus est qui perinde ab agendo abducat & hæsitare cogat, atque superstitio. Non metuit à mari sibi qui non nauigat: non bellum militiæ exsors, non latrones timet qui domi se continet, non sycophantam pauper, non inuidiam plebeius, non terræmotũ in Gallia, non fulmẽ in Aethiopia formidatur. qui deos metuit, omnia metuit, terram, mare, aërem, cœlum, tenebras, lucem, rumorem, silẽtium, somnium. Obliuiscuntur herilium minarum serui dormiẽtes, qui in compedibus sunt, iis vincula somnus alleuat: inflammationes, vulnera, sæua carnis & serpẽtia vlcera, doloresque acerrimi somno mitigantur.

Impietatis & superstitionis comparatio.

Metus qualis affectus.

Eurip. Oresta.

Morbi leuamen suaue, & oblectatio
Iucunda, somne, quàm tempestiuè mihi
Nunc obtigisti. — inquit ille. Hoc dicere non sinit superstitio. soli huic nullæ sunt per somnum induciæ, neque vnquam quiescere animum patitur, neque se colligere cum acerbis & molestis de numine opinionibus dimotis: sed velut in impiorum regione in somno superstitiosorum simulacra terribilia, & visa monstrosa feruntur: & superstitio semper pœnas quasdam exercens, miserámque exagitans animam somniis somno exturbat, à seipsa tanquam ab alio aliquo excarnificatam, durísque & absurdis parentem mandatis. Postquam evigilauerunt, nõ contemnunt somnia sua, neque rident aut delectantur eo, quòd nihil eorum quibus turbati fuerunt verum sit: sed vmbram fugientes fraudis innoxiæ, re vera sese decipiunt, ac conturbant, sumtúsque faciunt in agyrtas atque impostores incidentes, qui eis sic dicant:

Somnus superstitiosorum.

Si te nocturna visa terruerunt,
Hecatésve comesatio terrenæ:

vetulam voca quæ pistrino adsidet, & mari corpus merge tuum, ac per totum diem humi deside.

Hui, quàm mala inuenistis Græci barbara.

cœno contaminari, desidere in sterquilinio, sabbatum seruare, proiicere se in faciem, turpiter sedere, ritu alieno adorare superstitionis causa iubentes. Qui videbantur legitimam conseruare musicam, ij iusto ore citharœdos canere iubebant. Nos quoque postu-

poſtulamus, vt recto & iuſto ore deum invocetis: neq; in hoſtia quidem examinetis an pura ſit & recta lingua, interim verò veſtras ipſorum linguas pervertentes & inquinantes, abſurdis nominibus ac barbaricis vocibus fœdetis ac pervertatis diuinam atque à maioribus acceptam religionis autoritatem. In comœdia quidam adverſus eos qui ſpondas auro argentóve obducerent non ineleganter dicit, non debere eos ſibi ipſis ſomnum ſumtuoſum facere, quem ſolum gratis dij nobis largirentur. idem poſſis ſuperſtitioſo dicere, Somnum dij nobis dederunt requiem & obliuionem laborum: cur tu eum tibi perpetuum redigis tormentum ac dolores miſeræ animæ eo excitas, quæ alium ad quem confugiat ſomnum non habet? Heracliti eſt, viuis vnum eſſe & communem omnibus mundum, dormientium quenq; in peculiarem divertere. Superſtitioſo autem nullus eſt communis mundus. nam neq; vigilans ratione recta vtitur, neque ab eo quod ipſum perturbat ſomno liberatur. ſed dormit ratio, ſemper vigilat metus, fuga mali aut requies nulla datur. Terribilis fuit Sami tyrannus Polycrates, Corinthi Periander. nemo tamen hos timuit qui in liberam & populari forma cõſtitutam ciuitatem ſeceſſiſſet. Qui verò deorum imperium tanquam tyrãnidem metuit tetricam & inexorabilem, quô concedat, quô fugiat, quam terram dei expertem, quod mare inveniat? in quam mundi partem penetrabis, ibiq; te abſcondens, effugiſſe te deum putabis miſer? Lex ſeruis hoc largitur, vt libertate deſperata vendi ſe poſtulent, æquioreq; domino præſentem mutent. Superſtitio deorum mutationem non relinquit, neq; inveniet deum quem non formidet, qui paternos & natalicios timet, qui Seruatores & Propicios metuit horrétq; eos, à quibus petimus diuitias, copiam, concordiam, pacem, & verborum factorúmq; optimum ſucceſſum. Iam iſti ſeruitutem pro calamitate habent, referúntq; iſthæc:

Beneficium legis in ſeruos.

Grauis viro, grauis eſt mulieri calamitas,
Seruire ſub dominis parum felicibus.

Quanto deteriorem putatis eſſe eorum ſortem, qui metuunt quos evitare, à quibus profugere vel tranſire non licet? Aræ ſunt ad quas confugere tutò ſeruus poſſit, multa ſunt, quæ à latronibus non violantur templa, & qui hoſtem fugit, ſimulacrum aut fanum tenens animum recipit. Superſtitioſus hæc maximè timet & expaueſcit, in quibus ſpem habent repoſitam qui extremorum malorum ſunt in metu. Noli avellere templo ſuperſtitioſum: ibi enim punitur atq; excruciatur. Quid multis? Omnibus hominibus vitæ finis eſt mors: ſuperſtitioni ne ea quidem. profert enim hæc ſuos terminos vltra vitæ exitum, metúmque vita diuturniorem facit, annectitq; morti malorum cogitationem immortalium, etiam tum cum ſoluitur malis, ingredi ſe putans in mala nullum habitura finem. Orci neſcio cuius portæ aperiuntur profundæ, & fluuij ſimul ignis, ſtygiſq; panduntur riui, tenebræq; obducuntur viſis multis refertæ ſimulacrorum adſpectu terribilium, ac voces horrendas emittentium. tum iudices & carnifices, hiatúſq; & penetralia malis infinitis plena. Ita infelix ſuperſtitio id ipſum quod non patiendo effugit, expectando ſibi calamitoſum reddit. Nihil horum eſt in impietate. ſed ignoratio damnoſa, magnáq; animæ calamitas eſt cæcutire in tantis rebus, quæ noticiam Dei, de multis mentis oculis longè luciſſimum excæcat. ſed, ſicvti dixi, perturbationes animi, vlcera tumultus, & ſeruitus opinionẽ deorum ſequuntur. Muſicam ait Plato concinnitatis opificem hominibus à diis datam, non luxus gratia & pruritus aurium: ſed quoniam animi circuitiones turbulentæ & vagæ in corpore Muſę & gratiæ inopia, ſępenumerò incontinentia & errore luxuriant: vt rurſum in ordinem eius opera redigi poſſint. nam, vt Pindarus ait,

Superſtitio morte non finitur.

Muſica.

Quæcunq; Iupiter non dilexit,
Perturbantur vocem Pieridum audientia:

etenim efferantur, & indignantur. quomodo tigres aiunt circumſonantibus tympanis in rabiem agi, ita vt ad extremũ ſeipſas dilanient. Minus igitur mali iis eſt, qui ob ſurditatẽ Muſicam prorſus nõ ſentiũt, neq; ea quicquam afficiuntur. Infortunatus fuit Tireſias, quod videre liberos & amicos non potuit. infeliciores eo fuerunt Athamas & Agaue qui liberos videntes, leones & ceruos eſſe putauerunt. ac nimirum Herculi furenti vtilius erat præſentes filios neq; cernere neq; ſentire, quàm cariſſimos ita vt hoſtes tractare. Quid ergo? non videtur tibi impiorum affectus eo modo à ſenſu ſuperſtitioſorum differre? Illi omnino nullum agnoſcunt numen, hi deos eſſe cenſent. illi negligunt: hi terribile opinantur quod benignum eſt, quod paternum eſt, & tutela-

Impij ſuperſtitioſis feliciores

rem curam gerit, ac sincerum est, tyrannicum, damnosum, & sæuum existimant. Ergo fabris ærariis, lapicidis, ac iis qui cerea sigilla fingunt credentes, humano corpori similia putant esse deorum corpora, ac talia fingunt adornántq; & adorant: philosophos autem & ciuiles viros despiciunt, qui deorum maiestatem docent cum bonitate, magnanimitate, benignitatéq; & procuratione esse coniunctam. Ergo illi nimis sunt stupidi & fidem non habent bonis vtilibus: illi perturbantur, metuúntq; vnde vtilitatem percipere debebāt. omninóq; impietas stupor quidam est deos non sentientium, neque suum bonum agnoscentium: superstitio varios affectus animi procreat, bonum pro malo ducentis. Metuunt deos superstitiosi, & ad eosdem confugiunt, adulantur iis & malè dicunt, invocant & incusant. Commune hoc omnium est hominum, non semper secunda vti fortuna. Dij enim morborum, senij, ærumnarúmq; sunt expertes, & (vt ait Pindarus) effugerunt raucum sonantis fretum Acherontis. res humanæ aliàs aliter evenientibus temperantur casibus. Iam primùm in iis quæ contra animi sententiam contingunt mecum considera quomodo sit affectus qui nullos credit esse deos. siquidem aliàs moderatus fuerit homo, tacitus fert fortunam suam, auxiliáq; sibi & solatia comparat: quod si iniquiùs eam fert, omnes suas querelas in fortunam & casum dirigit, vociferatúrq; non iustè aut à providentia dispensari humanas res, sed omnia confusè ac promiscuè ferri atq; raptari. Non hic mos est superstitiosi. sed etiam si leuissimum aliquid acciderit malum, sedet mœrendo alios sibi difficiles affectus, magnósque & pertinaces affingens, vltróq; sibi ingerens metus, ac terrores, suspiciones, trepidationes, omníq; luctu & gemitu percellitur. nō enim hominem, fortunam, occasionē, séve accusat, sed omnia deo imputat: ab eo in se ingruisse ait fluxum calamitatis diuinitus immissæ, neq; miserum se, sed diis exosum hominem à diis puniri, istáq; perpeti. quod non iniuria credit, ita animo affectus. Rursum impius ægrotans reputat memoriáq; recolligit q̄ties cibo se nimio aut vino onerauerit, aut victus rationē conturbauerit, aut labore contentiore defatigauerit, tum aëris aut loci mutationes insolitas. Quod si in gerenda rep. offendit, & à populo ignominia affectus, aut apud principem falso crimine delatus est, causam in seipso & suis perquirit,

Adversa vt ferant impij & superstitiosi.

Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non?

At superstitioso quævis & corporis invaletudo, & pecuniæ iactura, & liberorū mors, & in actionibus ciuilibus offensio aut repulsa pro diritate diuinitus invecta & insultu numinis habetur. itaq; non audet opitulari, aut corrigere casum, neque mederi aut reluctari, ne videatur repugnare deo, eiq; pœnam infligenti resistere. Si ægrotat, excluditur medicus: si in luctu est, arcetur philosophus consolatum veniens. Sine, inquit, me pœnas dare, hominem impium & detestabilem, diis geniísq; exosum. Hominis est deum esse ignorantis, vbi ingens dolor incessit, lacrymas abstergere, comam desecare, vestē ponere. Sed superstitiosum alloquēdi aut subleuandi nulla permittitur occasio. foris sedet amictus sacco, aut sordidis cinctus centonibus: sæpe etiam nudus in cœno se volutans, peccata quædam sua aut delicta eloquitur, quod aliquid ederit, biberitve, aut aliquò ambulauerit inuito numine. Si verò optimè cum ipso agatur, & superstitione laboret benigna, domi sedet, omnis generis sacrificiis circundatus. vetulæ enim ei tanquam paxillo, vt Bio dicebat, in quancunq; inciderint rem, eam pro amuleto appendunt. Teribazum ferunt, cùm à Persis compræhenderetur, stricto acinace, vt erat vir robustus, sese defendere aggressum, testantibus iis ac vociferantibus iussu regis se ipsum capere, statim abiecto ense manus ligandas porrexisse. Nónne id de quo disputamus, eodem modo habet? Alij repugnant rebus adversis, eásque repellunt, & effugia sibi machinantur aversionésq; incommodorum. Superstitiosus verò nemine alio hoc dicente, ipse sibi denuncians, miserum se providentia iussúq; diuino ista pati, omnem abiicit spem, prodit seipsum, aversatur opitulantes. Multa mala de mediocribus exitialia redegit superstitio. Midas ille priscus perturbatus quibusdam vt fertur somniis, animíq; anxius, eò pervenit mœsticiæ, vt poto tauri sanguine mortem vltrò sibi conscisceret. Aristodemus Messeniorum rex, in bello contra Lacedemonios, cùm canes luporum instar vlulassent, & circa lares paternos agrestis herba enata esset, eáq; signa arioli metuerent, animum despondit, sibíq; manus attulit. Ac ni fallor Niciam quoq; Atheniensium ducem multo erat melius Midæ aut Aristodemi exemplo superstitione liberari, quàm metu vmbræ Lunæ delinquentis ociosum sedere, dum ab hostibus circumcluderetur, ac deinde XL millibus suorum partim occisis

Superstitionis exitialis exempla.

sis partim captis in potestatem hostium veniret, turpíque morte periret. Nihil enim mali est, quod interiectu terræ Luna à Sole aliquādo nō illustratur, & in terræ vmbrā Luna certis circuitionibus incidit. id miserū est, quod superstitionis caligini incidens homo ita confunditur, rationísque vsus eius excæcatur, cùm eum res maximè flagitant.

Fluctus cærulei iam mare concitant,
Et nubes rapidi præuia turbinis — *Dij citra ignauiam invocādi.*
In gyrum celeri voluitur impetu:

hoc videns gubernator, votis quidem salutem expetit, ac deos Seruatores invocat: inter vota nihilominus clauum adducit, antennas demittit,

Atque inflata Noto carbasa contrahens
Obducto tenebris effugit è mari.

Hesiodus agricolæ præcipit, vt ante arationem atque sationem stiuam tenēs vota nuncupet Diti ac Cereri. Et apud Homerum Aiax singulari prœlio cum Hectore congressurus, Græcos iubet Deos pro se comprecari, ipse illis precantibus se armat. ac Agamemnon postquam pugnaturis præcepit, — Iliad. η,193.

Hastam quisque acuat, clypeúmque fideliter aptet: — Iliad. β,382.

tum demum Iouem sic precatur,

Da Priami nobis euertere funditus aulam, — Ibid. 414.

virtutis enim spes, non timiditatis prætextus est Deus. At verò Iudæi sabbato desidentes ociosi, hostibus scalas muris admouentibus, murósque occupantibus nihil se mouerunt, sed superstitione tanquam reti capti se continuerunt. Talis est superstitio rebus & occasionibus voluntati nostræ non convenientibus, & cum periculo coniunctis. Sed ne in iucundis quidem rebus præstat impio superstitiosus. quales sunt feriæ, epulę ad templa, invitationes, orgia, votorū nuncupationes, & venerationes, quæ solent hominibus esse iucundissima. Hîc si consideres impiū, videbis eum insano diffluere cachinno, Sardonióque ista risu ludere, & alicubi ad familiares submissa voce dicere, vano fastu agi & insanire qui deos his rebus coli opinētur: præterea autē mali nihil eum habere. Superstitiosus autē cupit quidē, sed non potest gaudere aut delectari,

Vrbs tota cùm suffitibus referta sit,
Pæanibúsque, gemitibus & suspiriis

anima superstitiosi occupatur. pallet coronatus, sacrificans trepidat, tremēte voce vota facit, manibus adolet titubantibus, omninóque ostendit nugatū esse Pythagorā, cùm diceret optimè nos habere cū ad deos accedimus. tunc enim miserrimè pessiméque affecti animo sunt superstitiosi, non aliter quàm si ad vrsorū caueas, aut draconū foueas, cetorúmve specus irent, ad templa delubráque deorum adeuntes. Itaque mirari mihi subit eos à quibus impietatis damnantur qui deos esse negant, & superstitio impietas esse non putatur. Atqui Anaxagoras impietatis damnatus est, quod Solem dixisset esse lapidē: Cimmerios nemo impios iudicauit, qui ne esse quidem vllum cēsent Solem. — *Superstitiosos esse magis impios, quàm qui deos esse negāt.*

Quid ais? qui opinatur nullos esse deos, impius est? qui tales esse credit quales superstitiosus, non longè magis impiis opinionibus tenetur? Ego sanè malim inter homines de me hunc esse sermonem, nullum omnino esse Plutarchum, quàm hoc dici, esse Plutarchum hominem inconstantem, mutabilem, pronum ad iram, vindictæ ob leuissimas causas cupidum, ob minima quæque indignantem: qui si vocandis ad cœnam aliis ipsum pręterea, aut occupatione impeditus ad eum non veneris salutatum, mordicus arrepto tibi corpus exedat, aut filium abreptum excarnificet, aut belluā ad hoc educatam frugibus tuis immittat vastétque proventus telluris. Athenis cùm Timotheus caneret Dianam insanam, furiosam, diuino instinctu concitam, rabiosam, surgens de spectatoribus Cinesias cantilenarum conditor, Talis, inquit, tibi detur filia. Atqui similia his atque etiam deteriora superstitiosi de Diana sentiunt * * neque his meliora de Apolline, Iunone, & Venere. omnes enim hos deos metuunt ac tremunt. Et verò quid tam contumeliosè dixit Niobe de Latona, quàm de hac credere fecit superstitio fatuos homines: scilicet eam maledicto iritatam sagittis confecisse miseræ Niobes

Sex natas, totidem natósque ætate vigentes: — Iliad. ω,604.

adeò implacabilis scilicet erat, vt exsatiari alienis calamitatibus nequiret. quæ dea si re vera fel habebat, malósque oderat, & ferre maledicta nequibat, neque ridebat potius

inscitiam ignorationémq; humanam: succensere profectò iis debuit, qui tantam ei acerbitatem sæuiciámq; falsò adscribunt, taliáq; de ipsa dicunt ac litteris mandant. Obiicimus Hecubæ immanitatem vt belluinam & barbaram, quæ dicit

Iliad. ω, 212.

——Vtinam medium iecur eius
Nacta vorare queam.——

At Syriam deam superstitiosi putant, si quis mænam aut apuam edat, eius crura corrodere, corpus vlceribus opplere, iecur colliquare. An ergo dicere de diis praua impium est, sentire non item? aut vocem potiùs improbam opinio facit maledicentis? certè enim ideò maledicta damnamus, quia signum sunt malevolentiæ, & qui malè nobis dicunt, eos pro inimicis habemus, vt infidos & malè de nobis cogitantes. Vides quid de diis sentiant superstitiosi? stupidos, infideles, mutabiles, vindictæ cupidos, crudeles, & qui minimis rebus offendantur eos esse putant. vnde necesse est superstitiosum & odisse deos & metuere. quid ni enim? cum ab iis maxima sibi illata esse, illatúmq; iri mala existimet. iam qui deum odit & metuit, eius est inimicus. Neq; interim mirum est, quòd eos timens, adorat ac sacris veneratur, & ad templa assidet. Nam tyrannos quoq; coli videmus & salutari, iisq; aureas statuas poni ab iis, qui tacitè eos oderũt & execrantur. Alexandrum Hermolaus demerebatur, stipator Philippi erat Pausanias, Chærea C. Caligulæ, sed horum vnusquisq; inter assectandum dicebat,

Superstitiosi deorũ inimici.

Certè equidem pendes, modò sint vires mihi, pœnas.

Non credit deos esse impius, superstitiosus nullos esse cupit, inuitúsq; esse credit, non audens diffidere. quod si posset, sicvt Tantalus lapidem cupit à se remouere, superstitiosus opinionem suam (qua non leuiùs vrgetur) abs se proiicere, amplecteretur vtiq; & beatam duceret impij sententiam, vt liberalem. Nunc impius quidem superstitione vacat, superstitiosus autem animi instituto impius, imbecillior est quàm vt sentiat de diis quod vult. Præterea impius nusquam superstitioni causam aliqua ex parte præbet. superstitio & initium prębuit impietati, & ortæ patrocinium non iustum quidem aut honestum, tamen præscriptionis non exsors. Non enim in hanc sententiam homines venerunt vt Vniuersum diis carere putarent, quod in cœlo, sideribus, tempestatibus, conversionibus & motibus Solis circa terram, quibus dies & nox efficiuntur, aut alimentis animalium, frugúmve proventibus culpandum aliquid inordinatúmve viderent. sed ridicula superstitionis opera atq; affectus, verba, motus, præstigiæ, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsationes, lustrationes impuræ, sordidæ castimoniæ, barbarica & iniusta in templis supplicia, ac contumeliæ occasionem exhibuerunt nonnullis dicendi, præstare nullos esse deos, quàm qui talia probent, iisq; delectentur, adeóq; sint contumeliosi, sordidi, & morosi. Nónne enim magis expediebat Gallis istis & Scythis nunquam in mentem venisse aliquid de diis, nihilq; eos de vllo numine imaginatos fuisse aut auditu percepisse, quàm opinari deos esse, qui sanguine iugulatorum hominum gaudeant, idq; esse perfectissimum sacrificium statuant? Nónne vtilius erat Carthaginẽsibus iam inde ab initio Critia vel Diagora ad condendas leges adhibito decernere nullum esse deum, nullum geniũ: quàm talia sacra facere, qualibus illi Saturno operabantur? vbi non, vt Empedocles ait repræhendens eos qui animalia sacrificant,

Superstitio impietatis origo.

Mutata genitor iugulans sua pignora forma
Immolat, & vanis stultus ferit aera votis:

sed scientes prudentésq; suos ipsi liberos sacrificabant, & quibus nulla erat proles, ij à pauperibus infantes tanquam agnos aut pullos auium ad eam rem emebant: adstabátq; mater sine luctu aut gemitu, quem si ederet aut fleret, precio mulctabatur, & infans nihilominus mactabatur. & ante simulacrum omnia strepitu fistularum tympanorúmq; opplebantur, ne eiulatus mactati exaudiri posset. Quod si typhones aliqui aut gigantes diis profligatis nobis imperarent, putásne alia eos sacrificia, alióśve ritus fuisse desideraturos? Amestris, quæ Xerxis fuit vxor, Plutoni duodecim pro sese viuos homines defodit: quẽ quidem Ditem siue Haden Plato ait hoc nominis inde habere, quod humanus cùm sit, & sapiens, atq; diues, persuadendo ac sermone animas detineat. Xenophanes Physicus cùm videret in solẽnibus festiuitatibus plangere & eiulare Aegyptios, aptè eos sic monuit: Hi siquidem dij sunt, nolite eos lugere: sin homines sunt, nolite iis sacrificare. Cæterùm nullus est animi morbus tam multis erro-

erroribus perturbationibúsq; scatens, ac tam inter se dissidentibus & pugnantibus opinionibus refertus, atque superstitio. Fugienda itaq; hæc est. non tamen eo modo, quo nõnulli latronum aut ferarum insultum, ignémve inconsideratè & imprudenter fugientes, incidunt in loca invia, vbi præcipitia sunt & voragines periculosæ. Sic enim quidam superstitionem fugientes, dum transiliunt in medio positam pietatem, in asperam pertinacémque incidunt impietatem.

Plutarchi liber, De scitè dictis regum ac imperatorum, qui Apophthegmata dicitur.



ARTOXERXES Persarum rex, Traiane Cæsar Imperator maxime, existimans non minus regiam maiestatem decere & humanitatem parua benignè alacritérq; accipere, quàm magna largiri, cùm sibi iter facienti operarius quidam ac plebeius homo vtraq; manu haustam è profluente aquam (quia nihil habebat aliud) obtulisset, hilari vultu accepit, munus non vsu rei oblatæ, sed studio dantis metiens. Et Lycurgus minimi sumtus sacrificia Spartæ constituit, vt Deos immortales honorandi semper in promtu esset copia. Eo consilio ipse quoque tenue tibi munus, ac strenam, & primitias philosophiæ communes cùm offeram, autoris iuxtà studium, & commentarij vtilitatem vt probes rogo. conducet enim ad perspicienda ingenia institutáq; animi principum virorum, quæ magis in dictis eorum quàm actionibus elucent. Sanè aliud à nobis elaboratum opus continet illustrissimorum inter Græcos ac Romanos ducum, legislatorum, atque imperatorũ vitas. Verùm enimverò pleræque actiones admixtam habent fortunam: quæ verò inter agendum, intérq; animi affectiones & eventa proferuntur voces atq; pronunciata, purè tanquam in speculis contemplandum vniuscuiusque animi sensum proponunt. Ac Seramnes etiam Persa admirantibus quòd cùm sermone vteretur prudenti, actiones tamen ipsius successu destituerentur, dixit: Se in sua potestate orationẽ habere suã, in actiones suas fortunę ac regi ius esse. Cæterùm in eo quod dixi opere dicta vnà cũ factis cõmemorata, auditorem studio cognoscendi captum, sed eundem ocio fruentem exspectant. hìc ipsos pro se collectos sermones tanquam vitarũ iudicia & semina legendi tempus arbitror tibi nõ fore molestum: cùm breui eius spacio possis multos homines memorabiles considerare.

Dictorũ & factorum discrimen.

Persæ advnco naso præditos amant, pulcerrimósque eos iudicant. quod tali forma fuit CYRVS, quo neminem regũ ij maioris fecerunt. Is dixit, qui sibi ipsis nollent, eos cogi aliis cõmoda parare. Item: magistratu dignum non esse quenquam, qui non sit melior subditis. Cùm Persæ vellent pro sua regione, mõtosa ea & aspera, aliam planã & mollem occupare, prohibuit: quòd diceret & stirpium semina, & hominum mores locis adsimilari.

Locus mores mutat.

DARIVS Xerxis pater laudãs seipsum, dicebat se in prœliis & periculis esse solito prudentiorem. Cùm tributa imponeret subditis, proceres provinciarum evocatos interrogabat an ea essent grauia. cúmque responderent esse mediocria, dimidium eius quod proposuerat singulos pendere iubebat. Aperto grandi malo punico, interrogatus, cuius rei tantam sibi optaret multitudinem, quanta esset granorum eius mali, respondit: Zopyrorum. erat autẽ Zopyrus amicus regis, & vir bonus. Is Zopyrus cùm seipsum naso & auribus amputatis fœdasset, deceptísque hac fraude Babyloniis, rebus ab iis præfectus vrbem Dario prodidisset: sæpenumero Darius dixit, Malle se integrum habere Zopyrum, quàm C Babylonibus potiri.

Liberaliter.

SEMIRAMIS cùm ipsa sibi sepulcrum condidisset, inscripsit hæc: Si quis rex pecunia indiguerit, is recluso hoc monimento, sumat quantum volet. Darius aperto eo, nullam invenit pecuniam, sed in aliam incidit inscriptionẽ, cuius hic erat sensus: Nisi malus fuisses homo, & pecuniæ insatiabilis, nunquam sanè loculos mortuorum invasisses.

Semiramis.

Arimenes cum fratre suo XERXE Darij F. de regno contendens, è Bactriana descendebat. Ei Xerxes dona misit, ministris mandãs, vt significarent his eum à fratre

in præsentia affici, qui si regnũ obtineret, primam ei apud se statuerit dignitatẽ, summamq́ potentiam deferre. Xerxe rege renunciato, statim corã eo Arimenes genua flexit: Xerxes autem eum à se fecit secundum. Idem Xerxes iratus Babyloniis ob defectionem, cum eos in potestatem suam redegisset, interdixit armorum gestatione, *Mollicies.* iussítque fidibus & fistulis canere, lenocinium & cauponam exercere, ac tunicas gestare sinuosas. Ficus Atticas negauit se comesturum vænum allatas: sed tum, cùm potitus fuerit terra eas producente. Cùm in exercitu depræhendisset Græcos exploratores, iussit exercitum tutò perspicere, illæsósq́ dimisit.

ARTOXERXES Xerxis F. Longimanus cognomneto, quod alteram manũ haberet longiorem, dicebat Magis regium esse addere, quàm detrahere. Hic primus in venatione sociorum iussit eum qui vellet ac posset, primum coniicere telum. Idem primus instituit, vt cum principes viri supplicio afficerentur, non corpora sed vestes *Supplicia.* quibus se exuissent flagellarentur, & non crines capitis euellerentur, sed tiara deponeretur. Satibarzani cubiculario iniustum aliquid à se petenti, cùm intelligeret hoc fieri impetrandorũ trigesies CIↃ Daricorum gratia, eam pecuniam à quæstore iussu suo allatã tradidit, inquiens: Accipe Satibarzana. hoc enim largitus, nihilo pauperior fuero: isthuc verò si fecissem, essem iniustior.

CYRVS minor cũ Lacedæmonios ad societatẽ belli hortaret, dicebat se fratre esse *Magnificè.* cordatiorẽ, plúsq́ meri illo bibere posse ac meliùs ferre: illum in venatione difficulter in equo, terrore oblato ne in solio quidẽ manere. Hortabatur vt sibi viros auxilio mitterent, promittens se peditibus equos, equitibus currus, iis qui villas possiderent pagos, qui pagos his vrbes daturum, & argentum atq́ aurum non numero sed pondere largiturum.

Huius frater ARTOXERXES, Mnemon (id est Memor) cognomine, non tan*Humanè.*tùm compellantibus liberalissimè vacabat, sed & vxorem suam iubebat pilẽti aulæa dimouere, vt posset ab iis qui vellet compellari in via. Cùm ei pauper quidã pomum eximiæ magnitudinis obtulisset, hilarè accepto eo: Per Solem, inquit, videt hic mihi commissam sibi vrbem de parua magnam redacturus. Cùm impedimenta eius quadã *Sobriè.* in fuga essent direpta, ficus comedens aridas & hordeaceum panem, Quãtæ, ait, voluptatis imperitus fui.

Regum colloquia. PARYSATIS Cyri & Artaxerxis mater, eum qui liberè cum rege colloqui vellet, byssinis iubebat vti verbis.

ORONTES regis Artaxerxis gener ignominia à rege irato affectus ac damnatus *Aulici.* dixit: Quemadmodũ digiti rationes supputantium modò CCIↃↃ, modò vnitatem repræsentant: ita regum amicos aliquando summo, mox infimo haberi loco.

MEMNON, qui Darij exercitum aduersus Alexandrum duxit, militem quendam mercenarium suum, qui multis & impuris conuiciis Alexandrũ proscindebat, lancea *In maledicum.* feriens: Ego, inquit, te alo non vt maledicas Alexandro, sed vt contra eum pugnes.

Aegyptiorum reges legem suam quandam seruãt, qua iuramento obstringunt iu*Iusta iudicia.*dices, vt rege ipso iniustam flagitante sententiam, ei morem non gerant.

POLTIS Thraciæ rex, cùm bello Troiano ad ipsum simul & à Troianis & à Græ*Liberale consilium.*cis venissent legati: Paridi suasit, vt Græcis Helenam redderet, se ei daturum duas formosas feminas pollicens.

In ocium. TERES Sitalcæ pater dicebat, se cũ in ocio esset & à militia vacaret, nihilo meliorem suis equisonibus sibi videri.

COTYS eum, qui panthera ipsum donauerat, leone remuneratus est. Hic cùm natura iracundus, acerbéq́ in ministrorum delicta animaduertens, cùm hospes quidam *Iræ declinatio.* fictilia ei vasa attulisset tenuia & fragilia admodum, alioquin eleganter ac subtiliter sculpturis cælaturísque adornata: hunc quidẽ donis affecit, sed vasa ista omnia cõfregit, quòd vereri se diceret, ne ministros, ea si confringerent, sæuiùs puniret.

IDATHYRSVS Scytharum rex, cum expeditionem aduersus ipsum Darius fecisset, Ionum regulis suasit vt ponte quo Ister instratus erat soluentes iugum Darij excuterent. cùmque ob fidem Dario datam id recusarent, proba & ignaua eos vocauit mancipia.

ATEAS Philippo sic scripsit, Tu Macedonibus imperas, hominibus bellãdi peritis. Ego Scythis, qui etiã aduersus famem sitimq́ pugnare norunt. Equũ porrò strigili purgans, legatos Philippi interrogauit, an hoc quoq́ rex ipsorũ faceret. Ameniã tibicinem

cinem præstantissimum cùm cepisset, canere iussit. mirantibúsq; reliquis, iurauit se maiore cum voluptate audire hinnitum equi.

SCILVRVS moriturus, cum XXC filios post se esset relicturus, fasciculum hastilium singulis porrexit, ac confringere iussit. cùm nullus id præstare posset, ipse singulatim *Concordia.* fasci vnum post alterum eximens fregit. docens eos, iunctos quidem inter se, vires habituros ac perduraturos: sin verò disiungerentur & discordiis agitarent, infirmos fore.

GELO tyrannus Carthaginiensibus ad Himeram debellatis, pacem componens cum victis, coëgit eos inter conditiones pacis hanc quoq; adscribere, *Piè.* Ipsos in posterum liberos Saturno nunquam immolaturos. Sæpenumerò ad culturam agrorum tanquam in militiam Syracusanos hic eduxit, vt & regio cultu melior redderetur, neque ipsi ocio corrumperentur. *Ocium.* Cum pecuniam ipso poscente ciues tumultuarentur, mutuam se petere dixit, bellóque confecto reddidit. Cùm in conviuio lyra circunferretur, eámque conviuæ ordine cōponerent atque canerent, ipse equum iussit adduci, & in eum facilè atque expeditè insiluit.

HIERO, qui in tyrannide Geloni successit, neminē dixit sibi intempestiuum esse *Libertas dicēdi.* qui liberè adversum se loqueretur. Qui arcanum enunciarent, eos facere iniuriam di- *Arcana.* cebat iis quoque, quibus id patefacerent. quod non modò eos qui efferunt, sed hos quoque odimus qui inaudiunt quæ nolumus. Exprobrauerat ei quidam oris fœtorem. itaque vxorem suam culpauit, quòd nunquā id sibi indicasset. illa verò ita se ex- *Castè.* cusauit, quòd diceret, Se putasse omnes viros hoc modo olere. Xenophani Colophonio ægrè se duos seruos alere querenti, Atqui Homerus, inquit, quē tu traducis, mortuus etiam amplius CCIↃↃ alit. *Homerus.* Epicharmū poëtam mulctauit, quod is indecorum quippiam vxore præsente dixisset. *Pudicè.*

DIONYSIVS senior cùm oratores publici sorte legerent, ipsiq; littera M obtigis- *Ominis correctio.* set, dicenti Morologus eris (id est, stultas orationes habebis) respondit: Imo monarcha siue tyrannus ero. habitáq; oratione statim est à Syracusanis imperator creatus. Initio statim tyrānidis cùm oppugnaretur à ciuibus coitione facta, amiciq; hortarent vt dimitteret imperium potiùs quàm captus necaret: cernens bouē à coquo iugulari ac celeriter corruere, Nónne, inquit, indignū est nos metu mortis tā breuis tantum *Cupiditas imperij.* deserere imperiū? Filium, quem successorē tyrannidis erat habiturus, vbi depræhendit viri liberi vitiasse vxorē, iratus interrogauit, Ecquid talis facinoris ipsi esset conscius. cúmq; ei responderet adolescens, Tu non habuisti tyrannū patrē: neq; tu, inquit, *Diuturnitas eius.* filium habebis tyrannū, si sic pergas. Rursus cū in eius cōclaue intrasset, poculorúmq; aureorū & argenteorū multitudinem ibi offendisset, exclamauit: Non est in te tyran- *Liberaliter.* nidis capax ingenium, qui tot à me acceptis poculis nullo eorū ad parandū tibi amicum vsus es. Pecuniam cùm exigeret à Syracusanis, viderétq; eos lamētari, ac deprecari, & inopiā prætendere, nouā instituit exactionē, idq; bis terve fecit. cùm autē denuò imperās tributū, ridere eos audiuit, & in foro abambulātes salsè dicta in ipsum iā *Astutè.* cere, finē fieri iussit, dicēs: Nūc nihil ipsis est reliquū pecuniæ, quādo nos contemnūt. Matre, cuius præterierat iā ad nubendū ætas, marito se dari postulāte: Ego, inquit, ci- *Ingenuè.* uitatis legibus vim facere possum, naturæ legib. nequeo. Cùm maleficia reliqua acerbè vindicaret, vestiū furibus solis pepercit, vt Syracusani cogerent aliquādo finē con- *Callidè.* uiuandi & sese invicem inebriandi facere. Hospes quidam seorsim dicebat indicaturum se ipsi rationem ac docturum quomodo insidiantes sibi prænosceret. iussúsq; dicere, Da, aiebat, mihi talentum, vt videaris percepisse indicia insidiantiū. dedit ei hoc *Callidè.* Dionysius, simulans ea se cognouisse, miratúsq; est hominis astum. Interrogatus à quodam, ociosúsne esset: Isthuc verò, inquit, absit vt vnquam mihi contingat. Inaudiuerat duos adolescentes de ipso & tyrannide multa contumeliosè locutos esse inter pocula. vtrunque ad cœnā vocauit. quorū cum alterū videret in vino multa inepti re atq; effutire, alterum rarò & cautè bibere: hunc vt malevolū & instituto animi ho- *Vinum.* stem interfecit: illū vt natura futilē & per temulētiam conviciatū dimisit. Repræhendentibus quibusdam quod ornaret & eveheret malū ciuibúsq; invisum hominē: Etenim (inquit) volo esse aliquē, qui me magis exosus sit. Corinthiorū legati munera quę iis offerebat, recusauerūt legis respectu, quæ dona à principe sumere prohibebat. eos indignā rē dixit facere, qui q̃d vnū bonū est tyrannidi, aboleant, doceántq; beneficia *Tyrannorum dona.* etiā tyrannorū esse formidāda. Audiuerat quendā ciuiū habere aurū domi defossū: id

Pecunia. sibi eum adferre iussit. cúmq; is paululū suffuratus in aliā migrasset vrbem, fundúmq; ibi emisset, revocatum iussit reliquum omne aurum ad se recipere, neque porrò rem vtilem invtilem facere.

Mercenarij philosophi. DIONYSIVS iunior alere se aiebat multos sophistas, nō quod eos magni faceret, sed quod propter eos vellet in admiratione esse. Polyxeno dialectico dicenti, ego te redargui, respondit: nimirū verbis. ego autem re ipsa te convinco: tuis enim rebus di- *Philosophia.* missis, me & mea sectaris. Exutus tyrannide, ei quidē, qui quid vtilitatis Plato & philosophia contulissent interrogabat, respondit: vt tantam mutationem æquo possem animo ferre. Quærenti autem, quî factum sit, vt pater ipsius pauper & plebeius imperiū in Syracusanos obtinuerit, ipse tyrānus & tyranni filius eā amiserit: pater (inquit) meus ad res gerendas se contulit cùm popularis reip. status esset in odio, ego, cùm tyrannidi invideretur. Alteri hoc ipsum sciscitanti respōdit, paternæ se non fortunæ, sed *Hæreditas.* tyrannidis relictum hæredem.

AGATHOCLES filius fuit figuli. Is rex & dominus factus Siciliæ, fictilia pocula *Virtus.* interserere solebat aureis, eáq; demonstrans adolescētibus dicere, Industria se & fortitudine hoc consecutum vt aurea nunc faceret qui lutea finxisset anteà. In oppugnatione vrbis cuiusdam nonnulli de muris eum conviciis impetiuerunt, Figule, dicentes, vnde militibus persolues stipendia. placidus ipse, & subridens, Hanc, inquit, si cepero. expugnatáq; vi vrbe cū venderet captiuos: posthac, inquit, si mihi maledicetis, *Salsè.* cū dominis vestris expostulabo. Accusabat Ithacenses ipsius nautas, quod ad insulā appellentes nōnihil pecoris abstulissent. atqui inquit Agathocles, cùm ad nos venisset rex vester, non ouibus tantùm ablatis, sed excæcato insuper pastore abiit.

DIO, qui Dionysium tyrannide eiecit, audiens à Callippo sibi insidias parari, cui omniū amicorū hospitúmq; maximè fidebat, inquirere noluit, quòd diceret morien- *Vita in metu misera.* dum potiùs esse quàm viuendum, vbi non ab hostibus modò sed etiam ab amicis sibi esset cauendum.

ARCHELAVS in cōviuio quodā poculū aureum petente, familiari quidē, sed im- *Euripidis laus.* probo, Euripidi id iussit puerū dare. tu quidē dignus es qui flagites, inquiens: Euripides autē etiā tacens id accipere meret. A garrulo tonsore interrogatus quomodo ton- *In garrulum.* deri vellet, Tacente, inquit, te. Cum Euripides formosum Agathonē in conviuio amplecteret atq; oscularet iā pubescentē: ad amicos dixit, Nolite mirari. pulcrorū enim etiā post autumnū durat pulcritudo. Timotheus citharœdus minus sua exspectatione donū ab eo acceperat, & haud obscurè incusabat, & aliquādo cātans incisum istud, Tu *Salsè.* terrigenum argentum laudas, in Archelaum torqueret: subiecit Archelaus: Tu verò id postulas. Aqua à quodam perfusus, amicis adversus hominē instigantibus: atqui, *Humanè.* inquit, non me is perfudit, sed eum quem me putauit esse.

PHILIPPVM Alexandri patrem Theophrastus tradit non maiestate modò regni aliis regibus præstitisse, sed fortuna etiam, moribúsq;, & moderatione. Is Philippus Atheniensiū laudabat fortunas, qui quotannis decem imperatorū deligendorū copiā haberent: se dicebat intra multos annos vnū modò ducē reperisse Parmenionem. *Nemesis.* Cùm vna die multis de prosperis evētis nuncij ei adferrentur, O fortuna, exclamauit, pro tot tantísq; bonis paruum aliquod mihi retribue malū. Postquā Græcos devicit, *Humaniter.* non defuerunt qui ei suaderent vt vrbibus præsidia imponeret. respondit autē, malle se diu benignum, quàm exiguo tempore dominū perhiberi. Maledicū iubentibus a- *Maledici vt tractandi.* micis eiicere: non, inquit, faciam, ne circumiens apud plures nobis obloquat. Deferebat Smicythus Nicanorem, vt qui semper Philippo verbis detraheret: putabántq; amici accersendum esse hominem, & supplicio afficiendum. tum Philippus: profectò ait, Nicanor non est deterrimus Macedonum, considerandúmq; est ne penes nos aliqua sit culpa. cognitóq; Nicanorē graui premi inopia neglectum à se, dono aliquo iussit affici. rursum inde Smicytho narrātē, miris regem laudibus à Nicanore passim ferri, Videtis, inquit, in nostra esse potestate vel bene vel malè audire? Atheniensium oratoribus gratiam aiebat se habere, quod crebris conviciis meliorē se redderēt. nam conari se cùm verbis tū factis suis eos mendacij convincere. In pugna ad Chæroneam Athenienses quotquot erāt capti, gratis dimisit. qui cùm præterea vestimēta & stragu- *In ingratos.* la reposcerent, Macedonibúsq; crimina intentarēt, ridēs Philippus, Nónne, inquit, vident vobis putare Atheniēses, talorū lusu se esse à nobis victos? Clauicula in bello fra- *Salsè.* cta, cū medicus cuius opera in ea sanāda vtebat, quotidie aliquid posceret, Accipe, ait, quantum

quantum lubet: habes enim clauiculam. Duo erant fratres, Vterque & Alteruter. de quibus hunc cùm videret prudentem & rebus agendis aptũ, illum fatuũ ac stolidum, Alteruter, inquit, Vterqꝫ est, Vterqꝫ autẽ, neuter. *Scitè.* Consulentes vt acerbè Athenienses tractaret, absurdè sentire dixit, qui tot tantáqꝫ gloriæ causa agentẽ ac tolerãtem iuberent gloriæ theatrũ evertere. *Gloriæ studiũ.* Iudex inter duos malos cõstitutus, alteri vt è Macedonia abiret, alteri vt eũ persequeret̃ imperauit. *In malos.* Opportuno loco castra positurus, cũ audiret ibi nõ esse proiumẽtis alimẽta: Qualis tandẽ, inquit, est vita nostra, qui etiã ad asinorũ cõmoda eã cogimur dispensare? *Vita.* Castellũ quodpiã munitũ occupare statuerat: ibi exploratoribus referẽtibus planè expugnari nõ posse: éstnè, ait, adeò inaccessum, vt eò aurũ portans asinus nõ possit pervenire? *Pecunia.* Lasthenes Olynthius & socij indignabantur, conquerebantúrqꝫ, quòd nonnulli de Philippi comitatu proditores ipsos appellarent. ad hæc Philippus, Rudes & agrestes homines esse Macedones, ac solere ligonem ligonis nomine afficere. *Liberæ voces.* Filium hortabatur, vt in colloquio cum Macedonibus gratiã captaret, comitatéqꝫ sibi, dum alius regnaret, multorum animis conciliandis potentiam pararet. *Comitas.* Eidem consuluit, vt de iis qui in ciuitatibus largiter possent & bonos & malos sibi amicos faceret, illísqꝫ vteretur, his abvteretur. *Callidè.* Philoni Thebano, cuius hospitio vsus erat atque beneficia expertus cum obses Thebis ageret, nullum munus suum admittenti: Noli, inquit, opinionem invicti adimere mihi, dum benefaciendo & demerendo te reddar inferior. *Liberaliter.* Multos bello captos aliquando sub hasta vendebat, indecenter sedens tunica reducta. inter mancipia tum quidam exclamauit, Parce mihi Philippe, ius enim amiciciæ tibi paternum est mecum: quærentíqꝫ Philippo occasionem & modum huius amiciciæ, explicaturũ se dixit, si propiùs admitteretur. adductúsqꝫ aliquantulum vt demitteret lænam monuit: nunc enim ipsum turpiter sedere. *Gratus animus.* dimittite hunc, ait Philippus. verè enim, id quod ignorabã, bene mihi vult, & amicus est. Iter faciens, ab hospite quodam inuitatus ad cœnam multos secum adduxerat: quem vbi perturbari vidit, quod non satis esset apparati, misit ad singulos qui placentæ locum relinquere eos iuberent. *Callidè.* iísque obtemperãtibus, & ob placentæ expectationem parciùs edentibus, cœna omnibus suffecit. Mortuo Hipparcho Euboënse, dolorem quem morte eius ceperat non obscurè tulit. cúmqꝫ illum quidam diceret tempestiuè vita defunctũ: Sibi quidem, inquit, mihi verò præmaturè, cuius obitu præventus sum, ne dignã ei sua amicicia referrẽ gratiã. *Grati.* Incusari se ab Alexãdro audiens, quod filios ex pluribus susciperet mulieribus, ita eum refellit: Quin tu multos nactus de regno tecũ certaturos, virtuti operã da, vt eo nõ propter me, sed propter te potiaris? *Magnanimiter.* Iussitqꝫ eũ Aristoteli animũ advertere & philosophari, ne, inquiẽs, multa talia facias, ob quæ ego commissa pœnitudine moueor. *Philosophia.* Antipatri quendã amicũ in iudicũ collegiũ cooptauerat. sentiens autẽ eũ barbam capútqꝫ tingere, remouit, ꝙ diceret fidelẽ in negociis tractandis eũ se non censere, qui mala fide crines tractaret. *Seuerè.* Iudicio præerat Machætę cuiusdã, dormitánsqꝫ non obseruabat quibus ille iuribus se tueret̃, ideóqꝫ damnabat: tũ exclamante Machæta se provocare, iratus, Ad quẽ, inquit, provocas? ad te ipsum, ait ille, ô rex, siquidem vigilãs & attentus audias. Ibi excitatus Philippus cùm ad se rectiùs rediisset, sentirétqꝫ iniuriã Machætæ fieri, nõ rescidit quidẽ sententiã, sed mulctã reo imperatam de suo persoluit. *Iustè.* Rogatus ab Harpalo, vt pro quodã ipsius cognato ac familiari iniuriarũ quarundã reo mulctã depẽderet, eúmqꝫ causæ cognitioni subtraheret, ob quam videbat̃ reus sermonibus hominũ vapulaturus: Præstat eum, respondit, quàm nos malè audire. *Prudenter.* Indignè ferentibus amicis, quod ipsum Peloponnesij, de quibus erat bene meritus, Olympiaca festiuitate exsibilarẽt: quid ergo, inquit, facient si maleficiũ à nobis accipiant? *Magnanimiter.* Cùm in expeditione quadam diutiùs dormiuisset, à somno exsurgẽs, Tutò se dormiuisse dixit, vigilãte interim Antipatro. *Antipater.* Rursum dormiente interdiu ipso, Græcísqꝫ qui ad fores convenerãt indignãtibus & culpantibus, Parmenio dixit: nolite mirari quod nunc dormit Philippus: vigilabat enim idem vobis dormientibus. Fidicinẽ quendã in cœna volebat corrigere, ac de pulsandis neruis disserere. ille autẽ, absit verò à te, rex, ista calamitas, vt me meliùs isthæc tu noris. *Liberè.* Quo tẽpore cum Olympiade & filio dissidebat, venit ad eũ Demaratus Corinthius. Is à rege interrogatus quàm bene inter se conveniret Græcis: nimirum, respondit, de Græcorum concordia tibi est inquirendũ, intimis tuis hoc modo tecũ consentientibus. *Aliena curans.* his ille verbis ad rẽ rectiùs perpendendã excitatus, posita ira in gratiã cũ suis rediit. Anus quædã inops sæpenumerò petiuerat vt causam suam

Regis officiũ. disceptaret, ac interturbabat frequenter. respondẽte Philippo, non vacare sibi, subiecit: noli ergo regnare. qđ ille dictũ admiratus, nõ illã modò, sed & alios statim audiuit.

ALEXANDER puer etiamnum, Philippo multas præclarè gerente res, nõ est gauisus, sed pueris qui vnà educabantur dixit, *Gloriæ studiũ.* Pater mihi nihil faciet reliquum. cúmq; responderent patrẽ ipsi ista parare, Et quorsum, inquit, proderunt, si possideã multa, *Regius animus.* agam nihil? Quia agilis erat & celer pedibus, hortabať eum pater vt ludis Olympiis stadium curreret. facturum se respõdit, si cum regibus certãdum cursu foret. Adductam ad se iam nocte facta puellam quæ vnà cubaret, interrogauit cur tam serò veniret. *Castè.* quæ cum respondisset præstolatã se dum maritus somno se daret: acerbè increpauit famulos, quòd parum abfuisset, quin ipsorũ culpa adulter fieret. Diis adolenti liberaliùs, ac sæpe thus corripienti adstans Leonidas pædagogus, Sic, inquit, largiter tibi, fili, adolendum erit, vbi thuriferã regionem in tuã redegeris potestatẽ. Alexan- *Magnificè.* der ea potitus, per litteras eũ sic compellauit: Talenta aliquot thuris & casiæ tibi mitto, vt me thuriferæ etiã regionis dominũ factũ sciens, sordidus erga deos esse desinas. Prœlium ad Granicũ commissurus, Macedones hortatus est, vt largiter cœnarent, omniáq; in medium conferrent: quippe cras hostiũ opibus cœnã instructuri. Amicorum quodam Perillo dotem filiabus petenti, L talenta obtulit. cúmq; is sufficere X *Magnificè.* diceret, Tibi, inquit, accipere tantũ satis est, mihi dare non item. Dispensatorem iusserat Anaxarcho philosopho dare quantum posceret. cúmq; is eum C talenta petere diceret: Rectè, inquit, facit, qui intelligit se habere amicũ, qui tantum dare & possit & velit. Mileti cõspicatus multas statuas athletarum qui Olympia & Pythia vicissent, Vbi, inquit, ista tum erant corpora, cum barbari vrbem vestrã oppugnarẽt? Regina Cariæ Ada cibos & bellaria curiosissimo apparata à cupediariis & coquis artificio *Frugaliter.* subinde ad ipsũ studio quodã ostentãdi mittente: Meliores sibi esse dixit coquos, iter nocturnũ quo prandiũ, & parcitatẽ prandij qua cœnã sibi suauẽ redderet. Omnibus ad pugnam paratis, cùm interrogarent duces ecquid præterea mãdaret: Nihil, inquit, *Barba.* quàm vt mẽta Macedonũ radant. cúmq; miraretur Parmenio, An, ait, ignoras in pugna nullibi faciliùs virum quàm barba appræhẽdi? Cùm Darius CCIↃↃ talenta offerret, Asiæq; fructus æquali portione secũ percipiendos, ac Parmenio dixisset accepturum se conditionẽ si Alexandri loco esset: & ego me hercle, subiecit, si Parmenio essem. Dario autẽ respondit, neq; terram duos soles, neq; Asiam duos reges sustine- *Magnificè. 1000000.* re. Dimicaturũ iã ad Arbela de summa rerũ, cùm quidẽ hostis in aciẽ CCCCIↃↃↃↃ virorũ eduxisset, accesserũt amici de militibus conquerentes, quòd ij in tẽtoriis colloquia agitarẽt, cõponerẽntq; inter se totã se in suũ lucrũ versuros prędã, nihilq; inde in ęrariũ regis illaturos: tũ subridẽs Alexãder: Bona, inquit, nunciatis. audio. n. colloquia hominũ non fugere sed vincere paratorũ. Multi tum ad eum accesserunt milites, bono esse animo iubẽtes, neq; multitudine hostiũ terreri, qui ne axillarũ quidẽ ipsorum *Apparatus vsum præcedat.* fœtorẽ essent substituri. Explicatis iam aciei ordinibus, militẽ quendã videns amentò hastile aptare, è phalãge vt invtilẽ eiecit, qui tũ demũ arma pararet, cùm iis esset vtendũ. *Arcanum.* Epistolã quandam à matre allatã quæ arcana & quasdam adversus Antipatrũ criminationes continebat, legens vnà pro more inspiciẽte Hephæstione, non vetuit: sed epistola pellecta digito manui suæ detracto, Hephæstionis ori sigillũ imposuit. In *Magnus Animus.* templo Ammonis ab antistite Iouis appellatus filius, dixit, Non esse hoc mirũ. Iouem enim qui natura omniũ sit pater, optimos suorũ filiorum nomine dignari. Iaculo crus ictus, multis concurrentibus eorum qui ipsum sæpenumerò solebant deum salutare, renidente vultu, Hoc quidem, inquit, sanguis est, vt videtis, non ille

Iliad. ε, 340. *Humor, qui superûm manat de corpore diuûm.*

Laudantibus nonnullis Antipatri frugalitatem, qui austerè & sine luxu viueret: fo- *In simulatorem.* ris, inquit, Antipater albo panno prætextus, intus totus est purpureus. Hyeme in magno gelu exceptus conviuio ab amico quodam, cùm is focum ignémque exiguum intulisset, aut ligna eum, aut thus adferre iussit. Antipatridas formosam psaltriam ad- *Amoris fautor Alexander.* duxerat in conviuium: ea visa cõmotus Alexander, Númnam, inquit, eam tu amas? confesso, Impure, ait, quin tu eam è cõviuio educis? Pythonẽ Euij tibicinis amasium Casander vi osculabatur. quod cùm videret molestè Euium ferre Alexander, iratus adversus Casandrum exsiluit, vociferans: per vos etiam amare non licet quenquam. Cùm ad mare dimitteret Macedonum quotquot ægroti aut mutilati essent, monstratus ei quidam est qui rectè valens inter ægrotãtes tamen nomen suum retulerat. Ad-

ductus

ductus in conspectū Alexandri & examinatus, fassus est se hoc prætextu vsum ob amorē Telesippæ ad mare proficiscentis. quæsiuit rex, quis huius nomine convenien-dus esset: cúmq; liberā esse comperisset, Proinde, inquit, mi Antigenes, persuadeamus Telesippæ vt nobiscum maneat. liberā enim cogere non est nostrū. Cū Græcos qui mercede apud hostem militabant viuos in potestatē redegisset, Athenienses iussit in cōpedibus adseruari, quòd ęra mererent alimentis è publico suppeditantibus: itémq; Thessalos, quod agrum, quē possiderent optimū, non colerēt. Thebanos missos fecit, quòd his solis diceret se neq; vrbem neq; agrū reliquū fecisse. *Mercenarij milites.* Ex Indis celeberrimum arte sagittandi, & qui traiicere sagittā per annulū diceret, cùm cepisset, artis suę specimen edere, recusantémq; ira motus necari iussit. is cùm ad suppliciū duceretur, dicebat ducētibus se exercitationē multis iam diebus intermisisse, ideóq; metuisse ne aberraret. quod vbi Alexandro renunciatū est, donis affectū hominē dimisit, admiratus eum, quòd mori maluisset, quàm gloria sua indignus videri. *Amor gloriæ.* Taxiles de regibus Indorum vnus occurrens Alexandro, hortatus est ne bellū sibi inferret, néve pugnā consereret: sed siue inferior esset, acciperet, siue superior, conferret beneficia. huic respondit, de hoc ipso certandū, vter alterū possit beneficiis superare. Inaudiēs Aornū petram in India natura loci inexpugnabilē esse, sed à formidoloso homine teneri. hoc, ait, facit, vt locus iste iam facilis captu sit. *Loci naturæ.* Alius qui saxū quod inexpugnabile putabatur tenebat, se ipsum locúmq; Alexandro dedidit. hunc & copiis præfecit Alexander, & regionē ei adiecit, fatus: Sapere mihi vir hic videt̄, viro bono se potius credēs, quàm munito loco. Capta petra, cum amici dicerēt eum factis Herculē superasse: ego verò, inquit, actiones imperiúmq; meū ne vni quidē dicto Herculis æqualia arbitror. *Modestè.* Amicorū quosdā sentiens talis seriò lusisse, mulctauit. *Ludus.* De primis & præstantissimis amicorū, maximè venerari visus est Craterū, amare Hephæstionē. quòd ab illo regē, ab hoc Alexandrū diligi diceret. Xenocrati philosopho L talenta dono miserat. quæ cum is repudiaret, non se indigere inquiens, Nullúmne, ait, amicum habet Xenocrates? Mihi quidem Darij diuitiæ vix suffecerūt in amicos impendenti. *Amicis benefaciendum.* Post prœlium Porus ab ipso interrogatus quomodo se vellet tractari, respondit, Regiè. rursúmq; interrogatus, ecquid vellet præterea, omnia in Regiè contineri addidit. miratus itaque Alexander sapientiam viri & virtutem, maiorē pristina ditionē ei subdidit. *Regiè.* Audiēs sibi à quodam maledici, Regium est, inquit, malè audire cum bene facias. Moriturus iam in socios intuens, Video, inquit, magnum fore meum funebre certamē. Mortuo ipso Demades orator dixit exercitum Macedonum imperatore carētem similem videri Cyclopi excæcato. *Dux.*

PTOLEMAEVS Lagi F. crebro apud amicos cœnabat & dormiebat. quod siquādo conuiuium præberet, eorum pocula, vestes stragulas, & mēsas vsurpabat, ipse plura necessariis non possidebat: dicens Magis regiū esse ditare quàm diuitias possidere. *Magnificè.*

ANTIGONVS continenter pecuniam exigebat. cúmq; diceret quidam Alexandrum non fuisse talem: Nec iniuria, inquit. ille enim metebat Asiā, ego stipulas colligo. Militū quosdam videns thoracibus & galeis indutos ludere pila, delectatus est, acciuítq; eorum duces, laudandi gratia. hos autem potare inaudiens, munia ipsorum ad milites transtulit. *Iustè.* Mirantibus omnibus quod cùm iam senectutem attigisset, benignè humanéq; imperaret, hanc reddidit causam, Olim se potentiam quæsiuisse, nunc gloriam & benevolentiam captare. *Prudenter.* Philippo filio pluribus præsentibus interroganti quando castra moturus esset, Quid, inquit? an metuis ne solus tubam nō audias? *In curiosum.* Cupiente eodem adolescente divertere apud viduam quæ tres habebat formosas filias, vocato ad se ei qui hospitiis designādis præerat, Non, inquit, filium meum ex istis angustiis expedies? *Castè.* Leui morbo cùm laborasset, recepta sanitate dixit, Hunc sibi morbum nequaquam accidisse incommodè: eo enim se monitum, ne mortalis cum sit, animo efferatur. *Homo.* Cùm Hermodotus in poëmate eum Solis filium appellasset, Diversum, inquit, nouit qui matulam mihi fert. Dicēte quodam, omnia honesta & iusta esse regibus, subiecit: Omnino, barbarorum quidē regibus. nobis sola honesta pro honestis, sola iusta pro iustis sunt habenda. *Regis potestas.* Causam in iudicio habebat Marsyas frater, petebátque vt de ea domi cognosceretur. sed Antigonus: Si culpa, inquit, vacamus, disceptetur in foro & cunctis auscultantibus. *Innocentia.* Hyeme aliquando castra loco rerū necessariarum copia destituto posuerat necessitate iubente. ibi cùm milites, nescientes in propinquo esse, maledicerent ipsi, tentorium baculo dimouens, In- *Patienter.*

fortuniū,ait,habebitis,nisi longius hinc digressi me cōviciis proscindetis. Aristodemo vni de amicis,sed qui coqui filius esse credebatur, consulenti vt sumtuū minus faceret,munificentiámq; cōtraheret: *Salse.* Tui,inquit, Aristodeme sermones cinctū culinarium redolēt. Atheniensibus seruū ipsius honoris gratia ciuitate donātibus:Nollem, *In ostentatores.* aiebat,vllū Atheniensiū abs me flagris cædi. Adolescente quodam Anaximenis rhetoris discipulo orationem,quam studiose erat præmeditatus,corā se recitante,volens aliquid melius cognoscere interrogauit.qui cùm obmutuisset; Quid ais,inquit?

Sunt hæc inscripta codicillis quos tenes?

Alium audiens oratorē, qui diceret anni tempus niuiacū factū stirpidefluā fecisse regionem:Non finē facies,dixit,apud me tāquam apud plebē loquendi? Thrasyllo Cynico denarium poscenti, respondit, Rege dignū nō esse hoc donū.subiicienti, Da ergo *Argutè.* talentum,retulit,Capturā hanc non esse Cynico convenientē. Demetrium filium cum nauibus multis magnísq; copiis mittens ad liberandum Græcos, gloriæ lucē è *Gloriosè.* Græcia tanquam specula aiebat in orbē terrarū emicaturā. Antagoræ poëtæ congrū *In curiosum.* elixanti,catinúmq; sua manu agitanti à tergo adsistens, Putásne,dixit,Antagora Homerum Agamemnonis res gestas describentem,congrum elixasse? respondit ille:Tu verò,rex,Agamemnonem credis istas res gerentem curiose inquisiuisse an aliquis in exercitu congrum elixet?

Per quietem imaginatus erat Antigonus, Mithridatem auream metere segetem. hunc itaq; interficere statuit,DEMETRIOq; filio consilium aperuit,iureiurando ad *Fideliter.* tacendum obstricto. Demetrius accito Mithridate,ad litus maris deambulauit,& stimulo qui in hastili imo est in arena inscripsit, Fuge Mithridates. atq; hic re intellecta in Pontum profugit, ibiq; regnū ad vitæ vsq; finē tenuit. Idem Demetrius Rodū oppugnās, in suburbio quodā cepit tabulā,in qua Protogenes Ialysum pinxerat.cúmq; *Artificij honos.* Rodij missis præconibus hortarentur vt tabulæ parceret, respondit, Patris se potius imagines, quàm illā picturā corrupturū. Pace cum Rodiis facta, machinā quā ab expugnandis vrbibus Helepolin appellauerat,apud eos reliquit,futurā suę magnificen- *Patienter & liberalissimè.* tiæ,& ipsorū fortitudinis argumentū. Defecerant Athenæ,& vrbe potitus ciuibus iā ob cibi inopiā malè habentibus, cùm statim ei data esset concio,frumēto ciues donauit,interq; concionandū de re præsente,barbarismū fecit.ibi vnus quispiā de multitudine assidente acclamauit quomodo dicendum congruè fuisset.tum Demetrius, Huius,inquit,correctionis gratia aliis vos IↃↃ medimnis dono.

ANTIGONVS secundus,Demetrij F. cùm pater captus monuisset eum per litte- *Piè in patrem.* ras,ne si quid ipse à Seleuco coactus scripto mādaret,obtemperandū,aut vrbibus decedendum sibi putaret, vltrò ad Seleucum scripsit se ei toto regno cedere, obsidémq; se pro patre,vt hic dimittat̃,offerre. Nauali prœlio cū Ptolemæi legatis congressurus, *Fortiter.* dicente gubernatore multo plures numero esse hostiū naues:Me verò, inquit, ipsum præsentē quàm multis comparas? Cedens aliquando hostibus ingruentibus, fugere *Fuga.* se negabat,sed cōmodum aiebat à tergo sitū se persequi. Adolescente,qui non admodum bonus videbatur miles,natus patre viro forti,stipendium paternum postulanti: *Parentum merita.* ego, inquit, mi adolescens mercedem & munera dare propriæ, non paternæ virtutis causa dignis soleo. Mortuo Zenone Citiensi,quem omnium maximè philosopho- *Philosophia.* rum in precio habuit,dicebat theatrum suarum actionum periisse.

LYSIMACHVS in Thracia circumventus à Dromichæta, cùm se exercitúmque *Voluptas.* propter sitim in potestatem hostium tradidisset, postquā captiuus bibit, Proh deûm fidem,inquit,quàm exiguæ voluptatis gratia seruum me de rege feci. Philippidē comœdiarum scriptorem amicum familiarémq; suum interrogauit,Cuius vis rerū mea- *Arcana.* rum participem te faciam? respondit ille, cuiuscunq; volueris,exceptis arcanis.

ANTIPATER occisum ab Alexandro Parmenionē cùm audiuisset,dixit: Si Parmenion insidiatus est Alexandro, cui tandē credendum erit? sin verò, quî agendum est? De Demade oratore iam ætate provecto dicebat, eius tanquā victimæ confectæ nihil iam præter ventrem restare & linguam.

ANTIGONVS tertius scribebat ciuitatibus, si quid contrarium legibus per epi- *Iustè.* stolam mandaturus esset,ne parérent, sed ipsum ignoratione lapsum censerent. Idem cùm Dianæ antistitam vidisset excellenter formosam, statim Epheso cum suis disces- *Castè.* sit,ne quid inuitus incestum perpetraret.

ANTIO-

ANTIOCHVS cognométo Accipiter(hoc.n.Hierax significat)bellũ de regno adversus fratrẽ Seleucũ gerebat. qui cùm à Gallis victus nusquã appareret, putaretúrq; in pugna concisus,posita Antiochus purpura pullam induit vestem.paulo pòst audita incolumitate fratris,diis rem sacram ob lætum nuncium fecit,ciuitatibúsq; sibi subditis vt serta gererent imperauit. *Fratrum amor.*

EVMENES structis à Perseo insidiis periisse putabatur. Quę fama cùm esset Pergamum perlata,Attalus eius frater sumto diademate,ductáq; ipsius vxore regnũ occepit. *Idem.* Pòst fratrem viuere & Pergamũ venire inaudiens,cum stipatoribus ei pro more obviam iuit,hastile gerens.Eumenes eum amanter salutauit,inq; aurẽ insusurrauit,

Vxorem haud duc,nisi defunctum videris.

aliud per omnem vitam quod offensæ speciem præberet nihil neque fecit neque dixit,sed & moriens vxorem ei regnúmque tradidit. Viciſſim Attalus nullũ suorũ liberorum (habebat enim complures) educauit, sed Eumenis filio adulto viuens regnum detulit.

PYRRHVS à filiis pusionibus interrogatus cuinam regnum vellet relinquere, Ei respondit,qui de vobis acutiorem habebit gladium. Interrogatus de Pythone & Caphisio tibicinibus,vter eorum præstantior esset,respondit: Polysperchon imperator. Cùm duobus prœliis vicisset Romanos, multósq; amicorum & ducum amisisset, Si adhuc semel,inquit,Romanos vincemus, actũ est de nobis.Sicilia excidens, cùm inde soluisset,conversus retrò ad amicos dixit:qualẽ Romanis & Carthaginiẽsibus palęstram relinquimus.Militibus Aquilæ cognomen ei tribuẽtibus:Quid ni sim aquila, inquit, vestris armis tanquã solidis alis subleuatus? Audiebat adolescẽtes quosdã multis inter pocula maledictis ipsum proscidisse.eos postridie vniuersos ad se adduci iussit,primúmq; ex iis percunctatus est, an de ipso talia dixissent. omnino, respondit hic, talia:pluráq; his dixissemus,si plus vini nobis fuisset. *Liberè.*

ANTIOCHVS is qui iterum in Parthos expeditionem fecit,in venatione quadam dum feras insectatur,ab amicis & famulis aberrauit, casámque hominum egenorum ignotus iis intrauit.cúmq; inter cœnandũ mentionẽ regis intulisset, respõsum est esse regem alioqui bonũ,sed qui pleraq; amicis prauis hominibus mãdaret, ac negligeret ac prę nimio venandi studio sępenumerò res necessarias omitteret.Ac tunc quidẽ tacuit.Sub lucem autem cùm ad casam venirẽt satellites, & allata purpura diadematéq; agnosceretur:Ab eo, inquit,die, quo vos recepi,heri primùm veros de me sermones audiui. *Reges rarò de se vera audiũt.* Obsidentem Hierosolyma Iudæi vt maximam suam festiuitatem possent celebrare,septem dierum inducias poposcerunt. Non id modò concessit, sed & tauros auratis cornibus apparauit, aromatúmq; copiam & vsque ad portas cum pompa deduxit, traditáque ipsorum sacerdotibus victima in castra rediit. Quod mirati Iudæi, statim post exactos festos dies deditionem fecerunt. *Liberalitas vtilis.*

THEMISTOCLES adolescens etiamnum potabat ac scortabatur. sed postquam Miltiades imperator ad Marathonem barbaros vicit, non ampliùs offendere licuit Themistoclem aliquid contra officium facientem. Mirantibus mutationem: Non sinit(inquit) dormire me aut socordem esse trophæum Miltiadis. *Aemulatio.* Interroganti vter esse mallet, Achilles an Homerus, respondit: Tu verò malléſne Olympico certamine victor esse,an præco qui victorũ nomina proclamaret? Xerxe magna illa classe Græciã invadente,metuens ne Epicydes, vnus de popularibus oratoribus, homo turpis lucri studiosus & timidus, imperium nactus vrbem perderet,pecunia data eum à petendo imperio detraxit. Adimanto nauali pugna cum hoste decernere trepidante,& sibi Græcos ad eam cohortanti atque animanti dicente,O Themistocles, flagris cædere moris est eos qui in certaminibus priùs quàm iubentur surgunt: respondit: næ ita est Adimante:sed neque coronantur qui iusto tardiùs prodeunt.Eurybiade baculum tollente ac plagam minante, Feri sanè, inquit, modò audias. Cùm non persuaderet Eurybiadi vt in angustiis nauale prœlium confereret, clàm ad barbarum misit, hortans ne metueret Græcos fugiẽtes. *Callidè.* Cúmq; is parens huic cõsilio victus esset,rursum misso ad eum internuncio suasit vt quàm primùm ad Hellespontum fugeret: cogitare enim Græcos de ponte rescindendo.vt dũ seruaret Græcos, ipsius saluti cõsulere putaretur. Seriphio cuidam obiicenti, non propter sese, sed propter vrbem celebrem ipsum esse; verum, ait, dicis. cæterùm neque ego si Seriphius fuissem, factus *Patria.*

essem nobilis, neque tu, si Atheniensis. Cùm Antiphates formosus, qui amantē priùs ipsum fugerat atq; spreuerat, gloria magna potentiáq; auctum accederet atq; adularetur: Heus, inquit, adolescens, Serò ambo, sed tamen sapere cepimus. Postulanti à *Iustè.* se Simonidi, vt sentētiam quandam iniustam ferret: Neque tu, inquit, poëta bonus esses si præter numerum caneres, neque ego princeps probus, si contra leges iudicarem. Filium suum erga matrem petulantiùs se gerentem, omnibus Græcis potentia antecellere dicebat. Græcis enim imperare Athenienses, Atheniensibus se, sibi vxorem, huic filium. De filiæ procis probum diuiti prætulit: quod diceret virum se malle pecuniæ, quàm pecuniam viri egentem adsciscere. Fūdum vendens, præconem in- *Vicinus.* dicare iussit commodum eius esse vicinum. Atheniensibus ipsum cōtumelia afficien- *In ingratos.* tibus, Quid laboratis, inquit, sæpe ab iisdem affecti beneficiis? Ac platano sese comparabat, sub quam confugiunt homines orta tēpestate: reddita serenitate, prætergre- *In stupidum.* dientes folia eius stringunt, ipsámq; dicteriis incessunt. Eretrienses subsannans dicebat eos instar teuthidum piscium gladios quidem habere, sed cor non habere. Eiectus Athenis primùm, deinde etiam Græcia, ad Persarum regem se contulit. iussúsque lo- *Sermo.* qui, sermonem aulæis similem esse dixit. nam eorum in morem, exporrectum quidem ostendere formas, contractum autem occultare. Petiítque tempus sibi dari dum Persicam linguam addisceret, vt suo arbitrio suis ipsius verbis, non per interpretem, regi suam posset explicare sententiam. Multis donis ornatus, & celeriter ditatus, pueris *Fortuna.* suis dixit: Periissemus pueri, nisi periissemus.

MYRONIDES bellum contra Bœotos faciens, expeditionē Atheniensibus denunciauerat. cùm instaret hora exeundi, ac centuriones significarent nondū omnes *Fortiter.* ad signa cōuenisse: præstò sunt, ait, qui pugnaturi sunt, iisq; vsus alacribus, hostē vicit.

ARISTIDES cognomento Iustus semper pro se ac solus remp. gessit, societatésq; *Societas.* fugit: quòd parta amicorum præsidio potentia soleret ad iniustos conatus animare. Atheniensibus eò tendentibus, vt ostracismo ipsum vrbe eiicerēt, homo rusticus litterarúmque rudis testam ei attulit, petiítque vt nomē Aristidis inscriberet. Nosti ve- *Patienter.* rò, inquit, Aristidem? Non equidem, respondit rusticus: sed molestum mihi est iusti cognomentum. tum Aristides silens nomen suum testæ inscripsit, eámq; homini reddidit. Intercedebat ei cū Themistocle inimicicia. cū eo missus aliquò legatus, Visne (inquit) ô Themistocles inimiciciā in finibus deponamus? si enim videbitur, reversi eam rursum suscipiemus. Tributa Græcis imponens, tanto rediit pauperior, quantum in peregrinationem insumtum fuit. Aeschylus in Amphiaraum hos fecit versus:

Vera laus.

Neq; enim videri, sed vult esse is optimus,
Sulcum profundum in pectore consitum suo
Habens, veneranda consilia vnde pullulant.

hi cùm in theatro recitarentur, omnium oculi sunt in Aristidam coniecti.

PERICLES præturam gesturus, chlænam sumēs ita seipsum solebat alloqui: Me- *Amicicia.* mento Pericles liberis te imperaturum, Græcis, atque Atheniensibus. Aeginam abolere iubebat, tanquam oculis Peræei damnosam. Amico falsum à se testimonium, quod iureiurando erat sanciendum, exigenti, Amicum se vsque ad aram esse respondit. Moriturus seipsum felicem prædicauit, quòd nulli Atheniensium atræ vestis gerendæ causa fuisset.

ALCIBIADES etiamnum puer in palæstra ita compræhensus, vt non posset effugere, colluctantis manū momordit. qui cum diceret, Mordes, sicvt mulieres: respondit, Nequaquam, sed vt leones. Canem possidebat perpulcrum, emtum LXX minis. ei caudam amputauit, eò id se facere dicens, vt habeant Athenienses quod de ipso loquerentur, neque in alias inquirerent res eius. Ad ludum aliquando litterarium ve- *Homerus.* niens, rhapsodiam Iliadis poposcit magistrum: eiq; cùm nihil Homericū se habere diceret, colapho impacto transiit. Veniens ad fores Periclis, audiuit eum occupatum esse, ac circumspicere quomodo rationes posset Atheniensibus reddere: Nónne, inquit, præstabat excogitare rationē, ne eas redderet? Evocatus ab Atheniēsib. è Sicilia ad dicendā causam, cùm quidē capitis anquirerēt, abdidit sese: stultū esse dicens reum *Iudicia.* qui cùm fugere iudiciū liceat, quærat quî in eo se defendat. Ac dicenti cuidam, Non fidis patriæ de te iudicaturæ? ne matri quidem, inquit. metuerem enim ne per errorem atrum calculum pro albo in vrnam iniiceret. Audito se & qui cum ipso erant

morti

morti ab Athenienſibus addictos eſſe, Oſtendamus, ait, illis nos viuere. Simúlque ſe ad Lacedæmonios contulit, & bellum Decelicum contra Athenienſes excitauit.

Error in bello.

LAMACHVS centurionẽ quendam cõmiſſi erroris cauſa verbis increpabat. ac reſpondenti, poſthac ſe nihil tale admiſſurũ, hoc referebat: In bello nõ licet bis peccare.

Cautio bellica.

IPHICRATES deſpiciebatur, quòd cerdonis filius eſſe putaretur. tunc primùm exiſtimationem ſibi peperit, cùm ſaucius ipſe hoſtem vnà cum armis viuũ corripiens in ſuam tranſtulit triremem. Is cùm caſtra in regione amica & confœderata poſuiſſet, accuratéq; ea vallo & foſſa communiuiſſet, Quærenti cuiúſnam metu hoc faceret: reſpõdit, Turpiſſimã eſſe imperatoris vocem, Non putarã. Pugnã contra barbaros inſtruens, aiebat vereri ſe Iphicratẽ barbaris nõ eſſe notũ. ſuo enim nomine aliis hoſtibus terrorẽ ſe incutere. Rei capitalis poſtulatus, adverſus calumniatorem dixit: Vide quam rẽ agas, qui inſtãte bello ſuades ciuitati vt de me potiùs quàm mecũ decernat. Cùm ei Harmodius, vnus de priſci illius Harmodij poſteris, exprobraret ignobilitatẽ, reſpondit: Meum à me incipit genus, tuũ in te deſinit. Interrogatus à quodã oratore, quis tãdem eſſet, qui ita magnificè de ſeipſo ſentiret, equéſne, an ſagittarius, an peltam gerens, an pedeſter: Nihil, inquit, horũ, ſed qui ſciam hiſce omnibus imperare.

Natales.

TIMOTHEVS fortunatus videbatur eſſe imperator, ac nonnulli inuidi pingebãt vrbes vltrò in ipſius dormientis naſſam ſe induentes. dicebat itaq;, Si tantas ego vrbes per ſomnum capio, quid me vigilantem putatis facturũ? Quodam de audacibus ducibus vulnus acceptum Athenienſibus demõſtrante: Me verò, inquit Timotheus, puduit, quod cũ ego dux veſter in Samo eſſem, prope me telũ catapultæ décidit. Oratoribus Charetem commendantibus, talémq; debere Atheniẽſium eſſe imperatorem dicentibus: non, inquit, imperatorem, ſed eum qui imperatori ſtragulam veſtẽ portet.

Imperatoris cautio.

Animoſè.

CHABRIAS dicebat optimum hunc eſſe imperatorem, qui maximè cognitas habeat res hoſtium. Proditionis vnà cum Iphicrate accuſatus, gymnaſium frequẽtabat, ſolitáq; hora prandebat. repræhẽſúſq; eo nomine ab Iphicrate: Proinde, inquit, ſi quid ſiniſtrum de nobis ſtatuerint Athenienſes, ſqualidum te & ieiunum, me pranſum vnctúmq; interficient. Solebat dicere, terribiliorem eſſe ceruorum exercitũ leone duce, quàm leonum agmen ducente ceruo.

Imperator.

HEGESIPPVS cognomento Crobylus, adverſus Philippum Atheniẽſes inſtigabat. cúmq; è concione quidam occlamaſſet, Bellũ introducis? Omnino, inquit: atque atras etiam mehercle veſtes, & publicas funerationes, funebréſq; orationes, ſi quidẽ liberi viuere, neque facere Macedonum imperata volumus.

Libertas.

PYTHEAS etiamnum adoleſcens progrediebatur in publicum, dicturus contra decreta de Alexandro promulgata. cúmq; diceret quidam, Tu adoleſcens cum ſis, de tantis rebus audes dicere? Enimverò, inquit, Alexander, quem vos deũ decreto veſtro facitis, natu quàm ego minor eſt.

Grauiter.

PHOCIONEM Athenienſem nemo neque ridentem vidit, neque lacrymantem. Coacta concione dicenti, Videre mihi ô Phocion cogitabundus: Rectè, inquit, conĳcis. delibero enim an aliquid amputare poſſim de verbis quæ ſum ad populum facturus. Oraculo Athenienſibus ſignificatum erat, vnum eſſe in ciuitate qui omnium adverſaretur ſententiis. cum quæri iuberent quiſnam ille eſſet, ac vociferarentur, Se illum eſſe Phocio dixit: Soli enim ſibi nihil eorũ probari, quæ vulgo fierẽt ac dicerentur. Aliquãdo dicens ſuã ſententiã, cùm placere ſe, & ęqualiter ab omnibus approbari ſuã videret orationẽ, converſus ad amicos: Númnam, inquit, mihi imprudenti prauũ aliquod dictũ excidit? Poſtulantibus ad ſacrificiũ quoddam ſtipem Atheniẽſibus, conferẽtibúſq; reliquis, aliquoties vocatus, Puderet verò me, inquit, vobis donare, huic (ſimul creditorẽ demonſtrabat) non reddere. Demoſthene oratore dicente, interficient te Athenienſes ſi inſanient: Planè, inquit, me, ſi inſaniẽt: te, vbi ſapiẽt. Ariſtogeto iudicũ ſententiis morti addictus, cùm iam moriturus in carcere flagitaret vt Phociõ ad ſe veniret, húncq; amici ad malũ hominẽ accedere prohiberẽt: & vbi tandem, ait, Phocion, Ariſtogitonẽ mallet aliquis cõpellare? Iraſcebant Atheniẽſes Byſantiis, q; in vrbẽ nõ admiſiſſent Charetẽ miſſum cum copiis præſidio ipſis cõtra Philippũ. ibi Phocio nõ ſuccenſendũ ſociis diffidẽtibus, ſed ducibus potiùs fidẽ non merentibus pronunciãs, ipſe dux eſt creatus, admiſſúſq; à Byzãtiis fidẽ ſibi habẽtibus, effecit vt Philippus re infecta diſcederet. Alexãdro rege C talẽta dono mittẽte ipſi, quæſiuit ex adferentibus, quã ob rẽ de tanto Athenienſiũ numero ſibi ſoli iſtuc largiretur

Vulgi iudiciũ.

Alexander. cùm responderent, solum ipsum à rege bonum virum iudicari: talem ergo, inquit, me & videri & esse patiatur. Poscente Alexandro triremes populóq; nominatim Phocionem prodire iubente & in medium cõsulere, surgens: Suadeo igitur, ait, vt vel ipsi armis potentiam obtineatis, vel potentium amici sitis. Allatus incerto autore erat de morte Alexandri nuncius. ad quem cùm oratores statim in rostra provolassent, bellúmq; absque mora vlla suscipiendum autumarent, Phocion expectare iubebat, rémq; certò explorare. nam (dicebat) Si hodie mortuus est Alexãder, cras etiam ac deinceps erit mortuus. Leosthenes Athenienses in bellum Lamiacum coniecerat, magna spe ob nomen parandæ libertatis & imperij exagitatos. huius orationem cupressorem similem dicebat esse Phocio: quæ cùm sint pulcræ, & proceræ, fructum tamen ferunt nullum. Rebúsq; initiò prosperè succedentibus, & ciuitate victimas ob lætum nunciũ immolante, interrogatus An rem ita gestã non vellet: vellem, inquit, altero modo decretũ fuisse: hæc sic acta esse placet. Macedonibus Atticam incursantibus, orámq; maritimam populantibus, eduxit qui ætate erant ad militiã apti. multis autẽ ad ipsum concurrẽtibus hortantibúsq; vt tumulo quẽ monstrabãt occupato ibi aciem instrueret: Dij boni, inquit, quàm multos duces, paucos milites video? cõmissa tamen pugna vicit, & Nicionem Macedonum ducẽ interfecit. Non multo pòst tempore Atheniẽsibus bello victis præsidiũ ab Antipatro est impositũ. cuius præfectus Menyllus pecuniã Phocioni cùm offerret, indignè id Phocio tulit, Neq; hunc Alexandro meliorẽ esse dicens, & minùs honestas accipiendi causas habere, qui olim repudiasset. Antipater autẽ dicebat duos se amicos habere Athenis Phocionẽ ac Demadem, quorũ alterũ nunquã adducere potuisset vt missa dona acciperet, alterũ nunquam dandis muneribus exsaturasset. Eidẽ abs se iniustam quandã actionẽ postulanti Phocio: non potes, inquit, Antipater, Phocionẽ & amicũ habere & adulatorẽ. Post mortẽ Antipatri forma reip. populari constituta, in cõcione pronunciatũ est Phocionem amicósq; eius morte mulctandos esse. Ibi reliqui flentes cùm ad suppliciũ ducerent, Phocioni tacitè eunti inimicorũ quidã obviã factus in faciẽ exspuit. Tũ ad magistratũ respiciẽs Phocio, Nemóne, inquit, cõpescet hunc cõtra decorũ agentẽ? Vnà moriturũ Euippũ, idq; deplorantẽ & indignè ferentẽ sic compellauit: Pigétne te cum Phocione mori? Allato iã cicutæ poculo interrogatus filióne aliquid mãdaret: Mando, inquit, tibi fili, atq; hortor te, ne Atheniensibus memorem te iniuriarum præbeas.

[Margin notes: Constanter. — Grauiter. — Patienter. — Pie.]

Pisistratvs Atheniensiũ tyrãnus, cùm ab eo facta defectione sociorũ quidã Phylen occupassent, venit ad eos vestẽ stragulã portans. Interrogãtibus quid vellet, Aut vobis, inquit, persuadere volo, vt mecum in asty redeatis, aut si id nõ consequor, vobiscũ hîc manere, & ad eã rẽ instructus veni. Delata apud ipsum erat mater, quòd adolescentẽ quendã deperiret, cum eóq; rẽ haberet metuente sibi & crebrò recusante. Hunc ad cœnam vocauit, eáq; peracta percunctatus est, quomodo tractatus esset: respondentíq; Iucũdè: hoc, inquit, quotidianũ tibi erit, si matri meæ placueris. Thrasybulus filiã ipsius amabat, obviámq; aliquando factũ osculatus erat. instiganti ea de causa adversus illũ vxori Pisistratus: Si, inquit, amantes odio prosequimur, quid faciemus iis, quibus in odio sumus? virginẽ porrò nuptũ tradidit Thrasybulo. Comesatores quidã in vxorẽ ipsius inciderãt, multáq; lasciuè dixerant atq; fecerãt. qui cùm postridie lacrymis adhibitis veniã flagitarent à Pisistrato: Vos quidẽ, inquit, in posterũ date operam modestiæ. mea vxor heri nusquàm omnino prodiit. Ducturũ aliam vxorem interrogantibus filiis ecquid eò id faceret, quod ipsos improbaret: respõdit, nequaquam verò, sed vos laudo, cupióq; alios præterea tales liberos nancisci.

[Margin note: Comiter.]

Libri. Demetrivs Phalereus regi suadebat vt libros de regno & principatu pararet ac legeret. de quibus enim amici reges monere non audent, ea in libris exstare.

Coma. Lycvrgvs Lacedæmonius ciues adsuefecit ad alendã comã, inquiẽs ea formosos pulcriores, deformes terribiliores reddi. Poscentem vt popularem reipubl. formam Spartæ institueret, iussit priùs domi suæ id facere. *Frugalitas.* Domos non nisi securi & serra ædificare iussit: fore enim sic, vt pudeat in vilia domicilia pocula, & stragula, & mensas sumtuosas inferre. Pugillatione & pancratio interdixit, vt ne per iocum quidem victos se fateri sui discerent. Vetuit iisdem sæpius bellum inferre, ne ij hoc pacto pugnaciores reddantur. Itaque inferioribus temporibus Antalcidas Agesilao vulnerato dixit, præclara eum doctrinæ præmia à Thebanis reportare, quos inuitos exercuerit, docueritq; bellũ gerere.

Lycur-

CHARILLVS rex interrogatus cur tam paucas leges Lycurgus posuisset, respondit, eos qui paucis vterentur verbis non habere opus multis legibus. Ferociùs se adversus ipsum gerenti de seruis helotibus vni, Per Castores, inquit, occiderem te nisi irascerer. Interrogatus cur comam Spartani nutrirent: quia, inquit, omnium ornatuum hic minimo constat sumtu.

Ira. *Coma.*

TELECLVS rex fratri ciues apud ipsum accusanti, quod se nō tanta quāta ipsum benevolentia prosequerentur, Causa est, inquit, quod ferre iniurias tu non nosti.

Iniuriæ ferēdæ.

THEOPOMPVS quadam in vrbe ostentanti murum & quærenti pulcérne videretur & altus, respondit, Ne si mulierum quidem sit.

ARCHIDAMVS bello Peloponnesiaco sociis poscentibus, vt tributi certam præscriberet quantitatem, Bellum, ait, definito non aliter emolumento.

Belli sumtus.

BRASIDAS inter caricas murem cum cepisset, morsus ab eo dimisit. tum iis qui aderant, Nihil, inquit, ita paruum est, quod salutem sibi non paret, si vlcisci adorientes audeat. In prœlio iaculum sibi per scutum adactū è vulnere extraxit, eóq; ipso hostem interfecit. interrogatus autem quomodo vulneratus esset, respondit: Prodente me scuto. Postquàm hic liberatis qui ad Thraciam habitabant Græcis in pugna occubuit, missos Spartam legatos scitata est mater eius primùm, an honestè mortuus esset filius: & laudantibus eum Thracibus, neque similem eius quenquam futurum dicentibus, Erratis, inquit, hospites. fuit Brasidas vir præclarus, sed habet Lacedæmon multos eo fortiores.

Modestè.

AGIS rex dicebat Lacedęmonios nō interrogare quàm multi, sed vbi sint hostes. Et apud Mantineam vetantibus pugnam cum hostibus conserere quod numero vincerent, dixit: Adversus multos pugnet necesse est, qui multis vult imperare. Cùm Elei laudarent quod Olympia iustè administrarent, Quid dignū, inquit, admiratione præstant, si toto quadriennio vnū per diem iusticia vtuntur? Pergentibus autem laudare qui ceperant: quasi verò, inquit, mirū sit si re pulcra, nimirum iusticia, pulcrè vtuntur? Homini malo sæpius quærenti quisnam Spartanorum sit optimus, respondit, Is, qui tui est dissimilimus. Alij interroganti quanta sit Spartanorum multitudo, reddidit: quanta sufficit malis arcendis. Idemq; alio quærente, Multi, inquit, tibi videbuntur Lacedæmonij, si eos pugnantes spectes.

Fortiter. *Salse.*

LYSANDER cum filiabus ipsius Dionysius tyrānus preciosas vestes misisset, non accepit: quòd vereri se diceret, ne filiæ iis indutæ turpiores viderentur. Culpantibus ipsum, quòd multa per dolum agendo parum dignum Hercule se gereret, dixit: Vbi leonina pellis non sufficit, ibi adsuenda est vulpina. De agro controverso cum viderentur Argiui iustiora quàm Spartani afferre argumēta, stringens gladium, Hunc, ait, qui tenet, is optimè de agrorum finibus disputat. Cernens Lacedæmonios non satis habere animi ad oppugnandos Corinthiorum muros, cum è fossa leporem prosilire videret, Hos, inquit, metuistis hostes, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt. In concilio liberiùs à Megarensi quodam compellatus, Tua, inquit, verba ciuitate indigent.

Fraus.

AGESILAVS dicebat Asię incolas si libertate fruerentur, malos: si seruirēt, bonos esse. Cùm solerent illi Persarum regem appellare magnum: quomodo, aiebat, is me maior est, si non iustior est & temperantior? De fortitudine & iusticia interrogatus, vtra harum maior esset, Respondit nihil opus fore fortitudine, si omnes iusti essemus. Noctu subitò castra ex hostico moturus, cùm amasium videret ob imbecillitatem relinqui à tergo & flere, Difficile est, inquit, simul misereri & sapere. Menecrati medico, qui Iupiter cognominabatur, in epistola ad se scribenti, Menecrates Iupiter Agesilao regi S. rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanam mentem. Cùm ad Corinthum Lacedæmonij vicissent Athenienses eorúmque socios, multitudine hostium occisorum audita dixit: O infelicem Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad vniuersos vincendum barbaros. Olympiæ à Ioue oraculum ex animi sententia cōnsecutus, Ephorísque iubentibus Apollinem Pythium eadem de re consulere, profectus Delphos ex Deo quæsiuit, An quod visum esset patri, idem ipse probaret. Pro amico quodam apud Hidrieum Carem intercedens, ita ad hunc scripsit: si insons est Nicias, missum eum fac: si autem sons est, mea causa eum dimitte, omnino autem dimitte. Inuitanti ad audiendum hominem, qui lusciniæ vocem imitabatur, dixit ipsam se sæpenumerò audiuisse lusci-

Quis magnus. *In superbum.* *Intestina bella.* *Iniustè.*

niam. A pugna Leuctrica cùm lex iuberet ignominia omnes affici qui trepidassent: Ephori videntes vrbem virorum vacuam, ignominiam istam abolere statue- *Sapienter.* runt, Agesilaóque legis condendæ autoritatem detulerunt. Hic igitur progressus in publicum, Iubeo, inquit, leges à crastina die ratas esse. Missus vt regi Aegyptiorum ferret suppetias, cùm vnà cum eo obsideretur ab hostibus, quorum mul- *Stratagema.* titudinis partem tantùm aliquantam suorum numero æquabat, iique fossam circum ipsorum castra molirentur: iussus à rege in aciem suos educere & pugna decernere, Ego verò, inquit, non impediam quo minùs hostes nobis fiant, quod instituerunt, æquales. cùm iam fossam ferme in orbem absoluissent, in ea quæ adhuc restabat intercapedine aciem instruxit, prœlióque commisso æquali ordinum vtrinque latitudine, victoriam reportauit. Moriens amicis mandauit, ne vllum sibi fictile aut pi- *Vera gloria.* ctum monimentum (sic enim appellabat imagines) facerent. si quid enim egisset preclari, id sibi monimentum fore: alioqui vel magnam statuarum copiam nihil ad gloriam conducturum esse.

ARCHIDAMVS Agesilai F. catapultæ cernens telum, tunc primùm è Sicilia allatum, exclamauit: Hercules, actum est de virtute viri.

AGIS iunior, Demade dicente gladios Laconicos ob paruitatem devorari à præstigiatoribus: atqui, respondit, gladiis maximè Lacedæmonij suos hostes tangunt. Iubentibus Ephoris milites suos proditori tradere, negauit alienos se crediturum ei *Proditoris fides.* qui proprios prodidisset.

CLEOMENES promittenti daturum se ipsi gallos qui inter pugnandum moriantur: Ne dederis, inquit, mihi istos, sed qui in pugna interficiant.

PAEDARETVS inter trecentos, qui primarius in vrbe honor erat, non allectus, lætus ac renidens abiit, gaudium se ex eo inquiens percipere, si ciuitas trecentos ipso meliores habeat ciues.

Fiducia sui. DAMONIDAS ab eo qui chorum constituebat vltimo collocatus loco, Bene verò, inquit, factum. invenisti enim huius quoq; stationis ornandæ rationem.

NICOSTRATVS Argiuorum dux Archidamo petenti vt castellũ sibi quoddam proderet, mercedisq; loco magnã pecuniã & nuptias Spartanæ mulieris quam vellet, solis exceptis regiis, pollicenti, respondit: Non tu es ex Herculis posteritate. hic enim terras obiens malos suppliciis affecit: tu de bonis malos vis redigere.

In philosophos. EVDAMIDAS in Academia videns Xenocratem grandi iam natu cum discipulis philosophantem, audiénsque virtutem ab eo quæri: Et quando, inquit, vtetur ea? Rursum philosophum audiens disputantem, solum sapientem esse bonum imperatorem: verba quidem, ait, admirationem merentur, sed qui dicit eum tubæ nunquam circumsonuerunt.

ANTIOCHVS Ephorus, audito Philippum Messeniis agrum attribuisse, quæsiuit An id quoq; eis dederit, vt pro eo pugnantes possint vincere.

ANTALCIDAS Atheniensi Spartanos appellanti indoctos, Soli ergo, inquit, nos nihil mali à vobis didicimus. Alij Atheniensi dicenti, Enimverò nos aliquoties vobis à Cephiso profligatis institimus, respondit: Sed nos nunquam vos ab Eurota repulsos persecuti sumus. Sophista laudationem Herculis recitaturo, Quis verò, inquit, eum vituperat?

EPAMINONDA Thebanorum imperatore, nunquã Panicus terror exercitui incidit. Dicebat hic, pulcerrimam esse mortem in bello. Pronunciabat grauis arma- *Militaris exercitatio.* turæ militum corpora debere esse exercitata non athleticè tantùm, sed & militari ratione. Itaq; obesos oderat, & quendã eorum exercitu eiecit, dicens ventrẽ eius, præ quo *Frugalitas.* sua virilia videre nequiret, vix tribus posse aut quatuor scutis tegi. Adeo autẽ frugali vtebatur victus ratione, vt inuitatus aliquando ad cœnam à vicino, cùm invenisset ibi bellariorum, obsoniorum, vnguentorúmq; apparatum, statim discesserit, inquiens: Ego te sacrificare putabam, non luxuriare. Coquo collegis rationem de sumtu aliquot dierum reddente, soli olei impensi multitudini succensuit: professus non sumtum se æ- *Cura pro publico.* grè ferre, sed quòd olei tantum intra corpus esset receptum. Ciuitate diem festum agente, omnibúsque vino & conuiuio deditis, occurrit cuidam familiarium squalidus & cogitabundus. mirantíque & causam quærenti cur solus ita affectus obambularet, respondit: vt liceat vobis omnibus potare & animo esse ocioso. Malum ho- *Grauiter.* minem, qui mediocrem aliquã culpam commiserat, Pelopida deprecante non dimisit:

sit: amasia autem orante, absoluit: huiusmodi dona, inquiens, accipere meretriculas convenit, non imperatores. Lacedæmoniis bellum inferentibus cùm essent allata Thebanis oracula, cladem quædam, victoriam alia denunciantia: hæc ad dextram, illa ad sinistram tribunalis poni iussit. quo peracto, surgẽs, Si, inquit, ducibus parere vultis & in hostem pugnare, hæc vobis oracula sunt, prospera ostendens: si periculũ prælij formidatis, hæc sunt, deteriora monstrans. Cùm iam ad hostem cum copiis accederet, & tonitru extitisset, interrogãtibus suis quid significari tonitru eo putaret, respondit: deum attonitos reddidisse hostes, stuporémq; iis iniecisse, qui cùm prope apta loca essent, iniquo loco castra poneret. Eorum quæ ipsi evenissent bona atq; commoda, omnium hoc sibi aiebat accidisse iucundissimum, quod vtroque viuente parente Lacedæmonios ad Leuctra vicisset. Solitus aliàs videri vncto corpore, vultúque sereno, post illam pugnam postridie processit squalidus atque humilis. & interrogãtibus amicis ecquid adversum obtigisset, Non sanè, inquit. sed heri sensi me animo altiùs quàm rectũ est elatum fuisse: itaq; hodie immoderatũ illud gaudium castigo. Sciens autem Spartanos id genus calamitatum tegere, vt magnitudinem cladis eorũ demonstraret, cadauerum receptionem non simul vniuersis, sed singulatim vrbibus permisit: quo depræhensum est amplius CIↃ Lacedæmoniorum cecidisse. Cum Iason Thessalorum tyrannus Thebas (nam ea cum ciuitate fœdus ei societásque intercedebat) venisset, & Epaminondæ admodũ egeno duo millia aureorũ mitteret: aurum Epaminondas repudiauit, cúmq; Iasonem conspexisset, Iniuriam, inquit, mihi infers vltrò. & L denariis à quodã ciue mutuò sumtis, eo fretus expeditionis viatico in Peloponnesum irrupit. Rursum cum ei rex Persarum tria Daricorum millia misisset: acerbè Diomedontem obiurgauit, qui tantam nauigationem confecisset corrũpendi Epaminondæ gratia. regiq; eum renunciare iussit, se ei gratis fore amicũ, Thebanorum commodo studenti: incommoda aũt eorum meditanti, hostẽ. Cùm Argiui facti essent Thebanorum socij, & legati Atheniensium in Arcadiam missi vtrosq; culparent, atq; Callistratus orator ciuitatibus his Orestem & Oedipum exprobraret: surgens Epaminondas: Fatemur, inquit, apud nos patricidam, apud Argiuos fuisse matricidã. verùm istos à nobis eiectos Athenienses receperunt. Spartanis verò multa & magna Thebanis crimina impingentibus dixit: Hi quidem vestræ breuiloquentiæ finem imposuerunt. Postquam Alexandrum Pheræorum tyrannum, hostem Thebanorum, Athenienses socium sibi fœdere iunxerunt, pollicitum se ipsis minam carnis semiobolo vendíturum: Nos verò, inquit Epaminondas, Atheniensibus ligna ad coquendas carnes istas gratis suppeditabimus: sed si quid tentabunt noui, agrum eorum depopulabimur. Bœotos ocio dissolutos cupiens semper in armis continere, cùm Bœotarcham (sic summum apud eos magistratum vocant) deligerent, hortari solebat vt denuò consultaret. se enim si crearent ducem, militandum ipsis fore. Regionémq; ipsorum supinam atque apertam, belli orchestram appellabat, quòd eam tenere non possent nisi manu clypei ansæ inserta. Chabrias apud Corinthum Thebanos paucos quosdam sub ipsos muros cupidiùs pugna progressos occiderat, ac trophæum ibi constituerat. quod deridens Epaminondas, ibi non trophæum aiebat, sed Triviæ statuam stare: solent enim Triviæ statuas ante portas in triviis ponere. Nunciante quodam, Athenienses exercitũ nouis armis ornatum in Peloponnesum misisse, Quid tum postea, inquit: an gemit Antigenidas nouas fistulas Telline nacto: erant autem tibicines, Antigenidas optimus, Tellis pessimus. Armigerum suum comperiens multum pecuniæ accepisse à quodam qui captus fuerat: Proinde, inquit, scutum tu mihi redde, tibiq; cauponã eme in qua vitam exigas. diues enim & vnus beatorum factus, non voles adhuc pericula adire. Interrogatus, séne meliorem putaret imperatorem, Chabriam, aut Iphicratem, respõdit: Hoc diiudicatu difficile est dum viuimus. Reversus ex Laconica, capitis postulatus est, cúmq; eo reliqui duces. crimen erat, quod Bœotarchiæ contra leges quatuor prorogasset menses. Tum reliquos duces in ipsum culpam conferre iussit, tãquam ab eo coactos. Ipse verò præfatus se non dicendo plus quàm rebus gerendis valere: Si tamen, ait, omnino aliquid est ad iudices dicendum, postulo vt si me interficitis, inscribatis damnationem columnæ alicui. vt scire possint Græci, Epaminondam Thebanos inuitos adegisse ad vastandam incendiis Laconicam, nihil hostile à IↃ annis passam, Messenémq; post CCXXX ab excidio annos cõdendam: & in vnum corpus vt redigerent Arcades, ac redderent Græcis liberum suarum legum vsum. hæc e-

Contemtus pecuniæ.

Salsè retortum convicium.

Fiducia sui.

nim sunt isto expeditionis tempore acta. His auditis iudices multo cum risu discesserunt, non admisso ad suffragia ferenda populo. Vltima in pugna accepto vulnere in tentorium relatus, Daiphantum vocauit, ac post illum Iollidam. quos cùm interiisse intellexisset, suasit suis vt pacem cum hoste componerent, imperatore iam carentes. & verba eius res comprobauit, ita præclarè ciues suos nouerat.

Pecuniæ contemtus.

Principis officium.

PELOPIDAS Epaminondæ collega, dicentibus amicis rem eum negligere necessariam, pecuniæ scilicet conquisitionem, Me hercle, inquit, pecunia res est necessaria huicce Nicomedi, monstrans hominē claudum & mutilum. Cum exeuntem ad pugnã oraret vxor, vt seipsum seruaret, Aliis, inquit, hoc consulendũ est, principi autem & imperatori, vt ciues seruet. Quodam militum dicente, Incidimus in hostes: Quî magis, respondit, quàm illi in nos? Postquam violata fide Alexander Pheræorum tyrannus in vinculis eum captiuum tenuit, maledictisq; impetitus ab eo dixit, Acceleras tibi mortem? Omnino, inquit, vt tanto magis iritati Thebani supplicium de te sumant. Thebę autem tyrãni vxori ad se venienti, mirariq; dicenti quòd ita hilaris esset in vinculis, Ego, inquit, te multo magis miror, quæ non vincta Alexandrum fers. Liberatus Epaminondæ opera, gratiam se habere Alexandro dixit. nunc enim maximè expertum se esse, non ad bellum modò, sed etiam ad mortem animo se esse forti.

Romanorum apophthegmata.

Frugaliter.

M' CVRIVS repræhendentibus quibusdam quòd de agro bello capto paruam singulis portionem attribuisset, maximam publicasset: optauit ne quis foret Romanorum, qui exiguum agrum putaret quó aleretur. Sammites accepta clade ad eum venerunt aurum offerentes. Elixabat autem tum fortè rapas in olla. Respondit itaque iis, Nihil opus auro esse qui sic cœnaret: sibique vtilius esse imperare aurum possidentibus, quàm aurum possidere.

Magno omnia animo.

C. FABRICIVS audito Romanos à Pyrrho victos, Læuino dixit, non Epirotæ Romanos, sed Pyrrhus vicit. Cùm liberandorum captiuorum gratia ad Pyrrhum venisset, multum ab eo auri oblatum non accepit. Postridie Pyrrhus curauit, vt maximus elephas Fabricio ignoranti à tergo statueretur & vocem ederet. quod vbi factum est, conversus Fabricius, subridénsque, Me, inquit, neque aurum heri, neque bellua hodie perculit. Hortanti Pyrrho, vt secum maneret, proximóque à se loco imperaret: Hoc, ait, ne tibi quidem conduceret. nam si me Epirotæ nossent, à me mallent quàm à te regi. Consulatum gerenti Fabricio Pyrrhi medicus per epistolam promisit, se iubente ipso Pyrrhum veneno necaturum. eam epistolam Fabricius Pyrrho misit, iussitque animadvertere, pessimè ipsum & de amicis iudicare & de inimicis. Cúmque insidiis cognitis Pyrrhus medicum suspendisset, & Fabricio captiuos gratis reddidisset; non accepit hos ea conditione Fabricius, sed totidem captiuos reddidit ne mercedem beneficij accipere videretur, non gratia aliqua in Pyrrhum collati, sed ne putarentur Romani dolo interficere tanquam aperto Marte vincere non valentes.

Maledicta spernenda.

FABIVS Maximus nolens cum Annibale prœlio cõgredi, sed copias eius meditatus tempore atterere, pecuniæ & commeatus inopes, sectabatur hostem per aspera & montosa ab altera parte ducens. ridentibúsque multis & pædagogum Annibalis eum dictitantibus, contemtis dicteriis sua sequebatur consilia. & amicis dicebat, qui maledicta & convicia metueret, hunc sibi timidiorem existimari eo qui hostes fugiat. Cùm autē collega ipsius Minucius quibusdã hostium deiectis in omniũ esset ore, virq; Roma dignus ferretur, dixit Fabius, Magis se à prospero Minucij quàm adverso euentu aliquid timere mali. Eúmque paulo pòst in insidias delapsum, ac de sua & exercitus salute in summo versantem periculo, subveniēs ipse magna cum strage hostiũ seruauit. Itaq; Annibal ad amicos dicebat: Nónne prædixi vobis, à nubecula ista montibus insidente tempestatem aliquãdo in nos erupturam? Post Cannensem cladē consul creatus Claudio Marcello collega, homine audace, atq; idētidem cum Annibale prœliari studente, ipse sperabat nemine pugnante mox exercitum Annibalis mora eneruatum animos desponsurũ. itaq; dicebat Annibal, magis se à non pugnãte Fabio, quàm pugnante Marcello sibi timere. Erat apud Fabium delatus Lucanus quidam miles, qui ob amorem mulierculæ cuiusdam frequenter noctu à castris evagaretur. Hunc cum alioqui in armis admiranda esse virtute inaudiuisset, capi occultè atq; ad se afferri

mu-

mulierculam iussit. adductáque ea, vocato ad se reo: depræhensum est, ait, noctu te à castris contra leges abesse. sed ne hoc quidẽ me fefellit, strenuum te antè fuisse. meritis igitur peccata tuis tua condonata sunto, in posterũ autem nobiscum eris: habeo enim fideiussorem. simúlque productam ei tradidit amicam. Tarentum, quod præsidio tenebatur ab Annibale, abducto per fallaciam hoste quàm longissimè, recepit ac diripuit. scribæq; interroganti quid de sacris simulacris statuisset, Relinquamus, ait, Tarentinis deos iratos. Cùm autem M. Liuius, qui Tarentinam arcem præsidio tutabatur, sua opera eum Tarento potitum diceret: aliis deridẽtibus, Vera, inquit Fabius, dicis. nisi enim tu vrbem amisisses, nunquam ego recepissem. *Salse.* Senectute iam ingrauescente, cùm filius eius consul in publico magna hominum frequentia officio fungeretur, conscenso equo ad eum adiuit. cúmq; filius misso lictore descendere eum ex equo iussisset, reliquis pudore affectis desiluit ex equo, & contentiore quàm ætas ferret impetu accurrit ad filium, amplexúsq; eum, Rectè, inquit, sapis fili, sentiens quibus præsis, & quantam imperij maiestatem adeptus sis. *Magistratus dignitas.*

SCIPIO maior quod ocij à gerendis imperiis & repub. erat litterarum studiis insumens, dicebat in ocio se plura quàm aliàs agere. *Ocium.*

SCIPIO iunior, cùm vi expugnasset Carthaginem, ac milites quidam captam virginem elegãti forma ipsi adducerent atq; offerrent: Perlibenter, inquit, accepissem, si priuatus, neq; cum imperio essem. Cùm oppugnaret vrbem Batheam, supra quam extabat templum Veneris, vadimonia iussit eò promitti: nimirum tertia pòst die de causis cogniturus litigantium in illo Veneris templo. pollicitúmque impleuit vrbe ea capta. Interrogatus Scipio maior in Sicilia à quodam, qua re fretus auderet exercitum in Africam adversus Carthaginienses traiicere: demonstrauit ei CCC viros qui in armis exercebantur, turrímque ad mare excelsam: hócque addidit: Nullus horum est qui non me iubente sit conscensa hac turri præcipitẽ sese in mare deiecturus. Idem cùm pervenisset quo intẽderat, occupassetq; regionem, & castra hostium combvssisset, Carthaginiensésque missis legatis pacem his conditionibus componerent, vt se belluas, naues, pecuniámq; daturos promitterent: iidem verò Annibale ex Italia advecto resumtis animis pactorum ducerentur pœnitentia. intellecta re Scipio dixit, Se pactis iam non staturum, nisi addant IↃↃ talentorum propter accitum Annibalem. Deinde illis devictis, ac legatos mittentibus qui pacem & pacta ambirent, statim eos iussit discedere, auditurum se eos negans antè, quàm L. Terentium adducerent. Erat autem L. ille Terentius vir bonus, captus à Carthaginiẽsibus. quem postquam adduxerũt, eo in tribunali penè se collocato, ita demum Carthaginiensibus respõsa dedit, pacificationémq; confecit. *In ciuem pietas.* Atq; huic Scipioni triũphanti comitauit Terẽtius pileum gerens tanquam libertus. & iis qui funeri adfuerunt Scipionis efferendo, vinum melle mulsum propinauit, reliquáq; iusta liberali studio persoluit. sed hæc posterioribus acta sunt temporibus. *Grati exemplũ.* Cùm rex Antiochus, iam Romanis in Asiam contra ipsum trãsvectis, de cõponenda pace misisset ad ipsum: Respondit hoc priùs faciendũ fuisse, non iam, vbi frænum sessorémq; rex receperit. Decreuerat senatus, vt ex ærario ei pecunia daretur. hoc cùm quæstores illa die nollent aperire, seipsum aperturum dixit. se enim, qui id pecunia impleuisset, in causa fuisse cur clauderetur. *Fiducia sui.* Grauibus criminibus accusatus apud populum à duobus Petilliis, Hac ipsa, inquit, die Carthaginienses & Annibalem devici. itaq; nunc coronatus adscendo ad Capitolium, rem ibi sacram facturus: qui volunt, de me ferant suffragia. atq; hæc locutus, adscendit, sequente populo, destitutisq; qui ipsum accusabant.

T. QVINCTIVS Flamininus ita fuit maturè illustris, vt nondum obitis tribunatu plebis, prætura, atq; ædilitate, tamẽ cõsul renunciaretur. Imperator missus adversus Philippũ, persuaderi sibi passus est, vt cum eo in colloquiũ veniret. cúmq; Philippus obsides peteret, ꝗ illum multis stipatũ Romanis, se cum paucis adesse videret Macedonibus, ita respõdit: Hanc tu circa te solitudinẽ ipse effecisti, amicis cognatisq; interficiendis. Victo pugna Philippo, in conventu Isthmico præconis voce omnes Græcos liberos & facultate suis legibus vtẽdi donatos pronũciauit. *Magnificè.* Quotquot autẽ Romanorum Annibalici belli tẽpore capti apud Græcos seruiebãt, horũ vnumquenq; IↃ denariis redemtũ Achæi, vniuersos ei dono dederunt. iiq; Romæ triumphũ ducẽtis currũ sunt secuti, pileos in capitibus gestantes, qui mos fuit libertatẽ è seruitute consecutorum.

Achiuos bellũ inferre Zacyntho molientes, monuit ne instar testudinũ prolato extra Peloponesum testã suã capite periculo sese exponãt. Quo tẽpore Antiochus magno cum exercitu in Græciã contẽdebat, omnibus ob multitudinẽ & armaturã metu perculsis, ad Achæos huiusmodi fabulã recitauit. se Chalcide apud hospitẽ in cœna quadam miratũ fuisse multitudinẽ carnium. hospitem verò sibi dixisse, omnes eas carnes suillas esse, condimentisq; duntaxat & apparatione differre. ita ipsos quoq; non debere regis copias admirari, quod nominari audiant lancearios, cataphractos, pedestres, sagittarios equestres. omnes enim istos, Syros esse armaturæ nescio quibus modis differentes. Philopœmeni Achæorum prætori, multis equitibus ac grauis armaturæ militibus instructo, *Pecunia.* pecuniæ autem inopi, illudens, Manus eum aiebat habere & crura, sed ventre carere. nam & corporis eo habitu erat Philopœmen.

Cn. DOMITIVS, quẽ Scipio maior pro se adiunxit L. Scipioni in bello cõtra Antiochũ, vt hostium exercitũ exploraret, ducibus quos secũ habebat statim adoriri hostes iubentibus, non esse satis tẽporis respondit ad tã multa hostiũ milia occidendum, *Confidenter.* direptisq; eorum impedimentis in castra redeundum & curandum corpora. cras hoc se tempestiuè facturum. & postridie commisso prœlio L milia hostium interfecit.

P. LICINIVS cos. victus à Perseo rege equestri prœlio amiserat CIↃ CIↃ IↃCCC viros partim occisos partim captos. cùm autem post pugnã Perseus legatos ad ipsum *Magnanimiter.* de pacificatione misisset, respondit victus victori, debere eum suas res arbitratui Romanorum permittere.

PAVLVS AEMILIVS secundũ petens consulatũ, repulsam tulit. Bello autem contra Perseũ & Macedones morã trahente ob ducum imperitiã & molliciẽ, consul creatus, negauit se populo gratiã habere. nõ enim se honorẽ requisiuisse, sed eum sibi inopia imperatoris alterius delatũ esse. A foro domum reversus, Tertiam filiolã flentem reperit, causãmq; ei quęrẽti ea respondit, Perseum (catellũ hoc nomine habuerat) mortuũ esse. accipio, inquit, faustũ hoc omẽ. *Omen.* In exercitu cũ inveniret multũ ferociæ ac garrulitatis, in imperatoris officia militibus sese ingerẽtibus, ac curiosè multa agentibus, Quiescere eos iussit, ac gladios modò acuere: sibi reliqua curæ fore. Excubias sine gladio & hasta iussit peragi, vt eò magis somnũ vitaret, quia spes adversus hostẽ se defendẽdi omnis ademta erat. Cum per montiũ extremitates in Macedoniam pervenisset, hostiũmq; videret instructã aciem, Nasicæ hortanti vt statim eos aggrederetur, Facerem, *Peritia.* inquit, si tua essem ætate. sed me diuturna experientia docuit non inire pugnam ex itinere adversus exercitũ suis dispositum ordinibus. Victo Perseo cũ pro gratulatione victoriæ cõviuia exhiberet, Eiusdem dicebat esse peritiæ exercitũ hostibus valdè terribilẽ, & amicis cõviuium admodũ iucundum reddere. Cum Perseus captus duci in triumpho recusaret, In tua, inquit, hoc est potestate. nimirũ ei facultatẽ cõsciscendæ necis largiẽs. Potitus innumera pecunia, nihil quicquã de ea ipse accepit, genero duntaxat suo Tuberoni pateram argenteam quinq; pondo appendentẽ virtutis præmium eximiũ dedit. quam primã argenteam supellectilẽ in Aemiliam domũ venisse ferũt. De quatuor filiis suis iam antè duos adoptandos tradiderat. reliquorũ quos domi suæ retinuerat alter quinq; ante triumphũ diebus vitã cum morte commutauit, annos natus XIV, alter quinto post triumphum die, anno ætatis duodecimo. Progressus in publicum, populo calamitatem eius lugente, Nunc, inquit, patriæ metuere demum desino, postquam fortuna quæ felicitatem calamitatibus solet compensare, in meam incubuit domum, eiúsque clade prosperos reip. successus vlta est.

In luxum. CATO maior ad populum verba faciẽs, intemperantiã eius & luxum perstringẽs aiebat, Difficile est loqui ad ventrẽ auribus carentẽ. & mirari se, quomodo salua possit esse vrbs, in qua pluris vendatᷣ piscis quàm bos. Aliquãdo imperia mulierum in viros nimis quàm vsitata incessens dixit: Omnes homines mulieribus imperant, nos omnibus hominibus, nobis mulieres. Aiebat malle se nullã pro beneficio collato gratiam adipisci, quàm ob delictum non dare pœnam. omnibúsq; se peccantibus, se vno exceptõ, ignoscere. Instigans magistratus ad imponenda sontibus supplicia, dicebat, Eos qui malè agẽtes prohibere possent, neq; id facerẽt, eorũ flagitiis assentiri. Adolescentibus erubescentibus aiebat magis se delectari, quàm pallẽtibus. Odisse se affirmabat militẽ qui inter deãbulandũ manus, in pugna pedes moueret: & qui clariùs sterteret, quàm in congressu pugnæ vociferaretᷣ. Pessimum esse principem, qui regere seipsum nequi-

nequiret. Vnumquenque seipsum maximè revereri debere: numquam enim esse sine seipso. Cùm videret multis positas statuas, Malo, inquit, homines quærere cur Catoni non sit posita statua, quàm cur sit. Parcè vsurpare potestate sua iubebat potentes, vt liceret eam semper habere. Qui virtuti honorem detraherent, eos aiebat virtutem adolescentiæ adimere. Magistratum aiebat & iudicem debere neque opus habere exhortatione ad iustè, neque pati exhortando se permoueri ad iniustè agendum. Iniustè facta vt autori non sint, omnibus tamen esse periculosa. Hortabatur senes, ne senectuti cui aliàs multa adessent incommoda, turpitudinem à vitiis proficiscentem superadderent. Iratum ab insano tempore duntaxat differre. Minimè invideri iis, qui fortunã æquo animo & moderatè ferrent. non enim nobis, sed iis quæ circa nos sunt, invideri. Qui ridiculis rebus seriam impenderent operam, eos aiebat in rebus seriis fore ridiculos. Honestas actiones, ne earum fama efflueret è memoria, confirmadas aliis esse honestis actionibus. Repræhendebat ciues, quod magistratus semper iisdem deferrent, inquiens: Aut magistratum gerere putatis rem esse non magni precij, aut paucos esse ea dignos. Qui agrum mari vicinum vendiderat, mirari simulabat se, quòd mari esset valentior. quæ enim mare vix illuuie proluere, ea eum nullo negocio absorpsisse. Censuram ambiẽs, cùm cæteros videret rogare populum & adulari, ipse vociferatus est populum opus habere acri medico & magna purgatione: non itaque blandissimum, sed inexorabilem aliquem & seuerissimum esse deligendũ. hæc dicens, præ omnibus est censor renunciatus. Docens adolescentes audacter pugnare, dicebat sæpe sermone ac voce magis quàm gladio & manu terreri fugarique hostem. Bellum gerẽs adversus Bœtis fluuij accolas, cùm ob hostium multitudinem in discrimine versaretur, & Celtiberi paciscentes CC talentorum mercedem auxilia promitterent, Romani non sinerent eum hanc barbaris hominibus promittere: Erratis, inquit. si enim vincemus, non de nostra, sed hostium pecunia persoluemus: si vincamur, neque qui exigat erit, neque à quo exigatur. Cùm autem plures cepisset vrbes, quàm dies in hostico egisset, (vt ipse de se profitetur) nihil tamen præter cibum & potum inde se accepisse ait. Militibus viritim libram argenti largitus, præstare dicit multos à militia cum argento, quàm paucos cũ auro redire. ducũ enim nihil præter gloriam debere in provinciis augeri. Militiæ quinque habebat famulos. quorum vnus cum duo emisset mancipia, neque res Catonem latuisset, antequam in conspectum domini veniret, suspendio vitam sibi ademit. Rogatus à Scipione Africano vt Achæis exulibus opem ferret, reditum in patriam flagitantibus, præ se tulit nihil se istud curare negocium. In senatu aũt multis ea de re habitis sermonibus, surgens: Perinde, inqt, ac si deesset quod ageremus, sedemus hîc disputantes de Græcis senibus, à nostrisne ij, an verò ab iis qui isthic sunt vespillonibus debeant efferri. Scripserat Postumius Albinus historiam Græco sermone, veniámque à lectoribus petebat. quem subsannans Cato, Dandam ei veniam aiebat, si decreto Amphictyonum coactus scripsisset.

Honór. — Ira. — Salsè. — Salsè.

SCIPIONEM iuniorem tradunt LIV, quos vixit, annis, nihil emisse, nihil vẽdidisse, nihil ædificasse. atque in tantis opibus non nisi XXXIII argenti, duo auri pondo eũ reliquisse: cum quidẽ Carthagine potitus fuisset, & magis quàm vllus alius imperator milites collocupletasset. Polybij autem præceptum seruans, operam dedit, ne prius è foro discederet, quàm aliquem compellãtium quocunque modo sibi familiarem amicúmque faceret. Iuuenis etiamnum tantam de se fortitudinis & prudentiæ opinionem excitauit, vt Cato maior interrogatus de militantibus ad Carthaginem quid sentiret, inter quos etiam Scipio erat, de hoc pronunciârit,

Iste sapit solus: reliqui vel vt vmbra vagantur. Odyss. κ. 495.

Cúmque ab exercitu Romam venisset, ad summã rei gerendæ populus eum vocauit, nõ studio ipsi gratificãdi, sed quod eius opera facilè citóque se Carthaginẽ capturos sperarẽt. Cùm iam intra muros Carthaginis venisset, & Carthaginienses ex arce se defenderẽt, ac mare inter castra ipsius & arcem non esset profundũ: consulente Polybio vt ferreos murices spargeret, aut tabulis vada cõsterneret clauos eminẽtes habentibus, ne trãsire hostes ad oppugnãdũ vallũ possent, respõdit: Ridiculũ esse captis muris intra vrbẽ progressos hoc iam agere ne cum hoste sit pugnandũ. Cùm invenisset eam vrbem repletam statuis donariísque Grecanicis è Sicilia advectis, edixit vt è singulis vrbib. venirent qui dignoscerent suáque auferrent. Nihil quicquam suorum quenquam passus est vel liberum vel seruũ de præda accipere, ac ne emere qdem, omnib. aliis direptioni vacãtibus.

Amicicia. — Liberaliter.

C. Lælio amicissimo suo in petitione cõsulatus operam nauans, è Põpeio (putabatur is tibicinis esse filius) quæsiuit, an ipse quoq; consulatũ esset petiturus. respõdit is neq; se ambiturum, & comitia cum Lælio obiturum, eiúsq; petitioni studio suo opitulaturum. Hoc illi credentes, decepti sunt, renunciatúmq; est Pompeium in foro circum- *Salsè.* ire ac prænsare ciues. Tum reliquis stomachantibus, ridens Scipio: Nostra, inquit, stulticia hoc fit, qui quasi nõ homines, sed deos precaturi iamdudum moras nectimus expectando tibicinem. Certamen erat ei in petitione censuræ cum Appio Claudio. qui cùm diceret, se omnes ciues nominatim compellare, Scipione ferè omnes ignorante: Vera, ait Scipio, dicis. non enim mihi cura fuit multos nosse, sed à nemine ignorari. Et cùm esset Romanis bellum adversus Celtiberos, se competitorémque legatos aut tribunos militum mitti ad exercitum postulauit, belligerantibus de vtriusq; virtute sententiam testimoniúmq; laturis. Censor creatus, adolescenti equum ademit, qui quo tempore Carthago obsidebatur, instructa sumtuosa cœna, placentam mellitam ad eius vrbis formam confectam, et Carthaginis nomine insignitam, diripiendam *Seuerè.* conviuis proposuisset. & quærenti cur equo mulctaretur, Quia, inquit, me prior Carthaginem diripuisti. C. Licinium videns accedere, Scio, inquit, hunc peierasse. quia *Iustè.* autem nemo accusat eum, non possum ipse actor iudéxq; simul esse. Missus à senatu tertium, vt ait Clitomachus,

Vt multorum hominum mores ac iura videret,

vrbésq;, gentes, & reges inviseret: vt Alexandriam pervenit, egressus est naui, processitq; cooperto capite. circùm verò cursitantes Alexandrini rogauerũt vt retegeret faciem, desiderióq; eius videndi captis spectandam præberet: vocemq; & plausum eo impetrato sustulerunt. quorum ambulationem cùm rex ob ignauiam & molliciẽ corporis ægrè magno nisu æquaret, Scipio Panætio in aurem insusurrauit: Iam nunc Alexandrini fructum nostræ peregrinationis ceperunt, qui propter nos regem viderint deambulantem. Vnum omnino ea in legatione habuit de amicis comitem Panætiũ, seruos quinq;. de his vno in peregrinatione mortuo, alium nolens emere, Roma acciuit. Numantinos cùm insuperabiles putaret populus, qui multos iam Romanos duces vicissent, Scipioni secundum consulatum detulit, eius belli gerendi gratia. Cùm autem multi nomina sua ei militiæ darent, inhibuit hoc senatus, desertam fore isto pacto Italiam dicens. sed & pecuniam quæ ad manum & parata erat sumere cum nõ passi sunt, & reditus vectigalium ei destinauerunt, quorum nondum appetierat tempus. Ad hoc respondit Scipio, Pecuniæ sibi de suo & amicorum facultatibus fore satis. id verò reprehendit quod de militibus erat decretum. quod diceret bellum graue esse, si quidem ob fortitudinem hostium toties victi essent Romani, contra tales: sin ob ignauiam ciuium, militibus talibus gerendum. Vt venit ad exercitum, multum ibi confu- *Disciplina militaris.* sionis, intemperãtiæ, superstitionis, luxúsq; reperit. Itaq; ariolos, sacrificulos, lenonésque statim exturbauit, & omnia iussit amouere vasa, demtis olla, veru, & figlino poculo, argenteorum poculorum nullum duabus libris maius permisit habere volentibus. lauacro interdixit, qui invngerentur quenq; à seipso fricari iussit, quod diceret iumentis fricante opus esse quia manibus ipsa carerent. Prandere iussit obsonium nullo igni coctum, in cœna accumbentes edere panem aut pultem simplicem, & carnem elixam siue assam. ipse sago amictus nigro obambulauit, lugere se inquiens turpitudinem exercitus. Cùm incidisset in Memmij cuiusdam tribuni militum iumenta, quæ gemmis ornata ac Thericlea gestabant pocula, Talis, inquit, cùm sis, mihi patriæq; te ad XXX dies, tibi ipsi per omnẽ vitam reddidisti invtilem. Alij clypeum ostentanti præclarè ornatum, Clypeus quidem, inquit, ô adolescens pulcer est: cæterùm Romanum virum magis decet in dextra sua fiduciam habere, quàm in sinistra collocatam. Vallum tollenti, & admodum se premi dicenti, Non iniuria, inquit. ligno enim huic magis *Cautio imperatoria.* fidis quàm gladio. Videns coniunctam cum insania hostium temeritatem, dicebat se tempore securitatem redimere. bonum enim imperatorem, itidem vt medicũ, ad malum curandum vltimo demum loco ferrum adhibere. nihilominus tamen suo tempore adortus Numantinos fudit. Quo tempore senioribus pulsos culpantibus quod eos fugissent quos toties in fugam coniecissent, ferunt quendam Numantinorum di- *Dux.* xisse, Oues quidem easdem esse atq; antea, sed alium habere pastorem. Capta Numantia, acto secundo triumpho, de senatu & sociis in contentionẽ venit cum C. Graccho. ibi cùm indignabundus populus pro rostris dicenti tumultu facto obstreperet:

Num-

Nunquam, inquit, me exercituum conclamantium perterruit vociferatio, nedum cõvenarum fremitus me percellat, quorum nõ matrem esse, sed nouercam Italiam noui. Gracchóq; cum suæ factionis hominibus clamante, Interficiendum esse tyrannũ, Meritò, inquit, patriæ bellum facientes me priùs sublatum volunt. Roma enim Scipione incolumni cadere non potest, neq; viuere Scipio Roma eversa.

CAECILIVS METELLVS cùm de castello munito oppugnãdo deliberaret, cẽturioni dicenti decem duntaxat amissis viris eo potiturum, Visne, inquit, vnus ex illis decem tu esse? Interrogatus à quodam iuuene centurione quid esset facturus, respondit, Se tunicam suam, si sui eam sibi cõsciam cõsilij putaret, exuturum & crematurum. *Arcanum.* Scipionis, cum quo viuus inimicicias exercuerat, mortem grauiter molestéq; tulit, filiósq; suos subire feretro eius portando iussit. dijsque dixit gratias se agere Romæ causa, quod alibi non exstiterit Scipio.

C. MARIVS obscuro natus loco, gestis militię reb. cùm se ad honores in republica capessendos contulisset, ædilitatem maiorem ambiuit. vidénsq; se eam nõ impetraturum, eadem die minorem petiit. passúsq; repulsam, tamen de prima inter Romanos dignitate nõ desperauit. *Magnus animus.* Varices in vtroq; crure cùm haberet, secandas eas medico præbuit: alteriúsq; sectionem solutus, absq; vllo gemitu, & ne contractis quidem superciliis sustinuit. ad alterum transeuntem inhibuit, non esse inquiens remedium isto dignũ dolore. *Prudens patientia.* Alterum ipso gerente consulatum, Lusius sorore natus ipsius, vim adolescentis cuiusdam Trebonij militantis pudiciciæ intentârat, erátque ab eo interfectus. Accusatus à multis Trebonius, nihil inficiatus cædẽ tribuni, causam protulit atq; demonstrauit. Iussit Marius coronam, quæ ob res præclarè gestas donari solet, afferri, eáq; Trebonium ornauit. *Iustè.* Opposuerat Teutonibus castra loco aquæ inopi. & dicentibus se sitire militibus, demonstrans amnem prope vallum hostium decurrẽtem, Isthinc, ait, peti à vobis potest potus sanguine venalis. Orauerunt itaq; milites vt eò duceret, sanguine ipsorum adhuc humido, necdum ob sitim concreto. Bello Cimbrico Camertes viros CIↃ ob rem bene gestam vniuersos ciuitate Romana donauit, nullius legis beneficio. reprehendentibúsq; factum respondit, se præ armorum strepitu leges non potuisse exaudire. *Leges.* Bello ciuili fossa cinctus & oppugnatus, tolerauit omnia idoneam operiens occasionem rei gerendæ. *Bellum.* Vbi quidem Popedio Siloni (erat is hostium dux) dicenti, si es, Mari, magnus imperator, descẽde & prœlio decerne: respondit: Immò tu si magnus es imperator, cogito me inuitum decertare.

LVTATIVS CATVLVS bello Cimbrico cùm haberet castra ad flumen Athesin, suíq; barbaros transitum moliri cernentes retrò cederent: videns fugam se inhibere nõ posse, ad primos aufugientium ordines celeriter se contulit: ne fugere hostem sui, sed ducem sequi viderentur. *Stratagema.*

SYLLA cognomẽto Felix, hæc duo maxima fortunæ munera putauit, Amiciciam Metelli Pij, & Quod non deleuisset Athenas, sed vrbi pepercisset.

C. POPILLIVS à senatu litteras Antiocho attulit, quæ eum ex Aegypto iubebant exercitum abducere, neq; regnum pupillorum Ptolemæi vita defuncti sibi vindicare. Accedens per castra, eminus ab Antiocho comiter salutatus, non reddita salute epistolam tradidit. qua lecta cùm deliberatione habita responsurum se rex diceret, palmite Popillius orbem circa eum descripsit, inquiens: Hic ergo stans delibera & responde. *Maiestas P. R.* Omnibus magnaminitate hominis perculsis, cùm Antiochus profiteretur se ex sententia Romanorum acturum, ita demum regem salutauit amplexúsque est Popillius.

LVCVLLVS in Armenia cum decem grauis armaturæ militum millibus & mille equitibus contra Tigranem contendebat, instructum CL millium exercitu: idq; pridie Nonas Octobris, qua die Cimbri antè copias Cæpionis deleuerant. dicente tum quodam, istam diẽ abominari Romanos & formidare: pugnemus ergo, inquit, hodie strenuè, vt hanc diem quoque ex nefasta & tristi festam lætámque Romanis redigamus. *Omen refutat.* Cúmq; à cataphractis maximè sibi metuerent milites, bono eos esse iussit animo. plus enim in spoliandis iis fore laboris, quàm in vincendo. Primus ad tumulum aggressus, cùm motum videret barbarorum, exclamauit: Vicimus ô commilitones. nullóq; subsistente persequens hostem, quinq; duntaxat Romanorum amissis, vltra C millia hostium interemit.

Cn. POMPEIVM Romani tãto prosecuti sunt amore, quanto patrẽ odio. Adolescẽs

totum se Syllæ partibus addixit, nullóq; etiamnum gesto magistratu, neq; in senatum allectus, multos per Italiam conscripsit milites. & vocanti ad se Syllæ, respondit, Non se sine spoliis & nullo facto sanguine imperatori suum commonstraturum exercitum. neq; ad eum ante accessit, quàm hostium ductores multis vicisset pugnis. Missus deinde in Siciliam legatus, inaudiuit milites in itinere faciundo sæpe evagari, vímq; hominibus facere, & prædas avertere. Igitur eos qui temerè oberrabant & circumcursitabant, suppliciis compescuit. A se autem missorum gladiis sigilla imposuit. Mamertinos, quòd ab adversariis stetissent, vniuersos neci dedere constituerat. Tũ Sthenis, qui orator ea in ciuitate principatum tenuerat, iniustè agere Pompeium dixit, qui ob vnum sontem multos innocentes vellet occidere. se solum in culpa esse qui amicis persuasisset, inimicósq; vi adegisset ad Marianam factionem defendendam. Miratus Pompeius hominem, Gratiam se delicti facere Mamertinis pronunciauit, talem secutis virum, qui patriam sua vita haberet priorẽ. ignouítq; & ciuitati & Stheni. *Virtuti præmiũ datum.* Cùm traiecisset in Africam adversus Domitium, eúmq; magno superasset prœlio, salutatus ab exercitu imperator, negauit se hoc ornamentum accepturum, recto adhuc stante hostium vallo. *Magnanimè.* itaq; milites, quanquam imbre largo incumbente, castra hostium diripuerunt. Reversum Sylla cùm aliis honoribus benignè affecit, tum primus Magnum cognominauit. triumphum autem petenti negauit, quòd nondum esset in senatum receptus. Ad hæc Pompeius iis qui aderant dixit, Ignorare Syllam, quòd plures orientem Solem adorent, quàm occidentem. quo audito Sylla exclamauit, Triumphet. Seruilius tamẽ vnus ex optimatibus indignè id ferebat, multíq; militum triumpho reclamabant, dona quædam exposcentes. Vbi quidem Pompeio dicente, Omissum potiùs à se iri triumphum, quàm vt militibus adularetur, dixit Seruilius: Nunc demum se intelligere, esse Pompeium re vera magnum, triumphóq; dignum. Moris Romani erat, vt equites qui constitutum legibus tempus militassent, equos in forum ad censores adducerent, ibíq; quoties & sub quibus meruissent ducibus, enarrarent. Proinde consulatum gerens Pompeius, equum ipse ad censores Gellium atq; Lentulum deduxit: interrogatúsq; pro more, Omnésne obiuisset militias, respõdit: Omnes, & quidem sub me ipso imperatore. *Humaniter.* In Hispania nactus scrinia epistolarum Sertorij, in quibus multæ erant principum virorum litteræ, nouandarum rerum & convellendi præsentis reipublicæ status causa Sertorium Romam evocantium: omnes eas combussit, resipiscendi largiens corrigendíq; occasionem malis. Phraathi Parthorum regi missis ad ipsum internunciis petenti vt Euphrate limite vteretur, respõdit Romanos ius potiùs pro termino habituros. L. Lucullus post obita imperia voluptatibus sese luxuique tradiderat, Pompeiúmq; vituperabat, qui aliena ætate negociis sese implicaret. ad hæc Pompeius, Magis aiebat alienum esse à senio luxuriare, quàm gerere rempublicam. *Senectus.* Aegrotanti medicus consuluerat vt turdo vesceretur. nullus autem poterat inveniri, quòd anni tempus erat ab eorum captura alienum. quidam inventum iri aiebat apud Lucullum, qui per annum eos aleret. Ergo dicebat, nisi luxuriaret Lucullus, viuere Pompeius nequiret? iussóq; valere medico, vsus est re facilè parabili. Cùm Romæ ingens frumenti oborta esset caritas, creatus verbo quidem annonæ procurator, reipsa dominus terræ marísq;, in Africam, Sardiniam, Siciliámq; nauigauit, magnáq; vi frumenti congesta, Romam properauit. Existente autem graui tempestate, & gubernatoribus trepidantibus, primus nauim conscendit, evellíq; mandato anchoram exclamauit, Nauigare necesse est, viuere nõ est necesse. Detecto eius cum Cæsare dissidio, Marcellino cuidam, qui evectus à Pompeio, studiis mutatis ad Cæsarem transierat, multa in senatu contra ipsum dicenti: Non te, inquit, pudet Marcelline mihi cõvicium facere, qui te è muto loquentem, de famelico vomentem fecerim? Catoni acerbè ipsum reprehendenti, quod sibi sæpenumerò prædicenti Cæsarem augeri potentia ad detrimentum popularis status reipublicæ, non advertisset animum, respondit: Tua consilia magis à diuinatione, mea ab amicicia proficiscebantur potiùs. De se ipso autem liberè hoc prædicabat, omnem magistratum se & occepisse sua, & deposuisse aliorum opinione citiùs. A Pharsalica pugna in Aegyptum fugiens, è triremi sua transiturus in piscatoriam cymbam à rege missam, conversus ad vxorem & filium aliud nihil dixit, quàm Sophoclea ista:

Etenim tyranni quisquis intrat in domum,
Fit seruus eius, liber etsi venerit.

Trans-

Transgressus, cùm gladio feriretur, semel tantùm ingemuit, nullácque emissa voce caput obvoluit veste ac procubuit.

Cicero orator, cùm cognomen eius exagitaretur dicteriis, amicíque hortarentur vt id mutaret, dixit se Ciceronis nomē effecturum Catonum, Catulorum, Scaurorúmque nomine illustrius. Poculum porrò aureum diis dedicans, prænomen suum noménque litteris insculptis, cognomentum Ciceronis cicere cælato indicauit. Oratores qui altum clamarent, dicebat ob imperitiam dicendi ad vociferationem, sicvt claudos ad equum confugere. Erat Verri filius, qui in flore ætatis pudiciciam suam male custodiuerat. Ei Verri Cicero, mollicie m sibi exprobranti, ac cinædum appellanti: Nescis, inquit, filiis esse intra fores conuiciandum. Metello Nepoti dicenti, plures testimonio tuo perdidisti, quàm patrocinio seruasti, respondit: Quia enim plus mihi fidei est quàm facundiæ. Eidem interroganti quo patre natus esset, Tua, inquit, mater fecit, vt tibi difficilius esset respondere sic interrogato. Erat enim ea impudica, Metellus autem leuis & inconstans atque cupiditatibus obsequens. Hic cùm Diodoto, quo oratoriæ artis doctore vsus erat, coruum lapideum in monimento statuisset, dignam ei relatam gratiam Cicero dixit, quòd is volare Metellum, non dicere docuisset. Audito Vatinium inimicum suum, hominem alioqui prauum, mortuum esse, cùm postea viuere eum cognouisset, Malè, inquit, pereat, qui mentitus est male. Cuidam qui domo Afer putabatur, dicenti non audire se ipsum dicentem, Atqui, inquit, aurem habes foraminis non expertem. Quodam in iudicio Popillium Cottam ad perhibendum testimonium vocauerat, qui se iureconsultum profitebatur, homo indoctus & ineptus. is cùm nihil se scire diceret, Putas fortassis, ait, de iure te interrogari. Hortensio oratori, qui accepta mercedis loco à Verre Sphinge aurea, sibi obscuriùs aliqd dicenti se ænigmatum soluendorum imperitum esse aiebat, respondit: Atqui Sphingem domi habes. Voconio occurrens tribus filiabus deformissimis comitato, placidè amicis dixit:

Fiducia sui.

Salse.

Phœbo olim non sinente hic seuit liberos.

Cùm Faustus Sullæ F. propter æris alieni magnitudinem proscripsisset se auctionem facturum suorum bonorum: Hanc, inquit, magis probo, quàm paternam proscriptionem. Orto inter Cæsarem & Pompeium dissidio, dixit Nosse se quem fugere, ignorare quem sequi debeat. Pompeium repræhendit, quod vrbem deseruisset, ac Themistoclem potiùs quàm Periclem esset imitatus, rebus non illius, sed huius tempestati similibus. Ad Pompeium cùm venisset, duceretúrque pœnitentia, interrogatus ab eo vbi Pisonem generum suum reliquisset, Apud socerum, respondit, tuum. Et cùm quidam qui à Cæsare ad Pompeium desciuerat, præ festinatione se equum reliquisse ibi diceret: meliùs eum equo suo quàm sibi consuluisse dixit. Renuncianti Cæsaris amicos esse vultu tetrico, Ais, inquit, eos Cæsari bene velle. Post Pharsalicam pugnam cùm fugisset Pompeius, & Nonius quidam septem adhuc adesse aquilas diceret, ideóque bene sperandum, Rectè, inquit, moneres, si adversus graculos esset pugnandum. Cæsar rerum potitus cùm deiectas Pompeij statuas erigeret honorificè, Hoc, inquit, facto suas Cæsar figit. Tantum verò bene dicendo studuit, tantíque eam rem duxit, vt cùm causa ipsi oranda esset coram centumviris, diéque appetente Eros seruorum vnus nunciaret in sequentem diem differri iudicium, hunc libertate donauerit.

C. Caesar adolescens dum Syllam fugit, incidit in piratas, primúmque exigentes summam pecuniæ derisit, quòd ignorarent quem cepissent, duplúmque eius daturum se promisit. Deinde habitus in custodia dum cogeret pecuniam, mandauit eis vt silerent, séque sinerent dormire. orationes etiam & poëmata scribebat, ipsísque recitabat, & non admodum laudantes, stupidos barbarósque appellabat, ac suspensurum se eos per risum minabatur, quod & fecit paulò pòst. allata enim qua se redimeret pecunia dimissus, viros nauésque ex Asia collegit, latronésque correptos in cruces egit. Romæ cum Catulo principe in ciuitate viro de pontificatu maximo certans, matri progressurū in cāpum ad fores vsque comitanti, Hodie, ait, aut pontificem maximum, aut exulem habebis filium. Pompeiam vxorem dimiserat, quam corruptam à Clodio esse rumor ferebat. quo nomine cùm Clodio esset dictus dies, citatus ipse testis nihil de ea sinistri dixit. & interroganti actori, cur ergo nuncium vxori remisisset, respondit: Quia Cæsaris vxorem etiam criminis puram oportet esse. Res Alexandri gestas legens, Fama.

fleuit, dixitq; amicis: Quo natu Alexander Darium vicit, eo ego adhuc nihil egi. *Ambitio.* Oppidulum in Alpibus transiens nullius nominis, amicis quærentibus an ibi quoque tumultus & cõtentiones essent de principatu, meditatus aliquãtulum: Mallem, inq̃t, hîc primus esse, quàm Romæ secundus. Audacia & magna facinora facienda aiebat, nõ deliberanda. & è Gallia prouincia contra Pompeium proficiscens, traiecto Rubicone flumine, Omnis, inquit, iacta esto alea. Cùm Pompeius Roma ad mare fugisset, Metellus qui ærarij curam gerebat, volẽtem ipsum inde pecuniam sumere, prohibuit, occlusitq; ærarium. ei mortem minatus est, consternatóq;, Hoc, inquit, mihi, ô adolescens, difficilius est dicere quàm facere. Militibus ipsius Brundusio tardè ad Dyrrachium transvehentibus, omnibus ignorantibus lembum cõscendit, conatúsq; est mare traiicere. cùm verò nauiculam fluctus pœnè obruerent, aperiens sese gubernatori exclamauit: Fide fortunæ, sciens te Cæsarem vehere. prohibitus tamẽ est transmittere tempestatis violentia, & concursu militum ægerrimè ferentium, quòd ipsis non confidẽs alium exspectaret exercitum. Commissa pugna cùm vicisset Pompeius, neq; persequeretur victoriam, sed in castra reduceret, dixit Cæsar: Hodie victoria erat penes hostes, sed nõ habent qui vincere nouerit. Quod ad Pharsalum Pompeius exercitum instructum stare & exspectare hostem iussit, id Cæsar reprehendebat, vehementiam & impetum militum qui fit cursu cum quodam quasi furore in hostem tendentibus, eũ eneruauisse dicens. Pharnacem Põticum primo accessu cùm superasset, ad amicos scripsit: Veni, vidi, vici. Scipione in Africa pulso victóq; cùm Cato sibi necem cõsciuisset: dixit invidere se Catoni mortem, quando is sibi salutem invidisset. Malè suspicantibus de Antonio quibusdam & Dolabella, & ab iis vt sibi caueret monentibus: Non hos, inquit, metuo ignauos & pingues, sed graciles istos ac pallidos, Brutum monstrans & Cassium. In cœna sermone incidente quodnam mortis genus esset optimum, respondit Inopinatum.

CAESAR, qui primus Augustus est cognominatus, adolescens etiamnum Antonium reposcebat millies sestertiûm, quam pecuniam ex Iulij Cæsaris interfecti domo is abstulerat: cupiebat enim ꝑsoluere Romanis legatũ Iulij, viritim denarios LXXV. Antonio autem pecuniam detinente, ipsúmq; si saperet abstinere hac postulatione iubente, hæreditatem paternam proscripsit ac vendidit, legatóq; persoluendo benevolentiam sibi, odium ciuium Antonio parauit. Rymetalces Thracum rex ab Antonio ad ipsum defecerat, societatémq; hãc immoderatè in conuiuiis odioséq; iactabat. itaq; *Proditor.* Augustus cuidam reliquorum regum propinans dixit: Ego proditionem amo, proditores non laudo. Cùm Alexandrini vrbe capta acerbissima quæq; exspectarent, conscenso tribunali Arium Alexãdrinum iuxta se statuit, vrbíq; se parcere dixit: primùm ob eius magnitudinem atq; pulcritudinem, deinde propter autorem eius Alexandrũ, *Seuerè.* denìq; in gratiam amici sui Arij. Erotem suum in Aegypto procuratorem audiens coturnicem quæ in pugna omnes vinceret, insuperabilísq; esset, emisse atque comedisse, acciuit, & inquisiuit: fassúmque malo clauis affigi iussit. Siciliæ procuratorem Arium loco Theodori constituit: cúmque ei quidam libellum exhibuisset, in quo scriptum erat: Caluus, aut fur est Theodorus Tarsensis, quid tibi videtur? subscripsit, Videtur. à Mæcenate, qui cum vitam agebat, quotannis in nataliciis dono accipiebat pateram. *Ira.* Athenodoro philosopho domum redeundi ob senectutem petenti veniam, concessit. qui cum valedicens ei hæc verba protulisset: Cùm irasceris, Auguste, nihil antè vel dixeris vel feceris, quàm tecum XXIV orationis elementa repetieris: manu eius arrepta Augustus, etiamnum, inquit, tua mihi opus est præsentia, ac per totum porrò an*Silentium.*num secum detinuit, Silentij, inquiẽs, tutum esse præmium. Audito Alexandrum, cùm annos natus XXXII pleraque subegisset, anxium fuisse de materia agendi ad reliquum tempus: Miror, inquit, Alexandrum non existimasse maioris esse operæ imperium partum bene constituere, quàm parare. Lata de adulteris lege in qua de reorum eius flagitij iudicio & supplicio erant omnia definita, postea in adolescentem, qui cum Iulia adulterium commisisse dicebatur, iratus irruit, manibúsque eum pulsauit. qui cum exclamaret, Legem tulisti ô Cæsar: ita pœnitudine est correptus, vt cœnam ea die recusauerit. C. Cæsari filiæ suæ filio, cùm eum in Armeniam mitteret, precatus est à diis gratiam Pompeij, audaciam Alexandri, fortunam suam cõcedi. Romanis autem se imperij sui hæredem relicturum dixit, qui nunquam bis vna de re consultauerit: Tiberium innuens. Tumultuantes iuuenes qui in honore erant volens

lens compescere, cùm non animum adverterent, sed obstreperent: audite, inquit, iuuenes senem, quem iuuenem senes audiuerunt. Quod peccasse aliquid videbatur populus Atheniensis, ab Aegina scripsit ad eum. Existimo non vos fallere me irasci vobis: alioqui enim non exegissem hyemem Aeginæ. aliud nihil vel dixit eis vel fecit. *Humaniter.* Cùm vnus de Euryclis accusatoribus effusiùs libertate dicendi & ad fastidium vsq; vsus, ad hæc verba prolapsus esset: Si hæc tibi, Cæsar, non videntur magna, recitare eum mihi iube septimum Thucydidis. iratus Augustus eum se inde auferre iussit. audiens autem esse eum de Brasidæ posteris superstitem, acciuit verbísque mediocriter castigatum dimisit. Pisone domum à fundamentis vsq; ad summum tectum accuratè exædificante: Animum, inquit, exhilaras meum: ita ædificans, ac si Roma sit futura sempiterna.

Plutarchi apophthegmata Laconica.



AGASICLES Lacedæmoniorum rex cuidam miranti quòd auditionis aliâs studiosus Philophanem tamen sophistam nō admitteret, respondit se debere eorum esse discipulum, quorum etiam filius esset. Idem interrogatus quomodo princeps absq; stipatoribus esse posset tutus, respondit: si subditis ita imperaret, vt pater filiis. *Tutum imperiū*

AGESILAVS magnus ille sorte quodam in conuiuio magisterium nactus, pincernæ interrogāti quantum cuiq; conuiuarum vini iuberet apponi: Si multum, inquit, vini in promtu est, cuivis quantum poscet fundito: si parum, æqualiter inter omnes distribue. Malefico quodam constanter tormenta perpetiente, Quàm valdè, ait, malus hic homo est, in res malas ac turpes tolerantiam perseuerantiámq; impendens. Laudante quodam rhetorem, quod magna dicendi facultate res paruas exaggeraret: Ne sutorem quidem, inquit, probum putem, qui paruo pedi magnum circumdet calceum. *In vaniloquū.* Dicenti quodam, Assensus es, idq; repetenti sæpius: omnino, inquit, assensus sum, si res iusta est. sin minùs, dixi sane, verùm assensus non sum. inferentiq;, At verò reges par est implere *Principum responsa.*

Quod capite annuerint:—— respondit: Non magis, quàm æquum est vt qui regem accedunt, petant dicántq; iusta, considerato quid occasio & decorum regis ferat. *Iliad.α,527.* Quoties laudantes aut vituperantes audiret, censebat non minùs dicentium mores cognoscendos esse, quàm eorum de quibus dicerent. *Dicentis mores.* Puerum ipsum etiamnum, cùm puerorum nudorum exhiberetur spectaculum, chori magister loco obscuro constituerat. obtemperauit, quanquam iam rex designatus, ita fatus: Bene habet: ostēdam enim non loco virum, sed viro locum cohonestari. *Fiducia sui.* Medico quodam rationem medendi corporis malo ei demonstranti nō simplicem, sed multis subtilibus ac supervacaneis admixtam: Aecastor, inquit, nisi mihi vita est destinata, non sum victurus etiam omnibus istis vsurpatis. Adstans aliquando aræ Mineruæ, quæ ab æde ærea Chalciœcus dicitur, bouémq; immolans, morsus à pediculo, nihil reveritus in cōspectu omniū arripuit eum & occidit, his additis verbis: Per deos, iucundum est vlcisci insidiatorem, etiam ponè aram. *Vltio.* Alio tempore videns murem à puero tenere trahi de fenestra, eúmque mordere manum tenentis ac profugere, re iis qui aderant ostensa dixit: quando minimum animalculum sic propulsat vim illatam, quid existimandum est viros debere facere? Bellum regi Persarum illaturus liberandorum gratia Græcorum qui in Asia erant: oraculum Dodonæum consuluit. acceptóq; responso, vt expeditionem sic vti animo agitabat, ita susciperet, id respōsum Ephoris exposuit: hi eum iusserunt Delphos proficisci, déq; eadem re sortem sciscitari. Eò itaq; cum venisset, ita rogauit: Apollo, idémne tibi videtur, quod patri? Eóq; adstipulante imperator creatus, expeditionē fecit. Eius in belli initio Tisaphernes Agesilaum metuens, pacis impetrandæ causa ꝓmiserat, regem vrbibus Græcis libertatem, & quas ipsæ haberent legum vsum permissurum: mox magnis à rege evocatis ad se copiis bellum ei denunciauit, nisi Asia decederet. Grata fuit hæc perfidia Agesilao, simulánsq; in Cariam se ducturum, cùm eò cogeret suas copias Tisaphernes, converso itinere in Phrygiam irrupit, plurimísq; vrbibus, & ingenti potitus est pecunia. Cùm qdem amicis dixit, Impium esse iniustè fidem datam violare: hostes aūt decipere, non iustum modò esse & laudabile, sed suaue etiam *Perfidia & calliditas differūt.*

ac lucrosum. Equis cùm destitueretur, Ephesum reversus est, opulentúsq; iniunxit, vt pro se quisq; equum virúmq; præberet, hócq; pacto ipse vacationem militiæ haberet. *Stratagema.* ea ratione subitò equi equitésq; idonei timidorũ diuitúmq; loco collecti sunt. qua in re imitari se Agamemnonem dicebat, qui accepta bona equa hominem ignauum ac diuitem militiæ immunem fecisset. *Iliad. ψ, 297.* Vendentibus nuda mancipia (quę ceperat ex hoste) sectoribus, & vestium multis existentibus emtoribus, corpora aũt alba & omnino tenera ob educationem intra parietes & in vmbra factam omnibus deridentibus, q̃ppe invtilia & nauci: adsistens Agesilaus, Hæc, inquit, sunt propter quæ, isti adversus quos pugnatis. Apud Lydiam cùm ingenti hostium strage Tisaphernem profligasset, & regis ditionem popularetur, isq; pecuniam dono ipsi mitteret, pacificationémq; posceret, respondit, Pacis compositionem fore in reipublicæ Spartanę potestate: se ditandis militibus magis delectari, quàm opibus possidendis: hoc autem sibi pulcrum videri, si Gręci nõ accipiant ab hostibus dona, sed manubias adipiscantur. Megabutẽ Mithridatis F. qui erat formosissimus, offerendi osculi gratia accedentem (admodum enim amari se putabat) declinauerat. cúmq; is finem fecisset accedendi, requirebat eũ vltrò. tum amicis dicẽtibus ipsum esse in culpa, qui pulcri osculum formidasset, præ timore non amplius venturi: paululum tacitè secum meditatus Agesilaus, Nihil, inquit, attinet, eum à nobis adduci persuadendo. malle enim mihi videor huiusmodi vincere *Victoria sui.* cupiditates, q̃ populosissimam hostium repugnantium vrbem capere. melius est enim suam ipsius conseruare libertatem, q̃ aliis eam adimere. Cętera accuratus & iustus, in amicorũ causis existimabat nimiã iusticiam prętextum esse contra eos. Fert̃ sanè epistolium eius, pro amico apud Hidrieum Carem sic intercedentis, tale. Si insons est Nicias, missum eũ fac: si aũt sons est, mea causa dimitte, omnino aũt dimitte. Ac in plerisq; sanè amicorũ rebus talis fuit Agesilaus. est tamẽ vbi occasionem ad vtilitatem potiùs accõmodauit. Castra enim aliquando mouens non nullo cum tumultu, invalidũ à tergo relinquens amasium precantẽ, & cum lacrymis revocantẽ, conversus: Difficile est, dixit, simul misereri & sapere. Victus ratione nihilo q̃ qui vnà degebãt vsus est meliore. abstinuit omnino satietate & crapula: somno vsus est non vt domino, sed eum actionibus habuit suis obedientem. Frigus & æstum ita facilè tulit, vt solus tempestatibus * anni vteretur Tentorium in medio militum habens, nullo meliorem lectum habuit. Assiduè in ore hoc habebat, ducem non mollicie & luxu, sed tolerantia ac *Dux.* fortitudine debere subditis anteire. Itaque cuidam interroganti, quid boni leges Lycurgi Spartanis attulissent, respõdit, Contemtum voluptatum. Admiranti eius, reliquorúmque Lacedæmoniorum in vestitu & victu frugalitatem: Hac, inquit, è semente vitæ libertatem metimus. Hortanti vt aliquid de seueritate victus remitteret, monentique ob incerta casuum fieri posse vt postmodo nunquam viuere molliùs detur, respondit: Ego verò me adsuefacio vt in nulla mutatione mutationem quæram. Senior etiam factus, eandem viuendi tenuit rationem. ideò quærenti cur magno in frigore tanto ipse natu sine tunica obambularet, respondit: Vt imitentur iuuenes exemplum seniorum atque principum. Thasii per agrum ipsorum cum exercitu transeunti farinam, anseres, bellaria, placentas, aliósque cibos sumtuosos *Frugalitas.* potúsque miserunt. solam autem farinam accepit, reliqua eos, vt nulli vsui sibi futura, auferre iussit. cùm instarent, vtq; omnino acciperet precarentur, in seruos distribuere iussit. quærentibúsque causam, dixit: Qui virtutem colunt, eos non admittere huiusmodi gulæ delicias. aliena enim à liberis ea esse, quibus seruilia ingenia alliciuntur. Rursum Thasiis eum, quod magna ab ipso se adeptos beneficia sentirent, templis diuinisque honoribus venerantibus, eáque de re legatos mittentibus: *Inanis honoris contemtus.* vt legit quos honores sibi decernerent, quæsiuit è legatis an ciuitas ipsorum homines in deos posset convertere: cùm affirmarent, Agedum, inquit, vos ipsos primùm deos facite: eo facto, credam vobis posse me quoq; à vobis in deum mutari. Cùm Græcæ in Asia gentes decreuissent ei in nobilissimis vrbibus statuas ponere: rescripsit: Nullũ mei esto simulacrum, neque pictum, neque fictum, neq; artificio vllo adornatum. Conspicatus in Asia domum, quadrangulis laqueatam trabibus, dominum eius interrogauit, ecquid ibi locorum arbores nascerentur quadrangulæ. respondenti, non, *In luxum.* sed rotundæ: quid ergo, inquit, an si quadrangulæ nascerentur, rotundas faceretis? Interrogatus olim quò vsque fines Laconicæ pertingerent: hastam vibrans, quovsque, inquit, hæc pervenit. Alij interroganti cur Sparta muris careret, ciues

com-

commonstrans armatos, istos esse dixit Spartę muros. *Munitio.* Alteri hac ipsa de re percunctāti respondit, vrbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas. Hortatus est amicos suos, vt non pecuniæ, sed fortitudinis & virtutis fiant locupletes. Si quando aliquid vellet celeriter à militibus peragi, id primus ipse in conspectu omnium aggressus est. Hoc gloriabat̃, quod à nemine superaret̃ laborando, & sibi ipsi magis quàm subditis imperaret. Cùm q̃dam Laconem claudum videret in bellum exire, & equũ quęreret, Non sentis, inq̃t, bellum opus habere manentibus, non fugiẽtibus? Interrogatus quomodo magnam parasset sibi gloriam, respondit, Contemnendo mortem. Quærente quodàm cur ad tibię cantum Spartani pugnarent: vt, inquit, ad numerum iis incedentibus timidi fortésq; sint in conspectu. Fortunas Persarum regis prædicante, iuuenis admodum: Neq; Priamus, inquit, ista ætate calamitosus fuit. *Sapienter.* Subacta magna Asiæ parte, statuit adversus ipsum regem ducere, finémque ocio eius imponere, quo is abvsus Græcorum oratores solebat corrumpere. Evocatus autem ab Ephoris ob bellum quod à Græcis Spartæ imminebat, cuius causa ērat pecunia à rege Persarum transmissa, fatus bonum principem debere parere legibus, ex Asia abiit, magno sui desiderio Græcis ibi degentibus relicto. Et quia nomisma Persicum sagittario erat signatum, castra mouens dixit, triginta sagittariorum millibus à rege se ex Asia expelli. Tot enim aureis Daricis à Timocrate Athenas perlatis, ac inter oratores diuisis, populi ad bellum contra Spartanos suscipiendum concitati erant. Ephoris autem in hanc rescripsit sententiam. Agesilaus ephoris S. Magnam Asiæ partem subegimus, barbaros profligauimus, & in Ionia multum armorum parauimus. Sed quoniam me ad definitum venire diem iubetis, sequor epistolam, ferè autem & antevertam. Imperium enim gero non mihi, sed ciuitati ac sociis. ac tum imperator verè iustéq; imperat, quando regitur à legibus & ephoris, aut siqui sunt alij in ciuitate magistratus. *Magistratus.* Postquam traiecto Hellesponto per Thraciam fuit proficiscendum, nullos barbarorum precatus est, sed misit ad singulas gentes quæsitum, vtrum vellent se per ipsorum regionem vt sociam an vt hostilem transire. *Magno animo.* Cæteris amicè eum admittentibus ac deducentibus, Troadenses, à quibus etiam Xerxes (vt fertur) transitum donis redemerat, mercedis nomine ab Agesilao postularunt C talenta argenti, & totidem mulieres. Irrisit eos Agesilaus, dicénsque cur non rectà venissent acceptum quod petebant, adduxit exercitum, collatísque signis eos multa ipsorum cum strage fudit, atque transiit. Macedonum regi cùm eandem proposuisset quæstionem, ísque se deliberaturum diceret: Deliberet ergo, inquit, nos pergemus. miratus itaque audaciam eius Macedo, sibique timens, vt amicum transire iussit. Thessalorum, qui hostium erant socij, agrum populatus est, missis Larissam Xenocle & Scytha amiciciæ coëundæ causa. Qui cùm comprænsi custodirentur, reliquis grauiter hoc ferentibus, ac censentibus debere Agesilaum obsidere atque oppugnare Larissam, fatus nolle se alterius istorum virorum interitu vel totam mercari Thessaliam, pactis conditionibus eos recepit. Audito pugnatum esse apud Corinthum, & Spartanorum planè paucos, Corinthiorum, Atheniensium, reliquorúmque sociorum permultos occubuisse, nullam in vultu læticiam, aut ob victoriam animi elationem præ se tulit: sed altè ducto gemitu, O infelicem, dixit, Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad vniuersos vincendum barbaros. *Bella intestina.* Pharsaliis ipsum vrgentibus & exercitum ipsius vexantibus IↃ equitibus eos fudit, trophæúmque sub Narthacio statuit, & omnium victoriarum hac maximè delectatus est, quod suo instructo seorsim equitatu, eo solo superâsset hos, qui re equestri maximè se iactabant. Diphrida Lacedæmone mandatum ei adferente vt statim ex itinere in Bœotiam irrumperet: quanquam id statuerat alio tempore & maiore cum apparatu facere, paruit tamen magistratui, & accitis XX millibus eorum qui ad Corinthum castra habebant, in Bœotiam invasit, prælióque ad Coroneam congressus cum Thebanis, Atheniensibus, Argiuis, & Corinthiis, victoriam obtinuit. Et quanquam corpus eius multis vulneribus malè fuit ea in pugna mulctatum, quæ omnium eius tempestatis fuit teste Xenophonte maxima, nihil tamen reversus domum in vitæ & victus ratione post tot victorias prosperósque successus mutauit. Videns ciuium quosdam equis alendis sibi arrogare famam ac superbire, Cyniscæ sorori persuasit, vt conscenso curru ludis Olympicis decertaret: volens demonstrare Græcis cer-

tamina iſta nō virtutis alicuius,ſed diuitiarum eſſe & ſumtuum. Cum haberet ſecum ſtudioſeꝗ tractaret Xenophontem ſapientem,ſuaſit ei vt filios ſuos Spartam acceſſeret, ibiꝗ educaret, vt inſtituerentur omnium pulcerrima diſciplina imperandi ac parendi. Aliàs interrogatus, quámnam ob cauſam Spartani aliis feliciores eſſent, reſpondit: Quia plus quàm alij exercent ſe in imperando & obediendo. Lyſandro mortuo cum inveniſſet magnam factionem,quam ille ſtatim poſt reditum ex Aſia adverſus Ageſilaum excitauerat: animum adiecit ad demonſtrandum qualis dum viueret ciuis fuiſſet Lyſander. cúmꝗ orationem legiſſet in libro relictam, quam Cleo Halicarnaſſenſis compoſuerat, Lyſander autem fuerat ad populum habiturus de rebus nouis, & immutanda republica: ſtatuit eam in medium proponere. Sed cùm de ſenioribus quidam ea pellecta vim dicendi artificiúmque metuens,ſuaderet ne è ſepulcro effoſſum produceret Lyſandrum: obtemperauit, eámque rem omiſit. Eos autem,qui clanculum ſe ipſi opponebant,palàm quidem non inceſſit.ſed conficiens hoc vt quidam eorum ſe duces aut alio cum magiſtratu ſequerentur,demonſtrauit eos vbi poteſtatem adepti eſſent, malos eſſe ac rapaces. accuſatis deinde opitulans atque patrocinans, familiares ſibi redegit, atque ad ſe traduxit, ita vt nullum deinde haberet adverſarium. Petenti à ſe vt ipſius nomine ſuis in Aſia hoſpitibus ſcriberet,vt quod iuſtum erat conſequi poſſet: Mei quidem, reſpondit, hoſpites vltrò faciunt quod iuſtum eſt,me etiam nihil ſcribente. Mõnſtrabat ei quidam vrbis alicuius muros valdè admodum exſtructos,& quærebat, Pulcróſne eos iudicaret? reſpondit: Ita per deos,ſed non vt viri,verùm vti mulieres intus habitent. Megarenſi cuidam ad ſe de vrbe glorioſè loquenti: Adoleſcens,inquit, tui ſermones magna opus habent potentia. Quæ alios admirari videbat,ea ne noſſe quidem ſtatuerat. Et cùm aliquando Callipides tragœdiarum hiſtrio,celebris apud Græcos famæ & cui omnes multum tribuerent,primùm ei occurriſſet atque ſalutaſſet,deinde proteruè in comitatum ſe ingeſſiſſet,atque oſtentaret,ſperans blandè ſe ab Ageſilao compellatum iri, tandem diceret, Non agnoſcis me rex,neꝗ inaudiuiſti quis ſim? intuitus in eum,Nónne,inquit,tu Callipides es mimus? Vt audiret quendam,qui vocem luſciniæ imitabatur, rogatus renuit, quòd diceret ſe ipſam ſæpe audiuiſſe luſciniam. Menecrates medicus quia in quibuſdam deſperatis morbis vſus erat ſucceſſu felici,cognominabatur Iupiter.quo titulo cum vteretur importuniùs,& auſus fuiſſet ad Ageſilaum ſcribere,Menecrates Iupiter Ageſilao regi S. non lectis reliquis reſcripſit: Rex Ageſilaus Menecrati ſanam mentem. Cùm Conon & Pharnabazus claſſe regia mare obtinerent,ac oram Laconicæ maritimam oppugnarent,Athenienſium autem Aſtu muniretur præbente pecuniam Pharnabazo: pacem cum rege Perſarum fecerunt Lacedæmonij, miſerúntꝗ vnum de ſuis ciuibus Antalcidam ad Tiribazum, qui regi ipſorum nomine Græcos in Aſia habitantes traderet,pro quibus Ageſilaus bellum geſſerat. quo factum eſt improbiſſimè, vt huius rei infamiæ particeps eſſet Ageſilaus. Inimicus enim ei erat Antalcidas,pacémꝗ omnibus viribus machinabatur, quòd bello Ageſilaus creſceret,ſummámque adipiſceretur gloriam & potentiam. Enimverò dicenti Lacedæmonios ad Medorum partes inclinare, Immò, reſpondit, Medi potiùs Laconiſant. Interrogatus aliquando, vtra virtutum harum, fortitudinis & iuſticiæ, præſtantior eſſet: Reſpondit nullum fore vſum fortitudinis non præſente iuſticia. omnibus autem iuſticiam colentibus,nihil opus fore fortitudine. Aſianis regem Perſarum ex conſuetudine magnum appellantibus,Quid,inquit,maior me eſt,ſi non iuſtior eſt,neque temperantior? Qui in Aſia habitabant, eos aiebat in libertate malos,ſi ſeruirent, bonos eſſe. Interrogatus,quo quis maximè pacto]inter homines præclarum invenire poſſet nomen: Reſpondit,ſi optima dicat,& pulcerrima agat. Ducem aiebat debere adverſus hoſtes audacia,adverſus ſubditos benevolentia inſtructũ eſſe. Quærenti qd pueris eſſet diſcendũ,Hęc ait,qbus etiã ad virilem provecti ætatẽ vtanť. Ius dicens,cùm actor benè dixiſſet,reus malè,atꝗ hic identidẽ inculcaret,Ageſilae regẽ tutari leges oportet:ſi,inqt huic,domũ tibi aliqs tuam pfodiſſet,aut veſtẽ abſtuliſſet,putáſne architectũ aut textorẽ tibi opem laturum fuiſſe? Pace cõpoſita epiſtolã ad ſe à rege ſcriptã, & à Perſa quodã cum Callia Lacedæmonio miſſam,in qua hoſpitium & amicicia offerebanť,nõ accepit:ſed regi iuſſit renũciare,nihil eũ opus habere ad ſe mittendis epiſtolis.nã ſi amicũ ſe rex Spartæ & Græcię gerat,ipſum ſummopere ei fore amicũ: ſin verò inſi-

Obedientia.

Inimici vt tractandi.

Commendatio.

Contemtus rerũ inanium.

Gloria.

Iudicis officiũ.

insidiari deprænhendatur, non esse quod se credat ipsi amicum fore, etiam si plurimas acciperet epistolas. Ferunt eum, quod impensissime liberos suos diligebat, domi in a- *Amor liberûm.* rundine cum puerulis ludendi gratia equitasse. conspectúmq; à quodam amicorum, monuisse, ne cuiquam hoc diceret priusquam ipse quoque pater esset factus. Continenter cum Thebanis bella eo gerente, & in pugna quadam vulnerato, Antalcidam ferunt dixisse: Pulcram à Thebanis mercedē reportas, quos inuitos & nescientes pugnare docuisti. Nam revera narratur, nunquam bellicosiores fuisse Thebanos, quàm tum temporis, ob crebras Lacedæmoniorum adversus eos expeditiones. Idcirco etiã Lycurgus ille priscus in legibus, quas Retras appellant, vetuit sæpe cõtra eosdem bellum gerere, ne ij bellandi rationem discerent. Vt intellexit molestum esse sociis, quòd in continentibus expeditionibus paucos Lacedæmonios ipsi tanta multitudine sequi cogerentur, vt eorum numerum demonstraret, omnes socios iussit inter sese permixtos sedere, seorsim Lacedæmonios. *Milites veri.* Tum præconis voce surgere iussit, primùm figulos, & postquã hi surrexerunt, fusores deinde ærarios, tum fabros, pòst architectos, deniq; singulorum artificiorum id genus tractatores. ita factum est, vt vniuersi propè socij surgerent, nemo Lacedæmoniorum: his enim per leges nõn licet tractare vllam sordidam artem. ridens ergo Agesilaus, Videtis, inquit, quanto nos plures quàm vos milites emittamus. In Leuctrica pugna multi Lacedæmonij fugerant, & obnoxij erant infamiæ legibus decretæ. Ibi cùm Ephori viderent vrbem viris vacuam, quæ tunc militibus opus habebat, cogitabant quo pacto saluis legibus illos tamen infamia liberarent, ideóq; Agesilao munus legis ferendæ iniungebãt. Is in publicum progressus, No- *Callidè.* uarum, inquit, legum autor equidem non fuero: neq; enim iis quæ sunt addere, detrahere, aut in iis mutare quicquam velim. Bene autē habet, vt leges nostræ à crastina die sint ratæ. Epaminondam autem tanta cum procella & æstu irruentem, quãquam pauci essent in vrbe, arcuit tamen Lacedæmone & repulit. In pugna ad Mantineam hortatus est Lacedæmonios, vt omissis reliquis in solum pugnarēt Epaminondam: solos, *In duce quantum situm.* inquiens, prudentes esse fortes, & illo necato facilem fore de reliquis victoriam, fatuis & nullius precij hominibus. idq; consilium exitus comprobauit. Cùm enim vinceret Epaminondas, fugiētibus Spartanis, hunc se obvertentem & suos vocantem quidam Lacedæmoniorum lethali vulnere deiecit. tum reversi à fuga qui cum Agesilao erant dubiam reddiderũt victoriã, Thebanis multo quàm antè deterioribus, Spartanis melioribus apparentibus. Cùm pecuniæ egerent Spartani ad bellum, vt qui militem alerent peregrinum, profectus est in Aegyptum Agesilaus mercede militaturus regi Aegypti ipsum accersenti. Contemnebatur autem ab Aegyptiis ob vestitus vilitatem: *Vestis.* putantibus regem Spartæ itidem vt Persarum visuros se in splendido corporis ornatu, malè de regibus opinantes. ostendit enim eis deinde maiestatem & gloriam prudētia & virtute esse parandam. Cùm autem videret eos qui in pugna adfuturi ipsi erant, terreri periculo ingruente ob multitudinem hostium, (erant enim ducenta millia) & suorum paucitatem: statuit ante conflictum nemine conscio animare eos. itaq; manui *Fraus vtilis.* substratæ victoriam inscripsit, sumtóq; ab ariolo iocinore id in manum notis inscriptã imposuit, aliquandiúq; tenens, dubitare se & animi pendere simulauit tantisper dum à iocinore notæ receptæ & infixæ sunt. tunc sociis eam scripturam mõstrauit, deos, inquiens, ea victoriam polliceri. quod illi certum boni successus argumentum se habere putantes, ad pugnam animati sunt. Hostibus verò ob multitudinem castra Aegyptia fossa circumvenientibus, ac Nectanabi (huic enim regi opitulabatur) iubente in aciem educere ac decertare, Nolo, inquit, prohibere quin hostes, id quod agunt, nobis fiant æquales. *Stratagema.* Pòst exiguo interstitio fossæ extremis distantibus, acie eo ipso in interstitio instructa, æqualis latitudinis ordinibus cum hoste pugnans, paucis suis militibus fudit hostes, magnámq; eorum stragem edidit, ac multum pecuniæ Spartã misit. Ex Aegypto in patriam revertens, ea in nauigatione vita decessit. cùm quidem suis moriens mandauit, ne vllam sui corporis fingendo aut alia imitatione pararent imaginem. Si quid enim, aiebat, à me est præclarè factum, id monimentum mihi erit: sin *Vera gloria.* verò, ne omnes quidem statuæ, hominum opera illiberalium.

AGESIPOLIS Cleombroti F. narrante quodam Philippum intra paucos dies Olynthum evertisse: Atqui per deos, inquit, multis modis maiori temporis spacio talem vrbem non condet. Obiicienti ipsum, cum rex esset vnà cum iis qui ætate florebant obsidem fuisse, non mulieres & filios ipsorum: Quia enim, respon-

dit, iustum rectûmque est nosmetipsos nostra peccata luere. Cum vellet è patria catulos accersere, quidámq; diceret vænales Spartę nullos esse: Antè, inquit, ne viri quidem: sed nunc sunt.

Agesipolis Pausanię F. Atheniensibus de controversia quæ ipsi cum iis erat ad Megarensium provocantibus iudiciũ: Turpe, inquit, est principibus Græciæ minus esse ius notum quàm Megarensibus.

Agis Archedami F. mandantibus aliquando Ephoris, vt assumta iuuenum manu quendam in eius patriam sequeretur, qui esset ipsum in arcem ducturus, respondit: *Proditor.* Quomodo verò, Ephori, cõvenit tot iuuenes credere ei, qui suam ipsius patriam prodit. Interrogatus quænam disciplina maximè exerceretur Spartæ, Peritia, inquit, imperandi & parendi. Dicebat Spartanos non quærere numerum hostium, sed vbi sint. *Fortiter.* Ad Mantineam cùm prohiberetur pugnare quod hostes numero vincerent, Necesse est, inquit, contra multos pugnet, qui multis vult imperare. Interroganti quot essent Lacedæmonij, respondit, quanti ad profligandos malos sufficiunt. Corinthiorum muros perambulãs, cum spectasset eos sublimes, validos, & in longum porrectos spacium, Quænam, inquit, hîc habitant mulieres? Sophistæ dicenti Orationem omnium rerum esse optimam, Proinde, inquit, tu, cùm taces, nullius es precij. Cùm Argiui accepta clade ferociùs ei occurrerent, viderétque sociorum plerosq; turbari, dixit: Bono este animo viri. vbi enim nos, qui vicimus, formido incessit, quid putatis animi esse iis qui à nobis fuerunt superati? Abderitarum legato, cùm is tandem facto multa loquendi fine interrogaret quid ciuibus renunciaret: Hoc, inquit, referes, quàm diu tibi visum fuit loqui, tam diu me tacitum audiuisse. Laudantibus Eleos, quod iustissimè Olympicum certamen administraret, Quid præclari est, inquit, quòd toto quinquennio per vnicum diem iusticia funguntur? *Invidia.* Narrantibus invidere ei quosdam ex altera familia, respondit: ergo & sua ipsis molesta erunt mala, & præterea mea amicorúmque meorum bona. Consulenti vt fugientibus hostibus transitum concederet: Quomodo, inquit, pugnabimus contra eos qui fortitudine freti nos subsistunt, si in eos nõ pugnamus, qui præ timiditate fugiunt? Proponente quodam de libertate Græcis paranda sententias, non ignobiles quidem eas, sed exsecutu difficiles, Tua, inquit, hospes verba vim & pecuniam desiderant. Dicenti Philippum ipsis Græciam inaccessam redditurum, Sufficit, inquit, nobis ô hospes in nostra versari terra. Legatus Perintho Spartam missus, cum post longum sermonem demum interrogaret Agin quid responsi Perinthiis ferret, Nihil aliud, inquit, quàm te, me tacente, vix tandem finem loquendi fecisse. Cùm solus venisset ad Philippum legatus, ísque quæreret quid ita solus venisset: respondit, Etenim ad vnum. Iam seniori quidam antiquas leges videns elanguescere, prauásq; alias obrepere, dicebat Spartæ res sursum versum inverti. *Omnia in peius ruunt.* Tum Agis per iocum: Hoc si fit, rationi convenienter fit. nam puer ipse audiui patrem meum dicere, sursum versum res sua ætate inversas esse: idémq; is se puerum ex suo patre audiuisse aiebat. non ergo mirandum, si posteriora prioribus deteriora eveniunt, sed si quando meliora aut similia obtingerent. Interrogatus, qua quis ratione liber permaneat, respondit, si mortem despiciat.

Agis iunior Demade dicente præstigiatóres gladios Laconicos ob paruitatem deglutire: Atqui, inquit, gladiis potissimum nos hostem impetimus. Prauo homini *Salse.* sæpenumerò interroganti quis esset Spartanorum optimus, respondit: Qui tui est dissimilimus.

Agis vltimus Lacedæmoniorum regum per insidias captus, indictáq; causa damnatus ab Ephoris, cùm ad laqueum, quo erat ei guttur elidendum, duceret, cuidam ministrorum, quem plorare videbat: Desine, inquit, me deflere, qui tam scelerate atq; iniustè morti addictus, meliore sum quàm qui me necant conditione: atq; sic locutus, funi vltrò ceruicem præbuit.

Acrotatus parentibus postulantibus vt iniusta quadam in re operam ipsis nauaret, cùm aliquandiu verbis repugnasset, grauiùs vrgentibus dixit: Quandiu vo- *Iusticia.* biscum vixi, nullam habui iusticiæ noticiam. sed postquam me patriæ eiúsq; legibus tradidistis, & ad iusticiam honestatémq; pro viribus facultatibúsq; vestris erudiuistis, conabor his potiùs quàm vobis obsequi. ac quoniam vultis me optima agere, optimũ autem est cùm priuato, tum multo etiam magis principi id quod est iustum: agam quę vultis, quæ verò dicitis detrectabo.

Alca-

ALCAMENES Telecli F. interrogatus quo quis pacto regnum optimè conseruaret, respondit, Si lucrum posthabeat. Alij quærenti cur dona à Messeniis non accepisset, respondit: Quia iis acceptis fieri non poterat vt cum legibus pacem tenerem. Dicenti viuere ipsum contractè, satis alioquin opulentum, præclarum esse dixit eum qui sit locuples viuere secundum rationem, non secundum cupiditates. *Lucrum.*

ANAXANDRIDAS Leonis F. cuidã exsuliũ iniquiùs ferẽti, Heus tu, inquit, non quod ab vrbe sis alienus grauiùs est ferendum, sed si à iusticia esses. Ei qui ad Ephoros quædam non quidem abs re, sed tamen verbosiùs æquo verbis explicuerat, Hospes, inquit, re necessaria vteris nulla necessitate postulante. Interroganti cur seruis helotibus agros colendos traderent, non ipsi curarẽt, respondit: Quia eos parauimus non vt ipsos, sed vt nos curaremus. Quodam dicente, Existimationem esse damnosam, beatúmq; fore qui de gloria paranda non laboret: hac, inquit, tua ratione flagitiosi erunt beati. qui enim sacrilegus aut iniustè agens famã curaret? Interroganti cur Spartani in bellis ita audacter pericula adirent, Respondit, Quia nobis studio est vt soliciti simus de vita, non, vt alii, timidi. Interrogatus cur cùm de vita anquiritur in iudicio, causa à senioribus per complures dies disceptetur, & qui absoluitur, nihilominus reus maneat, sic respondit. plures dies iudicio impendi, quòd in tali casu error correctionem non admittat. interim reũ legibus teneri, quia hac lege permissum sit rectiùs aliquid de eo decernere. *Oratio.* *Capitalia iudicia.*

ANAXANDER Eurycratis F. quærenti cur pecuniam in ærarium non colligerẽt Spartani, respondit, Ne custodes ei præfecti corrumpantur. *Pecunia.*

ANAXILAS, miranti cur Ephori regibus non assurgerent, cùm quidẽ ab iis constituantur: causa, inquit, eadem est cum ea, ob quam ephori sunt.

ANDROCLIDAS Laco mutilatus pedem inter milites suum nomẽ professus est. prohibentibus, quòd eum mutilum dicerent, Atqui, inquit, nõ fugientem sed manentem oportet pugnare in hostes.

ANTALCIDAS in Samothrace cùm initiaretur sacris, quærẽti sacrificulo ecquid in vita flagitij perpetrasset: si quid, ait, tale egi, norunt ipsi dij. Atheniensi indoctos appellanti Spartanos, dixit: Soli ergo nos nihil à vobis didicimus mali. Alij Atheniensi dicẽti, Nos quidem vobis à Cephiso pulsis sæpenumerò institimus: at nos, inquit, vobis nunquam ab Eurota. Interroganti qua quis ratione maximè placere hominibus posset, respondit, Si dicendo eos quamplurimum delectet, & in vitæ vsu maximè eis prosit. Sophistæ cuidam laudationem Herculis recitare volenti, Quis enim, inquit, eum vituperat. Agesilao in pugna à Thebanis vulnerato, Habes, ait, mercedẽ, qui eos inuitos ignarósq; pugnare docueris. videbantur enim Thebani cõtinentibus in ipsos Agesilai expeditionibus bellicosi facti. Muros Spartæ aiebat esse iuuenes, terminos autem hastarum cuspides. Quęrenti cur in bello gladiis breuibus vterentur Spartani, causam reddidit, quòd comminus in hostem pugnarent. *Gratiam quid pariat.*

ANTIOCHVS Ephorus, audito Messeniis agrum à Philippo adsignatum, An, inquit, vim quoq; iis dedit, vt de eo pugnantes vincant?

ARIGEVS, cùm quidam non suas, sed alienas laudarent mulieres, Me hercle, inquit, de pulcris & honestis mulieribus nihil temere dici, sed quales eæ sint omnibus extra maritos ignotum esse oportebat. Aliquando per Selinuntem Siciliæ vrbem iter faciens, in monimento quodam hanc legit inscriptionem: *Mulier.*

Hos restinguentes Mars fortè tyrannida sæuus
Ponè Selinuntis mœnia strauit humi.

tum ille: meritò estis interfecti, aggressi tyrannidẽ ardentem restinguere, quæ vt conflagraret sinere potius debebatis. *Salsè.*

ARISTO, laudante quodam Cleomenis dictum, qui interrogatus quod esset boni regis officium, responderat, Amicis bene, inimicis malè facere: quanto, inquit, mi homo rectius erat amicis bene facere, ex inimicis autem amicos redigere? Hoc constat primum omnium Socratem dixisse, eiq; vt autori acceptũ fertur. Interrogãti quot numero essent Spartani, Tot, inquit, quot hostibus arcendis sufficiant. Recitanti cuidam funebrem orationem in Athenienses à Lacedęmoniis cæsos, Quales, inquit, putas esse nostros, à quibus ij victi sunt? *Prudenter.*

ARCHIDAMIDAS laudanti Charilaum, quòd omnibus ex æquo mitis esset, Quî potest, inquit, iustè laudari, qui etiam malis se mitem præbet? Cuidam Hecateum so-

Grauitèr. phistam repræhendenti, quòd in convictum ipsorum (quod syssition vocant) receptus nihil diceret: Ignorare mihi videre, dixit, Quòd qui dicere nouit, tempus etiam dicendi non ignorat.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. interrogatus quínam Spartæ præessent, respōdit: Leges, & magistratus ex earum præscripto. Laudanti citharœdum, eiúsque peritiam admiranti, Mi homo, inquit, quis honor apud te erit bonis viris, qui fidicinem adeò laudes? *Laus quibus debeatur.* Cùm ei quidam fidicinem commendaret ab arte: Hic quidem (dixit alio cōmonstrato) apud nos bonus est iuris coctor. innuens nihil præstare artificium quod voce voluptatem gignit ei quod obsonio aut iusculo parando voluptatem conciliat. Pollicenti se vinum ei dulce redditurum, Quid attinet, inquit? nam & plus insumetur, & virilia reddet minùs vtilia. Castra ad Corinthum metatus, cùm è loco muris vicino prodire lepores cerneret, commilitonibus dixit: Facilè hostes in nostram venient *Omen.* potestatem. Arbiter à duobus sumtus, adductus in Chalciœci Mineruæ fanum sacramento devinxit, staturos eos ei quam tulisset ipse sententiæ. qua confecta re, Pronunciare se dixit, non nisi priùs composita lite ipsos inde abire debere. *Arbitrium egregium.* Cùm Dionysius Siciliæ tyrannus preciosas vestes filiabus ipsius misisset, non accepit: quòd vereri se diceret, ne his indutæ deformes ipsi viderentur. Filium audaciùs pugnare adversus Athenienses videns, Aut adde, inquit, viribus, aut aliquid de animi elatione deminue.

In superbientem. ARCHIDAMVS Agesilai F. Philippo, qui ad Chęroneam victoria potitus litteras ad ipsum dederat asperiores, rescripsit: Si tuam vmbram metiaris, depræhendes eam nihilo quàm fuit ante victoriam esse longiorem. Interrogatus quantum regionis Spartani possiderent, Quanto, respondit, hasta pertingimus. *Inepta curiositas.* Cùm Periander nobilis laudatissimúsque medicus inepta carmina scriberet: Quánam, inquit, de causa pro scito medico cupis appellari malus poëta? In bello contra Philippum, suadentibus nonnullis procul à patria pugnandum esse: Non hoc, ait, considerādum est, sed an hostem prœlio superaturi simus. Laudantibus ipsum quod Arcades vicisset, respondit: Præstabat eos prudentia à nobis, quàm viribus esse victos. Impressione in Arcadiam facta, Eleos Arcadibus auxilium velle ferre audiens, sic per litteras compellauit: Archidamus Eleis: bonum est quiescere. *Belli sumtus.* Sociis in bello Peloponnesiaco quęrentibus quātum pecuniæ sufficeret, & tributum definiri sibi postulantibus: respondit, Bellum determinato sumtu non ali. Vbi catapultæ tormentum vidit, tum primùm ex Sicilia allatum, exclamauit: Hercules, periit viri virtus. Græcis ei obtemperare, & soluere cum Antigono & Cratero Macedonibus inita pacta, libertatémque amplecti recusantibus, *Perfidia.* quia molestiores sibi fore Spartanos quàm Macedones putarent: Ouis, dixit, semper voce vtitur eadem: homo multis & variis, dum conficiat quod vult.

ASTYCRATIDAS, postquam Agis rex ad Megalopolin fuit ab Antigono pugna superatus, dicenti, Quid facietis Spartani? an Macedonibus seruietis? respondit: Quid? an impedire potest victor, ne pugnantes pro Sparta mortem oppetamus?

BIAS insidiis circumventus ab Iphicrate Atheniensium duce, militibus interrogantibus quid faciendum foret: Quid aliud, inquit, quàm vt vos vestræ saluti consulatis, ego pugnans moriar.

BRASIDAS murem in caricis à se depræhensum morsus ab eo dimisit. tum ad eos *Vltio.* qui aderant conversa oratione, Nihil, inquit, ita est exiguum quod saluum esse nō possit, si vim inferentes vlcisci audeat. Quadam in pugna telo per clypeum adacto vulneratus, hoc ipso evulso hostem interfecit. interrogatúsque quomodo vulnus accepisset, respondit, Prodente me clypeo. In bellum proficiscens, Ephoris scripsit: In bello omnia pro viribus rectè geram, aut moriar. Postquam liberatis qui in Thracia habitabāt Græcis in acie cécidit, missíque Spartam legati matrem eius Argileonidem convenerunt: primùm ea quæsiuit, an honestè obiisset Brasidas. deinde Thracibus eum *Modestè.* laudibus ferentibus, nullúmque alium esse talem dicentibus, Erratis, inquit, hospites. vir egregius fuit Brasidas, sed multos eo præstantiores habet Sparta.

DAMONIDAS vltimo loco in choro constitutus ab eo qui chorum instituebat, *Fiducia sui.* Laudo te, inquit, chorage, qui rationem inveneris, qua hunc quoque locum alioqui ignominiosum cohonestares.

DAMIS ad postulata ab Alexandro missa, quibus decreto se in numerum deorum referri iubebat: Concedimus, inquit, Alexandro, vt si ita vult, Deus vocetur.

Damin-

DAMINDAS Philippo in Peloponnesum irruēte, cùm quidam diceret fore in periculo Lacedæmonios, nisi cum illo pacem componerent, respondit: Semivir, quid mali nobis expectandum est, qui mortem contemnimus?

DERCYLLIDAS Pyrrho, ad quem iam exercitum ad Spartanorum fines habentem missus erat legatus, imperāti vt Cleonymum regem suum reciperent, alioqui cogniturí nihilo se aliis fortiores esse, respondit: si deus es, nihil te metuimus, nulla tibi orta à nobis iniuria. sin homo es, nihilò nobis præstas.

DEMARATVS verbis ab Oronte asperiùs tractatus, dicenti, Duriter te vsus est, Demarate, Orontes: respondit: Nihil is in me peccauit. nocent enim non qui ex odio loquuntur, sed qui gratiam blandiendo captant. *Adulatio.* Interrogatus à quodam, cur Lacedæmone ignominia notarentur qui clypeum amisissent, non item qui galeam aut thoracem, retulit: quia hæc sui ipsorum causa gestant, clypeum autem propter communem ordinem. Audito fidicine, videt, inquit, mihi hic non malè nugari. Quodam in consessu interrogatus, an ob fatuitatem quidam, aut potiùs ob inopiam materiæ dicendi taceret: atqui, inquit, stultus tacere non posset. *Silentium.* Quærenti cur rex cùm esset Sparta exularet, respondit, Quia maiore vi sunt leges eius ciuitatis. Persæ cuidam, qui continentibus largitionibus amasium ipsi abstulisset, ac diceret, Heus Laco, venatus sum tuum amasium, respondit: Minimè verò, sed emisti. Defecerat quidā Persa à rege suo, eiq; Demaratus persuaserat vt ad regem rediret. quem cum deinde rex necare intenderet, Demaratus: Turpe, inquit, est ò rex, à quo cùm inimicus esset pœnas sumere defectionis non potuisti, eum nunc amicum factum abs te occidi. *Iustè.* Parasito regis sæpius exilium sibi exprobranti respondit: nolo, hospes, tecum contendere: consumsi enim vitæ ordinatos sumtus.

ECPREPES Ephorus Phrynidis musici fides de nouē duas ascia pręcidit, inquiēs: Noli maleficium Musicæ inferre.

EPAENETVS omnium aiebat peccatorum & iniuriarum causam esse homines mendaces. *Mendacium.*

EVBOIDAS quosdam audiens mulierem laudantes alienam improbauit, dicens omnino de muliebri natura apud exteros nullum debere sermonem fieri.

EVDAMIDAS Archidami F. Agidis frater, videns in Academia Xenocratem iam grandi natu cum discipulis philosophantem, quæsiuit quisnam esset iste senex. *In philosophos.* cùm responderetur, sapientem esse, vnúmq; eorum qui virtutem quærerent: Et quando, inquit, vtetur virtute, si eam etiamnum quærit. Philosophum audiēs disserere solum sapientem esse bonum imperatorem: oratio (inquit) admiratione digna, sed qui dicit fidem non meretur: nō enim eum tubæ circumsonuerūt. Venit ad Xenocratem Eudamidas, cùm is explicato proposito iam finem dicendi fecisset. ac quodam comitum dicente, Quando nos venimus, iste cessat disserere: non iniuria, inquit, si quidem iam dixit quæ voluit. *Argutè.* addenti, Atqui expediebat audire, Quid, ait? an si veniremus ad iam cœnatum, iuberemus eum denuò cœnare? Interrogatus cur ciuibus bellum contra Macedones molientibus ipse quiescere decreuisset: Quia, inquit, nihil mihi opus est eos erroris convincere. Alio Persicis victoriis commemorandis eum ad bellum exhortante, Videris, inquit, mihi ignorare hoc idem esse, ac si quis quod C I Ɔ oues superasset, contra L lupos pugnandum sibi duceret. Cum fidicen quidam placuisset, rogatus qualis sibi is videretur, respondit, Magnus delinitor in re exigua. Laudante quodam Athenas, dixit Non posse meritò laudari eam vrbem, quam nemo propterea dilexerit, quòd ibi esset factus melior. Argiuo cuidam dicēti Lacones deteriores peregrinando fieri, quòd à patriis desciscerent legibus: *Peregrinatio.* At vos, inquit, Spartam venientes non deteriores abitis sed meliores. Alexandro apud Olympiam edicto omnibus exsulibus reditum in patriam permittēte, solis demtis Thebanis: Infelix quidem, aiebat, ò Thebani hoc edictum vobis, sed gloriosum. vos enim solos Alexander metuit. Interrogatus cur ante pugnam Musis litarent, Vt, inquit, actionibus bona obveniant præconia.

EVRYCRATIDAS Anaxandridæ F. quærenti cur de contractibus Ephori quotidie ius dicerent, respondit: vt etiam in hostico nobis invicem credamus.

ZEVXIDAMVS interroganti cur de fortitudine leges non scriptas seruarent, neque potiùs litteris conceptas adolescētibus ad legendum proponerent: quia, inquit, condocefaciendi sunt vt facinoribus fortibus potiùs animum advertant, quàm scri- *Leges non scriptæ.*

pturis. Aetolo quodam dicente virtutem affectanti commodiorem bello pacem esse, Non per deos, inquit: sed ei mors quàm vita est melior.

Ocium. HERONDAS Athenis quodam ocij damnato, cùm adesset idq; inaudiuisset, ostendi sibi petiit istum, qui tam liberalis criminis esset conuictus.

THEARIDAS gladium in cote subigens, cùm interrogaretur acutúsne esset, respondit: Acutior est quàm calumnia.

THEMISTEAS vates cum prædixisset Leonidæ regi suam & exercitus ad Thermopylas internecionem, réxq; ipsum Spartam ablegaret, prætextu eo vt quæ futura erant significaret, re ipsa autem vt ne vnà is periret: non sustinuit abire, sed dixit, Pugnatum se, non nunciatum à patria missum.

THEOPOMPVS interroganti quo quis modo regnum tutò conseruaret, respondit: Si iustam dicendi libertatem amicis permittat, & subditorum, quantum fieri potest, vindicet iniurias. Hospiti dicenti apud suos se ciues amatorem Laconum appellari, *Ciuis officium.* Præstabat, inquit, ciuium te quàm Laconum amatorem nominari. Legato Elide misso, qui se iccirco à ciuibus aiebat missum, quod solus Laconicam imitaretur viuendi rationem, Tuáne, inquit, an reliquorũ vita melior est? respõdente suam, Quomodo igitur, inquit, seruari ea potest vrbs, in qua de multis vnus tantùm est bonus? Dicente *Salus reip.* quodam Spartæ salutem inde proficisci, quod reges ad imperãdum haberet idoneos, dixit non eam esse causam, sed quod ciues obedire nossent. Pyliis maiores honores ipsi decernentibus scripsit, Mediocres honores tempore augeri, nimios aboleri.

THERYCION Delphis domum proficiscens cùm in Isthmo videret angustias ab exercitu Philippi occupatas, dixit: Malis vobis, ô Corinthij, ianitoribus vtitur Peloponnesus.

THECTAMENES iudicio Ephororum addictus morti, subridens abibat. ac quodam eorum qui vnà aderant rogante ánne Spartæ leges contemneret, *Mors.* Nequaquam, respondit. sed lætor hanc mihi soluendam esse mulctam, quam possum neq; precario neq; fœnori sumto quoquam præstare.

HIPPODAMVS cum Agide, qui tum Archidamo in castris aderat, à rege Spartam missus vt ibi res necessarias administraret, Nónne, inquit, honestiùs moriar pro Sparta fortiter pugnans? (excesserat autem iam annum ætatis octogesimũ) ac postmodo sumtis armis, & ad dextram regi adstans in pugna mortem obiit.

HIPPOCRATIDAS satrapæ Cariæ, qui per litteras significabat Lacedæmonium quendam conscium insidiarum sibi structarum eas reticuisse, quærebátq; quid de eo statuendum putaret, rescripsit: Si magno eum aliquo affecisti beneficio, interfice: sin verò, ditione tua eiice, hominem ob timiditatem ineptum ad virtutem. *Consortia.* Occurrenti adolescenti, quem amator insequebatur, & colorem præ pudore mutanti: Cum talibus, dixit, ambulandum est, quibus cum visus eundem retineas colorem.

CALLICRATIDAS classis præfectus, Lysandri amicis flagitantibus vt faceret ipsis facultatem cuiusdam inimici interficiendi, eóq; nomine L talenta offerentibus, *Iustè.* quanquam ad stipendia naualibus sociis danda admodum pecuniæ egeret, tamẽ non assensit. cúmq; Cleander vnus de consiliariis diceret, Ego si tuo fuissem loco, accepissem: respondit, Et ipse, si tuo. *Magnitudo animi.* Sardes ad Cyrum iuniorẽ profectus cõfœderatum Lacedæmoniorum, impetrandæ gratia pecuniæ ad stipendia classiariis persoluenda, qua prima venit die, Cyro iussit nunciari se ipsius colloquium expetere: cúmq; responsum esset Cyrum bibere, Expectabo, inquit, donec biberit. ac tum quidem, vt sensit congrediendi sibi copiam non fieri, discessit relicta de se rustici hominis opinione. Postridie iterum audiens eum bibere, & non prodire: fatus maiorem in id operam impendendum, vt nihil indignum Sparta agatur, quàm pecunia vt paretur, Ephesum rediit: diris prosecutus eos, qui primi sese barbarorum contumeliis exposuissent, eósque docuissent propter diuitias aliis insultare. iurauítq; coram præsentibus, se, vbi primùm Spartam rediisset, omnia conaturum vt Græcos in concordiam redigeret, barbaris ita terrori futuros, neq; eorum auxiliis, dum se inuicem premerent, opus posthac habituros. Interrogatus quales viri essent Iones, respõdit: In libertate mali, serui boni. Cùm Cyrus classiariis stipendia, ipsi autem xenia misisset, remissis xeniis sola accepit stipendia, Nihil sibi cum Cyro opus esse priuata amicicia: ad se enim pertinere eam, quæ cum rep. Lacedæmoniorum esset facta, inquiens. Apud Arginusas nauali prœlio decertaturus, Hermoni gubernatori monenti ex re esse classem abducere, quòd multo

plures

plures essent Atheniensium triremes, respondit: Quid tum postea? fugere quidem & turpe est, & damnosum Spartæ, optimum est manentem aut mori aut vincere. & ante conflictum cùm audiret aruspicem ex extis vaticinari exercitui victoriam, duci obitum, nihil territus, idque tantùm fatus, Non in vnius vita verti res Spartæ: ac se mortuo nihil decessurum patriæ, decessurum autem si hostibus cedat, Cleandrum suo loco subire iussit præfecturæ classis, & ad prœlium nauale se contulit, inque eo occubuit.

CLEOMBROTVS Pausaniæ F. hospiti cum patre de virtute contendenti, Eò vsque, inquit, pater te præstabit, dum & tu genueris.

CLEOMENES Anaxandridæ F. Homerum Lacedæmoniorum poëtam esse dicebat, Hesiodum seruorum helotum. illum enim præcepisse quomodo bellum sit gerendum: hunc, quomodo agri colendi. *Homerus. Hesiodus.* Hic aliquot dierum pactus cum Argiuis inducias, cùm explorasset eos tertia nocte dormire, fretos induciis, adortus partim necauit, partim cepit. cùmque ei violatio iureiurandi exprobraretur, negabat se vnà cum diebus noctes in eo complexum fuisse. addebátque aliàs quocunque quis hostes modo læderet, & apud deos & apud homines summo iure factum putari. Vsu tamen ei venit, vt & tum Argis (quorum occupandorum gratia fidem fefellerat datam) non potiretur, cùm mulieres Argiuæ arma è templis detrahẽtes iis eum propulsarẽt: & postmodò mente captus, arrepto quodam cultro à talis vsque ad loca lethalibus opportuna vulneribus sese dissecaret, itáque inter ridendum ac ringendum vita abiret. *Perfidia nō impunis.* Vate dehortante à ducendo ad Argos exercitu, ignominiosúmque fore discessum inde prædicente, duxit tamen eam ad vrbem: cúmque portas invenisset clausas, & mulieres in muris stantes: Hic tibi, inquit, videtur inglorius recessus, vbi mortuis viris mulieres portas occluserunt? Argiuis ei periurium & impietatem exprobrantibus: Penes vos est, inquit, malè vt mihi dicatis: penes me, malè vt vobis faciam. *Improbè.* Legatis à Samo prolixa prorsum oratione hortantibus vt bellum Polycrati tyranno faceret, sic respondit: Eorum quæ dixistis, prima non memini, idcóque ne media quidem intelligo: vltima verò mihi non probantur. *In verbosum.* Cùm maritimus prædo incursiones in agrum fecisset Laconicum, essétque depræhensus, ac diceret, Se non habuisse vnde stipendia militibus suis persolueret, neque se ab habentibus potuisse impetrare vltrò vt darent, itaque venisse, vt vi auferret: Compendiosam hanc esse dixit maliciam. Maledictis ab improbo quodã proscissus, Videre, inquit, mihi propterea omnibus malè dicere, vt nobis defendendis nostris conviciis tempus de tua malicia dicendi præripiatur. *Scitè in maledicum.* Quodã ciue dicente bonum regẽ debere vsquequaque benignũ esse: Sanè, inquit, dum non exponat se contemtui. Diuturno vexatus morbo, cùm animũ lustratoribus nonnullis atque ariolis, de quibus antè diuersum senserat, adverteret, miranti factum: Quid, ait, miraris? non sum idem qui antè, mutatus itaque & sententiã mutaui. Sophista quodam de fortitudine differente, affatim risit. dicentique, Quid rides Cleomenes, audiens de fortitudine differentem, cùm quidem rex sis: respondit. Idem, hospes, fecissem hoc argumentum tractante hirundine: aquila autem perorante, quietissimè audiuissem. Cum Argiui dicerent se acceptam cladem exsarcituros: (Græci hoc anamachestæ dicunt: machestæ pugnaturum esse) miror, inquit, si duarũ syllabarum additio meliores vos, quàm eratis antè, reddidit. *Salsè.* Delicatiusculã viuẽdi rationẽ obiiciẽti, retulit: præstat hoc, quàm iniustũ esse. tu quidẽ, etiamsi satis locuples, tamen amore pecuniæ teneris. Quidam vt fidicinẽ ei commendaret, cùm aliàs laudabat hominẽ, tum optimũ de Græcis fidicinẽ esse aiebat. huic Cleomenes quodã, qui ponè erat, ostẽso, Mehercle, dixit, hic apud me coquorũ optimus est. Mæander Sami tyrannus ob irruptionẽ Persarum Spartam cõfugerat, eique ostendebat quantũ pecuniæ attulisset, donóque offerebat quãtum accipere vellet. accepit nihil: sed veritus ne aliis ciuiũ ea elargiretur, ad Ephoros se cõtulit, atque è re Spartæ fore docuit, si hospes suus Samius Peloponneso discederet, ne quẽ corrũperet Spartanũ. Ephori parẽtes cõsilio, ea ipsa die publico edicto cedere Mæandrũ iusserunt. *Pecunia.* Dicẽti, cur Argiuos devictos, qui sæpe bellũ cõtra vos susceperũt, nõ deleuistis? Nequaquã delẽdi nobis sunt, respõdit, ne desint qui iuuenes nostros exerceãt. Interrogãti cur Spartani capta ex hostib. spolia nõ suspenderẽt diis: Quia, inquit, è timidis capta sunt. talia aũt neque cerni ab adolescẽtib. neque diis dedicari cõvenit. *Spolia.*

CLEOMENES Cleombroti F. offerẽti gallos pugnaces, eósque inter pugnandũ mori dicẽti: Quin tu, inquit, aliquos horũ mihi da, qui interficiũt eos, vtpote præstãtiores.

LABOTAS cuidam verbosiùs dicenti, Quorsum, inquit, de paruis rebus magna

texis exordia? cùm rei quantitatem oratio debeat æquare.

Mutatio sententiæ. Leotychidas primus dicenti pro occasionum ratione ipsum esse mutabilem: respondit, Non enim sicut vos propter vestram maliciam. Interroganti, qua quis ratione præsentia bona potissimùm conseruare posset, respondit: Si non omnia fortunæ committat. Rursum interrogatus, Quidnam maximè ingenuis pueris sit discendum: Ea, retulit, quæ prodesse queunt virilem ætatem assecutis. Quærenti cur pauco potu vterentur Spartani, respondit: Ne alij de nobis consultent, sed nos pro aliis. *Sobrietas.*

Leotychidas Aristonis F. narranti, Malè tibi dicunt Demarati filij: respõdit, Non me hercle miror. bene enim eorum nemo loqui possit. Cum propioris portæ pessulo se draco circumplicauisset, idq; ostentum vates dicerent: non sanè, dixit, hoc mihi videtur. cæterùm tum putarem esse portentum, si pessulus anguem circumplicauisset. *Contra superstitionem.* Philippo Orphei sacrificulo extremè pauperi, dicenti abs se sacris initiatos post mortem beatos esse: Cur, inquit, fatue non quamprimùm moreris, vt desinas tandem infelicitatem tuam, paupertatémq; plorare. *Salse.*

Leo Eurycratidæ F. interrogatus quanã in vrbe aliquis tutissimè habitaret: respondit, In ea, in qua omniũ ciuiũ possessiones essent æquales, plurimúmq; haberet virium iusticia, minimum iniusticia. *Aequalitas.* Ad Olympiam videns cursores operã dare vt cùm emitterentur carceribus alius alteri fraudem faceret: Quanto, inquit, maius studiũ est cursoribus de celeritatis, quàm iusticiæ laude? *Victoria fraude parta.* Intempestiuè cuidam de rebus non inutilibus differenti, Hospes, inquit, præter rem vteris re alioquin valdè opportuna.

Leonidas Anaxandridæ F. Cleomenis frater, cuidã dicẽti, Nihilo nobis es præstantior, quàm eo quod regnum geris, respõdit: atqui nunquã rex vester factus essem, nisi vobis præstarem. Proficiscens ad Thermopylas, vt cum Persis dimicaret, vxori Gorgoni scitanti quid ipsi mandaret: Vt bonis, inquit, nubas, & bonã prolem parias. Ephoris dicentibus paucos ipsum ad Thermopylas ducere: satis, respõdit, multos, ad id quod sumus acturi. Rursum quærẽtibus, an aliquid aliud statuisset agere, sic respondit: Verbis præ me fero, ire me vt barbaris trãsitus intercludam: re vera proficiscor moriturus pro Græcis. *Fortiter.* Postquã in Thermopylas cum suis venit, ita eos est allocutus. narrant barbarũ esse in vicinia, nos autẽ tempus terere. iam enim aut moriendũ est nobis, aut vincendi barbari. Dicente quodã fore vt sagittæ barbarorũ etiam solis cõspectum eriperent: scitũ ergo erit, inquit, in vmbra pugnare. Alij nuncianti, Prope nos sunt hostes, respondit: Nimirũ ergo & nos prope ipsos sumus. Dicenti, ades ô Leonida cum paucis cõtra tantam decertaturus multitudinẽ, respondit. si numero æstimatur res, ne tota quidẽ Græcia sufficiet, exigua portio barbaricarũ copiarum: sin virtute, satis est hęc manus. Alteri idẽ dicenti: At enim, dixit, multos adduco, quippe morituros. Xerxi in hanc scribenti sententiã, Licet tibi, si contra deum pugnare nolis, & à meis velis stare partibus, soli vniuersis imperare Græcis: sic rescripsit, Si bona vitæ cognita haberes, vtiq; alienarũ rerum cupiditatẽ deposuisses. mihi quidem potius est mori pro Græcia, quàm in omnes gentiles dominationẽ obtinere. Eidem scribenti vt arma sibi mitteret, rescripsit, Veni & accipe. Cùm adoriri iam vellet hostes, & polemarchi reliquos eum iuberent exspectare socios: Quid, inquit, an non adsunt qui sunt pugnaturi? aut nescitis solos eos cum hoste manum cõserere, qui reges reverentur & metuunt? Milites monuit, vt ita pranderent, tanquã apud inferos cœnaturi. Interrogatus cur optimi nobilem mortem obscuræ vitæ anteponerent, respondit: Quia hoc proprium naturę, illud sibi esse censent. Cùm cuperet adolescentulos eripere neci, & liquidò sciret id non passuros, vni post alterum scytalam dedit, ac cum ea ad Ephoros misit. Sed & de his qui iam ætate erant perfecta, tres eodem modo voluit seruare. ij autẽ accipere scytalas noluerũt. primus aiebat se non vt tabellariũ, sed vt militem in exercitu esse: alter, præstantiorẽ se fore si in pugna adesset: tertius non post, sed ante hos se pugnaturum.

Lochagus, Polyænidis & Seronis pater, quodam nunciante alterum filiorum esse mortuum: iamdudum, inquit, noram fore ei moriendum.

Educationis vis. Lycurgus legum lator, vt ciues ex vsitata victus ratione (viuebant autem delicatè) ad magis sobriam traduceret, virtutisq; studiosos redigeret, catulos duos educauit iisdem natos canibus, horúmq; alterum domi desidẽtem ad gulositatem adsuefecit, alterum ad venationem condocefecit. deinde in concionẽ eos produxit, propositisque quibusdam gulæ iritamentis, leporem etiam emisit. vtroq; ad id se incitante, ad quod erat adsuefactus, cùm leporem alter cepisset, dixit: Videtis, ciues, hos iisdem

natos

natos parentibus, educatione admodū dissimiles effectos, & exercitatione magis ꝗ natura ad virtutē nos formari. Quidā dicunt, non produxisse eū catulos eorūdem canum, sed alterū è domi desidentibus, alterū de venaticis sustulisse, ac domesticū ab eo fuisse venationi, venaticū catulum voracitati adsuefactū, cúmꝗ vtroque ad id se proripiente, quod ei erat factum vsu familiare, ciuibus ostendisset quantum ad meliora aut deteriora studia conferret educatio, dixisse: Proinde vos quoque, Spartani, videtis, nihil nobis illam vulgo celebratam nobilitatem, ductúmque ab Hercule genus prodesse, nisi ea agimus, quibus ille omni alia humana gloria & celebritate maiorem sibi parauit, honesta per omnem vitam discentes exercentésque. Cum agrorum diuisionem ita instituisset, vt omnium ciuium portiones essent æquales, fertur postea temporis aliquando è peregrinatione revertens cùm agros Spartanorum pertransiret recens demessos, conspicatus aceruos æquales iuxta sese iacere, delectatus fuisse, *Aequalitas.* vultúque renidente comitibus dixisse, Videri sibi totum agrum Laconicum, fundum esse fratrum multorum nuper diuisum. Nouis porrò tabulis introductis, conatus est etiam domesticam supellectilem apud omnes æqualem redigere, vt inæqualitatem omnem aboleret. Animadvertens autem ciues difficilimè passuros palàm sibi ista adimi, aureo & argenteo nomismate abrogato, solo iussit vti ferreo, ac definiuit quantū *Nomisma.* eius æquare vniuscuiusque facultates deberet. Hoc facto, omnis iniusticia Lacedæmone exterminata est. Nam neque furari, neꝗ muneribus corrumpi, neque defraudare alium aut rapere quisquam poterat porrò, cùm neque occultare iniustè partum liceret, neque possidere id magnum haberetur, neque vsus periculo careret, neque in commerciis apud exteros locum haberet. Præterea omnibus supervacaneis rebus Sparta interdixit. Quare nullus mercator, rhetor, ariolus, aut circulator, aut supellectilis supervacaneæ opifex Spartam veniebat: cùm ibi nomisma vtile abolitum esset, solúmꝗ ferreum vsurparetur, cuius mina Aeginensis quatuor asses æreos valeret. Vt autem luxum exscindere, & diuitiarum studium exstirpare posset, convictus (syssitia, *Syßitia.* quòd cibum multi vnà caperent, Græci dicunt) instituit. Proinde causam quęrētibus, cur ea introduxisset, ciuésꝗ ita diuisisset, vt pauci armati simul discumberēt, respōdit: Vt promtè mandata capessant, & si quid rerum nouarū moliantur, penes paucos sit peccatum. Aequalibus autem portionibus cibus potúsꝗ cunctis distribuebatur, & non hac modò in re, sed & veste stragula, vasísꝗ & aliis in vniuersum omnibus rebus nihil amplius diuiti erat atꝗ pauperi. Ita ergo diuitiis ad vilitatem redactis, cùm neque vti quisquam, neꝗ ostentare eas posset, familiaribus dixit: Præclarum est, socij, rebus ipsis demonstrare diuitias, id quod dicuntur, esse cæcas. Id quoque præcauit, ne *Diuitiæ cæcæ.* domi priùs cibo potúꝗ saturati ad syssitia venirent. & non bibentem edentémꝗ secum reliqui culpabant vt intemperantem, ac qui ob molliciem victus communis esset impatiens. Multabatur etiam, qui eius criminis esset cōpertus. Agidi quidem regi non multo pòst tempore debellatis Atheniensibus domum reverso, semélꝗ cum vxore volenti cœnare, ac partes suas qui adferret mittenti, polemarchi eas non miserunt: eúmꝗ postridie Ephori re cognita mulctauerunt. Cæterùm Ephori huiusmodi instituta Lycurgi molestè ferentes, coitione facta maledictis eum proscideruit, lapidibúsꝗ obruere aggressi sunt. Fuga cùm se per forū proripuisset, & cæteris euitatis in fanum Mineruæ Chalciœci confugisset: Alcander eum insequens, respicietis oculum baculo excussit. Hunc Lycurgus plebis scito sibi traditum vt pœnas sumeret, neꝗ vltus est, neꝗ obiurgauit: sed adhibitum suo convictui, laudatorē vitæ rationis quam vnà vsurpabat, studiosúmꝗ omnium suarum actionum reddidit. Monimentū autem sui casus posuit ad fanum Chalciœci, sacellum Mineruæ Optiletidis. nam oculi Doriensiū istorum lingua optili dicuntur. Interrogatus cur scriptis legibus non esset vsus, respondit: Quia rectè instituti atque educati norunt vtilitatem temporis. Aliis sciscitantibus cur ad fastigium domus faciendum sola securi, ad ianuam sola serra vti, nullo alio instrumento permisisset, respondit: Vt ciues mediocritatem seruent in omnibus quæ in domū inferunt, neꝗ eorū quicquā possideant, quæ ab aliis magni fiunt. Ex hac consuetudine tractū esse aiūt, quod Leotychidas prior, rex Spartæ, cœnans apud quendā, conspicatus fastigiū domus magno sumtu exstructum & laqueatū, quæsiuit ex hospite, númnam ista in regione arbores nascerent quadrangulæ. Interrogatus præterea Lycurgus, cur vetuisset contra eosdem hostes sæpius expeditionē facere: causam attulit, Ne sæpius defendere se adsuescentes periti fiant rei bellicæ.

Ideo non leuiter vitio datum est Agesilao, quòd continentibus in Bœotiam expeditionibus Thebanos bello pares Lacedæmoniis redegisset. Percunctanti cur corpora virginum cursu, lucta, disci & iaculi iactu exerceret, respondit: Vt in valido corpore fetus validas agens radices pulcrè adolescat, ipsæq; deinde mulieres robore in partu fretæ dolores facilè sustineant atq; superent: vtq; si ita necessitas postulet, pro se suisq; liberis & patria possint pugnare. Reprӕhendentibus virginum in pompis solennibus nudationem, causámq; eius requirẽtibus: Vt, inquit, eadem cum viris exercentes studia, neq; viribus corporis & sanitate, neq; animi contentione & virtute iis cedant, popularémq; despiciant opinionem de se. Hinc est, quod Gorgo Leonidæ vxor narratur peregrinæ cuidã mulieri ad ipsam dicenti, Solæ vos Lacænæ viris imperatis, respondisse: Solæ.n. nos viros parimus. Ludorũ nudorum spectaculo interdicens cœlibibus, addénsq; ignominiã, accuratè providit, vt ciues liberis procreãdis darent operam. Cœlibes honore & cultu, quem senioribus adolescentes debẽt, priuauit. Et quod in Dercyllidam dictum fuit, à nemine est reprӕhensum, quanquam præclarum alioqui imperatorem. accedenti enim ei quidã iuniorũ sede non decessit, inquiens: neq; enim tu genuisti, qui mihi olim cessurus sit. Præterea interrogatus Lycurgus cur virgines sine dote nuptũ dari iussisset? respondit: Ne vel ob inopiã aliquæ manerent innuptæ, vel propter opes expeterent̃: sed quivis in mores puellæ intuens, virtutem in delectu sequeretur. Eadẽ de causa etiã fucandi artificiũ vrbe eiecit. Tempus etiã ineundi matrimonij constituit vtriq; sexui. causámq; rogatus hanc exposuit, vt valida nascerent̃ è perfectis corporibus. Miranti cur nouo marito cõcubitu cum sponsa interdixisset, iussissétq; eum maiorẽ diei partẽ totámq; nocte cum æqualibus degere, cũ sponsa autem furtim & cautè congredi: eò, inquit, hæc tendunt, vt & validi corporibus maneãt, neq; satietas incessat, & amor semper sit recẽs, prolémq; edat validam. Vnguentum ex vrbe sustulit, vt olei perniciẽ: itémq; tincturã, vt sensus adulationem. omnibus verò fucandi exornandíq; corporis artem tractãtibus, Spartam inaccessam esse iussit, quòd malis artibus mores corrumperent. Tanta fuit isto tẽpore mulierũ pudicicia, tantúmq; abfuit à leuitate earũ quæ postea tẽporis exstitit, vt crimen adulterij apud ipsas habitũ sit pro incredibili. Ac sermo memoria fert̃ Geradatæ cuiusdã è priscis Spartanis, qui interrogatus ab hospite qua pœna Spartæ in adulteros vindicet̃, nihil enim se videreq; hac de re à Lycurgo statutũ: respondit, Nullus apud nos fit adulter. Inferenti, Quid autem, si aliquãdo existeret? taurũ, inquit, pendere cogitur tantæ magnitudinis, vt capite trans Taygetũ porrecto ex Eurota bibat. Dicenti, Quomodo possit tantus inveniri taurus? subiecit: Quo verò pacto Spartæ possit adulter existere, vbi diuitiæ, luxus, & fucus ignominiosa censentur, verecundia autẽ, modestia, & subditorũ obedientia obtinent? Postulãti vt populo administrationẽ reip. traderet Lycurgus: Tu prior, inquit, domi tuæ imperiũ domesticis tuis trade. Interrogatus cur tam modica & vilia constituisset sacrificia, respondit: Ne vnquam deos venerari cessemus. Quærenti cur hæc duntaxat ciuibus permisisset certamina, in quibus nemo manũ intendens victũ se profitetur, respõdit: ne quis eorũ inter laborandũ despõdere animũ adsuescat. Scitãti cur crebrò iubeat mouere castra: vt, inquit, pluribus hostes damnis afficiamus. Alij quærenti cur turrium ac murorũ oppugnatione suis interdixisset: respondit, ne à muliere aut puero aut eorũ simili homine præstãtiores interficiant̃. Consultãtibus Thebanis de sacrificio & luctu quibus Leucotheam venerant̃, suasit, Si deã esse crederent, ne lugerent: si hominẽ, ne sacrificarent tanquã numini. Quærentibus ciuibus quo pacto hostiũ insultus amolirentur, Si, inquit, pauperes sitis, neq; vnus altero amplius quærat. Interrogantibus etiã de muris quid sentiret, negauit Vrbẽ munitione carere, quæ viris nõ lateribus coctis cincta sit. Cõmã quoq; colebãt Spartani, Lycurgi memorãtes dictũ, qui comã formosis pulcritudinẽ augere, deformes terribiliores reddere pronũciasset. Idem præcepit suis, vt si prœlio hostẽ fudissent ac vicissent, tantisper modò insequerent̃ fugientes, dũ victoriã constabilirent, deinde statim se reciperẽt. nõ modò, quia Græcanicũ nõ esset cedẽtes interficere: sed & vtilis hęc ratio. hostes.n. si scirẽt cedẽtibus parci, repugnãtes occidi, fugã pugna vtiliorẽ sibi arbitraturos. Interrogatus cur hostiũ cadauera spoliare vetuisset: Vt ne, inquit, spoliis intẽti pugnã negligãt, sed simul cũ paupertate ordinẽ seruẽt.

Virginũ educatio. — *Cœlibatus.* — *Argutè.* — *Coma.*

LYSANDER cùm duas ei stolas misisset Dionysius, & vtrã mallet filiæ afferre iussisset, fatus ipsã filiã rectiùs delecturã, vtraq; sumta abiit. Hic homo versutus, & pleraq; fraudi-

Improbè.

fraudibus miſcēs, iúſq; in ſola ponēs vtilitate, veritatē aiebat nihilo meliorē eſſe mendacio, ſed vtriuſq; dignitatē & preciū vſu definiri. Repræhendētibus ipſum, & indignū Hercule dicentibus, quòd pleraq; impoſturis ageret, dolóq; res non ingenuè gereret, ridens reſpōdit: Vbi nō ſufficit leonina pellis, adſuēda eſt vulpina. Aliis vituperantibus ipſum ob violatū iureiurandū, q́d Mileti dixerat; Pueros talis, viros ſacramētis decipi debere reſpondit. Cùm Athenieſes ex inſidiis viciſſet ad Aegos potamos, famæq; preſſos vrbē dedere coēgiſſet, Ephoris ſcripſit: Captæ ſunt Athenæ. Argiuis in controverſia de agris adverſus Spartanos iuſtiora ſeſe afferre argumēta dicētibus, gladiū ſtringens: Qui hunc, inquit, tenet, is optimè de finibus agrorū diſputat. Bœotos, cum per eorū ditionē eſſet tranſiturus, cernens in vtranq; nutare partē, miſit qui interrogaret, Rectiſne ſe haſtis vellent, an verò demiſſis tranſire. Megarenſi cuidā in cōcilio liberiùs ipſum appellanti, Tua, inquit, hoſpes verba ciuitate opus habēt. Cum defeciſſent Corinthij, & iuxta eorum muros ducēs ſuos videret ad oppugnationem parū habere animi, lepus autē conſpiceretſ foſſam tranſilire: Non pudet, inquit, Spartani hos hoſtes metuere, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt. In Samothrace oraculū cōſulentē ſacerdos cùm iuberet dicere, quod in vita ſua maximū perpetraſſet ſcelus, Tuóne, inquit, an deorū iuſſu? reſpondenti, Deorū: tu itaq;, ait, apage hinc, & ego diis, vbi interrogabūt, dicā. Perſæ quærēti quā reip. formā maximè probaret: in qua, inquit, fortibus & ignauis ſuū tribuit. Dicēti, laudo te & defendo, reſpōdit, Duos ſe ruri habere boues, quibus tacētibus, ſe tamen exquiſitè noſſe vter eorū piger ſit, vter induſtrius. Cuidā peregrino convicia in ipſum iacienti dixit: Crebrò iſta dicito, dicito, abſque intermiſſione, ſi fortaſſis animi tui mala, quibus plenus videris eſſe, poſſis egerere. Aliquo poſt mortē eius tēpore oborta ſociali cōtroverſia, Ageſilaus domū Lyſandri venit inſpecturus ea de re litteras, quas ſecū is retinuerat. Invenit autē librū Lyſandro ſcriptū de repub. in quo erat hæc ſentētia, regnū familiæ Eurytionidarū & Agiadarū adimendū, inq; medio ponendū eſſe, regémq; ex optimatib. creandū: ne poſteris Herculis is honor haberet, ſed iis qui imitarent virtutē Herculis, qua is ad deos evectus fuit. hāc orationē cū vellet evulgare ad ciues Ageſilaus, vt oſtēderet qualis ciuis Lyſāder fefelliſſet, eiúſq; amicos traduceret: Lacratidā ferūt ephororū tūc principē veritū ne oratio ea perſuaderet, inhibuiſſe eū ac monuiſſe, Nō eſſe eruendum è ſepulcro Lyſandrum, ſed orationē conſepeliendam, vafrè & ad perſuadendum aptè compoſitā. Qui filias eius ambiuerant, mortuo autem eo, quod pauperem fuiſſe tum liqueret repudiabant, ephori mulctauerūt, quòd quem ob diuitiarum opinionem coluiſſent, hunc iuſticiam eius ac probitatem paupertate arguente ſpernerent.

Omen. *Iuſtè.*

NAMERTES legatus aliquò miſſus cùm à quodam iſthic felix prædicaretur ob multitudinem amicorum, Habéſne, inquit, indicium certum quo probare poſſis quis multos habeat amicos? doceri ſe id poſtulanti, Rebus, ait, ſecundis.

NICANDER narrāte quodā Argiuos ipſi maledicere, Pœnas ergo, inquit, dabunt, qui de bonis malè loquantur. Quærēti cur comā & barbā aleret Spartani, reſpondit: Quia virum & maximè ornat, & minimo ſumtu cōſtat proprius ornatus. Athenienſi cuidam dicenti, Nimium ô Spartani ocio eſtis dediti: Vera, inquit, dicis: at non, vt vos, in quaſcunque res operam impendimus.

PANTHOEDAS in Aſia legatione fungēs, oſtendētib. quibuſdā murū probè munitū, Per deos, inquit, hoſpites, pulcrū eſt gynęceū. In Academia philoſophis multa & præclara diſſerētibus, ac deinde ex ipſo quærētibus, quid ſentiret de his diſputationibus: Equidē, inquit, præclaræ ſunt, ſed nullius precij, cùm vos iſtis rebus nō vtamini.

PAVSANIAS Cleombroti F. Deliis de inſulæ ſuæ iure adverſus Athenienſes diſputantibus, ac dicētib. Lege apud ipſos receptū eſſe, vt neq; pariāt in inſula mulieres, neq; mortui ſepelianť: Et quomodo, inquit, Delus patria veſtra ſit, in qua neq; natus eſt quiſq; veſtrū, neq; erit poſt mortē? Cùm exſules ipſū in Athenienſes vt duceret exercitū, hortarenť, dicerentq; Olympicis ludis cùm renunciareť victor, à ſolis Athenienſibus fuiſſe exſibilatū: Quid verò putatis, inquit, qui beneficio accepto me exſibilauerūt, facturos ſi lædanť? Quærēti cur Tyrtæū poētā Spartani donaſsēt ciuitate: reſpōdit: Ne vnq; videremur peregrino vſi duce. Imbecillo homini terra mariq; decertādū eſſe ſuadēti, Viſne, inquit, veſtibus te exuere, & oſtendere qualis homo pugnā nobis ſuadeas? Miratibus nōnulli inter ſpolia barbarorū ſumtuoſas veſtes, dixit: Præſtat aliquē ipſum magni eſſe precij, quàm res poſſidere precioſas. Poſt Plataicam de

Argutè. *Tyrtæus.* *Grauiter.*

Medis victoriã,mãdauit suis vt præparatã Persæ cœnã sibi apponerent. quæ cùm esset admirabili luxu adornata, Per deos, inquit, gulæ deditus fuit Persa, qui tot rerum compos,nostram appetiit mazam.

PAVSANIAS Plistonactis F. interrogãti cur de antiquo iure nihil Lacedæmone *Leges.* liceret cõvellere: Quia,inquit,legum in viros,nõ virorũ in leges debet esse autoritas. Exsul hic cũ Tegeæ laudaret Lacedæmonios,& quidam diceret, Cur ergo nõ mãsisti Spartę,sed solũ vertisti? respõdit: Quia ne medici quidẽ apud sanos,sed apud ęgrotos solẽt versari. Interrogãti quomodo Thraces possent vinci, Si, inquit,optimũ exercitui ducẽ præficiamus. Medico ipsum visitãti,ac dicẽti,Nihil habes mali:retulit, Id fit, quia te medico nõ vtor. Amico repręhẽdẽti ipsũ,ꝗ cuidã medico male diceret,nõ ex- *In medicos.* pertus ipsum,neq; passus quicquam:Si,inquit, expertus eũ essem, non viuerẽ. Et dicenti medico,Senex es factus:quia,inquit,te non adhibui medicum. Optimum dicebat esse medicum,qui ægrotos non conficeret putrescẽdo, sed quãprimùm sepeliret.

PAEDARETVS dicẽte quodã magnũ esse hostiũ numerũ:Tanto,inquit,maior erit nostra gloria,quia plures interficiemus. Videns quendã natura mollẽ à ciuibus pro- *Grauiter.* pter placidos mores laudari,dixit:Neq; viros mulierũ similes debere laudari,neq; mulieres virorũ similes,nisi earũ aliquis vsus incidat. Nõ allectus in trecentorũ numerũ (qui primus in ciuitate erat honoris gradus)hilaris ac renidẽs è comitiis discessit. reuocatúsq; ab ephoris,& causam risus sui interrogatus: Hæc,inquit,est,quod gratulor ciuitati,quæ CCC quàm ego sim meliores habet ciues.

PLEISTARCHVS Leonidæ F.quærenti causam,cur non à primis regibus cogno- * mentũ ducerẽt: Quia, inquit,illis vt imperarẽt ac regnarẽt necesse fuit,posterioribus *In nimis facetũ.* nequaquam. Cùm advocatus quidam ridicula diceret, Non cauebis,inquit,hospes, ne quomodo continenter in palæstra se exercẽtes palæstę evadunt,ita tu quoq; identidẽ risum captans,ridiculus fias. Narrãti esse maledicũ quendã qui ipsum laudet: Mirũ,inquit,nisi aliquis ei me mortuũ esse dixit.de viuo.n.nemine bene ille loqui potest.

PLEISTONAX Pausaniæ F.cùm Atticus quidã rhetor Lacedæmonios indoctos vocaret, Vera,ait,prædicas.soli enim Græcorum nos mali nihil à vobis didicimus.

Minæ. POLYDORVS Alcamenis F. cuidã crebrò hostibus minãti, Nõ animadvertis,inquit,maximã te vindictæ partẽ sic insumere. Cùm exercitũ duceret cõtra Messenios, interroganti cuidã an pugnare cũ fratribus vellet:Non sanè,inquit,sed ad hæreditatẽ nondũ diuisam proficiscor. Cùm Argiui post trecẽtorũ pugnã denuò ingenti pugna vniuersi essent victi,hortabant Polydorũ socij ne occasionem dimitteret,sed recta ad Argos duceret,vrbémq; occuparet: quod fore aiebãt facilimũ,viris occisis, solísq; superstitibus mulieribus:respõdit:collatis signis hostẽ superare ego pulcrum iudico: vt *Iusticiæ exemplum in bello.* autẽ vrbẽ occupẽ,qui de finibus ditionis dimicauerim , iniustũ mihi videt. veni enim non vrbis capiendæ,sed agri recipiendi gratia. Quærenti cur in bellis Spartani pericula fortiter adirent,respondit: Quia revereri duces didicerunt suos,non metuere.

POLYCRATIDAS cũ aliis missus legatus ad regis præfectos, interrogatus priuatimne adesset,an publico nomine, sic retulit:si consequimur quod volumus, publicè: si repulsam patimur,priuatim.

PHOEBIDAS ante pugnam Leuctricam dicentibus nonnullis, istam diem manifestaturam qui sit vir bonus: Magni,inquit,æstimanda talis est dies.

Callidè & tolleranter. SOVS fert cùm loco quodã iniquo & aquę experte à Clitoriis obsideret,pactus essẽ agrũ se iis bello partũ traditurũ,si de ꝓximo fõte omnes q cũ ipso erãt bibissent. Iureiurãdo pactis vltro citróq; firmatis,suos cõvocasse,regnúmq; detulisse ei q nõ biberet. nullo aũt sitim cohibẽte,omnibúsq; bibẽtib. postremũ ipsum descẽdisse,séq; aqua cõspersisse,& pręsẽtib.adhuc hostib. discessisse,ditionémq; vt qui nõ bibisset,obtinuisse.

TELECLVS narrãti,malè de te loquit pater tuus:nõ faceret,inqt,si nõ esset faciũdũ. Fratri querẽti nõ eadẽ se benevolẽtia qua ipsum apud ciues accipi, iisdẽ ortũ parentibus,respondit:Non enim item,vt ego, ferre nosti iniurias. Interrogatus causam consuetudinis Spartanæ,qua senioribus iuniores assurgunt: respondit, Eò id fieri, vt adsueti hoc honoris deferre alienis, tanto magis venerentur parentes. Quærenti quantas possideret opes,respondit,Non maiores quàm satis est.

CHARILAVS interrogatus cur tã paucas leges posuisset Lycurgus: Quia, inquit, pauca loquẽtes paucis opus habẽt legibus. Quærẽti cur Spartani virgines detectas, mulieres velatas in publicũ emitterẽt:Quia,inquit,virginibus quærẽdi sunt viri,mulieribus

lieribus opera dãda vt seruẽt maritos. Heiloti cuidã asperiùs ipsi se opponẽti: Interficerẽ te, inquit, nisi iratus essem. Interrogatus quænã esset optima reip. forma, respondit: In qua plurimi de virtutis laude absq; seditione certãt. Causam scitanti cur Spartæ omnia deorũ simulacra essent armata: Ne, inquit, quę opprobria hominib. obiiciunt ob ignauiam in deos referamus: ac ne inermes nostri iuuenes diis vota nuncupent.

Certamen virtutis.

Spartanorum & Laconum apophthegmata, vbi autoris nomen ferè non exprimitur.

Samiorũ legatis longa vsis oratione Spartani respõderunt: Primorũ obliti sumus: eámq; ob rẽ posteriora nõ intelleximus. Thebanis controuersiã quibusdã de reb. mouentibus, dixerunt: Aut summissiores oportet vestros animos, aut maiorẽ esse potentiã. Laco quidã interrogatus cur tã prolixã aleret barbã, respondit: Vt canos videns, nihil iis indignũ in me admittã. Laudãte quodã optimos bellatores, Laco: Ad Troiã, ait, fuerunt. Alius cùm audiret quosdã in cœna se ad bibendũ inuicẽ coëgisse, dixit: An etiã ad edẽdũ? Cùm Pindarus scripsisset Athenas fulcrũ esse Græciæ, dixit Laco quidã, Vtiq; Græciã collapsurã, quæ tali inniteret̃ fulcro. Spectanti in tabula pictos Spartanos qui ab Atheniẽsib. occiderent̃, ac dicẽti, Fortes sanè Atheniẽses, excipiẽs Laco verba, In tabula, inquit. Cuidã calumnias admittẽti Laco, Desine, inquit, contra me aures impẽdere. Qui supplicio afficiebatur, ac se nolentẽ peccasse dicebat, ei quidã dixit: nolens itaq; etiã pœnas da. In discessu videns quidã homines in curribus sedere: Absit, inquit, vt ibi sedeã, vnde seniori assurgere non licet. Chij Spartã profecti cùm à cœna in Ephoreo vomuissent, oletúmq; fecissent in sellis Ephororũ: principiò inquisitũ accuratè est in autores facinoris, si fortè ciues essent: sed vbi senserunt Ephori Chios esse, edixerunt publicè, Chiis permissum esse turpiter agere. Quidam amygdalas duras videns duplo vendi, An, inquit, rari sunt lapides? Laco cùm plumis lusciniã nudasset, ac parũ admodũ carnis reperiret, dixit: Vox tu es, & nihil præterea. Laco Diogenẽ canẽ vidẽs statuam æneã amplecti cùm esset acre frigus, interrogauit, An riges? negãti, Quid ergo, inquit, magnũ facis? Laco Metapõtino cuidã timiditatẽ obiiciebat. qui cùm diceret, Atqui multũ agri alieni nos possidemus: Ergo, inquit, non timidi solùm, sed iniusti etiã estis. Peregrinus quidã Spartæ rectus vno stãs in pede, Laconi dicebat: nõ arbitror te tãdiu vni pedi posse insistere. respõdit Laco: sanè. sed nullus est anserũ, qui hoc nõ possit. Iactãti se ob artẽ oratoriã, Laco quidã: per Castores, inquit, neq; est, neq; erit ars vlla sine veritate. Argiuo dicẽti apud Argos multa esse Spartanorũ sepulcra, respõdit Laco: at Spartæ Argiuorũ nulla sũt. innuẽs Spartanos sæpe Argos adiuisse, Argiuos Lacedæmonẽ nunq;. Laco captiuus cum vẽderet̃, præconi clamãti Laconẽ se vẽdere, os obthurauit, Captiuũ, inquiẽs, ꝓclama. Aera apud Lysimachũ merẽtiũ quidã ab ipso interrogatus an ex helotib. vnus esset: putas verò, inquit, Laconẽ aliquẽ ad tuum denarij besẽ venturũ? Thebani victis ad Leuctra Spartanis cùm ad ipsum Eurotã accessissent, ac quidã gloriabũdus diceret, Vbi sunt Lacones? quidã Spartanus ab iis captus, Absũt, inquit: alioqui vos huc nõ venissetis. Atheniensib. Spartani vrbẽ dedẽtib. ac Samũ dũtaxat sibi relinqui postulãtibus, respõderũt: Quo tẽpore vestri iuris nõ estis, alios vobis dari poscitis. hinc proverbiũ:

Senectutis honor.

In ostentatorẽ.

Argutè.

Veritas.

Qui non habet seipsum, habere vult Samum.

Cùm Lacedæmonij vrbẽ quandã vi cepissent, Ephori dixerũt: Periit palæstra iuuenũ, nõ habiturorũ cõcertatores. Aliã vrbẽ, quæ sæpe negociũ exhibuerat Spartanis, rege ipsorũ pollicẽte se funditus deleturũ, nõ permiserunt, inquiẽtes: Noli abolere aut delere cotẽ iuuentutis. In palæstra se exercẽtib. nullos adiunxerũt pædotribas, vt ne artis, sed virtutis istud esset certamen. itaq; Lysander etiã interrogatus quomodo esset victus à Charonte, respondit, Artificij varietate. Philippo, cùm in agrũ Laconicũ venisset, per litteras quærẽti amicúmne ipsũ vellet aut inimicũ venire, respõderũt Spartani, Neutrũ. Legatũ quẽ ad Antigonũ Demetrij F. miserãt, quanq; in penuria ille ab hoc medimnũ tritici in caput ciuis impetratũ adferebat, tamẽ ꝙ regẽ appellasset Antigonũ, mulctauerunt. Cùm prauus homo optimã tulisset sententiã: probauerũt quidẽ eã, sed ab eo ad hominẽ qui honestè vixisset tanq; eius autorẽ trãstulerunt. Fratribus inter se litigantibus, patrẽ mulctauerunt, ꝙ dissidere filios paterer̃. Peregrinũ fidicinẽ mulctauerũt, ꝙ digitis fides feriret. Duo pueri pugnabãt. horũ alter alteri falce vulnus lethale intulit. cũ aũt pueri familiares, q pacis cõponẽdę gratia intervenerãt, ꝓmitterẽt se vltores fore, & percussorẽ interfecturos: Nolite obsecro, inquit: fieret.n. hoc iniustè. idẽ.n. ipse facturus erã, si strenuus fuissẽ, & antevertissẽ. Alius pusio, cùm

Vsus ex hoste.

Liberè.

Seuerè.

Patientia.

appetiisset tēpus quo lege iubebantur ingenui pueri furari quidquid possent, turpe autē habebatur deprǣhēdi: sociis vulpeculā furatis, ipsiq; vt adseruaret tradētibus, vbi quęsitum venerunt qui perdiderant, subter tunica abdiderat bestiā: quæ cùm efferata latus eius vsq; ad viscera corroderet, tamen se cōtinuit, ne furtiuā rem ꝓderet. illis deinde digressis cùm æquales viderent quid esset perpessus, repræhenderéntque factum, præstare dicentes vulpeculam detegere, ꝙ vsq; ad mortē occultare: Nequaꝙ, inquit. nam moriendum potiùs fuit in doloribus, quàm furti compertum ob mollitiem vita turpiter potiri.

Fortiter.

Obvij quidā in itinere facti Laconibus dicebāt, Fauit vobis fortuna. iam.n. latrones hinc discesserunt. responderunt: non per Martem: sed latronibus fuit secunda, ꝙ in nos ij non inciderunt. Laco quid sciret interrogatus, respōdit: Liber esse. Puer Spartanus captus à rege Antigono & venditus, omnib. in rebus emtori morem gessit, quas libero cōuenire putabat: iussus autē matulā adferre, recusauit, seruiturū se negans. ac vrgēte domino, tectum cōscendit, fatúsq;, Scies quid emeris, præcipitem se inde dedit, ac vita decessit. Alius cū venderetur, quærenti, Probúsne eris si te emero: respondit, Etiam si non emeris. Alius captiuus cùm venderetur, & præco proclamaret Mancipiū vendo: scelestè, inquit, cur non dicis captiuum? Laco quidā clypeum musca insigniuerat, non excedente viuæ muscæ quantitatem. cùm deridentes eū nōnulli dicerent latendi causa ab eo factū hoc esse: Immò, inquit, vt agnoscar. ita.n. propè ad hostes accedo, vt cernere possint insignis mei quantitatē. Alius allata in cōuiuio lyra dixit: Non est Laconicū nugari. Spartanus interrogatus an tuta esset Spartā via, respōdit: Pro eo atq; descenderis: Leones.n. venatū ꝓdimus, lepores in latebris venamur. In lucta quidā cum apprehensus collo ad terrā detraheretur, neq; corpus sustinere posset, colluctantis brachium momordit. cúmq; hic diceret, Mordes ô Laco sicvt mulieres: respondit, Nequaꝙ, sed vt leones. Claudus in militiā ꝓficiscens cùm derideretur, dixit: Nō fugientibus opus est, sed stantibus & locum suū tuētibus. Alius sagitta ictus cùm animā ageret, aiebat Non mortē sibi molestā esse, sed ꝙ nulla re gesta necatus esset ab effeminato sagittario. Quidā cū in diversoriū publicū se recepisset, cauponi, cui apparādum dederat obsoniū, caseum oleúmq; poscenti, Quid, inquit, si caseum haberē, an præterea obsoniū requirerem? Felicē prædicāti Lāpidem Aeginetā, ꝙ prædiues putabatur ob multarū negociationib. destinatarū nauiū possessionē, Laco quidā dixit: nō moueor felicitate à funibus pendente. Laco ei, qui mētiri ipsum dicebat, Quia.n. inquit, liberi sumus: reliqui nisi vera dicāt, eiulabūt. Intendebat quidā cadauer rectū constituere. cùm autē omnia experto res non succederet, Profectò, inquit, oportebat aliquid intus esse. TYNNICHVS Thrasybuli filij mortem magno tulit animo. extátq; in hunc tale epigramma:

Exanimis Pitanam Thrasybulus in aspide venit,
Argiui septem vulnera cui dederant,
Cuncta gerens aduersa. rogo pater huncce cruentum
Tynnichus imponens protulit ista senex:
Plorentur timidi. te fili siccus humabo
Lumina, qui meus es, qui Lacedæmonius.

Cùm Alcibiadi Atheniēsi plurimū aquę prębere tbalneator, Laco dixit: cur huic velvt immundo & admodū sordido plus aquæ affundit? Philippus cùm in Laconicā irrupisset, Spartanísq; vniuersis videret exitiū imminere, dixit cuidā Spartano, Quid nunc facietis Lacones? respōdit is, Quid aliud, ꝙ moriemur fortiter? soli.n. Græcorū nos liberi esse, & nō obedire aliis didicimus. Post cladem duce Agide acceptā, cùm

Educatio.

Antipater obsidū loco posceret L pueros, ETEOCLES tum ephorus daturū se eos negauit, ne malè educarentur, & ab institutis patrię desciscentes ciuitati incōmodi fierent: senum autem aut mulierum duplum, si vellet, numerū obtulit. cúmq; Antipater atrocia minaretur nisi darentur, publico nomine respōdit: Si difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori. Senex quidā Olympiæ cōmissum certamen spectare cupiēs, sedem non inueniebat, cúmq; multa obiret loca, à nemine admissus contumeliis insuper dicteriísq; exagitabatur: cùm autem ad Lacedæmonios venisset, omnes ei pueri assurrexerunt, multíq; viri loco cesserūt. quem morem vniuersis Græcis plausu approbantibus, summísq; laudibus vehentibus, senex iste

Concutiens canam barbámq;, & tempora cana:

Proh, inquit, calamitatem: norunt omnes Græci quid sit honestū, sed eo soli vtuntur

Spar-

Spartani. Idem aiunt Athenis quoq; euenisse. Cùm.n.agerentur Panathenæa, Attici senem contumeliosè vexabant vocantes vt locum daturi, neq; tamen si accessisset recipientes. qui cùm pœnè prętcr omnes iuisset, vt venit ad eos qui Lacedæmone spectatum missi erant, vniuersi relictis subselliis locum dederunt ei. quod factũ cùm populus magno cum plausu & admiratione approbasset, Spartanus quidam, Per Castores, inquit, norunt Athenienses quid sit honestum, sed non agunt. Mendicus à Lacone stipem petebat. hic verò, Si darem, inquit, tibi, eò magis mendicares. nam huic tuæ deformitati causam præbuit is qui primus tibi dedit, eoq; te ignauũ reddidit. Lacon videns quendam diis stipem colligentem, Non curo, ait, deos me pauperiores. Quidam cum depræhendisset adulterum cum vxore deformi, Infelix, inquit, quæ te hoc coëgit necessitas. Alius rhetorem audiens magnas torquentem conuersiones orationis, Aecastor, inquit, fortis iste homo est, nulla re proposita tam bene voluens linguam. Quidam cùm venisset Spartam, ac cerneret quem honorem senibus iuniores haberent, Hac sola in vrbe dixit expedire fieri senem. Laco interrogatus qualis esset Tyrtæus, Vtilis, respondit, ad blandè ducendos iuuenũ animos. Alius ex oculis laborãs ad pugnã ibat. interrogatus quò iret, aut quid facturus, qui hoc modo esset affectus: Si nihil aliud agã, inquit, hostis saltem gladiũ hebetabo. Bvris & Spertis Lacedæmonij sponte sua profecti sunt ad Xerxem Persarũ regẽ, pœnas persoluturi quas ex oraculo debebat Lacedæmon ob interfectos præcones Persæ ad ciuitatem missos. Vt ad regẽ venerunt, iusserunt eũ ipsos quo vellet modo pro Lacedæmoniis interficere. Absoluti à rege virtutẽ eorũ admirãte, rogatiq; vt secum manerent, dixerũt: At quî possemus hîc viuere, patria legibúsq; relictis, iisq; viris pro quibus morituri tantum confecimus iter? & Indarne duce impensiùs orante, ac promittente æquali eos in honore fore cum primariis regis amicis, responderunt: Videre nobis ignorare, quanta res sit libertas: quam qui sapit, nõ permutaret Persarum regno. Lacon hospite, qui pridie ipsum declinauerat, splendidè eum precario sumta veste stragula excipiente, pedibus vestem stragulam calcauit, inquiẽs: Propter ista heri ne in storea quidem dormiui. Alius cùm Athenas venisset, videretq; Athenienses salsamenta & obsonia pręcone proclamante vẽdere, vectigalia exigere, lenocinium exercere, multáq; alia parum decora agere, nihilque inhonestum ducere: reversus in patriam, ciuibus interrogantibus Quales Athenis res essent, respondit, Omnia pulcra. per iocum & simulationem innuens, apud Athenienses omnia pulcra putari, turpe nihil. Alius quadam de re interrogatus, negauit. & cum qui interrogauerat responderet, Mentiris: viden', inquit, vanum te esse hominem, qui interroges de re tibi nota? Venerunt aliquando legati Lacones ad Lygdamin tyrannum. qui cum aliquoties colloquio diem produxisset, tandémque indicari iuberet valetudine se non satis esse firma, responderunt: Atqui per deos non colluctatum advenimus, sed collocutum. Laconem quidam sacris initians, dicere iubebat cuius maximi sceleris sibiipsi conscius esset. respondit Laco, diis id notum esse. instantémque & omnino profitendum esse dicentem, interrogauit, Cui ergo id indicandum est, tibine an deo? cùm responderet, Deo: tu ergo, inquit, interim recede. Alius noctu sepulcrum præteriens, spectrúmque imaginatus, hasta irruit, eáque id traiecit dicens: quò fugis anima bis moritura? Alius cum vouisset se præcipitem à Leucata sese daturum, altitudine conspecta abiit retrò. cúmque id ei vitio verteretur, dixit: Non putaueram hoc votum alio maiore voto indigere. Alius in prœlio gladium hosti iam incussurus, cùm audiret receptui cani, ictum non intulit. & interrogatus cur pepercisset hosti quem necare potuisset, respondit: Quia melius est imperatori parêre quàm interficere. Laco quidam ad Olympiam victus, dicenti Colluctator tuus te fuit melior, Nequaquam, inquit, sed deiiciendi peritior.

In mendicos. *Tyrtæus.* *Libertas.* *Salsè.* *Obedientia.*

Institvta Laconica.

Arcana.

Ingredientiũ in syssitia vnicuiq; maximus natu ostendẽs ianuã: per has, aiebat, nullus effert sermo. Maximè apud eos ꝓbabat ius atrũ q̃d vocabãt, ita vt seniores carnẽ nõ requirerẽt, sed eã adolescentib. concederẽt. Eius gratia fert Dionysius Siciliæ tyrãnus Laconicũ cocum emisse, ac iussisse vt nulli parcens impẽdio ius illud coqueret. coctũ autẽ cùm gustasset, indignatum exspuisse. tum ei cocum dixisse: O rex, corpore prius Laconicũ in morẽ exercitato, & abluto in Eurota ius istud cœnãdũ est. Lacones

vbi mediocriter in Syssitiis biberunt, domum absque face abeũt. nõ enim licet iis vel hanc vel aliam viam ire cum lumine: vt adsuescãt in tenebris & noctu audacter & sine pauore ambulare. Litteras vsus gratia discebant. reliquas disciplinas vrbe sua exigebant, vt & peregrinos homines. Institutio ipsis erat bene obtemperandi, labores tolerandi, & in pugna aut vincendi aut moriendi. Permanebant absq; toga, & vnicam in annũ sumebant tunicam, squalidi corpora, & plerunque lauacris vnctionéq; abstinẽtes. Simul dormiebãt adolescẽtes gregatim ac turmatim in toris, quos ipsi cõgerebãt arundinũ quas Eurotas fert sũma manibus sine ferro defringẽtes. hyeme lycophonas quos vocãt substernebãt, & toris permiscebãt, ꝙ ista materia vim calefaciẽdi putabãt habere. Permissũ erat amare pueros pręclara indole pręditos, sed turpe iudicabãt, si quis ab animo ad corpus amorẽ trãsferret. & q polluisse aliquẽ crederẽt, is infamis ꝑ omnẽ vitã habebãt. Mos erat porrò vt iuniores à seniorib. interrogarẽt, quorsũ irẽt,

Castigatio. & cuius rei gratia: ac qui nõ respõderet, vel prætextus necteret, obiurgarẽt. qui se pręsẽte peccantẽ nõ castigaret verbis, in eadẽ erat culpa cũ delinquẽte: & q ægre ferret se increpari, in magno erat ꝓbro. Qui in aliquo delicto deprehendebãt, cogebãt aram quãdã in orbẽ circuire: cõpositámq; sui ipsius vituperationẽ cãtare, q̃d nihil erat aliud, ꝙ ipsum à seipso obiurgari. Cõdocefaciebãt pueros, vt nõ suos modò parẽtes reuererẽt, iisq; obedirẽt, sed & omnes alios senes, iisq; & de via decederẽt, & de sedib. assurgerent, & præsentib. quiescerẽt. quo factũ est, vt quisq; præesset nõ, vt aliis in ciuitatibus, suis tm̃ liberis, seruis, atq; bonis, sed vt de suis, ita & de vicini rebus curã gereret: vt ꝙ maximè inter se cõmunia haberẽt omnia, & tanꝙ ꝓpria quivis ꝓcuraret. Puer punitus ab aliquo si id ad patrẽ deferret, turpe erat patri nõ alia porrò addere verbera. ex sua.n. quisq; disciplina ꝑsuasum sibi habebat, nihil quenꝙ pueris inhonestũ mandare. Furabanẽ adolescẽtes etiã cibi quidq̃d poterãt, discẽtes callidè insidiari dormiẽtibus, aut negligẽter sua adseruãtibus. Depręhẽsi pœna erãt plagæ & fames. cœna.n. tenuis

Modici cibi vtilitas. dabãt, vt suapte opera inopiã ꝓfligare coacti, auderent & astuti fierent. & cùm hac de causa parcè cibus dabãt, tũ vt adsuescerent nunꝙ repleri, sed famẽ posse ferre. sic.n. existimabãt eos & in bello maiori fore vsui, si etiã post inediã nosset laborare: & tẽperãtiores atq; frugaliores, si in lõgius tẽpus sũtus exiguus sufficeret. & si absq; obsonio cibus ꝓximus quisq; vsurparẽt, id ad augẽdã corporũ sanitatẽ cẽsebãt cõducere, cùm corpora possent in altũ ac ꝓfundũ ali, neq; obstaret nutrimẽtũ incremẽto in altitudinẽ. quin & ad pulcritudinem corporũ hoc cõferre. gracilẽ.n. & laxũ corporis habitũ formãdis artubus esse obsequentẽ: cũ alimẽto multo vsa ob molẽ resistãt. Modulationib. quoq;

Musica. & cãtilenis nõ minus impenderunt studij, quæ stimulũ haberent ad excitandum augendúmq; animum, impetúmq; & quasi instinctum quendam ad agendum ingenerarent. dictio simplex erat, miniméq; fucata. materia, laudes eorum qui præclarè vixissent, ac pro Sparta occubuissent, & beati prædicarentur. item vituperationes eorum qui timidè se gessissent, quippe vitam miseram infelicémq; degentium: tum exhortatio ad virtutem, & gloriatio ætatibus consentanea. Tres enim chori erant in festiuitatibus pro triplicis ratione ætatis, quorum princeps senum sic canebat:

Olim iuuentutem nos strenuam egimus.

cui respondebat virorum ætate vigentium chorus:

Fortes sumus nos: fac, si vis, periculum.

tertius puerorum cantabat:

Nos erimus his præstantiores plurimo.

Embaterij quoq; moduli ad fortitudinẽ, audaciã, mortisq; cõtemtũ animabãt, quibus vtebanẽ cum choris & ad tibiã ducentes in hostem. Lycurgus.n. bellicæ exercitationi musicæ adiunxerat studium, vt nimiũ belli studiũ modulatione temperatũ cõcinnitatem nancisceret. Itaq; ante pugnã Musis immolabat rex, vt pugnantiũ forent memorabiles actiones, bonáq; dignæ fama. Neq; patiebanẽ quenꝙ priscæ musicæ modum

Terpander. egredi. sed & Terpandrum admodum vetustum citharœdum ac sua ætate fidicinum principẽ, heroicorúmq; facinorũ laudatorẽ mulctauerũt ephori, citharámq; ei ademtã in publico affixerunt, ꝙ vna chorda ampliùs intendisset vocis variãdæ gratia. sola.n.

Timotheus. simplicia ꝓbabãt carmina. Et cũ Timotheus Carnea certaret, vnus ephororũ arrepto cultro quæsiuit ab vtra parte vellet abscindi neruos q septẽ essẽt plures. Vniuersã de

Sepulcra. sepulcris superstitionẽ Lycurgus abstulit, cõcesso vt in vrbe mortui sepelirenẽ, & monimenta essent tẽplis vicina. Sustulit & pollutiones, & nihil permisit cũ cadauere humari

mari, verùm illud in punicea veste ac foliis oleæ componi eodem ab omnibus modo iussit. Inscriptiones quoq; monimentorũ, nisi siquis in bello cecidisset, & luctus eiulationésq; aboleuit. Peregrinãdo Spartanis interdixit, ne mores peregrinos, vitæq; male institutã rationẽ addisceret.

Peregrinatio.

Quin & arcuit Sparta peregrinos, ne in vrbẽ illi se insinuãtes malũ aliquid ciues docerẽt. Si quis ciuiũ nõ pateref puerorũ institutionẽ, is iure ciuitatis excludebaf. Sũt qui dicãt peregrinos quoq; huic se institutioni accõmodantes, admissos à Lycurgo fuisse in partẽ ciuitatis ab initio destinatã: vendere aũt nõ licuisse. Vicinorũ seruis itémq; canibus & equis, nisi domini vsu eorũ indigerẽt, vti licebat tanq̃ propriis. sed & rure siquis aliqua re opus haberet, aperto vicini penu inde necessaria auferebat, penúq; obsignatũ relinq̃bat.

*

Punicea veste in bellis vtebãtur. nã & color virilis videbaf, & ob similitudinẽ sanguinis formidinẽ imperitis oblaturus, vtilisque ad fallendum hostem ob eandem rem, si quis vulnus accepisset.

Punicea vestis.

Cùm callido consilio hostem vicissent, bouem Marti mactabant: si apertè, gallum. duces adsuefacientes, vt non pugnaces modò, sed callidi etiam fierent. Votis hoc annectebant, posse ferre iniurias. Votum autem erat pulcra post bona consequi: nihil preterea.

Votum.

Venerem colebant armatã, omnésq; alios deos tã mares quàm feminas hastatos faciebant: omnes eos virtute militari præditos innuentes. Proverbio iactabãt,

Postquam manum operi admôris, Fortunam inuoca:

Labor.

innuẽtes dei opẽ implorãdã nõ esse, nisi rẽ aggressus ipse sis, aliquídq; egeris. Vt pueros ab ebrietate auerterẽt, seruos iis vini plenos demõstrabãt. Moris erat apud ipsos, nõ pulsare ostia, sed foris clamare. Strigilibus nõ ferreis, sed è calamo factis vtebanf. Comœdias & tragœdias non audiebant, ne vel seriò vel ioco cõtra leges dicentibus aures præberẽt. Archilochũ poëtam, cùm is venisset Spartã, eadẽ hora expulerunt, q̃ in carmine quodam eum scripsisse intellexissent, præstare arma abiicere, quàm mori.

Archilochus.

Nunc aliquis nostra se ex hostibus aspide iactet,
Sub vepre quam reliqui inuitus integram.
Illa quidem valeat. nunc ipse à clade superstes
Emam suo non deteriorem tempore.

*

Pueris & puellis cõmunia erãt sacra. SCIRAPHIDAM ephori mulctarunt, q̃ multi ipsum iniuria afficeret. Saccos solitũ baiulare necarũt, q̃ prætextã sacco inseruisset.

In luxum.

Adolescentẽ à gymnasio verbis corripuerũt acribus, q̃ viã nosset, quæ ducit ad portã, vbi in trivio colloqui homines solebãt. Cephisophontẽ professũ de quavis re per integrũ diẽ se dicere posse, vrbe eiecerũt, dicentes: Boni oratoris esse orationẽ rebus æqualẽ habere. Lacedæmone pueri per integrũ diem flagellis cæsi, sæpenumerò ad mortẽ vsq; apud Dianæ Orthiæ arã, læti alacresq; tolerãt, atq; inter se de victoria certãt, in eo posita, quis diutius magísq; perferat verbera: victorémq; summa consequif gloria. Certamẽ illud flagellatio dicif; & quotãnis habef. Vnũ hoc eximiũ & apprimè felix parasse videf Lycurgus ciuib. Ocij abvndè. nã artẽ attingere sordidã omnino ipsis nõ licebat: neq; opus erat laboriosa aut negociosa pecuniæ acquisitione, cùm plane omnẽ honorẽ & admirationẽ diuitiis iã ademisset.

Ocium.

Heilotes agros colebãt, ac antiquitus cõstitutos reditus pẽdebãt: cùm diris agendũ statuissent si quis pluris prędiũ locasset. causa erat, vt & heilotes lucrũ facientes eò libentius operã nauarẽt, & domini solito amplius non requirerẽt.

Auaricię obviam itum.

Cauit etiã lege, ne Spartani vel nautæ fierent, vel nauali prœlio pugnarẽt. Posteriorib. tamẽ tẽporibus, naualib. pugnis decertauerũt: maríq; imperio potiti, rursum destiterũt, videntes mores ciuiũ corrũpi.

Nautica res.

Sed & in hac re, & in aliis, incõstantes fuerũt. Aliquãdo enim qui pecunias Spartanis collegerant, morti fuerunt adiudicati. quòd Alcameni & Theopompo regib. oraculũ erat datum,

Nil Spartam perdet, nisi cara pecunia facta.

Auaricia.

Nihilominus Lysander captis Athenis, multum auri argentiq; intulit Lacedæmoni, probatúmq; eius id factũ & honor ei habitus fuit. Enimverò Sparta, quãdiu institutis Lycurgi stetit, iureiurãdúmq; ratũ seruauit: p̃ annos 1ↄ princeps Grecię fuit, cùm legũ bonitate, tũ gloria reliq̃s superior vrbibus.

Lycurgi legum vis.

Paulatim verò desciscẽtibus ciuib. diuitiarúmq; studio & iniqua auaricia irrepẽtibus: cùm vires deminutę sũt, tũ animi sociorũ maiorẽ in modũ abalienati. Et tamẽ isto rerũ suarũ statu, cùm Philippum Macedonẽ victoria ad Chæroneã potitũ, omnes Gręci terra maríq; ducẽ renũciasset, itémq; Alexãdrũ eius F. post subactos Thebanos: Lacedæmonij quanq̃ & muris carentẽ vrbẽ incolerẽt, & cõtinẽtib. bellis ad paruũ essẽt redacti numerũ, multóq; imbecilliores &

oppressu faciliores redditi, paucas admodum à Lycurgo latarũ legũ seruãtes reliquias, neq; his, neq; aliis deinceps Macedonum regibus socios se expeditionũ præbuerunt, aut in cõmune conciliũ se adiunxerũt, aut tributũ contulerunt, donec prorsum posthabitis Lycurgi legibus, tyrãnidi suorum ciuiũ subiecti, nihilq; priscorum institutorũ seruantes, pristina gloria & libertate amissis, reliquorum similes sunt facti, inque seruitutem redacti. Et nunc Romanis, sicvt & cæteri Græci, obediunt.

Spartæ ruina.

Lacænarum apophthegmata.

ARGILEONIS Brasidę mater, cùm occubuisset filius ipsius, & ab Amphipoli Spartã nõnulli profecti ipsam cõuenissent, quæsiuit ex eis, an honestè & Spartæ cõueniẽter Brasidas mortẽ oppetiisset. magnificè eũ prædicantibus, affirmantibúsq; præstãtissimũ eum Lacedæmoniorũ in id genus rebus gerẽdis fuisse, respõdit: Fuit, hospites, vir præclarus meus filius, sed multos Lacedæmon habet viros eo fortiores.

Modestè.

GORGO regis Cleomenis filia, cùm patrẽ Aristagoras Milesius magnæ pecuniæ pollicitatione ad bellũ pro Ionibus cõtra regẽ Persarũ suscipiẽdũ hortaret, ac quãto magis repugnabat verbis, tanto plura adderet: Corrũpet te, dixit, mi pater homuncio hic peregrinus, nisi eũ quamprimùm domo exturbas. Mandãti patri aliquãdo vt frumentũ cuidam mercedis loco daret, dicentiq; eũ sibi tradidisse rationẽ, qua vinũ mite redderet: proinde, inquit, mi pater, & vini plus exhaurieť, & bibentes magis luxuriabũt, eruntq; deteriores. Calceos vidẽs Aristagoræ à seruo subnecti: Pater, inquit, hospes hic manus non habet. Peregrinũ quendã molliter ac lentè accedentẽ depulit, inquiens: Non tu hinc te aufers, qui ne ea quidem potes, quæ mulieres præstant?

Vinum.

In molles.

GYRTIAS, cùm quodã tẽpore Acrotatus nepos ipsius in puerorũ conflictu multis acceptis plagis pro mortuo domũ referreť, domesticis & familiaribus plorãtibus, Non, inquit, tacebitis? ostẽdit quo sanguine ortus sit. neq; vociferari debent boni, sed medicinã applicare. Cũ è Creta nuncius esset de morte Acrotati allatus, dixit illa: An non debuit cùm ad hostes venisset, aut illos interficere, aut ipse mori? mihi quidẽ iucundius auditu est, seipso eum, patria, maioribúsq; dignam mortem oppetiisse, quàm vt longum tempus viueret vitiosè.

DAMATRIA filium ad se reversum, timidè & ipsa indignè se gessisse eum audito, interfecit. In hanc epigramma fertur tale:

Peccantem in leges Damatrion ipsa peremit
Spartanum, mater de Lacedæmoniis.

Alia Lacęna filiũ, qui ordines deseruisset, vt indignum patria necauit, inquiẽs: non mea est hæc soboles. de qua hoc extat epigramma:

I pessum proles mala nunc, tenebrásq; petitum:
Eurotas ceruis ne fluat vt timidis.
I catule, i mala sors pessum, manésq; petitum,
Indigno Spartæ sit malè: non peperi.

Alia cùm fuga seruatũ ex hostibus intellexisset filiũ, sic ad eũ scripsit. Mala de te fama spargiť. aut igitur hãc elue, aut viuere cessa. Alia, cùm filij è prœlio fugisset, & ad ipsã veniret: quò, inquit, perfugere voluistis mala mancipia? an huc (simul veste sublata ventrẽ nudatũ eis ostendebat) vnde existis, redituri? Quædã filiũ adventantẽ cernẽs, interrogauit quo loco res patriæ essent, cúmq; is respõderet, occidione ciues esse occisos, sublata eũ tegula petiit atq; interfecit, dicens: Ergo te infaustæ rei nunciũ illi miserunt nobis? Cùm quidã matri narraret fratrem honesta morte obiisse: Non, inquit, ea, turpe est talis te comitatus occasionem dimisisse? Quædam cùm quinq; filios in bellũ emisisset, stans in suburbio expectabat pugnæ exitũ. cúmq; ei quidam adveniẽs scitanti quid rei ageretur renunciaret filios omnes occubuisse: prauum, inquit, mãcipium, non hoc quærebam, sed quo loco essent res patriæ. cùm responderet, victoria suos potiri: ergo, inquit, mortẽ quoq; filiorũ non invita audio. Ad quandã, quæ filiũ sepeliebat, anicula accedẽs dicebat, Heu fortunã. tũ illa, Per Castores, inqt, propiciã. cuius.n. rei gratia eũ peperi, vt pro Sparta moreret, id sum cõsecuta. Ionicæ cuidã mulieri gloriãti de suo quodã precioso texto, Lacæna cõmõstratis quatuor suis filiis elegantissimis: Huiusmodi, inquit, esse oportet honestæ mulieris opera, hísq; eas sese iactare. Alia, cùm auditu accepisset filiũ peregrè malè se gerere, scripsit ei: Mala de te spargitur fama. aut abole eam, aut viuere desine. Affine huic est illud. Chij exsules cùm venissent Spartam, multa de PAEDARETO vulgabant crimina. acciuit

eos TELEVTIA mater, criminibúsque auditis, cùm sontem iudicaret filium, ita per epistolã compellauit. Mater Pædareto: aut viue rectiùs, aut isthic desperato Spartam reditu mane. Altera filio criminis alicuius causa in iudicium vocato, dixit: Aut crimen amolire, aut vitam. Alia claudum filium in pugnam emittens, Fili, inquit, ad singulos gressus virtutis recordare. Alia filio reuertenti à pugna, in qua vulnus in pede acceperat, & ex eo magnum percipiebat dolorẽ: Si, inquit, fili virtutis sis memor, & dolore leuaberis, & bono eris animo. Laco in bello ita erat sauciatus, vt cùm aliter nequiret, quadrupes cogeret incedere. ei, cùm puderet ipsum ita esse deridiculũ, mater: quãto, inquit, pręstat, de virtute gaudere, quàm ob risum fatuum pudore affici? Alia cùm filio aspidem traderet, eúmque ad rem bene gerendum hortari vellet: Fili, inquit, aut hanc, aut super hac. Alia filio in bellum proficiscenti porrigens scutum: Hoc, ait, pater tuus semper seruauit. itaque aut tu idem facito, aut peri. Alia filio dicenti paruum sibi esse gladium, Adde, inquit, gressum. Alia audito filium re probè gesta in acie cecidisse, Meus enim, inquit, erat. alterum audiens fuga ob timiditatẽ sibi salutẽ parasse, Non enim, inquit, meus erat. Alia cùm narraretur filium ipsius in pugna statione sua seruata cecidisse: Hunc, inquit, sepelite, inque ipsius locũ frater eius succedat. Alia cùm solenni pompæ ducendæ interesset, nũciato filium in prœlio victoria potitum è vulneribus quæ multa accepisset mori: non detracto serto, sed iactabunda proximis mulieribus dixit: Multo pulcrius est, amicæ, vincentem in acie mortem oppetere, quàm superstitem vincere Olympia. Cum quidã sorori narraret suæ, filiũ eius mortẽ generosè obiisse: respõdit ea: quantum eius nomine gaudij, tantum tui gratia mihi doloris accidit, qui comitatũ tam honestum non assecutus sis. Ad Lacænam mittebat quidã percunctatum, an vitio vellet adsentiri. respõdit ea, puellam se didicisse patri obtemperare, idque fecisse, mulierem autem viro. proinde si quid honestum peteret, primùm id liquidò declararet. Virgo inops interrogata quid dotis esset spõso allatura: paternam, inquit, pudicitiam. Lacæna interrogata an virum adiuisset: Non, inquit, sed vir me. Quædam occultè compressa virgo, cùm fetum interfecisset, tanta patiẽtia dolores pertulit, vocémque protinus inhibuit, vt & patrem & vicinos partus fefellerit: opprimente magnitudinem doloris metu dedecoris. Lacæna cum væniret, interrogata quid sciret, Fidelis, inquit, esse. Alia eadem conditione, cùm ex ipsa idem quæreretur: Noui, inquit, domum bene incolere. Quædã scitanti, Probáne esset futura si ipsam emeret: Sum, inquit, proba futura, etiã si non emas. Alia dũ venderet, præconi quid nosset quærenti: libera, inquit, esse noui. Cúmque emtor quædã ei iniungeret, nõ decentia liberã: hoc fata flebis, qui tibi tale possessionẽ inuideris, mortem sibi ipsa cõsciuit.

Castè.

Dos est magna, parentium Virtus, etc.

Horatius 3, 24.

Plutarchi De mulierum virtutibus liber.



ALIA est, ô Clea, de mulierum virtute mea, quàm Thucydidis sententia. Is enim ei primam laudem tribuit feminæ, de qua foris minimus est vel in bonam vel in malam partem sermo. cẽsens nimirum vt corpus, ita famam quoque bonæ mulieris domi inclusam esse, neque in publicum exire debere. Mihi autem elegãtior videtur Gorgiæ opinio, qui mulieris non formam, sed famam vult multis esse notam. Et Romanam legem maximè probo, quæ mulieres itidem vt viros post mortem publicè laudari pro dignitate iubet. Itaque optima Leontide vita defuncta, cùm statim, tunc mihi tecum colloquium fuit non expers philosophicæ consolationis: tum in præsentia quidquid restabat eorum, quæ ad docendum eandem esse viri ac mulieris virtutem differuntur, historica demonstratione tibi conscripsi. Non est hic noster commentarius ad voluptatem auditione parandã accõmodatus. sed tamen si exemplorũ hæc est natura vt persuadẽdo simul oblectent, oratio nõ abhorrebit à venustate demonstrationẽ adiuuante, neque verebit Musis admiscere Gratias, pulcerrimo (vt ait Euripides) cõiugio: maximè cùm ab animo honestatis cupido captet fidẽ. Agedũ. n. si dicentes eandẽ esse virorũ ac mulierũ artem pingendi, tales à mulieribus elaboratos proferremus picturas, quales Apelles, Zeuxis, aut Nicomachus reliquerũt: essétne qui nos reprǽhẽderet, ac gratificãdi & delectãdi maiorẽ nos, quàm fidẽ faciendi rationẽ habuisse diceret? non sanè opinor. Rursum si poëticam imitandíve artem eandem esse mulierũ & virorum affirmantes, Sapphûs carmina cum Anacreonteis, aut Sibyllæ cum Bacidis oracula cõpararemus, iusténe

Hercul. fur.

aliquis culpare demonstrationem posset, quòd gaudentem ea & voluptate affectum auditorem ad fidem proposito habendam adduceret? non profectò. Atqui similitudinem ac discrimen mulieris atque virilis virtutis aliunde rectiùs discere non possis, quàm si vitas vitis, & actiones actionibus tanquam magnæ artis opera componens, consideres eandémne habeant formam atque effigiem Semiramidis & Sesostris magnificentia, Tanaquilidis & Seruij regis calliditas, Porciæ magnanimitas & Bruti, Timocleæ & Pelopidæ, si ad vim istarum virtutum præcipuam respiciat. Alias enim quasdam differentias virtus, taquam colores quosdam peculiares accipit ob diuersitatem naturę, adsimilatúrq; moribus, temperiei corporis, cibo & viuendi rationi eius cui inest. Aliter enim fortis fuit Achilles, aliter Aiax: neq; prudentiæ Nestoris similis fuit Vlissis prudentia: neq; eodem modo iusti fuerũt Cato & Agesilaus: aliter maritũ dilexit Eirene quàm Alcestis: diuersa fuit ratio magnanimitatis Corneliæ & Olympiadis. Neque tamen eo adducimur, vt multas & diuersas constituamus fortitudines, prudentias, & iusticias: dum modò diuersitates singulorum nullam virtutem sua definitione excludant. Proinde exempla nimis trita, & quæ tibi (quippe versatæ in frequenti librorum lectione) cognita esse puto, in præsentia omittam, nisi siqua digna memoratu fugerunt eos qui ante nos vulgaria & publicè nota in litteras retulerunt. Quando autem mulieres multa præclara facinora cùm publicè tum priuatim ediderunt, pauca quædam de publicis referre operæprecium videtur.

TROADES.

Qui ab Ilio, cùm id euerteret, profugerunt, eorũ plerique tempestatis vi, & ob imperitiam nauigandi, marísque ignorationem ad Italiam sunt delati: & ad Tiberim fluuium ægrè portubus ac stationibus necessariis subvecti, pervagati sunt regionẽ, quærentes qui ipsis locorum istorum conditiones enarrarent. Interim mulieribus cogitatio incidit, qualemcunque sedem quavis in terra potiorem esse rectè suas res gerentibus hominibus quàm errores & nauigationem: patriámq; eam esse faciendam, cùm amissa recuperari non possit. Proinde conspiratione facta, naues cremauerunt, duce facinoris Roma, vt aiunt. Hoc facto, maritis opitulatum nauibus ad mare contendentibus occurrerunt, metuentésque iram eorum, aliæ maritos, aliæ necessarios amplexæ, blandéque deosculatæ sunt, eáque suauitate animos eorum deliniuerunt. Inde mos ortus est etiamnum durans, vt Romanæ feminæ cognatos osculo salutent. Nam necessitatem nimirum cernentes Troiani, simúlque humanos & benignos experti incolas eorum locorum, factum mulierum probauerunt, ibique cum Latinis habitauerunt.

Osculi mos.

PHOCIDES.

Phocidum facinus à nullo nobili scriptore commemoratur. sed virtutis laude nulli muliebri facto cedit. testimonium ei ferunt magna sacrificia quæ Phocenses hodiéq; ad Hyampolin peragunt, ac vetusta decreta. Singulas historiæ totius partes ego in vita Daiphanti perscripsi. Phocidũ res ita gesta est. Implacabile bellũ erat ortũ inter Thessalos & Phocenses. Hi enim principes ipsorum & tyrãnos in Phocicis vrbibus vna die vniuersos necauerant: illi autem CCL Phocensium obsides trucidauerant, omnibúsq; cum copiis per Locros in Phocidem irrumpebant, decretóque facto iubebant nulli adulto parcere, pueros & mulieres captiuos abducere. Ibi Daiphantus Bathyllij F. qui cum duobus collegis Phocensium reip. præerat, suis persuasit, vt ad pugnam conserendam Thessalis obviam irent: mulieres autem cum liberis vnum in locum ex vniuersa Phocide conducerẽt, eúmque congestis lignis cingerẽt, ac custodes adderent, mandato vt si suos victos sentirent, confestim materiam accenderent, ac corpora combvrerent. Hæc cum esset reliquorum sententia, vnus in concilio surgens, Aequum est, inquit, vt mulieres quoque istuc probent, alioquin omittendum est, neque vi eò sunt adigendæ. Qui sermo vt pervenit ad mulieres, ipsæ seorsim cõvenerunt, itáque fieri debere decreuerunt, Daiphantúmque coronauerunt, vt qui optimè rebus Phocicis consuluisset. Idem quoque pueros aiunt concione priuatim conuocata sciuisse. His ita actis, Phocenses ad Cleonas Hyampolidis cum hoste cõflixerunt, victoriáque sunt potiti. Decretum hoc Phocensium, Græci Aponœam, vtpote desperatis rebus audacter factum, appellauerunt. Omnium autem festiuitatum suarum maximam Elaphebolia Mineruæ Phocenses in hunc vsq; diem quotannis peragunt atque celebrant. vox à feriendis ceruis ducta est.

Daiphantus.

Thessali à Phocensibus victi.

Chiæ.

CHIAE.

Chij Leuconiam coloniam duxerunt tali de causa. Quidam in Chio non minimi nominis matrimonium contraxerat. cùm autem sponsa in curru duceretur, rex Hippoclus sponsi familiaris, qui vnà cum reliquis aderat, oborto ex ebrietate iocandi studio, in currum insiluit, non animo vllius iniuriæ faciendæ, sed communem consuetudinem lusúmque secutus. tamen hunc sponsi amici interfecerunt. Inde cùm Chij iræ diuinæ argumenta cernerent, oraculo consulto iussi sunt percussores Hippocli necare. cúmque vniuersos eius cædis sontes se esse diceret, vniuersos deus iussit vrbe excedere, siquidem vniuersi flagitio isto se obstrinxissent. Ita demum sontes, cædísque socios aut approbatores, vtcunque & multos & potentes, in Leuconiam deportauerũt. Hanc Coronensibus ademtam primùm cum Erythræis possederãt Chij. Postea tẽporis bello cum Erythręis Ionum potentissimis contracto, cùm hi ad Leucõniã ducerent exercitum, Chij impares se viribus videntes, pacti sunt excessuros se Leuconia, vnam tantũ quoque chlænã, vnámque tunicam secum auferente. Mulieres autẽ Chios obiurgabãt, quòd armis dimissis nudi per hostes essent exituri. cúmque hi dicerent iureiurãdo adhibito se id promisisse, monuerunt ne arma relinquerent, sed hostibus dicerent hastã esse loco chlænæ, clypeũ loco tunicæ viro animoso. Cùm obtemperassent Chij, liberéque adversus Erythræos locuti arma ostenderent: territi eorum audacia Erythræi sunt, nemóque eorum accessit aut prohibuit, sed discessum eorũ gratum habuerũt. Atque hi quidem à mulieribus edocti audere, hoc modo tum seruati sunt. Sed nihilo minoris virtutis facinus est Chiarum mulierum, longo pòst perpetratum tẽpore. Philippus Demetrij F. vrbem Chiorum oppugnans, superbum ac barbaricum edictum proposuerat, quo seruos ad defectionem ad se invitabat, pollicens iis dominarum coniugia & libertatem. Mulieres verò atroci atque effera correptæ ira vnà cum seruis, ipsis quoque vnà indignantibus & auxilium ferentibus, cum impetu in muros evaserunt, lapidésque *Seruorum fides.* & tela congerentes, ac pugnantes exhortantes & animantes, ipsæque etiam ad extremum hostem profligantes & telis impetentes, Philippum repulerunt: cùm quidem ad hunc nullus omnino seruorum transiuisset.

ARGIVAE.

Inter res à mulieribus publicè pręclarè gestas, nullum illustrius extat facinus certamine, quod Argiuæ pro patria adversus Cleomenẽ Telesillæ poëtriæ hortatu obiuerunt. *Telesilla.* Hanc ferunt nobili ortã familia, cùm esset corpore morbis obnoxio, deos de paranda bona valetudine cõsuluisse: oraculóque monitã vt Musas coleret, deæ obtẽperasse, studiúmque in carmina & harmoniã collocasse: & cùm morbo liberatam esse, tum ob poëticã in admiratione mulieribus fuisse. Cum Cleomenes Spartæ rex multis Argiuorũ occisis (fabula est quod quidã numerum eorũ perhibent IↃↃ CIↃ CIↃ IↃCC LXXVII.) ad ipsam vrbẽ duceret, impetus & diuinitus quędã iniecta audacia mulieres quæ ætate integra essent excitauit ad propulsandos à patria hostes. Proinde Telesilla duce arma capiunt, propugnacula occupant, muros corona cingunt, non sine admiratione hostium. Ac Cleomenem quidẽ repulerunt, multos suorum desiderantẽ. alterum regẽ Demaratum (vt Socrates ait) qui in vrbem pervenerat & Pamphyliacum occupauerat, vi exturbarunt. Hoc modo vrbe seruata, mulieres quæ in pugna ceciderãt, in via Argiua sepultæ sunt à ciuibus: superstitibus autẽ præmium virtutis dedicatio Martis concessa est. Pugnatum alij septima die, alij ipso in nouilunio tradunt mensis, qui nunc quartus, olim Hermæus, id est Mercurialis, apud Argiuos dicitur. Ea die etiam hodie Hybristica (id est contumeliosa) sacra agunt, mulieres virilibus tunicis & lænis, viros muliebribus vittis ac velis vestientes. Virorum penuriam vt exsarcirent, mulieres non (vt Herodotus narrat) seruis, sed vicinorum optimis in ciuitatem receptis coniunxerunt: quos illæ videbantur contemnere & ignominia afficere in concubitu. Itaque legem posuerunt, quæ nuptas barbam iubebat habere, quando cum viris concumberent.

PERSIDES.

Cyrus cùm Persas ab Astyage rege & Medis abalienasset, prœlio victus est. Persis autem fuga se ad vrbem recipientibus, cùm parum abesset quin simul hostes irruerent, occurrerunt ante vrbem mulieres, vestibúsque sursum ab inferioribus partibus attractis, dixerunt: quò fugitis omnium hominum pessimi? non quidem fuga hâc penetrare potestis, vnde exiuistis. Hoc spectaculũ, atque hæc vox pudorem incussit Per-

sis,seq; ipsos culpantes cōversi sunt,& instaurata pugna hostes fuderunt. Inde lex posita à Cyro est,vt quoties rex in vrbē intrat,singulis mulieribus aureus detur. Ochum ferunt,alioquin etiam prauum hominem & regum auarissimum, semper circumiuisse vrbem,neq; ingredi vnquā voluisse,itáq; mulieres dono defraudasse. Alexander verò bis intrauit,& grauidis duplum dedit.

CELTICAE.

Celtæ, antequàm Alpes transgressi Italiæ eam obtinerent partem quam nunc incolunt,è graui & implacabili discordia in bellum inciderant ciuile. Mulieres autem inter media arma progressæ,cognitis controversiis, tam dextrè eas & inculpatè diiudicauerunt,vt admirabilis earum ex arbitrio amicicia omnium cum omnibus per vrbes singulásq; familias exstiterit. Itaq; in posterum à Celtis mos seruatus est, vt consultationibus de bello & pace mulieres suas adhiberent, & lites cum sociis ortas earum opera disceptarent. Quare in suo etiam fœdere, quod cum Annibale icerunt, scripserunt:si Celtæ haberent quo nomine Carthaginienses accusarent,iudiciū fore Carthaginiensium ducum ac præfectorum in Hispania:si verò Carthaginiēses Celtis aliquid obiicerent,causæ cognitionem futuram penes Celtarum mulieres.

Celtarum cum Annibale fœdus.

MELIAE.

Melij cùm solo ampliore indigerēt, Nymphæo iuuene pulcerrimo coloniæ ducendæ præfecto, nauigauerunt, deo iubente ibi habitare,vbi à quibus portabantur amitterent. Accidit autē vt cùm ad Cariam nauibus applicatis egressi in terrā essent, naues tēpestate perderentur. Cares autē qui Cryassam incolebāt, siue inopiam eorū miserati,siue audaciam metuentes,habitare eos secū iusserunt, partéq; agri sui impertiuerūt. deinde,cum viderent eos breui temporis spacio magna fecisse incremēta,per insidias eos interficere statuerunt,conviuio ad hoc instructo. Fortè virgo quædam Caria, nomine Caphena,Nymphæum amabat. quæ cùm ista agerentur, non sustinens salutem amasij negligere, consilium ei ciuium aperuit. Cùm ergo Cryassenses venirent eos vocatum, respondit Nymphæus moris non esse Græcis,ad cœnam venire sine mulieribus.quo audito Cares,eas vt secum adducerent iusserunt. Tum Nymphæus re Meliis exposita, ipsos tunicatos & inermes secum ire ad cœnam iussit, mulierum autem quamque gladium sub sinu gestare & suo marito assidere. Sub mediam cœnam cum Cares tesseram dedissent, Græci articulum temporis rei gerendæ adesse sentientes, simul omnibus vxoribus sinus pandentibus gladios arripuerunt, barbarósque adorti vniuersos interfecerunt:agróque & vrbe ea potiti, aliam nouam condiderunt, Cryassamque nouam appellauerunt. Caphena autem Nymphæo nupsit, dignámque beneficio gratiam & meritos honores consecuta est. Digna autem est admiratione mulierum taciturnitas atq; audacia, & quòd nulla earum inter tam multas ne inuita quidem præ metu officium prodidit.

TYRRHENAE.

Tyrrheni cùm Lemnum & Imbrum occupassent, Atheniensium mulieribus Braurone abreptis filios procreauerunt, quos vt semibarbaros Athenienses insulis expulerunt. Hi cum Tænarum appulissent, Lacedæmoniis in seruili seu helotico bello vtilem præbuerunt operam,ideóq; ciuitate & matrimoniis dignati sunt. Quod autem in senatum & ad consilia non adhibebantur,venerunt in suspicionem quasi nouarum rerum moliendarum causa coirent. Itaq; à Spartanis cōpræhensi & in carcerem coniecti,accuratè custodiebantur, cupientibus liquidis & stabilibus eos convincere argumētis. Captorū verò vxores ad carcerē venerūt,multisq; obsecrationibus & precibus à custodibus impetrauerunt,vt ad maritos intromitterentur, salutaturæ eos & cōpellaturæ. Postquam intrò venerunt,celeriter viros secū permutare vestes iusserunt,muliebribúsq; in vestibus exire. Ita mulieres quidem paratæ ad omnia adversa in carcere manserunt,viros autem decepti custodes pro vxoribus dimiserunt. Exinde Tyrrheni Taygeta occupauerunt,helotésq; ad defectionē suámq; societatem pertraxerunt. quare Spartani cùm in magnū venissent metum,pacem cum iis per internuncios composuerunt,ea cōditione, vt receptis vxoribus, acceptáq; pecunia & nauibus discederēt, alibiq; agrum & vrbē nacti,coloni Lacedæmoniorū cognatiq; haberentur. Fecerunt hoc Pelasgi, Polli duce & fratre eius Crataida Lacedæmoniis. ac pars quidem eorum in Melo sedem fixit:pleriq; cum Polli in Cretam nauigarunt,oraculiq; eventum periclitati sunt.responsum enim fuerat,vbi deam & anchoram amisissent,fore finem errorum,

rum, ibiq; eis esse vrbem condendam. Cùm ergo ad locum Cretæ, qui dicitur Cherronesus (id est peninsula) appulissent, noctu panici terrores oblati iis sunt. quibus consternati tumultuaria festinatione naues conscenderunt, relicto in terra Dianæ simulacro, quod à maioribus acceperant Braurone in Lemnum advectum, & à Lemno semper secum circumtulerant. Cùm autem tumultu sedato nauigantes id desiderarent, Pollis, qui simul etiam anchoræ vnguem deesse senserat, (vi enim attracta anchora is in saxosis, vt apparet, locis abruptus erat) oraculum Pythiæ finem suum consequi iam dicens, signo dato retrò nauigauit in Cretam, occupauítque regionem, multísque pugnis cum vicisset hostes, Lyctum aliásque vrbes in suam potestatem redactas incoluit. Itaque Lyctij & Atheniensium se cognatos matrum causa ducunt, & Spartanorum colonos.

LYCIAE.

Fabulosum est quod evenisse in Lycia dicitur, quanquam ei fama testimonium ferat. Sic autem narratur. Amisodarus, quem Isaram Lycij nominant, ex colonia Lyciorum quæ apud Zeleam erat cum nauibus venit piraticis, duce Chimaro, homine bellicoso, cæterùm crudeli & effero. eius nauis in prora leonis, in puppi draconis habebat insigne. Multum is mali fecit Lyciis, infestúmq; habuit mare, vt neque nauigari hoc, neque maritimæ vrbes habitari possent. Hunc cum interfecisset Bellerophontes, fugientem Pegaso insecutus, & Amazones quoque eiecisset, nullam retulit ab Iobate gratiam, sed est ab eo iniustissimè tractatus. Itaque ad mare accessit, ac Neptunum precatus est vt Iobatæ regionem sterilem invtilémque redderet, votísque factis retrò discessit. Fluctus autem elatus terram inundauit: erátque atrox spectaculum, cùm sublime mare sequeretur eum & agros occultaret. Cùm deprecantes viri Bellerophontem non mouerent, mulieres occurrerunt ei, tunicis sublatis corpora denudantes. itaque præ pudore eo retrò recedente, fluctus quoque (vt aiunt) simul recessit. Alij fabulam vitantes, non exsecrationibus mare ab eo adductum dicunt: sed cum pinguissima pars planiciei ad mare esset humilior, supercilium montosum, quod præter litus maris porrectum vndas arcebat, fuisse à Bellerophonte perruptum: cúmque mare vi inferretur, & planiciem illuuie tegeret, viros Bellerophontem deprecando nihil impetrasse, mulieres autem facto agmine circumfusas obtinuisse vt ipsas reveritus iram poneret. Sunt qui affirment, Chimęram illam poëtarum fabulis nobilitatam, mõtem omnino fuisse Soli oppositum, in quem Solis radij cùm reflecterentur, & æstum vehementem ac quasi igneum in planiciem retorquerẽt, factum esse vt fruges marcescerent. Bellerophontem autem causa mali intellecta, pręcipitij eam partem quę erat lęuissima, & maximè Solis radios reflectebat, excidisse. cúmq; ei non haberentur gratiæ, iratum ad vlciscendum Lycios se contulisse, à mulieribus autẽ fuisse placatum. Nymphis quarto de Heraclea libro causam adfert à fabula maximè remotam. Aprum, qui in agro Xanthio animalia & fructus perderet, fuisse interemtum à Bellerophonte, neq; ei vllam relatam gratiam. Itaque eum Xanthios fuisse exsecratum, impetrasseq; vt totum solum salsuginẽ emitteret, terræq; amarore indito omnes fruges corrumperentur. idq; durasse, donec mulierũ victus reverentia deprecantium, Neptunum exorauerit vt finem iræ faceret. Atq; hinc legem esse apud Xanthios, vt non à patribus, sed à matribus nomina sumant.

Bellerophontis fabula.

Chimæra.

Lex de nominibus.

SALMANTICAE.

Cùm Annibal Barcæ F. antequam bellum Romanis inferret, in Hispania Salmanticam vrbem magnam oppugnaret, metuentes sibi oppidani, promiserunt imperata se facturos, daturósq; Annibali CCC argenti talenta, & CCC obsides. vt Annibal ab obsidione destitit, mutata Salmantici sententia promissis non steterunt. Itaque reversus est, vrbémq; diripiendam militibus proposuit. Ibi tum prorsus perterriti barbari, pacti sunt, vt liceret liberis corporibus discedere tunicatis, relicta vrbe, armis, opibus, & mancipiis. At mulieres ratæ in viros inquisitum singulatim, se exploratum non iri, gladiis sumtis occultatísq; viros exeuntes comitatæ sunt. Egressis omnibus Annibal custodiæ causa Masæsylios addidit, ínq; suburbio eos his stipatos continuit: reliqui promiscuè vrbem diripuerunt. Masæsylij autem magnam agi prædam cernentes, continere se amplius, aut captiuorum custodiæ intenti esse non potuerunt: sed indignè suam ferentes sortem, ipsi quoque abiuerunt vt prædæ partem peterent. Interim mulieres viros suos exhortatæ sunt clamore, eísque gladios tradiderunt.

atque adeò nonnullæ ipsæ custodes sunt adortæ: inter quas vna Bannoni interpreti hastam eripuit, eâque ipsum, quamvis thorace indutum, feriit. viri aliis fugatis, aliis occisis, frequentes vnà cum mulieribus effugerunt. Annibal nuncio rei accepto insecutus, quos in fuga arripere potuit, necauit: reliqui montes cùm attigissent, cæde evitata, postmodo supplicibus missis deprecatoribus, gratia impunitatéq; impetrata, in vrbem ab eo sunt reducti.

MILESIAE.

Milesias virgines quodam tempore, atrox animi & absurda incessit perturbatio. qua de causa, incertum: nisi quod putabatur aëris temperies veneno infecta, & ad insaniam excitandam parata, mutationem istam animorum atque abalienationem effecisse. Subitò omnes mortis cupiditas, & ad vitam suspendio finiendam furiosus impetus egit. & multæ clàm consecutæ sunt quod volebant. Verba & lacrymæ parentum, amicorúmque alloquia nihil agebant, sed sese interficiendis omnem ipsas custodientium industriam atq; calliditatem vincebãt. ita vt calamitas diuinitus immissa, & remediis humanis videretur validior, donec quidam homo prudens legem promulgauit, quæ iuberet omnes quæ sibi suspendio mortem consciuissent, nudas per forum efferri. Hæc lex sancita, non inhibuit modò, sed & omnino aboleuit illam qua virgines laborabant mortis cupiditatem. *Verecundia.* Magnum verò argumentum est bonæ indolis ac virtutis, metus ignominiæ: & quod nihil formidãtes mortẽ ac dolorem, quæ omnium maximè terribilia habentur, turpitudinis tamen imaginationem non pertulerunt, neque sustinuerunt dedecus post mortem ipsis eventurum.

CIAE.

Cianis virginibus mos erat, vt ad sacra publica coirent, diémq; vnà exigerent. proci autem ludentium & choreas ducentium spectatores erant. sub vesperam autem singularum domos adibant, invicémq; parentibus & fratribus inseruiebant, adeò vt pedes eorum abluerent. *Castus amor.* Sæpe eandem plures amabant, ita modestè atque legitimè, vt puella vni desponsa, reliqui statim eam amare desinerent. Muliebris autem huius modestiæ, vt in summa dicam, hic fuit fructus, quod apud Cianos annorum I Ɔ C C spacio neque adulterij vllius, neque virginitati oblati extra matrimonium vitij mentio vlla fuit.

PHOCIDES.

Cùm Phocensium tyranni Delphos occupassent, contráq; eos à Thebanis bellum, quod Sacrum vsurpatur, gereretur: Baccho addictæ mulieres, quas Thyadas vocant, furore correptæ, actæq; per noctem erroribus, imprudentes Amphissam venerunt: vtq; erant defatigatæ, nec dum ad sese redierant, corporibus sparsim in foro demissis obdormiuerunt. Amphissensium autem vxores veritæ, ne quia multi tyrannorum milites ea in vrbe, Phocensibus nimirum fœdere iuncta, aderant, iniuria aliqua Bacchis fieret: in forum vniuersæ procurrerunt, tacitæq; in orbem adstantes, neq; aggressæ dormientes, somno solutis aliæ aliis operam dederunt, cibúmq; obtulerunt, tandémq; à maritis hoc impetrauerũt, vt eas tutò deductas ipsæ ad fines vsq; comitarent.

VALERIA & CLOELIA.

Lucretiam, viri vxorem illustris & genere regibus propinqui, vsus eius hospitio mulieris quidam de filiis Tarquinij, eius qui cognomine Superbus, à Romulo septimus rex Romæ fuit, vi constuprauerat. hæc re amicis atque necessariis indicata, confestim seipsam iugulauit. Hoc flagitium, & virtus mulieris, Tarquinium regno eiecit. Pulsus cùm alia multa gessit bella, conatus regnũ recipere: tum Porsenæ Etruscorum principi persuasit, vt magno cum exercitu ad Romam expeditionem faceret. Romani simul & bello & fame pressi, cognito Porsenam non bello tantum, sed & iusticia atque humanitate præclarum esse, arbitrium huic causæ Tarquinianæ detulerunt. Contumaciter hoc Tarquinio recusante, ac dicente Porsenam iustum arbitrum non fore, si in fide societatis non persisteret: eo omisso Porsena hoc egit, vt Romanorum amicus, quem hi Etruscis ademerant agro, captiuísque receptis, discederet. datis ei hanc ob rem obsidibus decem pueris, totidémque puellis, tametsi nondum confectis pactis, omnem statim belli apparatum dimisit. Virgines, quas obsides datas dixi, cum sub lauandi præscriptione ad fluuiũ aliquantulum longiùs à castris processissent, vna earum Clœlia ipsas exhortante, tuniculis circũ capita alligatis, ausæ sunt fluuium vastum atque vorticibus profundis periculosum magno cum labore tranare, invi-

invicem sese tenentes, ægréq; vlteriorem in ripam evaserunt. Sunt qui Clœliam dicunt nactam equum, eo conscenso sensim transiuisse, aliísque natantibus ducem se præbuisse, & animum verbis adiecisse, opémque tulisse. quo hi vtantur argumento, mox dicetur. Romani vbi eas saluas rediisse videre, audaciam quidem & virtutem admirati sunt, reditum tamen non probauerunt, neque vinci se fide ab vno homine sustinuerunt. Itaque additis qui deducerent in castra eos Porsenæ remiserunt. cum transiissent fluuium, parum abfuit quin per insidias à Tarquinio interciperentur. consulis tamen Poplicolæ filia Valeria cum tribus famulis occupauit in castra Porsenæ effugere: reliquas Porsenæ F. armis statim suppetiis latis ex hostibus eripuit. Adductas ad se conspicatus Porsena, quæsiuit quænam autor fuisset huius consilij. tum Clœlia, reliquis, quòd ei metuerent tacentibus, ipsa de sese indicium professa est. Magna autem admiratione permotus Porsena, equum egregiè ornatum adduci iussit, eo Clœliam donauit, vniuersásque benignè & humanè suis remisit. Hoc signo multi docere volunt, Clœliam equo amnem traiecisse. Alij hoc negant. sed Porsenam aiunt, virtutem eius audaciámque muliebri maiorem admiratum, dignatum esse dono quod bellatori conveniret viro. Sanè equestris statua posita est mulieris in via sacra. ab aliis ea Clœliæ, ab aliis Valeriæ attribuitur.

Fidei exẽplum, & aliud humanitatis.

MICCA & MEGISTO.

Aristotimus auxilio regis Antigoni tyrannide, quam in Eleos occupauerat, cõstabilita, iniquè admodum atq; immoderatè sua vsus est potentia. quippe homo natura ferus, barbarísq; stipatoribus corpus tyrannidémq; eius tutantibus convenis seruiens præ metu, multa ab iis in ciues cõtumeliosè, multa crudeliter facta dissimulabat. Quo in numero fuit Philodemi calamitas. Huius enim filiam formosam, Miccam nomine, quidã tyranni peregrinis militibus aliquot dux præfectus Lucius, cõtumeliæ inferendæ magis studio quàm amore ductus cùm cuperet corrũpere, misit qui eam accerserent. Parentes quidem necessitatem animadvertentes, ire eam iubebant. Micca verò, vt erat generosa indole, animóq; magno, patrẽ amplexa suppléxq; obsecrari, pateretur potiùs mori ipsam, quàm ita turpiter atque iniustè virginitate spoliari. Interiecta mora, ipse Lucius libidine ac vino ebrius, inter potandum prosiluit iratus. cúmq; Miccam invenisset caput inter patris habentem genua, sequi se iussit. detrectanti vestem deripuit, flagrísq; eam cecidit, tacitè dolores perferentem, cùm pater & mater postquam deprecando & flendo nihil se proficere sentirent, deos hominésq; testarentur atrocia se & iniqua pati, tandem barbarus ira & crapula planè in furorem actus, virginem, vt in patris tum sinu faciem habebat, confodit. Neq; hoc animum tyranni flexit facinus. sed & multos interfecit, & plures iis in exsuliũ eiecit. nam octingenti ad Aetolos venisse dicuntur extorres, flagitantes vt se in vxoribus & liberis à tyranno auferendis iuuarẽt. Paulò pòst Aristotimus vltrò proposuit edictũ, quo mulieribus, si quę vellẽt, permittebat proficisci ad maritos, ac de dotalibus bonis quantũ vellent secum ferre. Vbi sensit omnibus gratum esse hoc edictũ, (nam amplius I Ͻ C erant quæ se ad iter parabant) diem definiit ad quã confertim irent, tutum se iter ipsis præbiturũ simulans. Cùm dies appetiisset, & mulieres ad portã convenirent, pecuniámq; congererent, & pueros aliæ in vlnis gestarent, aliæ curribus imponerent, ac se invicẽ præstolarentur: subitò multi à tyranno immissi satellites, eminus clamore elato eas manere iusserunt: cum autẽ appropinquassent, mulieribus vt retrò abirẽt imperauerunt, currúsq; & vehicula invertẽtes per ipsas retrò impulerunt nihil cuiquã parcẽtes, & neq; abire, neq; manere, aut infantibus opitulari sinentes: quorũ alij curribus excidẽtes peribãt, alij curribus supervehẽtibus delapsos elidebantur. deniq; eas vniuersas cum clamore & flagris tanquã oues mutuò sese trudentes & evertentes in carcerẽ compulerunt, & pecuniã ad Aristotimum retulerũt. Hanc rem cùm grauiter ferrẽt Elei, Baccho sacræ mulieres, quas sedecim vocant, supplicibus ramis & stemmatibus dei sumtis in foro obvias sese Aristotimo tulerunt, decedentibúsq; ob reverentiam stipatoribus, tacitæ primùm adstiterunt, supplicatorias frondes prætendentes. At Aristotimus, simul atque deprecari eas pro mulieribus sensit, stipatoribus iratus & cum clamore exprobrans quòd eas passi essent accedere, effecit vt alias trudendo, alias verberando è foro exigerent. vnamquanq; porrò duobus talentis mulctauit. His ita actis, Hellanicus Elide consilium de opprimendo tyrãno agitauit, re cum aliis composita: homo quem vt senem & duobus filiis orbatum, ideóq; nihil quicquã acturum tyrãnus negligebat.

ſimul etiã exſules ex Aetolia traiicientes, in agro Eleo Amymonam locum commodã arcem bello futurum occuparunt, cõpluréſq; ciuiũ Elide profugientes ad ſe receperunt. Ariſtotimus, cui metũ iſta obiiciebant, ad captiuas ſe contulit, rémq; terrendo ſe faciliùs quàm gratia confecturũ ratus, mandauit vt miſſis ad maritos litteris diſcedere ex ea regione iuberent: ni facerent, vniuerſas ſe contumelioſè vexatas necaturum, liberis antè interfectis, minitans. Cùm aliquandiu inſtaret atq; dicere iuberet an facturæ eſſent quod poſtulabat, reliquæ nihil reſpondentes, intuitæ ſunt ſeſe mutuò, tacita invicem benevolentia ſignificantes, nihil ſe metuere, neq; minis his terreri. At Megiſto Timoleontis vxor, & cùm mariti, tum propriæ virtutis cauſa cæterarum facilè princeps, non dignata aſſurgere, neq; reliquas paſſa, ſedens tyranno reſpondit. Si vir eſſes cordatus, non vtiq; de viris cum mulieribus colloquereris: ſed ad ipſos, vt qui in nos ius habent, miſiſſes meliori inventa oratione, quàm qua nos decepiſti. quod ſi autem deſperato te iis perſuaſurum, noſtra opera imponere illis moliris: neq; ſperare debes te nobis denuò verba daturum, & abſit tam nullius ij conſilij vt ſint, vt dum parcant mulieribus & infantibus ſuis, patriæ prodant libertatem. non enim tantum mali eſt nos amittere, quibus quidem aliàs carent, quantum boni eſt ciues tua ſæuicia & inſolentia liberare. Hæc fata Megiſtone Ariſtotimus animi impos, filium eius adferri illicò iuſſit, ante oculos matris eum necaturus. quem cùm quærerent miniſtri inter alios ludentem & lucta ſe exercentem, mater eum nominatim vocans: Ades huc, inquit, fili, & antequam ſentias ac intelligas, liberare acerba tyrannide. mihi enim difficilius fuerit ſeruientem te indignè, quàm morientem cernere. Ariſtotimum verò ſtricto gladio ipſam iam matrem impetiturum, iráq; concitum in eam ruentẽ, Cylo vnus de familiaribus, cui tyrannus fidem habebat, cùm quidem is ipſum odiſſet, ſociúſq; factæ ab Hellanico conſpirationis eſſet, reſtitit, eúmq; avertit orans, monénſque, Indignum fore hoc ipſo, & muliebre factum, non conveniens principi viro & rerum gerendarum gnaro: itaque vix tandem Ariſtotimus, cùm ad ſe rediiſſet, inde abiit. Magnum verò oſtentum ei factum eſt. Cùm enim meridie cum vxore cubaret, prandiúmque eſſet paratum, viſa eſt aquila in aëre ſe librans ſupra domum, ac quaſi prudens & dedita opera lapidem iuſtæ magnitudinis in eam partem tecti deiecit, vbi erat cubiculum in quo iacebat Ariſtotimus. ſimul autem déſuper ingenti ſonitu exiſtente, & foris clamore ſublato ab his qui auem viderant, perterritus tyrannus re cognita vatem acciuit, quo ſolebat aſſiduè in foro vti, perturbatúſque interrogauit quid iſto ſigno portenderetur. Vates bono ipſum eſſe animo iuſſit, quòd excitatus & adiutus eſſet à Ioue. ciuium autem quibus fidebat, iis dixit, vindictam tyranni capiti impendere, ac iamiam illapſuram. Itaque etiam Hellanico viſum eſt non cunctandum, ſed poſtridie rem gerendam. Nocte iſta Hellanicus per quietem imaginatus eſt alterum filiorum ſuorum mortuorum ſibi adſtare, ac dixiſſe: Pater, quid tibi accidit vt dormires? cras te ciuitatis ducem eſſe oportet. Hoc ille ſomnio confirmatus, ſocios ad inſtitutum exequendum cohortatus eſt. Et Ariſtotimus audito Craterum auxilij ſibi ferendi gratia Olympiæ cum magno exercitu caſtra habere, tantum concepit audaciæ, vt abſque ſtipatoribus in forum Cylone comitante deſcenderit. Hellanicus occaſione conſpecta, teſſeram, qua data ad irruendum ſuos è compoſito fuerat hortaturus, non protulit: ſed ambas intendens manus, clara voce, Quid ceſſatis, inquit, viri boni? præclarum eſt hoc theatrum in medio patriæ certaturis. Primus ibi Cylo enſe ſtricto quendam comitum Ariſtotimi feriit. Thraſybulo autem & Lampide adverſis ſeſe ei inferentibus Ariſtotimus fuga in Iouis templum evaſit. Hic eum interfecerunt, & cadauere in forum protracto, ciues ad libertatem vocarunt. Neque verò multum anteverterunt mulieres ſuas. ſtatim enim eæ procurrerunt cum gaudio & eiulatu, viríſque circumfuſæ eos coronauerunt. Deinde multitudine ad tyranni domum confluente, vxor eius cubiculo clauſo ſeſe ſuſpendio vita eduxit. Erant tyranno duæ filiæ, virgines adhuc & forma pulcerrima, iámque nuptiis tempeſtiuæ. has Elei captas foras protraxerunt, omnino quidem necaturi, ſed prius excruciare ac contumeliis afficere volentes. Quibus occurrens cum aliis Megiſto vociferata eſt, Indignum verò eos facinus meditari, qui populum ſe profitentes liberum, facinora libidinoſorum tyrannũm imitentur. Multis dignitatem mulieris reverentibus, liberè loquentis ac plorantis, placuit omiſſis contumeliis, ipſis

Fortitudo mulieris.

Oſtentum.

Somnium.

ipſis

psis vita sese exeundi permittere potestatem. Cùm intrò adductas virgines iussissent absque mora necem sibi consciscere, maior natu Myro cum zonam solutam collo circundedisset, sororem consalutauit, hortatáque est vt se imitaretur, ne (inquiens) abiectè nobísque indignè finiamus vitam. Iuniore precante vt sibi prius moriendi copiam faceret, cingulúmque appræhendente, Neque antè, inquit, quicquam tibi oranti denegaui, & nunc hanc quoq; tibi facio gratiam. ego autem id, quod morte ipsa mihi est grauius, tolerabo, spectans te carissima me prius morientem. Proinde cùm docuisset sororem cingulo ceruicem elidere, vt mortuam vidit, deposuit atque texit. ipsa autem Megistonem orauit, vt curam sui gereret, neq; pateretur mortuam se indecorè collocari. Itaque inter eos qui aderant nemo fuit ita acerbus, nemo ita infensus tyrannis, qui non defleret aut miseraretur virginum egregiam indolem. Hæc exempla rerum à mulieribus publicè præclarè gestarum de innumeris pauca hæc sufficiant. Singularum autem pulcra facinora sparsim vti sese nobis offerent referemus: nihil arbitrati temporum ordine præsentem indigere narrationem.

PIERIA.

Ionum, qui Miletum se contulerant, nonnulli ob natam cum Nelei filiis discordiam Myuntem sunt profecti. quibus ob defectionem Milesij bellum multáque damna intulerunt. Neq; tamen id bellum omnino induciis commerciisq; carebat, sed quibusdam festis diebus mulieres Myunte Miletum commeabant. Erat inter Myuntios Pythes quidam vir illustris, eiq; vxor Iapygia, filia Pieria. Is cùm festiuitas Mileti in honorem Dianæ esset, & sacrificium, quod Neleium dicebatur, eò vxorem & filiam misit, precatas vt ei se pateretur interesse festiuitati. Ibi Phrygius Nelei filiorum potentia primus amore Pieriæ flagrans, cogitare cepit quidnam prestare posset ei quammaximè gratum. illa verò significauit, nihil sibi fore acceptius, quàm si efficeret, vt frequēter sibi Miletum & multis comitatæ venire liceret. Sensit Nymphius, amiciciam suis eam ciuibus ac pacem expetere, bellúmq; pacauit. Ex eo celebris vtraq; in vrbe, inq; honore fuit Pieria: ac mulieres Milesiæ etiamnum optant ita se amari à viris, vt Pieriā amauit Phrygius.

POLYCRITA.

Propter Neæram Hypsicreontis Milesij vxorem bellū inter Naxios & Milesios ortum fuit. Ea enim cùm amaret Promedontem Naxium mariti sui hospitem, corpus cū eo miscuit, veritáq; iram mariti, cum eo in Naxum nauigauit. Eam Promedon supplicem Vestæ collocauit. Naxiis autem mulierem sub præscriptione supplicationis in gratiam Promedontis non dedentibus, bellum quod dixi, conflatum est. Milesiis cùm alij multi, tum Ionum studiosissimè Erythræi auxilia tulerunt, bellúmq; hoc tractum magnis calamitatibus, tandē virtute mulieris finitum est, sicuti ceperat mulieris ob prauitatem. Diognetus Erythræorum dux munitionem quandam sibi commissam tenebat, opportunè admodum contra Naxiorum vrbem sitam. itaq; & magnam Naxiis prædam abstulit, & mulieres ac virgines liberas. Harum vnam, nomine Polycritam, amore captus, secum non vt captiuam, sed vxoris loco habuit. Euenit vt in castris Milesiorum dies ageretur festus. ibi cùm omnes poculis essent ac conuiuiis deditì, rogauit Diognetum Polycrita, vt liceret sibi fratribus partes placentarum mittere. cúmque is permitteret ac iuberet, plumbeam tabellam placentæ inseruit, mandato ei qui eam fratribus adferebat, vt solos vesci iuberet fratres iis quæ mittebat. Hi cùm offendissent tabellam, & legissent quæ scripserat Polycrita, (hortabatur autem vt noctu hostes adorirentur, ob ebrietatem festo die contractam planè socordia dissolutos) rem ducibus Naxiorum significauerunt, & permouerunt vt secum exirent rei gerendæ causa. Occupato à Naxiis castello, multísque hostium interfectis, Diogneto precibus Polycrita à ciuibus impetrauit salutem. Ipsa autem ciuibus ad portam occurrentibus magno cum gaudio, collaudantibúsq; & serta ferentibus, magnitudine læticiæ exanimata, in ipsa porta cōcidit mortua. atq; ibi sepulta est, & monimentum eius vocatur Liuoris tumulus: quod inuidia quadam fortunæ fascinata Polycrita putaretur meritis honoribus non potuisse frui. Hæc Naxiorum historicorum est narratio. Aristoteles captam Polycritam fuisse non dicit. sed conspectam à Diogneto, sui eum amore irretiuisse, ipsúmque promisisse omnia se, vt ea potiretur, dare ac facere paratum esse. at Polycritam se ad ipsum venturam pollicitam, si vnicū quippiam ab eo

Astutè factum.

Mors ex gaudio.

obtineret, fuisse. cúmq; id iureiurando interposito Diognetus confirmasset, tradi sibi Delium postulasse, (id enim castello nomē erat) aliter se morem gesturam ipsi negasse. victum amore Diognetum, & iureiurandi permotum religione, Polycritæ castellū, hócq; eam ciuibus tradidisse. Ita Naxios rursum Milesiis pares viribus factos, pacem in suas leges confecisse.

LAMPSACE.

Codridæ genere, patria Phocæenses fuerūt duo gemini fratres Phobus & Blepsus. quorum Phobus primus à Leucadibus petris in mare se dedit, vt Charo Lampsacenus scriptum reliquit. Is Phobus, vir potentia & dignitate præditus regia, cum nauigasset Parium suorum causa negociorum, amiciciam & hospitij ius contraxit cum Mandrone Bebrycum rege, eorum qui Pityoëssenses cognominantur, eiq; à vicinis bello infestato auxilium tulit. Mandro autem nauibus avehenti Phobo cum alia detulit officia, tum partem vrbis agriq; largiturum se promisit, si Phocæorum coloniam liberet Pityoëssam deducere. Phobus cum id consilium ciuibus probasset, fratrem misit, qui colonos eò deduceret. Stetit sanè promissis Mandro. Sed Phocæi, cùm spoliis, præda, opibúsq; magnis è finitimis barbaris potirentur, invisi primùm, pòst etiam terrori Bebrycibus fuerunt. Cupientes itaq; iis liberari, cùm Mandro homo probus & iustus persuaderi sibi nō pateretur vt mala fide cum Græcis ageret, peregrè eo profecto moliti sunt, quomodo eos per dolum necarent. Lampsace autem Mandronis filia virgo, cum insidias prænosset, primum à facinore hoc amicos & domesticos avertere dictis aggressa est, impiam docens eos rem & atrocē perpetraturos, si benefactores, & quorum auxiliis in bello vsi essent, eósq; iam ciues, interficerent. vbi non persuasit, occultè Græcis quid ageretur detexit, vtqúe sibi cauerent monuit. Phocæi sacrificio quodam & conviuio apparato, Pityoëssenos in suburbium evocauerūt: ipsi in duo diuisi agmina, altero vrbem occuparunt, altero homines trucidauerunt. Sic vrbe potiti, Mandronem acciuerunt, vt de suis consilium vnà caperet: Lampsacénq;, cum ea ex invaletudine mortua esset, magnificè in vrbe sepeliuerunt, cui & ab eius nomine Lampsaci nomen imposuerunt. Vt autem Mandro proditionis vitans suspicionem, habitare cum ipsis recusauit, petiítq; vt mulieres liberiq; defunctorum ad se mitterentur: Phocæi absq; omni maleficio studiosè eos miserunt. & Lampsacæ cùm initiò heroicos honores habuissent, postmodò vt numini sacrificandum decreuerunt, idq; decretum adhuc ratum est apud eos.

ARETAPHILA.

Aretaphyla Cyrenæa, non ita prisca fuit, vt quæ belli Mithridatici tempore vixerit: sed virtute & rebus gestis comparari cū heroidibus posse meruit. Filia fuit Aeglatoris, vxor Phædimi, illustrium virorum, forma egregia, prudentia singulari, & rerum ciuilium dextrè gerendarum non ignara. Hanc communes patriæ calamitates illustrem reddiderunt. Nicocrates enim occupata in Cyrenæos tyrannide, cùm alios ciuiū multos interfecit, tum sua manu Melanippum Apollinis sacerdotem, idq; sacerdotium ipse invasit. Maritum quoq; Aretaphilæ Phædimum interemit, & ipsam inuitam vxorem duxit. Infinitis aliis contra leges institutis adiecit hoc. custodes ad portas vrbis constituit, qui mortuos quotquot efferentur violarent, mucronibus eos pungentes, & materiam ardentem applicantes: ne quis ciuium sub mortui specie clàm efferri vrbe posset. Enimverò Aretaphilæ cùm propriȩ calamitates molestæ erant: (quanquam tyrannus ob amorem ipsius, quo subactus erat, maxima potentiæ parte frui eam sineret, mulieriq; huic soli cicurem & mansuetum se præberet, durissimus alioqui & efferus) tum apprimè patriæ vicem dolebat, indignis modis atrocia patientis. Iugulabatur enim ciuium vnus post alium, neq; erat vnde vltio sperare tur: cùm exsules timidi planè atq; infirmi, hinc inde dispersi essent. Itaq; Aretaphila spes patriæ in se solam recipiens, æmulatione quadam Thebes Pheræ æ pulcrorum egregiorúmq; conatuum, adiutoribus tamen fidelibus & domesticis (quales huic res ipsæ suggesserūt) destituta, venenis maritum interficere aggressa est. Quam ad rem dum se parat, materiam cogit, & vires paratorum periclitatur, non fefellit delato indicio, & argumentis perquisitis, Calbia Nicocratis mater, femina ad cædes natura procliuis atq; implacabilis, censuit statim interficiendam esse, priùs tamen contumeliosè tractatam, Aretaphilam. Nicocratis autem iræ moram iniiciebat viresq; adimebat amor: eiq; affectioni excusationem parabat, quòd Aretaphila animosè criminibus se opponebat, & sese defendebat.

Tyrannidis singulare exemplum.

Quæ

Quæ vbi vidit se convinci, neq; locum esse veneficij negandi, fassa venenum se, non tamen exitiale, parasse: magnis, inquit, est mihi de rebus certamẽ. qua enim gloria fruor, quáque potentia ob tuam erga me benevolentiam, ea me invisam multis reddidit malis mulieribus. quarum ego metuens veneficia & technas, animum induxi cõtrà quædam moliri: fatua fortassis, & muliebria, mortis tamen non digna supplicio. nisi fortè tibi iudici videbitur vxor interficienda amatorij gratia veneficij, quod amplius, atque tu velles, diligi voluerit. Visum est Nicocrati Aretaphilam hoc modo se defendentem quæstioni subiicere, præsidente tormentis Calbia immiti implacabiliq; muliere. At enim Aretaphila in cruciatibus ita sibi constitit, adeóque invictam se præbuit, vt ipsa tandem Calbia invita & defatigata concesserit, ac Nicocrates fide innocentiæ sibi facta, missam vxorem fecerit, torturæq; pœnitentia ductus sit. Exiguo autem intermisso tempore, statim amore superatus ad eam venit, benevolẽtiámque blandiciis & honoribus reparans, eius vsus est consuetudine. Illa verò, quæ tormentis ac doloribus nihil fracta esset, demerendo se everti passa nõ est: sed ad studium honestatis accedente quadam pulcri propositi tenendi pervicacia, rem alia via instituit aggredi. *Callidè.* Filiam habebat satis elegante forma, & iam viro maturam. hãc tyranni fratri Leandro submisit, vt eum inescaret, adolescentem qui voluptatibus propositis facilè caperetur. fama tenet, Aretaphilam præstigiis & veneficiis vsam ita comparasse filiam, vt adolescentẽ ei manciparet, ac de sanæ mentis vsu dimoueret. Postquam in casses incidit, precibúsque multis à fratre impetrato matrimonio est potitus: partim eum puella à matre docta instigare ad libertatem ciuitati reddendam, quando in tyrannide ne ipsi q̃dem libero esse, aut ducendæ retinendę́ve vxoris potestatem habere liceret: partim amici Aretaphilæ gratificantes subinde calumnias ei adversus fratrem aliquas & suspiciones suggerere. Leander vbi Aretaphilam sensit eadem consilia tractantem, negocium aggressus Daphnidem famulum subornauit, qui Nicocratem iussu ipsius necaret. Deinceps autem Aretaphilæ animum non advertit, sed factis illicò demonstrauit fratricidam se esse, non tyrannicidam: cùm stolidè & insolenter rebus præesset. Erat tamen Aretaphilæ suus apud eum honor atque potentia, non inimicam se gerenti, neque palàm repugnanti: sed occultè suas res disponenti. Ea primùm adversus Leandrum cõcitauit bellum Africum, pellecto Anabo quodam regulo ad incursandam regionem hostiliterque ad vrbem accedendum. Deinde amicos & duces apud generum culpauit, vt ad bellum non alacres, sed pacem magis quietémque requirentes. quam quidem etiã flagitare tyranni res aiebat, si firmum in ciues vellet obtinere imperiũ. se quoque promittebat pacificationem confecturã, & Anabum ad colloquendas cum eo res adducturam, si ita iuberet, priusq; immedicabile aliquod damnum eo ex bello acciperet. Mandante sic vt ageret Leandro, priùs ipsa cũ Afro est collocuta, magnisq; donis & multa ꝓmissa pecunia impetrauit, vt tyrannum ad colloquiũ venientẽ à se comprehensum iri polliceret. At verò Leander cunctari, & tamẽ verecũdia Aretaphilæ, interfuturam sese colloquio dicentis, ꝑmotus, absq; armis & præsidio exire: ac vbi propius accessisset, cõspecto Anabo tergiversari, & stipatores operiri cupere. socrus cõtrà præsens eum quà cohortari, quà incusare: ac tandẽ cum mora necteret, manu iniecta audacter planè ac proteruè ad barbarũ adducere, eíq; tradere. Leander confestim abreptus ab Afris, compræhensus, vinctúsq; est adseruatus, donec ꝓmissam mercedẽ Aretaphilæ amici, comitantibus reliquis ciuibus, attulerunt. Horum enim pleriq; re nunciata, ad locũ colloquio destinatũ excurrerunt: & conspecta Aretaphila, parum abfuit quin iræ in tyrannum obliti, supplicium de eo sumere aliis rebus posthaberẽt. atq; adeò primum hunc libertatis ceperunt fructum, nihilq; aliud eo duxerunt antiquius, quàm vt eam læti flentésq; salutarent, tanquã simulacro alicuius dei circumfusi. aliis aũt supra alios affluentibus, vix tandẽ sub vesperam recepto Leandro in vrbem reverterunt. Ibi postquam honorãda & laudanda Aretaphila cupiditati suæ satisfecerunt, ita demum ad tyrannos conversi, Calbiam viuam cremauerunt, Leandrum culleo insutum in mare abiecerunt. ab Aretaphila autem contenderunt, vt gerendæ gubernandæq; reipublicæ sociam sese adiungeret optimatibus. Illa verò, tanquam si variam & multis constantem partibus in theatro fabulam vsque ad coronæ donationem peregisset, simul atque liberam esse vidit ciuitatem, continuò in gynæceum sese recepit, omníque rebus tractandis se admiscendi repudiato studio, reliquum ætatis inter stamina cum amicis & familiaribus exegit.

CAMMA.

Inter Galatiæ tetrarchas potentissimi erant Sinatus & Sinorix, genere etiam invicē propinqui. Erat Sinato vxor, quam virginem duxerat, Camma nomine, non formæ duntaxat præstantia & ætatis flore spectabilis, sed multo magis ob virtutem in admiratione habita. non enim pudica modò & mariti amans fuit, sed & prudens & magnanima, ac propter mansuetudinem benignitatémq; subditis mirificè accepta. augebat etiam splendorem, quòd Dianæ, quam deam maximè colunt Galatæ, sacerdos, semper in sacris pompis & apud sacrificia magnificè ornata spectabatur. Eam cùm deperiret Sinorix, & neq; pellicere neque vim facere viuo marito posset, facinus ausus immane, Sinatum dolo necauit: exiguóq; interposito temporis spacio, Cammam ambiuit, in fano frequenter degentem, casúmq; mariti non abiectè aut miserabiliter, sed animosè ferentem, prudentérq; intentam occasioni vlciscendi Sinorigis. Is verò assiduis ambiebat mulierem precibus, videbatúrq; ei non prorsus deesse honesta in speciem oratio: aliis se in rebus præstantiorem fuisse Sinato, ac interfecisse eum non malicia, sed amore Cammæ impulsum. Illa initiò non admodum asperè denegare, ac deinde paulatim molliri videbatur. nam & amici ac familiares instabant, Sinorigem cuius maxima erat potentia demerentes, suadebántq; vt assentiretur & vrgebant. Tandē concessit Camma, & ad se venire Sinorigem iussit, vt coram dea matrimonium stipularentur invicem. Venientem blandè excepit, & ad aram adduxit, cúmq; deæ libasset è patera, reliqui partem ipsa hausit, partem ei ebibendam propinauit. erat aūt mulsum veneno infectum. Postquam bibisse eum vidit, claro sublato eiulatu deam adorans: Te, inquit, venerandissima dea, testem invoco, huius me diei causa vitam à morte Sinati produxisse, tanto tempore nullum ex ea fructum adeptam pręter spem vltionis. quam consecuta nunc ad maritum meum descendo. Tibi verò omnium scelestissime hominum, loco thalami & nuptiarum apparent sepulcrum tui. Hæc cùm audiuisset Sinorix, & agere iam venenum, corporíq; motum inferre sentiret, vehiculum cō scendit, vt agitatione & concussione sibi mederetur. statim autem eo relicto in lecticam se posuit, ac vesperi est mortuus. At Camma cùm per noctem durasset, audito eū viuendi finem fecisse, læto animo exspirauit.

STRATONICA.

Eadem Galątia Stratonicam Deiotari, & Chiomaram Ortiagontis vxores protulit, dignas memoratu. Stratonica cum esset sterilis, maritúmq; legitimos liberos quos hæredes regni relinqueret desiderare sciret, persuasit ei, vt alia ex muliere prolem susciperet, sibíq; eam subderet. Deiotaro sęntentiam admirante, vxoríq; arbitrio rem totam permittente: formosam ea ex captiuis virginem Electram nomine adornauit, & Deiotaro copulauit: natósque ex ea liberos tanquam suos amanter ac magnificè educauit.

CHIOMARA.

Quo tempore Romani duce Cn. Manlio vicerunt Gallos Asiaticos, qui iidē Gallogræci dicuntur & Galatæ, vsu venit Chiomaræ vt inter alias ipsa quoq; duceretur captiua. Qui ea potitus erat centurio, homo & libidinosus & auarus, pudicicíæ eius vim fecit. Victus deinde pecuniæ cupiditate, cùm mulier corporis sui liberandi gratia magnam ei vim auri pollicita esset, eduxit eam ad locum, qui amne secabatur. hunc cùm transiuissent qui eam redemtum venerāt Galatę, datóq; auro Chiomaram recepissent, vni eorum illa innuit, vt centurionem, qui ipsam tum amplectens valedicebat, percuteret. cúmq; is paruisset, & caput occiso amputasset, Chiomara id gremio involutum secum abstulit, cúmq; ad maritum venisset, ante eum proiecit. & mirante eo, ac dicente, O mulier, præclara res est fides: omnino, inquit: sed id pulcrius est, vnum tantum viuere qui mecum rem habuerit. Cum hac muliere Polybius scribit se collocutum Sardibus, miratúmq; fuisse animi magnitudinem eius ac prudentiam.

MVLIER PERGAMENA.

Mithridates Galatarum præstantissimos LX sub amicicíæ specie Pergamum evocatos cùm tractaret contumeliosè ac pro imperio, omnésq; id indignè ferrent: Toredorix Tosioporum tetrarcha, vir & corpore robustus, & animo magno præditus: in se recepit, velle se Mithridatem, quando is in gymnasio pro tribunali sedens ius diceret, arreptum cum tribunali in convallem præcipitare. Cùm forte fortuna Mithridates in gymnasium ea die non adscendisset, Galatásque ad se domum suam vocaret: bono

idem

idē animo suos esse iussit,cúmq; cōvenissent, vndiq; in eum impetum facere, corpúsque eius divellere. Non fefellit hoc Mithridatem,sed re ex indicio cognita Galatas vnum post alterum iugulandos tradidit. Deinde recordatus adolescentis inter eos cuiusdam, qui elegantia formæ reliquis antecedebat æqualibus omnibus, miserabatur eum,ac factum mutabat,satísq; præ se ferebat,ægrè se interitum eius ferre, quem inter primos necatum fuisse putabat.misit tamen qui viuum relinqui iuberent si nondū periisset.Nomen adolescenti Bepolitanus erat: eique mirabilis casus evenit. cum enim compræhenderetur, pulcram & preciosam gestabat vestem, quam dum sibi puram à sanguine seruare cupit carnifex,ideóq; paulatim detrahit,vidit regis nuncios accurrere, nomen Bepolitani clamātes.Ita huic auaricia,quæ multos perdidit,insperatā attulit salutem. Toredorix autem occisus,& sepultura cadaueri proiecto negata est. Muliercula autem Pergamena, cum qua is viuus consueuerat,ausa est mortui corpus cōponere & humare.quam custodes depræhensam ad regem adduxerunt.Fert̄ sane Mithridates aliquantulum fuisse cōspectu puellæ affectus,cùm iuuencula planè simplex videretur: magis tamen inflexit animum, quod causam ei facinoris fuisse amatoriam audiebat. itaq; ei permisit, vt vestitu & ornamentis de bonis ipsius sumtis auferret ac sepeliret Toredorigem.

TIMOCLEIA.

Theagenes Thebanus de ciuitate eādem cum Epaminonda, Pelopida,alijsq; optimis viris sectatus sententiā,in cōmuni Græciæ ad Chæroneam clade occubuit,cū iam vicisset & persequeret̄ sibi oppositos.Is enim fuit,qui vociferanti, Quovsq; persequeris? respondit, Vsq; ad Macedoniam.Mortuo ei soror superfuit,quæ testaret̄ & ipsum virtute generis & natura magnum illustrémq; factum virum.huic tamen mulieri cōtigit fructum percipere suæ virtutis præclarum, vt tanto faciliùs ferret quātum in ipsam ex publicis redvndauit calamitatibus. Cùm enim Thebas in potestatem redegisset Alexander,alijq; alias vrbis partes pervagantes diriperent,domū Timocleæ occupauit homo nihil minus quàm modestus,sed insolēter iniurius atq; stolidus,Thracicię cuiusdam turmæ dux,Alexandri cognominis,sed planè cætera dissimilis. Is neq; genus, neq; vitā mulieris reveritus,cum sese vino impleuisset à cœna,dormire Timocleā secū coëgit.neq; hunc iniuriarum finem fecit, sed præterea aurum argentúmq; reqrebat, si quid horum ea reconditi haberet,adhibitis partim minis, partim pollicitationibus, q̄ habiturum se eam perpetuò vxoris loco diceret. Illa ansam ab eo sibi præbitam arripiens:Vtinam verò,inqt,hāc noctem mors mea antevertisset: vt omnibus rebus pditis saltem corpus contumeliæ inexpertum conseruassem.nunc quando res ita acta est, & te diuinitus mihi tutorem, dominū,virúmq; datum existimare debeo,non spoliabo te tuis rebus.nam me qdem id futuram video,quod tu volueris. Habui mundū muliebrem,& pocula argentea,nōnihil etiam auri & nomismatis.cùm aūt vrbs caperet̄, ancillis mandaui vt omnia convasarent,abiecíq;, aut potiùs deposui in puteum aqua carentem paucísq; notum.est enim tectus operculo,vmbrosúmq; circa nemus occultat. Hæc tibi accipienti fausta sint:mihi qdem apud te erunt argumēta & indicia fortunarum ac splendoris familię meæ.His auditis Macedo, non exspectata die confestim ad locum perrexit ducente Timoclea,ac hortum claudi iussit ne quis sentiret,tunicatúsq; in puteum descēdit.Horribile aūt eum ducebat ad supplicium parca, irrogante id Timoclea.superne enim adstans,cùm è voce sensit eum in imo esse, multos ingessit lapides,multos etiā magnósq; advolutos ancillæ iniecerunt,donec eum contuderunt atq; obruerunt saxis.Macedones vbi de ea re facti sunt certiores,sublato cadauere,cùm iā edictum esset ne quis Thebanorum occideret̄,captam Timocleam ad regem adduxerunt,facinúsq; narrauerunt. Alexander ex vultus constantia,lentóq; incessu grauitatem generosamq; indolē ratiocinatus,principio quæsiuit quęnam esset mulier.Illa verò impauidè prorsus & confidenter, Mihi, inqt, frater fuit Theagenes q ad Chæroneā dux exercitus & contra vos pro libertate Græciæ dimicans cécidit,ne quid nobis tale accideret.cùm aūt perpessa sim genere meo indigna,mori nō recuso.potius enim hoc est, quàm viuentem aliam talem experiri noctem,nisi tu id prohibeas.Humanissimus quisq; adstantium ad hęc lacrymas emisit.Alexandro miserari mulierem,vt miseratione superiorem, non subiit. admiratus autem virtutem, orationémq; qua satis grauiter se notatum sentiebat,ducibus mandauit vt attenderent præstaréntque, ne porrò talis contumelia familiæ alicui illustri inferretur.Timocleam autem dimisit, omnésque qui eam cognatione attingere inventi sunt.

Vltio diuina.

ERYXO.

Batti, eius qui Felicis cognomentum tulit, filius fuit Arcesilaus, moribus patri nequaquam similis. Nam & viuens eum pater talento mulctauerat, quòd propugnacula ædibus suis circumposuisset: & mortuo patre, cùm & ingenio esset aspero, (vnde & cognomen ASPERI reperit) & amico malo vteretur Laarcho, pro rege tyrãnus fuit. Laarchus autem cùm affectaret tyrãnidem, ac Cyrenæorum optimos aut pelleret vrbe aut interficeret, culpam in Arcesilaum conferebat: tandémq; eum in morbum grauem ac tabificum propinato lepore marino coniecit, vitáq; exuit: & ipse imperium occupauit, Batto eius filio id se adseruare prætendens. Filius porrò Arcesilai & quia claudus erat, & propter ætatem contemnebatur: matrem eius magni faciebant plerique, feminam pudicam atq; humanam, & familiaribus multis potentibúsq; stipatam. Itaq; eam Laarchus demerẽs, nuptias ipsius expetebat, promittebátq; se ea ducta Battum adoptaturum, & socium regni habiturum. Eryxo (ita enim appellabatur mulier) re cum fratribus deliberata, Laarchum cum his agere iussit: se fingens assentiri. Laarcho cum fratribus Eryxûs locuto, cùm rem illi de industria traherent, morámque producerent, Eryxo ancillam ad eum mittit, nunciátq;: Fratres in præsentia repugnare. quòd si secum concubuisset, finẽ eos dissentiendi facturos, & concessuros nuptias. veniret itaq; ad se noctu, si videretur: facto enim initio, reliqua facilè successura. Voluptati hæc fuerũt Laarcho, animóq; ob blandicias mulieris vana spe protinus inflato, venturum se vbi ipsa iussisset, pollicitus est. Hæc autem Eryxo agebat Polyarchi, qui fratrum natu erat maximus, consilio. Constituto coitus tempore, Polyarchus occultè in cubile sororis introductus est, stipatus duobus adolescẽtibus gladios tenentibus, pœnásq; de nece patris exacturis, quem Laarchus recens interfecerat. Laarchus ergo ab Eryxone vocatus, absque stipatoribus venit, & ab irruentibus gladiísq; ferientibus adolescentibus interfectus est. Cadauere trans murum eiecto, Battum productũ regni paterni successorem declarauerunt, pristinámq; reipublicę constitutionem Polyarchus Cyrenęis restituit. Aderant ea tẽpestate permulti milites Amasidis regis Aegyptiorum, quorum fideli opera vsus Laarchus, & propter eos non minimè terribilis ciuibus fuerat. Hi ad Amasin miserunt, qui Polyarchum & Eryxonem accusarent. Is cùm indignaretur, ac de bello Cyrenæis inferendo cogitaret, matrem eius mori contigit: iustáq; ipso faciente, renunciatum est illud Cyrenam. Placuit itaq; Polyarcho sui excusandi gratia ad Amasidem proficisci: cúmque Eryxo vnà ire ac periculum obire vellet, mater etiam Critola, quantumvis vetula, comitem se adiunxit, maximæ autoritatis mulier, vtpote soror Batti quondam Felicis. Postquam in Aegyptum venerunt, cùm aliis maiorem in modũ causam suam probauere, tum ipse Amasis maximo opere pudiciciam fortitudinémq; Eryxonis est amplexus. donísque honoris gratia affectos & regio more tractatos Polyarchum ac mulieres Cyrenam remisit.

XENOCRITA.

Aristodemus. Non minorem admirationem meret Xenocrita Cumana, ob facinus in Aristodemum tyrannum. Qui Mollem hunc à mollicie cognominatum putant, ignoratione veri id faciunt. Fuit enim Mollis dictus à barbaris, quasi Ephebus: quod adolescentulus admodum inter æquales adhuc comam alentes, quos (vt apparet) coronistas à coma dicebant, in bellis contra barbaros claruit, non audacia modò & opere militari, sed calliditate etiam ac providentia vsus singulari. Itaque à ciuibus in admiratione habitus, & ad maxima imperia evectus fuit. Romanis quoque missus est suppetias adducens, cum ij bello vrgerentur ab Etruscis Tarquinium Superbum in regnum restituere conantibus. In ea expeditione, quæ diu durauit, omnia in gratiam militum agens, magísque popularem captãtis fauorem quàm ducis personam gerens, persuasit eis vt se in invadendo senatu, eiiciendísque vrbe Cumana optimis potentissimísque ciuibus adiuuarent. Inde potitus tyrannide, iniuriis quas in mulieres & ingenuos pueros exercebat, omnia sua superauit flagitia. Memoriæ enim proditum est, masculos eum pueros condocefecisse vt comam alerent, aurúmq; gestarent. mulieres autem coëgisse vt tonderentur rotundè, chlamydes epheborum gestarent, & tuniculas perbreues. Erat Xenocrita quædam Cumis, puella patre nata, qui tum in exsilium actus erat. Hanc Aristodemus singulari amore ardens secum habuit, non adductam aut persuadendo conciliatam sibi, sed ratus vtcunque gratum futurum puellæ, quòd cum tyranno viueret, & à ciuibus suspiceretur ac beata putaretur. At Xenocritam hæc nihil mouebant.

sed

sed cùm molestè ferebat se nullis pactis nuptialibus, absq; vlla desponsione cum viro degere, tum eorum qui tyrannum oderant libertatis patriæ cedebat desiderio nemini. Fortè tum eo tempore Aristodemus fossa regionem quandam ambiebat. quod opus neq; necessarium erat neq; vtile, tantùm ad vexãdos laboribúsq; atterendos ciues excogitatum. Erat enim singulis certa mensura egerendæ terræ designata atq; imperata. * vt vidit accedentem Aristodemum, declinauit, tunicáq; faciem velauit. eóq; digresso cùm adolescentes per iocum & illudendi gratia quærerent, q̃d esset causę, quòd solum præ pudore fugeret Aristodemum, neq; aliis maribus eodem modo afficeref: planè serió respondit, Solus enim inter Cumanos Aristodemus vir est. Ea vox cùm omnes tangeret, generosos etiam pudor instigauit ad recuperandæ libertatis studium. Et quidem ipsam Xenocritam aiunt cùm hoc inaudiuisset, dixisse: Malle se quoq; pro patre, si ei reditus esset in patriam datus, terram portare, quàm in tanto luxu & potentia cum Aristodemo viuere. Hæc confirmauerunt eorum animos, qui principe Tymotele in Aristodemum cõspirauerant. cúmq; eis aditum securum præberet Xenocrita, & Aristodemum inermem atq; custodiæ expertẽ: non magno negocio irruerunt, eúmq; trucidauerunt. Hoc modo Cumæ duarum mulierum virtute libertatem receperũt: altera cogitationem eis rei gerendæ, stimulúmq; iniiciente, altera ad rem conficiendã auxilium ferente. Cùm autem magni honores & dona ampla Xenocritæ offerrentur, omnibus ea repudiatis hoc petiit, vt Aristodemi cadauer sibi sepelire liceret. Neque hoc tantùm à ciuibus impetrauit, sed & Cereris eam sacerdotem fecerũt: rati hunc honorem non minus gratum deæ, quàm Xenocritæ decorum fore.

PYTHIS Vxor.

Pythæ quoq; vxor, qui Xerxis ætate vixit, à sapientia & humanitate commẽdatur. Inciderat (vt aiunt) maritus eius in metalla auri: & quas inde consequebatur diuitias, non moderatè amplexus, sed inexpleti animi studio persequens, cùm ipse supra modũ ei negocio vacabat, tum vniuersos ciues eò adductos ex æquo fodere, aut egerere, aut purgare aurũ cogebat, omnib. aliis actionibus operibúsq; prorsum neglectis. Multis tum pereuntibus, omnibúsq; animũ despõdẽtibus, mulieres ad ianuam Pythis vxoris sese contulerunt, ibíq; de more supplicationis signum deposuerunt. Ea, discedere his, & bono esse animo iussis, aurifabros, quibus maximè fidebat, ad se acciuit, domíq; inclusos iussit panes, bellaria, poma, & alios cibos quibus maximè delectari Pythen nouerat, ex auro omnia conficere. Iuerat tum fortè Pythes peregrè. Qui vt domum rediit, cœnámq; poposcit, auream ei mulier mẽsam apposuit, nullo esui apto cibo, sed omnibus aureis instructam. Cum initio delectatus artificio naturam imitante, satur spectaculi posceret cibum: quodcunq; peteret, id aureum ei mulier attulit. Indignanti, & esurire se respondenti: atqui, inquit, harum tu nobis rerum copiam, nullius præterea parauisti. omnia enim artificia, omnis vsus aliarum rerum desertus est. agros nemo colit, & posthabita satione, plantatione, alimentorúmq; è tellure cõparatione, fodimus inutilia ac quærimus, nobis ciuibúsq; extremã exhibentes molestiam. Permouit hęc oratio Pythem: & quanq; à secturis aureis non planè destitit, cõtentus tamen quinta ciuium parte ad hãc rem, reliquos agriculturę & artibus incumbere iussit. Is Pythes cùm Xerxem in Græciam proficiscentẽ splendidissimè excepisset, donísq; amplissimis demeritus esset, hanc sibi petiit à rege fieri gratiam, vt cùm plures haberet filios, vnus eorum immunitate militiæ donaret, qui domi manens senem patrẽ curaret. Xerxes verò iratus, hunc vnũ, quem sibi relinqui pater orauerat, iugulari ac dissecari iussit. castrísq; motis reliquos omnes abduxit eius fratres: qui omnes diversis in prœliis perierunt. Qua ex re cum magnũ animi dolorẽ cepisset Pythes, idẽ in se est expertus, q̃d vitiosis solet fatuísq; evenire hominibus. Nam & mortẽ timebat, & vitã ægrè tolerabat. cúmque & viuere nollet, & vitã proiicere nequiret, hoc egit: Agger in vrbe erat magnus, pérq; eam amnis labebaf, quem Pythopolitẽ nominabãt. Eo in aggere monimentũ sibi parauit, fluuiíq; alueum ita avertit, vt delapsu suo sepulcrum attingeret. opere perfecto, vxori vrbem imperiúmque omne commisit, mandato ne ad monimentum accederet, sed sibi quotidie cœnam lintri impositam per amnem demitteret, tantisper dum linter cum cibo intacto sepulcrum prætervcheretur: hoc si eveniret, tum mittendi facere finem, séque mortuum sciret. Hoc ille modo vitæ reliquum consumsit. Vxor autem rebus præclarè præfuit, ciuibúsque malorum mutationem parauit.

Stultè auari exitus.

Aquáne, an ignis sit vtilior.

Initio Olymp. 

INDARVS pronunciauit, aquam esse rerum optimam, aurum autem flagrantem ignem. is ergo palàm posteriorem locum igni assignauit. Adstipulatur huic Hesiodus, ita scribens:

Principio factam Chaos est. ——

nam voce Chaos pleriq; eum existimant expressisse aquam ob diffusionem, quæ est Græcis chysis. Cæterùm testium in vtranq; partē æqualia sunt momenta. Sunt enim qui ignem vniuersi principium esse pronunciant, eúmq; tanquam semen & gignere ex sese omnia, & in sese facta conflagratione recepturum. Omissis itaq; autoribus, rationes ipsas consideremus in vtrā nos partem inclinent.

Pro aqua. Nónne autem id vtilius est, quo semper continentérq; indigemus, & quidem plurimo? quomodo supellex, aut instrumentum, atq; adeò amicus aliis præfert, qui nobis quavis hora & ad quasvis occasiones vtēdi prȩstò est. Atq; ignis non semper vtilis est: & aliquando eum molestè ferimus atq; amolimur. Aquæ & hyeme & æstate, tam sanis quàm ægrotis, noctu diéque, denique nunquam non vsus est & opus. nimirum enim mortui hinc alibantes dicuntur, quòd humore careant, ideóq; vita sint priuati. Deinde absq; igni multa fuerunt: sine aqua nullus vnquam homo. Est verò id quod initiò statim & ab ipso ortu hominum exstitit, vtilius eo quod postea tēporis inventum fuit. liquet enim illud naturam nobis vt rem necessariam dedisse, hoc ob vsus supervacaneos studio machinationéq; partū esse. At verò dici nō potest quādo aqua caruerint homines: neq; eius inventor deorum aliquis aut heroum perhibetur. Ignis vsus nuper adeò, vt aiunt, à Prometheo est repertus. ita sine igni, non absque aqua vita fuit. Et non esse hoc à poëtis confictum, nostra demonstrat vita. Sunt enim quædam hominum gentes, absq; igni vitam degentes, domibus focísque carentes, & sub diuo agentes.

Diogenes. Quin & Diogenes cynicus minimè igni est vsus. qui etiam polypum crudum deglutiens, Tantum, dixit, pro vobis adeo periculum. Absq; aqua autem neq; commodam, neq; omnino tolerabilem quisquam putauit vitam. Quanquam, cur in has me cōiicio angustias? cùm infinitæ sint aliæ naturæ, quæ solo ferè homine ignis vsum sciente, absque igne nutriuntur & viuunt pascentes, volantes, repentes, aluntúrq; fructibus, radicibus, carnibus, sine igni. Sine aqua autem nihil viuit neque marinum, neque aëreum, neque terrestre. & ipsa illa carnivora animalia, quæ bibere Aristoteles negat, mero tamen humore vitam sustentant. Est autem omnino id vtilius, absque quo nulla constat aut perdurat natura. Transeamus nunc ab his quæ vtuntur, ad ea quibus nos vtimur, stirpes inquam & fructus. Horum alia prorsus expertia sunt caloris, quædam exiguam eius & obscuram habent partem. Humor autem omnibus, quorum stirpes terra continentur, nascendi, augescendi, fructúmque ferendi suum causa est. Iam quid attinet me enumerare vinum, oleum, & alia quæ vindemia nobis suggerit, aut quæ mulgemus, & in promtu sita cernimus? quando ipsum quoque triticum, quod alimentum siccum putatur, mutatione, putrefactione, diffusionéq; humoris nascitur. Porrò autem vtilius hoc est, quod nunquam nocet. Ignis verò facilè perniciem affert: aquæ natura nusquam est damnosa. Inter duo id quoque vtilius censetur, quod minimo apparatu suum exhibet vsum. Atqui ignis vsus sumtum materiámq; desiderat: ideóque magis eo diuites & reges vtuntur, quàm pauperes & priuati. Habet autem aqua id humanis vsibus commodum, quòd æqualiter omnibus prostat, & similiter non indiget instrumentis, non supellectile, nihil extra sese desiderat, bonum est seipso perfectum. Ad hæc, minus vtile est, quod multiplicatum suam vtilitatem amittit. quod sanè igni accidit tanquam feræ voraci, et obiecta insumenti, & quia arte magis scitáque moderatione quàm suapte natura sit vtilis. Ab aqua nihil vnquam timēdum est. Præterea de duobus illud vtilius iudicat, quod cum altero coniungi potest. Sed ignis quidem aquam non recipit, neq; eius communione prodest. Aqua autem igni adscito conducibilis est. nam aquæ suapte natura calidæ remedium habent adversus morbos ipsis etiam sensibus manifestum. Et ignem profectò humidum nusquam reperies. aqua autem tam calida quàm frigida, humanis apta est vsibus. Adde, quòd cùm quatuor sint elementa, aqua quintum, vt sic loquar,

Mare. ex se produxit elementum, mare puta, quod vtilitate illis inferius non est, cùm alias ob

res

res, tum ob hominum commercia. Vitam enim nostram agrestem alioqui & cõmerciorum expertem hoc elementum coniunxit ac perfecit, mutuis auxiliis directam, ac permutationibus cõmunitatem amiciciásq; conciliantem. Heracleti est, si sole careremus, noctem nobis futurã ꝑpetuam. Licet aũt nobis eodem modo dicere: absq; mare fuisset, animal fuisset homo omnium animalium ferissimum et impudentissimum. Nũc mare ab Indis vitem Græcis advexit, & transmarinis frumenti vsum è Græcia attulit, & è Phœnicia litteras memoriæ adversus obliuionem remedium acciuit. vinum quoque apportauit. deniq; maior hominum pars ne absq; fructu & institutionis exsors esset, præstitit. Quomodo ergo non sit vtilior aqua, quæ elemento excedit ignem? An verò potiùs pro igne dicendi aliqs hæc habeat argumenta. Quatuor elementa deus vniuersi conditor ad omnium rerum effectionem constituit. *Pro igni.* quæ elemẽta rursum hoc ipso differunt, quòd aqua & terra materiæ instar subiiciuntur effectioni, ac finguntur: eóq; ornatũ & ordinem, adeóq; vt sint & procreent consequunt, quòd ab aëre & igne tanquam artificibus formãtur: & cùm antea tanquam mortua iacerent, ab his ortus sui initium habent. Ignis verò in efficientibus causis dignitate hîc præstat. Quod dixi, inductione potest intelligi. Terra enim absq; calore, sterilis est, & infrugifera. ignis sua eruptione & vi diffundendi materiam turgentẽ fertilem reddit. Quam enim aliam adferes causam, cur saxa & aridiores montium partes steriles sint, quàm q̀ ignis vel nihil, vel parum nanciscuntur? In vniuersum autem, tantum abest vt aqua ex sese sufficiat aliis rebus generandis aut conseruandis, vt ipsa quoq; igne destituta pereat. Calor enim est, qui quemadmodum cæterarum rerum formam naturámq;, ita aquę etiã conseruat. & calore deficiente, putrescit aqua: ita vt aquę interitus ac quasi mors sit penuria caloris. Nimirum enim palustres aquæ, & aliæ quæ non profluunt, aut exitu carentibus in cauitatibus inclusæ tenent, vitiosæ sunt, ac ad extremum putrescũt: q̀ motum, cuius agitatione calor in rebus fouet atq; conseruat, habent nullum. Cõtrà aquas quæ maximè feruntur atq; concitant, viuas vocamus, q̀ in iis calorem motus continet. *Aqua viua.* Quomodo aũt duabus rebus ratione vtilitatis comparatis, hæc non præferat, quæ efficit vt sit altera? q̀d qdem ignis aquæ confert. Enimverò vtilius est id, quo prorsus summoto animal perit. liquet enim id, quo sublato res interit, causam fuisse ei, vt subsisteret in natura. At humor etiam cadaueribus adest, neq; omnis abolet. alioqui non putrescerent humida corpora: cùm putrefactio sit sicci in humidum mutatio, aut potius humidi in carne corruptio. Tum ipsa mors nihil est aliud, quàm omnis caloris priuatio. vnde fit vt frigidissima sint cadauera. adeò, vt sua frigiditate hebetent acies nouacularum admotas. Quin etiam in ipso animali quæ minimum sortita sunt caloris, minus etiam habent sensus. vt (verbi gratia) ossa & capilli, & quæ à corde absunt longius. Ferè enim sensus largior minórve adesse intelligitur, pro eo atq; caloris in re plus est aut minus. Stirpes qdem & semina, non humor ꝑducit, sed calidus humor. frigidæ enim aquæ aut minus sũt frugiferę, aut prorsus steriles. Quòd si suapte natura fertilis esset aqua, omnino oportebat ipsam quoq; ex sese proferre fructus. illa verò fructibus nocet. Iam alio sumto initio sic ratiocinemur. Ad ignis, quatenus ignis est, vsũ aqua nihil indigemus. immò aqua vsum ignis impedit, eúmq; exstinguit atq; abolet. in plerisq; autẽ rebus aqua nisi igne adiuuante vsui non est. aqua. n. calida aptior vsibus est, alioqui damnosa. Est verò inter duo illud vtilius, quod seorsim suos præbet vsus, neq; altero indiget. His accedit, q̀ solo tactu vtilis est aqua lauantibus aut contrectantibus. Ignis per omnes sensus suam vtilitatem spargit. non solo tactu, sed procul etiam visus prodest. vt accedat reliquis eius vtilitatibus multitudo emolumentorum. Cęterùm id falsum est, quod dicitur aliquos homines absq; igni esse. in vniuersum enim carere eo nullus homo potest: discrimina in hoc genere, vt & aliis in rebus, fatemur esse. Mare autem vt esset vtilius, à calore est consecutum: quoniam magis quàm aliæ aquæ à calore afficitur. pro se enim nihil à reliquis differebat aquis. Qui verò ignem foris adhiberi sibi non requirunt, non eo id faciunt, quod nihil opus habeant calore: sed ob abvndantiam insiti caloris hoc fit. vt hac quoq; in parte ignis priores ferat: quandoquidem aqua nũquam ea est conditione vt non indigeat externis, virtus sua ignem seipso facit contentum. Sicvt ergo ducem præstantissimum censemus, qui vrbem ita instruit, vt externis non indigeat auxiliis: ita hoc quoq; elementum dicemus potius, quod efficit, vt plerisq; in rebus extra nos nihil desideremus. Quod idem de aliis volo intelligi animalibus, quæ caloris externi non indigent. Et verò in contrariam sententiam sic possumus argumẽ-

tari: Melius id esse, quo soli vtimur, eiúsque bonitatem ratione percipimus. Alioqui ratione quid conducibilius est homini, quid vtilius? Dices: atqui eo carent bruta. quid, inquam? an propterea minus vtilis est, inventus ex providentia vtilitatis. Denique quoniam huc nos oratio deduxit, scire velim quid arti in conferendis ad vitam cōmoditatibus præstet aqua. Ignis verò & reperit omnes, & cōseruat artes. itaque etiam Vulcanum principem ac ducem artium faciunt. Dixit Aristo, temporis nobis ad vitam dati exigui somnum quasi vectigalis exactorem dimidiam auferre partem. Ego autem sic dico: etiam si quis tenebris obtinentibus vigilaret per totam noctem, nullum fore huius vigiliæ fructū, nisi ignis bona nobis diei repræsentaret, noctísque & diei discrimē aboleret. Itaque si nihil homo habet, cui ratione vtilitatis vitam postponat: ignis, qui vitam multiplicat, quomodo non mereatur omnibus anteferri rebus? Denique cuius temperiem sensus omnes maximè participāt, id haud dubiè arbitrari debemus esse vtilissimum. Nónne autem animadvertis humore nullū per se vti sensum, nisi in eius temperie spiritus aut ignis sit admixtus? Omnis autem sensus igne, vtpote vitalē ingenerante facultatem, cōmunicat: maximè omnium visus, qui acutissimus est sensuum corporis, ignea quædam natura exsiliēs cùm sit: & qui fidem nobis fecit esse deos. quò accedat, quod à Platone est dictum, visu animum hoc consequi, quòd cœlestium corporum conversionibus sese potest accommodare.

Somnus.

Visus.

PLVTARCHI

Capitulorum descriptio: hoc est, Quæstionum solutio, siue problematum.

QVAESTIONES ROMANAE.

I.  QVID causæ est cur sponsa in nuptiis iubeatur aquam & ignem tangere? An quòd horum, quatenus in elementis ac principiis numerātur, alterum mas est, alterū femina: & ignis principia motionis suggerit, aqua subiecti ac materiæ facultatem obtinet? An quia ignis lustrat, aqua purgat: debet aūt quæ nubit puritatem ac castimoniam conseruare? An quòd sicvt ignis absque humore nutriēdi vi destituit, éstque aridus, aqua autē absque calore sterilis est & ociosa, ita mas quoque & femina seorsim nihil valent, coniunctione eorum vitæ consuetudo perfecta à nuptiis redditur? An id significare volunt, alterum ab altero deseri non debere, sed eos in societate qualiscunque fortunæ persistere, etiam ita rebus ferentibus, vt præter ignem & aquam nihil boni vnà frui detur?

II. Cur in nuptiis quinque faces, (cereos ipsi vocant) non plures his aut pauciores accēdunt? An quia, vt Varro ait, prætores trinis, pluribus ædiles vtebant, ab his autem * sponsi accendunt ignem? An quòd cùm vtant compluribus aliàs etiam numeris, tū alioqui præstantior atque perfectior impar creditus est, tum ad nuptias meliùs quadrare visus? Par enim dividi se patitur, partésque eius æquis inter se viribus contendunt. Impar autem omnino diffindi se non fert, sed divisus semper aliquid relinquit. Inter impares porrò omnium maximè congruit nuptiis quinarius. nam ternarius primus est de imparibus, binarius primus de paribus: ex his tanquam mare & femina miscetur quinarius. Aut potiùs, quoniam lumen procreationis signum est, mulieres aūt ad quinque plerunque pariunt, totidem vtunt facibus? Aut quia matrimonium contrahentes quinque deorum ope indigere putāt, Iouis perfecti, Iunonis perfectæ, Veneris, Suadæ, ac Dianæ, (ea Lucina est) quam parturientes invocant.

Paris & imparis numeri vis, & quinarij.

III. Quamobrem de multis quæ Romæ sunt Dianæ templis, id solum non intrant viri, quod est in vico patricio? An id fit ob sermonem vulgatum? narrant enim mulierem ibi deæ cultum exhibentem à quodam vi fuisse compressam, eúmque à canibus discerptum. inde superstitionem natam, ne viri eò intrarent.

IV. Cur reliquis Dianæ fanis soliti ceruorum cornua affigere, ei quod in Auentino est boum cornua affixerunt? Fortassis vt monimentum esset antiqui casus. Fuit quidam in Sabinis Antro Coratius. is vaccā habebat magnitudine & forma reliquis præstantem: monitúsque à vate quodam, qui in Auentino bouem hanc Dianæ immolasset, ei fata summam potestatem deferre, vrbémque ipsius Italiæ totius regno potituram,

Romam

Romam se contulit bouis ibi mactandæ gratia. seruus autem regi Seruio clàm id vaticinium, idq; rex Cornelio pontifici indicauit. tum, Cornelius Antroni mandauit, vt ante sacrificium aqua Tiberis profluente sese ablueret: sic enim legibus præscriptum esse litaturo. ita hic lotum abiit. interim Seruius occasionem immolandæ vaccæ in honorem Dianæ præcepit, mactatæq; cornua templo affixit. Hoc & Iuba narrat, & Varro. nisi quod hic Antronis nomẽ non habet, deceptúmque non à Cornelio sacerdote Sabinum, sed ab ædituo refert.

Cur quos peregrè mortuos falsò fama nunciauit, reversos non per fores admittunt, V. sed cõscenso tecto in domum demittunt? Fabula omnino est, q̃d Varro pro causa adfert. Cùm bello apud Siciliam magnum nauale prœlium fuisset commissum, multósq; fama mentiret periisse qui erant superstites, hos domum reversos, intra breue tempus vniuersos fuisse mortuos. vnum ex illis domi suæ ianuã fortè fortuna occlusam offendisse, neq; aperire potuisse. ipsum cùm ante fores obdormiuisset, per quietem spectrũ vidisse, q̃d ei præciperet, vt se de tecto in domũ demitteret. eúmq; consilio huic paruisse, longámq; vitam feliciter exegisse. atq; huius ab exemplo istam fuisse introductam consuetudinem. Quid verò, si ea quoq; Græcis moribus est similis? Græci enim profanos habebant, neq; iis sese permiscebant, neq; ad sacrificia admittebant eos, quibus factum fuerat funus & sepulcrum tanquam mortuis. Et relatum in commentarios reperi, Aristinum quendam ea ipsa obstrictum religione Delphos misisse, qui pro se de- *Aristinus.* precarētur, & quo pacto difficultatibus, in quas legum autoritate compulsus erat, sese extricaret, rationem ostendi peterent. ei sic à Pythia fuisse responsum:

Hæc peragit quæcunq; puerpera, ritè peractis
Omnibus, ad superùm tua dona altaria sistes.

eúmq; oraculo probè intellecto, mulieribus sese quasi renatum præbuisse lauandum, vinciendum, lactendũ. idq; reliquos deinde, quos idem casus excepisset, imitatos fuisse omnes, nomenq; iis factum Hysteropotmi, ꝙ scilicet à credito exitio quasi postliminio revertissent. Sunt qui hũc de Hysteropotmis expiandis morem ipso putent Aristino priorem, priscúmq; fuisse. Non itaq; mirum est, si Romani tunc quoq; eos quos semel sepultos ac rebus humanis exemtos esse fuerat creditum, existimauerunt nõ debere per ostium ingredi, per quod sacrificatum exitur, ac sacrificatu reditur: sed eũ deorsum ex aëre voluerunt in atrium sub dio positum demitti. Expiationes enim omnes solent ferè sub dio peragere.

Quare mulieres osculo salutãt cognatos suos? An id sentiendum est, quod pleris- VI. que probat? Interdictum vsu vini mulieribus fuisse: ac proinde ne latère posset si qua *Osculi mos.* vinum bibisset, sed à familiaribus inter congressum deprændenderetur, osculandi morem fuisse institutum. An verò quam adfert Aristoteles philosophus causam, ea recipienda est? Id enim q̃d fama pervulgatum est, multisq; locis adscribitur, facinus Troadum, ab iis in Italia perpetratũ fuit. nam ibi cùm post nauium appulsum viri essent digressi, mulieres ignem nauibus iniecerunt, vt erroribus finem imponerent ac nauigationi. deinde sibi metuentes à maritis, cognatos & familiares, vt quisq; se obtulerat, cũ suauio sunt amplexæ. itaq; placata vt in gratiam fuit reditum, hoc deinde eis blandiẽdi genus retinuerunt. Aut potiùs datum est hoc mulieribus, vt honorem simul eius potentiámque concilians, si viderentur multos ac probos habere cognatos & propinquos? Siue hoc verius est? cum esset legibus interdictum cognatarum nuptiis, vsque ad osculum tamen amori permissum progredi, eáq; fuit consanguinitatis tessera & cõmunicatio. Antiquitus enim sanguine iunctas Romani non copulabant sibi matrimonio, vt ne nunc quidem materteras aut sorores. Serò cõcessum fuit, vt ducere consobrinas liceret: idque tali de causa. Vir quidam, pecuniæ indigens, aliàs honestus, & *Nuptiæ cum* gratia populari nemine inferior, cõsobrinam habere putabatur vxoris loco, ad quam *propinquis.* hæreditate dos magna pervenerat, eáq; ratione diues ipse esse. cui cum esset eo nomine dies dicta, populus omissa causæ cognitione eum absoluit, decretóq; facto nuptias consobrinarum permisit publicè, coniugio autem superiorum graduum interdixit.

Cur donationes inter maritũ & vxorem prohibitæ sunt? An quemadmodũ Solon VII. donationes mortis causa factas valere voluit, iis tantùm rescissis quę necessitate extor *Donationes* tæ, aut muliere persuadente factæ essent: nimirum ꝙ necessitas vim animo faceret, vo- *coniugum.* luptas aũt eidem imponeret. an, inquam, eodem modo Romanis suspectæ erant cõiugum donationes? Aut potiùs, ꝙ signum benevolentiæ futilissimum putarēt esse do-

num,(dant enim etiam alieni & non amantes) ideò istud demerendi genus è cōiugio sustulerunt, vt absq; mercede gratis, ac propter se non alius causa cōiuges invicem amarēt? An, quia muneribus capiundis maximè corrumpunt mulieres vt alienos admittant viros, grauitatem iis conciliare censuerunt quòd suos nihil dantes diligerent? An hæc est verior ratio, quòd mariti & vxoris omnia debent esse communia? Qui enim accipit quod datur, is discit pro alieno putare quod datum non est: itáque pauca invicem dantes, reliqua omnia adimunt.

VIII. Cur à genero aut socero donum capere vetitum fuit? A genero, quia id per patrem videbatur ad vxorem rediturum. à socero, Quod iustum videbat̃ nihil accipere eum, qui nihil daret.

IX. Quamobrē rure aut peregrè domū redeuntes mariti, præmittunt qui adesse ipsos significet? An qa hoc est ꝓbitati vxoris suæ cōfidentis viri, (nam ex improviso & subitò supervenire, speciem insidiarum & infensæ obseruationis habet) ideo dāt operā vt desiderantib. se atq; exspectātibus vxoribus lætū sui adventus nunciū offerant? Aut potiùs ꝙ ipsi rescire cupiunt, saluásne & desiderio sui affectas vxores domi sint offensuri? Vel qm̄ plura sunt mulieribus domestica negocia & rei familiaris occupationes plures, mariti vbi absunt, variæq; curæ & discursus: ideò adventus nuncium accipiunt, vt omissis istis negociis absq; tumultu ac suauiter maritum excipiant?

X. Cur deos velato capite adorant, cùm alioquin hominibus obviam facti venerandis, caput, si fortè eo tecto incedunt, detegant? hoc enim est, quod quæstionem videt̃ faciliorem. Narrant Aeneam cùm rem sacram faceret, Diomede prætereunte caput velasse, itáq; sacrificium absoluisse. Hoc si verum sit, non est alienum à ratione, sed consentaneum, vt quemadmodum adversus hostem caput tegimus, ita amicis & præstantibus hominibus obviàm dati idem nudemus. & ꝙ deos velato capite venerant̃, nō ꝓprium id est, sed fit per accidens, facto isto Aeneæ in cōsuetudinem tracto. Quod si alia est afferenda causa, vide ne id modò quærendum sit, cur in veneratione deorum caput tegatur: alterum verò eius sit cōsectarium. Nam ꝙ coram potentioribus hominibus caput nudāt, non faciunt augendi honoris eorum gratia, sed vt eos invidia liberent potiùs, ostendántq; eos non poscere sibi eosdem cum diuinis honores, neq; ferre aut gratum habere eodem se quo deos modo coli. Deos aūt operto capite adorauerūt, vel quòd ea re animi demissionem cōfiterentur, vel potiùs, quòd verentes ne qua vox mali ominis foris accideret, vsq; ad aures vestem sursum attrahunt. hoc enim eos admodum vitare, ex eo liquet quòd ad oraculum consulendum accedentes, tinnitu æris circumsonant. Aut, vt Castor tradit, qui Romana instituta Pythagoricis accommodat, vt ostendāt genium qui in nobis est deorum qui extrà sunt ope indigere iisq; supplicare: capite operiendo per ambages arguentes animū à corpore occultari atq; tegi.

Capitis nudatio & velatio.

XI. Cur Saturno sacrificantes capita habent retecta? An qa velare caput institutū est Aeneæ, Saturni autem sacrificium multo est vetustius? An ꝙ capita operiunt coram cœlestibus diis: Saturnum autem inter inferos terrestrésq; deos numerant? An quòd veritati nihil opertum est, nihil occultum? nam veritatis patrem Romani Saturnum (qui Cronos Græcis dicitur) esse censent.

Saturnus qualis deus.

XII. Cur verò Cronum hunc veritatis patrem faciunt? Siue ꝙ tempus est Cronus, vt nonnulli philosophorum interpretantur: veritatem autem eruit tempus. siue ꝙ sæculū Saturni cùm fabulę ferant iustissimum fuisse, ꝓbabile est plurimū fuisse vsum veritate.

Veritas Tēporis filia.

XIII. Cur Honori sacra faciunt aperto capite? An ꝙ honor splendida est res, illustrísq; & aperta, qua de causa etiam egregios honoratósq; viros capite retegendo venerant̃: ideò numini quoq; eiusdem nominis hunc ritum exhibent?

XIIII. Cur parentes efferunt filij velatis capitibus, filiæ nudis capitibus, passísq; crinibus? An quia filiis venerandi sunt patres tanquam dij, filiabus aūt lugendi vt mortui, lex vtriq; parti suū decoro conveniens assignauit officiū? An qa luctui maximè cōgruit, quod est alienū à consuetudine? solent aūt ferè mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum ꝓgredi. Nam apud Gręcos etiam si qua calamitas incidit, tondent̃ mulieres, viri comam alunt: cum alioquin hi tonderi, illæ crinem gestare soleant. Aut potiùs de filiis prior causa meliùs est allata. nam super sepulcris parētum circumagunt se, vt Varro scribit, ea tanquam deorum templa colentes: crematísq; parētibus cùm primùm os reperiunt, mortuum diuinā esse cōsecutum naturā dicunt. Mulieribus omnino non licebat caput obnubere. Etenim narrāt historiæ, primū omnium Sp. Carbilium

In luctu res insolitæ.

vxori

vxori nuncium remisisse ob sterilitatem: secundum Sulpitium Gallum, quod suam *Divortia.*
vidisset veste attracta caput tegere: tertium P. Sempronium, quòd sua vxor ludos fu-
nebres spectasset.

Cur Termino, quem Deum censent, & sacris terminalibus honorant, nullum ani- XV.
mal immolāt? An quia Romulus terminos agro populi nullos posuit, vt liceret pro-
gredi, aliisq; ademtum adiicere suo, & putare omnem ditionem ad se pertinere, quam
(vt Laco ille dicebat) hasta assequi possent: Numa autem Pompilius, homo iustus, ci-
uilis, ac philosophus, limitibus suum agrum à vicino distinxit, iisq; Terminum nuncu
pans inspectorem atq; custodem amiciciæ & pacis, existimauit sanguinis purum, nul-
láq; inquinatum cæde debere seruari?

Cur seruæ aditu templi Matutæ (quæ Leucothea Græcis est) prohibentur: vnam XVI.
duntaxat matronæ introducūt, & colaphos genis eius infligunt? An hæ ipsæ alapæ
signum sunt interdicti: reliquas autem arcent fabulam secutæ? Fertur enim Ino ex æ-
mulatione adversus maritum, quem ancillā amare suspicabatur, in insaniam prolapsa
filium perdidisse. eam ancillam Græci Aetolam domo, nomine Antipheram fuisse tra
dunt. Itaq; apud nos Chæroneæ ædituus ante fanum Leucotheæ stans, accepto fla-
gello edicit, Ne quis seruus intret, ne qua serua, ne quis Aetolus, néve vlla Aetola.

Cur ab hac dea nulla suis, sed sororum liberis bona precantur? An quòd Ino sororis XVII.
studiosa fuit, eiúsq; filium enutriit: in propriis autem liberis infelix fuit? aut aliàs etiam
consuetudo hæc boni moris est, multúmq; necessitatibus conciliat benevolentiæ.

Cur multi diuitum Herculi decimam suorum bonorum consecrant? An quòd is XIIX.
quoq; Romæ decimam boum Geryonis partem deposuit? Aut quòd effecit, ne Ro-
mani porrò decimas Etruscis penderent? Aut hæc quidem fide digna historia nulla
confirmantur? Herculi autem vt voraci & largiter cœnanti copiosius sacrificauerūt?
Aut potiùs nimias diuitias ciuibus invisas carpentes, iisq; tanquam corpori nimio in-
cremento turgenti aliquid detrahentes, maxime honorari ac delectari huiusmodi cō-
tractione abvndantiæ putauerunt Herculem, cuius vita fuit modicis contenta rebus
& frugalis?

Cur à Ianuario nouum annum auspicantur? Antiquitus enim Martius primus fuit XIX.
mensis numeratus. quod cùm aliis multis manifestum fit indiciis, tum eo præcipuè, *Mensium ordo.*
quòd quintus à Martio mensis Quintilis, sextus Sextilis, reliquiq; sic deinceps nomi-
nātur vsq; ad vltimum, qui December appellatur, numero decimus à Martio. quæ res
nōnullos mouit vt opinarentur atq; affirmarent etiam antiquos Romanos non duo-
decim, sed decem mensibus annum compleuisse, quorum nonnulli plures XXX die-
bus haberent. Alij sic tradunt, Decembrem à Martio mensem esse decimum, Ianua-
rium vndecimum, Februarium duodecimum, quo mense lustrationibus vtuntur, &
defunctis parentant anno finiente. mutato autem ordine Ianuarium primum factum,
quod Kalendis Ianuarij consules primi eiectis regibus Romæ magistratum iniuerūt.
Probabilius est, quod alij dicunt. Martium à Romulo, homine bellicoso Martisq; cu-
pido, & qui Martis filius putaretur, cæteris mensibus præpositum esse, vtpote Martis
cognominem. Numam verò pacis studiosum, & qui ciues à re bellica ad agriculturam
transferre cuperet, Ianuario principem locum assignasse, Ianóq; magnos honores de-
tulisse, vt qui ciuilis & terræ colendæ quàm belli fuisset studiosior. Verùm hoc consi-
dera, an nō potiùs Numa anni principium sumserit nostræ naturæ magis accōmoda-
tum. In vniuersum enim in his quæ circulo circumagūtur, natura nihil est primum aut
vltimum: sed arbitrio hominum alius aliud temporis statuit initium. Optimè verò, qui *Bruma.*
post solstitium hybernum anni exordium faciunt, quando Sol progrediendi fine fa-
cto convertitur, & ad nos cursum reflectit. tunc enim in ipsa quoq; natura conversio
quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobísq; propiùs admo
uet principem atq; dominum vniuersæ fluxæ naturæ.

Cur matronæ domi suæ sacellum muliebris deæ, quam Bonam vocant, ornantes, XX.
myrtum non inferunt: quanquam omnibus germinantibus & florentibus studiosè ad
eam rem vtantur? An credendū est fabulæ, quæ perhibet Faunij cuiusdam aruspicis
vxorem cùm clàm poto vino non fefellisset, à marito virgis myrteis fuisse castigatam:
ideóq; mulieres myrtū non inferre, sed vinum ei sub lactis appellatione libare? An
verò quòd cùm ab aliis rebus puræ, tum maximè rei Venereæ, sacra ista peragūt? non
enim solùm maritos, sed omnes in vniuersum mares domo exterminant, cùm deæ sa-

Myrtus. cris operantur ritibus. Itaq; myrtum vt Veneri sacram abominantur. Nam quæ hodie Murtia Venus dicitur, ea scilicet olim Myrtia fuit dicta.

XXI. Cur picum Latini venerantur, eóq; vniuersi magnopere abstinẽt? An quia Picum veneficio vxoris mutatũ in picum auem fabula fert, & oracula pronũciasse, ac responsa interrogantibus dedisse? An hoc quidem omnino incredibile est & monstrosum? alia verò fabula probabilior, Romulo & Remo expositis non tantùm vbera lupam præbuisse, sed & picum frequenter advolasse ac bucceas in ora inseruisse? Frequenter enim etiamnum in locis quæ sub montibus sita sunt ac syluestria, vbi picus, ibi etiam lupus visitur, vt narrat Nigidius. Aut potiùs sicvt aliæ aues aliis diis sacræ, ita picus Marti sacer est? est enim audax & ferox auis, rostrúmq; habet ita robustum, vt quercus etiam exscindat, cum rostri ictibus vsq; ad medullam pervenerit.

XXII. *Ianus.* Cur Ianum bifrontem fuisse credunt, talémq; fingunt & pingunt? Num quia genere Græcus ex Perrhœbia fuit, ac profectus in Italiam, sedibus apud Barbaros positis linguam vitæq; rationem mutauit? hoc enim narratur. An verò, quòd Italos feris vtentes iniustísq; moribus suadendo ad aliud vitæ genus traduxit, agriculturáq; & ciuili institutione composuit?

XXIII. *Venus ortui & interitui hominis præfecta.* Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendũt, quam eandem esse cum Venere censent? An hoc quoq; vnum est de Numæ regis sapienter institutis, quo discerent ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere? Aut potiùs eo monebantur caducum esse, quod esset natum, vna eadémq; dea & ortibus & interitibus præsidente? Nam Delphis quoq; Veneris Sepulcralis (Epitymbiam ipsi dicunt) est imaguncula, ad quam evocant eorum manes, quibus libant.

XXIIII. *Kalendæ. Nonæ. Idus.* Cur tria principia mensis habent, nõ eodem dierum numero distincta? An Iubæ fides habenda est? is Kalendis dicit populum fuisse à magistratibus vocatum, & ei indictas in quintum abinde diem Nonas: Idus autem diem sacram habitas. Aut potiùs cùm tempus Lunæ varietatibus definirent, animadverterũt quovis mense tribus eam maximis variari differentiis. quarum prima est, cùm occultatur congressa cum sole: altera, cùm radiis solaribus elapsa, primùm in occidua plaga cõspectui sese offert: tertia, cùm Soli opposita pleno orbe fulget. itaque occultationem eius vocant calẽdas, quia omne quod occultè & furtim fit, clàm appellant, tracto inde verbo celare. Primum autem Lunæ conspectum Nonas aiunt iustissimò nomine vocari, cùm sit nouilunium. Eidûs aut ob pulcritudinẽ dici credit, quòd tum integra Luna est lucida: aut cognomines esse Ioui. hunc Dia, speciem seu formam Græci εἶδος appellant. Neque verò oportet numerorum subtilissimam rationem cõsectari, aut si quid exiguum rationes offendat, calumniari. quando hodiéq;, cælestium motuum obseruatione artificiosa interim tanto aucta incremento, tamen inæqualitas motionum peritiam mathematicorum vincit, ratiocinationémq; subterfugit.

XXV. *Dies atri, siue nefasti.* Cur diebus postridie Kalendarum, Nonarum, atque Eiduum exire vrbe aut peregrinari non licet? An id fit ea de causa quã pleriq; putant, & Liuius tradidit? Postridie Idus Quinctiles, quas nunc Iulias vocant, tribuni militum legiones ad Aliam fluuium educentes, à Gallis pugna sunt victi, vrbémq; amiserunt. Is dies cùm nefastus esset iudicatus, superstitio (vt solet) morem hũc amplificauit, eidémq; religioni obnoxios fecit etiam dies postridie Kalendarum & Nonarum. Aut multa sunt, quæ contra hanc opinionem dicuntur? nam & alia die clades ea accepta fuit, quam diẽ Aliensem à flumine dictam abominantur: & cum multi sint atri siue nefasti dies, nõ eosdem in omnibus obseruant mensibus, sed in vnoquoq; provt res tulit: & veri speciem nullam habet, vnam Idibus proximè posteriorem diem omnibus quæ Nonas atq; Kalendas continenter insequuntur, hanc superstitionẽ conciliasse. Videndum igitur, numnam sicvt de mensibus primum diis cœlestibus consecrarunt, secundum diis manibus, quo mense & lustrationes quasdam peragunt, & defunctis parentant: ita etiam dierum initia quasi & principes statuerint tres eos quos diximus cuiusque mensis, festósq; hos dies & sacros esse voluerint: proximos autem ab his dæmonibus & vita defunctis destinauerint, nefastósq; & ad agendum ineptos esse iusserint? Nam Græci etiam in nouilunio diis rem sacram faciẽtes, proximum ab eo diem heroibus ac geniis addixerunt, craterúmque secundus heroibus heroinisque miscẽt. Omnino autem tempus quidam est numerus. numeri autem principium Vnitas, sacra habetur. binarius, qui eam excipit, principio opponitur, vt parium primus. Par autem numerus imper-

imperfectus est & mancus atque infinitus: sicvt contrà impar definitus, finiens, atque perfectus. Ideo Nonæ quinto die Kalendas, Idus nono die Nonas subsequuntur. imparibus enim principia definiuntur. Qui verò principia insequuntur dies, pari numero cùm censeantur, ordinis eam dignitatem ac vim non habent. itaq; his diebus actionem nullam aut peregrinationem ordiuntur. Quid si huc pertinet fabula Themistoclis? contendisse aliquando diem post festum diem proximè succedentem cum festo die, obiecisseq;, Hunc multum habere laboris ac molestiarum, se ocium præbere, & facultatem per quietem fruendi iis quæ ad festiuitatē fuissent parata. respondisse festum diem: vera dicis: sed ego nisi fuissem, nunquam tu esses. Hoc autem Themistocles dicterio duces Atheniensium, qui ipsi successerāt, refutauit, Nunquam eos fuisse exstituros significans, si ipse vrbem non conseruasset. Cùm itaq; omnis seria profectio & actio apparatum requirat & dispositionem, Romani autem festis diebus nihil adornare consueuissent, neq; vlli curæ extra cultum deorum intenti essent, adeóq; quod etiamnum edicunt pontifices ad sacrificia accedentes, Hoc agerent: haud abs re fuit, quòd statim à feriis iter ingredi aut actionem suscipere noluerunt. quippe imparati cum essent, domi diem à feriis proximum meditandis apparandísque rebus consumserunt. An quemadmodum hodiéq; cum in templis deos adorauerunt, manere solent atq; assidere: ita sacris quoque diebus non statim agendo dicatas subiecerunt, sed intercapedinem quandam fecerunt, cùm difficilia multa & prę̨ter voluntatem hominibus inter agendum eveniant? *Numerorum discrimen.*

Cur in luctu mulieres albas gerunt vestes, albásq; vittas? An id faciunt exemplo magorum, qui adversus Plutonem & tenebras lucido & illustri amictu se muniunt? Aut sicvt defuncti cadauer albo involuunt tegmine, ita etiam amictos volunt esse necessarios? Corpus autem hoc modo ornant, quia animam non possunt, quam volunt puram illustrémque prosequi, vt peracto difficili ac vario certamine iam dimissam. Siue luctum maximè decent vilia & simplicia? quæ autem colore infecta sunt, partim luxum, partim supervacanearum rerum studium arguunt. non enim minus de nigro, quàm de cœruleo colore dici potest: dolosæ sunt vestes, dolosus color. iam nigra ex sese quæ sunt, non arte, sed natura tincta sunt, vmbrosóq; colore permixta. Solum itaque album sincerum est mixturęq; expers, purum, & tinctura non imitabile, ac proinde optimè convenit iis qui sepeliuntur. Mortuus enim simplex quippiam factus est & impermixtum, ac purum: scilicet nihil aliud, quàm à corpore tanquam succo colorē inducente liberatus. Socrates scribit, Argis in luctu albas geri vestes aqua elutas. XXVI. *Albatæ lugebant.*

Cur omnem murum sacrum intaminatúmq; habent, portas non item? An vera est Varronis sententia? muros propterea sacros existimandos, vt pro iis propugnare alacriùs ciues, mortémque etiam oppetere sustineant. (Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfecisse, quòd sacrum locum & inaccessum transilire aggressus, transcendendum profanúmque reddidisset.) Portæ autem sacræ esse non poterant, cùm per eas & alia necessaria, & cadauera etiam efferrentur. Itaq; vrbem qui de nouo condebant, aratro cui bouem marem & feminam subiunxissent, locum quantum erat murus occupaturus designabant: portarúmque dimensi spacia, vomere exemto aratrum earum locis intactis trāsferebant. quòd omnem terram aratam sacram & inviolabilem censerent futuram. XXVII.

Cur pueros Herculem iuraturos non sinunt iureiurandum hoc intra domum facere, sed exire sub dium iubent? An ea est vera quorundam opinio, quia Hercules non sit delectatus vita parietibus cincta, sed sub dio & peregrè solitus degere? Aut quia deus iste non indigena, sed peregrinus & hospes fuit? Nam Bacchum quoque non iurant sub tecto, hunc quoq; peregrinum. An verò hæc ioco tantùm pueris dicuntur? aliàs verò hac ratione cohibere eos à leuitate & iurandi temeritate voluerunt, sicvt Fauorino placet. nam iste quasi apparatus cunctationem iniicit, facultatémq; deliberandi præbet. Hunc ritum non communem, sed Herculi peculiarem fuisse cum Fauorino aliquis affirmauerit, iis quæ de eo narrantur consideratis. adeò enim religiosum hac in re fuisse tradunt Herculem, vt semel duntaxat iurauerit, soli nimirum Phyleo Augeæ F. Ideóq; etiam Pythiam hæc sacramenta Lacedæmoniis exprobrasse, quòd diceret melius vtiliúsq; fore, citra iureiurandum promissa implere. XXIIX. *Iureiurandum.*

Cur nuptam non patiuntur ipsam transcendere limen domus, sed sublatā transportant pronubi? An quia in prima raptione mulieres non vltrò intrauerūt domos, sed XXIX. *Nuptiales ritus.*

illatæ sunt? aut quia videri volunt non volentes, sed vi coactæ eò ingredi, vbi sunt virginitatem amissuræ? aut hoc signum est, exire etiam eas, domúmve relinquere nõ debere, nisi vi eiiciantur, sicvt vi introductæ sunt? Nam etiam apud nos in Bœotia in nuptiis axem plaustri ante fores cremant, innuentes sponsæ manendum esse, sublato avehendi instrumento.

XXX. Cur sponsam introducentes dicere iubent, Vbi tu Caius, ego Caia? An quia hac conditione pacta intrat, vt particeps omnium rerum & gubernandæ familiæ sit? itaque hæc verba id significant, Vbi tu dominus eris & paterfamiliâs, ego domina ero & materfamiliâs. Nomine autem Caij & Caiæ communibus, vsi sunt peculiariter. quomodo iureconsulti Caium, Seium, Lucium, Titium nomen ei de quo agitur imponunt. & philosophi Dionis aut Theonis voces vsurpant. Aut quia Caia Cæcilia honesta fuit ac proba matrona, vxor vnius de filiis Tarquinij? cui Caiæ in Sancti templo statua priscis temporibus posita fuit cum sandaliis & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæq; sunt signa.

XXXI. Cur in nuptiis canitur iste omnium sermone notus Talasius? An à lanificio, quæ Græcis est talasia, talasum pro talaro dicentibus? nam sponsæ introductæ vellus substernunt, ipsáq; secum colum & fusum importat, ac mariti ianuam lana coronat. An verum est, quod historici tradiderunt? est autem tale. Quo tempore Romani Sabinarum filias Romam ad spectaculũ profectas rapuerunt, Talasio (erat autem hic Talasius iuuenis re bellica præclarus, & cætera probus) virginem insigni forma plebeij quidam & eius clientes afferebant, vtq; id eo possent tutius, neq; interciperentur aut virgo ipsis eriperetur, vociferabantur eam se Talasio adducere. ita reliqui honorem Talasio habentes, faustis acclamationibus & comprecationibus eos sunt prosecuti ac comitati. cúmq; feliciter istud coniugium cecidisset, morem introduxerunt aliis quoque Talasium accinendi, vt Hymenæum solent Græci.

XXXII. *Argei quid?* Cur simulacra hominum, quæ Maio mense de ponte ligneo in flumen abiiciuntur, Argeos vocant? An quòd antiquitus barbari ista loca incolentes hoc modo interficiebant si quos Græcorum cepissent: Hercules autem, cuius virtutem admirabantur, docuit eos more interficiendi peregrinos dimisso, simulacris eum repræsentare, iisque iaciundis religione se soluere? Argeos autem, siue Argiuos antiquitas simpliciter quosvis Græcos nominauit. Nisi hoc potiùs sentiendũ est: Cùm Arcadibus Argiui ob viciniam inimici haberentur, Euandrum è Græcia profugum cùm in istis consedisset Italiæ locis, istam odij & inimiciciarum memoriam conseruasse?

XXXIII. Cur antiquitus foris non cœnabant absq; filiis pueritiam etiamnũ agentibus? An hoc est quod etiam Lycurgus instituit, vt pueri in phiditia introducerentur, assueturi non belluino more aut incompositè, sed modestè voluptates adire, cùm haberent senes qui inspicerẽt ac moderarentur? Immò vel magis hæc causa fuit, vt filiis præsentibus ipsi patres verecundiùs ac modestiùs sese gererent? Vbi enim (inquit Plato) inverecundè agunt senes, ibi necesse est adolescentes fieri impudentissimos.

XXXIV. Cur cùm reliqui Romani Februario mense mortuis parentent, D. Brutus, vt Cicero narrat, mense Decembri hoc egit? (Is autem Brutus est qui Lusitaniam peragrauit, primúsq; cum exercitu Obliuionem fluuium transiit.) An quemadmodum sub mensis & diei finem solent vulgo mortuis iusta persoluere, ita rationi consentaneum est etiam vltimo mense & anno desinente id fieri? vltimus autem mẽsium est December. An quia diis manibus isti honores habentur, quos venerari tempestiuum est omnibus fructibus iam perfectis? Aut quia tunc potissimùm mẽtio inferorum est facienda, cùm appetẽte satione terra incipit moueri? Aut quia Saturno à Romanis est hic mensis consecratus, quem in Manibus, non superis diis censent. Aut cum Saturnalia sint instituta, festiuitas facilè maxima, & in qua conuiuiorum oblectationisque plurimum vsurparetur, horum quoque primitias quasdam mortuis tribuere placuit? Quid si falsum omnino est, solum Brutum isto mense parentasse? cùm Larentiæ quoque mense Decembri parentetur, & ad sepulcrum eius libationes offerantur.

XXXV. *Larentiæ duæ.* Quid verò causæ est, quòd Larentiam tanto afficiunt honore, cùm fuerit meretrix? Aliam enim fuisse perhibet Accam Larentiam Romuli nutricem, quam Aprili mense venerantur. Sed Larentia scortum, cuius cognomẽ Fabula editur, hac ratione innotuit. Aedituus quidam Herculis abvndans, vt fit, ocio, solebat dies ludo talorum ac cuborum consumere. & quodam tempore, cùm casu factum esset vt sociorum ludi

nemo

nemo adesset, tædij impatiens ipsum deum ad cuborum ludum provocauit, hoc pactus, vt si vicisset deum, aliquid ab eo beneficij consequeretur: sin victus ipse esset, se deo cœnam exhibiturum, & puellam elegantem quî cum concumberet. tesseris deinde duabus, vna pro deo, altera pro se propositis ac iactis, superatus stetit pactis, ac deo & cœnam adornauit splendidiorem, & Larentiã, quæ palàm corpore quæstum faceret, ei cœnæ adhibuit, faniq; foribus clausis intus eam reliquit. porrò aiunt eam à deo cognitam non humano fuisse more, iussámq; prima luce in forum prodire, & in quem primum incideret, eum obseruare amiciciámq; eius captare. Larentiam vt surrexit & iuit, Taruntio cuidam occurrisse homini opulento, sed liberorum experti & iam ætate ad senium vergente: qui postquam noticiam ipsius habuit, cùm viuus familiæ præfecerit, tum moriens hæredem instituerit. Larentiam postea temporis sub mortem opum suarum hæreditatem P. R. nuncupasse: ideóq; honores ei istos haberi.

Cur Romæ portarum vna appellatur Fenestra, iuxta quã est Fortunæ qui vocatur thalamus? An ꝗ Seruius fortuna vsus secundissima, cum Fortuna consuescere creditus est, per fenestram ad ipsum commeãte? An hoc quidem fabulosum est? quoniam autem rege Tarquinio Prisco mortuo Tanaquil vxor Seruij, mulier prudens & regia, capite per fenestram exserto ciues allocuta permouit, vt Seruio regnum deferrent: loco id cognominis fuit inditum? XXXVI.

Cur inter ea quæ diis consecrantur, lege permissum est vt sola spolia sinantur tempore corrumpi atq; aboleri, neq; ea licet reparare aut instaurare? An vt existimantes gloriam priorem simul cum spoliis intercidere, semper nouum aliquod virtutis monimentum parare operam dent? Aut potiùs, quòd cùm tempus signa contentionum cum hostibus habitarum obscuret, odiosum est & nimij discordiarum studij ea reficere atq; innouare? Nam apud Græcos etiam parum laudis adepti sunt, qui primi lapidea aut ærea statuerunt trophæa. XXXVII. *Spolia.*

Cur Q. Metellus, vir prudẽs ac ciuilis creditus, cùm esset factus summus Pontifex, auspiciis vti post Sextilẽ mensem, qui nunc est Augustus, prohibuit? An quoniam sicvt die nascente aut adulta istas res agitamus, itémq; initio & medio mẽsis: cauemus autem à diei fine & mensis tanquam agendo invtilibus: ita ipse etiam tempus anni post finitos octo menses reliquum, pro vespera quadam anni iam ad exitum vergentis ac deficientis habuit? An verò auibus vtendum est vigentibus & integris? tales autem sunt ante æstatem: circa autumnum morbis & imbecillitate languent aliæ, aliæ pulli adhuc sunt & imperfectæ, alię omnino ob anni tempestatem nusquam visuntur, in alias avectæ regiones. XXXVIII. *Auguria.*

Cur qui sacramento militari non tenebantur, etiamsi aliàs in castris & exercitu versarentur, non habebant ius interficiendi aut vulnerandi hostis? (Rem sic habere, Cato Maior in epistola quadam ad filium demonstrauit, qua iubet eum si tẽpore completo militiæ exautoratus esset, domum redire: aut si manere vellet cum exercitu, ab imperatore potestatem cædendi necandíq; hostis impetrare.) An quòd solam necessitatem oportet homini hominis necem permittere: qui nulla lege nullóve mandato hominem occidit, is homicida est? ideóq; Chrysantã laudauit Cyrus, quod sublato iam gladio hostem interfecturus, vt receptui cani audiuit, cæde sibi interdictum putans hominem intactum dimisit. Aut quòd qui in prœlio manum cum hoste est conserturus, si formidine victus pedem referat, nõ debet hoc impune ferre, aut exlex esse? non enim tantum vtilitatis feriendo hostem adfert, quantum damni fugiendo. at qui exautoratus est, legibus proinde militaribus non tenetur: is verò qui rogauit vt quæ militum sunt sibi liceat agere, rursum se legibus iam & imperatoris iudicio submisit? XXXIX.

Cur Iouis flamini non licet sub dio invngi? An quia etiam filios in conspectu patrum, aut generum vidente socero nudari inhonestúmq; nefásque putabatur, neq; antiquitus vnà lauabant? Pater autem est Iupiter, & eius oculis maximè expositum videtur quod est sub dio. An quemadmodum in templo aut fano nudare sese nefas est, ita aërem etiam sub aperto cœlo & dio reverebantur, vt diis geniisq; refertum? itaq; ergo plerasq; res necessarias sub tecto facimus, domi nosmet occultãtes, & deorum subtrahentes conspectui. Aut alia quidem soli sacerdoti, alia lex per sacerdotem omnibus imperat? Hoc sanè modo apud nos coronatum esse, comam alere, ferro armatum Phocensium fines nõ ingredi, propria sunt sacerdotis munia. pomum XL. *Bœoti ritus.*

non gustare ante æquinoctium autumnale, vitem non putare ante æquinoctium vernum, fere à magistratu vniuersis imperatur: vtrumque enim vt suo fiat tēpore, edicitur. Eodem planè modo apparet apud Romanos proprium esse hoc pontificis, vt equo non vehatur, neque plures tribus noctes ab vrbe absit, neque pileum (apicem ipsi vocāt) vnde flaminis habet nomen, vnquam deponat. Multa verò alia pontifici dicta, ad omnes alios pertinent. de quibus hoc etiam est, sub dio non invngi. Ista enim sicci (vt verbum exprimamus) corporis invnctio valdè malè apud Romanos audit: & existimant non vllam aliam rem magis in causa fuisse quòd Græci ita emollirentur, & in seruitutem redigerentur, atque fuere gymnasia & palæstræ: quæ res multum tædij, malique ocij vrbibus inferrent, vnde extiterint puerorum obsceni amores, & corruptelæ corporum apud adolescentes ob somnos, ambulationes, motúsque suis omnia legibus determinata, ac victus exquisitiorem vulgari rationem. quibus rebus Græci paulatim, ac ne sentientes quidem armorum vsu abdicato, gratum habuerunt loco bonorum grauis armaturæ militum & equitum, agiles, palæstritæ, formosique nominari. Hanc verò molliciem difficulter possunt effugere, qui sub dio nudantur: qui verò domi invnguntur, & corpora sua curant, ij nihil peccant.

XLI. *Nomisma priscum.* Cur antiquum nomisma ab vna parte Iani bifrontis imaginem, ab altera nauis aut puppim aut proram insculptam habet? An, quæ vulgata est opinio, in honorem hoc fit Saturni, nauigio in Italiam advecti? Aut hoc ei cum multis aliis est commune? nam Ianus quoque, Euander, & Aeneas mari in Italiam appulerunt. Id profectò probabilius est, cùm vrbibus alia bono sint, alia necessitatibus inseruiāt: ac bonorum maximum sit bona legum constitutio, necessariarum autem rerum, copia: quādoquidem Ianus eis vitæ rationem tradidit ordinatam moribus ad mansuetudinem redactis, abvndantiam autem rerum necessariarum præbet fluuius, eas partim à mari, partim ex agris convehens: ideò nomisma monimētum legumlatoris quidem habuit caput bifrons ob mutationem, vt docuimus, factam, fluuij autem nauigium. Alio etiam vsi sunt nomisinate, cui bos erat insculptus, & ouis, & sus. quòd re maximè pecuaria se alerent, indéque opes pararent. Hinc & nomina apud veteres multa sunt deducta, vt *Nomina vetera.* Suilliorum, vt Bubulcorum, vt Porciorum: autor Fenestella.

XLII. *Aerarium.* Cur Saturni templo vtuntur loco ærarij, ibidémque contractuum monimenta adseruāt? An quia obtinuit opinio, regnāte Saturno auariciā apud homines iniusticiāmque locum non habuisse, sed fidem & iusticiam? Aut quia deus ille fructuum atque *Falx Saturni.* agriculturæ præesse creditur? Hoc enim falx designat: non id quod Hesiodum imitatus dixit Antimachus:

Hunc contra situs est hirtus, genitalia patris
Acmonidæ Cœli Saturnus falce reuellens.

Ex vbertate autem frugum & venditione pecuniæ nascitur copia. itaque Saturnum autorem custodémque eius faciunt. Huic sententiæ testimonio esse id potest, quod coitus in forum, qui nono quoque die celebrantur, (Nundinas vocant) Saturno sunt consecrati. frugum quippe abvndantia, venditioni & emtioni præbuit initium. Aut hæc quidem vetusta sunt? Primus autem ædem Saturni ærarium fecit post exactos reges Valerius Poplicola, cùm sentiret locum istum munitum esse & conspicuum atque ab insidiis tutum.

XLIII. Cur legati, vndecunque Romam missi, ad Saturni ædem accedunt, ibique nomina sua dant præfectis ærarij? An hoc fit eò, quòd Saturnus cùm fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potiùs quæstionem soluit? Antiquitus enim, vt apparet, *Lautia.* quæstores legatis munera mittebant, quę lautea dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuísque funus è publico faciebant. nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumtu omisso id tamen seruatur, vt legati accedant præfectos ærarij, qui eorum nomina in tabulas referunt.

XLIV. Cur flamini Diali non licet iurare? An quia tormentum liberorum est iusiurandum? sacerdotis autem & animum & corpus oportet torturæ esse expers. Aut quia non convenit de rebus paruis fidem non haberi ei, cui sacræ & maximæ sunt creditæ? Aut quia omne iusiurandum in exsecrationem periurij desinit? Est autem exsecratio tristis res & mali ominis: quæ causa est, vt dira imprecari aliis sacerdotes per leges non possint. Et sanè laudi datum est Athenis sacerdoti, quæ populo iubente Alcibiadem devouere noluit, votorum se, non detestandi causa antistitam esse inquiens.

Aut

Aut quia publicum est periurij periculum, si homo impius ac periurus pro ciuitate vota nuncupet ac sacris operetur?

XLV. Cur Veneralibus multum vini effunditur è templo Veneris? An verum est quod plurimi narrant: Mezentium Etruscorũ imperatorem Aeneæ per internũcios pacem ea cõditione obtulisse, vt sibi is annuũ vinum daret: & abnuente Aenea, suis id vinum promisisse si prœlio victor discessisset: Aeneam cognita eius pollicitatione, diis vinum id consecrasse, partaque victoria vinum è congestis vuis factum ante fanum Veneris effudisse. An hoc signo monebant festos dies sobriè, non per ebrietatem debere agitari? *Sobrietas.* quod dij magis delectentur nimium merũ effundẽtibus, quàm bibentibus.

XLVI. Cur Hortæ templũ antiquitus semper mãsit apertũ? An quia, vt Antistius Labeo tradit, ab hortando dictã deam, *Horta.* quæ ad honestas actiones exhortaret & incitaret, existimauerunt vt industriã semperꝗ occupatam nunquã cũctari debere, nunquã inclusam impeditámve teneri? Aut potiùs ea est, quam nunc Horam dicunt, *Hora.* agilis dea & multis intenta negociis, quę cum obseruet omnia & solicita sit, nunquam ab ea res humanas negligi voluerunt indicare? Aut potiùs id quoꝗ nomen, vt multa alia, Græcum est, significátꝗ deam inspicientem res: (horân Græcis est videre) ideóꝗ eius vt pervigilis semper apertum est templum? Quod si Horam ab hortando rectè deducit Labeo, videndum an non potiùs indidem dicatur orator, qui consulendo suadendóque exhortetur & incitet, quàm ab orando seu precando, vt nonnulli volunt.

XLVII. Cur Vulcani fanum Romulus extra vrbẽ posuit? An quòd filius Martis cum existimaret, propter fabulosam illam Vulcani adversus Martem Veneris causa simultatem, Vulcanũ in eadẽ vrbe eodémꝗ cum Marte domicilio esse noluit? Aut hoc quidem ineptum est? sed illud templum iam inde ab initio ædificatum à Romulo fuit, vt ibi vnà cum collega suo Tatio curiã haberet, in qua de rebus arcanis cum senatu absꝗ interventoribus quietè possent consultare? Aut cùm Romæ ab incendiis statim à primis temporibus multum esset periculi, colendum quidem deum igni præfectum, sed extra vrbem locum ei assignandum statuerunt?

XLVIII. Cur Consalibus feriis equos asinósque coronant, & ociari sinunt? An quia feriæ istæ Conso, qui equester Neptunus est, aguntur, asinus tum equo consors est, iuxtáque fruitur vacatione laboris? Aut quia tum commoda nauigandi maris tempestas exhibita, iumentis qualemcunque quietem præbet?

IL. Cur qui magistratum petebant, mos erat vt hoc absꝗ togis in indusio facerẽt? sic enim Cato tradit. An ne argentum in sinu gestantes suffragia redimerẽt? *Mos petẽdi magistratum.* Aut potiùs ꝗ magistratu dignos nõ generis nobilitate, opibus, aut fama, sed vulneribus & cicatricibus cùm iudicarent, vt cõspicua hęc essent, absꝗ toga comitia obibãt? Aut quemadmodum præsando, orando, & sese submittendo, ita nuditate quoꝗ corporis humiliter gratiam populi captabant?

L. Cur flamen Dialis vxore mortua Flaminio decedit? sic enim Ateius tradidit? An quia cœlibe miserior est q̃ vxorẽ amittit? qui enim vxorẽ duxit, eius domus perfecta est. qui ductã amisit, eius non imperfecta modò, sed & mutilata est familia. Aut quia in plerisꝗ sacris rebus obeũdis vxor ei adest, neꝗ ea absente peragi eas fas est? Cæterùm vxore mortua cõfestim aliã ducere neꝗ factu fortassis facile, neꝗ vt sit humanũ, videtur. *Discidium coniugij.* Itaꝗ etiã antiquitus vxorem repudiare non licuit, ac ne nunc quidẽ licet: nisi quod hoc permisit eius rei gratia interpellatus nostra ætate Domitianus: aderãt autẽ discidio matrimonij sacerdotes, terribilia multa & invsitata atꝗ tristia agentes. Minus autem hunc morem flaminis Dialis mirabitur, *Censorum mos.* qui obseruauit etiam censorum altero vita defuncto, alterum abdicare se censura opus habuisse. Mortuo quidem Liuio Druso censore, collega eius Aemilius Scaurus abdicare non antè voluit, quàm eum tribunorum plebis quidam duci in carcerem iusserunt.

LI. Cur Laribus, quos Pręstites propriè vocãt, canis præficit, ipsi autẽ caninis pellibus amiciuntur? *Lares Præstites.* An præstites sunt qui præsunt, ideóꝗ custodiã domus eius curæ, alienisque eos terrori esse par est, domesticis mãsuetos? qualis est canũ natura. Aut id verius est, q̃d nonnulli Romanorũ dicunt? sicvt qui Chrysippũ sectantur philosophi, dicunt oberrare quosdã malos genios, quibus loco carnificũ dij vtant in puniendis flagitiosis & impiis hominibus: ita Lares genios quosdã esse diros ac furiarum naturæ affines ad puniendum factos, qui in vitas & familias hominum inspiciant. itaꝗ canũ exuuiis vestiri, & canem eis adsidere, vt callidis scrutari atꝗ vlcisci malorum facinora.

LII. Cur Manæ Genetæ canem immolāt, votóq; petūt ne quis domi natorū bonus fiat? An quòd hæc dea ortui ac partui præest interitui obnoxiorum ac fluxorū corporum? (fluxū enim quendā & generationem, seu generationē fluxam vox à manando ducta indicat) vt igit Græci Hecatæ, sic Romani Genetę canem immolāt pro domi nascentibus. Argiuos etiā Socrates ait cane Lucinę rem sacrā facere, ob facilitatē pariendi. Votum autē quid si non ad homines pertinet domi nascentes, sed ad canes? vt hos optent non bonos aut placidos, sed iracundos fieri & terribiles. Aut quoniā venustè boni dicuntur, qui mortem cum vita commutauerunt, hoc voto obliquè precantur ne quis domesticorum moriatur? Atq; hoc alienum putare nemo debet. nam in fœdere Arcadum cum Spartanis facto scriptū esse Aristoteles testatur, Neminem Tegeatarū debere bonū redigi, (id est interfici) si auxilij causa rebus Lacedæmoniorū studeat.

Bonus pro mortuo.

LIII. Cur ludis Capitolinis etiamnum præconis voce proclamant Sardianos venales, & senex quidam ludibrij gratia producitur bullam collo appensam gerens puerilem? An quia Veientes Etruscorū populus per longum tēpus Romulo bello restiterunt, hánceque is vltimam vrbem cepit, multósq; captiuos sub hasta vendidit vnà cum ipsorum rege, futilitatem eius & stulticiam deridens? nam Etrusci à Lydis originem trahunt, Lydorum primaria vrbs Sardes. ideò Veientes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc vsq; diem ludicri gratia morem istum conseruant.

Sardiani.

LIV. Cur locus vbi carnes publicè venduntur, macellū dicitur? An cōsuetudo vt multa alia, ita hoc quoq; vocabulum à mageris (qui Græca lingua sunt coci) deprauatū retinuit? sunt enim C & G cognatę litterę, & G littera serò vti ceperūt à Sp. Carbilio adiecta reliquis: & qui blæsi sunt, lingua ob hebetudinē aberrante à R littera ad L delabuntur. Aut historia rem explicabit? Ferunt enim Romæ latronē truculentū fuisse, nomine Macellū, qui multis deverberatis vix tandē captus, supplicióq; affectus, & ex pecunia eius locus carnibus publicè vendēdis ædificatus fuerit, nomē ab ipso habēs.

Macellum.

LV. Cur Idibus Ianuarij tibicinibus permissum est per vrbē circuire, vestem indutis muliebre? An hoc fit propter causam quæ subiicietur? Magnos illis honores Numa rex religionis causa contulerat. quibus cùm postea tribunis militum consulari potestate remp. administrantibus priuarētur, vniuersi Roma Tibur secesserunt. desiderati inde, quòd religio animos tenebat Romanorum, nemine sacrificiis præcinente, accitique cùm non obtemperarent, sed Tibure manerent, libertus quidam magistratibus promisit occultè, se eos Romam reducturū. Instructo proinde polluctu, tāquam si diis rem sacram fecisset, inuitat tibicines, adhibitis etiam conviuio mulieribus, & per totā noctem compotatio, ioci, choreæq; protrahuntur. tum subitò ficta trepidatione, improviso patroni superventu se perturbatum ait, persuadétq; tibicinibus vt vehicula circumquaq; pellibus obtecta conscendant, Tibur se eos revecturum dolosè promittēs. ibi circumactis vehiculis eos, qui per temulentiam & tenebras animadvertere vbi locorum essent nequibant, vniuersos Romam prima luce perfert. erant autem plerique vestibus floridis & muliebribus amicti ob nocturnam comesationem & conviuium. Exinde cum magistratu tibicines in gratiam redierunt, decretúmq; est vt tali habitu istum diem eis per vrbem vagari liceret.

Tibicines. Liuius lib. nono aliter.

LVI. Quamobrem Carmentæ templū matronæ & antiquitus dedicauerunt, & hodie in primis colunt? Memoria proditū est matres, cùm vsu vehiculorū quibus iumēta trahendis iungerent senatus ipsis interdixisset, inter se conspirasse, neq; vterum gerere se neq; pàrere velle, ac viros hac ratione vlcisci. idq; fecerunt, donec mutata sentētia vsus vehiculorū concessus fuit. Exinde cū parerent, fecundæ & liberorum copia claræ templū Carmentæ posuerūt. Ea Carmēta nimirū Euandri mater fuit, nomine suo Themis, aut, vt alij volunt, Nicostrata. quæ cùm in Italiā venisset, oraculáq; versibus illigata caneret, à Latinis Carmēta dicta est, voce à carmine deducta. Sunt qui Carmentā putēt esse Parcā, ideóq; ei matronas sacrificare. ratio autem nominis hæc est: Carens mente, ob instinctus videlicet diuinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina impellebatur.

LVII. Cur Ruminæ sacrificantes mulieres, lac victimæ invergunt, vinum non adhibent? An quia ruma Latinis mammā significat: & ruminalē ficum eam appellant, ad quam lupa mammā Romulo præbuit: ergo Rumina, id est lactēntibus ac nutricibus & alendis pueris præfecta merum non admittit, quod est infantibus perniciosum?

LIIX. Cur senatorū alios patres conscriptos, alios simpliciter patres vocāt? An patres & patricij vocantur qui initio à Romulo sunt lecti, qui possent suos patres ciere: qui

Patres duplices.

verò

verò postmodò è plebeiis adscripti sunt; patres conscripti dicuntur?

Cur communis fuit ara Herculis & Musarum? An quia Euandrum litteras docuit Hercules, vt Iuba narrat: résq; ea videtur perhonesta, cùm litteras Prisci amicis ac cognatis traderent. Serò ceptum est mercede doceri. primúsq; ludum litterarium aperuit Sp. Carbilius, Carbilij libertus, eius qui primus vxorem dimisit. LIX. *Ludus litterarius.*

Quare cùm duæ sint aræ Herculis, mulieres nihil sumunt neq; gustant de iis quæ in earum altera immolant? An quia post sacrificiũ iam peractum supervenit Carmẽta? Hoc idem familiæ Pinariorum accidit, qui inde nomen habet. nam exclusi ab epulis, aliis edentibus esuriunt. quod Græcè est penân. Aut propter fabulam quæ de tunica & Deianira fertur? LX.

Cur tutelarem Romæ deum, másne sit an femina, dicere aut quęrere, eiúsq; nomen efferre nefas est? quod quidam interdictum à superstitione repetunt, narrantes Valerium Soranum malè periisse, quod nomen illud edidisset. An quia, vt nonnulli rerum Romanarum scriptores tradunt, carmina quædam sunt & præstigiæ quibus dij eliciuntur: quibus vsi Romani cum putarent se quosdam hostium deos ad se traduxisse, cauere voluerunt ne idem sibi ab aliis eveniret? Itaque sicvt Tyrij vincula iniicere simulacris dicuntur, alij autem cùm ea ad lauacrum aut lustrationem aliquam deducũt, fideiussores pro reditu exigunt: ita Romani tutissimè ac cõstantissimè adseruari deum crediderũt, qui neq; de nomine notus aliis esset. An quemadmodũ Homerus scripsit: LXI.

Terra est communis cunctis cælestibus vna, *Iliad. o, 193.*

vt homines vniuersos deos colerent æquo iure terram tenentes: ita prisci Romani salutis publicæ autorem occultauerunt, quod vellent non istum duntaxat, sed omnes etiam alios deos à ciuibus suis coli?

Cur inter Feciales maximus est is, quem patrem patratum appellant? is autem est qui liberos habet viuo adhuc patre suo. atq; etiamnum priuilegium autoritatémq; aliquam retinet: prætores enim corpora quæ ob formam & florem ætatis custodia opus habebant pudica, eorum fidei commendant. An quia & liberos reverentur suos, & timent genitores? An ipsum nomen rem explicat? est enim patratũ quasi perfectum & absolutum: & perfectior aliis putabatur, qui viuo patre pater esset factus. Aut iureiurandi & pacis præsidem oportet Simul (vt ait Homerus) prorsum & retrorsum videre? id verò maximè præstare possit, qui & filium habet de quo consultet, & patrem qui cum deliberet. LXII. *Pater patratus* *Iliad. α, 70.*

Cur regi sacrorum magistratum gerere aut orationẽ ad populum habere nõ licet? An quod antiquitus reges pleraq; & potissima sacra peragebant, inq; immolandis hostiis sacerdotibus aderant: cùm verò modum non seruarẽt, sed superbè iniquéque dominarentur, Græci plerique iis omnem ademerunt potentiam, id tantùm relinquẽtes vt diis sacra facerent. Romani autem regibus omnino eiectis, sacrificiis alium præfecerunt, neque magistratum gerere eum, neq; cum populo agere sinentes: vt nunquam nisi in sacris seruire, & in gratiam deorum sustinere regnum viderentur? Sanè à maioribus tradito ritu ante Comitium rex sacrorum postquam rem diuinam fecit, fuga sese inde è foro proripit. LXIII. *Rex sacrificulus.*

Cur mensa cùm tolleretur, semper omnino aliquid super ea volebant relinqui? An hac ambage significabant semper ex partis aliquid in futurum reseruandũ, & in præsenti die subsecuturæ aliquã habendam rationem? Aut scitum putabant appetitum cohibere, eúmque reprimere dum adhuc aliquid ad fruendum in promtu est? minus enim appetunt absentia, qui præsentibus abstinere didicerunt. Aut erga famulos aliquid habet humanitatis mos iste, qui sic quodam modo videntur à dominis ad societatem mensæ admitti? non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. Aut rerum sacrarum nulla vnquã debet inanis relinqui? est autẽ mensa sacra. LXIV.

Cur vir primò cum sponsa non congreditur luce, sed in tenebris? An præ verecundia, quod ante coitum alienam existimat? An etiam cum propria verecundè coire doctus? Aut quemadmodum Solon mandauit vt sponsa manducato malo Cydonio in thalamum veniat, vt prima salutatio non iniucunda sit aut ingrata: sic Romanus legislator occultari voluit si quod esset corporis sponsæ vitium? Aut eo more illiciti coitus damnantur, vbi etiam legitimis pudor adhibetur? LXV.

Cur Circorum vni nomen est Flaminio? An quòd cùm de priscis Romanis quidam Flaminius vrbem agro donasset, eius reditibus vsi sunt ad equestria certamina? LXVI.

cúmque adhuc supereſſent pecuniæ, viam ex ea ſtrauerunt, quam ipſam quoque Flaminiam appellauerunt?

LXVII. *Lictores.* Cur qui faſces gerunt, lictores dicuntur? An quia Romulũ ſequebantur lora in ſinubus gerentes, quibus vincirent ſontes? vulgus enim Romanũ alligare, qui puriùs loquunt, ligare vſurpãt pro vincire? An hodie littera C vocabulo intercalata vſurpat: antiquitus autẽ litores, quaſi liturgi, id eſt qui publica miniſteria exequerentur, dicti ſunt? Nemo enim ferè neſcit, etiamnũ in multis Græcorũ legib. liton legi ꝓ publico.

LXIIX. *Luperci. Canis.* Cur Luperci (hi ſunt qui Lupercalibus nudi, ſoliſq; præcincti ſubligaculis diſcurrũt, & ſcutica obvios feriũt) canem immolant? An quia Lupercalia vrbis ſunt luſtratio, & fiunt menſe Februario, cui ab expiando nomen eſt: ipſorúmq; dies februatus dicit, cũ februatio purgamentũ ſignificet? Iã cane in piaculis ferè omnes vſi ſunt Greci, vtuntúrq; in hunc vſq; diẽ eo pro piaculari hoſtia nõnulli: Hecatæq; inter alia purgamenta etiã catuli offerunt, expiandóſq; catulis tangunt, quã februationem ſua lingua periſcylaciſmum vocant. Aut lycus lupus eſt, Lycæa Lupercalia? canis ergo animal lupo inimicũ Lycęis immolat. Aut quia Lupercos per vrbẽ diſcurrentes allatrãt & vexãt canes? Aut quia Pani iſta fiunt ſacra, cui canis gratus eſt ob caprarũ cuſtodiã?

LXIX. *Septimontium.* Cur feſto die, qui Septimontium dicitur, vſu vehiculorũ quæ iumentis traherẽtur, antiquitus abſtinuerũt, idq; etiamnũ obſeruant antiquitatis ſtudioſi? Feriæ aũt iſtę inſtitutæ ſunt propter adiectũ ſeptimum Romæ collẽ, quo facta eſt ſepticollis. An, vt quidã Romanarum rerũ ſcriptores putant, quia vrbis partes non ſunt omnino inter ſe coniunctæ? Aut hoc quidẽ nihil ad rem facit? Sed cùm vrbe condenda magnũ opus peregiſſent, iámq; vlteriùs incrementũ vrbis nullum animo cõciperent, quietem cùm ſibi tũ iumentis quorũ opera fuiſſent vſi, per iſtas ferias parauerũt? Aut cùm vellent omnes feſtiuitates ciuiũ præſentia ornari, eam verò in primis quæ ob contractas in vnam multas vrbis partes inſtituta erat, ciuibus vſu vehiculorum iumentariorum iſta die interdixerunt, ne vrbe, cui dies agebatur feſtus, exirent?

LXX. *Furcifer.* Cur furti, aut alius ſeruilis delicti damnatos furciferos dicũt? Nonne hoc quoq; vetuſtę accurationis argumentũ eſt? Qui enim ſerui ſui nequicioſum factum comperiſſet, coëgit eum duplex lignum, quod curribus ſubiici ſolet, (furcam Romani appellant) per viciniam circumgeſtare in conſpectu hominum, vt ab eo ſibi porrò cauendum eſſe ſcirent. Itaque à furcæ geſtatione dicebatur furcifer.

LXXI. *Fœnum in cornu.* Cur ad cornua boum cornipetarum fœnum alligabant, quo obvij monebantur vt ſibi cauerent? An quia ob ſatietatem luxuriant petulantéſq; ſunt boues, equi, aſini, & homines? ſicvt alicvbi ait Sophocles:

At tu ferocis pullus vt paſtus nimis,
Buccis & ventre plenis. ——

Ideóq; M. Craſſum fœnum in cornu habere dicebãt Romani: & qui alios in repub. ſolebant exagitare, ab illo ſibi cauebant, & præteribant hominem paratum ad vlciſcendum & oppugnatu difficilem. quanquam poſtmodò dictum fuit Cæſarem Craſſo fœnum ademiſſe, cùm is primus in rep. eum contemſiſſet, ſéq; ei oppoſuiſſet.

LXXII. *Lucerna auguris.* Cur augurum, quos ante auſpices nominabãt, laternas ſemper eſſe apertas voluerunt, neq; operculo vnquam tegi? An paruas res magnarum voluerunt eſſe teſſeras, more Pythagoricorũ? Vt enim hi chœnici inſidere, ac ignẽ gladio agitare vetabãt: ita priſci multis vſi ſunt obſcuris ſignificationibus, maximè rerum ſacrarum. de quibus etiã lucernæ hoc inſtitutum eſt. Nam lucerna reſpondet corpori animum continenti, qui lumen eſt, ſempérq; debet intellectus eſſe apertus ac perſpicax, nunquam includi aut flatu extingui. Iam cùm venti ſpirant, aues non conſtanter manent, neq; firma auguria exhibent, quia tũ vagantur & inæqualibus aguntur volatibus. iſta igitur conſuetudine docent captanda auguria, non cum venti flant, ſed cum eſt tranquillitas, & apertis licet vti lucernis.

LXXIII. Cur interdictum erat auguri, Si vlcus haberet, aues obſeruare? An id quoq; argumẽto eſt, animo ab omnibus moleſtiis ac quaſi vlceribus & morſibus vacuo, ſinceróq; & ocioſo debere ſacras res tractari? An rationi cõſentaneũ eſt, cùm neq; victimã aut auem vlceroſam vſurparet quiſquã rei ſacræ faciundæ gratia, capiendíve augurij: multo magis ipſos augures curare, vt puri ſinceríq; & integri ad diuina indicia obſeruãda ſe conferant? Vlcus enim videtur quædam eſſe mutilatio & pollutio corporis.

LXXIV. Cur paruæ Fortunæ, quam Breuem vocant, fanum Seruius Tullus dedicauit? An quòd

quòd initio humilis & obscurus, matre natus captiua, Fortunæ beneficio ad regnum Romæ evectus fuit? Aut magnitudinẽ potiùs mutatio ista quàm exiguitatẽ Fortunæ indicat? Omnium verò maximè videtur Seruius Fortunæ vim diuinã extulisse, omnibúsq; eam inscripsisse actionibus. Non enim Fortunæ duntaxat bonæ spei, auerruncæ, blandæ, primigeniæ, & virilis tẽpla condidit: sed & propriæ Fortunæ ædes est, & convertentis, & bene sperantis, & virginis. & quid reliqua persequar cognomina? cùm viscatæ etiam Fortunæ templũ sit, quasi eminus nos captantis & rebus adhibentis. Quin hoc vide, an non dephensio Fortunã minimis momentis plurimum posse, multísq; vsu venisse vt exiguis planè rebus aut evenientibus aut non contingentibus maxima consequerent vel perderẽt, paruæ Fortunę templũ dedicârit: docẽs animum rebus esse advertendum, nihilq; eorũ quæ offeruntur ob paruitatẽ esse negligendum. Fortuna.

Cur lucernam non exstinguebãt, sed vltrò cõsumi atq; exstingui sinebant? An venerabantur eam vt cognatã & germanã ignis perennis & inexstinguibilis? An eo significabant, animata nisi noceant, interficienda non esse? animalis autẽ similis est lucerna, quòd & alimento habet opus, & à seipsa motũ habet, & cùm exstinguit, vocem edit quasi necata. Aut hic mos docet, neq; ignem, neq; aquam, neq; vllam rem necessariam, cuius copia nobis suppeditet, perdere nos debere, sed aliis relinquenda esse quibus vsus est iis, vbi nos non ampliùs indigemus? LXXV.

Cur qui nobilitate generis aliis præstare videbantur, lunulas in calceis gestabant? An, vt Castor ait, signum hoc est habitationis supra Lunam quæ fertur, & quòd post mortem rursus animæ Lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerunt eximium, qui erãt Arcades cum Euandro, & ante Lunam nati dicebantur? Aut, vt multa alia, hoc quoq; institutum erat, vt rebus secundis elati ac superbientes, mutationis Fortunæ in alteram partem admonerentur? Exemplo videlicet Lunæ, quæ LXXVI.

Primùm recens existit è caligine:
Fulgore dehinc subinde faciem splendido
Augescit illustrans: & cum pulcerrimà
Renidet orbe pleno, rursus exuit
Lumen suum paulatim, & ad nihilum redit.

Aut obedientiæ sic adsuescere discebant, Lunæ exemplo præstantiori parére non recusantes? & quemadmodum illa secundas obit partes,

Phœbei semper radiis intenta nitoris,

vt canit Parmenides: ita ipsi quoq; contenti esse secundo loco magistratibúsq; obtemperare, ab iísq; potentiæ & honorum fructu aliquo impertiri.

Cur annum Ioui, menses Iunoni cõsecrant? An quòd in deos invisibiles & soli intelligentiæ notos regnum obtinent Iupiter & Iuno: in eos qui conspectui patent, Sol & Luna? Efficit autem Sol annum, Luna menses. Neq; simpliciter censendum est hos istorũ esse imagines, sed ipsum in materia Iouẽ esse Solẽ, ipsámq; in materia Iunonem esse Lunã. ideóq; Iunoni nomen est à iuuenescẽdo: & Iunonẽ vocãt Lucinã, quasi Lucidã diceres, putántq; eam in partibus auxiliũ ferre mulieribus, vt & Lunã. vnde illud: LXXVII. Iupiter. Iuno.

Per cœruleum astrorum polum,
Partus celerantémq; Lunam.

facilimè enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti.

Cur aues sinistræ quæ dicuntur, in auspicio habent pro addicẽtibus? An verũ hoc non est, multósq; decepit? An sinistrum (si quis probabilibus argumentis velit vti) à sinẽdo dictũ est? ideóq; auem quæ actionẽ suscipi permittit, sinistrã pro sinisteria vulgus malè dicit. An res ita habet? cùm Ascanio Aeneæ F. signa cum Mezentio collaturo fulgur à læua victoriã portendisset, rem in omen tractã in posterum quoq; fuisse obseruatã. Alij tamen Aeneæ hoc vsu venisse dicunt. Et quidem Thebani, quòd læuo cornu in pugna Leuctrica fudissent hostẽ atq; vicissent, deinceps omnibus in prœliis principem locũ sinistræ aciei attribuerũt. Aut potius versus ortum Solis intuentibus ad læuam est septentrionalis mundi plaga, quam nõnulli dextrã & superiorem mundi partem appellant: hæc est Iubæ opinio. Quid si sinistris natura imbecillioribus augures quasi vim quandã addere, & defectum exsarcire ista ratione voluerunt? aut terrestria cœlestibus opposita censentes, quæ nobis læua videntur, arbitrati sunt deos à dextra mittere? LXXIIX. Sinistra.

Cur eius qui triumphũ egisset, ac deinde mortuus crematúsq; esset, licebat os sum- LXXIX.

Sepulcri honor tum in vrbē inferre ac deponere? hoc enim Pyrrho Liparæus tradidit. An hoc fit in mortui honorē? Nam iis qui res præclarè gessissent, atq; imperatoribus hoc dederunt Romani, vt in foro sepelirentur: vt Valerio & Fabricio. quorũ tamen posteros aiũt ita invidiam honoris istius declinare solitos, vt funeri in forum allato fax ardens subiiceretur, statimq; auferretur: facultate duntaxat sepulturæ in foro sic confirmata.

LXXX. *Triumphi mos.* Cur cùm publico epulo exciperent eum qui triumphum duxisset, à consulibus missis internunciis petebant, ne ad cœnã venirent? An quòd locum assignari honoratissimum triumphatori oportebat, tractariq; eum magnificentissimè, & domũ deduci peracta cœna: quæ omnia consulibus, si interessent, nulli alij licebat deferri?

XXCI. *Tribunatus plebis.* Cur purpura prætextã vestē tribunus plebis non gestat, aliis magistratibus gerentibus? An quia omnino magistratus nō est? nam neq; lictores habet tribunus plebis, neq; pro tribunali sedēs responsa dat, neq; initio anni (q̃d alij solēt magistratus) ineũt, neq; dictatore creato abdicat, sed omni magistratuũ iure in hunc translato, ipse solus officium retinet suum: vtpote non magistratum gerens, sed diuersæ functionis ordinisq; persona. Atq; vt oratores nōnulli exceptionem negant esse iudicij genus, cũ contrarium eius quod iudicij est præstet: (iudicio enim sententia fertur, exceptione infringitur & aboletur) eodem modo censent tribunatum plebis impedimentũ potiùs magistratus esse, aliquidq; huic adversum, quàm magistratum. Obviam enim ire potētiæ magistratus, nimiámq; eius licentiã retundere, munus est & potestas tribunatus plebis. An verò hæc & horum similia afferunt, qui causas cōminiscuntur? Sed cum tribunatus plebis populi voluntate extiterit, popularis etiã ratio vim in eo obtinet, magnúmq; habet non supra plebem se in tribunatu efferre, sed intervenientibus ciuibus habitu, amictu, victúsq; ratione esse similē? Fastus enim cōsulem prætorémq; decet. tribunũ plebis (vt dicebat C. Curio) conculcandum se præbere cōvenit, neq; maiestatem in vultu præ se ferre, aut aditus ad se difficiles facere, vel molestũ multitudini, sed propter hanc aliis odiosum, popularibus aũt tractabilem promtúmq; esse. Eam ob rem id quoq; receptũ fuit, vt tribunorum ianuæ nunquã clauderētur, sed noctes diésq; apertæ essent tanquã portus & perfugium ope indigentibus. Quanto aũt submissiùs se pro sua persona gerit, tanto magis augetur potentia tribunus. publicus enim existimatur, quod ad vsum attinet, omnibúsq; accessus velvti ara: éstq; honoris gratia sacrosanctus & inviolabilis. quando etiam incedens in publico * * omnibus lege piacularis lustratio mandatur, tanquam pollutis.

XXCII. *Fasces.* Cur Prætorum fasces colligati feruntur, appensis securibus? An id signo est, iram magistratus nō debere esse in procliui & solutã? an solutio fasciũ, quę paulatim fit, moram aliquam iræ iniicit & cunctationē, & nonnunquam fecit vt sentētia de supplicio exigendo mutaretur? Iam cum vitiorum alia sint sanabilia, alia insanabilia: virgis corrigebantur qui emendari poterant, securibus amputabantur immedicabiles.

XXCIII. *Humanæ victimæ.* Cur Romani, cùm inaudiuissent à Bletonesiis, qui est populus barbarus, immolatum diis hominem esse, eorũ magistratus acciuerũt, vt pœnas de iis sumerent: cùm aũt appareret legis cuiusdã iussu id factum, missos eos fecerũt, sed isto sacrificio in posterum interdixerunt: ipsi autem non multis antè annis, duos viros totidémq; mulieres in foro boario, alteros Græcos, alteras Gallas, viuos defoderunt? Videtur enim absurdum ista facere, & barbaris tanquã nefaria exprobrare eadem. An diis immolare homines, nefas putabāt: geniis autē, necessitatem cogere? Aut qui cōsuetudine ac lege ista sacrificia recepissent, eos peccare existimantes, ipsi Sibyllinis libris mandantibus istud fecerunt? Narrant enim Elbiam quandã virginem equo vehentem fulmine ictam, repertúmq; fuisse equũ nudum iacentem, nudã quoq; virginem ipsam, tãquam dedita opera vestibus à genitali membro reductis, calceis, annulis, capitísq; redimiculo hinc inde dispersis, lingua extra os exserta. Tũ vates respōdisse, ingēs opprobrium sacris virginibus oblatum, foréq; vt publicè id innotesceret, sed & equitũ cōiunctum fore quoddã dedecus. Ibi barbari cuiusdã equitis seruum indicium detulisse de tribus Vestalibus virginibus Aemilia, Licinia, & Martia, sub idem tēpus vitiatis, & quę iam diu cum viris incestam consuetudinem habuissent, de quibus viris esset etiã Butetius indicis dominus. Et Vestales quidem criminis cōvictas, pœnas dedisse. Cæterùm vt atroci in re placuisse, vt à sacerdotibus Sibyllini libri consulerentur. ibi inventa fuisse oracula, quæ eventura isthæc & malum publicum allatura prædicerent: cuius avertendi causa peregrinis quibusdam & alienis geniis duos Græcos, totidem Gallos homi-

nes

nes viuos eo in loco defossos Romani iubebantur dedere.

XXCIIII. *Diei exordiũ.*

Cur à media nocte diei sumunt initium? An quia reipublicæ constitutio principio fuit militaris? nam in re bellica pleraq; noctu antè capiuntur vtilia consilia. Aut actionem ordiri sub ortum solis volentes, apparatui noctem destinauerunt? Priùs enim paratos ad agendum par est accedere, non inter agendum se parare: quod Myso Chiloni sapienti respondit, hyeme ventilabrum fabricans. Aut quia meridies plerisque finis est publicas & serias res agendi, mediam noctem placuit pro exordio sumi? cuius rei magnum argumentum est, quòd nullus Romanus magistratus post meridiē fœdus aut pactum icit. Aut quia ortu occasúq; Solis principium & finis diei definiri non possunt? Quo enim modo pleriq; sensus arbitrio diei principium diiudicāt primum Solis ortum, noctis autem plenam eiusdem occultationem: nullum habebimus ęquinoctium, sed ob magnitudinem Solis nox etiam illa quam maximè ęqualem diei credimus, die erit breuior. Quod autem mathematici absurdo huic medentes diei ac noctis discrimen in appulsu centri solis ad horizontem seu finitorem circulum constituunt, id evidentiam evertit. fit enim ista ratione, vt diem esse negare, & noctem etiānum durare cogamur fateri, cùm adhuc infra terram multa luce manente Sol nostram plagam illustrat. Quādo igitur ortu & occasu solis principium diei & noctis ob dictas difficultates non potest percipi, restat vt pro principio diei sumamus illum articulum temporis, quo Sol vel in medio cœli est, vel in opposito eius pūcto. hoc autem posterius meliùs congruit. Sol enim à meridie versus occasum à nobis fertur: à mediæ noctis puncto versus ortum ad nos.

XXCV. *Mulierum libertas.*

Cur antiquitus mulieres neq; molere sinebant, neque coquere? An memoria pactorum cum Sabinis initorum? Post raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum id quoq; in pactis scriptum fuit, Mulierem viro Romano neq; molere debere neq; coquere.

XXCVI. *Maius.*

Cur mense Maio mulieres non ducuntur? An quia is medio loco inter Aprilem est & Iunium, quorum ille Veneri, hic Iunoni sacer est, numinibus matrimoniorū tutelaribus, vel antevertunt Maium, vel Iunium præstolantur? Aut quia mense isto maximam expiationem peragunt, simulacra nunc de ponte in fluuium, antiquitus homines iacientes? ideóq; etiam Flaminicam, quæ Iunonis habetur antistita, leges tūc iubent esse tetricam, lauacróq; & ornatu abstinere. Aut quia multi Latinorum isto mense parentant mortuis? atq; ideo fortassis Mercurius eo mense colitur, à Maia nomen ducente. Aut verius est quod alij dicunt? Maium à seniorum, qui sunt maiores, Iunium à minorum ætate nomen habere, qui sunt iuniores: magis autem convenit nuptiis iuuentus, vt & Euripides monet:

Etenim senectus Cypridem missam facit:
Annisq; onustos Venus auersatur viros.

itaque Maio non contrahunt matrimonium, sed in Iunium continuò sequentem differunt.

XXCVII. *Comam hasta discernere.*

Cur nuptarum comam discriminant hastæ cuspide? An id signum est primas vi & bello fuisse ductas? Aut monentur nuptæ, quia bellicosis iungantur maritis, debere ipsas ornatu vti simplici & à luxu ac mollicie alieno? quemadmodum Lycurgus fores & fastigia ædium iubens serra & securi, nullo alio adhibito instrumento fabricari, omnem luxum supervacaneámque operam præcidit. Aut per ambages innuitur, solo ferro coniugium discissum iri? Aut quia pleraq; ad nuptias pertinētia ad Iunonem referuntur? *Iuno.* Iunoni autem sacra habetur hasta, & pleræq; eius statuæ hasta nituntur, ipsáq; dicitur dea Quiritis. hasta enim antiquis Quiris nominabatur. inde Mars Quirinus vsurpabatur.

XXCVIII. *Lucar.*

Cur pecunia quæ spectaculis impenditur, Lucar dicitur? An quia multi circa vrbem sunt luci diis consecrati, quorum reditus in spectacula insumebant?

XXCIX. *Quirinalia stultorum festum.*

Cur Quirinalia festum stultorum appellant? An quòd dies iste his erat destinatus, vt Iuba scribit, qui suam curiam ignorabant? Aut quòd qui Fornacalibus feriis ob occupationes, peregrinationem, vel ignorationē nō sacrificassent in sua tribu, iis permissæ fuerunt istæ feriæ harum loco obeundæ?

XC. *Hercules.*

Cur in sacrificio Herculis nullus alius deus nominatur, neq; intra sepimenta canis conspicitur? sic enim tradit Varro. An ideò alium deum non nominant, quia semideus censetur Hercules? Aut quia adhuc inter homines degenti Euander aram po-

fuit, & victimam obtulit? id enim nonnulli tradunt. Omnium autem animalium nullum infestius habuit Hercules cane. hic enim ei plurimum negocij identidem exhibuit. & Cerberus canis fuit. ac præter omnia cùm Licymnij filium Oeonum canis causa interfecissent Hippocoontidæ, coactus pugnam committere, cùm alios sociorum multos, tum Iphiclum amisit.

XCI. Cur patriciis non licebat prope Capitolium habitare? An quia M. Manlius ibi habitans tyrannidem affectauit? propter quem illa familia iureiurando sese obstrinxit, nemini se ex ea Marci prænomen facturam. Aut antiquus tenebat metus? etenim Poplicolam hominem magis quàm quisquam fuerit alius popularem non destiterunt calumniis impetere potetiores, metuere verò plebs, antequàm domum suam ipsus diruit, quòd ea imminere foro videretur.

XCII. *Corona quercea.* Cur eum qui ciuem seruasset, corona donabant querna? An quòd vbiq; copia in expeditionibus est quercus, & quidem nullo negocio? Aut quia Ioui & Iunoni, sacra est ista corona, quibus diis vrbium tutelam adsignant? Aut prisca est hæc Arcadum consuetudo, quibus aliqua est cum quercu cognatio? Primi enim hominum è terra enati creduntur, sicut quercus inter stirpes prima.

XCIII. *Vulturum natura.* Cur ad auspicia maximè vsi sunt vulturibus? An quòd Romulus Romam condens duodecim vultures obseruauit? An quia auium omnium minimè ista frequẽter conspici solet? non enim facilè in pullos vulturis incideris: sed ex remotis locis alicvnde subitò advolant: vnde sequitur, eorum cõspectu aliquid portendi. An hoc quoque ab Hercule didicerunt? Si tamen verum est quod Herodorus scripsit, Herculem in auspicio capiendo maximè delectatum fuisse vulturibus oblatis, quòd hanc omnium volucrium carnivorarum iustissimam censeret. Primùm, quia nihil animatum tangit aut necat: id quod aquilæ faciunt, accipitres, & quæ noctu volant aues: sed solis vescitur cadaueribus. Deinde quòd suæ quoq; naturæ & generis cadauera præterit. nemo enim vnquam vidit à vulture auem gustari: cùm aquilæ & accipitres maximè insectentur & occidant aues. at verò vt est apud Aeschylum,

Incesta auis sit oportet, si volucrem voret.

Præterea hæc auis minimè omnium aliarum homini nocet, cùm neque fruges perdat, neq; plantas, neq; vllum mansuetum animal lædat. Denique si verum est quod Aegyptij perhibent, totum vulturum genus esse femininum, & concipere subsolani flatu excepto, sicut arbores Fauonij admisso spiritu: omnino probabile est præsagia ab iis ducta, firma esse & erroris vacua: cùm in aliis agitatio circa coitum, tum rapinæ, fugæ, insectationésq; multum tumultuationis & incertitudinis exhibeant.

XCIV. *Aesculapius.* Cur Aesculapij fanum extra vrbem est? An quia salubrius extra, quàm intra vrbem degi putant? nam Græci quoq; ferè locis puris & sublimibus posita Aesculapij habent sacraria. Aut quòd deum illum Epidauro accersitum venisse Romam existimant? Epidaurij autem non in vrbe, sed procul inde templum Aesculapij habent. Aut quòd angue apud insulam è trireme egresso & è conspectu hominum sublato, ipsum deum arbitrantur locum sui templi indicasse?

XCV. *Legumina.* Cur castimoniam seruantibus vsu leguminum est interdictum? An fabã ob easdem quas Pythagorici causas abominati sunt? lathyrum autem & erebinthum (hoc est pisum, puto, & cicerem) quod lathæ & erebo, id est letho & orco nomina horum sunt affinia? Aut quòd ad circumpotationes funebres & mortuorum evocationes maximè vtuntur leguminibus? Aut potiùs quia ad castimoniam afferre oportet corpora pura & tenuia? legumina autem flatus generãt, & superfluitatem gignunt multa opus habentem expurgatione. Aut quia etiam ad rem veneream instigant ob flatuum & spirituum generationem?

XCVI. *Vestaliũ impudicarum pœna.* Cur Vestales virgines si pudiciciam prodiderunt, nõ alio afficiunt supplicio, quàm quòd viuas defodiunt? An quia mortuos cremant: cremare autem eam, quæ ignem sacrum non custodiuerit piè, iniustum esset? Aut quia corpus summis consecratum cæremoniis interficere, & manus adferre sacræ mulieri, nefas cẽsentes, ipsã vltrò mori volentes infra terram demiserũt, in exstructum ad hoc domicilium, vbi & lucerna ponebatur ardens, & panis, atq; lactis & aquæ nonnihil, deinde terra superne ingesta occultabatur locus? Ac ne hoc quidem modo defunctos se religione putabant, sed hodiéque mos obtinet, vt ad illum locum sacerdotes accedentes parentent.

XCVII. Cur Idibus Decembribus exhibitis equestribus ludis, dexter equus victor Marti sacer

sacer immolabatur, & caudam aliquis amputatam fert ad locum cui Regia nomen, aramque cruentat, de capite alij à sacra via, alij à Suburra descendentes depugnant? An, quæ est quorundam opinio, equo Troiam captam putantes, equum plectunt: vtpote qui sint *Equus Marti immolatus.*

Troum splendida proles natis mixta Latinûm.

Aut quia animosa est bestia, & bello apta atq; Martialis equus? diis verò ea potissimum immolant, quæ iis accepta sunt & conuenientia: victor autem equus mactatur, quia deo victoria est accepta ferenda. Aut rectiùs hoc dicetur, opus illius dei statariam esse pugnam, victoriámq; stando suos ordines qui seruant de fugientibus reportare: itaq; puniri celeritatem vt fugæ commeatum, moneríq; isto argumento ciues, fugientibus nullam esse salutis fiduciam?

XCVIII. *Anseres sacri.*

Cur censores vbi magistratum occeperunt, nihil prius habent locatione alimentorum pro sacris anseribus, & simulacri exornatione? An quia volũt ab iis ordiri, quæ sumtuum & occupationis minimum desiderant? Aut pro veteri beneficio animalibus hæc refertur gratia, quòd Gallos Roma capta iam muros Capitolij superantes canibus dormientibus senserunt anseres, vigilésque suo clangore excitauerunt? Aut censores, cùm rerum maximarum custodia ipsis demandata officiúq; ipsorum esset accuratè obseruare & inspicere in sacra, res publicas, vitas, mores, rationémq; victus: initio statim vigilantissimum animal procurant, eáq; industria ciues hortantur, vt sacrorũ curam diligentem gerant? Simulacri autem illustratio necessaria est. minium enim quo antiqua simulacra inducebant, colorem habet facilè evanescentem.

XCIX. *Augur.*

Quid causę est, quòd cùm alios sacerdotes in locum damnatorum atq; solum vertere iussorum sacerdotióq; priuatorum sacerdotũ sufficiant: soli auguri, etiamsi summorum flagitiorum compertus habeatur, non abrogant sacerdotium, quandiu viuit? An quòd sacrorum arcana à quoquam qui sacerdos non sit cognosci nolunt? Aut quia iureiurandi, quo sanxit se nemini disciplinam istam traditurum, eum abrogata dignitate factum priuatum soluere nolunt religione? Aut non magistratus vel dignitatis, sed scientiæ artisque nomen est augur? vt qui vatem ne vates sit prohibere conetur, perinde agat, ac si musico ne musicus, aut medico ne medicus sit, velit edicere: cùm vt maximè titulum deroget, scientiam tamen adimere non possit. Alium porrò non creant, quòd numerum augurum ab initio constitutum retinere volunt.

C. *Seruorũ feriæ.*

Cur Idibus Sextilis, qui nunc Augustus dicitur, feriæ sunt vtriusq; sexus seruis, mulieres autem tum maximè lauare & purgare capita student? An hoc seruis datum, q̃ ea die Seruius rex natus è captiua fuit ancilla? lotio autem capitis ab ancillis feriarum causa cepta, etiam ad liberas pervasit?

CI. *Bullæ. Tarquinius.*

Quare pueros bullis ornant? An in honorem raptarum id quoque, vt multa alia, decretum earum natis est? Aut Tarquinij virtutem hoc modo venerantur? Is enim etiamnum puer in pugna adversus Latinos simul Etruscósq; commissa fertur in hostes impetum dedisse, delapsúsq; de equo irruentes audacter substitisse, Romanorúmq; animos auxisse: fusisq; magno prœlio hostibus, quorum interfecti sunt sedecim millia, à rege patre suo virtutis ac rei optimè gestæ illud præmium accepisse. An quia antiquis formosos seruos amare inhonestum non erat, (quod etiamnum comœdiæ testatum faciunt) ab ingenuis autem maximopere abstinebãt: ideóq; vt ne nudis quidẽ incidentes errarent, id insigne liberi gestabant? An ad ordinis hoc quoq; signum rationem commodam pertinebat, tanquam frænum immodestiæ iniectum, cùm puderet in viros evadere priusquam puericiæ signum deposuissent? Probabile enim non est quod Varro tradit, quia consilium (Græcis hoc bule est) Aeolicè bolla dicatur, hoc pueris signum probi consilij fuisse additum. Sed vide an non bullam quoque propter Lunam gestent? Lunæ enim figura, cum dimidiato fulget orbe, non est globi similis, sed lentis aut disci formam præ se fert. vtq; opinatur Empedocles, etiam subiecta ei materia.

CII. *Dies. Numeri.*

Cur pueris nono, puellis octauo die nomen imponitur? An causa est naturalis, quod priùs puellis? femina enim citiùs augetur, ad vigorem pervenit atq; absoluitur quàm mas. Dies porrò post septimam sumunt. Septima enim periculosa est infantibus, cùm aliàs, tum quòd ea die vmbilicus decidit plerisq;. quod antequam fit, plantæ quàm animalis similior est infans. Aut maribus & feminis hunc dierum numerũ cen-

fuerunt congruere, Pythagoricos secuti? Hi enim marem imparem numerum vocant, parem feminam. Impar enim fœcundus est, & in compositione præstat pari: diuisisq; in vnitates ambobus, par instar feminæ vacuum in medio relinquit spacium, impar semper medium habet plenum. Aut quia omnium numerorum nouem primus est quadratus, natus ex ternario qui est impar & perfectus: octo autem, primus est cubus natus è binario pari? oportet autem marem quadratum esse, & agilem, & perfectũ: feminam cubi instar stabilem, domi affixam, & non facilè mobilem. Hoc addendum. Sicvt nouem quadratus est ternarij, octo cubus binarij: ita mares tribus, feminas duobus vti nominibus.

CIII. *Spurij.* Cur eos, qui patrem certum non habent, spurios appellant? Est quidem Græcis sporos semen. sed tamen verum non est quod iidem putãt, & rhetores in orandis caussis afferunt, sic dictos quòd promiscuo semine sint nati. Sed Spurius prænomen est, vt *Prænomina.* Sextus, Decimus, Caius. Porrò non integra scribunt Romani prænomina, sed aut vnica littera notant, vt Titum, Lucium, Marcum, sic: T. L. M. aut duabus, vt Tiberium, Cneum, sic: Ti. Cn. aut tribus, vt Sextum, Seruium, sic: Sex. Ser. Spurius quoq; duabus litteris indicatur, Sp. Iisdem litteris etiam nothos significant S. P. nimirum Sine Patre. quæ res errori ansam præbuit, cùm Spurius & incerto patre natus iisdem elemẽtis notarentur, vt hi quoq; spurij vsurparentur. Est & alia, verùm absurdior ratio. Aiunt à Sabinis pudẽda mulieris spurium nominari: itaq; sic ignominiosè appellari qui ex nõ nupta muliere natus esset.

CIIII. *Liber pater.* Cur Baccho Liberi Patris nomen imposuerunt? An quòd bibentibus libertatem ingenerat? pleriq; enim per ebrietatem feroces, liberiq; nimium sunt. Aut quia liba exhibuit? Aut, vt Alexander tradit, ab eo, quod Bacchus apud Eleutheras Bœotiæ vrbem Eleutherius, id est liber, dictus fuit?

CV. *Nuptiæ.* Cur publicis feriis mos non est nubere virgines, nubunt tamen viduæ? An caussa est, quam adfert Varro? Virgines nubere inuitas & tristes, mulieres autem cum lætitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agẽda. Aut quia decori est virginibus nuptias earum multis præsentibus peragi, idémque viduis dedecori? primæ enim nuptiæ optandæ sunt & in precio: secundæ votis recusandæ, quòd vel cum turpitudine nubunt viuente priore marito, vel cum luctu, si is sit mortuus. itaque viduæ ad suas nuptias quiete magis gaudent quàm frequẽtia hominum & tumultu. festiuitates porrò multitudinem ad se trahunt, neq; nuptiis vacare patiuntur. Aut quia festo die raptis Sabinis virginibus bellum est exortum, religio ipsis inde fuit virginum nuptias festis diebus celebrare?

CVI. *Fortuna.* Cur Fortunam Primigeniam Romani venerantur? An, quæ multorum est Romanorum opinio, Ser. Tullo ex ancilla, vt fertur, nato Romæ regnum Fortunæ beneficio obtigit? Aut potiùs quòd ipsi Romæ sui ortus initia suggessit Fortuna? Aut caussam res habet magis ad naturalium rerum contemplationem referendam? nimirum omnium rerum principium esse fortunam, & naturam ex euentis fortuitis constitui, quando fortuita euenta ordinem inter se sortiuntur.

CVII. *Histriones.* *Liuius initio 7.* Cur scenici artifices Baccho sacri, histriones dicuntur? An veram caussam Cluuius Rufus? Is narrat priscis temporibus C. Sulpicio & Licinio Stolone Coss. pestem Romæ grassatam omnes ad vnum scenæ administros exstinxisse. itaq; alios requirentibus aduenisse ex Etruria multos bonósq; eius rei artifices: inter quos gloria & vsu artificij longissimo præstantem reliquis fuisse Histrum nomine: ab eo cæteris quoq; histrionum nomen factum.

CIIX. *Cognatæ non ductæ.* Cur cognatas non ducunt vxores? An vt coniugiis augeant necessitudines, multósque sibi parent cognatos aliis dando, ab aliis accipiendo mulieres? Aut metuentes sibi à discordiis coniugialibus, quæ exortæ inter cognatos, præter coniugum debitum amorem etiam naturæ iura essent abolitura? Aut videntes mulieribus ob imbecillitatem opus esse multis defensoribus, noluerunt cognatas ducere, vt ipsis auxilio esse possent si à maritis iniuria afficerentur?

CIX. *Farina.* *Farmentum.* *Flamen Iouis.* Quamobrem flamini Diali non licebat farinam aut fermentum tangere? An quia farina alimentum est imperfectum & crudum? nam neque mansit triticum id q̃d erat, neq; factum est quod fieri debet, nimirum panis: sed simul & seminis vim amisit, & vsum cibi non est assecutum. Itaq; poëta farinam mylephaton translatione vsus dixit, quasi interfectum & perditum molendo frumentum. Fermentum cùm ipsum natum

tum est ex corruptione, tum farinã cui admiscetur, corrumpit, vt languidior fiat & inefficax. omninóq; fermentatio putrefactionis speciem gerit: quæ si modum excedat, plane acidam reddit & perdit farinam.

Quare eidem interdictum est contactu carnis crudæ? An is mos quàm longissime à crudorum esu abducit? Aut eadem quam de farina attulimus causa subest? Caro enim neq; animal est, neq; cibus adhuc est reddita: assatio & elixatio qualitatibus eius mutandis formam demum aliam inducunt. recens autem & cruda caro neq; adspectũ quidem habet purum & labis expertem, sed deformẽ visuiq; adversum, & vlcerosum. CX. Caro.

Cur eundem lex iubebat canis & capræ cùm tactu, tum nominatione omnino abstinere? An capræ abominabantur lasciuiam, fœtorémq;? an quòd morbo comitiali animal istud obnoxium est, contagionem mali metuebant ad eos perventuram, qui tũ vescerentur capra, aut eam tangerent, cùm in morbo est? Causam morbi tradunt esse angustiam meatuum per quos spiritus fertur, ob quam is sæpe intercipitur. pro argumento vsurpant vocis tenuitatem. nam & homines morbo Herculeo correpti exilem vocem emittunt, balatui adsimilẽ. Cani fortassis minus adest fœtoris & lasciuiæ. quãquam sunt qui canem & arce Atheniẽsi, & Delo insula aiunt arceri, propter coitum in propatulo: quasi verò boues, sues, & equi non promiscuè & palàm, sed intra thalamos proli dent operam? Isti veram causam ignorant. Quia canis animal est pugnax, ideò asylis & sacrosanctis prohibetur sacrificiis, in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus conceditur. Veri ergo simile est Iouis quoq; sacerdotem, vtpote viuum, sacrúmq; perfugij simulacrum, ad se liberè admittere quosvis supplices & deprecãtes, nemine arcente aut terrente. Itaq; lectulus ei positus erat ad ipsum domus vestibulũ: & qui ad genua eius accidisset, is ea die à verberibus & supplicio immunis erat: ac si vinctus accessisset, soluebatur. Vincula autem foras non per ianuam, sed de tecto in publicum proiiciebantur. Nihil verò supplicibus profuturum erat, si ita benigno, & humano se præbente flamine, canis adsistens hanc veniam petituros terruisset atq; arcuisset. Enimverò canem antiqui non vsquequaq; mundum esse iudicabant: nam & nulli cœlitum is immolabatur: & Hecatæ terrestri in trivio cœnę loco missus, piacularis sacri, avertendi mala expiandíq; gratia facti partes obibat. Lacedæmone porrò Marti, deo cædibus deditissimo, catulos insecabant. apud Bœotos publicum est sacrificium, quo cane in duas discisso partes, per earum medium transibãt. ipsi Romani Lupercalibus mense Februario cane litant. Itaq; abs re non est, quod sacerdoti supremi ac purissimi numinis familiæ suæ canem aut aliquid cum eo rei habere nefas statuerunt. CXI. Capra. Epilepsia. Canis. Supplicandi ritus. Canis.

Cur eidem non licet ederam tangere, neq; per viam transire, vbi vitium propagines in sublimi sunt prætentæ? An hæc horum sunt similia, Non edere in curru, neq; insidere chœnici, neq; scopas transcendere? non ista metuentibus aut caueri volentibus Pythagoricis, sed aliis rebus per has ambages interdicere. Ad vinum enim refertur, quod subire viti prohibetur sacerdos: scilicet nefas esse eum inebriari. qui enim ebrij sunt, eorum superius capitibus est vinum, atq; ea degrauat & premit: cùm par sit voluptate ista superiores esse, & non vinci à vino, sed ei moderari. Ederam autem an vt sterilem & invtilem hominibus, imbecillámq; & ea de causa aliis quibus innitatur opus habentem, vmbráq; & virore suo multis quasi præstigiando imponentem, nõ voluerunt absq; emolumento & frustra in domibus ali, & circumplicare se aliis stirpibus, quibus ea re nocet, solúmq; occupat? Hanc quidem ob rem edera & Olympiis sacris arcet: & neq; Athenis in Iunonis, neq; Thebis in Veneris sacris rebus vllus ederæ syluestri locus est. Bacchanalibus, aliisq; id genus sacris, quorum maior pars peragitur in tenebris, adhibet. An hoc ipso etiam signo orgia Bacchi volebant esse vetita? Bacchicis enim furoribus deditæ mulieres, rectà ad ederam feruntur, eámq; discerpũt manibus arripientes, & vorantes. ita vt non planè fide careat quod nõnulli dicunt, inesse spiritum ederę, qui de statu rationis deturbet, mentémq; abalienet, exagitétq;, & prorsus ebrietatem à nullo ortam vino inducat, ac permolestam: si quis alioquin hominũ ad concitationes animi furiosas, instinctúsve diuinos sit procliuis. CXII. Vinum. Edera.

Cur iisdem flaminibus Dialibus permissum non est vt magistratum suscipiant aut ambiant? cum tamen & lictorem habeant, & sellam curulem, honoris gratia, vtq; ferãt æquiore animo magistratuum gerundorum facultatem sibi ademtam? An quia in Græcia etiam aliquibus in locis sacerdotium dignitate regno cùm æquale esset, repulsam passos, sacerdotio dignati sunt? Aut potiùs, ꝙ cùm certæ & ordine definitę essent CXIII.

sacerdotum actiones, regum verò ordine carentes & infinitæ, fieri non poterat vt qui rex simul sacerdósque esset, diuersi generis in eundem temporis articulum incidentibus negociis vtrumque procuraret: sed necesse erat futurum vt vtroque vrgēte alterum omitteret, itáque interdum deos ritè non coleret, interdum ciuibus esset damno? Aut quòd in magistratus humanos intuentes, cum non minus necessitate eos, quàm potestate administrari obseruarent: populíque principem (quod de medico Hippocrates pronūciauit) multa horrenda adspectu videre, multa tangere, & ex alienis miseriis pro fructu suas capere molestias: impium rati sunt istum diis sacrificare, & auspicem esse diuini cultus, qui damnationibus & capitalibus, lethóque finitis suppliciis ciuium (non rarò etiam cognatorum & domesticorum, vt Bruto vsu venit) interfuisset.

Magistratus medico similis.

Quæstiones Græcæ.

I. 
QVI sunt apud Epidaurios conipodes & artyni? Rempublicam tractabant CXXC viri. Ex his senatores deligebant, quos appellabant Artynos. maior porrò populi pars ruri solebat versari. vocabātur autem conipodes, quasi pulueripedes, quòd agnoscerentur è pedibus puluerulentis, quoties in vrbem veniebant.

II. Quæ est apud Cumæos Onobatis? nomen hoc à conscenso asino est factum. Depræhensam in adulterio mulierem in forū producebant, & in lapide omnibus conspicuo sistebant, deinde asino impositam circa vrbem circumducebant, postea rursum in eodem lapide adstare coacta, infamis per totam habebatur vitam, et vocabatur onobatis. lapidem autem ob eam rem vt pollutum abominabantur. Magistratus etiam apud hos fuit, qui phylactes dicebatur à custodiendo. Eum qui gerebat, reliquo tempore carcerem custodiebat. Nocturno autem concilio in senatum veniens, manu iniecta reges educebat, ac detinebat donec occultè latis suffragiis de iis iudicasset senatus, iniusténe agerent nécne.

Adulteræ pœna.

III. Quæ est apud Solenses Hypeccaustria? Sic appellabant Mineruæ antistitam, quòd auerruncandorum malorum gratia certis quibusdam sacris operatur.

IV. Qui sunt Cnidiis Amnemones, & quis Aphester? Ex optimatibus viri LX delecti erant, quibus per omnem vitam tanquam inspectoribus vtebantur, & eorum summis in negociis autoritatem sequebantur. Amnemones, id est immemores, dictos suspicari licet, quòd factorum rationes ab iis non exigebantur: aut potius me hercle, quòd plurimum valerent memoria. Aphester autem dicebatur, qui sententias interrogabat.

V. Qui sunt apud Arcades & Lacedæmonios chresti, id est boni? Lacedæmonij Tegeatis reconciliati, fœdus pepigerunt, & communem columnam ad Alpheum posuerunt: in qua inter alia fœderis capita hoc scriptum erat, Messenios regione pellunto, Neminem bonum faciunto. hoc Aristoteles interpretans, ait eo significari Tegeatarum neminem debere interfici, qui auxilij causa Laconicis rebus studeret.

VI. Quis est apud Opuntios Crithologus? vox hordeum legentem designat. Græcorum plerique in vetustissimis sacrificiis hordeo vtebantur, primitias eius ciuibus offerentibus. Præsidi itaque sacrorum, & primitias istas colligenti, hoc nomen factum est. duos autem habebant sacerdotes: vnum qui deorum, alterum qui geniorum sacra administraret.

Hordeum in sacrificiis.

VII. Quæ sunt ploiades nebulæ? quæ maximè imbrem conceptum haberent, & circumagitarentur, sic appellabantur. Theophrastus libro de iis quæ in sublimi fiunt quarto: Ploiades, inquit, nebulæ sunt, & quæ consistunt. immobiles autem & colore albo differentiam quandam materiæ indicant, neque in aquam neque in spiritum conversæ.

VIII. Quis est Bœotorum Platychætas? Sic appellabant ædibus agrísve suis vicinos & conterminos, tanquam plurimum possidentes. apponam autem vnam vocem ex lege thesmophylacij seu archiui, cùm sint plura vocabula. *

IX. Quis est apud Delphos Hosioter, & cur vnum de mensibus appellant Bysium? Hosioter est victima quæ immolatur cùm creat Hosius. (vox sanctum notat) Quinque autem sunt hosij per omnem vitam, multísque in rebus adsunt vatibus, atque vnà etiam sacri-

sacrificant: quippe à Deucalione genus crediti trahere. Bysius mensis, vt plerique putant, Physius est, à nascendo sic dictus. est enim veris initio, quo tempore pleraque nascunt & germinant. Sed res ita non habet. Non enim Delphi B littera pro Ph vtuntur (vt Macedones, qui Bilippum, Balacrum, Beronicam dicunt, quæ sunt Philippus, Phalacrus, Pheronice) sed loco litteræ P soliti batein dicere & bicron, quæ sunt patein & picron. Est ergo Bysius dictum pro Pysius, quod eo mense deũ scitantur. Atque hæc sententia convenit cum antiquis Delphorum obseruationibus. Mense enim isto oraculum primò exstitit, & septimanam istam deo nataliciam putãt, polyphthonúmque nominant, nõ à coquendis phthoibus, quod est placentæ genus, sed quòd multa tum responsa deus edat. Serò enim cepit singulis mensibus oracula requirentibus respondere, antiquitus semel duntaxat in anno vaticinabatur Pythia, idque ista die: vt Callisthenes & Anaxandridas tradiderunt.

Quid est phyximelum? planta est exigua & humi iacens, cuius germina pecus inambulans conculcat atque affligit, & incrementum impedit. cùm itaque se subiicit, & ad iustam magnitudinẽ pervenit, evitatis ouium iniuriis ac damnis, phyximelum dicitur. testis Aeschylus. X.

Qui sunt aposphendoneti? quasi fundarum telis pulsos diceres. Corcyram insulam Eretrienses incolebant. Charicrate autem à Corintho cum copiis profecto, bello ab eo victi, conscensis nauibus domum versus nauigarũt. ciues re maturè animaduersa, arcuerunt eos patria, fundisque impetentes egredi in terram non sunt passi. Cùm itaque neque persuadere hominibus rigidis, neque vim facere multitudini eorum possent, in Thraciam nauigauerunt. Ibi loco occupato, quem prius coluisse Methon Orphei de posteris vnus fertur, vrbem Methonam nominauerunt. ipsi à vicinis aposphendoneti sunt appellati. XI.

Quid est apud Delphos Charila? Delphi tres deinceps nono quoque anno agunt solennitates, Septerium, Heroida, Charilam. Septerium imitationem habet pugnæ Apollinis cum Pythone, & à pugna fugæ dei ad Tempe, aut persecutionis. alij enim fugisse eum ferũt, quòd peracta cæde opus expiatione haberet: alij Pythonem saucium & fugientem via, quæ nunc Sacra dicitur, cum insequeretur, supervenisse ei recens è vulnere mortuo, & funerato à filio, cuius nomen Aex, id est capra, perhibent. Septerium ergo harum, aut similium rerum imitatio est. Heroidis pleraque fabulosam habent rationem, Thyadibus notam: ex iis quæ aguntur, liquidò quis excitationem Semeles coniiciat repræsentari. De Charila hæc traditur fabula. Fame ob anni siccitatem vrgente Delphos, cum liberis & vxoribus ciues ad fores regis supplices venerunt. Is farina & leguminibus notiores sibi (non enim omnibus sufficiebat) impertiit. puella autem paruula cum accederet orba parentibus, & instaret petendo, calceo malam eius percussit, calceúmque in faciem eius coniecit. hæc, vt erat animo minimè abiecto, pauper alioquin & deserta, è medio se subduxit, cingulóque soluto fauces illigans sese suspendit. Tum crescente penuria, & morbis accedentibus, Pythia regi respondit, Placandos esse manes Charilæ virginis quæ ipsa sibi mortem consciuisset. Vix tandem investigato id nomen puellæ quæ alapam accepisset fuisse, piaculare quoddam sacrificium peregerunt, quod etiamnum nono quovis anno fit. præsidet rex, & farinam leguminaque impertit omnibus & peregrinis & ciuibus. infertur puerile simulacrum Charilæ. postquam omnibus datum fuit, rex id calceo ferit: quæ autem Thyadum est princeps, simulacrum ad confragosum defert locum, ibique collum fune cingẽtes simulacri, id defodiunt: vbi olim Charila sepulta fuerat. XII. *Delphica sacrificia.*

Quid est mendicatoria caro apud Aenianes? Sæpius migrauerunt Aenianes. Principiò enim cum habitarent circa Dotium campum, inde à Lapithis ad Aethicas fuerunt expulsi. Pòst Molossiæ regionem quæ est circa Auum occuparunt, vnde iis nomen Parauæi factum fuit. Deinde Cirram obtenuerunt. vbi cum iussu dei regem Oenoclum lapidibus obruissent, in regionem Inacho amni adiacentem descenderunt, quæ tum ab Inachiis & Achiuis tenebatur. His erat oraculum datum, fore vt si partem agri darent, vniuersum amitterent: illis, potituros esse, si à volentibus acciperent. Tum Temo primi inter Aenianes nominis vir, pannis obsitus, perámque gestans in morem mendici, se ad Inachios contulit. cui cùm ludibrij causa rex glebam terræ tribuisset stipem petenti, acceptam eam in peram XIII. *Astutè factũ.*

coniecit, munereque optime contentus isto sese subduxit, nihil porrò exigens. seniores hoc mirari, & in memoriam revocare oraculum, regem adire, hortarique, ne rem negligeret, sed hominem apprehenderet. Temo animadvertere quid ij cogitarent, fugáque data ad suos evadere, vota Apollini hecatomba. Secundum hæc singulari prœlio reges congressi sunt. ibi cùm Hyperochum Inachiorum regem videret comite cane contra se venire Phemius Aenianum rex, iniustè agere dixit qui socium ad pugnam adduceret: & avertentem se canis abigendi gratia lapidis iactu interfecit. Sic Aenianes potiti ea ditione, pulsis Inachiis atque Achæis, lapidem istum tanquam sacrum colunt, eique rem sacram faciunt, ac adipe hostiæ eum tegũt. cúmq; Apollini hostiam persoluunt, Ioui taurũ immolantes, partem carnium eximiam Temonis posteris tribuunt, ac mendicatoriam carnem appellant.

XIV. Quinam sunt apud Ithacenses Coliadæ, & quis Phagilus? Adversus Vlissem procorum ab ipso necatorum necessarij seditionem mouerunt. arbiter adscitus ab vtraque parte Neoptolemus, iudicauit debere Vlissem vt sanguine inquinatum exsulare Cephallenia, Zacyntho, atq; Ithaca: socios autẽ & familiares procorũ quotannis pro damno rei familiari Vlissis illato, ei pendere multã. Itaq; Vlisses in Italiã commigrauit, multã filio dedicauit, eique ab Ithacensibus solui iussit. erat autem farina, vinum, faui mellis, oleum, sal, & victimæ adultiores phagilis. Cæterùm Aristoteles phagilum ait esse agnum. Porrò Eumeum cum suis Telemachus libertate donatum ciuibus inseruit: éstque ab Eumeo Coliadarum genus, à Philœtio Bucoliorum.

XV. Quæ est canis lignea apud Locros? Locrus Physcij F. Amphictyonis N. ex Cabia filium habuit Locrum, cum quo postquam in discordiam incidit, magno ciuium numero assumto oraculum de colonia deducenda consuluit: tulitque responsum ibi se vrbẽ condere debere, vbi morsus esset à cane lignea. Mari traiecto rubum caninũ (sic cynosbaton exprimo fruticẽ spinosum) calcauit, vulneréq; vexatus, per aliquot dies ibi commoratus, regionis natura cõsiderata, Physcenses, Hiantheámq; cõdidit, vrbésq; alias quæ à Locris deinde Ozolis cultæ sunt. Ozolas autẽ quasi fœtidos si diceres, Locros alij propter Nessum putãt dictos, alij propter Pythonẽ, qui à mari eiectus in regionem Locrorũ, ibi cõputruerit. alij fœtorẽ eos contraxisse putant, quòd pelles ouium ac caprarum pro vestitu gererent, & plerumq; inter caprarũ greges viuerent. Alij contrà sic dictos quasi fragrãtes autumant, quòd regio ipsorum floribus abvndet. è quorum numero est etiam Architas Amphissensis, qui sic scripsit:

Vitiferam, innumeris fragrantem & odoribus illam
Macynam iucundam. ——

XVI. Quid rei est, quod Megarenses aphabroma vocant? Nisus rex Megaridis, quæ ab eo Nisæa fuit cognominata, è Bœotia vxorem duxit Abrotam, Onchesti filiam, Megarei sororem, mulierẽ insigniter prudentẽ iuxtà atq; pudicã. Eam vita functã Megarenses vltrò luxerunt. & Nisus vt æternum ei monimentum conficeret, ossa ipsius quas ea gessisset vestibus amiciri iussit, & ab eius nomine aphabroma appellauit. Videtúrq; gloriam mulieris deus defendisse. nam Megarides feminæ cum vestem mutare sæpius statuissent, semper prohibuit.

XVII. Quid est doryxenus? Antiquitus Megaris regio colebat̃ per pagos, in quinq; partes distributis ciuibus: dicebant̃ autẽ Heraënses, Piraënses, Megarẽses, Cynosurenses, & Tripodiscæi. Hos cùm Corinthij (qui semper Megaricã in suã redigere potestatem conati sunt) in bellũ ciuile coniecissent, id tamẽ æquitatis studio ab iis placidè fuit ac socialiter gestũ. Agricolis.n. nemo quisquam faciebat iniuriã. qui captus esset, certo se precio redimere opus habebat, quod nõ antè exigebat̃ quàm esset dimissus. captiuũ.n. qui ceperat, domũ abducebat, impertitúsq; eum sale & mẽsa sua, domũ dimittebat. qui preciũ sui redimendi afferebat, is laudabatur, & amicus eius qui ceperat ipsum perpetuus manebat, ac pro captiuo doryxenus, id est hospes hasta bellica partus appellabatur. qui fraudem solutioni fecisset, non apud hostes modò, sed etiam apud ciues infamis ob iniusticiam & perfidiam habebatur.

XIIX. Quid est palintocia? Megarenses cum eiecissent tyrannum suum Theagenẽ, non diu ciuilem tenuerunt modestiã: mox oratoribus nimiã eis & meram propinantibus (vt Platonico more loquar) libertatẽ omnino corrupti, cùm aliis in rebus petulãter diuites tractauerũt, tum in ædes eorũ venerunt, vtq; sibi splendidum appararet̃ conviuium postularunt; ac si repulsam paterentur, vim libidinémque in omnes exercuerunt

Megarensium petulantia.

cuerunt

cuerunt. Deniq; facto plebiscito, à feneratoribus fenora quæ ipsis persoluerant repetiuerunt: & factum hoc à receptione fenorum palintociam dixerunt.

Quænam est Anthedon, de qua Pythias dixit, XIX.

Fæcatum bibe vinum, vt non Anthedone degens:

neque enim Bœotiæ Anthedon vini ferax est multi? Calauria antiquitus dicta fuit Irene à femina Irena, quam fabulantur natam Neptuno & Melanthea Alphei filia. Postmodo cùm Anthes Hyperésque cum suis ibi habitarent, dicta fuit Anthedonia & Hyperea. Oraculum, vt Aristoteles tradit, tale fuit:

Fæcatum bibe vinum, vt non Anthedone degens,
Aut Hyperæ sacræ, quod ibi sine fæce bibisses.

Mnasigeto autem scribit, Anthum Hyperæ fratrem etiamnum infantem fuisse amissum, Hyperémque vagatum eius quærendi causa, Pheras ad Acastum aut Adrastum venisse, vbi tum forte Anthus seruus à poculis erat. hunc in conuiuio fratrem, cui poculum præbebat, agnouisse & clàm ei dixisse,

Fæcatum bibe vinum, vt non Anthedone degens.

Quid sibi volunt tenebræ apud quercum, quæ Prienæ memorantur? Samij & XX.
Prienæi bello commisso, mediocribus invicem damnis se affecerunt. collatis autem signis, Prienæi Samios mille trucidauerunt. septimóque pòst anno cum Milesiis pugna congressi ad locum qui Quercus dicitur, optimos primósque ciuium amiserunt. quo tempore Bias Priena in Samum missus legatus claruit. Cùm autem Prienæas mulieres calamitas hæc grauiter perculisset, exsecratio & iureiurandum maximis de rebus constitutum est per tenebras ad quercum: quòd ibi liberi, parentes, viriq; earum mortem oppetiissent.

Qui sunt qui apud Cretenses dicuntur katakautæ? Tyrrhenos ferũt, qui quo tempore Imbrum ac Lemnum tenuerunt, Atheniensium filias & vxores è Braurone rapuerunt, sedibus pulsos in Laconicam venisse, & cum eius regionis mulieribus tantum habuisse commercij, vt etiam liberos ex iis procrearent. Ob suspicionem verò & calumniam coactos Laconica cum vxoribus & liberis excedere, Polli & Fratre ducibus, in Cretam appulisse. ibi bellum cũ incolis gerẽtes, multos qui in pugnis cecidissent insepultos iacere passos fuisse, cùm & humare initio ob bellum & pericula non vacaret, & posteà cadauera tempore corrupta & putredine soluta tangere. Ibi Pollin excogitasse honores quosdam & priuilegia immunitatésq;, quarũ alias sacerdotibus, alias cadauerum sepultoribus tribueret, vtq; perpetua ista essent, diis Manibus ea consecrasse: sortitum deinde cũ Fratre super iis fuisse. Itaq; aliis nomen sacerdotum, aliis catacautarum à cremandis cadaueribus obtigisse. vtrosq; seorsim suam remp. habere. cúmq; Cretẽses mutuò furtis & rapinis se infestent, ad alias humaniter ipsis concessas immunitates id quoq; accedere, quòd ab iis omnia id genus maleficia abstinentur. XXI.

Quid rei est puerorum sepulcrũ apud Chalcidenses? Cothus & Arclus Xuthi FF. XXII.
in Eubœam habitatũ venerunt, cùm Aeolenses plerasq; insulæ eius partes obtinerẽt. Oraculum autem Cotho datum erat, si emisset terrã, fore vt rebus vteretur secundis, hostésq; superaret. Facta exscensione, mox incidit in pueros ludẽtes apud mare. quibus se cũ addidisset sociũ, ac multa peregrina ludicra mõnstrauisset, vt sensit ea ipsos cupere accipere, negauit se alia lege daturum, quàm si terram ab ipsis accepisset. pueri proinde terram humi sublatam ei dederunt, ludicrísq; acceptis discesserũt. Aeoles re cõperta, cùm hostes nauibus contra ipsos advehcrentur, ira doloréq; concitati pueros interfecerũt. Sepulti sunt iuxta viam, qua ex vrbe ad Euripum itur, locúsq; Puerorum sepulcrum dicitur.

Quis est Argis Mixarchagetas, & qui sunt Elasiæ? Mixarchagetã appellant Ca- XXIII.
storẽ, & apud se putant sepultũ. Pollucem autẽ colunt vt vnum de diis Olympiis seu Castores.
cœlitibus. Iam quidam qui sunt de posteris Alexidæ Amphiarai filiæ, morbum comitialem avertere cùm existimentur, à depellendo Elasiæ dicuntur.

Quid est Encnisma Argiuorum? Qui cognatum aut familiarem amisisset, sole- XXIV.
bat statim à luctu rem sacram Apollini facere, ac XXX pòst diebus Mercurio. Existimant enim sicvt corpora mortuorum terra, ita à Mercurio animas excipi. Apollinis autem ministro hordeum dantes, carnem hostiæ accipiũt, ignémq; vt pollutum

exstinguentes, aliunde nouum accendunt, quo carnem eam coquant, eámque encnisma appellabant à nidore ducta voce.

XXV. Quid significāt alastor, aliterius, palamnæus? non enim fides habēda est aliterios dictos perhibentibus, qui famis tempore obseruāt molentes (hos Græci vocāt alûntas) & farinam diripiunt. Verùm est alastor qui perpetrauit alasta, id est obliuioni nunquam mandanda, sed diuturnam habitura memoriam. aliterius, quem vitare (aleuasthæ) ob improbitatem convenit. Hæc Socrates ait facinora in tabulis æreis inscripta fuisse.

XXVI. Quo sensu fit, quod qui Aeno bouem Cassiopæam abducunt, iis virgines quæ eos deducunt vsque ad fines, accinunt

O vtinam in dulcem nunquam patriam redeatis?

Aenianes. Aenianes primùm à Lapithis pulsi circa Aethiciam, deinde apud Molossidem & Cassiopæam habitauerunt. quæ regio cùm nulli esset ipsis vsui, molestósque præterea haberent vicinos, in Cirræum campum Onoclo rege ducēte transiuerunt. vbi cum grauis siccitas & crebra vrgeret, oraculo (vt fertur) iussi Onoclum interfecerūt, rursùmque vagati, eam occupauerunt regionem, quam nunc obtinent bonam & feracissimam. itaque nō iniuria à diis petunt ne vnquam in patriam antiquam redeundum sit, sed lætis rebus ibi permanendum.

XXVII. Cur apud Rodios in sacellum Ocridionis non ingreditur præco? An res ita habet? Ochimus Cydippen filiam despondit Ocridioni. sed Cercaphus Ochimi frater, cum amore puellæ laboraret, præconi (nam per hos accersi sponsas moris erat) persuasit, vt sponsam acceptam sibi adduceret. quo facto Cercaphus cum puella profugit: & Ochimo demum iam sene facto rediit. Rodij itaque sanxerunt, iniuriæ istius causa, ne quis præconum intraret in sacellum Ocridionis. *Præco sponsam accersit.*

XXIIX. Cur apud Tenedios in Tenæ fanum tibicini intrare, ibidémque Achillis nomen proferri non licet? Cùm nouerca Tenem hunc solicitasset de incesto cōcubitu, Molpus tibicen falsum testimonium contra Tenem dixit. quo factum est vt Tenes cum sorore profugere in Tenedum sit coactus. Achilli porrò (vt aiunt) Thetis mater seuerè mandauerat ne Tenem, quippe Apollini carum, necaret, vnique famulorum negocium dederat, vt animum adverteret, Achillémque moneret, ne per imprudentiam Teni necem inferret. Sed cùm Achilles Tenedum populans sororem Tenæ, vtpote formosam, insequeretur, Tenésque obviam iens pro sorore propugnaret, eáque fuga elapsa ipse esset interfectus: Achilles re cognita famulum occidit, quod præsens eum non monuisset, Tenémque sepeliuit. huius fanum est hodiéque, in quod neque tibicen intrat, neque Achillis in eo nomen auditur.

XXIX. Quis est apud Epidamnios poletes? Epidamnij Illyriorum vicini, cùm suos ciues cum istis commercia agitantes viderent deteriores fieri, & ea de causa sibi à nouis rebus metuerent, ad contractus & permutationes istas quotannis vnum spectatæ vitæ ciuem delegerunt, qui ad barbaros commeans omnium ciuium nomine cum his negociaretur, poletésque ab isto commeatu diceretur. *Prudens factū.*

XXX. Quænam est ad Thraciam Aræni acta? Andrij & Chalcidenses cum sedium petendarum causa in Thraciam nauigassent, Sanen vrbem communi iure proditione deditam ceperunt. audito autem Acanthum à barbaris desertam, duos miserunt eò exploratores. qui cùm ad vrbem accessissent, hostésque plane profugisse deprehenderent, Chalcidensis prior excurrit tanquam ciuibus suis vrbem occupaturus. at Andrius cùm eum cursu non assequeretur, hastam coniectam valido ictu vrbis portæ infixit, ac se hasta Andriis vrbem eam præcepisse pronunciauit. Orta hinc discordia, quæ tamen in bellum non erupit, ita convenit inter partes, vt Erythræis, Samiis, ac Pariis arbitrium disceptatióque controversiæ deferretur. hîc cùm Erythræi ac Samij secundum Andrios litem dedissent, Parij autem Chalcidensium causam probassent: eo loco Andrij conceptis verbis Parios detestati sunt, séque nullum postmodò dandarum aut accipiendarum mulierum commercium cum illis habituros pronunciauerunt. Itaque litus illud Aræni appellarunt, cùm antè Draconis diceretur. *Acanthus.*

XXXI. Cur thesmophoriis sacris Eretriensium mulieres non ad ignem carnes, sed ad Solem assant? neque Calligeneam invocant? An quia captiuis quas à Troia abduxit Agamemno vsu venit vt ibi thesmophoria cum facerent, tempestate ad nauigādum apta oblata subitò avectæ sunt, imperfecto sacrificio?

Qui

XXXII. Qui sunt Milesiis aenautæ? Thoante & Damasenore tyrãnis deiectis, duæ Mileti sodalitates vrbem obtinuerunt, quarũ altera Plontis, altera Cheromacha dicebatur. cùm autem potentes prævaluissent, rerúmque summã ad se transtulissent, deliberaturi de maximis negociis in nauigia ingressi, ac longe à terra provecti, facto decreto reverterunt. hinc illis aenautarum nomen, id est semper nauigantium.

XXXIII. Quamobrem Chalcidenses locum qui ad Pyrsophium est, acmæon lescham, id est ætate vigentium conventui ac confabulationibus destinatum publicè locum, appellant? Nauplium ferunt persequentibus ipsum Achæis supplicem factum Chalcidensibus, quà diluisse crimina, quà alia vicissim Achæis obiecisse. Chalcidenses nequaquam de eo dedendo cogitasse: sed metuentes ne dolo interficeretur, præsidium ei adolescentum ætate vigentium addidisse, eóque in loco constituisse.

XXXIV. Quis est qui bouem benefactori immolauit? Apud Ithacam in statione erat nauis piratica, in eáque senex cum testis picem continentibus. Ad hanc fortè fortuna portitor appulit Ithacensis, nomine Pyrrhias qui senem nullius sui commodi causa, sed precibus ac miseratione illius inductus redemit, cadorum etiam nonnullis hortatu eius emtis. Postquam discessu prædonum data est licentia, senex Pyrrhiam ad fictilia ista adduxit, ostendítque multum auri argentíque pici permixtum. ita Pyrrhias subitò ditatus, cùm aliis officiis senem coluit, tum bouem ei immolauit. Hinc proverbio dicunt, Nemo bene merito bouem immolauit præter Pyrrhiam.

XXXV. Cur Bottiæorum puellis mos fuit choreas ducentibus dicere, Eamus Athenas? Cretenses, vt perhibetur, ex voto primitias hominum Delphos miserunt. Missi cum viderent nullam ibi rerum copiam esse, indè in coloniam profecti primùm incoluerunt Iapygiam, pòst Thraciæ istam partem, quæ Bottiæorum dicitur, obtinuerunt, permixtis Atheniensibus. Apparet enim adolescentes, qui tributi nomine ab Atheniensibus mittebantur, à Minoë non fuisse interfectos, sed pro seruis detentos. horum ergo aliqui facti & habiti Cretenses, vnà cum reliquis Delphos missi erant. Itaque Bottiæorum filiæ gentis suæ memoriam celebrantes in festiuitatibus canebant, Eamus Athenas.

XXXVI. Cur Eleorum mulieres Bacchum in sacro carmine hortantur vt bubulò pede ad ipsas accedat? ac bis accinunt, Digne taure? Hymni hæc est forma: Veni heros Bacche maritimum ad templum sanctum cum Gratiis, ad templum pede bubulo. *Bubulus pes.* An quia bouigenam nonnulli & taurum cognominant Bacchum? Aut bubulo dicunt pro magno? sicvt boopin poëta dixit magnis præditam oculis, & bugaium qui se gloriosè iactaret. Aut potiùs, quia pes bouis innoxius est, cornua damnosa, sic deũ hortantur vt lenis veniat atque innoxius? Aut quia multi hunc deum aratri & sationis inventorem fuisse putant?

XXXVII. Cur Tanagræis ante vrbem locus est, nomine Achilleum? inimicicia enim ei potiùs cum hac vrbe quàm amicicia fertur intercessisse, vt qui inde matrem Pœmandri Stratonicam rapuerit, & Acestorem Ephippi F. interfecerit. Pœmander itaque Ephippi pater cum Tanagrica regio etiamnum per pagos habitaretur, in Stephonte (loci hoc nomen est) ab Achæis oppugnatus quòd socium expeditionis se addere nollet, noctu eo loco deserto Pœmãdriam muro muniit. aderat ei Polycrithus architectus, qui opera eius contemnẽs atque ridens, fossam transsiliit. irritatus Pœmander saxũ grande, quod ibi occultatum erat antiquitus, nocturnis quibusdam sacris impositum, arripuit, eóque ferire Polycrithum volens, iactu aberrante filium Leucippum ictum interfecit. Erat itaque ei è Bœotia profugiendum, & peregrè alicuius ad lares supplicandum: verùm id impressio ab Achæis in Tanagricam iam tum facta reddebat difficile. itaque Ephippum filium ad Achillem supplicatum misit. Ephippus cùm Achilli vt veniret persuasit, tũ Tlepolemo etiã Herculis F. ac Peneleo Hippalcmi F. omnes ipsi genere propinquos. ab his Pœmander Chalcidem deductus, ibique apud Elephenorem à cæde expiatus, honorem viris habuit, omnibúsque sacra loca adsignauit, quorum nomen suum retinuit Achilleum.

XXXIIX. Qui sunt apud Bœotos psoloes, & æoleæ? Minyæ filias ferunt Leucippam, Arsinoam, & Alcathoam furore correptas esum humanarum carnium appetiuisse: sortitásque munus tradẽdi ad necem filij, ac obtigisse Leucippæ vt filiũ Hippasum traderet: hunc ab iis fuisse discerptum. *Furoris exemplum.* Hinc maritos ipsorum, quia præ luctu & dolore vestibus vterentur fœdis, psoloes dictos quasi caliginosos à squalore: ipsas autẽ æoleas,

tanquam oloas, id est diras. Atque etiamnum earum posteritatem his afficiunt nominibus Orchomenij: & quotannis fugatur festis Agrioniis à sacerdote Bacchi stricto gladio, licétque deprahensam interficere. & quidem necauit nostra ætate Zoilus sacerdos. Verùm ea res infelix ipsi vrbique fuit. nam & Zoilus leui admodum ex vlcere in diuturnum lapsus morbum computruit ac decessit: & Orchomenij in causis publicis damnati multatique sacerdotium à familia transtulerunt, deligeréque ex tota multitudine optimum instituerunt.

XXXIX. Cur qui sponte sua in Lycæum intrant, lapidibus obruuntur ab Arcadibus, qui per imprudentiam, Eleutheras deportantur? An quasi liberatis hoc modo hisce sermoni fides paratur? vt similis sit locutio, Ad Eleutheras, qualis est:

In regionem Amelûs.— &

Ad sedem venies Aresantis.—

Aut fabulam sequi præstat? quoniam soli de Lycaonis filiis Eleuther & Lebadus facinoris, quod in Iouem molitus fuit pater, insontes fuerunt, & in Bœotiam fugerunt: vnde & Lebadensibus ius ciuitatis cum Arcadibus intercedit. ergo Eleutheras relegant qui in Ioui sacro & inaccesso loco imprudentes rei fuerunt. Architimus in Arcadicis scribit quosdam qui Lycæum intrassent per ignorantiam, ab Arcadibus traditos fuisse Phliasiis, ab his Megarensibus. inde cum Thebas mitterentur apud Eleutheras fuisse imbre, tonitribus, aliísque cœlestibus denunciationibus detetos. atque inde etiam loco nomen Eleutheras factum nonnulli affirmare. Quod autem Lycæum ingressus vmbram nullam à se iacere putabatur, falsò dictum est, quantumvis creditum. An fieret hoc, quod aër se in nubes cogeret, ac quasi tetricū vultum propter ingressos indueret? aut quia necatur ingressus? nam occisorum animas aiunt Pythagorici neque vmbram iacere, neque conniuere. Aut quòd sol vmbram gignit, lex autem solem adimit intranti? atque hoc involucro tectum proponūt. Ceruus enim vocatur qui intrauit. & hac de causa Cantharionem Arcadem, qui ad Eleos bellum Arcadibus facientes perfugerat, ac cum præda per Lycæum transiuerat, bello soluto Spartani, ad quos ab Eleis se contulerat, Arcadibus tradiderunt, iubente deo ceruum reddere.

XL. Quis est Eunostus heros Tanagræ, & cur lucum eius intrare mulieribus nefas est? Elieus Cephisi & Sciadis F. pater Eunosti fuit, cui nomen impositū ab Eunosta nympha quæ eum enutriuerat, aiunt. Hic Eunostus vt honestus & iustus, ita pudicus etiam fuit atque austerus. Eius amore captam ferunt Ochnam vnam de coloni filiabus, consobrinam suam. à qua solicitatus ad concubitum, aversatus mulierem & convicio insectatus, ad fratres eius abiit querelam de ipsa propositurus. sed Ochna Eunostum occupauit apud fratres accusare, vsque se ab eo compressam mentiri: obtinuítque vt Ochemus & Leo (hi enim erant fratres eius) adolescentem per insidias exceptum interficerent. Percussores filij Elieus in vincula condidit. Ochna autem pœnitentia facti animíque perturbationibus compulsa, simul vt se molestia ob amorem concepta exoneraret, simul fratrum miseratione ducta, rē vt erat Elieo vera narratione, ísque porrò Colono exposuit. Colono iudice sententiam ferente, fratres Ochnæ solum vertere. Ochna præcipitem sese dedit: sic refert Myrtis Anthedonia poëtria. Eunosti autem sacrarij & lucus ingressu atque etiam accessu ita diligenter arcebantur mulieres, vt siquando terræmotus, siccitates, aliáve ostenta accidissent, (quod factum est sæpe) Tanagræi studiosè atq; adeò curiosè inquisiuerint, númnam mulier aliqua fefellisset loco isti propinquans. & fuerint qui dicerent, è quibus est Cledamus vir illustris, obviam sibi factum esse Eunostum, lauandi gratia ad mare accedentem, quòd lucum ipsius mulier quædā intrauisset. Sanè Diocles in commentario de sacellis edictum refert Tanagræorum de iis, quæ Cledamus renunciasset.

XLI. Vnde in Bœotia apud Eleonem fluuius, Scamāder dictus est? Deimachus Eleonis F. cum Hercule, cuius erat socius, ad Troiam oppugnandam fuit profectus. quod bellum cùm, vt fit, traheretur, Glauciam Scamandri filiam, quæ ipsum deperibat, admisit, grauidámque fecit: pòst ipse in pugna adversum Troianos occubuit. Glaucia metuēs ne admissi comperiretur, ad Herculem confugit, eíque amorem suum, & habitam cum Deimacho consuetudinem narrauit. Hercules, quod & mulierem miseraretur, & genus viri probi sibique familiaris superesse cuperet, in naues Glauciam recepit: cúmque filiam partu enixa esset, cum eo adductam in Bœotiam Eleoni tradidit.

didit. Ei filio Scamandri impositum est nomen, regnauitque iis locis. & Inachum fluuium à se Scamandrum, proximum amnem de matris nomine Glauciam appellauit, fontem vxori cognominem esse iussit Acidusæ, ex qua tres habuit filias, quas Virginum nomine etiamnum colunt.

Vnde tractum est proverbium, Isthæc rata esto? Dinon Tarentinorũ dux, vir bel- XLII.
lo præclarus, cùm ciues quandam ipsius sententiam manuum (vt fit) elatione improbassent, ac præco sententiam quæ vicisset proclamaret: ipse manum sursum intendẽs, Hæc verò (aiebat, suam sententiam innuens) melior est. Sic narrauit Theophrastus. *Vincat melior*
Apollodorus in Rhytino addit, cùm præco dixisset: Hæc suffragia habet plura, sub- *pars maiorem.*
iecisse: Hæc autem meliora: & paucìorum sententiam iussisse ratam esse.

Vnde vrbs Ithacensium Alalcomenæ appellatur? Quòd Anticlea virginitate XLIII.
per vim à Sisypho erepta Vlissem concepit. hoc plures afferunt. Ister Alexandrinus in suis commentariis retulit, nuptam Anticleam Laërtæ & adductam ad Alalco- *
menæum quod est in Bœotia, Vlissem peperisse. indéque eum quasi vrbis nomen commendantem posteris, in qua esset natus, Ithacę vrbem eodem nomine donasse.

Qui sunt qui in Aegina monophagi dicuntur? Aeginetarum qui ad bellum Tro- XLIV.
ianum sunt profecti, magna pars in prœliis, maior in mari vi tempestatũ periit. Cùm itaque paucos superstites necessarij recepissent, viderentq; reliquos ciues in luctibus ac mœrore esse, rati sunt neque gratulandum publicè, neque palã diis sacrificandum: sed domi suæ singuli eos qui seruati erant conuiuiis comiter excipientes, patres, cognatos, fratres, aut familiares, ipsi mensis ministrauerunt, alieno nemine in domum admisso. Eam rem repræsentantes, sacrificium Neptuno celebrant, quod Thiasi dicitur, vbi seorsim per sedecim dies conuiuia agitant nullo adhibito seruo. deinde Veneri operantes, finem feriis imponunt. hinc monophagi, id est seorsim edentes vocitantur.

Cur Iouis Labradensis in Caria simulacrum non sceptrum aut fulmen, sed securim XLV.
elatam tenet? Hercules Hippolytam cùm necasset, inter alia arma securim quoque eius captam, Omphalæ dono dedit. Lydorum post Omphalen reges eã gestauerũt, vt vnam de aliis rebus sacris, successoriq; itidem tradita fuit: donec Candaules dedignatus, cuidam sociorum ferendam eam dedit. Postquam verò Gyges defectione inita Candaulæ bellum intulit, venit à Mylassensibus Arselis auxiliares Gygi copias adducens: interfecitque & Candaulen & socium, bipennémque in Cariam inter alia spolia pertulit, Iouisq; adornato simulacro, eam isti in manum aptauit, Labradeúmq; nominauit Iouem. Labram enim Lydi vocant, quod Latini securim.

Cur Tralliani eruum Kathartera, id est lustrale, vocãt, vtunturq; eo maximè ad ex- XLVI.
piationes & piacularia? Leleges & Minyæ quondam Tralles, regionémq; ad vrbem *Eruum.*
pertinentẽ pulsis vi Trallianis occupauerunt. Reversi postliminio Tralliani, rerúmq; potiti, quotquot Lelegum non perierant, neque profugerant, sed ob inopiam ac imbecillitatem remanserant Trallibus, eorum neque viuentium neque morientium aut pereuntium vllam habentes rationem, legem tulerunt, vt si quis Trallianus Minyam Lelegémve occideret, is medimnum erui si necessariis interfecti demetiretur, castus purúsq; cædis haberetur. Hæccine est causa?

Quæ causa est proverbij apud Eleos vsitati, Atrociora quàm Sambicus pateris? XLVII.
Sambicus quidam Eleus cùm haberet multos sub se ministros, multa (vt fertur) do- *Proverbium de*
naria ænea Olympiæ posita accidit atque vendidit: tandémque Dianę etiam Episco- *Sambico.*
pi (hoc est inspectricis) cognominatæ fanum, quod Elide est, & Aristarcheum dicitur, compilauit. A quo sacrilegio statim captus, per integrum annum tormenta perpessus est, quæstione ex ipso de sceleris sociis habẽda. itaque mortuus, adagio locum suis miseriis fecit.

Cur Lacedæmone iuxta Leucippidum templum Vlissis sacellum est dedicatum? XLVIII.
Ergieus quidam, vnus de posteris Diomedis, passus sibi est à Temeno persuaderi vt Palladium Argis suffuraretur, conscio ac socio facinoris Leagro. hic Leager cùm esset Temeni familiaris, postmodò cum eum sibi iratum haberet, vnà cũ Palladio La- *Palladium.*
cedæmonem migrauit. Reges eum promtè exceperunt: Palladiúmque prope Leucippidum templum æde dedicata locauerunt, Delphósq; miserunt, qui oraculum de eo adseruando ac retinendo consulerent. his responsum est, vni eorum qui id sustulissent custodiam eius demandandam. ergo ibidem sacellum Vlissi posuerunt, quem

aliàs quoque ob coniugium Penelopæ cum sua ciuitate coniunctum censebant.

X LIX. Cur Chalcedoniæ feminę hanc seruant consuetudinem, vt alienos viros, magistratum maximè, compellantes, alteram genam obtegant? Erat Chalcedonensibus bellum adversus Bithynos, omnis generis iniuriis in præscriptionem eius iritatis. Zapœtus rex Bithynorum omnes suos in bellum educit. Chalcedonēses auxiliis Thracum aucti, Bithynorum agrum incendiis populationibúsq; vastant. ad Phalium autem à Zapœto per insidias impetiti, re ob ferociam & ordinum neglectam rationem malè gesta, amplius octo millibus militum amittunt. internecionem Byzantij averterunt, quorum in gratiam Zapœtus pacificationem admisit. Cùm autem Chalcedone magna esset virorum penuria, pleræq; mulieres necessitate adactæ sunt vt libertis & inquilinis consuescerent. aliæ quæ viris carere, quàm sic matrimonio frui, mallent, ipsæ per sese expediuerunt si quid erat apud iudices & magistratus negocij, alteram veli partem à facie diducentes. quæ verò nupserant, pudore ductæ quod istas sibi virtute præstare sentirent, eundem morem sunt secutæ.

L. Cur Argiui oues, quas iniri volunt, ad Agenoris lucum feturæ causa abigunt? An quia optimè greges curauit Agenor, pecudúmque copia omnes reges superauit?

LI. Cur Argiuorum pueri quibusdam feriis per iocum lusúmq; ballachradas seipsos appellant? An quòd primos qui ex agris in planiciem ab Inacho sunt deducti, piris syluestribus victitasse aiunt? scilicet quòd tum primùm Græcis in Peloponneso conspectæ essent achrades, id est pira syluestria, cum regio illa etiamnum à piris Apia diceretur. postmodò apios, id est pirum syluestre, achras nominari cepit.

LII. Quid subest causæ, quòd Elei equas extra fines suos educunt, cum ab equis eas conscendi volunt? An imprecationem Oenomai sic abominātur? is enim cùm studio alendorum equorum omnibus regibus anteiret, equósq; amaret maximè, multa & dira imprecatus est iis qui equos in Elide admitterent.

LIII. Cur apud Cnossios moris erat, vt mutuam fœnore pecuniam accipientes, eam raperent? An vt creditorem frustrantes, rei violentæ actionis eo grauius punirentur?

LIV. Cur in Samo Dexicreontis Venerem invocant? An quòd Samias mulieres cùm præ luxu & luxuria libidini indulgerent, Dexicreo circulator piacularibus quibusdam ritibus adhibitis væsania ista soluit. Aut verius est quod dicitur? Dexicreo cùm esset nauclerus Samius, mercaturæ faciundæ gratia in Cyprū nauigauit. cum iam nauim oneraturū Venus nihil aliud importare quàm aquā iussit, & illicò avehi. Paruit consilio, multáq; imposita aqua soluit. mox cùm altum ventorum silentium & tranquillitas in mari obtinuisset, reliquis mercatoribus & naucleris siti laborantibus aquam divendens, multum corrasit argenti. Itaque deæ simulacrum à se nominatum dedicauit. Hæc narratio si vera est, videtur dea non vnum ditare, sed multos vnius ministerio seruare voluisse.

LV. Quare Samiis, quādo Mercurio Charidotæ, id est munifico, sacrificant, permissum est furari & vestes aliorum clepsere, si quis hoc velit agere? Quia oraculum secuti facta ex insula migratione in Mycalen, decem annos è latrociniis vixerunt. quibus finitis cum rursum ad insulam nauigassent, hostes suos devicerunt.

LVI. Quæ origo est vocis Panæma in Samo insula, loci nomen exprimentis? Amazones Bacchum fugientes è ditione Ephesia in Samum evaserunt. ille nauibus cōstructis transfretauit, consertóq; prœlio multas eo in loco concidit, quem spectātes à copia fluentis sanguinis panæma appellauerunt ex admiratione. Qui occisas has aiūt, ex his nonnulli rem ad Phlœum gestam asserunt, & ossa earum monstrantur. alij Phlœum quoque illis morientibus ruptum perhibent, magnam & penetrantem vocem edentibus.

LVII. Andròn qui vocatur Sami, (est autem ædes) cur Pedetes (nomine à compedibus ducto) appellatur? Cum Geomori (agrarios intelligeres) post necatum Damotelem, sublatámque eius tyrannidem, Samiam remp. in sua haberent potestate, Megarenses bellum Perinthiis intulerunt, coloniæ Samiorum, compedes secum ferentes (vt aiunt) quibus captiuos induerent. Geomori re cognitta, raptim Perinthiis auxilio miserunt sub nouem ducibus naues instructas triginta. quarum duæ extra portum provectæ, fulmine ictæ perierunt. duces reliquis vsi vicerunt Megarēses, viuósq; ex ipsis ceperunt I Ɔ C. Ea victoria ita aucti sunt ducibus animi, vt de evertenda paucorum in patria cogitarent, quæ penes Geomoros erat, dominatione. occa-

Samiorū resp.

sionem

sionem ipsis præbuerunt reip. principes, qui per litteras mandabant, vt Megarenses captiuos suis ipsorum impeditos compedibus adducerent. Has illi litteras acceptas Megarensibus clanculum ostendunt: vtq; se ipsis in Samia liberanda rep. socios adiungerent, persuadent. Re consiliis communicatis tractata, placuit compedum annulos excutere, sicq; demum cruribus Megarensium aptare compedes, ac ne ob laxitatem de pedibus defluerent inter eundum, loris ad cingula alligare. Sic instructos Megarenses, & gladiis singulis armatos, postquam ad Samum applicuerunt naues, per forum in curiam duxerunt, omnibus ferè ibi Geomoris considētibus. signo deinde dato, Megarenses impetu facto eos trucidarunt. Liberata ad hunc modum vrbe, Megarenses, quotquot vellent, in ciuitatem suam admiserunt. ædéque ampla exstructa compedes pro monimento suspenderunt. quæ suum illud inde sortita est nomen.

Cur apud Coos Herculis sacerdos in Antimachia muliebri indutus veste, capite vittato, sacrificium auspicatur? Hercules sex nauibus à Troia avectus, tempestate adversa vsus quæ naues eius perderet, vnica ad Côn vento compulsa ad Lacetērem (loci hoc nomen) excidit, armis virisque reliquis, cæteris omnibus rebus amissis. Ibi cùm in oues incidisset, à pastore vnum petiit arietem. Pastori nomen fuit Antagoras. qui cùm robore corporis vigeret, luctæ hanc conditionem Herculi obtulit, vt arietem, si Antagoram vicisset, auferret. Postquam conseruerunt manus, Meropes Antagoræ, Græci Herculi opem tulerunt, acrísque exorta est pugna. In hac tradunt Herculem adversariorum multitudine defatigatum ad Thressam confugisse mulierem, & fefellisse, cùm se texisset muliebri veste. Deinde autem cùm debellasset Meropes, & expiatus esset, ducta Alciopi filia, vestem sumsit floridam. Itaq; eo in loco, vbi pugnatum fuit, rem sacrā facit pontifex. sponsi autem sponsas amplectuntur muliebrem induti amictum. LIIX. Herculis cū Antagora pugna.

Vnde Megaræ genus est Hamaſokyliſtôn? In effræni illa popularis in repub. potentiæ licentia, quæ palintociam etiam & sacrilegium protulit, accidit vt missi Delphos consultum oraculum atque ad solennem festiuitatem Peloponnesij legati, cùm per Megaricam irent, apud Aegira cum vxoribus & liberis vt res tulerat in quadrigis ad paludem pernoctarent. Megarensium autem ferocissimi, ebrietate, petulantia, immanitatéque incitati, quadrigas in paludem devoluerunt, ita vt multi legatorum fuerint suffocati. Ac Megarenses quidem in ista reip. confusione flagitium istud impune esse passi sunt. Amphictyones autem, habita ratione sacrosanctæ ad Delphos missionis, sceleratos istos partim extremo humanorū supplicio, partim exilio pœnas pendere coëgerunt. Horum flagitiosorum posteri Hamaſocyliſtæ, quasi vehiculorum devolutores nominares, appellati sunt. LIX.

Plutarchi Cur oracula edi desierint, commentatio.



AQVILAS quasdam, Terenti Prisce, aut olores fabulantur ab extremis terræ partibus ad medium eius volatu tendentes Pythiæ eodem convenisse ad locum, cui Omphalo, id est vmbilico nomen est. Postea autem temporis Phæstium Epimenidem fabulam hanc vanitatis coarguisse apud Deum: cúmque oraculum accepisset ambiguum atque obscurum, dixisse, Vmbilicus terræ.

Non equidem terræ, aut extat medius maris vmbo,
Aut superis solis, hominum non cognitus vlli est.

Atque hunc quidem meritò vltus est deus, fabulæ priscæ, tanquam picturæ conatum in probitatem inquirere. Eninverò paulo antè Pythia nostra ætate à Callistrato acta, evenit vt à diuersis terræ finibus Delphos convenirent duo sacri viri: Demetrius grammaticus è Britannia Tarsum, quæ ei patria erat, revertens, & Cleom-

brotus Lacedæmonius. Hic diu per Aegyptum & Trogloditicam vagatus, & magnam maris rubri partem subvectus erat, non sanè negociandi gratia: sed homo spectandi & parandi sibi splendoris cupidus, cùm esset re satis lauta, non magni ducens possessionem opum iis quę sufficerent ampliorem, his rebus ocium insumebat, historiámque colligebat quasi materiam philosophiæ, cui (vt aiebat) theologia finis erat propositus. Et quia nuper apud Ammonem fuerat, satis præ se ferebat cætera se non valdè admiratum: de lucerna autem perpetuò ardente rem narrabat dignam animadversione, de qua ex sacerdotum sermone percepisset. subinde enim quovis posteriore anno minus olei absumi quàm præcedente: atque hoc illos pro certo argumento annorum inæqualitatis ducere, quæ sequentem annum semper breuiorem superiore faceret. quod probabile sit minori tempore minus absumi. Mirantibus qui aderant, Demetrius ridiculum esse pronunciabat, velle ex tam minutis rebus tam arduas indagare. non enim hoc esse (id quod Alcæus ait) ex vngue leonem pingere, sed è papyro & lucerna occasione petita cœlum simul & totum vniuersum mutare, ac mathematicam scientiam funditus abolere. Tum Cleombrotus: Nihil, inquit, horum istos viros perturbauerit, neque verò accurata subtilitate superari se à mathematicis concedent: quos faciliùs in tam longis motuum ac temporum intervallis ratio fefellerit annorum, quàm istos olei mensura, cùm ob insolentiam rei quæ evenit semper accuratè obseruent eam. Iam multis artibus impedimento fuerit, Demetri, qui non concedat exigua magnorum esse argumenta: atque hac ratione multarum artium demonstrationes, multarum prædictiones perimentur. Sanè vos quoque rem non paruam demonstratis, Heroës corpora sua solitos læuigare nouacula, eo quòd apud Homerum in mentionem nouaculæ incidistis. & antiquum esse pecuniam in fenore ponere docetis, quòd apud eundem quidam dicit:

Parua esse magnorum argumenta.

Iliad. κ, 173.

Odyss. γ, 367.

Namq; hæc augetur mihi magna pecunia pridem.

Iliad. κ, 394.

augeri enim interpretamini fenerando. rursum noctem eo acutā cognominante, arripitis hoc dictum cupidè, atque hoc ipsum traditis esse, quòd vmbra terræ quippe globosæ, turbinis seu metæ figuram habeat. Præterea quis medicos pestilentem æstatem prædicere ex telarum aranearum multitudine, aut vernis fici foliis cornicis pedem referentibus patietur, qui contendat parua magnorum non posse esse indicia? quis mensuram Solis ad congium heminámve explorari sinet? aut laterculum hunc, qui ad superficiem soli acutum angulum sua inclinatione facit, mensuram esse concedet altitudinis eius, in quam mundi vertex semper conspicuus supra horizontem attollitur? Ista enim ex Ammonis sacerdotibus audire licebat. Aliud ergo quærendum est quo eos oppugnemus, si volumus ostendere, sicvt à maioribus nostris accepimus, Solis motum eodem ordine constare, neque ab eo vnquam desciscere. Hic Ammonius philosophus (intererat enim colloquio) Non Solis duntaxat, exclamans aiebat, sed totius adeò cœli causa agitur. Si enim anni decrescunt, necesse est iter Solis quod ab vnius solstitij puncto ad alterum tenditur, contrahi, vt non maneat tanta finitoris pars, quantam esse tradunt mathematici, sed subinde curtetur austrinis partibus versus septentrionales coarctatis. quin & æstas nostra breuior fiat oportet ac frigidior, Sole interiùs cursum flectente, & parallelos maiores tropicis signis describente. vmbilici quoque Solis quos gnomones à recto angulo vocant Græci, Syenæ constituti non ampliùs vmbra carebunt circa solstitium æstiuum. & multæ stellarum inerrantium interuallo diminuto loca sua deserere, quædam etiam mutuò se tangere & confundi cogentur. Quod si dicant, reliquis suum æqualiter ordinem tuentibus, vnius Solis motum sibi non constare: neque causam poterunt monstrare, quæ eum solum ex tanto stellarum numero accelerare motum suum cogat, & eorum quæ in cœlo fieri sensu depræhenduntur pleraque conturbabunt: planissimè vniuersa ea, quæ Lunæ Solis respectu eveniunt. Nihil ergo istis opus habemus, qui olei mensura discrimen arguant: defectus enim Solis & Lunæ mutui, cum vel hæc in vmbram terræ à Sole proiectam incidit, vel ipse ad lineam supra lunam positus à nobis conspici non potest, optimè rem detegent. vt porrò vanitatem istius rationis explicare nihil attineat. At verò, inquit Cleombrotus, mensuram olei ipsemet vidi, frequenter ab eis monstratam. & præsentis anni quātitas à prisca aberat permultum. Respondit Ammonius, Ergóne res ea fefellerit

An anni decrescant.

fellerit

fefellerit reliquos homines, apud quos ignes coluntur adseruantúrque per temporis pœnè infinitum spacium? Quod siquis tamen omnino veram esse rem ponat, equidem præstat causam adscribere frigiditatibus aliquibus & humiditatibus aeris, quibus ignis lãguefactus non possit multũ conficere alimenti, neq; opus eo habeat: aut siccitates contrà & caliditates causari. iã.n. audiui qui de igne dicerent, hyeme eum meliùs ardere plúsq; habere viriũ, frigore in sese coactũ ac stipatũ: in æstu autem raritate contracta imbecillum reddi atq; languidum: & sub Sole accensum remissiùs agere, materiámq; molliter invadere ac tardiùs cõsumere. Maximè verò liceat causam in ipsum conferre oleum. non enim absurdũ est, olim id ex recenti natum stirpe plus aquei habuisse admixtũ, minúsq; alendo valuisse: posteà coctũ in perfecta planta ac coactum, eadem quantitate plus potuisse, ignémq; faciliùs fouisse. * oportebat Ammonis administros seruare propositum suum, quanquam abhorrens à fide & insolens. Vt finẽ dicendi fecit Ammonius, ego: Quin tu, inquam, Cleombrote, de oraculo nobis enarra. antiqua enim fama multũ ei diuinitatis tribuit, nũc quidem videtur emarcescere. Tacente Cleombroto, & oculos in terram coniiciente, Demetrius: Nihil, inquit, attinet de isto percunctari oraculo, & causam quærere, cùm videamus oracula quæ in his sunt locis obsoleuisse, atq; adeo duobus aut tribus exceptis, omnia defecisse. id potiùs indagandũ est, quibúsnam causis exstincta sint. Nam vt alia taceã, Bœotiam, quæ superioribus temporibus ob oraculorum multitudinẽ vocalis admodum fuit, nunc prorsus destituerũt oracula, tanquam amnes siccati, ingénsq; diuinationis quasi æstu quodam abolitæ penuria regionem occupauit. neq; enim alibi hodie, quàm apud Lebadiam Bœotia haustum vaticinationis responsa desiderantibus præbet: reliqua partim silent oracula, partim vasta prorsus desertáq; iacent. Atqui ea tempestate, qua Medi bellum Græciæ intulerunt, Amphiarai oraculum non minori fama clarebat. Sanè vtrunq; tunc consuluit Mardonius. & vates apud Lebadiã, Aeolica lingua missis à barbaro respondit, ita vt hosiorum (sic vatũ socios appellant) nemo intelligeret: furore diuino id significante, nihil ad barbaros pertinere oracula, neq; iis voce, quam intelligere possent, responderi. Seruus autem qui missus erat ad Amphiarai, per quietẽ imaginatus est apparere sibi ministrũ dei: ab eo primum verbis se eiici fano deum abesse dicente. deinde manibus pulsatum, cùm perstaret, magno saxo ab eo in caput ictum esse. atq; hęc quasi vocis loco fuerũt futura denunciantis. Victus est enim Mardonius non rege, sed regis procuratore & ministro Græcos ducẽte, & saxo ictus cecidit, sicvt Lydus se percussum in somnis putauerat. Floruit tum etiam apud Tegyras oraculũ, vbi natum Apollinem aiunt, duorúmq; alluentium riuorũ alterum Phœnicem (palmam arborẽ), alterum Elæam (oleam) quidam etiamnum nominant. Medici belli tempore, Echecrate vaticinãte, deus victoriã Græcis & robur prædixit. Bello autem Peloponnesiaco Deliis insula sua exturbatis oraculum Delphis allatum ferunt, quo iuberentur locum quærere, quo in loco natus fuisset Apollo, ibiq; sacrificia quædam peragere. mirantibúsq; & dubitatione perculsis quòd non in Delo sed alibi natus Apollo diceretur, addidisse Pythiam, cornicem eis locum indicaturum. Profectos deinde Chæroneam venisse, & ibi mulierem, in cuius cauponam diverterant, audiuisse cum hospitibus quibusdã Tegyras euntibus de oraculo colloquentem, eósque digredientes eam Cornicem (hoc enim erat mulieri nomen) consalutantes: atque sic oraculi sententia percepta, Tegyris rem sacram fecisse, neq; multo pòst tempore reditum in patriam consecutos fuisse. Recentiora etiam horum oraculorum documenta exstiterunt: quæ oracula cum prorsus iam obmutuerint, operæprecium est nos, cùm apud Apollinem Pythium convenerimus, causam mutationis quærere. Dum hæc colloquimur, interea à templo progressi ad fores curiæ seu leschę venimus, in quam Cnidij solebant coire. ingressi, amicos, quos volebamus conventos, sedentes offendimus & adventum nostrũ præstolantes. Quiescentibus ibi tum reliquis, quòd ea diei erat hora, vt vel vngerentur, vel athletas spectarent, Demetrius leniter subridens:

Mentiar, an potiùs verum eloquar,—— inquit:

nihil mihi præ manibus habere videmini, quod dignum disquisitione sit: adeò vos ego ociosos & vultibus in hilaritatem solutis hîc desidere conspicor. Eius verba excipiens Heracleo Megarensis: Non enim (ait) quærimus quæ sit ratio quòd la-

Ignis natura.

Oracula Mardonio data.

Odyss. Δ, 140.

cio in præterito Ieci A in E, in longam breui mutata, & syllabarum imminuto numero, effertur, aut à quo primitiuo deducantur vocabulo hæ voces, Melius, Peius, Optimum, Pessimum. Hæc enim & alia id genus corrugant frontem: de aliis licet placidè disputare ac inquirere, superciliis quietis, & absque vultus tristicia, aut adversus præsentes morositate. Nos ergo, inquit Demetrius, accipite, & quæstionem in quam incidimus, huius loci propriam, & Apollinis causa ad omnes pertinentem: ac videte, ne inter ratiocinandum supercilia adducatis. Postquam permixti eis adsedimus, & quæstionem in medium proposuit Demetrius: confestim prosiluit Cynicæ sectæ philosophus Didymus, cognomento (quod ei à vagando tanquam erroni factum probabile videtur) Planetiades: ac scipione duobus aut tribus editis ictibus exclamauit: Eho, eho, scilicet rem difficilem & multæ indigentem disquisitionis adfertis nobis: nimirum verò tanta malicia per humanum dissipata genus mirum est, si non tantùm (quod prædixit Hesiodus) Verecundia & Iusta indignatio (quæ Nemesis dicitur) humanam reliquerunt vitam: sed Providentia etiam diuina convasatis oraculis omnino abiit. Immò ego hoc contrà vobis disputandum propono, cur non iamdudum ab edendis oraculis animum Apollo averterit, aut ei Hercules rursum aliúsve deorum tripodem sustulerit, oppletum obscenis & impiis quæstionibus, quas deo proponunt: alij eum tanquam sophistam tentantes, alij de thesauris, hæreditatibus, incestísve nuptiis sententiam scitantes. vt quidem palàm coarguatur Pythagoras erroris, qui tunc sibi ipsis maximè præstare, quod ad probitatem attinet, homines dixerit, quando ad deos accedunt: cùm quæ convenit vitia aut perturbationes animi coram seniore homine inficiari atque tegere, ea aperta ac nuda homines deo exponant. Plura dicturi lacernam Heracleo arripuit. & ego, de toto numero ferè ei maximè familiaris: Desine, aiebam, mi Planetiade, lacessere deum iritabilem, & ingenio nequaquam leni. quanquam, vt Pindarus ait, hoc ei est iniunctum iudicio deûm, vt hominibus sit benignissimus. & siue is Sol est, siue dominus paterque Solis vltra omnem visui expositam collocatus naturam, verisimile non est eum nostra ætate homines voce sua dedignari, quibus nascendi, nutritionis, vitæ ac intelligendi causa ipse est. neq; hoc est consentaneum, Providentiā, quæ velvti benevola mater omnia ad vtilitatem nostram parat atq; conseruat, in sola diuinatione rationem habere acceptarum iniuriarum, & quam ab initio largita sit nobis, eam adimere: quasi verò non tum quoque inter homines mali bonos numero vicerint, cùm oracula multis in terræ partibus vocalia fuerunt. Itaque huc sodes adside, & pactis cum perversitate, quam nunquam non oratione tua soles incessere, Pythicis induciis, nobiscum aliam quandam cur oracula desitum sit edi causam perquire, quæ res proposita est: Apollinem autem iritare caue, eúmque propicium relinque. His ego verbis tantum perfeci, vt tacens per ianuam exiret Planetiades. Silentio aliquandiu exinde facto, Ammonius me compellans, Vide sis, inquit, ô Lampria quam rem agamus, animúmq; disputationi adverte, ne deū in causa huius rei esse negemus. Qui.n. alia quadā de causa, non voluntate dei putat oracula desiisse, suspicionem iniicit ea ne extitisse quidē diuinitus, sed alio quodam cepisse modo. neq;.n. maior alia aut potentior vis est, quæ abolere diuinationem possit, siquidē ea dei opus est. Sanè mihi Planetiadæ sermo cùm ob alia non probabatur, tum ob inconstantiā quam deo tribuebat, qui modò aversaret improbitatē, modò rursus admitteret: non aliter, quàm si quis rex aut tyrānus alteris foribus malos excluderet, alteris intromitteret, iisq; responsa daret. Sed cùm deos id opus maximè deceat, quod maximū sit & sufficiens, nusquam supervacaneū, vbiq; plenum & nihil extra se requirens: si quis hoc sumēs, cōmunis hominū penuriæ, quam superiorū temporū seditiones & bella toti ferè orbi terrarū invexerunt, maximā partem Græciam sensisse: (quippe vniuersa Græcia hodie vix tria millia grauis armaturæ militū posset præbere, quātas copias olim sola Megarensiū ciuitas misit ad Platæas) sic ratiocinetur, deum si multa reliquisset oracula, nihil aliud acturum fuisse, quàm Græciæ vastitatē arguturum: huius ego subtilitatem cōmenti admodū probauero. Quorsum.n. prodesset oraculū, si vt quondā esset Tegyris aut apud Ptoū: vbi interdiu hominē invenires pecus pascentē. Et verò huic ipsi huius loci oraculo & tēpore antiquissimo, & fama clarissimo illatā à dracone femina, bellua sæua, solitudinē, idq; longo tēpore inaccessū fuisse narrāt: vacationem

Pythagoras notatur.

Hominum penuria.

nem

nem non rectè, sed præposterè accipientes. Solitudo enim bestiam potiùs adduxit, quàm bestia solitudinem effecit. Postquam verò dei voluntate Græcia vrbibus creuit, & locus frequentari hominum copia cepit, duabus vsi sunt vatibus, quæ per vices ad cortinam sederent: eratq; etiam tertia designata, tanquam adsidens iis. Nunc vnica est antistita: neq; incusamus, cùm eius opera consultoribus sufficiat. Non igitur incusandus est Apollo. diuinatio enim quæ reliqua est, omnibus sufficit, & vnumquenq; adeptum quod volebat dimittit. Itaq; sicvt Agamemno præconibus vsus nouem vix cōtinuit concionem præ multitudine: hæc autem paucis pòst diebus vnā vocem in theatro ad omnes pervenientem sentietis. ita quondam pluribus vocibus ad plures vsa est vis fatidica: nunc contrà mirari debuissemus, si pateretur oracula invtiliter aquæ instar diffluere, aut resonare quomodo in solitudine saxa pastorum & pecoris voces reddūt.

Iliad. β, 96.

Cùm hæc dixisset Ammonius, & ego tacerem, Cleombrotus me appellans: Iámne, inquit, hoc tu cōcessisti, oraculorum deum & autorem esse & eversorem? Non sanè, inquam. Nullum enim oraculum, nullum vaticinium aboleri à deo ipse affirmo. Sed quemadmodum multis aliis rebus, quas dij nobis conficiunt atq; apparant, interitum natura infert, aut materia potiùs priuationi obnoxia retexit atq; mutat quod à præstātiore causa fuerat conditum: ita diuinandi quoq; facultatem arbitror obscurationes esse aliunde atque abolitiones. quippe præclara multa hominibus deus dedit, immortale nihil, vt deorum quoq; pereant opera, ipsi non, secundum Sophoclem. Naturam porrò & vim oraculorum iis aiunt cōsiderandam esse, qui naturæ rerum & rerum materia præditarum gnari sunt: ita quidem vt Deo, sicvt par est, principium imputetur. est enim nimis quàm puerile & fatuum, opinari ipsum deum in corpora vatum, quos olim Engastrimythos Eurycleas, quòd è ventre sermonem fatidicum promerent, nunc Pythonas nominant, se immittere, eorúmque ore loqui, & voce pro instrumento vti. Qui enim deum humanis admiscet necessitatibus, is maiestati eius non parcit, neque dignitatem & magnitudinem potestatis eius conseruat. Ad hæc Cleombrotus: Rectè, inquit, dicis. Cæterùm quando difficile est intelligere ac definire providentiam quo modo & quatenus explicandis rerum causis adhibere debeamus: quidam nullius rei, alij omnium in vniuersum rerum causam deo inscribentes, vtrique à mediocritate & decoro aberrant. Non malè quidem dicunt, qui Platonem aiunt principio quod qualitates quæ gignuntur subiectum sustinet (materiam nunc vocant) excogitato, multis magnisq; philosophos liberasse difficultatibus. Mihi tamen plures ac difficiliores dubitationes videtur soluisse, qui geniorum seu dæmonum genus medio inter deos & homines loco constituerunt, & quod nos cum his quodammodo conciliat atque coniungit invenerunt. siue hæc magorum ac Zoroastris doctrina est, siue Thracica ab Orpheo profecta, siue Aegyptiorum, aut Phrygum, vt colligimus ex vtrorumq; sacrificiis, orgiis & ritibus sacrorum multa admixta funebria & lugubria cernentes. De Græcis Homerus videtur promiscuè deorum ac geniorum vsus nominibus, vt diis quoque aliquando dæmonum nomen imposuerit. Hesiodus purè & distinctè primus quatuor genera præditorum ratione exposuit: primùm deos, deinde genios, pòst heroës, denique homines. atque hinc mutationem instituit aurei generis in genios multos ac bonos, semideorum autem in heroës. Alij vt corporum, ita etiam animarum mutationem statuunt. sicvt enim ex terra aqua, ex hac aër, ex aëre ignis fieri cernitur, sursum se efferente natura: sic meliores animas ex humanis in heroicas, ex heroibus in genios mutari: è geniis quasdam paucas longo tempore virtutis ope prorsus purgatas diuinæ naturæ participes reddi: aliis vsu venire vt suimetipsarum impotes rursum demittant se, inq; humana corpora denuò illapsę, fulgoris expertem obscurámq; nanciscantur vitam. Hesiodus verò certis temporum conversionibus mortem geniis obtingere censet, & tempus etiam sub involucro proponit, hæc sub Naidis persona loquens:

Deorum opera caduca.

Dij an ore vatum loquantur.

Materia.

De geniis.

Quanta homini est ætas vegeto dum corpore durat,
Ter tres ætates humanas garrula cornix,
Viuax cornicis complet ceruus quater æuum:
Triplicat & cerui viuendo tempora coruus:
At seclum corui nouies complectitur ætas
Phœnicis. sed vos, soboles formosa Tonantis
Nymphæ, phœnicis decuplos duratis in annos:

Hoc tempus in numerum ingentem extendunt, qui ætatem seu æuum non rectè accipiunt. Est enim annus intelligendus: & fit totum spacium vitæ geniorum anni IX CIↃ IↃCCXX. Ac multi quidem mathematicorum minus id ponunt: longius ne Pindarus quidem, qui nymphas ait viuere æuum tanti temporis, quãtum durare arbor potest, indéq; Hamadryadas, quasi cum quercubus viuentes, dici. Huius adhuc loquẽtis sermonem excipiens Demetrius: Quomodo, inquit, dicis Cleombrote ætatem viri dictam annum? quando neq; vigentis, neq; (vt apud Hesiodum nonnulli legunt) senescentis ætas hominis tantilla est. etenim qui vigentis legunt, ij XXX annos intelligunt de Heracliti sententia: quod tanto tempore natum genitor gignentem præbet. qui senescentium legunt, CIIX annos ætati tribuunt. nam LIV statuunt esse numerũ dimidiæ vitæ humanæ, cõpositum ex vnitate, primis duobus planis, duobus quadratis, & duobus cubis: quos Plato etiam numeros ad animæ procreationem adhibuit. & Hesiodus omnino videtur obscurè innuisse conflagrationem, in qua necesse est vnà cũ humidis rebus aboleri etiam Nymphas

—— lucis quotquot degunt in amœnis,
Ad fontésq; colunt fluuiorum, atq; humida prata.

Ibi Cleombrotus: audio, inquit, & video hanc Stoicorum cõflagrationem, quæ vt Heracleti & Orphei versus invasit & pervertit, ita Hesiodum quoq; arripit. Sed neq; mũ* di interitum ego admitto, neq; alia quæ fieri non queunt: cum maximè ipsa vox cornicis & cerui moneat, in tantam annorum summam excrescere non posse rem. Cæterùm

Annus.

annus cum initium in se contineat finémq; omnium quę temporibus statis nascuntur, non ineptè hominis ætas dicitur. Nam & vos fatemini ab Hesiodo ætate non significari vitam humanam. nonne? Fatente hoc Demetrio, Cleombrotus: Iam hoc quoq;, inquit, manifestum est, sæpenumero rem & mensurã eius vno eodémq; vocabulo appellari, vt hemina, chœnix, amphora, modius docent. Quo igitur modo vnitatem, vtpote omnium numerorum mensuram minimam atq; principium, nomine numeri dignamur: sic annum Hesiodus, cùm eo primo vitam metiamur humanam, voce cũ eo quod metitur cõmunicata ætatem nominauit. Quos enim isti numeros faciunt, ij nihil eorum habent, quæ in numeris illustria ac præclara habentur. Numerus IX CIↃ IↃCCXX procreatus est quatuor primis ab vnitate numeris in vnam summam collectis, eáq; quater accepta. sic enim conficiuntur XL. qui numerus quinquies trianguli in morem assumtus, IX CIↃ IↃCCXX producit. Verùm de his me cum Demetrio contendere non est opus. Siue enim longius est, siue breuius, siue constitutum, siue incertum tempus, quò mutatur genij anima aut herois vita, quovis tamen dato iudice, euincetur testibus productis sapientibus atq; antiquis, naturas esse quasdam velut in confinio deorum atq; hominum interpositas, motibus quibus mortalia afficiũtur, mutationibúsq; obnoxias necessariis. quas genios maiorum instituto appellari rectum est ac censeri, & coli. Huius argumenti exemplũ Xenocrates Platonis sodalis proposuit

Deorũ, geniorum, et hominũ simulacra.

formas triangulorum, cùm diuinæ naturæ conferret æquilaterũ triangulũ, mortali omnibus inæqualibus lateribus contentum, geniorum id, quod duo latera æqualia, eadémq; reliquo inæqualia habet. æquilaterum enim vndiquaq; æquale est, secundũ vsquequaq; inæquale, tertium & æqualitatem & inæqualitatem habet: atq; huic geniorum natura respõdet, affectiones humanas in se habens, iuxtáq; vim diuinam. Ipsa verò natura sensiles imagines, ac visilia nobis proposuit simulacra. deorum quidem, Solem & astra, mortalium autem subitos fulgores, cometas, ignes in sublimi traiicientes. quò etiam allusit his versibus Euripides:

Verùm ille carne florens nuper, cœlitus
Delapsa tanquam stella, exstinctus in ætherem
Emisit animam. ——

* Cæterùm Lunã cõdidit, corpus mixtũ, ac dęmonũ simulacrũ, quæ cum geniorũ mutationib. cõvenit ob vices incrementorũ & decrementorũ. q̃d obseruantes, alij eã terreũ astrum, alij cęlestem terram, alij terrestris iuxtà ac cœlestis sortem Hecates nominauerunt. Quemadmodum igitur si quis aërem qui inter terram & Lunam est interie-

Geniorum necessitas.

ctus subduceret, is vniuersi vnitatem ac cohærentiam solueret, vacuo in mediũ & nexus experte loco existente: ita qui geniorum gentem non admittunt, ij inter deorum ac hominum res nullum relinquunt commerciũ, vim interpretem (vt Plato nominat) atq; administram perimentes. aut profectò cõfundere nos omnia & cõturbare cogũt, deũ in humanas res & affectiones cõiiciẽtes, detrahẽtésq; ad vsus, quo modo Thessalę

Lunam

Lunam deducere cœlo feruntur. Quanquam hoc quidem creditum fuit à mulieribus, astutia Aglaonicę Agetoris filię. quam aiunt astrologię peritam, Luna delinquẽte semper simulasse eam suis se deducere veneficiis. Nos autem neque his aures prębere debemus, qui vaticinium aliquod, aut sacrificium, aut orgia negligi à deo dicunt: neque rursum deum in his obversari, adesse, & in agendo occupari opinemur: sed adscribentes ista deorum quibus par est administris, velvti famulis ac scribis, statuamus genios esse, qui sacra deûm & orgia inspiciant atque obeant: tum alios circumire, vindices superborum atque immanium scelerum. Sed & alios esse, quos Hesiodus admodum grauiter diuitiarũ datores appellat castos, aitq; hũc iis regium honorem obtigisse: quia scilicet regium est, beneficentia. α. ἔργ. 125. Vt enim inter homines, ita etiam inter genios gradus sunt & discrimina virtutis, & naturæ perturbationibus obnoxiæ ac brutæ, aliis reliquiæ languidæ & obscuræ, tanquam excrementum quoddam adsunt, aliis copiosę & deletu difficiles: quarum vestigia atque notę multiplices in sacrificiis, imitationibus, & fabulosis narrationibus dispersæ conseruantur. Geniorum non vnum genus. Ac de mysteriis quidem, ex quibus maxima indicia & argumenta veritatis de natura geniorum duci possunt, os, vt cum Herodoto loquar, meum se contineat. Quæ verò feriæ & sacrificia, tãquam atri dies & nefasti, peragunt, in quibus cruda vorantur, discerpuntur homines, ieiunia & planctus adhibentur, sępenumerò etiam obscena dicta, furorésq;, & conclamationes bellicæ excitatæ cum fremitu & ceruicum iactatione: his ego nullum deum coli puto, sed placandorum & depellendorum malorum geniorum gratia instituta ea dixerim. Sacrificia fœda. & quòd olim homines immolati fuerunt, probabile est neq; deos poposcisse aut admisisse talia sacrificia: neq; reges tamen atq; duces frustra sustinuisse dare pro hostia prolem suam, & sacra ipsos fuisse auspicatos hostiámq; iugulasse: sed fecisse hoc vt iras & indignationes malignorum morosorúmq; auerruncarent geniorum, aut diris satisfacerent dęmonibus, nonnullorum etiam insanos & tyrannicos exsatiarent amores. qui cum non possent, aut non vellent corpore corpori misceri, sicvt Hercules Oechaliam virginis causa oppugnauit, ita validi violentíq; dæmones illi poscentes dedi sibi animam humanam corpori inclusam, cùm corporis cõmixtione amorẽ suum non possint explere, pestes vrbibus ac sterilitates inferunt, bellísq; eas & seditionibus exagitant, donec consequantur amatam animam. Nonnulli contrà. Cùm enim in Creta permultum exegissem temporis, cognoui ibi sacrum peragi absurdum, in quo etiam simulacrum viri capite truncatum ostendũt, aiúntq; hunc fuisse Molum Merionis patrem, qui cùm Nympham vi compressisset, absq; capite inventus fuerit. Et verò quas deorum raptiones, quos errores in fabulis referunt atq; agitant, tum occultationes eorum, exsilia, & obita ministeria: non diis isthęc evenerunt, sed geniis, quorum casus ob virtutem ipsorum & potentiam memoriæ sunt proditi. & neque Aeschylus rectè dixit,

Castúmq; Apollinem, extorrem cœlo deum:

neq; Sophoclis Admetus:

Hunc Gallus ad molam excitans duxit meus.

Longissime autem à veritate aberrant Delphorum theologi, qui putant hîc aliquando Apollinem cum dracone de oraculo decertasse: patiuntúrq; ista dici à poëtis & oratoribus in theatris de palma contendentibus, ac quasi dedita opera testimonio suo damnantibus ea, quæ ipsi in sanctissimis agunt sacris. Admirante Philippo (aderat enim is historiarum scriptor) & quærente, contra quos tandem ritus putaret testimonium ferri ab istis concertatoribus: Contra hos ipsos (inquit Cleombrotus) qui apud oraculum peragũtur hocce, quibus omnes Græcos qui sunt extra Pylas initiauit vrbs hæc, & vsq; ad Tempe progressa est. Ritus Delphici. Nam tabernaculum quod nono quoq; anno iuxta aream excitatur, non cauernosa draconis est specus, sed exemplum tyrannici aut regij domicilij, itémq; irruptio in eam taciturna per locum qui Dolonea dicitur. tum patrimus matrimúsq; puer facibus ardentibus adducitur, igniq; tabernaculo iniecto, sub versaq; mensa effusè nunquam retrò oculos reiicientes fugiunt. deniq; errores & ministeria pueri, & piacula quæ ad Tempe fiunt lustrandi gratia, magni alicuius sceleris facinorísq; audacter perpetrati suspicionem insinuãt. Nimis quàm enim ridiculum est, Socie, Apollinem ob interfectam bestiam expiationis indigum ad Græciæ extrema fugisse, ibíq; libationes quasdam fecisse, & ea egisse, quæ homines agũt vt iram avertãt ac placent geniorum quorundam, quos alastores & palamnæos nominant, tanquàm

veterũ aliquorum & nulla obliuione conterendorum scelerũ vltores. Quem verò ipse de fuga hac & exsulio sermonem audiui, valdè q̃dem absurdus & à probabilitate alienus est: sed si quid tamen veri continet, existimemus non exiguum aut vulgare aliq̃d istis temporibus circa oraculum evenisse. Sed ne videar, vt cum Empedocle loquar,

Culminibus nectens aliis fastigia summa
Sermonum, variis incedere callibus, ——

sinite me primis dictis finem cõvenientem imponere. Iam enim eò perventum est, audeamúsq; id post multos alios ipsi quoq; pronunciare, geniis qui oraculis ac vaticiniis præfecti sunt vel deficientibus omnino, etiam intercidere ista, vel fugientibus aut aliò migrantibus vim suam amittere: rursúsq; longo pòst tempore reversis iis, tãquam instrumenta sonare fatidica loca eorum ob præsentiam. Quæ cum dixisset Cleombrotus, Heracleo: Sanè, inq̃t, nemo nobis adest profanus, aut qui de diis inconcinnas foueat sententias. ipsi interim tamen, Philippe, nos attendamus, ne imprudentes orationi principia grandia, eáq; absurda largiamur. Rectè mones, respondit Philippus. sed quid nam in dictis à Cleombroto est, quod te potissimùm terret? Tum Heracleo: Quod oraculis, inquit, præesse statuuntur non dij, quos par est nihil habere cum terrestribus negocij, sed deorum administri genij, id videtur mihi non malè pronunciatum esse. q; autem geniis istis tantùm non ex versibus Empedoclis palàm arreptis peccata quædam, calamitates, & errores à diis iniuncti adscribunt, deniq; morti perinde atq; homines subiiciuntur, ferocius mihi videtur dictum, magísq; barbaricè. Quæsiuit è Philippo Cleombrotus, quísnã & cuias esset hic adolescens. cognitóq; nomine & patria, Ne nos quidem, inquit, mi Heracleo, ignoramus in sermonẽ nos incidisse absurdi suspectum. Sed non potest in disputatione de magnis rebus ad consentanea opinioni perveniri, nisi magnis vtamur initiò principiis. Tu verò nõ animadvertis id te auferre q̃d das. fateris enim esse genios: dum verò negas eos vitiosos esse ac mortales, non iam genios esse sinis eos. Qua enim re à diis different, si & natura interitui non obnoxia, & quod ad virtutem attinet perturbationũ errorísq; expertes sunt? Cum ad hęc Heracleo tacitus quippiã secum cõmentaretur, sic Philippus infit. Non Empedocles tantùm, ô Heracleo, scriptum reliquit esse quosdã prauos genios: sed Plato etiam, Xenocrates, atq; Chrysippus. Sed & Democritus dum precat imagines sibi obtingere felices, p̃fectò ostendit esse alias quasdam adversas atq; prauas, & quæ voluntatem ad mala incitent. De morte aũt geniorum narrationem audiui viri nequaquam fatui aut vani. Aemiliani rhetoris, quẽ & vestrum nõnulli audiuerunt, pater fuit Epitherses, ciuis meus, & grammaticæ doctor. Is aiebat se aliquando in Italiam nauigare intendisse, ac conscendisse nauim, quæ & mercibus & multis vectoribus esset onusta. sub vesperam verò, cum iuxta Echinadas essent, ventum posuisse, nauímq; incerto cursu prope Paxas delatam. vigilasse tum vectorum plerosque, multos etiamnum à cœna potasse. Tum subitò ab insula Paxis auditam fuisse vocem, quæ Thamûn quendam nominatim cieret, non sine admiratione hominum. erat autem Thamûs iste Aegyptius gubernator, paucis vnà vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum, siluisse: tertiò vocanti se dedisse, eúmq; contenta voce dixisse: Vbi ad Palodes veneris, annuncia magnum Panem esse mortuum. Perterritos aiebat Epitherses hoc audito vniuersos, ac inter se disputasse præstarétne exsequi hoc mandatum, an verò omittere, neq; quicquam curiosè agere. Thamûn aũt statuisse, si ventus spiraret, tacitũ se prætervecturũ: sin malacia ad eum locum pervectis exsisteret, expositurum q̃d audiuisset. Postq; ad Palodes pervẽtum fuit, cùm neq; ventus esset, neq; fluctibus mare exagitaret, Thamûn è puppi versus terram prospexisse, ac quod inaudiuerat dixisse, Mortuus est magnus Pan. Vix dũ conticuisse illum, & gemitum magnum exauditum fuisse, nõ vnius sed multorũ, admiratione mixtum. Quod aũt fieri solet cùm evenit aliq̃d multis testibus præsentibus, statim rei famam Romæ fuisse diditam, Thamúnq; à Ti. Cæsare fuisse accersitum, ac Cæsarem ita pro certo credidisse, vt de Pane illo diligẽter inquisiuerit. Doctos verò, quos ille multos secum habebat, cõiecisse eum esse, qui Mercurio & Penelopa fuisset natus. Habuit autem Philippus testes quosdam ex iis qui tum vnà aderant, & Aemiliani iam senis auditores fuerant. Demetrius porrò narrauit, insulas circa Britanniã esse multas hinc inde sparsas (quales ex eo Sporades Gręcis dicunt) eásq; desertas, quarũ nõnullæ geniorum & heroum dicant. Se quoq; mittente imperatore cognoscẽdi atq; plustrãdi gratia p̃fectum in eã quæ desertis proxima, à paucis tenebat incolis, sed quos omnes Britan-

De geniorum morte.

Insulæ ad Britanniam.

Britanni sacros inviolabilésque haberent. statim verò post ipsius adventum magnam in aëre confusionem exstitisse, & portenta multa, ventósque in procellas erupisse, & ignitos vortices in terram delatos fuisse. sub horum finem, insulares dixisse, aliquem eorũ qui præstantioris humana sunt naturæ, esse desiisse. sicut enim lucerna, dum accendit, nihil secum mali trahit: cùm exstinguitur, molestiam multis adfert. sic magnas animas effulgere quidem placidas & innoxias: dum delentur autem, atque occidunt, sæpe (sicut & in præsentia) ventos ac tempestates excitare, aliquando etiam pestilentia aërem inficere. Sanè ibi quandam esse insulam, in qua Saturnus captiuus detineatur à Briareo, dormiẽs: (hoc enim vinculum adversus eum fuisse excogitatum) & adesse Saturno multos genios, comites ipsius ac famulos. Hunc sermonẽ excipiens Cleombrotus, Habeo, inqt, ipse etiam quę narrare possim horũ germana: sed ad præsens propositum sufficit non adversari dictis, neque impedire quo minus vera putentur. Et verò Stoicos nouimus non modò de geniis in eadem nobiscum sententia esse, sed etiã de diis, quorum tantum statuunt numerum, vnum duntaxat æternum interitúsque expertem, reliquos & natos & obituros censere. Neque metuendæ sunt nobis Epicureorum sannæ atque risus, quibus etiam adversus providentiam vti non verentur, dum eam fabulæ titulo irrident. Nos fabulæ nomen rectiùs competere dicimus in infinitatem eorum, quę de tot mundis nullum habet diuina gubernatum ratione, sed omnes casu vt natos, ita etiam constantes. Quod si omnino ridendum est in philosophia, imagines istæ rideantur mutæ, cæcæ, atque inanimæ, quas illi nescio vbi permanere aiunt, & infinitos annorum circulos conficere apparendo, passímque oberrando, cùm aliæ à viuis, aliæ à pridem crematis aut etiam putredine absumtis defluxerint corporibus. hos, inquam, rideamus, qui nugas ac vmbras huiusmodi in philosophiam attrahũt, interim indignè ferentes, si quis asserat geniis non natura modò, sed ratione etiam congruere vt multũ temporis permaneant. Secundum hæc Ammonius: Rectè, inquit, mihi pronunciasse videtur Theophrastus. Quid enim obstat quin vocem grauissimam & philosophiæ convenientissimam recipiamus? quæ si reiiciatur, multa eorum simul abolet quæ fieri possunt, demonstratione autem carebunt: sin admittitur, nihil secum trahit impossibile aut quod non exstiterit. Quod tamen vnum audiui Epicureos adferre contra Empedoclem genios introducentem, non posse eos, mali cùm sint & vitiosi, beatos esse ac longæuos, quòd multa adsit prauitati cæcitas, procliuísque ad ea quæ interimunt lapsus: id verò fatuum est. Hac enim ratione efficitur, Epicurũ Gorgia sophista, & Metrodorum Alexide comœdię scriptore esse deteriorem. hic enim duplum annorum vitæ Metrodori viuendo confecit: Gorgias ampliùs triente seculum Epicuri superauit. Alia nimirum ratione validam rem esse virtutem, vitium imbecillã dicimus, non quòd ad corporis durationem aut dissolutionem respiciamus. quãdo etiam animalium multa tarda hebetíque indole prædita, multa etiam libidinosa & incomposita diutius viuũt, quàm ingeniosa & callidissima alia. Itaque non rectè deo Epicurei immortalitatem ideò tribuunt, quòd caueat & repellere possit quæ vim habẽt interimendi. oportebat enim in ipsa natura beati immunitatem perpessionum ac interitus inesse, neque opus habere labore ad eam consequendam vllo aut negocio. Sed fortassis parum æqui animi esse videatur disputatio contra absentes. itaque Cleombroti est quam de migratione & fuga geniorum intermisit orationem resumere ac persequi. Tum Cleombrotus: Atqui mirer profectò, inquit, si non multo absurdior dictis vobis iudicetur, quanquam cum naturæ rerum explicatione videatur cohærere, Platóque ei incentiuũ præbuerit, non apertè pronuncians, sed obscura opinione suspicionem quandam de re ambagibus perplexam prodiderit: cautè is quidem, sed tamen multis ipse quoque philosophorum clamoribus impetitus. Verùm quando in medium proposita est cratera fabularum sermonibus permixtarum, neque temere in æquiores auditores incidere liceat, vbi hæ narrationes velut peregrinum nomisma examinari possint: non grauatè vobis barbari hominis narrationem largiar. quem hominem multis ipse erroribus, indiciíque mercede ampla persoluta, apud rubrum mare semel quotannis hominum congressui se exhibentem, reliquum tempus (vt ipse aiebat) cum vagis Nymphis & geniis degentem, ægrè demum inveni, ab eóque comiter ad colloquium sum admissus. Formosissimus iste hominum, quos ego quidem viderim, erat, & ab omni perpetuum morbo securus viuebat, singulis mensibus semel fructu herbæ cuiusdam medicato & amaro vescens. multis vtebatur linguis, mecum autem Doricè maximam

Contra Epicureos.

Homo sine cibo viuens.

partem locutus est, sermone non multum à carmine ac cantu differente. loquente autem ipso suauis odor locum obtinebat, ore ipsius suauissimè fragrante. Is cum totum tempus in cognitione ac consideratione rerum consumeret, vno die quotannis afflatu ad vaticinandum agebatur, & ad mare se conferens futura prædicebat: accedebant autem eò & principes & regum scribæ, eòque audito discedebant. Hic ergo diuinationem geniis acceptã ferebat, plurimúsque erat in Delphorum mentione. & quæ hîc Baccho evenisse dicuntur, & sacrificia peraguntur, omnia inaudiuerat. Verùm cùm hæc esse magnos geniorum casus affirmabat, tum ea ipsa, quæ de Pythone feruntur. Quem qui occidit, eum neque per nouem annos, neque apud Tempe exsulasse aiebat: verùm eiectum venisse in alium mundum, atque inde circumactis nouem magnorum annorum curriculis, expiatum, veréque Phœbum, id est mundum rediisse, atque oraculum recepisse, quod interim custoditum à Themide fuerat. Eandem esse rationem docebat Typhonicorum & Titanicorum. fuisse pugnas geniorum adversus genios, tum exsulia superatorum, aut pœnas à deo peccantibus impositas: quomodo Typhon in Osiridem, & Saturnus in Cœlum fertur commisisse: quorum obscurior factus est cultus, aut etiam planè intercidit, cùm ij in alium commigrauerint mundum. Nam & Solymos audio Lyciorum vicinos Saturno quantos non alij maiores habuisse honores. sed cum is interfectis ipsorum principibus Arsalo, Dryo, & Trosobio, fugit, ac aliò (incertum quò, neque ipsi possunt hoc dicere) commigrauit: eo neglecto principes istos Scirorum deorum appellatione adfecisse. perque eorum nomen publicè ac priuatim exsecrationes fecisse Lycios. Huius generis multa desumi possunt ex his, quæ tradita sunt de diis. Quod autem nominibus deorum receptis quosdam genios appellamus, id (addebat hospes) mirum videri non debet. cui enim deo quivis geniorum adiunctus est, & à quo vim honorémq; adeptus, ab eo nomen habere gaudet. sicvt & nostrûm alius Iouius, alius Mineruius, alius Dionysius, alius Apollonius, alius Mercurialis dicitur. Sed quidam geniorum etiam fortuitò rectè appellati sunt: alij nihil ad se pertinentes, sed alienas deorum denominationes nacti. His dictis cùm obticuisset Cleombrotus, nemo fuit cui non admirabilis sermo hic videretur. Heracleone autem interrogante, Quònam modo ista ad Platonem pertinerent, & quomodo is occasionẽ huic præbuisset sermoni: Probè, inquit Cleombrotus, meministi, Platoni infinitatem mundorum absque vlla dubitatione improbatam, de multitudine autem definita eum dubitasse: cúmque iis qui singulos mundos singulis elementis adsignant, vsq; ad quinarium mundorum numerum probabilia secutus argumenta concessisset, ipsum in vnius mundi assertione se continuisse. Videtúrque hoc Platoni esse peculiare, reliquis à mundorum multitudine valdè abhorrentibus, quòd eam non pro materiæ ratione definirent, sed hanc egressi statim in infinitam & molestam inciderent infinitatem. Tum ego: Peregrinus verò, aiebam, iste tuus eandémne quam Plato mundorum multitudinem censebat? aut in tuo cum eo congressu ne explorauisti quidem eius sententiam? Respondit hæc Cleombrotus. An verò mihi quicquam prius esse debuit, quàm vt de talibus rebus interrogarem audirémque alacriter? cùm se ille mihi tam facilem præberet. Dicebat ergo ille, mundos neq; innumeros esse, neq; vnum, neq; quinq; mundos, sed numero CXXCIII, triquetra figura collocatos, ita vt in quovis latere sint LX, in quovis angulo vnus. qui verò deinceps sint positi, horum proximum à proximo semper sensim tangi, ac circuire eos velvti in chorea. Planiciem porrò, quæ triangula hac figura includitur, communem esse omnium larem siue focum, & campum veritatis dici, vbi repositæ sint rationes & formæ atque exemplaria eorum quæ exstiterunt & existent, immobilia hęc omnia, circáque ea esse æternitatem, cuius quasi defluens quædam portio feratur ad ea quæ sunt in tempore. Hæc videnda & contemplanda offerri humanis animis semel intra annos CCIↃↃ, siquidem rectè viuant. & quæ hęc optima sacra aut mysteria putantur, somniũ esse istius contemplationis atq; sacri spectaculi. addebátque aut propter ea quæ isthic sunt bona homines litteris philosophiæq; studere, aut inanem sumere operam. Hæc, aiebat, ego ipsum hisce de rebus audiui scilicet vt fit in sacrificiorum & mysteriorũ traditione differentem, cùm nullam dictis demonstrationem adderet, neq; argumentis fidem conciliaret. Hęc ego è Demetrio quærere, quî haberent procorum verba Vlissem admirãtium, cùm is arcum manibus tractaret. cúmq; memoria ipsi ea suggessisset: Idem, inquam, mihi subit dicere de peregrino isto:

Geniorum nomina.

Quot sint Mundi.

En

En contemplator fuit, ac fur callidus iste Odyss. ς, [illegible]

sententiarum sermonúmque omnis generis, variéque pervagatus litteras: neque barbarus fuit, sed Grecus, & eruditione Grecanica affatim refertus. Arguit hoc numerus mundorum, non Aegyptius aut Indus, sed Doriensis, è Sicilia propagatus, cuius autor Petro fuit Himeræus. Huius quidem libellum ipse non legi, neque scio an extet etiamnum. Sed Hippys Reginus, cuius meminit Phanias Eressius, hanc ait opinionem ac sententiam esse Petronis, mundos esse CLXXXIII, qui sese invicem elemento attingant. quid autem sit cõtactus ratione elementi, non explicat, neque quicquam aliud adiicit, quod rem probabilem faciat. Sub hæc Demetrius: Et quæ, inquit, probabilitas his in rebus insit? quando ipse Plato nihil consentaneum aut verisimile effatus, autor duntaxat huius fuit sententiæ. Vos tamen grammaticos, inquit Heracleo, audimus nos, opinionem istam Homero vindicantes, qui vniuersum in quinque diuiserit mundos, Cœlum, Aquam, Aërem, Terram, Olympum: de quibus duos relinquat cõmunes, scilicet terrã vniuersi infimam, & Olympum supremam partem: reliquos autem tres tribus diis attribuat. Eodem autem modo Plato quoque videtur pulcerrimas easdémque primas corporum species vniuersi distinctis partibus accommodans, quinque facere mundos, Terræ vnum, vnum Aquæ, alios Aëris, & Ignis: extremũ, qui hos contineat, quem duodecim basium corpori ob varietatem motus & multitudinem laterum comparauit, quòd illam figuram maximè conversionibus motibúsque animalibus congruere existimaret. Intulit hæc Demetrius: Quid in præsentia Homerũ mouemus? satis iam est fabularum. Plato autem nequaquam quinque in partes diuidendo vniuersum, quinque mũdos voluit appellari. quo enim loco pugnat adversum eos, qui infinitos ponunt mundos, sibi inquit videri vnicum à deo factum esse, eóque contẽtum deum, quòd ex vniuersa corporea mole totus, perfectus, nihilque extra se positũ requirens extiterit. Vnde etiam non nemini mirari subeat, quî verum ipse dicens, aliis ansam præbuerit sententiæ probabilitatem non habentis neque rationem vllam. Vniuersi quidem infinitas pro argumento sumi vtcunque poterat, si quis ab vnitate mundi discederet. quòd autem præcisè quinque, non plures neque pauciores mundi statuuntur, id nimis quàm est ab omni veri specie & ratione alienum: nisi tu quid dicis, aiebat in me respiciens. Ego autem: Nimirum videtur, inquam, vobis omissa de oraculis disputatione, quasi ad finem iam perducta, aliam suscipere? Non, inquit Demetrius, istam missam faciemus: sed hanc nobis sese ingerentem non præteribimus. non enim huic immorabimur, sed ita attingẽtes, vt quid probabile sit nobis appareat, ad propositam initiò quæstionem nos referemus. Tum ego sic: Primùm, inquam, ea quę non sinunt infinitos mundos statuere, non impediunt quo minus vno plures censeantur mundi. fieri enim sic quoque potest vt pluribus in mundis diuinationi locus sit, & fortunæ minimus interventus, pleraque autẽ & maxima ordinatis motibus ac vicissitudinibus ferantur. quorum nihil infinitas admittere potest. Deinde rationi magis cõsentaneum est diuinæ naturæ, non esse vnicum ac solitarium mundum. Deus enim perfectè bonus cùm sit, nullius virtutis est expers, minimè omnium iusticiæ & amiciciæ: quę pulcerrimæ sunt, deúmque apprimè decent. Ad hæc nihil frustra vt habeat aut quo non vtatur, dei fert natura. Sunt ergo extrà alij dij aliique mundi, erga quos vtitur virtutibus istis ad communitatem pertinẽtibus. non enim erga se iis vtitur, neque pars ipsius sunt vsus iusticiæ, gratiæ, benignitatis: sed ad alios referuntur. Quare probabile non est amiciciæ, vicinitatis, ac commerciorum exsortem mundum in vacua infinitate fluctuare. Iam ipsam videmus naturam ea quæ sunt singula, generum & formarum complexu tanquam vasculis aut seminũ involucris cõtinere. Neque enim vlla res naturalis subsistit, cuius non sit etiam cõmunis aliqua ratio siue notio: neque appellatio cuiusui generis congrueret, nisi præter eam communem rationem suis peculiaribus qualitatibus ab aliis eiusdem generis rebus distingueretur. Atqui mundus non dicitur communis esse, sed certis qualitatibus siue proprietatibus describitur. ergo certis differentiis ab aliis eiusdem generis mundis distinctus, suam peculiarem hanc formam obtinet. Præterea cùm neque homo vnicus, neque vnicus equus in natura rerum sit, neque astrum, neque deus, neque genius: quid obstat quin dicamus non vnicum, sed plures numero mundos naturam complecti? Qui enim dicit vnam quoque duntaxat esse terram, vnicum mare, is allucinatur, partium similitudinem in rebus evidentem non animadvertens. Terra enim in eiusdem nominis partes diui-

Iliad. o, 189

Esse plures vno mundos.

ditur, itémque mare: mundi pars iam non itidem mundus est, sed diuersæ naturæ res. Porrò quod nonnulli vniuersam materiam vni mundo impendunt, maximè id metuentes, ne si quid extra istum relinqueretur, id allisionibus atque ictibus huius mundi compagem disturbaret: inanis est metus. Cum enim sint plures mundi, quorum quisq; sua contineatur substantia atq; materie quam certa mensura definit suæq; extremitates: nihil ordinis exsors & incompositum ac tanquam excrementum foràs prolapsum relinquetur. Vniuscuiusq; enim mundi forma materiam sibi destinatam continens, nihil patietur temerario motu citatum in alium decidere mundum, aut ex alio in se. eò quòd natura neq; infinitam admittit multitudinem, neq; temerarias & ordine rationéq; carentes motiones. Quod si quid ab vno mundo in alium defluit: necesse est huiusmodi influxus cognatos inter se, gratósque esse, & mixtione fieri optimè mundorum naturæ conveniente: quo modo siderum fulgores siue radij inter se contemperantur. ipsósque mundos delectari dum benigno invicem se contemplantur vultu: diísque, qui in singulis sunt multi ac boni, congressus amicos exhibere. Horum omnium, quæ dixi, nihil nefas est, nihil fabulosum, nihil rationi adversum. Nisi me Hercle Aristotelis aliquis sententia terretur, tanquam naturæ consentanea.

Aristotelis sententia censetur.

Cùm enim, vt ipse inquit, quodvis corpus suum habeat proprium locum: necesse est terram vndiquaq; ad medium ferri, & aquam super hãc, leuioribus subsidentem. ergo si plures sint mundi, eveniet vt terra multifariam igni & aëre superior, multifariam item inferior extet: idémque de aëre & aqua intelligendum, quæ alicvbi suis in locis à natura attributis erunt, alicvbi non erunt. quæ cum sint, vt ipse censet, impossibilia: neq; duos esse, neq; plures mũdos statuit, sed vnũ hunc ex vniuersa cõpactum substantia, in quo corpora iuxta legẽ naturæ sint locorũ differẽtiis disposita. Verùm hæc ipsa probabiliter magis quàm verè dicta ab eo sunt, idq;, mi Demetri, sic dispiciamus. Corporũ alia ad mediũ & deorsum, alia à medio & sursum, quædã circa medium & in orbẽ moueri dicens, cuiúsnã rei respectu mediũ sumit? Non equidẽ inanis cõparatione sumit, quod nullũ est ipsius sententia. & qui vacuũ ponũt, medio hoc ipsorum opinione caret, vt & principio, & fine: quę sunt extremitates, quibus in infinito nõ est

* locus. Atque vt extorqueas Aristoteli assertionem inanis, tamen intellectu arduum est, quænam eius ratione corporibus differentia motuum debeat tribui. nam neq; in inani vis est corporum, neq; voluntatem habent corpora & appetitum quo medium affectent & vndiquaq; ad illud contendant. sed tamen difficile est intelligere, quomodo corpora ad incorpoream atq; indifferentem rem ferantur, aut ab ea motũ momentúmve consequantur. Restat vt medium non loci ratione, sed corporis accipiamus.

Medium mundi.

Cùm enim mundus hic ex multis ac dissimilibus corporibus in vnam compactus sit ac concinnatus molem, necessariò differentiæ eorum motus vicissitudines efficiunt. Id ex eo fit evidens, quòd singula dum substantiam mutant, simul etiam locum alium à priore occupãt. dissipatio enim à medio sursum elatam materiã per circulum didit: concretio & stipatio deorsum eam ad medium cogit atq; deprimit. qua de re non est opus hoc loco copiosiùs disserere. Quam enim causam harum affectionum atq; mutationum effectricem posueris, ea vnumquemvis in seipso continebit mundum. quivis enim peculiare habet medium, suas corporum affectiones, mutationésq;, suã naturam & vim, quæ suo quodq; in loco conseruet. Quod enim extra est, siue id nihil est, siue infinitum inane, non præbet medium: sicvt docuimus suprà. Cùm autem plures sint mundi, vnicuiq; suum est medium, ac proinde peculiaris etiam cuivis motus, aliis ad medium, aliis circa id, aliis ab eo: sicvt ipsi distinguunt. Qui autem proposita mediorum multitudine contendit vndique omnia grauia ad vnum medium compelli, is perinde facit ac si postulet omnium hominum (qui numero sunt permulti) sanguinem in vnam aliquam venam confluere, omniáq; cerebra vna contineri membrana. quia nimirum iniuriam naturæ fieri putet, si corporum naturalium non omnia solida vno, rara itidem suo quodam sint in loco. Nam & hic absurdum tueretur, & is ineptè facit, qui ferre æquo animo non potest vt tota quævis suis vtantur partibus, naturæ ratione atq; ordine debito dispositis. Id quidem absurdum foret, si quis diceret mundum esse qui ita in se Lunam habeat, sicvt homo in calcibus cerebrum si gestet, & cor in temporibus. Sed plures à se invicẽ separatos mundos statuentem, vnà cum totis etiam partes segregare ac diuidere, non est à ratione alienum. vnius enim cuiusque mundi terra, mare, cœlum, secundum naturam erunt collocata. & quivis mundus superi-

peri-

periora, inferiora circulo ambientia, centrum habebit non alterius, sed sui ipsius suarúmq; inter se partium respectu, intra, non extra se. Quem enim quidam lapidem extra mundum positum pro argumento adhibent, is neque quietis expeditam, neque motus opinionem adfert. Quomodo enim vel manebit, pondere præditus? vel ad mundum feretur, reliquorum instar grauium, cuius pars non est, neque in naturam eius compositus? De terra autem in altero contẽta atq; devincta mundo non erat necesse solicitum esse, quomodo non avulsa pondere suo ab vniuerso in hunc mundum transiret: cùm videamus naturã suo quasq; partes loco cohibere. Etenim si non ipsius mundi respectu, sed extra eum superiora & inferiora cõparare instituamus, in easdem cum Epicuro incidemus difficultates, qui atomos vniuersas mouet in loca sub pedibus sita: quasi verò aut inane pedes habeat, aut infinitum in se cogitari superius inferiúsve aliquid sinat. Itaq; Chrysippum admirari licet, aut potiùs vehementer dubitare quid nam ei ad animum acciderit, cùm mundum in medio collocatum scriberet, eiúsq; substantiam ab æterno medium occupasse locum, qui non minimum ei ad permanendum & interitus immunitatem momenti contulerit. Hoc enim in quarto de Possibilibus libro tradit, medium inanis locum non rectè somnians, & adhuc causam cur mundus permaneat absurdiorem ficticio isto medio adsignans. cum quidem alibi sæpe dixisset substantiam suis in medium & à medio suo motibus dispensari ac contineri. Et quidem reliqua Stoicorum interrogata quem terreant? dum quærunt quî vnum fatum, vna providentia maneat, ac non plures Ioues fiant, si plures sint mundi. Primùm enim si absurdum est multos esse Ioues, ipsorum decreta multo erunt absurdiora. faciunt enim in infinitis mundorum conversionibus infinitos Soles, Lunas, Apollines, Dianas, Neptunos. Deinde quæ necessitas cogit multos esse Ioues, si plures sint mundi, non singulis præesse principem Vniuersi deum mente ac ratione præditum, qualis est qui à nobis dominus omnium ac pater cognominatur? Aut quid obstabit, quo minus Iouis fato ac providentiæ omnes ij obediant, ísque singula inspiciat, ac dirigat, singulis præbens initia, semina, ac rationes eorum quæ peraguntur? Cùm enim in rebus humanis sæpenumerò vnum aliquod corpus ex diuersis corporibus constet, quorum pro se quodvis viuat, intelligat, sentiat, vt est cõcio, vt exercitus, vt chorus, quod & Chrysippo visum fuit: in vniuerso nefas nequaquam putãdum est, esse mundos X, L, aut C, qui omnes vna regantur mente, & ab vno pendeant principio. immò autem admodum deos decet talis dispositio. Non enim tanquam apum examinum ductores eos debemus statuere qui nusquam exeant, aut materiæ inclusi adseruentur, ac quasi in ea obthurentur. id quod faciunt Stoici, qui deos introducunt aërum, aquarum, & ignium affectiones seu facultates quasdam insitas, eósq; & gignũt cum mundo, & rursus cum eodem combvrunt. neq; eos liberos ac solutos instar aurigarum aut gubernatorum faciunt: sed quo modo simulacra suis basibus adfixa sunt, ita deos corporeæ inclusos naturæ ac tanquam clauis immissis adstrictos faciunt, consortes omnium mutationum, etiam ad interitum vsq;. Hæc verò, nisi fallor, magnificentior est & maiestati deorũ affinior sententia, esse eos liberos, neq; alieno subiectos dominio. vtq; Castores auxilium iactatis tempestate ferunt, suóq; adventu Dij Stoicorum.

Leniunt fluctus, celerésq; ventos,

non ipsi simul nauigantes, aut in eodem versantes periculo, sed ab alto supervenientes salutémq; adferentes: ita eos alium aliâs invisere mundum, cùm contemplationis ductos iucunditate, tum quòd sua natura singulorum gubernationem adiuuãt. Nam Homericus quidem iste Iupiter non vsq; adeò longè oculos à Troia divertit, in Thraciam & Nomades Istri accolas intuens. verus autem pulcras habet, ipsiq; convenientes in variis mundis mutationes, non inane extra infinitum cernens, neq; seipsum ac nihil aliud (quæ nonnullorum fuit opinio) considerans: sed opera deorum & hominum, motúsq; & conversiones siderum multiplices contemplans. Non enim odit mutationes diuina natura, sed admodum iis delectatur, si licet hoc colligere ex siderum vicissitudinibus conspectui nostro expositis. Enimverò infinitas omnino bruta est & importuna, neq; deum admittit, fortuna & casu omnibus in rebus vtitur. At in certa multitudine definitóq; numero mundorum administratio ac providentia versans, ei quæ in vnum aliquod corpus illapsa eique adfixa id infinities transmutat atq; refingit, neq; maiestate cedit, neque est laboriosior. Hæc ego locutus, conticui. Philippus autem temporis exiguo spacio elapso, Hæc, inquit, Sicne habeant an secus,

Initio Iliad. ν.

meum non est affirmare. Quod si tamen deum extra vnum mundum proferimus, cur eum quinque duntaxat artificem faciamus mundorum, non plurium, & quæ sit huius numeri ad multitudinem mundorum ratio, cogniturum me maiore cum voluptate arbitror, quàm quæ sit Ei hæc dedicati causa. Is enim numerus neq; triangulus est, neque quadratus, neq; perfectus, neq; cubicus, neq; vllam aliam videtur elegantiã offerre iis, qui studio istarum rerum afficiuntur, hásq; magni faciunt subtilitates. Illa autem ab elementis ratiocinatio, quam Plato per ænigma innuit, omnino obscura ac intellectu difficilis est, neq; probabilitatem aliquam præ se fert, qua inductus concluserit, cùm sint quinq; corpora æquiangula & æquilatera æqualibúsq; contenta superficiebus, ea in materiam venisse, & ex his statim quinq; cõfectos esse mundos. At verò, inquam ego, videtur Theodorus Solensis non ineptè rem explicasse, vbi mathematica Platonis interpretatur. Sic autẽ tractat. Pyramis, octaëdron, quod est octo, icosaëdron quod est viginti, & dodecaëdron, quod est duodecim basium corpus, quæ prima ponit Plato, pulcra quidem sunt omnia, ob proportionum & rationum æqualitates: neq; his melius quicquam aut aliud simile componere naturæ atq; concinnare est relictum. Vnam tamen omnia compagem sortita non sunt, neq; ortum habent similem. sed tenuissimum est corpus atq; minimum Pyramis, maximum & plurimis constans partibus dodecaëdron: reliquis è duobus icosaëdron numero constat triangulorum ampliore quàm duplo, si cum octaëdri c onferatur triangulis. Impossibile itaq; est, ex vna simul isthæc omnia nasci materia. Tenuia enim & exigua, ac quorum simplicior est constructio, illa prima obtemperare motori atq; efformatori materiei, constituíq; oportet, & priùs existere quàm ea quæ magnas partes ac multa habent corpora: è quibus est dodecaëdron, cuius compages plus requirit laboris. Hinc sequitur solam pyramidem esse primum corpus, reliquorum nullum, cùm ortus eorum natura sit posterior. Est autem huius quoq; absurdi remedium, materiæ in quinq; mundos diuisio ac diductio. alibi enim primum pyramis exstitit, alibi octaëdron, alibi icosaëdron. ex eo autem, quod in quavis materiæ parte primum exstitit, reliqua orientur secundum concretionem partium, qua omnium in omnia mutatio efficitur. id quod Plato ipse monstrat ferè per omnia orationem deducens. nobis satis erit breuiter sic intelligere. Aër fit igni exstincto, rursúmq; aër attenuatus ignem edit. horum affectiones & mutationes considerari debent in vtriusq; seminibus. Semina ignis sunt pyramis ex XXIV primis triangulis conflata. aëris autem, octaëdrum ex XLVIII eiusdem generis trigonis. Fit ergo aëris vnum elementum è duobus ignis coactum & temperatum: rursúsq; vnum aëris corpus diuisum, in duo ignis corpora secernitur. iterúmque in sese compactum atq; coiens, abit in aquæ formam. Itaq; vbiq; semper illud quod primò exstitit, mutatione sui reliquis expeditam nascendi rationẽ præbet. vt iam non vnum duntaxat sit primum, sed aliud in alia materiæ parte princeps originis reliquorum, idémq; omnibus primordij nomen hoc modo seruetur. Hîc Ammonius. Animosè quidem, inquit, ista & magno cum studio Theodorus elaborauit. mirer verò, si non sumserit ea, quorum alterum ab altero evertitur. Ponit enim, quinq; ista non simul omnia nasci, sed id semper prius oriri, quod tenuissimum est ac minore negocio constituitur. Deinde, tanquam non pugnans huic sumtioni, sed eius consequens, subdit, Non omnem materiam occupari à tenuissimo & simplicissimo corpore: sed aliquando etiam grauia & multis constantia partibus ortum ex materia antecapere. Præterea quinque primis corporibus propositis, ideóq; totidem esse mundos affirmato, probabilitate tantùm quatuor corporibus tractãdis vtitur, cubum autem tanquam in calculorum ludo subtrahit, qui neq; mutari in reliqua potest, neq; reliqua in ipsum, cùm triangula sint diuersi generis. Illis enim omnibus commune ponitur principium semissis trianguli, huic autem soli peculiare æquicrurum triangulum, quod cum illo inclinatione aliqua coire, aut cõmisceri & vniri nequit. Ergo cum sint quinque corpora, quorum vnumquodque vt primum in vno de quinq; mundis materiam occupauit, reliquorum originis princeps sit: fiet vt vbi cubus primò exsistet, reliquorum nullum sit futurum, cùm in eorum nullum mutari cubus queat. Omitto, quòd elementum dodecaëdri aliud faciunt, non scalenum istud, ex quo Pyramidem, octaëdrum, & icosaëdrum Plato constituit. Itaq; tibi (subridens autem simul hæc dicebat Ammonius) aut dissoluenda hæc sunt, aut proprium aliquid adferendum, quo nos à communi hac hæsitatione expedias. Ego in hæc verba respondi. Non habeo sanè

Cur quinque mundi.

Quinarij natura.

Cubus.

in præsentia probabilius aliquid. præstat tamen fortasse suæ quàm alienæ opinionis rationes reddere. Rursum ergo sermonem à principio arcessens dico. Cùm constet duas esse naturas, vnã sensilem, ortui, interitui, mutationibúsq; & motibus variis obnoxiam: alteram, quæ solo intellectu percepta semper eodem se habet modo: periniquum, amice, videtur hanc diuisam suísq; distinctam dicere differentiis, corporeã autem & motibus subiectam si quis non concedat vnam esse cohærentẽ sibi & partium invicem momentis vnitam, sed separet ac divellat, indignari & fremere. Nimirum enim stabilia & diuina magis convenit invicem esse continuata, omnémq; quantum eius fieri potest sectionem ac divulsionẽ fugere. quanquam Diuersi natura hæc quoq; aggressa, maiora fecit quàm quæ distantia locorum æstimantur inter ea intervalla: tanta est mentis notionum & idearum dissimilitudo. Itaq; Plato opponens se iis qui vnum pronunciant esse Vniuersum, quinq; statuit principia, Ens, Idem, Diuersum, Motum, Quietem. quæ cum sint, nõ est mirum si corporeorum principiorum quodvis sui aliquod exemplũ imitando in natura impressum habet, non expers mixtionis aut sincerum, sed vt singula singularũ facultatũ participent aliquid. Proinde cubus perspicuè signũ est quietis conveniens, propter superficierum stabilitatẽ. pyramidis igneam vim & ad motum agilitatẽ quivis in laterum & angulorũ acumine depræhẽderit. natura dodecaëdri, quę apta est ad complectendũ reliquas figuras, Entis effigies omnia corpora compræhẽdentis videtur esse. de reliquis duobus icosaëdrum diuersi, octaëdrum eiusdem ideæ convenit. itaq; alterũ aërem qui vna in forma omnem substãtiam continet, alterum aquã quę temperando plurimas qualitatis species recipit, exhibuit. Quod si ergo natura in omnibus æqualitatem exigit, mundos neq; plures exemplis istis consentaneum est, neq; pauciores esse. vt cuivis sua sit princeps constitutio atque vis, sicvt in compositionibus erat corporum. Atque hac quidem oratione eos libuit demulcere, qui mirantur nos naturam ortui & mutationi obnoxiam in tot partiri genera. Hoc autem vnà mecum vniuersi perpẽdite, quòd supremorum principiorum, Vnius inquam & infiniti Binarij, hoc quia elementum est omnis informitatis & confusionis, Infinitas dicitur: Vnitatis autẽ natura cum definiat ac determinet infinitatis vacuum, & ratione ac finibus carentem naturam, informat eam, atque vtcunque appellationem quæ in singulis monstratur sensilibus sustinet atq; accipit. Hæc principia primùm in numeris apparent. immò omnino numeri appellatio multitudini non congruit, nisi infinitatem materiæ tanquam forma quædam subiens, alicvbi minus, alicvbi amplius decidat. tunc enim vnaquævis multitudo fit numerus, cùm vnitate definitur. vnitate abolita, rursum infinitus binarius omnia confundens, incomposita, infinita, immensáque reddit. Quoniam autem forma non est abolitio materiæ, sed subiecto speciem ordinémque adfert: necesse est etiam in numero vtrunque inesse principium, vnde primum discrimen, maximáque dissimilitudo ortum habet. Est enim infinitum principium causa paris numeri efficiens, mélius principium imparem gignit. Primus autem parium est binarius, imparium ternio. è quibus conflatur quinarius, ob compositionem vtrique communis, vi autem sua impar. Oportebat enim, cùm natura sensilis & corporea cõcreta, necessitate diuersi in aliquot diuideretur partes, harum numerum neq; parium esse primũ, neq; imparium, sed tertium ex his compositum. vt fieret ab vtroq; principio, & eo quod parem, & eo quod imparem architectatur. non enim poterat alterum ab altero divelli: cum vtrunq; principij naturã facultatémq; obtineat. Ambobus ergo copulatis, melius principiũ prevaluit infinitati diuidenti, inhibuítq;, & cum ab vtroq; divelleret materia, in mediũ iniecta vnitate effecit, ne Vniuersum in duas scinderet partes. ita multitudo quidẽ mundorũ exstitit ob diuersitatis naturã quæ inest infinito discernenti: finiti aũt & eiusdem vis imparem eam redegit. Talis autem est imparitas, quia naturã progredi lõgius quàm expediebat non siuit. Si enim sincerum purúmq; fuisset vnum, nullã omnino diuisionẽ admisisset materia. Quoniam autem illud binario vim diuidendi nacto admixtum fuit, admisit sectionem materia & diuisionem, sed quæ ibi constiterit, victo à pare impari. Ideóque veteribus in vsu fuit pempazesthæ dicere, pro numerare. Puto autem panta quoque (id est omnia) vocem esse à pente (quod quinque significat) deductam, quòd is numerus è primis sit conflatus numeris. Et cùm alij numeri in alios multiplicati, aliud genus numerorum producant: quinarius pari multiplicatus, denarium gignit perfectum numerum: in imparem multiplicatus, seipsum refert. Mit-

Natura duplex.

Principia Platonica.

Vnitas. Binarius. Multitudo. Numerus.

Quinarij proprietates.

to, quod è primis duobus quadratis vnitate & quaternione consit quinarius. & quod tantum potest quadratum, quantum coniuncta duorum faciunt quadrata numerorum qui ipso proximè sunt priores, pulcerrimúmque rectangulum ita triangulum constituit. & quod primus hic numerus sesquialteram proportionem continet. Hæc enim fortasse ad propositam nobis materiam non pertinent. Id propiùs huc facit, quod natura huius numeri facultatem habet diuidendi, ac secundum eum plura diuisit natura. In nobis ipsis quinque insunt sensus, totidem animæ partes, vitalis, sentiens, appetens, irascens, ratiocinans. totidem in vtravis manu digiti. & semen fecundissimum quinquefariam diuiditur. non enim mulierem plures quinque fetus partu edidisse memoratur, multæ autem quinq; vno enixæ partu. ac Rheam Aegyptij fabulantur quinq; deos peperisse, per involucrum innuentes ortum quinq; mundorum ex vna materia. Ipso in vniuerso terra quinque Zonis, cœlum quinque circulis distribuitur, polaribus duobus, totidem solstitialibus, & medio horum æquinoctiali. Quinq; etiam sunt conversiones stellarum vagarum, cùm eadem sit Solis, Luciferi, & Mercurij. Ipse etiam mundus ad quinarij concinnitatem est compositus, sicvt apud nos harmonia ex quinq; tetrachordorum positu constare cernitur, summorum, mediorum, adiunctorum, deiunctorum, ac excedentium. & in cantu quinq; sunt interualla, diesis, semitonium, tonus, sesquitonium, ditonus. Ita videtur natura magis delectata fuisse rebus quinario construendis, quàm globi ad formam redigendis, quod visum fuit Aristoteli.

Platonis sententia explicatur.

Quærat hîc aliquis, Quidnam causæ sit quod Plato, cùm quinq; mundorum numerum ad quinq; corporum revocauerit figuras, fatus quinaria constructione deum vsum in describendo vniuerso, ac deinde proposuerit de multitudine mundorum difficilem dubitationem, vnúmne an quinq; re vera exstitisse dicẽdum sit: tamen depræhendatur hinc suspicionem eius rei iniecisse. Quod si id quod probabile est, accommodari ad eius sententiam debet, eò ipse respicio in hac re explicanda, quod scilicet senserit Plato differentiis corporum istorum & figurarũ, necessariò motuum quoq; comitari discrimina. hoc enim ipse docet, vbi pronũciat id quod coit aut secernitur, vnà cum substantia & qualitatibus locum etiam nomenq; mutare. Si enim ex aëre ignis fiat, soluto octaëdro, & in pyramides dissipato: aut vicissim ex igni aër, in octaëdrum coacto & compulso: non potest suo manere loco id quod mutatũ fuit, sed fugit fertúrq; ad alium locum exturbatum priore, pugnátq; cum iis quæ obsistunt & impellunt. Adhuc etiam pleniùs similitudine eorum quæ cribris aliisq; ad purgãdum frumentum paratis instrumentis concutiuntur atque ventilantur, rem explicat. eodem modo etiam elementa docens, dum quassant materiam, atq; ab ea quassantur, similia semper ad similia ferri, aliáque aliis locis contineri, antequam eorum compositione Vniuersum constituatur. Hoc ergo modo tum affecta materia, vt par fuit Vniuersum esse affectum vbi Deus abest, statim primæ quinque qualitates suis singulæ præditæ momentis, incitatæ sunt: neq; omnino separatæ tamen, aut sincerè secretæ, ideò quòd omnibus permixtis natura ita comparatum est vt semper quod superatur ei comitetur quod prævalet. Itaque in ortu corporum cùm alia aliò ferrentur, æquales numero partes atque diuisiones effecerunt. vnam partem nõ puri ignis, sed ignea specie præditam: aliam non sinceri ætheris, sed ætheris similem: aliam non terræ puræ putæ, sed formæ terreæ: maximè tamẽ aër cum aqua fuit permixtus, quòd hæc multis diuersi generis admixtis discesserunt, sicvti dictum fuit. Non enim deus separauit aut disposuit naturam, sed cùm ipsa vltrò divortium fecisset, & in diuersa discessionem loca admodum inordinatam, accepit, composuit, & proportione ac medietate adhibita concinnauit. deinde rationem vnicuique imponẽs velvti gubernatorem & custodis loco, tot effecit mundos, quot sunt formæ primorum corporum. Atque hæc propter Ammonium gratiæ Platonis dedicata sunto. Ego autem de numero mundorum, quòd sint tot, nunquam sanè contenderim. eam verò sententiam, quę plures vno mundos, non tamen infinitos sed numero determinatos facit, neutra istarum absurdiorem censeo: in materiæ naturam intuens, dissipabilem eam ac diuiduam, & quæ neque vnitatem seruet, neq; eam ratio in infinitum evagari sinat. Sed, quod aliâs solemus, hîc quoque Academiæ recordemur, nimiámque vitemus assensionem, ac tanquam in loco lubrico in disputatione sola de infinito firmiter consistamus. Hæc ego cùm dixissem, Demetrius: Probè, inquit, Lamprias hortatur.

Multis enim dijformis, non sophismatum,

vt est apud Euripidem, sed rerum decipiunt, cùm velvti scientes de tantis rebus audemus pronunciare. Sed ad argumentum initiò propositum reuocanda nobis est disputatio. Quod enim dictũ fuit, oracula relinquentibus & deserentibus geniis, tanquam instrumenta artificum iacere ociosa & muta, aliam maiorem excitat quæstionem de causa & facultate, qua vsi genij vates vtriusq; sexus furore & imaginatione futurorum impleant. Non possumus quippe causam silentij oraculorum adscribere discessui geniorum, nisi persuasum nobis sit quo modo præsentes eadem vocalia & operosa reddant. Sub hæc Ammonius. Putas verò, inquit, genios aliud quicquam dicendos, quàm quod ait Hesiodus, animas circumvagantes,

Redit ad disputationem de oraculis.

Aëre vestitas?— Mihi enim quo pacto homo differt ab homine tragicã comicámve agente personã, eodem differre videtur animus ab animo corpore in hac vita amicto. Nihil igitur est causæ cur absurdũ aut mirũ videri debeat, si animi in animos incidentes, futuri imaginationẽ aliquam ingenerant. sicvt & nos invicem non omnia voce, sed & litteris, & tactu, & intuitu significamus multa præterita, & futura præmõstramus. Nisi tu quid, Lampria, diuersum habes. est enim nuper nobis renunciatum, multa te hac de re cum hospitibus apud Lebadiam disputasse, quorũ nihil nũcius perfectè memoria tenebat. Noli mirari, inquam ego. multę enim actiones, multæ occupationes mediæ incidentes, propter oraculum & sacrificium quod tractabatur, fecerunt vt sparsim ac per intervalla commentaremur. Atqui nunc, aiebat Ammonius, & ocio vtẽtes habes auditores, & paratos alia quærere, alia discere, omni contentione ac studio altercãdi remotis, libertatéq; & venia omni sermoni, vt vides, proposita. Eadem reliquis etiam postulantibus, ego postquam paululum subticuissem: Et quidẽ, inquã, iis quæ tum disputata sunt, ipse tu casu quodã exordiũ occasionémq; hîc referẽdi dedisti. Si enim animi secreti à corporibus, aut omnino quibus nullum est cum corporibus commerciũ, sunt, quæ tua est, & diuini sententia Hesiodi, dæmones

Genij quid.

Custodes hominum casti, terras obeuntes.

cur animos in corporibus degẽtes ista vi priuamus, qua futura præscire & prædicere possunt à natura sua genij? Probabile quidem nõ est animis vllã facultatem, vllámve partem adnasci abitu è corpore, qua caruerint antè: sed ea semper habere, habere autem deteriora, dum mixti sunt corpori. atq; alia quidem omnino obscura & occulta, alia infirma & languida, & sicvt cùm per caliginẽ videmus, aut in humore mouemur, inefficacia & tarda, multámq; suæ naturæ curationem & restitutionem, multam eius à quo impediuntur detractionem atq; expurgationem desiderantia. Sicvt enim Sol nõ tum fit splendidus, cùm nubes effugit: sed cùm semper talis sit, in nebula nobis obscurus videtur, ac vix apparet. sic animus vim diuinandi non adipiscitur è corpore tanquam nube egrediendo: sed iam nunc ea præditus, cæcatur ob permixtionem & confusionem cum natura mortali. Quod ne miremur, aut fidẽ rei derogemus, videamus, si nullam aliam animi facultatem, saltem eam quę ex adverso respõdet diuinatrici, memoriam dico, quantũ illa præstet opus, quòd præterita seruat ac retinet, aut potiùs ea quę non sunt. eorũ enim quæ facta sunt nihil est neq; subsistit, sed simul exsistũt omnia & intereunt, siue facta, siue verba, siue affectiones, tẽpore fluminis instar omnia proripiente. ista aũt vis animi, nescio quo modo ea appræhendit, & non cùm sint, iis tamen speciẽ ac substantiã circumponit. Sanè oraculũ Thessalis de Arna datũ iubebat eos

Animos etiam humanos, diuinandi vim habere.

Memoriæ vis.

Visum oculis capti, muti vocémq; notare.

At memoria nobis & surdorũ auditio, & visio cæcorũ est. Itaq;, sicvt dixi, mirum non est, si appræhendens quæ iam esse desierunt, multa etiam nondum quæ sunt adsciscat. Hæc enim ei magis conveniunt, & ab his consensu quodam adficitur. accingit enim futuris, eáq; aggreditur, à pręteritis & finem nactis absoluta, nisi quatenus eorum meminit. Hanc ergo vim animi cum habeant innatam, obscuram tamen, & imaginatu difficilem, quidam tamen subitò in somnis aut sacrificiis efflorescunt, eáq; vtuntur, siue quòd tum corpus mundatũ est, siue aptam ad hanc rem cõsecutum temperiem, siue quòd mens laxata & à præsentibus liberata, imaginandi vim futuris intendit. Non enim, vt Euripides ait,

Optimus is est vates, probè qui coniicit.

sed hic quidem intelligens est vir, rationem præcedentẽ ac indicio probabili ducentem sequens. Vis aũt diuinandi, tanquã tabula scripturæ expers, ratione carẽs, & infinita ex sese, capax tamen ortarum à visis affectionum & præsensionum, absq; vlla ra-

tiocinatione futurum attingit, maximè vbi è præsenti exit statu. hoc fit, cùm ob temperiē & affectionē corporis mutatio ei accidit, quę enthusiasmus, hoc est diuinus instinctus, dicitur. Ipsum quidē corpus ex seipso sæpe huiusmodi consequitur affectionem. Terra autem cùm multarū aliarum facultatum fontes hominibus effundit, alios furorem diuinū, morbos, mortémq; ferentes, alios vtiles, iucundos, & cōmodos, id quod ij qui accedunt, experientia depræhendunt: tum verò diuinandi fluxus atq; Spiritus diuinissimus est & sanctissimus, siue is seorsim per aërem, siue cum liquore percipiatur.

Diuinandi spiritus qualis.

In corpus enim admixtus, temperiē in animis ingenerat insolentem atq; alienā ab vsitata. cuius proprietates difficile est exprimere verbis, coniecturas aūt multiplices de iis ratio suggerit. Calore nimirū & diffusione meatus aperiri quosdā imaginandi futura præditos facultate, probabile est. quemadmodum vinum sublatis ad cerebrū vaporibus multos animo motus infert, multáq; eius sensa abdita priùs & occultata detegit. Multa enim vis diuinādi bacchationi & furori inest, si quidem Euripidi credimus: quando incalescens animus atq; ignitus metum amolitur, quē humana prudentia inducens sæpenumero avertit & restinguit diuinū instinctum. Ad hæc non abs re dici posse videt̄, siccitatē vnà cum calore animo ingeneratā, spiritum reddere tenuē, æthereúmq; eum & purū redigere. Hæc est enim illa Heracleti anima sicca optima. Humiditas non visum modò & auditum hebetat, sed & speculis incidens splendorem & aëri lucem adimit. Contrà etiam non est nefas refrigeratione & densatione spiritus, ad instar tincturæ ferri, vim præsagientem animo indi ac durari. & quidem sicvt stānum illiquefactum æri, quod rarum est ac multis hians meatibus, simul hoc & stipat densatq;, & splendidius puriúsq; redigit: ita nihil impedit, quin diuinandi facultas, vapor quippiam consentaneum & cognatum animo habens, laxas eius partes impleat, concinnet, ac contineat. Alia enim aliis sunt conducibilia. sic faba purpuræ, nitrum cocci tincturam expedit admixtum, & vt Empedocles ait,

Glauci flore croci byssus miscetur amœnus.

de Cydno autem, & sacro Apollinis qui Tarsi est gladio, te, mi Demetri, narrātem audiuimus, gladium eum nulla alia aqua perinde tergi & purgari, ac fluminis eius. sicvt etiam Olympiæ cinerem aqua Alphei amnis affusa aræ circumglutinant: cùm nulla hoc alia possint aqua efficere. Non est igitur mirum, si terra multos alios liquores edente, isti soli animis enthusiasmum & futurorum imaginationem inferunt. Citra controversiam porrò hanc rationem fama confirmat. Hæc enim vim loci huius primùm innotuisse ferunt, cùm casu pastor quidam in eum incidisset, vocésque deinde à diuino instinctu edidisset profectas. quas cùm initio spreuissent qui aderant, postea eventu probatis quæ is prædixerat, mirati sunt. Delphorum doctissimi, nomen quoq; hominis perhibent Coretā. Mihi verò videtur maximè huiusmodi cum diuinatione cōtemperationem atq; cohæsionem animus admittere, qualis est visui cum luce consentiente. Oculus enim videndi facultate præditus nihil sine luce agere potest, & animi vis diuinatrix, tanquam oculus, sua quadam re indiget, à qua incendatur atque exacuatur. Quare multi antiquiorum esse vnum eundémq; deum Apollinem & Solem putauerunt. Qui verò proportionem, pulcram ac sapientem sanè rem, cognitam habent ac magni faciunt: ij sicvt corpus ad animum, visus ad mentem, lux ad veritatem se habet, ita Solis facultatem se habere censent ad naturam Apollinis. illam huius propaginem fetúmq; existimantes, illam semper ab hac quæ semper est procreari. Ille enim accendit, producit, atq; excitat videndo sentiēdi vim: hic animi diuinatricem facultatem. At qui vnum eundémq; deum eos esse senserūt, probabili ratione moti Apollini & Terræ commune oraculum adscripserunt. arbitrati Solem terræ ingenerare affectionem istam & temperiem, à qua vapores ad diuinandum facientes exhalent. Ipsam proinde terram, vt Hesiodus meliùs quàm à nonnullis factum est philosophis, re considerata appellauit

Origo Delphici oraculi.

Immotam sedem cunctorum: ——

Terra, & eius facultates.

ita nos quoq; sempiternam interitúsq; expertem statuimus. facultatum autem eius aliquando defectus, aliquando ortus, nonnunquam aliò migrationes probabile est evenire, vniuersiq; tēporis circuitu tales conversiones in ea revolui. q̄d cōiicere licet ex iis quæ animadverti sensu possunt. Nam & lacus, & amnes, ac frequētius thermæ quibusdā in locis defecerunt ac omninò evanuerunt, in aliis quasi subterfugerūt ac delituerunt: aliquāto pòst tēpore rursum iisdem aut vicinis locis exstiterunt. Iam metalla

quædam

quædã prorſum exinanita iacent: vt in Attica ſecturæ argẽtariæ, & in Eubœa æris venę, ex quo cudebant gladij qui aquę tinctura durabant, quorũ ſic meminit Aeſchylus:

Sumens acutum mucronem Euboicum manu.

Neq; diu eſt quod Caryſtia rupes deſiit ſimul cũ marmore proferre ſtamina quædam mollia ac quaſi fila lapidea (exiſtimo enim quoſdã veſtrum vidiſſe mãtilia, retia, & involucra capitis ea ex materia confecta: quæ neq; vruntur, & cùm vſu ſordes cõtraxerunt, in ignẽ coniecta nitorẽ ſplendorémq; ſuũ recipiunt) planè enim deſiit, & vix graciles quædã tanquam fibræ & quaſi capilli eius materiæ per metalla diſcurrunt. At enim horũ omnium opificẽ Ariſtoteles facit vaporẽ qui eſt in terra: cuius defectũ, migrationẽ, nouúmq; ortũ neceſſe eſt iſta omnia ſequi. Hæc itaq; de ſpiritibus diuinationi ſeruientibus cogitanda ſunt, vim eorũ non eſſe ſempiternã aut ſenij immunem, ſed mutationibus obnoxiã. Nam cõſentaneũ eſt & magnis eos exſtingui imbribus, & diſſipari fulmine ictis locis, maximè aũt cùm terræ motu cõcuſſæ in ſeſe ſubſidunt ac confundunt, petere ima aut etiã planè elidi. ſicvt hîc aiunt veſtigia apparere magni terræmotus, eius qui vrbẽ ſubvertit. Orchomeni aiunt peſte multis abſumtis hominibus, Tireſiæ oraculũ planè defeciſſe, & in hunc vſq; diem manere ocioſum & mutũ. Idem de Ciliciæ oraculis auditu accepimus: verène dictũ, tu Demetri omnium optimè expoſueris. Hæc Demetrius. Vt nunc, inquit, res habeat, ignoro. ſcitis enim me permultum tẽporis iam peregrinãdo confeciſſe. Cum aũt eſſem in patria, florebãt adhuc Mopſi & Amphilochi oracula. Habeo aũt rẽ apprimè admirabilẽ, quæ me præſente apud oraculũ Mopſi evenit, quã vobis referã. Pręfectus Cilicię, homo dubiæ de diis ſentẽtię *Mopſi oraculũ.* (quod ei accidiſſe puto ꝓpter imbecillitatẽ incredulitatis de diis cõceptæ) cęteroqui contumelioſus & prauus, cùm circa ſe haberet Epicureos, qui freti pulcra (ſi diis placet) iſta ſua phyſiologia religioni illudũt, motus eorum vocibus libertũ ad oraculum Mopſi miſit, tanquã exploratorem in caſtra hoſtiũ, cum tabella obſignata, in qua nemine conſcio quæſtionẽ ſcripſerat. Libertus cùm pro more noctem in delubro exegiſſet, ac obdormiuiſſet, facta die tale narrauit ſomniũ. viſum fuiſſe ſibi adſtare virum pulcrum, qui vna hac voce, Nigrum, edita ſtatim diſceſſerit. Abſurdũ nobis hoc videbatur, multúmq; hæſitationis iniiciebat. At præfectus conſternatus, flexíſq; genibus veneratus Mopſum, aperuit tabulam, oſtendítq; nobis hanc inſcriptam quæſtionẽ, Albúmne tibi, an verò nigrum immolabo taurum? Itaq; & Epicureis pudor eſt iniectus, & præfectus ſacrificio peracto iſto, deinceps Mopſum coluit. His dictis Demetrius conticuit. Ego autem, qui ſummam diſputationi imponere cuperem, ſum in Philippum ac Ammonium intuitus, qui ſimul ſedebant. videbantúrq; mihi velle aliquid dicere, & rurſum vocem inhibere. Tum Ammonius. Habet, inquit, mi Lampria, Philippus etiã quę dicat de diſputatis. Ipſe enim quoq; in eã, quę plerorunq; eſt, venit ſententiam, Apollinem non eſſe à Sole aliũ, ſed eundem cum eo deum. Mea autẽ grauior eſt, ac maioribus de rebus dubitatio. Antè, neſcio quo modo, oratione eò rem deduximus, vt à diis diuinationẽ ad genios vtcunq; reiiceremus. Nunc videmur mihi hos iterum oraculo & tripode detrudere atq; exturbare, diuinationis principiũ, immò ipſam ſubſtantiam ac vim, in ſpiritũ, vapores, exhalationéſq; referentes. Quæ enim commemoratæ ſunt temperies, calores, & quaſi aciei ac roboris (qualia ferro candenti aquæ tinctura conciliat) in animum introductiones, ſententiam noſtram etiam longius à diis abducunt: quandámque talem cauſæ oraculorum ratiocinationem proponunt, quali Cyclopem vti facit Euripides.

Tellus oportet, ſeu velit, ſeu non velit,
Gignendo gramine ſaginet meum pecus.

Hoc intereſt, ꝙ ille negat ſe diis ſacrificare, ſed ſibiipſi ait & ventri geniorũ maximò. Nos aũt & ſacrificamus, & vota facimus, neſcio ſanè cur oraculorũ iſthęc gratia, ſiquidẽ animi noſtri in ſe vim habent diuinandi, quã aëris aliqua aut venti excitet tẽperies. Iam quid ſibi volunt conſtitutiones antiſtitarũ? & quod oraculũ non edit, niſi hoſtia tota ab imis talis contremiſcat dum liquor inter libandum ei invergit, & concutiatur? Non enim ſatis eſt quaſſare caput, vt in aliis ſacrificiis: ſed oportet omnibus membris trepidationẽ & concuſſionem accidere cum tremulo ſonitu. hoc niſi fiat, negant oraculũ reſpondere, neq; Pythiam introducunt. Atqui certè neceſſe eſt vt hęc cum faciũt, & fieri debere ſtatuunt, diis aut geniis eorũ cauſam adſcribant. quo tu modo rem explicabas, probabile non eſt. vapor enim ſiue tremat victima, ſiue nõ tremat, vbicunq;

aderit, diuinum instinctũ incutiet, animúmq; afficiet. idq; non tantùm si Pythiæ, sed si quodcunq; corpus attigerit. vt ineptũ sit vna muliere vti ad oracula, eíq; facessere negociũ, ac per omnem vitã castam eam intactámq; seruare. Etenim Coretas ille, quem primum aiunt Delphi, cùm eum in locum incidisset, facultatem loco insitam demonstrasse, nihil (arbitror) habuit, quo alios caprarios aut pastores excelleret. si tamen narratio de eo nõ est fabula & inane cõmentum. Mihi quidem nugæ videnť. & quoties ratiocinor, quantorum bonorũ causam Græcis hoc præbuerit oraculũ in bellis, condendis vrbibus, pestilentiis, sterilitatibus: indignũ facinus iudico, inventionem eius atq; principiũ non deo, ac providentiæ, sed fortunæ & casui imputari. Hac de re cum Lampria paratus sum disserere. modò tu, Philippe, morã hãc æquo animo feras. Maximè, inquit Philippus, cùm ego, tum omnes isti. oratio enim hæc tua omnes nos cõmouit. Me verò, inquã ego, non mouit tantùm oratio hæc, sed planè pudorẽ incussit, si in tanto tantorum hominũ cœtu vobis videar præter ætatẽ probabilitate sermonis fucũ faciẽs convellere aliquid aut in dubium vocare voluisse eorum quæ verè & diuinitus de rebus diuinis statuta ac recepta sunt. Purgabo tamen me, teste ac patrono interim Platone adscito. Hic enim Anaxagorã veterem culpauit, quòd nimis in naturales immersus causas, semperq; necessitatẽ earum quæ corporibus naturalibus accidunt affectionũ consectans atq; persequens, finalem & efficientem causam, præstantiores in genere causarũ, & potiora principia omisisset. Interim ipse aut primus aut maximè omniũ philosophorũ has vtrasq; tractauit, ita quidẽ vt deo principiũ eorum quæ ratione fiunt adscriberet: neq; tamen materiã necessariis causis ad rerũ ortũ pertinentibus spoliaret. perspiciebat quippe, q; his caussis quævis res naturalis ac exposita sensui cùm adorneť, non simplex est aut mixtionis expers, sed materiæ cũ forma implicatione oriť. Consideremus primùm hoc in operibus artiũ. Offert se nobis statim famosus iste crateræ fundus siue basis, quã hypocrateridium, id est fundamentũ crateri substratũ Herodotus appellauit. materiales hic crater habet causas, ignẽ puta, ferrum, mollitionem vi ignis, immersionẽ in aquam: sine quibus nullo pacto opus hoc potuit confici. præstantiorẽ tamen causam, & quæ his mouendis operareť, ars & ratio operi præbuit. Præterea exemplaribus his atq; simulacris, autor & opifex inscriptus est.

Aglaophonte satus, patria Thasius, Polygnotus:
Arcis depinxit Dardaniæ exscidium.

ac pinxit, vt videtis, exscidiũ Ilij. verùm id fieri non potuit, vt nisi multis pigmentis tritis ac inter se permixtis picturæ hæc efficeretur forma. An ergo qui vult materialẽ causam attingere, quæritq; & docet affectiones & mutationes, quæ accidunt Sinopidi rubricę cum ochra permixtæ, aut atramento cũ melide, aliquid pictoris detrahit glorię? Aut qui explicat qua ratione ferro duricies ac mollicies inducanť, (nẽpe q; igni laxatũ tundentibus & percutiẽtibus cedit, in aquã aũt recentem immersum, ac frigore obpartã vi ignis teneritatẽ ac raritatem, coactũ in se atq; densatũ, robur acquirit & crassiciem, quam Homerus vim ferri appellat) iccirco operis effectionẽ non relinquit artifici integrã? Non equidẽ opinor. Nam & sunt q vires medicamentorũ aut qualitates examinant, nequaquã ĳ artem medicã abolentes. Sicvt etiã haud dubiè Plato videre nos oculorũ splendore cũ Solis luce contẽperato, ictóq; aëre audire dicẽs, nõ hoc negat, ratione & providẽtia nobis facultatẽ videndi atq; audiẽdi obtigisse. In vniuersum enim, cùm (vt dixi) qvis ortus duas habeat causas: antiquissimi theologi atq; poëtæ soli pręstãtiori animũ advertere dignati sunt. scilicet cõmune hoc omnib. reb. accinẽtes:

Principium Iupiter, medium Iouis, omnia ab ipso.

Ad naturales autem & necessarias causas nunquam accesserunt. His posteriores, quibus physicorum nomẽ fuit inditum, diuerso à prioribus instituto, à pulcerrimo illo & diuino aberrauere principio. omnia corporibus, eorúmq; perpessionibus, collisionibus, mutationibus, mixtionibus accepta ferre maluerunt. Quo fit, vt vtrorumq; ratio imperfecta sit. his per quem, & quapropter, illis è quibus rebus, & ob quas causas factæ sint ignorantibus, aut saltem non exponentibus. Enimverò is, qui primus liquidò vtrunq; causarum genus attigit, certáq; ratione efficienti & mouenti causæ adiunxit subiectum necessariò motionum capax: is nos quoq; omni sinistra suspicione & calumnia exonerat. Non enim dei aut rationis expertem facimus diuinationem: dum ei pro subiecto animum humanum, spiritum autem seu vaporem enthusiasmos cientem instrumenti plectrive loco tribuimus. Iam primùm terra quæ exhalationes istas parit,

Causarũ diuisio.

Odyss. ι,393.

parit, tum qui omnis temperiei ac mutationis facultatem terræ largitur Sol, Dij maiorum nostrorum instituto censentur. Deinde huic temperiei genios, tanquam præsides, inspectores, custodésq; cùm addimus, qui alia tempestiuè suggerant, alia intendant, nimiámq; abalienationem mentis & conturbationem restringant, spiritúmq; ita temperent, vt sine noxa & dolore moueat correptos: non videbimur aliquid vel absurdum vel impossibile facere. Præterea nostræ ratiocinationi hoc non adversatur, quòd antè quàm oraculum petimus, victimam immolamus, coronamus, libamus. Sacerdotes enim, & alij quorum est immolare victimã & libare, ac habitum eius & motum obseruare, aliam eius rei causam habẽt, quàm nos qui oracula petimus. Nam hostiam oportet & quod ad corpus, & quod ad animum attinet, puram esse, integrã, atq; incorruptam. de corporibus iudicium non est difficile. Animam explorant, farinam tauris, ciceres suibus apponentes. si enim non gustent, non esse sanos iudicãt. Capram argui frigida affusa, si non moueatur. non enim esse animæ secundùm naturã affectæ, non moueri neq; affici cum libamenta inverguntur. Quod si constanter verum sit, litare signum esse exituræ sortis, nòn litando demonstrari responsum nullũ acceptum iri: non tamen ego video quid adversum iis, quæ suprà sunt dicta, consequatur. Nimirum vnaquævis facultas suo tempore meliùs quàm alieno id ad quod natura eam destinauit, præstat. & cùm ille temporis idoneus articulus nos fugiat, cõsentaneum est à deo nobis eius signa monstrari. Id quoq; sentio, exhalationem istam nõ perpetuò esse eiusdem modi, sed intendi atq; remitti interdum. Et mei argumenti, quò id confirmo, testes habeo cùm multos peregrinos, tum eos omnes qui adsiduo sacrariũ hoc obeũt administros. Cella enim, in qua collocantur cõsultores oraculi, neq; sæpe, neq; statis tẽporibus, sed fortuitis interstitiis suaui odore impletur, ac Spiritu è delubro tãquam fonte quodam oblato: qui fragrantia suauissimum quodq; & preciosissimum æquet vnguentum. expelli autem verisimile est à calore, aut alia quadã innata vi. Hoc si cui non videtur probabile, at illud quidem vniuersi fatebimini, ipsam Pythiã aliàs aliis & diuersis inter se affectionibus citatã habere eam animi partẽ, quam tãgit spiritus: neq; ab ea vnam semper animi temperiẽ, instar harmoniæ nullo tẽporis puncto mutabilis, conseruari.

Oraculi antistita quomodo afficiatur.

Multæ enim sentiente ipsa, plures non animadvertente corpus eius invadunt, animóq; obrepunt molestiæ & cõmotiones: quibus oppletã nefas est ire ad cortinam & deo sese vtendam exhibere: cùm sit tunc non pura, sed instrumentum quasi non satis rectè adornatum aut bene sonum redditurum, verùm turbulentum atq; incompositum. Nam neq; vinum ebriosum, neq; fistula enthusiasmis captum eodem semper afficit modo. sed pro eo atq; aliud vel aliud temperamentum in corpore obortum est, iidem aliàs magis, aliàs minus bacchantur ac insaniunt. Maximè omniũ partium animi ea, qua imaginamur, videtur corporis alterationibus permoueri, eiúsque mutationes imitari. Quod manifestum faciunt somnia, quæ aliquando nobis varia & multiplicia offeruntur, aliquando eorũ vacui, animóq; ad hæc quod attinet tranquillo sumus. Ipsi nouimus Cleonem à Daulia istum, qui toto vitæ suæ decursu (vixit autem satis multos annos) vllum se vidisse somnium negat. Antiquiores idem tradunt de Thrasymede Heræense. In causa est corporis temperies. Sicvt ab altera parte melancholicis frequentia visa & somnia offerunt. quæ quòd veracia creduntur, id eo fit, ꝙ aliàs aliò vim imaginandi convertentes, sicvti ij qui crebrò iaciũt, sæpenumero scopum attingunt. Ergo quoties facultas imaginandi atq; diuinandi, ad spiritus, tãquam medicamenti, temperamentum cõcinnè affecta est: necesse est vates instinctu diuino cieri. Sin verò, aut nullus erit enthusiasmus, aut incompositus, intempestiuus, & turbulentus. sicvt nuper mortuæ Pythiadi accidisse nouimus. Cùm enim quidam scitatum oraculum peregrè venissent, fertur ad primas libationes victima immobilis mansisse, neq; passa quidquã. tandem instantibus certatim libando sacerdotibus, velvt imbre rigata ac madefacta contremuisse aliquantum. Quid ergo Pythiadi vsu venit? Descendit in opertum oraculi inuita, vt aiunt, & animo minimè alacri. statim autẽ in primis responsionibus apparuit ex asperitate vocis eam instar nauis vento impulsæ non sustinere vim Spiritus, adeóq; repletã esse spiritu maligno & muto. tandem prorsus exagitata cum terribili clamore ad exitũ contendit, ibíq; sese proiecit, ita vt nõ tantùm consultores fugerint, sed & Nicander vates, & quotquot hosiorum aderãt. (id est sanctorũ. Sic vatum sodales appellantur) Paulo tamen pòst ingressi sustulerunt eam mente captã, ac supervixit paucos dies. Eam ob rem Pythias necesse est vt corpus & à

Pythias Spiritu interfecta.

viris intactū, & ab omni alieno commercio purum conseruet. & signa ante oraculum exigunt, existimantes deo notū esse quando ea cōmodè affecta atq; tēperata sustinere instinctū diuinum possit. Neq; enim omnes, neq; eosdē eodem semper modo vis Spiritus afficit: sed fomitis instar initiū (sicuti diximus) præbet iis, qui ita cōparati sunt, vt cōmodè affici ac mutari possint. Est autem vis ea diuina quidem, non tamen quæ deficere nunquam aut senectute elanguescere, sed durare per infinitum tempus possit. quo sanè omnia debilitantur, quæ inter Lunam sunt & terram. vt quidem nostra doctrina perhibet. Sunt enim qui superiora etiam non perdurare putent, sed cùm æternitatem atq; infinitatē assequi non possint, celeribus vti mutationibus ac renouationibus ortuū. Hæc, inquam ego, sæpenumero perpendere & vos iubeo, & meipsum, cùm multis videanť exposita repræhensionibus, & in contrariā sententiā suspiciones præbeant: quas omnes persequi disputando tempestiuū in præsentia non est. Ergo & hæc in aliud reiiciamus tempus, & quæ Philippus de Sole & Apolline dubia explicanda habet.

Plutarchi de Ei, inscripto foribus templi Delphici, commentatio.

NCIDI nuper, mi Sarapio, in versiculos quosdam nequaquam inelegantes: quibus Dicæarchus existimat Archelaum fuisse ab Euripide compellatum:

Nolo tibi dare dona pauper diuiti:
Desipere ne puteť me, vel dando petere.

Pauper diuiti donans.

Nullam enim gratiā init, qui de exiguis opibus paruū aliquid multa possidenti dat: & cùm fidem non facit se gratis dare, in maliciæ simul ac illiberalitatis venit suspicionem. At enim, quando liberalitate ac pulcritudine munera pecuniaria donis doctrinæ & sapientię multo sunt inferiora: honestū est cùm dare hæc, tum ab iis quibus danť similia reposcere. Itaq; ego ad te, & propter te ad amicos isthic degentes Pythicis de rebus quosdam cōmentarios mittens, fateor alios me à vobis, & plures & meliores exspectare. quippe cùm & magna vos in vrbe versemini, & ocio inter multos libros atq; omnis generis disputationes fruamini. Enimverò Apollo noster, vt apparet, cùm difficultates vitæ incidētes subleuet atq; dissoluat edendis oraculorū responsis, eas quæ circa doctrinā sunt, relinquit & proponit excutiendas ei animi facultati quæ studio sapientiā sectatur, appetitū ingenerans qui ad veritatē ducis loco sit. Id cùm aliis multis rebus manifestū fit, tum inscriptionis Ei dedicatione. Consentaneū enim est eam litterā non forte fortuna, neq; sorte inter litteras cōparato solā à Deo principe in sede collocatā, ac donariį sacri & spectaculi conditione ornatā fuisse. sed eos, qui primi de hoc deo philosophati sunt, aut Ei huius vim quandā peculiarem & insignē perspexisse, aut hac nota & tessera seriæ alicuius rei vti voluisse. Qua de re quæstionē cùm sępenumerò in schola propositā sensim declinādo evitauissem, nuper deprehensus sum à filiis cū hospitibus quibusdā concertās, quos statim Delphis abituros decorū non erat præterire, aut sermonē detrectare illis aliqd omnino audire cupientibus. Cùm ergo apud templū cōsedissemus, & alia ipse inquirere, alia ex istis interrogare cepissem: ipse locus, ipsaq; disputatio eorū memoriā mihi renouauit, quę quo tēpore Nero apud Delphos est pegrinatus, eodē in loco eadémq; quæstione oborta Ammoniū disserere audiueramus. Iam primùm omnibus Ammonius rectè videbať eò dei istius nomina accōmodasse, vt non minus philosophū eum quàm vatē esse ostenderet. ac docuisse, Pythiū vocari iis, qui discere incipiunt & percunctanť: Delium aūt & Phaneū iis, quibus iam aperiť & elucescit veritatis aliquid: Ismenium sciētibus: Leschenoriū, iis qui iam vtunť ac fruuntur scientia, ac inter se disputant & philosophanť. Quoniam aūt philosophiæ est inquirere, mirari, dubitare: aiebat non abs re pleraq; de diis occultata esse ænigmatis, rationémq; aliquam & causę explicationē desiderare. verbi gratia, cur ad ignē sempiternum de omnibus lignis sola vratur abies, cur sola laurus suffiať, cur duæ sint positæ Parcæ, cùm vbiq; tres censeantur, cur nulli mulieri liceat ad cortinā accedere, quæ tripodis ratio, atq; alia, quæ non planè brutis & dementibus submissa, alliciunt eos, & ad considerandum, audiendúmq;

Apollinis nomina.

Aenigmata.

dúmque & disserendum aliquid de iis incitant. ista quoque vide vestibulo præscripta, Noris teipsum, ac Ne quid nimis, quantas philosophorum excitauerunt disputationes, quãtáq; de singulis sermonum multitudo tanquam è semine pullulauit. Ego autem præsentem quæstionem fecunditate nulli istarum cedere existimo. Hæc locuto Ammonio, Lãprias frater meus: Atqui, inqt, ratio quam nos adduci audiuimus ea de re, perbreuis est ac simplex. Dicũt enim sapientes istos, qui à nõnullis sophistæ appellant, numero fuisse quinq;, Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum. Postquàm verò Cleobulus Lindiorum tyrannus, & Periander Corinthius, quanquam virtutis essent sapientiæq; expertes, potentia, amicis, officiisq; vim famæ fecerunt, & se in nomen sapientum ingesserunt, itidémq; vt quinq; illi sententias quasdam & dicta emiserunt ac per Græciam sparserunt: ibi tum quinq; istos, qui molestè hoc ferrent, arrogantiam quidem horum refellendum, aut de gloria palàm inimicicias suscipiendum, & contendendum cum præpotentibus viris non censuisse: ipsos autem huc conuenisse, intérq; se collocutos, litteram eam, quæ & in ordine est quinta, & quinq; numerum designat, dedicauisse, coram deo protestatos se quinq; numero esse, ac sextum & septimum vt nihil ad se pertinentes repudiasse & abdicasse. Quæ non dici abs re, cognoscere potest si quis audiat eos quibus templi cura est cõmissa. Ei enim aureum illi Liuiæ Augustæ nominant, æreum Atheniẽsium, ligneum autem, antiquissimum ac primum omnium, hodiéq; sapientum appellant, non ab vno, sed cõmuniter ab omnibus dedicatum. Ad hæc Ammonius placidè subrisit, suspicatus Lampriam peculiari quadam opinione duci, & ne eius rationem cogeretur reddere, fingere historiam ab aliis se audiuisse. Alius autem quidam de iis qui vnà aderant, simile aiebat esse hoc nugis quas proximè Chaldæus hospes protulisset. Septem scilicet esse vocales litteras, septẽ in cœlo stellas quæ suo proprio & primi cœli motui non alligato ferantur motu. E autem esse in ordine vocalium secundam ab initio, & Solem à Luna secundum: omnes autem ferè Græcos vno ore eundem cum Apolline Solem perhibere. Verùm isthæc planè sunt inepta & trivialia. Cæterùm Lamprias non sensit se templi curatores commouisse adversus suam orationem. Quæ enim ipse dixit, ea nemo Delphorum agnoscit. Sed communem ij & interpretem opinionem in medium produxerunt, contendentes neq; formam, neq; sonum, sed solum nomen litteræ notare aliquid. Est enim, vt Delphi opinantur, & Nicander sacerdos omnium nomine dixit, quasi vehiculum & forma sermonis quo deum compellant homines, syllaba Ei, quod Latinè Si dixeris, princípémq; locum obtinet in interrogationibus: dum consultores identidem quærunt ac scitantur, Si victoria sint potituri, Si ducenda vxor, Si expediat nauigare, Si agriculturam exercere, Si peregrinari. Dialecticis autem valere iussis Apollo sapiens deus, qui ex particula Si & pronunciato ei adiuncto nullam censent confici rem, omnes interrogationes huic subiunctas particulæ pro rebus accipit & admittit. Quoniam autem nobis proprium est interrogare vatem, commune autem invocare vt deum: existimant litteram illam Ei, siue Si, non minus optandi quàm interrogandi significationem habere. Optantes enim dicimus, Si mihi contingeret. & Archilochus,

—Si mihi
Manum liceret Neobules tangere meæ.

Et in Eἴθε posterior syllaba ΤΗΕ locũ implet, nihil significat, vt & particula ΘΗΝ. Sed Ei optandi vim habet sufficientem. Hæc cùm dixisset Nicander, Theo socius noster, notus (opinor) tibi, ex Ammonio quæsiuit, libertásne relicta esset dicendi dialecticæ, tanta affectæ iniuria. Et Ammonio dicere, opémq; ei ferre iubente: At verò, inquit, artis huius peritissimum esse Apollinem, pleraq; oracula ostendũt. est enim eiusdem nimirum soluere & texere ambiguitatem. Iam sicvt Plato dicebat oraculo dato, quod aram Delphicam duplam prioris facere iuberet, (quod summæ est rerũ geometricarum peritiæ opus) non de ara deum fuisse locutum, sed Grę̨cis hoc modo mandauisse vt geometriæ darent operam: ita sanè ambigua edens oracula Apollo, auget cõmendátq; dialecticam, qua scilicet opus habeant qui ipsum velint intelligere. In dialectica aũt maximam vim habet coniunctio Si, eam componens enũciationem, quæ omnium maximè rationi humanę congruit. Quid ni enim? cùm etiam bruta rerum substantiæ habeant noticiam: considerationem autem & iudicium consequentiæ soli homini natura dederit. Esse enim diem, esse lucẽ, sentiunt nimirũ & lupi, & canes, & aues. q̃d autem Si lux est, dies sit, nullũ excepto homine animal intelligit. solus enim homo antecedẽtis & consequentis, & significationis horum atq; cõnexionis, mutuiq; respe-

Sapientum prᵒ-scorũ numer.

Dialectica.

cognatæ contemperant, sensúmq; concordi motu percellunt. Alium neq; sensum animal, neq; mundus simplicem & mixtionis vacuam habet naturam. sed mirabilis quædã, vt apparet, distributio est facta, quinq; ad quinq; ita aptatis, vt cuiq; suus quasi collega destinaret. Hæc ego inter dicendum paululum subsistens, intercapedine aliqua facta, En, inquam, Eustrophe, qd nobis vsu venerit? parum abfuit quin Homerũ præteriremus. quasi verò non ille primus mundum in quinq; diuiserit partes: quarum tres in medio sitas tribus adsignauit diis, duas extremas olympum & terrã, quarũ hęc imorum, illa summorum est terminus, cõmunes & nõ distributas relinquens. Sed, vt est apud Euripidem, referenda est ad id vnde exiit oratio. Qui quaternariũ magnificè prædicant, non ineptè docent, eius ratione omni corpori ortum suum contingere. Cùm enim omnis soliditas intelligatur esse in longitudine & latitudine crassiciem nacta: & ante longitudinem exsistat punctum vnitatis rationem habens: linea autem sit longitudo latitudine carens: lineæ autem in latitudinem motus, & superficiei procreatio ternario constet: huius profunditate accedente, soliditas quaternario conficiatur: nemo non videt, quaternarium, postquam naturam vsque ad corporis pfectionem produxit, tactuiq; renitentem molem exhibuit, destituere eã potissimæ rei indigã. Nã q̃d animæ est expers, id, vt verbo dicã, orbum est & imperfectum, neq; vllã ad rem anima non mouente cõmodum. Motus aũt siue affectio animã introducens, mutatione per quinq; fit, naturæq; pfectionem conciliat. vt quinarij ratio tãto sit q̃ quaternionis præstantior, quanto maior est animalis q̃ anima carentis corporis dignitas. Præterea concinnitas & facultas quinarij plus virium nacta, nõ siuit in infinitum progredi animatorum naturam, sed animalium quinq; definiuit genera: deos scilicet, genios, heroës, homines, bruta. Iam si ipsam animã ita vt natura eius fert partiare, prima eius & obscurissima vis est vegetandi, proxima sentiendi, post hanc appetendi, deinde irascẽdi: in ratiocinandi facultate quinta, tanq; in extremo, perfectionem adsecuta substitit natura. Tot tantísq; præditi quinarij facultatibus, ortus quoq; elegans est. non is quem suprà commemorauimus, vbi è binario & ternario conflari eum docuimus: sed quod nascitur principio cum quadrato primo coëunte. omnis enim numeri primordium est vnitas: quaternarius quadratorum primus. Ex his, tanq; forma & materia finita, quinarius componit. Quod si rectè nõnulli vnitatem quoq; quadratum censent, quæ ex sese ipsa propagat: quinarius coitu duorum primorum quadratorum natus, non potuit nobiliori ab origine exsistere. Quod autem maximum est, id vereor ne si dicam, ita premat Platonem, sicvt ipse Lunæ causa pressum fuisse Anaxagoram phibet, q; admodum vetustam de eius illuminatione rationem pro sua vsurpasset. Nonne enim in Cratylo ita scriptum reliqt Plato? Omnino, inqt Eustrophus. sed qd simile eveniat, nõ cerno. Atqui, inquam, nosti eundem in Sophista quinq; potissima demonstrare principia, Ens, Idem, Diuersum, Motum, Statum. Et in Philebo alia instituta diuisione, Vnum ait esse Infinitum, alterum Extremum, his mixtis omnẽ exsistere Ortum. quartum ponit Causam eius mixtionis: & quintum nobis cogitandum reliqt, Causam secretionis & dissipationis mixtorum. Existimo aũt hæc illorum quasi imagines proponi, Entis id q̃d fit, Motionis infinitum, Status extremũ, Eiusdẽ miscendi, Diuersi secernendi principiũ. Quod si diuersa sunt, & illo & isto modo quinq; erunt principiorum genera ac differentiæ. Hæc aliqs ante ætatem Platonis cùm comperisset, Ei Apollini eam ob rẽ cõsecrauit, notam atq; indicium numeri vniuersorum. Enimverò bonum quoq; perspiciens in quinq; tributum genera, quorum primũ est Mediocre, secundum Proportione mẽsurę cõcinnum, tertium Mens, quartum in animo Scientię, artes, verę q; opiniones, quintum Voluptates purę & à dolore secretę: ibi dicit Orphicum illud subiiciẽs:

Aetate in sexta studium finite canendi.

His ita dictis inter nos, breuiter ex Nicandro aliquid quæram, ac

Cantabo gnaris.

Sexta noui mensis die, cùm Pythiam in prytaneum introducit, prima vobis de tribus sortibus ducit quinario, neq; binario iacto, neq; ternario, aut inter se cõparatis. Nónne ita est? Tum Nicander, ita est, inqt: sed causam aliis effari nefas est. Ergo, aiebã ego, interim dum nobis consecrandis deus veritatem cognoscendã præbebit, id quoq; adiectum sit his, quæ de quinario sunt dicta. Hic fuit, quantũ ego memini, finis arithmeticarum & mathematicarum notæ Ei laudationum. Cæterùm Ammonius, qui & ipse nequaquam contemnẽdam mathematicæ philosophiæ operam impendisset, delectatus

Iliad. ᵒ, 190.

Animalium genera.

Platonica principia.

quo modo ex auro fit pecunia, è pecunia aurum. sic quinarij ea est natura, vt cum quinario congressus nihil imperfectum aut alienum possit procreare: sed aut sese, aut denarium: id est, vel suæ naturæ, vel perfectum numerum. Quod si quis interroget, qd hæc ad Apollinem attineant, respõdebimus, non ad hunc modò, sed & ad Bacchum, qui non minori iure quàm Apollo Delphorum sibi partem vindicat. Audimus enim theologos partim carmine, partim libera oratione canentes atq; tradẽtes, deum interitus expertem atq; æternũ suapte natura, fatali quodam decreto ac ratione mutationibus sui vtentem, aliàs in igneam naturam accendi, omniáq; omnibus assimilare: aliàs in varias se omnisq; generis formas induere, diversisq; affectionibus & facultatibus obnoxium facere, idq; fieri quod notissimo nomine mundus dicitur. Sapientiores aũt isthæc vulgus hominũ celantes, mutationẽ in ignem Apollinis, ob negationem multitudinis, & Phœbi ob puritatẽ nomine afficiunt. Mutationem aũt in spiritus, aquã, terram, sidera, stirpes, atq; animalia, eiúsq; dispositionem, divulsione quadam & in membra distractione per ambages proponunt: ipsum deum Dionysum, Zagreum, Nyctelium, & Isodætam appellant. Interitus etiam quosdam, & è medio sublationes, mortes, rursúmq; in vitam reditus, consentanea dictis mutationibus ænigmata, agunt: canúntque Baccho dithyrambos, plena motuũ animi & mutationũ carmina cũ vagis erroribus & circumcursitatione coniunctarũ. nam, vt Aeschylus ait, Promiscui clamoris dithyrambũ cõvenit comitari Baccho. Apollini aũt canunt Pæanem, carménq; modestę Camœnæ. Atq; hunc semper iuuenẽ, & senectutis exsortem, illũ multiplici forma, variáq; specie pingũt atq; fingunt. deniq; Apollini tribuunt æqualitatẽ, ordinẽ, sinceritatémq; seriò constantem: Baccho admixtos iocos, & petulantiã, & furorem & inæqualitatem: Euium, in mõtibus inter mulieres versantem ac currentem Bacchum væsanis honoribus invocantes: non ineptè vtriusq; mutationis naturam contemplati. Quoniã autem circuitionum in mutationibus tempus æquale non est, sed longius eius, quam Coron, id est satietatem vocant, breuius Chresmosynes, id est indigentiæ: proportionẽ hic obseruantes, reliquis anni partibus pæane ad sacrificia vtentes, ineunte hyeme dithyrambum illo silere iusso excitant, ac per tres menses Bacchum loco Apollinis invocant, tempus quo in ignẽ redigant omnia triplum alterius esse censentes. Verũ hæc prolixius quàm pro ratione temporis sunt cõmemorata. Id qdem manifestum est, huic rei theologos quinariũ accõmodasse: quæ nunc ipsa seipsam gignit, vt ignis, nunc denarium constituit, nimirũ mundum. Quid? Musicã, quę deo illi gratissima est, censebimus quinario carere? Harmonica certè maximè vocum in concentibus (symphonias vocant) occupata est tractãdis. at quinq; non plures, neq; pauciores, esse symphonias, ratio cõvincet, & refellet eum qui sine ratione ista sensu in fidibus aut fistularum foraminibus velit examinare. omnes enim proportione numerorũ oriunť. quæ est diatessaron symphoniæ sesquitertia, diapente sesquipla, diapason dupla, diapason cum diapente tripla, disdiapason quadrupla. quam enim his addunt harmonici diapason cum diatessaron, ea recipienda non est, neq; auribus est aliqd contra rationẽ, quæ legis vice est, gratificandũ. Porrò vt quinq; dispositiones tetrachordorum omittã, vt taceam de quinq; primis tonis siue modis siue harmoniis, quæ vocẽ intendunt ac remittũt, & maiorem minorémve faciunt, cùm reliquæ grauitate aut acumine considerenť: non cùm multa, adeóq; innumera sint intervalla, quinq; tantùm in cãtilenis vsurpanť? diesis inquam, semitoniũ, tonus, trisemitonium, ditonus? nullũ aliud neq; minus neq; maius in vocibus intervallũ grauitate & acie definitum in cantũ venit? Multa id genus alia ego prætериens, Platonẽ producã, qui aut vnũ mundum esse affirmauit, aut si præter eũ alij sint, omnino quinq; numero esse mundos, non plures. Enimverò etsi vnicus mundus hic est, qd & Aristoteles sensit: tamẽ is quodãmodo ex quinq; cõpositus est & cõcinnatus mundis: nimirũ mundo terræ, aquæ, aëris, ignis, & cœli, quam quintã substantiã ille, alij lucẽ, alij æthèrem nominant: cui soli omniũ corporum non necessitate, nõ accidentis ratione, sed à natura datũ est, vt circulo roteť. Ideóq; primas etiã & perfectissimas earum quæ in natura sunt figuras Plato animadvertens, pyramidẽ, cubum, octaëdrum, icosaëdrũ, & dodecaëdrũ, singulas singulis accõmodauit mundis. Neq; desunt, qui sensuum facultates numero itidẽ æquales primis illis applicent corporibus. videtes tactum esse terrestre qppiam & resistens, gustatũ ob humiditatẽ sapidorũ qualitates percipere. aër porrò ictus, vox fit et sonus. de reliquis duobus odor, quem olfactus arripit, igneę est naturę, cùm sit exhalatio à calore elicita. visus fulgore ęther & lux res Sensus quinq;

ex infinitis diuersissimísq; affectionibus variè commixta, quo modo ex omnis generis hominibus solennes conventus conflantur. Sed vnum oportet esse id q̃d est: & esse, id quod vnum dicitur. nam diversitas cùm differentia entis ponit̃, iam ad procreandũ id quod non sit ens vergit. Proinde deo huic rectè & primum, & secundum, & tertium nomen est inditum. Apollo enim dicit̃, ꝙ vnicus sit: voce multitudinis negationem arguente. Ieius autem, vt vnicus & solus. Phœbus, q̃a hoc vocabulo antiqui omnia casta & pura designauerũt: sicvt (ni fallor) Thessali hodiéq; sacerdotes nefastis diebus priuatim & extra templa degentes phœbonomesthæ, id est lustrari, dicunt. Vnum aũt q̃d est, sincerum est & mixtionis purum. alterius quippe cum altero mixtione res contaminant̃. quo pacto Homerus inquinari ait puniceo colore ebur tinctum. & infectores colorum mixtos corrumpi, mixtionem corruptelam nominant. Ergo vnum esse, neq; cum alio contemperari, semper competit in naturã interitus expertem ac puram. Qui verò Solem cum Apolline eundem faciunt, eorum par est exosculari atq; amplecti ingenij bonitatem: qui quod maximè omnium quæ habent cognita venerantur atque desiderant, ei noticiã ac indicium dei huius adsignant. In præsentia aũt deum quasi in pulcerrimo omnium somniorum somnio imaginãtes, excitemus animos nostros, hortemúrq; vt altiùs se efferãt, et dei substantiã sublimiorem naturalibus cõtemplent̃. neq; tamen non hãc eius imaginẽ colamus, & veneremur, quæ (quantum omnino res sensilis de ea quam sola mens cernit, & caduca de perenni præstare potest) fecunda est indicia nobis quædam & simulacra effulgentia vtcunq; suggerendo, bonitatẽ & felicitatem numinis istius repræsentantia. Illas verò Apollinis è sua natura egressiones, ac mutationes, q̃bus ignis fiat, rursúmq; seipsum dissipet, & in maria, vẽtos, aut animalia, vel stirpes, transformet̃, aliásq; id genus diras perpessiones, ne audire q̃dem pium est. nisi eum puero illo à poëta descripto facimus deteriorẽ: & q̃d ille ludicrum in sabulo, id componens ac diffingẽs idẽtidem, sibi animi causa fingit, hoc deum vti in Vniuerso semper statuimus, dum aliàs mundum format qui nõ erat, aliàs cõditum perdit. Immò contrà quantum eius mundo vtcunq; innatum est, id substantiã mundi cõstringit, corporeámq; imbecillitatem ad interitum propẽsam coërcet. Ac mihi q̃dem maximè oppositum isti opinioni videt̃ dei nomen, vt Ei appellemus eum, testantes nunquam illum suo de statu exire, nulla mutatione affici. Hoc enim magis conveniebat tribuere alij cuidam deo, aut potiùs genio præfecto naturę quę ortibus & interitibus variatur. quod statim ex nominibus liquet, contrariis atq; significantibus rem adversam. Nam Apollo noster, alter Pluto à multitudine: ille Delius, hic Aidoneus ab obscuritate & cæcitate nominat̃: ille Phœbus, hic Scotius, quod est tenebricosus. apud illum Musæ versantur, & quam Latini Memoriam dicunt Mnemosyne: apud hũc Lethe, seu obliuio, & Silentium. ille à contemplando Theorius & Phanæus vsurpatur: hic

Obscuræ noctis, segnis princépsq; soporis.

Iliad. A, 141. (margin note beside "taminant̃. quo pacto Homerus inquinari ait puniceo colore ebur tinctum")

* * atq; hic quidem omnium est deorum invisissimus. in illum non ineleganter Pindarus dixit, damnatũ esse eo nomine, quòd maximè omnium deorum sterilis & infecundus sit. Rectè itaq; Euripides dixit:

Libationes, atq; cantus
Vita solutis: auricomus quas
Non admittit Apollo.

Priórq; eo Stesichorus:

Cantus atq; iocos præ reliquis amat
Apollo rebus: sed gemitus graues
Luctúsq; Diti sorte cedunt.

Sophocles sua etiam vtriq; instrumenta perspicuè denotat his verbis:

Non nabla sunt amica, nec lyra luctibus.

* Nam idem ille nuper admodũ ausus est vocem * emittere: cùm priore tẽpore ad luctũ vocaret homines, & non valdè honoratã aut splendidã obiret istarum rerum actionẽ.

* postea omnino sunt cõmixta, magnęq; perturbationes hominibus inde obortæ, ꝙ res deorum cum rebus geniorum permiscuerũt. At enim notæ EI dictum Nosce teipsum videtur quodammodo repugnare, alio consonare. Hoc enim pronunciatum est vt nos percellat, & ad venerationem numinis, vtpote quod sit semper, excitet. illa nos mortales esse docet, naturæq; & imbecillitatis nostræ admonet.

Plu-

Plutarchi de Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de rebus naturalibus,

LIBER I.



VM instituerimus naturæ cognitionis rationes explicare, ipsam rem hoc flagitare censuimus, vt principiò statim philosophiæ totam tractationem in suas diuideremus partes: vt liquere possit, quid sit, & quota eius pars sit physica, seu naturæ rerum enarratio. Stoici pronunciarunt, sapientiam esse rerum diuinarum humanarúmque scientiã: philosopiam, quod est sapientiæ studium, exercitationem esse artis ad sapientiam accommodatæ. talem autem esse artem vnicam ac supremam, virtutem. virtutes, quæ suo complexu latissimè pateant, tres esse: naturalem, moralem, disserendi. itaque etiam philosophiam habere tres partes, naturalem, moralem, & disserendi. Naturalem esse cùm de mundo, & iis quæ in mundo sunt, disputamus. moralem, quæ occupatur vitæ humanæ rationibus. logicam (sic enim Græci rationem disserendi appellant) quæ circa orationem versatur, eadémque ab ipsis dialectica dicitur. Aristoteles & Theophrastus, omnésque ferè peripatetici, hac ratione philosophiam distribuerunt: quam explicabo. Virum perfectum necesse est & cognitione rerum instructum esse, & aptum ad faciendum in actionibus humanis officium. Patet hoc exemplis propositis. Quæritur Sol animal sit nécne, siquidem videtur. hoc qui quærit, in contẽplatione versatur: nihil enim aliud considerat, quàm quid rei sit. itidem qui disputat de infinitate mundi, aut an extra Vniuersum aliquid exstet. Ista omnia sunt contẽplationis. Rursum quæritur quo modo vita sit instituenda, quomodo liberis conveniat præesse, quomodo gerendus magistratus, quo pacto leges ponendæ. Omnia hæc agendi causa quæruntur, & qui hæc tractat, vir agendis rebus intentus (ita practicum exprimere Græcorum liceat) dicitur.

Philosophiæ diuisiones: Stoica & Peripatetica.

Quid sit natura. Cap. I.

QVando præ manibus habemus rerum naturalium contemplationem, necessitatem hoc exigere puto, vt quidnam sit natura, patefaciam. Absurdum enim est aggredi dissertationem de natura rerum, cùm nondum sit explicatum quid valeat naturæ vocabulum. Est itaque natura, si Aristotelem audimus, principium motus ac status ei rei, in qua inest primò, & non per accidens. Omnia enim quæ sub conspectũ veniunt nostrum, quæ neque fortuitò fiunt, neque necessariò, neque diuina sunt aut diuinitus effecta, naturales res dicuntur, suámque habent propriam naturam: vt terra, ignis, aqua, aër, stirpes, animalia. præterea hæc quæ gigni cernimus, imbres, grãdines, fulmina, procellæ, venti. Habent enim hæc principium quoddam, cùm nihil eorum sit æternum, sed quodam à primordio sit natum. Atq; hæc quidẽ, vt animalia, vt stirpes, initium habent sui ortus: primúmq; in iis principium est natura, non motus modò, sed etiam status. quæ enim principium motus nacta sunt, eadem finiri etiam possunt. Itaque & motus & quietis principium est natura.

Res naturales.

Discrimen principij & elementi. Cap. II.

ARistoteles ac Plato, & qui ab eorum sunt secta, differre à principio elementum dicunt. Thales Milesius pro eodem vtrunque habet: cùm quidem longissimè à se invicem dissideant ista. Elementum enim omne compositum est: principia neque composita sunt, neque effecta. Verbi gratia. elemẽta vocamus terram, aquam, aërem, ignem. Principia ideò dicuntur, quòd nihil est eis prius ex quo nascantur. non enim principij nomen ei debetur, quod natũ est alicunde: sed huic potiùs, ex quo id est natum. Terræ autem & aquæ ortu prior est materia ex qua exstiterũt, forma carens ipsa, & specie: tum ipsa forma, quam vocamus entelecheam: tertium priuatio. Falsa itaq; est Thaletis sententia.

Quæ sint principia. Cap. III.

IDem THALES principium rerum esse dixit aquam. videtur autem princeps philosophiæ hic fuisse, & ab eò secta Ionica nomen duxit. Plurimæ enim fuerunt suc-

Thales. Ionica secta philosophorum.

cessiones philosophorum. Hic cum in Aegypto philosophiæ operam dedisset, Miletum rediit ætate iam grandior. *Aqua.* Quòd autē ex aqua omnia orta sint: inq; eam omnia suo interitu resoluantur, id ex eo primùm coniecit, quòd semen, omnium animalium principium, humidum est. inde fit probabile, omnia ex humore nasci tanquam principio. Deinde, quia omnes stirpes humido aluntur, idq; suæ fecunditatis causam habent, eóque destituta exarescūt. Præterea quoniā ipse Solis stellarúmq; ignis aquæ exhalationibus aluntur, ipséq; adeò mundus. Itaque etiam Homerus aquæ omnium rerum primordium adscribit, hoc versu:

Iliad. ξ, 246. *Oceanus cunctis præbet primordia rebus.*

ANAXIMANDER, Milesius & ipse, principium rerum infinito adscribit, ex quo omnia fiant, & in quod omnia dissoluantur: ideoque etiam nasci infinitos mundos, & interitu suo ad id redigi, ex quo erant orti, tradit. *Infinitum.* additq; infinitū propterea esse, ne aliquando ortus rerum deficiant atq; subsistant. Peccat autem in eo, quòd non exprimit quid sit infinitum, aërne, an aqua, an terra, aut alia quædam corpora. In hoc etiam, quòd materia exponenda effectricem causam abolet. infinitum enim aliud nihil est, quàm materia: quæ nisi efficiens causa accedat, rem creare nullam potest.

Aër. Horum ciuis ANAXIMENES principium rerum pronūciauit esse aërem, ex quo omnia nascantur, suóque in eum redeant interitu. Ita, inquit, anima nostra aër est, quæ nos temperat: totúmq; mūdum spiritus & aër continent. Peccat autem hîc quoque, ex simplici & vnius formæ aëre ac spiritu putans constare animalia. Nefas enim est, solam materiam vt principium omnium rerum subsistere, ex eáq; nasci omnia, sed & effectrix causa ponenda est. neque enim argentum sufficit ad poculi ortum, nisi etiam faber accedat argentarius, qui id conficiat. idem de ære, ligno, & alia quavis intellige materia.

Similares partes. ANAXAGORAS Clazomenius similares partes principia rerum statuit. nulla enim ei ratione explicari posse videbatur, quî ex eo quod non esset fieri aliquid, aut quod esset, in nihilum redigi posset. Sanè cibum sumimus simplicē atque vniformem, vt cùm pane vescimur, & aquam bibimus. illo tamen alimento nutritur crinis, vena, arteria, nerui, ossa, omnes denique partes. quæ cùm fiant, fatendum est in alimento istas omnes naturas inesse, singulísque singula augeri: inesséque in eo particulas sanguini gignendo aptas, itémq; suas neruis & ossibus aptas. quæ quidē particulæ mente cernantur. Non enim ad sensum omnia sunt referēda, vt quod panis & aqua isthæc conficiāt: sed in his ipsis insunt particulæ mēte intelligendę. quas similares partes alimento insitas vt inde nascentibus sit primordium, Homœomeruas (quasi similarium semina partium) appellauit ille, & rerum principia esse dixit: ita quidem, vt materiæ locum obtineant. Efficientem enim quoque causam, & quæ disponeret vniuersa, prodidit mentem. Opus suum sic orsus est: Confusa in vnum erant omnia: mēs ea diuisit & in ordinem composuit. Hic approbandus est, qui materiæ artificē adiunxerit.

ARCHELAVS Apollodori F. Atheniensis aërem & infinitum, eiq; raritatem & densationem additas, quorum hoc terra, illud ignis sit, principia ponit. Hi se deinceps subsecuti à Thalete Ionicam propagauerunt philosophiæ sectam.

Ab alio rursum initio, PYTHAGORAS Mnesarchi F. Samius, is qui princeps philosophi nomen vsurpauit, rerum principia censuit esse numeros, eorúmq; inter se siue proportiones siue concinnitates, & ex vtrisq; composita elementa, quæ geometrica dicuntur. Rursus vnitatem, & infinitati coniunctum binarium in principiis ponit. Tendunt aūt principia eius, alterū ad effectricem causam ac formātem, quæ est Deus, mens videlicet: alterum ad perpessionibus subiectam & materialē, quæ est mundus in visum incurrens. Porrò docebat, naturam numeri esse denarium. nam ad decem vsque numerando progrediuntur omnes & Græci & barbari, atque hinc rursus pedem ad vnitatem referunt. Rursum denarij numeri vis & natura in quaternione inest. nam ab vnitate vsque ad quatuor inclusum colligendo numerorum summam conficies decem vnitatū. vnum quippe, duo, tria, & quatuor, omnia coniuncta, summā decē cōflāt. *Quatuor.* si quatuor terminis amplius sumas, etiam summa denariū excedet. Ergo numeri natura vnitatū ratione in denario, facultatis respectu in quaternario invenit. Itaq; sanctissimū iusiurandū Pythagorei quaternario sunt cōplexi, quā tetractyn vocāt.

Aur. carm. 47.
Per tibi nostræ animæ præbentem tetrada iuro
Naturæ fontémq; & firmamenta perennis.

Quin

Quin & animã nostram Pythagorici aiunt quaternione constare: esse enim hæc quatuor, Mentem, Scientiam, Opinionẽ, Sensum: vnde omnes artes ac scientiæ profectæ sunt, ipsiq; ratione præditi propterea sumus. Mens enim est vnitas: quòd mens quæ percipit, vnitatis in morẽ percipit. *Mens. vnitas.* Exempli causa, multi sunt homines. horum vnusquisq; pro se percipitur sensu, numerus eorum definiri à nobis nequit. Vnicam verò mens hominis notionem concipit, quæ in singulis repræsentatur. idem de equo, & aliis intelligimus, quorum indiuidua (vt Logici appellant) sunt innumera. Formæ enim siue species, itémq; genera omnia, rationem habent vnitatis: itaq; singula eorum definientes, dicunt, animal ratione prẹditum, animal hinniens. Hæc causa est, cur mẽs, quæ formas rerum percipit, vnitatis adficiatur nomine. Sed & hoc consentaneum est rationi quòd binarius infinitatis socius, scientiæ accommodatur. *Scientia. duo.* Omnis enim demonstratio, omnis ratiocinatio quæ scientiæ fidem parat, adeóq; omnis in vniuersum ratiocinatio, ex quibusdam in confesso positis id de quo disceptabatur concludit, aliúdq; è præmissis colligit. quorum appræhensio cum sit scientiæ, eam binario æquũ est comparari. Opinio autem ternarius est, perceptio scilicet probabilis, quæ multarum sanè est rerum. *Opinio. tria.* nam multitudinem ternarius notat, vt:

O ter felices Danaos. — *Odyss. 5,306.*

Itaq; ternarium non inserit. * *

Heracleitus, & Hippasus Metapontinus, ignem omnium esse rerũ principium perhibuerunt. *Ignis.* omnia enim dicunt ex igne nasci, & in ignem resolui: & ignis exstinctione Vniuersum hoc creatum esse. Primùm enim crassissimas eius partes in sese coëundo, terram cõstituisse. deinde vi ignis laxatam terram, aquam edidisse. hanc exhalando aëri ortum præbuisse. Porrò mundum & omnia corpora igni consumtum iri in conflagratione Vniuersi. Ita ignem principium esse ex quo exsistãt omnia, & finem in quem omnia recidant.

Epicurus Neoclis F. Atheniensis, Democriti in philosophia naturali sectator, omnium rerum principia statuit corpora mente percepta, expertia vacui, sempiterna, interitus secura, & quæ confringi non possint, neq; deformationem partium admittant, neque alterationem, & sola mente cernantur, moueantur in vacuo & per inane. *Atomi.* esse autem ipsum inane infinitum, & corpora infinita. Tria autem hæc accidere corporibus, figuram, magnitudinem, pondus. quorum hoc tertium duobus, quæ Democritus perhibuerat, ab Epicuro est adiectum. quod hic motum corporum fore nullum sentiebat, nisi grauitate perculsa mouerentur. Figuras atomorum esse comprænhensibiles, non infinitas. neq; esse vel vncinatas, vel tridẽtes, vel armillares: quæ figuræ sint collisioni obnoxiæ: cùm atomi sint perpessionis ac contritionis exsortes. Dictam atomum, non quòd sit minimum, sed quòd secari non possit, aut conteri, sitq; immunis à perpessionibus & inanis expers. Esse autem atomum, liquere. esse enim elementa semper durantia, & animalia inania, & vnitatem.

Empedocles Metonis F. Agrigentinus, quatuor dicit elementa, Ignẽ, aërem, aquam, terram. duo autem principia, Amiciciam & discordiã, quorum hoc vniat res, alterum discernat. Sic autem ait:

Radices primùm rerum tibi quatuor edam.
Iupiter æthereus, Iuno vitalis, ad hos Dis,
Et Nestis lacrymis humanos quæ rigat alueos.

Iouis enim nomine ignem intelligit atq; ætherem, Iunonis vitalis aërẽ, Plutonis terram, Nestis & humanorum canalium, semen & aquam.

Socrates Sophronisci F. Atheniensis, & Plato Aristonis F. ciuis eius, (ambo enim idem de Vniuerso senserũt) tria statuunt principia, deum, materiã, ideam. Mens est, quod deum nominant: materia primum rebus orientibus & intereuntibus subiectum: idea natura corporis expers, in conceptis mentis & imaginationibus dei. deus autem mens est mundi.

Aristoteles Nicomachi F. domo Stagerita, principia designauit, Formam, quam entelecheam dixit, Materiam, Priuationẽ. elementa quatuor. quintum corpus quoddam æthereum immutabile.

Zeno Mnaseæ F. patria Citiensis, deum efficiendi, materiam perpetiendi principium posuit. tum elementa quatuor. Horum secta Italica dicit. à Pythagora, qui è Samo ob Polycratis tyrannidẽ sibi displicentẽ in Italiã cõmigrauit, ibiq; scholã aperuit.

Quomodo coaluerit mundus. Cap. IV.

MVndus vndiquaq; confracta forma concreuit, hoc modo. Cùm inſectilia corpuſcula (ſic nunc atomos voco) fortuitò mouerentur, nulla motus gubernante prouidentia, cōtinentérq; & celerrimè agitarentur: multa in vnum collecta ſunt corpora, ob eámq; cauſam magna iis fuit & figurarum & quantitatis varietas. Sic illis coactis, quæ maiora erant & grauiſſima, vtiq; ſubſederunt. quæ minora, rotunda, læuia, ac lubrica fuére, eliſa in concurſu corporum, in ſublime ſubvecta ſunt. Poſtquam elanguit vis impellens, atque in ſublime protrudēs, reliqua, cùm ſurſum efferri deſiiſſent, neque deorſum ferri quirent, compulſa ſunt ad loca recipiendo apta, nimirū ea quæ ſunt in ambitu. ad hæc multitudo corporum reflexa eſt: cúmque inter ſe cohæreſcerent inter reflectendum, cœlum genuerunt. Atomi autem eiuſdem naturæ ac variæ, ſicvt dictum eſt, compulſæ in ſublime aſtra confecerunt. Iam multitudo corporū exhalando ſurſum elatorum, aërem percuſſit, eóq; eliſo, cùm is motu in ventum eſſet redactus, complexus aſtra ſecum circumduxit, & eam ſublimium corporum circumagitationem, quæ adhuc durat, effecit. deinde ex corporibus ſubſidentibus terra exſtitit, ex ſubvectis in altum, effecta ſunt cœlum, ignis, aër. Cum autem multum materiæ etiamnum in terra eſſet comprænhenſum, ac ictibus ventorum condenſaretur, auriſq; ab aſtris venientibus, omnis terræ figura exiguis conſtans partibus cōpreſſa fuit, humidámq; produxit naturam. Hæc cùm eſſet fluida, in caua defluxit & capacia ob ſoliditatem. aut ipſa per ſe aqua conſiſtens, ſubiecta loca excauauit. Hoc modo principes mundi partes ortæ ſunt.

An vnicus ſit mundus. Cap. V.

STоici vnum mundum eſſe pronunciauerūt, quem & vniuerſum appellant & corporeum. EMPEDOCLES vnum quidem mundum, ſed hunc non eſſe idē cum Vniuerſo, verùm exiguam Vniuerſi partem: reliquum eſſe ocioſam materiā. Vnum eſſe mundum, eundémq; cum Vniuerſo, ſentit, ac tribus rationibus PLATO colligit, quòd perfectus non eſſet, ſi non cōtineret omnia: quòd non ſimilis exemplari, ſi non vnigenitus: quòd non in ſempiternum duraturus, ſi quid extra ipſum exſtaret. Platoni verò obiici poteſt, mundum eſſe perfectum, neque omnia tamen complecti. nam homo quoque perfectus eſt, neque tamen omnia continet: & multa eius rei exempla ſuppeditant ſtatuæ, domus, picturæ. Quī autem perfectus ſit, extra quem aliquid circumagitari poteſt? Interitui autem neque non eſt, neque poteſt non eſſe obnoxius, cùm ſit ortus. METRODORVS abſurdum eſſe ait in magno agro vnicam naſci ſpicam, & in infinito vnicum mundum exſtitiſſe, perinde abſurdum. Eſſe autem infinitos numero mundos inde conſtare, quòd infinitæ ſunt cauſæ. Nam ſi finitus eſſet mundus, cauſæ autem infinitæ ex quibus hic mundus conſtat, neceſſe eſt infinitos eſſe. Vbi enim omnes adſunt cauſæ, ibi neceſſe eſt etiam effectus eſſe. cauſæ autem ſunt vel atomi, vel elementa.

Vnde dei noticiam homines habuerint. Cap. VI.

DEi naturam Stoici definiunt, ſpiritū intelligētia præditum, igneū, formæ expertem, & in quam velit ſpeciem ſe mutantē, ac rebus quibuſvis aſſimilātem. Notionem dei ſuggeſſit primum conſpecta eorum quæ in mundo inſunt pulcritudo. nihil enim pulcri temere & fortuitò naſcitur, ſed ab arte aliqua efficitur. Mundum pulcrum eſſe, figura, color, magnitudo, & aſtrorum varietas arguunt. Globi forma eſt mundo, omnium facilè præſtantiſſima, quòd ſola omnibus ſuis partibus eſt ſimilis. cúmque rotundus ſit, partes quoque habet rotundas. ideóq; ſecundum Platonem mens, res diuiniſſima, in capite ſedem habet. Color quoq; cœli pulcer eſt. nam cœruleum purpura nigrius eſt, & fulget: atq; ob fulgorem & vehementiam color hic tantum aëris intervallum penetrans tam procul diſſitū nobis cœlum dat conſpiciēdum. Pulcritudinem etiam magnitudo ei conciliat. Nam in quovis genere id quod reliqua continet, pulcrum eſt, vt homo & arbor. Ea quoq; ad pulcritudinem mundi faciunt, quæ nobis apparent. Obliquus enim in cœlo circulus, quem Zodiacum ſeu ſigniferum appellant, diuerſis eſt ſimulacris diſtinctus,

Mundi pulcritudo.

Cancer ineſt illi, poſt hunc leo, virgo deinde,
Chelæ, ſcorpius, arcitenens, capricornus, aquai

Poſt

Post illos fusor, nitidi duo sidera pisces:
Mox aries, taurus sequitur, fratrésq; gemelli.

Innumera autem alia similes reflexiones in mundo effecerunt. Vnde & Euripides:

Cœli renidens pulcris sideribus iubar,
Varium sapientis opus artificis. ——

Id quoque nos ad Dei cognitionem deduxit, quòd cum Sol, Luna, & reliquæ stellæ infra terram deferunt, eadem rursus magnitudine, colore, locis, temporibúsq; iisdem oriuntur. Itaq; ij, qui cultũ deorum nobis tradiderunt, tribus formis vsi sunt, naturali, fabulosa, testimonio legũ. naturalem philosophi, fabulosam poëtæ docent, leges suas singulæ habent ciuitates. Tota doctrina in septẽ tribuitur partes. Prima est eorũ quæ in cœlo & sublimi fiunt obseruatio. homines. n. ceperunt deum agnoscere, cùm viderent stellas tantam concinnitatẽ efficere, ac dies noctésq;, æstate & hyeme suos seruare statos ortus atq; obitus: indéq; terram animãtia & fructus proferre. Itaq; pro patre cœlum, pro matre terrã acceperunt. patrem illum, quòd aquã instar seminis effunderet, matrem hanc quòd conciperet & pareret. Cúmq; viderent stellas perpetuò moueri, & in causa nobis esse vt Solem & Lunã contemplaremur, deorũ iis nomen fecerunt à cursu ductũ. Secundo & tertio loco deos distinxerunt in vtiles, Iouem scilicet, Iunonẽ, Mercurium, Cererem: & damnosos, Diras, Furias, Martem, quos vt violẽtos & sæuos placant sacris atq; auertunt. Quartũ & quintũ locum rebus & motibus animi adsignauerunt, vt Amori, Veneri, Desiderio, & de rebus, Spei, Iusticiæ, Aequitati. Sextum locum figmenta poëtarum occupauerunt. Hesiodus enim cum genitis diis vellet patrem statuere, hos deorum genitores protulit, *Classes deorum.*

Cœúmq; imduperantem, Hyperionáq;, Iapetúmq;.

itaque hic locus fabulosus dicitur. Septimus iis est tributus, qui ob beneficia in vsum cõmunis vitæ collata honoribus diuinis sunt affecti, humano nati more, vt Hercules, Castor & Pollux, Bacchus. Formam humanam iis adscripserunt, quia omnium rerum principatus est penes numen: omnibus autem animalibus præstat homo, pulcritudine, virtutũ ornamentis, mente. Itaque præstantissimos similes eorũ quę essent aliis omnibus superiora rectè censuerunt.

Quid sit Deus. *Cap. VII.*

PHilosophorum quidã, vt Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenæus, & Euemerus Tegeata, omnino negauerunt esse deos. & Euemerum etiã Callimachus Cyrenæus innuit, in Iambis scribens

Venite frequentes ante muros in fanum,
Vbi qui vetustum ex ære Tonantem formauit
Senex loquax cum libris impiis friget.

hos dicit, quos composuit non esse deos docens. Et Euripides tragicus poëta apertè quidẽ profiteri hanc sententiã non est ausus, metuens Areopagiticũ iudicium: indicauit tamen hac ratione: Sisyphũ introduxit, qui eã proferret ipséq; ei patrocinatus est.

Incondita olim vita fuit mortalium,
Et belluina, viribúsq; seruiens.

legibus deinde positis ait iniusticiã fuisse repressam. sed cum hæ aperta possent flagitia prohibere, multi autem occultè scelera perpetrarent, tum quendam callidũ virum prodiisse, qui docuerit veritati tenebras mendacio offundendas, hominibúsq; persuadendum esse,

Quòd sit perenni vita aliquis vigens deus,
Qui cernat ista, & audiat, atq; intelligat.

Nugæ enim poëtarum valeant vnà cum Callimacho, cuius hoc est:

Esse deum si credis, & hoc te scire necesse est,
Nil non hunc etiam posse deum facere.

Non enim potest omnia deus facere. aut faciat, si est deus, niuem nigram, ignem frigidum, rectum eum qui sedet, vel contrà. Nam Plato etiam vocalis ille cùm diceret deum seipso vsum exemplari condidisse mundum, nænias redolet priscæ antiquitatis obsoletas, quales beccecelenas vetus comœdia vocat. quomodo enim finxit in seipsum intuens, aut quî globosus est deus, & homine inferior?

ANAXAGORAS dixit initiò constitisse corpora, dei autem mentem ea digessis-

se, itaq; omnium rerum ortus effecisse. PLATO posuit prima corpora non stetisse, sed absq; ordine fuisse mota. Deus autem, inquit, ordinem animadvertens confusioni præstare, ea composuit. Communis ambobus hic est error, quod deum faciūt res humanas curantem, ac ea de causa mūdum adornantem. Beatum enim interitúsque expers animal, omnibúsq; bonis perfectè cumulatum, neq; vllius capax mali, totum in sua beatitate atq; perpetuitate occupatum, nō convertit se ad curam rerum humanarum. miser quippe fuerit deus, si opificis aut fabri in morem onera subeat, solicitúsq; sit de mundo apparando. Rursum is quem perhibent deus, aut non fuit priore illo sæculo, quo corpora siue immobilia erant, siue nullo ordine ciebantur: aut dormiuit tum, aut vigilauit, aut neutrum horum. Primum admitti non potest: est enim deus æternus. Neq; secūdum: si enim dormiuit ab æterno, mortuus fuit. æternus enim somnus mors est. sed ne capax quidem somni deus est: magno enim intervallo diuisa sunt immortalitas dei, & res vicina morti. Quod si vigilauit, aut defuit ei aliquid ad felicitatem, aut perfectè fuit beatus. Prius eum felicem esse non sineret: cui enim aliquid deest, felix non est. Absurdum quoq; est posterius. si enim nihil ei deerat, inanis fuit rerum supervacanearum aggressio. Iam si deus est, & eius curis res humanæ temperantur, quî fit quod malis bene est, bonis male? Nam Agamemno quidem,

Deum nō curare, humana nec fecisse mūdum.

Iliad. 7, 179.

Rex bonus, atq; idem clarus bellator in armis,

à mœcho & adultera per insidias est occisus. eiúsq; gentilis Hercules cùm multa mala humanam vitam infestantia aboleuisset, Deianiræ veneficio & fraude periit. THALES mentem mundi statuit deum. ANAXIMANDER stellas cœlestes deos. DEMOCRITVS deum in igne globoso, mundi animā. PYTHAGORAS de principiis vnitatem deum, ac bonum, quæ sit vnius natura, ipsa mens. Infinitam autem binarij naturam, genium & malum, vnde est multitudo materiæ, & visui expositus mundus. SOCRATES & PLATO vnum singularis & per se subsistentis naturæ ac solitarium, re vera bonum. omnia autem hæc nomina ad mētem referuntur. Mens ergo est deus, species separata, sincera ab omni materiæ admixtione & perpessionibus obnoxij. ARISTOTELES supremum deum ait esse speciem separatam, quæ insistat globo Vniuersi, qui globus corpus est æthereum, quintum ab eo nūcupatum. quod cùm in orbes seu sphæras sit diuisum natura contiguas, ratione seiunctas: harum quamvis existimat esse animal ex anima & corpore cōpositum, quorum corpus æthereum sit, ac in orbem circunducat, anima autē ratio immobilis, motum actu efficiens. STOICI communiùs deum pronunciant esse ignem artificiosum via ingredientem ad mūdi procreationem, qui mundus in se contineat omnes seminales formas, ex quibus singula fato nascantur. Ac spiritum quidem per totum penetrare mundum, nomina autem à materiæ, quam pervadit, sumere mutationibus. Ad hæc, deum esse mundū, stellas, terrā: supremum autem omnium deorum esse mentem quæ est in æthere. EPICVRVS omnibus diis humanam formam tribuit, soláq; eos ait cerni ratione, ob tenuitatem partium naturæ simulacrorum. Idem alias quatuor naturas prodidit interitus expertes: atomos, inane, infinitum, partes similares: quæ etiam elementa vocat.

De geniis & heroibus. Cap. IIX.

TRactationi de diis, adiiciamus narrationem de geniis & heroibus. Thales, Pythagoras, Plato, Stoici, esse aiunt genios, substantias anima præditas. Heroes quoq; esse animas à corporibus separatas. bonos, si bonæ: malos, si malæ. Epicurus nihil horum admittit.

De materia. Cap. IX.

MAteria est primum ortus interitúsq; subiectum, aliarúmq; mutationum. Qui Thaletem, Pythagorámque sequuntur, & Stoici, mutabilem fluxámque tota suapte natura per Vniuersum eam statuunt. Democriti sectatores non affici prima, atomum, inane, & incorporeum. Aristoteles & Plato materiam esse corpoream, formæ speciéiq; expertem ac figuræ, qualitatis etiam suapte natura vacuam: sed formarū receptaculum, tanquam nutricem & subiectum in quo rerum imagines impressu referantur, ac matricem. Qui pro materia aquam, terram, ignem, aërémve ponūt, ij iam non informem materiam, sed corpus ponunt. informem, qui indiuidua corpora siue atomos.

De Idea. Cap. X.

IDea substātia est corporis expers, quæ cùm per sese ipsa subsistit, tū formæ expertē materiā informat, iísq; rebus causā præbet vt exsistāt ac mōstrari possint. Socrates

& Plato ideas putauerunt à materia secerni, & in intellectu ac imaginatione dei subsistere. Aristoteles formas atq; ideas reliquit: nõ tamen à materia secretas. Idem enim alienus ab ea fuit sententia, quæ mundi creationem deo adscribit. Stoici, cuius sectæ Zeno princeps fuit, nostræ mentis conceptus idearum nomine intelligunt.

De causis. *Cap.* XI.

CAusa est, cuius effectus est, aut à qua aliquid proficiscitur. Plato triplicem facit causam, Efficientem, Materiam, Finem. Principatum tamẽ efficienti defert, quæ est mens. Pythagoras. * Aristoteles primas causas facit corporis exsortes, alias participatione aut per accidens substantiæ corporeæ, ita vt mundus sit corpus. Stoici omnes causas statuunt corporeas: dicunt enim esse Spiritus.

De corporibus. *Cap.* XII.

COrpus est quod tres habet dimensiones, latitudinem, profunditatem, longitudinem. aut moles sensui per se renitens: aut quod locũ occupat. Platoni, quod neq; graue est suapte natura, neq; leue, dũ suo proprio est in loco: cùm verò est in alieno, tũ id inclinari, inclinandóq; momentũ aut ad grauitatẽ aut ad leuitatem adipisci. Aristotelis sententia est, terram simpliciter esse grauissimum, ignem leuissimum: aërem & aquam aliâs aliter habere. STOICI duo de quatuor elemẽtis leuia esse, aerem & ignem: duo grauia, aquam & terram. Leue enim esse, quod non inclinatione aliqua, sed natura fertur à medio. graue, quod ad medium. ipsum enim medium non est graue. EPICVRVS incomprẹhẽsibilia esse corpora: prima autem, simplicia. quæ autem ex his concreta sint, omnia esse grauia. atomos moueri, aliâs ad perpendiculũ, aliâs deflexione quadam: quæ sursum ferantur, aliâs ictu, aliâs trepidatione.

De minimis. *Cap.* XIII.

EMpedocles ante quatuor elementa ponit quẹdam minutissima fragmenta, tanquam elementa elementis priora, similarium partium & teretia. HERACLETVS ramenta quædam minima & diuisionem non admittentia introducit.

De figuris. *Cap.* XIV.

FIgura superficies est, & circumscriptio atq; terminus corporis. Pythagorici quatuor elementorum corpora globosa esse aiunt, igni demto, cui vt supremo, turbinis formam tribuunt.

De coloribus. *Cap.* XV.

COlor qualitas corporis est, quæ visu potest percipi. Pythagorei colorẽ appellauerũt superficiẽ corporis. Empedocles, id quod cõgrueret meatibus visui inseruientibus. Plato flammã à corporibus emicantẽ, cuius partes proportione respondeant visui. Zeno Stoicus colores primã materiæ figurationem esse dixit. Pythagorei coloris genera faciunt album, nigrum, rubrum, pallidum. discrimina colorũ deducunt à certis mixtionibus elemẽtorum: & in animalibus, ob varietates locorum atq; aëris.

De sectione corporum. *Cap.* XVI.

THaletis & Pythagoræ sectatores, negãt in infinitũ progredi sectionem eorũ corporum, quẹ motibus sunt obnoxia, sed subsistere in iis quẹ indiuidua sunt, & atomi dicuntur. Aristoteles facultate infinitam esse docet sectionem corporum, sed actu eam facultatem nullo finiri.

De mixtione & temperatione. *Cap.* XVII.

VEteres qualitatum mutatione censuerunt elemẽta misceri. Anaxagoras, & Democritus, eorúmq; asseclæ, iuxta se invicem positione. Empedocles ex minoribus molibus coalescere elementa, quæ sint minimæ, ac tanquam elementorũ elementa. Plato tria corpora. non enim vult ea esse elementa, aut appellare: sed inter se commutari, ignem, aerem, aquam. terram in horum vllum non posse permutari.

De inani. *Cap.* XIIX.

A Thalete ad Platonem vsq; philosophi naturam scrutantes, vacuum esse negauerunt. Empedocles sic:

In mundo vacuum nihil est, nihil est quod abundet.

Leucippus, Democritus, Demetrius, Metrodorus, Epicurus, corpora sectionem non admittentia dixerunt multitudine infinita, inane autem magnitudine esse infinitum. Stoici censuerunt nullum intra mundum esse inane, sed extra mundum esse. Aristoteles tantum esse inane extra mũdum, vt respirare posit cœlum: esse enim hoc igneum.

De loco. *Cap.* XIX.

PLato id locum vocauit, quod in se admitteret formas, translatione vtens in materia notanda, quæ quasi nutrix sit atq; receptaculum. Aristoteles, extremitatem corporis continentis, contiguam contento.

De capacitate. *Cap.* XX.

SToici & Epicurus differre volunt inane, locum, capacitatem: & definiunt inane vacuitate corporis: locum, qui à corpore occupetur: capacitatem, quod partim à corpore impletur, vt dolium à vino.

De tempore. *Cap.* XXI.

PYthagoras sensit, tempus esse globum ambientis corporis. Plato, mobilem æternitatis imaginem, aut motus mundi intervallum. Eratosthenes, Solis motum.

De natura, seu substantia temporis. *Cap.* XXII.

EAm Plato dicebat esse motum cœli. Pleriq; Stoicorum, ipsum motum: nec non, temporis nullum fuisse exordium. Plato, intelligentia genitum.

De motu. *Cap.* XXIII.

HAnc Plato post Pythagoram differentiam quandam aut diversitatem esse in materia dixit. Aristoteles, actũ (ipsius vox est entelecheia) rei mobilis. Democritus, vnũ genus motui dedit, obliquum. Epicurus duas motus species, ad perpendiculum, & ad declinationem. Herophilus, motum alium sola mente intelligi, alium sentiri. Heracletus motum & statum prorsum è natura sustulit. hunc mortuorum esse dicens, motum autem sempiternorum perennem, intermittentem esse rerum fluxarum.

De ortu & interitu. *Cap.* XXIIII.

PArmenides, Melissus, Zeno, cùm omnia motus expertia esse opinarentur, ortum & interitum prorsus negauerunt. Empedocles, Epicurus, deniq; quotquot mundum è minutis construunt particulis: ij concretiones quidem ac secretiones quasdam introducunt, ortus & interitus esse negant. neq; enim qualitates alterando, neq; coaceruatione incrementa fieri. Pythagoras, & quotquot materiã perpeßionibus obnoxiam ponunt, ij propriè ortus & interitus esse affirmant. res enim alteratione, mutatione, & resolutione elementorum fieri.

De necessitate. *Cap.* XXV.

THaletis est: validißima omnium est neceßitas: omnia enim ei subsunt. Pythagoras aiebat mundo circumdatam esse neceßitatem. Parmenides & Democritus, omnia fieri ex neceßitate. eandémq; esse fatum, Iusticiam, Providentiam, mundi effectricem.

De natura, siue substantia neceßitatis. *Cap.* XXVI.

PLato quædam ad providentiam, quædam ad neceßitatem revocat. Empedocles naturam neceßitatis, causam esse ait, quæ vtatur principiis & elementis. Democritus renisum, lationem, & percußionem materiæ. Plato aliâs materiam, aliâs effectricis causæ respectum ad materiam.

De fato. *Cap.* XXVII.

HEracletus omnia fato fieri dixit: idq; idem esse cum fatõ. Plato inserit quidẽ fatum humanæ vitæ atq; actionibus: addit tamen causas à nobis profectas. Stoici, hac in re Platonis similes, neceßitatem aiunt causam esse immobilem & violẽtam: Fatum verò connexum esse causarum ordine contentum, quo etiam includantur ea quæ sunt nostra: quorum alia fatalia debeant haberi, alia fato non concessa.

De natura fati. *Cap.* XXIIX.

HEracletus fati substantiam esse ait rationem quæ per vniuersi naturam transeat: ipsa autem sit æthereum corpus, semen procreationis vniuersi. Plato rationem legémq; æternam naturæ vniuersi. Chrysippus facultatem spiritalem, quæ totum mũdum ordine disponat. Idem in Definitionibus, Fatum, inquit, mundi est ratio, aut lex eorum quæ sunt in mundo, ac providentia administrantur. Aut: ratio, secũdum quam & quæ fuere, facta sunt: & fiunt, quæ fiunt: & fient ea, quę erunt. Stoici seriem causarũ, id est ordinem & connexionem inviolabilem. Poßidonius tertium à Ioue locum tribuit. primum enim Ioui adsignat, secundum naturæ, tertium fato.

De

De fortuna. *Cap.* XXIX.

HAnc Plato ait causam per accidens esse & consequi inopinatò in iis, quæ consilio institutóque hominum suscipiuntur. Aristoteles causam per accidens in his, quæ appetitu mouente finis causa aguntur: incertam eam, & instabilem. Porrò fortunam à casu differre: cùm illa in actionibus locum habeat duntaxat, casúmque admittat: casus autem fortunæ locum non det semper: quippe cum casus & in ratione præditis, & in brutis, adeóque etiam inanimatis locum habeat: fortuna non, nisi vbi ratio inest. Epicurus causam esse dixit instabilem, ob mutationem personarum, temporum, morum. Anaxagoras & Stoici, causam dicunt esse quæ humana ratiocinatione cognosci nequeat. Fieri enim alia necessariò, alia fato, alia instituto animi, alia forte fortuna, alia casu.

De natura. *Cap.* XXX.

EMpedocli visum fuit, nihil esse naturam, nisi permixtionem & diuulsionem elementorum. Sic enim scribit in primo libro de Naturali philosophia:

Iam quod naturam mortales nomine dicunt,
Hoc nihil est: neque enim mortem natura, vel ortum
Humano præbet generi. nam mixtio tantùm,
Mixtorúmque subest quædam secretio rebus,
Idque homines vulgò naturam dicere suerunt.

Itidem Anaxagoras concretionem, & secretionem, id est ortum & interitum, naturæ nomine intelligebat.

Plutarchi de Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER II.



ABSOLVTA relatione de principiis, elemẽtis, & aliis quæ ad eandem pertinent classem, ad effecta proinde me cõvertam, ordiárque ab eo, quod omnia reliqua continet.

De mundo. *Cap.* I.

PRinceps PYTHAGORAS complexũ vniuersi affecit mundi nomine, propter ordinem qui in eo est. Græca enim vox Kosmos, ordinem ornatúmque significat. THALES & eius sectatores, vnum censuerunt esse mundum. DEMOCRITVS, EPICVRVS, & discipulus eorum METRODORVS, infinitos mundos in infinito, secundum omnes circumstãtias. EMPEDOCLES Solis conversione mundum circumscribi ait, húncque esse eius finem. SELEVCVS infinitum mundum. DIOGENES Vniuersum infinitũ, mundum autem finitum. STOICI discrimen statuunt inter Vniuersum & mundum. Vniuersum enim esse infinitum adiuncto inani, totum mundũ seorsim ab inani subsistere.

De figura. *Cap.* II.

STOICI globi figurã mundo adsignant, alij turbinis, oui quidam. EPICVRVS, posse mundos esse globosos, posse etiam alia esse figura.

An mundus animatus sit, & à prouidentia gubernetur. *Cap.* III.

ITa esse, reliqui omnes sentiunt. DEMOCRITVS autem, EPICVRVS, & qui prẹter hos inane ac atomos introducunt, & animæ expertem mundum faciunt, neque prouidentia, sed natura quadam bruta administrari aiunt. ARISTOTELES neque animatum totum per omnes partes dicit, neque sensu, ratione aut mente præditum, neque à prouidentia temperari. Nam cœlestibus quidem hæc omnia adesse, quòd orbibus contineantur animatis atque animalibus. Terrestria autem omnibus istis carere: & ordinem per accidens iis, non per se aut à causa antegressa contingere.

An expers interitus sit mundus. Cap. IV.

PYTHAGORAS & PLATO mundum à Deo factum arbitrati sunt, & quod ad naturam attinet, obnoxium interitui, quia corporeus, ideóque sensibus sit expositus: non autem periturū, providentia eum & Deo continente. EPICVRVS caducum, quia ortus, vt animal, vt stirpem. XENOPHANES, neque ortū, & sempiternum, ac nunquam interiturum. ARISTOTELES partem mundi quæ infra Lunam est, affectionibus obnoxiam, in qua parte etiam terrestria suas patiuntur mutationes.

Vnde alatur mundus. Cap. V.

ARISTOTELES sic: si alitur mūdus, etiam peribit. at nullo indiget nutrimento. est ergo sempiternus. PLATO, ipsum mundum sibi mutatione eorū quæ intereunt suppeditare nutrimentum. PHILOLAVS, duplicem esse interitum, vnum igne cœlitus defluente, alterum lunari aqua per revolutionem aeris effusa: atque horum exhalationes esse alimentum mundi.

A quo elemento mundi opificium sit orsus Deus. Cap. VI.

PHysici à terra incohasse aiunt mundi ortum, tanquam à centro. Est enim centrum globi initio. PYTHAGORAS ab igni, & quinto elemēto. EMPEDOCLES primò fuisse secretum ætherem, deinde ignem, pòst terram, qua nimis in arctum coacta ob impetum circumagitationis, aqua ebullierit: ex hac aerem exhalasse. ac cœlum quidem ex æthere natum, Solem ex igne. reliqua circa terram quæ sunt, condensata coiisse ex reliquis. PLATO ait, visibilem mundum factum ad exemplum eius qui in mente fuit. eius visibilis mūdi priorem tempore partem exstitisse animam, pòst corporea, quæ primò ex igni & terra, posteriore loco ex aqua & aere coaluerint. PYTHAGORAS, cùm sint quinque formæ solidorum corporum (mathematica etiam hæc vocantur), è cubo ortam ait terram, è pyramide ignem, ex octo basium corpore aerē, è viginti basium forma aquam, è duodecim basiū solido globum Vniuersi. Plato in his quoque Pythagoram imitatur.

De ordine mundi. Cap. VII.

PARMENIDES corollas ait esse crebras inter se consertas, vnam ex raro, alteram è denso. his interiectas alias, ex lumine & tenebris mixtas. esse autem solidū quidpiā instar muri, quod istas omnes corollas contineat. LEVCIPPVS & DEMOCRITVS mūdo in orbem tunicam atque membranā circumtendunt, EPICVRVS quorundam mundorum extrema rara, quorundam densa, & mobilia alia, alia immobilia statuit. PLATO ignem primo loco statuit, proximo ætherem, deinde aerem, post hunc aquam, postremò terram. interdum ætherem igni coniungit. ARISTOTELES primò ætherem omnis exsortem perpessionis, quintū scilicet corpus: deinceps obnoxia motibus, ignem, aerem, aquam, denique terram. Horum cœlestibus motū circularem que adsignat: inferioribus, quæ quidem leuia sunt, sursum: quę grauia, deorsum lationem. EMPEDOCLES non perpetuò aut definitis locis reposita elementa dicit, sed quodvis in cuiusvis locum succedere.

Quæ causa sit inclinationis mundo. Cap. IIX.

DIOGENES, & ANAXAGORAS, postquam mundus constitutus fuit, & è terra produxit animalia, quodammodo inclinatum mundum fortuitò censent in austrinas partes: fortassis providentia sic satagente, vt mundi partes quædam habitari, aliæ non possent, ratione gelus, ardoris, commodæ temperiei. EMPEDOCLES aere cedente Solis impetui, septētriones docet declinasse, ita vt partes iis vicinæ in sublime attollerentur, deprimerentur austrinæ: atque hanc inclinationem totì proinde mundo accidisse.

De eo quod est extra mundum: an id vacuum sit. Cap. IX.

PYTHAGORICI extra mundum inane esse putant, in quod, & è quo mundus respiret. STOICI inane esse, in quod quidem conflagratione sua mundus dissolutum eat. POSIDONIVS non inane, sed quantum dissolutioni sufficiat. In libro primo de Inani. * Aristoteles affirmat, nullum esse inane. & tam extra quàm intra mundum esse inane, Plato negat.

Quæ

Quæ partes mundi dextræ sint, quæ sinistræ. Cap. X.

PYTHAGORAS, PLATO, ARISTOTELES, dextras mundi partes faciunt quæ ad ortum sunt, vnde motui initium: sinistras, quæ ad occasum. EMPEDOCLES dextra vocat quæ sunt ad circulum æstiuæ Solis conversionis, sinistra quæ ad hybernum.

De cœlo, quæ eius natura. Cap. XI.

ANaximenes dicit rotationem esse extremi orbis. EMPEDOCLES cœlum esse solidum glaciei in modum ab igne ex aere compactum, quod ignitam aereámque naturam in vtroque globi semisse contineat. ARISTOTELES è quinto corpore, igni, vel calidi cum frigido mixtione.

In quot orbes cœlum diuidatur. Cap. XII.

THALES, PYTHAGORAS, & huius sectatores cœlum in circulos quinque diuidunt. ipsi Zonas, id est cingula, appellant. Nomina eorum sunt, Septentrionalis, qui semper est conspicuus: solstitij æstiui circulus, Æquinoctialis, brumæ circulus, Arctico oppositus, semper nobis occultatus. Horum tribus mediis substernitur obliquus, singulos attingens, cui signifer seu Zodiacus nomen est. Omnes autem isti à meridiano per septentriones in oppositam ducto partem medij finduntur. Primus PYTHAGORAS inuenisse dicitur signiferi obliquitatem, quam Oenopides Chius tamen vt abs se excogitatam sibi vindicat.

Quæ stellarum natura sit, ac quomodo conflatæ sint. Cap. XIII.

THALES censuit terrestres quidem esse stellas, sed ignitas interim. EMPEDOCLES igneas, eo ex igne, quem in se continens æther in prima secretione eliserit. ANAXAGORAS ætherem circumsitum ignea quidem esse natura, circumvolutionis autem vehementia abripuisse lapides è terra, eósque adussisse, & sic in stellas convertisse. DIOGENES pumicum instar esse stellas sensit exspirationes mundi exhalantis. idem, lapides quosdam esse qui nusquam appareant, & sæpe in terram delapsi exstinguantur: quomodo ad Ægos potamos sub ignis forma decidit stella saxea. EMPEDOCLES inerrantes stellas crystallo ait alligatas, errones ab eo solutas. PLATO maiori ex parte igneæ naturæ esse stellas, sed ita, vt glutinis loco reliquorum etiam elementorum partes admittant. XENOPHANES nasci ex inflammatis nubibus, quæ quotidie exstinguãtur, noctu quavis rursus carbonum instar accendãtur. ortus quippe & occasus, nihil esse aliud quàm accendi & exstingui. HERACLIDES & PYTHAGOREI quamvis stellam dixerunt esse mundum in æthere infinito, qui terram, aerem, ætherémque contineat. Hæc opinio etiam in Orphicis perhibetur. nam ORPHEI sectatores singulas stellas esse mundos dicunt. EPICVRVS horum nihil improbat, contingentiæ inhærens.

De figura stellarum. Cap. XIV.

STOICI globosas esse stellas, vt mundum quoque, vt Solem, vt Lunam. CLEANTHES metæ seu turbinis forma. ANAXIMENES clauorum instar infixos esse crystallo. alij laminas esse igneas, tanquam picturas.

De ordine stellarum. Cap. XV.

XENOCRATES secundum vnam superficiem stellas moueri autumauit. reliqui Stoici alias aliis esse humiliores atque altiores. DEMOCRITVS hoc ordine collocat: primò fixas stellas, deinde errones, in quibus Solem, Luciferum, Lunam. PLATO vbi ab inerrantibus abiit, proximam facit stellam Saturni, quæ ei Phæno dicitur, nos fulgidam (puto) possemus: tum Phaethontem, nisi nitetem mavis, qui est Iupiter: ab hoc proximum Pyroenta, id est igneum, stellam Martis: inde Luciferum, qui Veneri tribuitur: quintum Mercurij sidus, quod Stilbon appellat, quasi rutilans. Mathematicorum quidam Platoni subscribunt: alij Solem in medio reponunt. ANAXIMANDER, & METRODORVS Chius, CRATES'que, summum locum Soli deferunt, proximéque Lunam ei subiiciunt: sub his fixa, & vagá etiam sidera collocant.

De latione & motu stellarum. Cap. XVI.

ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, CLEANTHES, ab ortu versus occasum ferri omnes stellas. ALCMAEO & mathematici planetas fixis ex adverso,

hoc est ab occasu ad ortum citari. ANAXIMANDER à circulis & orbibus, quibus quævis insistit, moueri. ANAXIMENES similiter sub terram, ac circa eam ferre stellas. PLATO & mathematici æqualem cursum adsignant Soli, Veneri, ac Mercurio.

Vnde illuminentur stellæ. Cap. XVII.

ILlustrari omnes stellas fixas à Sole, ab eóq; suum lumen accipere, METRODORVS dixit. HERACLETVS & STOICI, stellas ali eo quod à terra sursum euaporat. ARISTOTELES, cœlestia non indigere alimento, quia interitui non sint obnoxia. PLATO & STOICI idem stellis atq; vniuerso mundo nutrimentum destinant.

De stellis quæ dicuntur Castores, siue gemini. Cap. XIIX.

XENOPHANES istas stellas, quæ supra naues apparent, paruas putauit esse nubeculas, ob certum affulgentes motum. METRODORVS micationes esse, à videntium oculis, quos terror & consternatio tenet, profectas.

Quid denuncient stellæ, & quomodo fiant hyems atq; æstas. Cap. XIX.

PLATO indicationes æstatis atq; hyemis fieri Solis, Lunæ, aliarúmq; fixarum & vagarum stellarum ortu atque occasu percipi tradit. ANAXIMENES ad solum hæc refert Solem. EVDOXVS & ARATVS, omnibus communiter accepta isthæc stellis ferunt. Arati verba subiecimus:

Ipse hæc altitonans in celso infixit olympo,
Et totum prudens distinxit signa per annum,
Eximia vt rebus de certis astra monerent.

Quæ Solis natura sit. Cap. XX.

ANAXIMANDER Solem dixit esse circulum, cuius duodetrigesima pars terræ molem æquet: orbita præditum qualis ferè est rotis curruum, ignis plena, qui quadam ex parte eius effulgeat per orificium, tanquam per fistulæ foramen. eúmque ignem esse Solem. XENOPHANES ex igniculis qui appareant, collectis ex humida exhalatione, & Solem cogentibus: aut nubem ignitam. STOICI incendiũ mente præditum, è mari. PLATO è plurimo igne. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, METRODORVS, massam aut lapidem igni candentem. ARISTOTELES globum è quinta natura. PHILOLAVS Pythagoreus discum vitreum, qui resplendentiam mundani ignis recipiat, lumenq; ad nos retorqueat: vt Sol videatur ignis in cœlo, qui ad nos quasi speculi reflexione lucem dispergat. quam nos vocamus Solem, tanquam simulacri simulacrũ. EMPEDOCLES duos Soles facit. vnum primigeniũ ignem in altero globi mundi semisse, qui eum semissem impleat, semper ex aduerso situs suæ repercussioni splendoris. alterum in altero semisphærio resplendentiam huius, quod semisphærium impleatur aere cum calida natura permixto: hanc resplendentiam à rotunditate terræ reflecti in Solem crystallinum, & cum motu ignei elementi circumtrahi, vtq; verbo dicam, Solem esse resplendentiam ignis qui est circa terram. EPICVRVS è terra compactam molem, ac pumicis spongiæ ve modo pertusam, ab igne accensam.

De magnitudine Solis. Cap. XXI.

ANAXIMANDER Solem terræ æqualem esse, circuli autem, à quo erumpit halitu, & in quo fertur, quantitate molem terræ vicies octies contineri. ANAXAGORAS multiplici ad Peloponnesum proportione Solem esse. HERACLETVS, latitudine vestigij humani. EPICVRVS rursum ait, posse omnia ista vera esse, aut tantum esse, quantus & qualis videtur, vel maiorem paulo aut minorem.

De forma Solis. Cap. XXII.

ANAXIMENES, folij instar latum esse. HERACLETVS scaphæ in formã, subcuruum. STOICI, globi forma, qua & mundus & stellæ. EPICVRVS fieri posse isthæc omnia.

De conuersionibus Solis. Cap. XXIII.

ANAXIMENES censuit, astra impelli à condensato & renitente aere. ANAXAGORAS aeris, qui ad septentriones est impulsione in diuersam partem, quem aerem stipando cogens facit validum. EMPEDOCLES ne in directum semper progrediatur

grediatur

grediatur, impediri à continente ipsum globo & à tropicis, hoc est solstitiorũ circulis. DIOGENES à frigore calori occurrẽte exstingui Solem. STOICI secundũ intervallum alimenti subiecti progredi Solem. Oceanus autẽ terra est, cuius vaporẽ exhalantem depascitur. PLATO, PYTHAGORAS, ARISTOTELES, Solem obliquũ cursum conficere aiunt propter signiferi, in quo mouetur, inclinationem, stipati solstitialibus circulis. quæ omnia in sphæra artificio elaborata proponuntur ad spectandum.

De Solis defectu. *Cap.* XXIV.

PRimus THALES docuit Solem deficere, quando Luna ad lineam infra eũ fertur, quæ natura est terrestri. idq; in speculis cerni, subiici Soli discum Lunæ. ANAXIMANDER obthurato foramine, per quod ignis exspirat. HERACLETVS inversione corporis Solis (quod scaphæ simile eum ponere diximus) ita vt cauũ sursum, curuũ deorsum versus nostrũ visum obvertatur. XENOPHANES exstinctione. rursum autem nasci in ortu alium. Narrationem porrò adiecit de quodam Solis defectu, qui totum durauerit mensem: & alio perfecto, qui diem in noctem mutauerit. Quidã nubiũ condensationem causantur, quæ visu non cernente eas disco Solis obducãtur. ARISTARCHVS Solem fixis stellis adiungit, Lunam autem moueri ait circum Solis orbem, & suis inclinationibus vmbram disco inferre. XENOPHANES multos esse Soles, multas Lunas, secundum terrę diuersa climata, segmenta, ac Zonas. quodã autem tempore Solis discum incidere in quandam terræ portionem à nobis non habitatam, & sic tanquam in vacuum delato deliquium accidere. Idem Solem in infinitũ progredi: nobis autem videri quod rotetur, ob distantiam.

De natura Lunæ. *Cap.* XXV.

ANAXIMANDER circulum esse nouendecuplum proportione terræ, itidem vt Solem ignis plenũ, ac luminis defectũ ei accidere ob inversionem rotæ. similem enim esse rotæ currus, quæ habeat orbitam concauã igne impletã, vnóq; exspirandi foramine præditam. XENOPHANES, nubem esse constipatam. STOICI mixtam ex igni & aere. PLATO maiorem eius partem esse terream. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, firmamentum ignitum, quod in se contineat planicies, montes, convalles. HERACLETVS terram caliginosa nube contentam. PYTHAGORAS corpus Lunæ igneam sequi naturam.

De magnitudine Lunæ. *Cap.* XXVI.

STOICI eam, sicvt & Sol, maiorem terra pronũciant. PARMENIDES æqualem Soli, à quo etiam illuminetur.

De forma Lunæ. *Cap.* XXVII.

STOICIS, vt & Sol, globosa est. EMPEDOCLES disci forma. HERACLETVS scaphæ. alij cylindri tribuunt.

De illuminatione Lunæ. *Cap.* XXIIX.

ANAXIMANDER tradit, eam proprium habere lumen, sed rarius. ANTIPHO suo fulgore nitere Lunam: qui cùm occultatur, fieri hoc appulsu Solis. quia natura sic comparatũ sit, vt ignis validior imbecilliorem obscuret: quod idem aliis quoq; stellis evenit. THALES, & qui eius sequuntur decreta, à Sole illustrari Lunã. HERACLETVS eodem modo affici Lunam, quo Solem. Scaphæ enim figuram esse sideribus hisce, cúmq; humidum excipiant vaporem, illustrari sicvt videtur. clariùs quidem Solem, vt qui in puriore feratur aere, Lunam obscuriùs, quia in turbidiore.

De Lunæ defectu. *Cap.* XXIX.

ANAXIMANDER, osculo rotæ obstructo. BEROSSVS, obversa nobis parte ignis experte. HERACLETVS scaphæ inversione. PYTHAGOREI nonnulli resplendentiam & obstructionem profectã à terra, quam antichthonem, quasi oppositam terrã, dicunt. Recentiores secundum consumtionem ignis ordinatè incensi paulatim, donec perfectũ plenilunium præstet, ac deinde sensim proportione seruata decrescat vsq; ad coitum, vbi planè exstinguitur. PLATO, ARISTOTELES, STOICI, MATHEMATICI in hoc consentiunt, menstruas occultationes Lunæ obtingere à Sole cum quo coit, & eius radiis obruitur. defici autem lumine, cùm in vmbram terræ incidit, vtriusq; sideris in medio constitutæ. aut potius cùm eius officitur illuminationi à terra.

De adspectu Lunæ, & cur terrestris videatur. Cap. XXX.

PYTHAGOREI aiūt terrestrem videri, quia, sicut & nostra terra, circumhabitatur, à maioribus quidem & pulcrioribus animalibus, quinquies decies nostrorū quātitatem continentibus, neq; vllum excrementum deiicientibus: tanta item diei longitudine. ANAXAGORAS causam inæqualitatis arcessit à concretione frigidorum & terrestrium: admixtas enim esse igneis partes caliginosas. itaq; Lunam dici falso vultu apparentem. STOICI ob diuersarum formarum concretionem negant eius naturæ compagem esse interitus securam.

Quanto interuallo Luna à Sole absit. Cap. XXXI.

EMPEDOCLES duplā Lunæ à Sole distantiā esse eius, quæ Lunæ à terra est. Mathematici octodecuplā. ERATOSTHENES Solē à terra dissitū stadiorū millibus octingenties millibus ac quater: Lunā autē à terra millibus septingētis octoginta.

804000000.

780000.

Quantus cuiq; planetarum sit suæ circumitionis annus. Cap. XXXII.

SATVRNVS ambitū cœli suum cōficit annis Solaribus XXX. Iupiter XII. Mars duobus. Sol mēsibus XII. totidem Mercurius & Venus: (nā æquales his cursus) Luna XXX. diebus. hic enim est perfectus mensis ab apparitione Lunæ ad congressum cum Sole. Magnum annū alij octennio definiunt, alij XIX annis, alij LIX. HERACLETVS annorum Solarium millibus octodecim. DIOGENES CCCLXV annis tantis, quantus vnus est Heracleto. Alij VII CIↃIↃCCLXXVII.

7777.

Plutarchi De placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER III.



PRæcedentibus libris compēdio percurri cœlestiū rerū enarrationem, quarū vltimo loco Luna est, hoc tertio libro ad ea me cōfero, quę infra eā in sublimi sunt, ac Meteora proinde Gręcis dicūtur: sita à Lunę orbe vsq; ad terrę positū: quā centri locū in Vniuerso cēsuerūt obtinere.

De lacteo circulo. Cap. I.

ORdiar à lacteo circulo. is nebulosus est, semperq; in aere cernitur, & ob albedinem coloris lacteus dicitur. PYTHAGOREORVM alij dixerunt stellæ ardore effectū, quę suo loco delapsa tēpore incendij à Phaethōte excitati, quidquid loci circulari decursu peragrauit, adusserit. Alij Solis cursum initio hūc fuisse. Quidā speculare visum esse putāt, splendore Solis in cœlū reflectēte, quod idem in iride fit & nubibus. METRODORVS, ob transitū Solis: hūc enim esse Solis circulū. PARMENIDES, densi ac rari mixtione lacteū colorem confici. ANAXAGORAS vmbrā terræ ea in parte cœli insistere, cū Sol infra terrā delatus non totū illuminat. DEMOCRITVS splendoris collectionem & densationem, à multis, iisq; paruis & continentibus stellis collucentibus profecti. ARISTOTELES incendiū vaporis sicci, multiq; & continui: itaq; crinitum etiā ignem fieri infra ætherem, sub planetis. POSIDONIVS ignis compagem, stella clariorem, splendore densiorem.

De cometis, traicientibus, ac trabibus. Cap. II.

PYTHAGOREORVM quidā cometam putant esse stellā ex earū numero, quę nō semper videātur, sed stato tempore sua reuolutione exoriantur. Alij reflexionem nostri visus ad Solem: quomodo in speculis quędā apparēt. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, coitū stellarū duarū aut pluriū fulgorē suū coniungentiū. ARISTOTELES igneā coagmentationē ex vapore sicco enatā. STRATO lumen sideris nube cōpręhēsum densa, sicut fit in lucernis. HERACLIDES Pōticus nubē in sublimi à sublimi lumine illustratā. eandē etiā pogonię, hoc est barbatę stellę, causam adsignat. ab his trabiformē, colūnarē, aliásq; cognatas harū impressiones differre itidē, vt Peripatetici, statuit pro ratione figurę in quā nubes conformatur. EPIGENES elationem in sublime spiritus terra permixti & accensi. BOETHVS imaginem ab aere soluto oblatam. DIOGENI visum fuit, crinitas istas apparitiones, qui cometæ dicuntur, esse stellas, ANA-

ANAXAGORAS diattontas,hoc est ignes traiicientes,ab æthere scintillarũ instar deferri:quæ etiam causa sit,quod statim exstinguuntur. METRODORVS, elici scintillas violenta solis in nubem impressione. XENOPHANES,omnia id genus compactum aliquid aut motum esse nubium ignitarum.

De tonitrubus,fulguribus,fulminibus,presteribus,typhonibus. *Cap. III.*

ANAXIMANDER ista omnia gigni ab aere. Cùm enim is densa cõprehensus nube vi erumpit ob suam partiũ tenuitatem ac leuitatem,ruptura sonitũ edi: divulsione iuxta nigredinem nubis,fulgorem. METRODORVS cùm in nubem crassicie concretam ventus incidit,eum perfractione nubis sonitũ edere, ictu autem & scissione fulgorem.celeritate autem motus calorem à Sole sumere, & fulmen iacere. fulminis imbecillitatem in presterem,hoc est ignitam procellam abire. ANAXAGORAS, quãdò calidũ in frigidũ incidit,scilicet ætherea pars in aereã, eã fragore tonitru edere, colore autẽ qui est ad nigredinẽ nebulosæ partis fulgorẽ, multitudine autẽ ac magnitudine luminis fulmẽ:igni autẽ corpulẽtiore typhonẽ,hoc est vorticem,nebuloso presterẽ efficere. STOICI tonitru collisionẽ nubiũ, fulgorẽ ortũ ex ea incendiũ, fulmen fulgorẽ vehementiorẽ, presterẽ languidiorẽ. ARISTOTELES hoc quoq; fieri è sicca exhalatione docet.quę cùm in humidũ illapsa vaporẽ vi exitũ sibi cõficit, allisione & perruptione tonitrus sonitum nasci, sicci autẽ accẽsione fulgur.presteres & typhones multiplicatione materiæ,quã vtriq; attrahũt, calidiorem prester, crassiorẽ typho.

De nubibus,pluuiis,niue,grandine. *Cap. IV.*

ANAXIMENES,nubes exsistere aere q̃ maximè densato,quæ cùm magis cõprimantur,pluuiã elici:niuẽ,quãdo aqua delabens congelatur:grãdinem,si humido vẽto cõprehẽdatur. METRODORVS humido vapore sursum elato coire nubes. EPICVRVS ex exhalationib.teretẽ verò grãdinẽ fieri & pluuiã ob delapsus lõginquitatẽ.

De iride,qui est arcus cœlestis. *Cap. V.*

QVæ in sublimi fiunt,partim per se subsistũt,vt pluuia,vt grando: partim videntur duntaxat esse,cùm non subsistãt,quomodo moueri terra nobis nauigantibus videtur. Iris quoq; tantũ species apparens est. PLATO ait, homines ei Thaumãtem patrẽ fecisse,quod eã admirarentur. admirari thaumazein Græcis est. HOMERVS:

Vt cùm purpuream pangit mortalibus irim. Iliad.ρ,547.

Ideóq; fabulati sunt quidam,capite eam tauri præditam exhaurire flumina. Quomodo ergo fit iris? Videmus aut secundum rectam lineam,aut secundum curuam,aut secundũm reflexam,quæ sensui occulta & corporis expers sola ratione percipitur. Rectis lineis cernimus quæ in aere sunt,& per lapides pellucidos ac cornua:omnia enim ista tenuium sunt partium. Linea autem visus incuruatur in aqua,vi crassiciei eius. itaque remum in mari eminus cernentes, fractum putamus. Tertius modus videndi refracta,vt quæ in speculis contemplamur.ac talis est iridis species. Intelligendum enim est humidum vaporem in nubem mutari, quæ deinde sensim in guttulas dissoluatur. Sole itaq; ad occasum accedente, necesse est ex adverso Solis omnem arcũ cœlestem apparere,cum visus guttulis incidens reflectitur, vt iris fiat. Sunt autem stillæ istæ nõ figuræ forma,sed coloris. Habet autem iris colores,primum puniceum, secũdum purpureum,tertium cœruleũ & viridem. Causæ videntur,quòd splendor solis occurrens, fulgórq; integer refractus,rubrum ac puniceũ parit colorem. Secunda autem pars turbidior,splendore ob guttas elanguescente,purpureum : qui rubri coloris est imminutio. cúmq; adhuc turbidius fit obiectum,in viridem transit. Hos ipsis rebus probare licet. Si quis enim eregionè radiorum Solis aquã exspuat, ita vt guttulæ refractionem radiorum Solis excipiant,inveniet iridem fieri. quin & ex oculis laborantes hoc experiuntur,cum in lucernã intuentur. ANAXIMENES iridẽ fieri Sole illuminante nubẽ densam,crassam,ac nigrã,in qua cogantur Solis radij, cùm non possint vltra eã penetrare. ANAXAGORAS Solis splendorẽ reflecti in nube densa, semper eregionè astri posita,quod in ea tãquam speculo exprimitur. Hoc modo etiã causa explicatur pareliorũ,qui sunt,cũ plures soles apparent,vt fit in Ponto. METRODORVS ait, cum Solis splendor nubem penetrat,nubem cœruleo colore apparere,splendorem rubro.

De Virgis. *Cap. VI.*

HAs & Soles Soli oppositos aiunt mixtũ habere quippiã ex substantia & apparitione:q; nubes videanẽ,non suo tamen colore,sed alio qui visui exhibetur. In his omnibus similes affectiones accidũt & naturę,& iis quę in rebus naturalib. cõtingũt.

De ventis. *Cap.* *VII.*

ANAXIMANDER ventū esse fluxionem aeris, motis in eo à Sole aut colliquatis partibus tenuissimis humidissimisq́. STOICI omnem ventum esse fluxū, sed nomina mutare pro locorū rationibus. vt à Zopho, id est caligine, & occasu Zephyrum, qui nobis est Fauonius: à Sole & ortu Subsolanū, à septentrione Aquilonem, à meridie Africum. METRODORVS, aqueæ exhalationis incendium à Sole factum, excitare diuinos flatus. Etesias, qui sunt venti anniversarij, spirare aere qui ad septētriones est, densato, vnà cum Sole qui à solstitio æstiuo à nostris recedere incipit partibus, se prorumpentes.

De hyeme & æstate. *Cap.* *IIX.*

EMPEDOCLES & STOICI hyemem fieri, cùm aer sua densitate obtinet & sursum vi eluctatur: æstatem, igni deorsum vi tendente. Sed sublimibus descriptis, ad ea me conferam explicanda, quæ ponè terram sunt.

De terra, tum quæ natura eius, quæ quantitas. *Cap.* *IX.*

THALES statuit, vnicam esse terram. OECETES Pythagoreus, duas: nostrā, & ei oppositam, quam antichthona vocat. STOICI terram vnicam & finitam. XENOPHANES ex inferiori parte radices eam egisse in infinitam profunditatem, compactam autem esse ex aere & igne. METRODORVS terram esse fæcem ac subsedimentum aquæ, Solem aeris.

De figura terræ. *Cap.* *X.*

THALES, STOICI, & qui hos sequuntur, globi forma. ANAXIMANDER planæ columnæ lapideæ. ANAXIMENES mensæ. LEVCIPPVS tympani. DEMOCRITVS disci in superficie, in medio cauam.

De terræ situ. *Cap.* *XI.*

QVi THALETEM sequuntur, in medio terram collocant. XENOPHANES primum assignat locū, quòd radices egerit in altitudinem infinitā. PHILOLAVS Pythagoricus, igni medium defert locū, quòd sit quasi focus Vniuersi: secundum antichthoni: tertium ei in qua nos degimus terræ, sitæ ex adverso, & contrario motu circumvertenti: vnde fiat vt qui in vna sunt terra, ab iis, qui constituti in altera sunt, non cernantur. Princeps PARMENIDES terræ habitata loca discreuit à duabus sub solstitialibus circulis quæ iacent Zonis.

De inclinatione terræ. *Cap.* *XII.*

LEVCIPPVS terrā in partes austrinas prolabi putat ob istarū raritatem: quippe ob gelu cōcretis partibus ad septentrionē vergentibus, dū oppositæ interim ardent. DEMOCRITVS, quia ambitus pars austrina sit imbecillior, ideò terrā mole auctā eò declinare. Partes enim septentrionales inæqualiter, meridionales æqualiter esse temperatas. eò itaq; inclinasse terrā, vbi fructib. & incremētis abvnde suppeditat materia.

De motu terræ. *Cap.* *XIII.*

ALij immotā manere terrā sentiunt. PHILOLAVS Pythagoreus, in orbem eā circumferri circum ignem, obliquo circulo, in morem Solis & Lunæ. HERACLIDES Pōticus, & ECPHANTVS Pythagoreus, motū terræ tribuūt: nō vt loco suo excedat, sed rotæ instar circa axem circumvertatur ab occasu versus ortū, circa suū centrum. DEMOCRITVS initio effictam fuisse terram ob paruitatem & leuitatem: successu autem temporis densatam atque degrauatam subsedisse.

In quot Zonas distincta sit terra. *Cap.* *XIV.*

PYTHAGORAE opinio est, terrā eadē qua totius cœli globū proportione in quinque esse diuisam partes, septētrionalē, æstiuā, hybernā, æquinoctialem, antarcticā. quarū media terræ mediā regionē definiat, hac ipsa de causa nomine advstæ seu torridæ prędita. Eam quæ incoli potest, in medio iacere æstiuæ atq; hybernæ, temperatam.

De terræ motibus. *Cap.* *XV.*

THALES ac DEMOCRITVS eius rei causam aquæ imputant. At STOICI dicunt terræ motum esse, cum humor in terra inclusus excernitur, inq; aerem excidit. ANAXIMENES siccitatem & raritatem terræ, eius concussionis causam, quorū illam quidem æstus, hanc nimiæ pluuiæ gignant. ANAXAGORAS aerem se emergere volentem, qui cum sua crassicie incidit in terræ superficiem, neq; tamen excerni potest, tremore terram continentem succutit. ARISTOTELES propter frigidū terram vndiquaq; circumstās superne atq; inferne. Calidū enim ob leuitatem suā sursum nitit

nititur:itaq; siccam exhalationem sursum evadendi via interclusa, terram, ex qua cuneo quasi acto eluctari contendit,contrariis invicem revolutionibus exagitare. METRODORVS,nullum corpus in suo proprio loco moueri,nisi quid sit à quo impellatur aut detrahatur efficaciter.ita ne terram quidem,vtpote suo naturali sitam loco,moueri:partes duntaxat eius quasdam aliò migrare. PARMENIDES, ac DEMOCRITVS terrā vndiq; æqualiter distantem,æquilibrióq; suspensam,quòd causam non habeat cur huc potiùs quàm illuc vergat, concuti tantùm, non moueri. ANAXIMENES eam ob latitudinem vectari aere cui incumbit.Alij aquæ innatare instar platani foliorum aut asserum,ideóq; moueri. PLATO motuum sex circumstantias perhibet, sursum,deorsum,dextrorsum,sinistrorsum,prorsum,retrorsum. horum motuum nullū terræ posse accidere,cùm vndiquaq; ima sit,maneátq; immota,quòd nihil eximium sit ob quod in hāc vel illam partem momentum faciat. partes tamen eius raritatis causa concuti.EPICVRVS fieri posse vt terra aeris subiecti,qui aquosus est,crassicie impulsa ac quasi succussa moueatur: fieri etiam posse vt infimis sui partibus cauernosa cùm sit,aere qui per eam dispergitur in cauitates antrorum similes incidente quassetur.

De mari,quæ eius origo,& quî sit amarum. *Cap.* XVI.

ANAXIMANDER mare ait primi humoris esse reliquias, quarum maior pars ab igni exsiccata,reliquum ob ardorem mutatū sit. ANAXAGORAS cùm humor ab initio stagnans à solari motu esset advstus, exhalassétq; eius pinguedo, reliquum salsugine & amarore infectum substitisse. EMPEDOCLI mare est sudor terræ,advstę à Sole,eúmq; sudorem nimia sui compressione emittētis. ANTIPHON sudorem calidi,à quo excretum est quod supererat humidi,elixando in salsuginē cōversum,quod in quovis fit sudore. METRODORVS quia mare sit percolatum per terrā,ideò crassiciem eius participasse:sicvt evenit iis quæ per cinerem colant. PLATONICI aquæ elementaris partem aliam ex aere frigore coactam exstitisse dulcem, aliam quæ à terra ex ardore & incendio exhalasset,salsam.

De causis æstus maris. *Cap.* XVII.

ARISTOTELES & HERACLETVS à Sole fieri aiunt,qui plerosq; spiritus moueat,secúmq; circumducat.quibus incidentibus propellatur mare Atlanticum, intumescátque & affluxum maris efficiat:iisdémq; desinentibus retrò abstrahatur ac recedat,quo pacto resorbeatur mare.PYTHEAS Massiliensis Lunæ implemento affluxum,decremento defluxum fieri. PLATO esse quippiam in sublimi suspensum, ex cuius foramine seu orificio quodam prorumpat æstus, vicissímq; maria intumescant. TIMAEVS causam imputat fluminibus,quæ ex montibus Gallicis in Atlanticū procurrentia mare,id excursu suo propellant atq; augeant, rursúmq; subsistentia retrahāt atque deminuant.SELEVCVS Mathematicus, ipse quoque motum terræ tribuens, eius revolutioni ac motui Lunā adversam ire ait:cúmq; ventus qui intra duo ista corpora intercipitur in diuersas partes hoc pacto agitetur,eo in Atlanticū mare incidente,hoc quoque secundum eius motus concitari.

De area, quæ halos dicitur? *Cap.* XIIX.

SIc ea fit.Inter Lunam aut aliud sidus ac visum nostrū aer crassus & nebulosus exstat,in quo cùm visus noster reflectitur, ac dilatatur,itáque ad externam circumferentiam circuli astri pertinet,circulus circa illud esse videtur, qui halos, id est, area dicitur.videtúrq; ista apparitio proximè ibi fieri,vbi visus in crassiciem incidit.

Plutarchi de Placitis philosophorum, hoc est, breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER IIII.


Vm peragrauerimus mundi partes, ad ea nūc veniamus, quæ sunt singularia.

De Nili incremento. Cap. I.

THALES censet Etesiarum, qui venti Ægypto adversi spirant, flatu Nili aquas attolli, quòd ostia ipsius quibus se exonerat maris obtrusi influxu obthurētur. EVTHYMENES Massiliensis, ex Oceano mariq; externo suapte natura dulci fluuiū impleri. ANAXAGORAS niue Aethiopica, quæ hyeme frigens, æstate liquetur. DEMOCRITVS niue in partibus ad Septentriones sitis sub solstitiū æstiuum resoluta atq; diffusa, densari ex vaporibus nubes, quæ compulsæ versus meridiem & ad Aegyptū ab etesiis ventis, in magnos ac vehementes dissoluantur imbres, quibus cùm paludes, tum Nilus impleantur. HERODOTVS historiæ scriptor, æquale à fontibus fluere Nilum hyeme æstatéq; perhibet: minorem autē hyeme videri, quia tū Sol Aegypto vicinior in vaporē aquas redigat. EPHORVS, historicus is quoq;, æstate ait relaxari totā Aegyptum, ac quasi exsudare copiosam aquam, ac conferre ad hoc etiam Arabiam & Africam ob raritatem & sabulosum solum. EVDOXVS ait, sacerdotes imbribus & oppositis temporū anni rationibus rem imputare. quando enim apud nos æstas est, qui sub æstiuo habitamus Tropico, tum iis qui eregionē sub brumæ circulo degunt hyemem esse, à quibus tum exvndans aqua prorumpat.

De anima. Cap. II.

PRimus THALES animā dixit naturā esse quæ semper, aut à seipsa moueatur. PYTHAGORAS numerū qui seipsum moueat. numerū autē sumit pro mente. PLATO substantiā mente præditā, à seipsa mobilem, & quæ moueatur secūdum numerum harmonicum. ARISTOTELES actū (entelechean) primum corporis naturalis & instrumentis apti, viuendi facultatem habentis. DICAEARCHVS harmoniā quatuor elementorum. ASCLEPIADES medicus coexercitationem sensuum.

Anima corpus an sit, & quæ eius substantia. Cap. III.

OMnes hi, quos nominaui, corporis expertem animā statuunt, naturā ei tribuentes quæ moueatur à seseipsa, & mēte sit instructa, & actus naturalis corporis ad viuendum apti ac instrumentis adornati. ANAXAGOREI corpus esse censuerunt, idq; aereæ naturæ. STOICI spiritum calidum. DEMOCRITVS igneam compagem partium mente sola perceptarū, quæ formis sint globosis, ignea vi, deniq; corpus. EPICVRVS temperatū quippiam ex quatuor qualitatibus, ignea, aerea, aquea, & quarta cui nomen non sit positum, quod ei erat vis sentiendi. HERACLETVS animam mūdi exhalationem esse humidarum eius partium. animalium autem, ab externa, & exhalatione interna cognatam.

De animæ partibus. Cap. IV.

PYTHAGORAS, PLATO, secundū supremā rationem duas partes ei assignant, quarū vna ratione sit prædita, altera eius expers, siue bruta. secundū propinquam autem & subtiliorem rationem tres: diuidūt enim brutā in iræ, & in cupiditatibus deditam. STOICI ex octo partibus componūt animā: quinq; sensibus, visu, auditu, olfactu, gustatu, tactu: sexta vocali: septima seminea: octaua ea quæ principatū obtinet, & à qua reliquæ omnes dispositæ sunt suis quæq; instrumentis, cōvenienter flagellis polypi. DEMOCRITVS, EPICVRVS, bimembrem faciunt animā, cuius pars rationis compos in pectore sita sit, bruta per totam corporis concretionem diffusa. DEMOCRITVS porrò omnia ait quandam habere animam, etiam cadauera: quòd hæc semper perspicuè aliquid obtineant caloris & sensus, maiori parte exspirata.

De principe animæ parte. Cap. V.

INesse hāc aiunt PLATO & DEMOCRITVS in toto capite. STRATO in superciliorū intercapedine. ERASISTRATVS circa membranā cerebri, quā epicranida nominat.

nominat. HEROPHILVS in cauo seu fundo cerebri. PARMENIDES in toto pectore. EPICVRVS, & STOICI in vniuerso corde, aut cordis spiritu. DIOGENES in arteriosa cordis cauea, quæ est spiritualis. EMPEDOCLES in sanguinis substãtia. Alij in collo cordis. Alij in membrana cor ambiente. Alij in septo transuerso. Nonnulli recentiorum eò vsq; à capite pertingere. PYTHAGORAS vitalem animæ partem circa cor, rationem & mentem circa caput.

De motu animæ. *Cap. VI.*

PLATO semper moueri animam, mentem autem non moueri à loco ad alium. ARISTOTELES animam immobilem, omnis motus per se exsortem: per accidens autem moueri, vt & formas corporum.

De animæ immortalitate. *Cap. VII.*

PYTHAGORAS & PLATO interitus expertem animam: cum enim exit, pervenire in cognatam sibi animam mundi. STOICI exeuntem è corpore simul cum concreto interire, eam scilicet quæ sit imbecillior: quales sunt ineruditorum animæ. Validiores, quales sunt sapientum, durare vsque ad conflagrationem. DEMOCRITVS & EPICVRVS caducam esse, & simul cum corpore interire. PYTHAGORAS, PLATO, ratione præditam partem non interire: esse animam quippe non deum, sed opificium æterni dei. brutam esse obnoxiam interitui.

De sensibus & sensilibus. *Cap. IIX.*

STOICI sensum definiunt appræhensionem quæ fit à sentiendi instrumento. Variè autẽ dicitur sensus. nam & habitus, & facultas, & actus, & imaginatio appræhendens sensus instrumento fiunt, ipsaque etiam octaua pars princeps à quo pẽdet. Rursum instrumenta sentiendi sunt spiritus intelligentes à principe parte ad instrumenta corporea dispositi. EPICVRVS, sensum dupliciter accipit. pro facultate & pro actu sentiendi. PLATO sensum definit animæ & corporis communionem cum externis. vis enim sentiendi est in anima, instrumentum corporis. ambo aũt per phantasian (hoc imaginationem voco) externa appræhendunt. LEVCIPPVS, DEMOCRITVS, sensum & intelligentiam munus suum obire, visis siue imaginibus (sic illorum simulacra, ειδωλα, exprimo) foris oblatis. his non accidentibus, neutrum istorum quicquam moliri.

Verine sint sensus, veræ imaginationes. *Cap. IX.*

STOICI sensus non falli iudicant. visorum alia vera esse, alia falsa. EPICVRVS vtrisque veritatem ex æquo attribuit. Opinionum alias veras esse, alias falsas. Sensum vno tantùm modo falli, cùm suum de rebus mente cernendis interponit iudiciũ. phantasiam duobus, cum & sensilium sit, & intelligibilium. EMPEDOCLES, HERACLIDES pro meatuum concinnitate sensum fieri, cùm quodvis sensile suo sensui accommodetur.

Quot sint sensus. *Cap. X.*

STOICI quinque numerant sensus, quibus formæ appræhendãtur: visum, auditũ, olfactum, gustatum, tactum. ARISTOTELES sextum quidem non dicit, ponit tamen communem sensum qui diiudicet inter compositas species, in quem singuli coniiciant sensus simplices sua visa: in quo ostenditur transitus ab vno ad aliam quasi speciem, & sub forma motus. DEMOCRITVS plures esse sensus, brutorum animalium, deorum, sapientum.

Quomodo sentiamus, notionem animo, orationémq; concipiamus. *Cap. XI.*

STOICI dicunt, quando in lucem prognatus est homo, tum principem animi facultatem, perinde ac si ageret de conscribenda charta, in anima singulas exarare noticias. Primum inscriptionis modum esse à sensibus. vbi enim sensu aliquid percipimus, vt album, eo sublato memoriam tamen eius retinemus. pòst cùm eiusdem generis multæ concurrerint formæ, experiẽtiã adepti dicimur. hæc enim definit̃ multitudo eiusdẽ generis notionũ. Iam notionũ quæ naturales sunt, eo quo dictũ est modo fiũt, nullaq; artis industria: aliæ doctrina porrò nostra accurationeq; parantur. Hæ tantũ noticiæ dicũtur, istę etiã anticipationes siue prænotiones. Ratio præterea, à qua rationis dicimur cõpotes, istis anticipatis notionib. dicitur absolui, primo septenario. Est autem cõceptus mẽtis visum intelligẽtiæ ratiocinãti, in animali rationem habẽte.

Visum enim vbi ad talem accidit animam, tunc conceptio mentis dicitur. Itaq; visa, quæ Græci phantasmata dicunt, reliquis animalibus non accidunt. quæ diis, ea nobis tantum phantasmata: quæ nobis, & in genere ea sunt phantasmata, & in specie notiones. sicvt denarij & stateres ipsi per se id sunt, quod nomine referunt: sin pro vectura nauali penduntur, hoc iis accedit, vt etiam portorium dicantur.

Quid inter se differant phantasia, phantaston, phantasticum, phantasma. Cap. XII.

CHRYSIPPVS isthæc sic distinguit. Phantasia affectio est in animo oborta, rem perceptam simul cum percipiente repræsentans. vt cùm percipimus visu albedinem, affectio oritur in animo nostro à visu profecta, cuius subiectũ nominare possumus albedinem. idem de reliquis dico sensibus. Græca origine phantasiæ vox ad lumen redit. nam sicvt lumen & se ostendit, & ea quæ ipso compræhenduntur: ita phantasia & sese, & id vnde effecta est, demonstrat. Phantaston, quasi si phantasia perceptibile dicerem, est quod phantasiam efficit: vt album, vt frigidum, & quidquid animam mouere potest. Phantasticum, quod inanis imaginationis efficax posse videor interpretari, inanis prorsus est animi tractus, quãdo exagitatur eius imaginatio nulla re imaginanda (sic phantaston refero) oblata: quale videmus in iis qui cum vmbra depugnant, & inani aëri manus inferunt. Imaginationi enim, siue phantasiæ, obiicitur aliquod imaginabile: imaginationem futilem cienti, hoc est phantastico, nullum. Phantasma, id intellige vanam imaginationem, est ad quod trahimur inani tractu phantasticæ motionis. Accidunt hæc atra bile laborantibus, & furentibus. Itaque Orestes in tragœdia hæc dicens,

Eurip. Orest. *O mater, obsecro te, ne incutias mihi*
Has sanguinolentas & colubrinas virgines,
Quæ ponè me discurrunt, inquam, ponè me.

furens ista dicit, neque videt quicquam, putat modò. Itaque Electra ei dicit:

Tuo quietus in lecto, miser, mane,
Cernens eorũm, quæ cernere putas, nihil.

Odyss. υ, 350. Sic & apud Homerum Theoclymenus.

De visu, quomodo videamus. Cap. XIII.

DEMOCRItus, Epicurus, imaginum insertione putauerũt nos videre. Alij radiorum quorundam receptione; qui postquam obiectæ rei infixi fuerunt, rursum ad oculum revertantur. EMPEDOCLES imaginibus radios adiunxit, id quod fit appellans radios imaginis compositæ. HIPPARCHVS radios ait ab vtroq; oculo porrectos extremitatibus suis tanquã manibus appræhendere corpora extra oculos posita, appræhensionémq; eorũ visui reddere. PLATO splendoris cõiunctione seu concursu, quod synaugeam Platonicam appellant. lumen ab oculo per aliquantum spacium profluere in cognatum aërem, aliúdq; contrà à corporibus: aërem autem qui in medio est diffusu ac conversu facilem esse, penetrare eum visus vi ignea.

De imaginibus quæ in speculis videntur. Cap. XIV.

EMPEDOCLES apparere eas dicit ob effluxus qui in superficie speculi coëant, perficianturq; ab ignea vi quæ à speculo excernit, propositúmq; aërem in quem effluentia feruntur simul circumagat. DEMOCRITVS, EPICVRVS imaginũ subsistẽtia, quę à nobis ferant, & circumagitatione subsistant in speculo. PYTHAGOREI reflexione visus. qui cum intentus feratur ad æs denso læuiq; corpori occurrẽs, ab eo repercutiatur ac in se redeat. ac simile quippiam ei accidat cum manu, quæ extenditur & ad humerum rursus reducitur. His omnibus capitulis vti licet in explicanda visionis ratione.

Viderine possint tenebræ. Cap. XV.

VIderi censuerunt Stoici. visui enim ad hoc ipsum circumpositum esse quendam fulgorem, & non mentiri visum, cerni enim revera quòd sint tenebræ. CHRYSIPPVS secundum intẽtionem intermedij aëris videre nos, icto quidem & perfosso à spiritu visui destinato, qui à principe animi parte vsq; ad pupillam pertinet: sed post appul-

appulsum ad vicinum aërem, intendente seipsum turbinis in formam. Profunduntur autem ex oculo radij ignei non nigri aut caliginosi. itaque videri possunt tenebræ.

De auditu. Cap. XVI.

EMPEDOCLES auditionem fieri dicit, aëre accidente ad auris partem quæ cochleæ instar in gyros contorta, intra aurem suspensa tintinnabuli instar percutiatur. ALCMAEO audire nos inani quod intra aurem est. id enim personare appellente aëre. omnia enim vacua sonant. DIOGENES, aëre qui in capite continetur icto & moto à sono. PLATO & qui eum sequũtur percuti aërem qui in capite est, eúmque reflecti ad partem principem, sensúmque auditus sic fieri.

De olfactu. Cap. XVII.

ALCMAEO in cerebro esse partem animæ principem. ea sentiri odores spirando ab ea attractos. EMPEDOCLES cum respiratione pulmonis. cum igitur difficulter spiratur, vt fit in humorum defluxu, tum ob asperitatem non sentiri sapores.

De gustatu. Cap. XIIX.

ALCMAEO humiditate & tepore qui in lingua est discerni sapores. DIOGENES raritate & mollicie & quòd eò pertinent à corpore nerui, diffundi sapores attractos ad sensum & principem partem tanquam à spongia.

De voce. Cap. XIX.

PLATO vocẽ definit, spiritũ per os ab animo eductũ & ictũ aëris, qui per aures, cerebrum & sanguinem vsque ad animam diditur. Impropriè etiam brutis & anima prorsum carentibus rebus tribuitur vox, vt cùm hac appellatione complectimur hinnitum & strepitum. Propriè autem vox articulata est, Græcis ab illustrando mentis conceptu dicta. EPICVRVS vocem esse fluxum emissum à rebus vocalibus, aut sonantibus, aut strepentibus. eum fluxum in frusta confringi eiusdẽ formæ. conformia dicuntur teretia teretibus, inæqualium laterum & triangula cum sui generis formis comparata. His conformibus frustis ad aures accidentibus, sentiri vocem. Hoc manifestum fieri ex vtribus qui perfluunt, & fullonibus qui vestes inflant. DEMOCRITVS aërem comminui ait in conformia frusta, simúlque cum vocis frustis volutari. graculum enim graculo assidere, ac semper similem ad similẽ duci, vt est in proverbiis. Odyss. ρ. 218. nam etiam in litoribus similes calculi eodem apparent in loco, alio globosi collecti, alio oblongi. & inter cribrandum congregantur quæ sunt eiusdem generis, ita vt à ciceribus fabæ secernantur. Adversus hæc dicere aliquis possit: Quomodo exigua frustula aëris implere possint theatrum aliquot hominum milibus refertum? STOICI dicunt, aërem non esse compositum ex frustis, sed totum continuum, nihil habentem in se inane. Eum verò perculsum vento fluctuare in infinitum porrectis rectis circulis, donec impleat aër circumsitus. sicvt fit in piscinam lapide coniecto: nisi quòd aër sphęricè, circulariter talis aqua mouetur. ANAXAGORAS vocem edi, si spiritus occurrat solido aëri, & aversus retrò ob ictum vsque ad aures referatur. quomodo etiam fiat echo, quæ est cum sonus repercutitur.

An vox sit corporis expers, & quomodo fiat echo. Cap. XX.

PYTHAGORAS, PLATO, ARISTOTELES, corporis expertem. non enim esse aërem, sed aëris figuram & superficiem certo ictu fieri vocem. porrò nullam superficiem corpore præditam esse. Tametsi enim corporis motum sequitur, ipsa tamen prorsus caret motu. sicvt cùm flectitur virga, nihil patitur superficies eius, materia duntaxat flectitur. STOICI vocem dicunt esse corpus. quidquid enim agat, aut vim efficiendi habet, id esse corpus. atqui hoc esse vocis. audimus enim & sentimus, ipsa auribus accidente, & formam imprimente, quòmodo annulus ceræ sigillum imprimit. Rursum quidquid mouet & molestiam exhibet, corpus est. Mouet autem nos concinnitas sonorum, offendit discrepantia. Iterum, quod mouetur, corpus est. vox autem mouetur & refringitur illapsa in læuia loca, sicvt cum pila in parietem coniecta resilitur. Itaque ergo in pyramidibus Aegypti intus vna voce edita, quatuor aut quinque soni redduntur.

Vnde sensus animæ obtingat, & quæ pars sit eius princeps. Cap. XXI.

STOICI dicunt supremam partem animi esse principem, effectricem imaginum, assensionis, sensus, appetitus: principem autem illam partem vocant ratiocinationem. Cæterùm ab hac principe parte septem esse enatas animi partes, quæ instar polypi acetabulorum per corpus extendantur. De his septem partibus quinque sunt sensus isti, visus, auditus, gustatus, olfactus, tactus. Sunt autem spiritus, visus quidem à principe ad oculos vsque pertingens: auditus ab eodem vsque ad aures: olfaciendi vis, indidem vsque ad nares: gustatus, ab eodem principio vsque ad linguam: tactus à principe parte spiritus propagatus vsque ad superficiem, vt facilè sentiat occurrentia. Reliquarum partiũ altera dicitur semen, quæ ipsa quoque est à principe parte spiritus vsque ad testiculorum adstites deductus. Altera est quam vocalem Zeno, vocem alij vsurpant, spiritus à principe vsque ad guttur & linguã aliáque loquelæ peculiaria instrumenta. ipsa autem illa princeps animi pars in globo nostri capitis, tanquam in mundo, habitat.

De respiratione. Cap. XXII.

EMPEDOCLES primam putat fieri primi animalis respirationem, in fetu edito nacta abcessionem humiditate, in cuius locum extrinsecus succedat aër in vasa corporis aperta. Postmodò autem cùm iam innatus calor foras erumpens, vnà eliderет aërem, exspiratione: eodémque introrsum recedẽte, & aëri vicissim ingressum præbente, inspirationem. At enim nũc, cum sanguis feratur versus superficiẽ, suóque accursu aërem per nares foràs pellat, huius elisione fieri exspirationem. aëre autem recurrente & illabente per loca quæ calor rara & pervia fecit, inspirationem. ASCLEPIADES rem clepsydræ exemplo proponit. pulmones infundibuli loco statuit: causam respirationis ponit tenuitatem partium in pectore sitarum, ad quam externus aër feratur fluátque crassis constans partibus, rursúmque extrudať, cùm pectus non possit ampliùs vel intrò admittere, vel alio carere. semper tamen aliquid, quod sit tenuium partium, in pectore superesse: non enim totum excerni, sed quod intus est, ei grauitate respondere, quod intrò adducitur. hæc autem cucurbitulis comparat. Eam porrò respirationem, quæ dedita opera institutóque animi fit, fieri dicit contractione tenuissimorum in pulmone meatuum, branchiísque in arctum coactis. hæc enim nostræ obedire voluntati. HEROPHILVS facultates relinquit corporibus motus efficaces, in neruis, arteriis, musculis. Pulmonem autem existimat suapte natura solum indigere dilatatione & contractione: deinde etiam alia. Atque actũ quidem pulmonis esse attractionem spiritus extrinsecus: quo cùm est impletus, secũdo appetitu pectoris partem adiacentem in se deriuare spiritum: impletúmque ita vt ampliùs attrahere non possit, rursus in pulmones abvndantia deducere, indéque foràs protrudi, vicissim sese afficientibus corporis partibus. Aliquãdo enim diduci pulmonem, aliorum participatione facta vel impletione vel evacuatione: ita vt quatuor sint motus pulmonis. primus, quo externum haurit aërem: secundus, quo receptum intus in pectus devoluit: tertius, quo id quod coactũ est à pectore, rursum in se recipit: quartus, quo idipsum foràs evomit. Horum motuum duos esse dilatationes, cum scilicet vel externum attrahit in se aërem, vel redditum à pectore in se admittit: reliquos esse contractiones, quando scilicet pectus spiritum ad se trahit, vel foràs pulmo à pectore traditum expellit. Pectoris enim duo tantùm sunt motus. vnus dilatatio, cùm à pulmone spiritum ad se trahit: alter contractio, cùm ei superfluum reddit.

Pulmonis motus.

De affectionibus corporis, & an in animam ex redundent. Cap. XXIII.

STOICI affectus ponunt in locis affectis: sensus autem in principe parte. EPICVRVS tam affectus quàm sensus in locis affectis: quòd statuit partem principem omnis esse affectionis expertem. STRATO & animi affectus, & sensus in principe * parte collocat, non in affectis locis. In hac enim parte esse sitam tolerantiam, vt in terribilibus & dolorem adferentibus, vtque in fortibus & timidis.

Plutar-

Plutarchi De placitis philosophorum, siue breuis recensionis sententiarum de natura rerum,

LIBER V.

De diuinatione. Cap. I.



PLATO & STOICI diuinationem introduxerunt, quę sit diuinus mentis instinctus, secundum animi diuinitatem. Huc etiam diuinationem ex insomniis referunt: deniq; plurimas diuinandi rationes probant. XENOPHANES & EPICVRVS diuinationem reiiciunt. PYTHAGORAS eam duntaxat partem improbat, quæ constat sacrificiis. ARistoteles & DICAEARCHVS eas solùm diuinationes admittunt, quæ furore diuinitus immisso, aut insomniis fiunt: animam nō immortalem esse, sed diuina quadam re impertiri tamen sentientes.

Quæ insomniorum ratio. Cap. II.

DEMOCRITVS accessu imaginum ea fieri putauit. STRATO, quòd animi bruta natura in somnis aliquo modo plus sensus nanciscatur, itaque à mēte cieatur. HEROPHILVS somnia diuinitus inspirata necessariò fieri: naturalia, imaginando sibi anima repræsentante quod expediat, & eventurum sit: mixta, fortuitò & appulsu imaginum, cùm videmus per quietem quæ volumus, quo modo amicis in somno potiri se putant nonnulli.

Quæ sit seminis natura. Cap. III.

ARISTOTELI semen est id quod præditum est facultate mouendi donec tale aliquid absoluat, quale est vnde ipsum fuit excretum. PYTHAGORAS spumam vtilissimi sanguinis, superfluitatē alimenti, sicvt sanguinē & medullam. ALCMAEO partem cerebri. PLATO à medulla dorsi deriuatā rem. EPICVRVS particulam corpori & animæ avulsam. DEMOCRITVS: à totis corporibus & præcipuis partibus semen genitale est carnearum venarum.

An semen sit corpus. Cap. IV.

LEVCIPPO & ZENONI corpus est. esse enim aliquid ab anima avulsum. PYTHAGORAS, PLATO, ARISTOTELES, vim seminis incorpoream dicunt, sicvt mentem mouentem: corpoream autem materiam quæ profunditur. STRATO & DEMOCRITVS ipsam quoque vim corpus esse, quippe spiritum.

An feminæ etiam semen promittant. Cap. V.

AFfirmant hoc PYTHAGORAS, EPICVRVS, DEMOCRITUS. habere enim adstites testiculares, sed inverso modo. ideòque eas etiam præter vsum appetere. ARISTOTELES & ZENO humidam materiam emitti ab iis, sicvt ab exercitatione sudores eliciuntur: non tamē vim habere seminis. HIPPON haud minus seminis eas, quàm mares, emittere, sed id non facere ad prolem generādam, quia extra vterum excidat. ideóq; quasdam sæpenumero absque viris semen effundere, maximè viduas. & ossa à mare, carnes à mulieribus originem habere.

Quomodo conceptio fiat. Cap. VI.

ARISTOTELES fieri matrice sursum attracta à purgatione, menstruísque attrahentibus ab vniuersa mole aliquid puri sanguinis, qui accidat semini maris. Nō concipi, ob impuritatem vuluæ, aut inflationem, metum, ægritudinē, infirmitatémve mulierum: aut quia viri languent.

Quomodo mares nascantur, quomodo feminæ. Cap. VII.

EMPEDOCLES causam calori & frigori adscribit. itaque narrāt primos homines è terra enatos ad ortum Solis & meridiem sitis in partibus exstitisse ferè mares, feminas in septentrionalibus. PARmenides contrà in his exstitisse mares, quia plus his densitatis insit. in meridionalibus autem feminas ob raritatem. HIPPONAX pro eo atque semen vel consistat & validum sit, vel diffluat & infirmius sit. ANAXAGORAS, PARMENIDES, semen à dextra parte in dextram vteri partem coniici, à sinistra in sinistram. quòd si secus fiat, feminas concipi, LEOPHANES,

cuius Aristoteles meminit, illos è dextro testiculo, has è sinistro seminari. LEVCIPPVS secundum variationem membrorum, quòd mas colem, matricem femina habet. tantum enim duntaxat dicit. DEMOCRITVS communes partes, ex vtro contigerit: peculiares, prout præualuerint. HIPPONAX, si semen præualuerit, marem: si alimentum, feminam concipi.

Monstra vt nascantur. Cap. IIX.

EMPEDOCLES vel abundantia vel defectu seminis, aut à motus initio, aut diuisione in plura, aut quod aliò vergat. sic videtur ferè omnes causas complexus. STRATO propter additionem, aut deminutionem, transpositionem, inflammationem. Medicorum quidam, quòd tunc matrix flatibus illapsis pervertatur.

Cur mulier sæpius concumbens non concipiat. Cap. IX.

DIOCLES medicus causam esse putat, quòd vel omnino nullum, vel iusto minus semen emittat, aut proli gignendæ non aptum ob calorem, aut frigus, aut humiditatem, aut siccitatem deficientem, aut ob resolutionem vteri. STOICI, obliquitatem veretri, quod non possit rectà eiaculari semen: aut quia membra coëuntium non sint inter se legitima proportione condita ad matricis distantiã. ERASISTRATVS, vbi vulua callos contraxerit: aut carnosior, rariórve, aut minor fuerit quàm natura exigat.

Quomodo gemini & tergemini nascantur. Cap. X.

EMPEDOCLES, ob abundantiam & diuisionem genituræ. ASCLEPIADES, ob corporum differentiam: sicut hordei spicæ existunt duobus aut etiam tribus granorum ordinibus. esse enim semina fecundissima. ERASISTRATVS ob conceptiones, vt in brutis. cùm enim matrix purgata est, tunc superfetationem admittit. STOICI ob loca quæ sunt in vtero: cum enim in primum & secundum inciderit semen, tunc fieri superfetationem & tergeminos nasci.

Quæ causa, quòd proles parentum aut etiam progenitorum similitudinem refert. Cap. XI.

EMPEDOCLES similitudinem defert semini præualenti: dissimilitudinem euaporationi caloris qui in semine erat. PARMENIDES, si à dextra vuluæ parte semen excernatur, patrum: si à sinistra, matrum similes nasci. STOICI, à toto corpore & anima ferri semen, exprimique imagines & effigies ex eadem gente, perinde atque si pictor rei conspectæ similitudinem coloribus similibus referat. præterea à muliere quoque semen emitti: quod si præualeat, matri: si viri, patri similem nasci fetum.

Quomodo aliorum, non parentum forma similes fiant. Cap. XII.

MEdicorum plerique fortuito casu refrigeratis maris & feminæ seminibus dissimilem gigni prolẽ putant. EMPEDOCLES imaginatione mulieris inter concipiendum formari fetum. sæpe enim imagines etiam & statuæ sunt à mulieribus adamatæ, similisque earum proles in lucem edita. STOICI ob consensum quendam ac similem animi affectionem, fluxuum & radiorum, nõ imaginum, insertione similitudines effici.

Quomodo cùm mulieres, tum viri steriles reddantur. Cap. XIII.

STerilitatis in muliere causas medici vtero imputãt, si aliquid horum ei accidat: puta vt fiat densior, rarior, durior, obstruatur callo, aut carnea mole. item animi languorem, defectum nutritionis, corporis vitiosam constitutionem, perversionem figuræ, aut devulsionem. DIOCLES steriles mares fieri, siue quòd omnino nullum emittant semen, aut minus iusta quantitate, aut quia semen sit sterile, aut ob resolutionem membri, aut obliquitatem colis rectà semen eiaculari non valentis ad matricis distantiam. STOICI causantur dissimilitudinem naturæ & qualitatum in his qui corpora commiscent: nam quando separantur, & cum suæ naturæ familiaribus coëunt, tum fetum procreari.

Cur mulæ steriles. Cap. XIV.

ALCMAEO mulos steriles esse dicit ob seminis tenuitatem siue frigiditatem: mulas, quia matrices earum non hient. EMPEDOCLES, ob exilitatẽ, humilitatem, angustiamque vuluæ, inversè ventri annatæ, vt neque rectà ad eam semen eiiciatur, neque si id fiat, excipiatur. Huic DIOCLES testimonium perhibet, tales se matrices mularũ in dissectionibus sæpenumero deprahẽdisse inquiens: ac fieri posse, vt iisdem de causis mulieres quoque sint steriles.

An

An fetus in vtero sit animal. Cap. XV.

PLATO animal censet, quia & moueatur in vtero & alaṫ. STOICI partem ventris, non animal. vtq; fructus, qui stirpiū partes sunt, vbi maturuere, defluunt: ita rē quoq; habere de fetu. EMPEDOCLES fetum non esse qdem animal, spiritu tamē prǽditum in vtero. primam autem animalis respirationem fieri cùm partu ediṫ, decedente humore qui est in fetu, & in exhausti locum succedente in vasa reserata aëre externo. DIOGENES inanimata nasci animalia, sed cum calore. atq; insitum calorem simul atque natum est animal, animam in pulmones attrahere. HEROPHILVS naturalem fetui in vtero, non animalem motum permittit, motúsq; causam edit neruos. animalia autem tum demum fieri, cùm ex vtero effusa aliquid aëris accipiunt.

Quomodo alatur fetus. Cap. XVI.

DEMOCRITVS, EPICVRVS, fetū in vtero per os ali: itaq; statim atq; natus est, ore ad mammam ferri. nam & in vtero esse vbera quædam & oscula quibus alaṫ. STOICI per secundinam & vmbilicum: itaq; hanc statim ab obstetricibus à partu ligari, & os infanti aperiri, vt de alio cogitet alimento. ALCMAEO ali per totum corpus, quod spongiæ in morem recipiat quæ alendo sunt idonea.

Quid primum in vtero absoluatur. Cap. XVII.

STOICI, plerisq; fieri * ARISTOTELES primùm lumbos, tāquam carinam nauis. ALCMAEO caput, partem scilicet principem. MEDICI cor, in quo sint venæ & arteriæ. Alij magnum pedis digitum. Alij vmbilicum.

Cur fetus qui septimo mense in lucem editur, vitalis sit. Cap. XIIX.

EMPEDOCLES, quo tempore humanum genus è terra est enatum, propter tarditatem motus Solis, tantam fuisse longitudinem vnius diei, quanta nunc est decem mensium. progressu temporis contractam fuisse ad quantitatem septem mensium. itaq; & decimo mense & septimo editos fetus vitales esse, natura mundi hoc meditata, vt in vna die infans augescat & nascatur. * TIMAEVS non decem inqt menses, sed nouem censeri ab inhibitione menstruorum postquam cōceptus est fetus. sic etiā septimestria censeri quæ non sunt, cùm aliquando mulier post conceptum menstruis purgetur. POLYBVS, DIOCLES, Empirici etiam octauum mensem aptum partui agnoscunt: sed fetum esse tum imbecilliorem, ideóq; multos perire. ac tametsi ferè in vniuersum nemo octauo mense natam prolem alendam censet, tamen multos sic natos in viros evasisse. ARISTOTELES & HIPPOCRATES dicunt, si vterus impleaṫ septem mensibus, tunc fetum se exerere, ac in lucem edi. quòd si se exerens non alatur ob vmbilici languorem, laboriosè gestato fetu, tunc eum non nutriri: si verò nouē mēses in vtero maneat, tunc se promere, integrúmq; nasci. POLYBVS vitalem prolem nasci diebus post conceptum CXXCIIS. hoc enim esse sex mensium tempus, quanto etiam Sol à tropico ad tropicum decurrat. Dici autem septimestrē, cum dies qui huic sexto mensi desunt, à septimo adsumuntur. Octauo autem mense natam non viuere, quādo fetus ex vtero se exerens grauius vmbilicum adfligit, vt ab eo nutriri non possit. MATHematici octo menses ad quenvis partum insociabiles aiunt, septem sociabiles. Signa porrò cœli insociabilia sunt, quæ incidunt in stellas domibus cœlestibus dominantes, & sub se natis vitam infelicem ac non longæuam portendunt. Sunt autem insociabilia quorum vnum ab altero octauum numeraṫ, vt Aries ad Scorpium, Taurus ad Sagittarium, Gemini ad Capricornum, Cancer ad Aquarium, Leo ad Pisces, Virgo ad Arietem. & cætera. Hinc fieri vt septimo & decimo mense edita in lucem vitalia sint: octauo nata ob dissidium mundi pereant. *Signa insociabilia.*

De ortu animalium, quomodo exstiterint, & an caduca. Cap. XIX.

QVi mundum statuunt ortum, iis orta etiam habentur animalia, atq; interitura. EPICVREI, quibus non videntur nata, mutua permutatione nasci ea censent. Partes enim esse huius mundi. Quod idem sensit ANAXAGORAS & EVRIPIDES:

Mutationum sed vicißitudine *

Aliis subinde formis illa prodeunt.

ANAXIMANDER prima animalia in humore nata, corticibus contenta spinosis: adultiora autem facta, ad siccitatem desciuisse, ruptóq; cortice non multum temporis supervixisse. EMPEDOCLES primò animalia ac plantas nequaquam integro ortu

D

extitisse, sed membris quæ nondum coaluissent: deinde partes coaluisse, ita vt spectri formam compages referret. tertium ortum fuisse ex his quæ vicissim nascuntur. quartum non iam ex similibus, vt ex terra & aqua: sed proinde vicissim, cùm alimentum aliorum esset densatum, aliis mulierum formæ venustas incitamentum emittendi seminis attulisset. Animalium porrò omnium genera discreta fuisse certorum ratione temperamentorum: ob quam alia aquam expetant, alia aerem, quæ plus ignei habeant: alia quæ grauiora sint, ad terram suo appetitu ferantur. quæ autem ęquabili sunt temperamento, ea vocem * è pectore emittere.

Genera animantium quot sint, & an omnia sensu ac ratione prædita. Cap. XX.

EST opus ARISTOTELIS, quo in opere quatuor statuit animaliũ genera, Terrestria, aquatica, volucria, cœlestia. nam & in his dici animalia ratione prędita, immortalia. DEMOCRITVS, EPICVRVS, cœlestibus rationem tribuunt. ANAXAGORAS omnia animalia habere mentem agentem: non item patientem, qui est mentis quasi interpres. PYTHAGORAS, PLATO, animas omnium etiã bruta quæ dicuntur animalium esse rationis compotes, non tamen ea agere secundum rationem. idq; fieri ob incommodum corporum temperamentum, & quia loquela destituuntur. quod in canibus & simiis appareat, vocem, nõ articulatam tamen eam, emittentibus. DIOGENES, rationis & aëris partẽ ea percipere, sed vel ob crassiciem, vel ob abvndantiam humoris neq; intelligere neq; sentire: ac ferè affecta esse eo modo quo sunt insanientes, qui de mentis exiuerunt potestate.

Quantum tempus ad formandum in vtero animalis fetum requiratur. Cap. XXI.

EMPEDOCLES hominum membra incipere conformari ait à die XXXVI, perfici membra die vndequinquagesimo. ASCLEPIADES masculorũ, quòd sint calidissimi, initium vigesimæ sextæ diei defert, nonnullos etiam maturiùs auspicari dicens: perfici membra die quinquagesimo. Femellarum initium bimestre, finem cõformationis exitum quarti mensis, ob inopiam caloris. Brutorum perfici fetus contemperatione elementorum.

Quibus ex elementis constet in nobis vniuscuiusq; generis membrum. Cap. XXII.

EMPEDOCLES arbitratur carnes nasci ex interna elementorum contemperatione: neruos ignis & terræ duplicibus portionibus admixtis: vngues, neruis vbi aëri occurrerunt refrigeratis. ossa ex aqua & interna terra. quatuor autem ignis & terræ * contemperatis portionibus sudorem & lacrymam corporis fieri sic

Quando & quomodo incipiat homo perfici. Cap. XXIII.

HERACLETVS & STOICI sub annum decimumquartum, cùm iam etiam genitalis vrina secerni incipit. nam & arbores tum incipere perfici, cùm gignere semina incipiunt: immaturas antè esse & imperfectas, dum fructu carent. Prætereà eo natu homo iam in noticiam boni ac mali venit, eorúmq; disciplinæ capax exsistit.

Quæ causæ sint somni & mortis. Cap. XXIIII.

ALCMAEO somnum existere ait sanguinis in concursum venarum receptu: eiusdémque diffusione nos evigilare: plenum autem abscessum, mortis esse causam. EMPEDOCLES moderata caloris qui in sanguine inest refrigeratione somnum, perfecta mortem accidere. DIOGENES, si vniuersus sanguis in venas diffusus contentum in eis aërem in pectus subiectúmq; ei ventrem contrudat, somnum fieri, ac thoracem incalescere. quòd si vniuersus aër venas deserat, mortem consequi. PLATO & STOICI somnum fieri remissione sensitiui spiritus, non relaxatione, sicvt in terra: sed cùm is ad intervallum superciliorum, id est partem principem, fertur. qui spiritus si omnino remittatur, mortem subsequi.

Ad animámne, an verò ad corpus pertineant somnus & mors. Cap. XXV.

ARISTOTELES somnũ corpori cũ anima facit cõmunẽ. esse. n. evaporationẽ humidi è pectore in caput, & refrigerationẽ caloris in corde ab alimento subiecto. mortẽ esse

esse absolutam refrigerationem: soliúsq; corporis esse, animam esse immortalem. ANAXAGORAS somnum accidere putat functionibus corporis: non enim animæ esse, sed corporis adfectionem. mortem esse animæ divulsionem. LEVCIPPVS solius corporis esse somnum: cúmq; ob tenuitatem partium plus iusto excernitur animati caloris, eò mortem effici. corporis hæc esse, non animæ affectiones. EMPEDOCLES mortem esse igneæ naturæ secretionem ab his ex quibus homo coaluit. ideóq; communem esse animæ corporíque mortem. somnum autem evenire secretione naturæ igneæ.

De plantarum incremento, & an sint animalia. *Cap.* XXVI.

PLATO, EMPEDOCLES, stirpes quoq; anima præditas esse, & in animalium numero censent: eo argumento, ꝙ & nutent, & ramos habeant directos, qui inflexi si remittantur, suum repetant locum atq; rectitudinem. ARISTOTELES viuere * dicit, animalia esse negat. quòd animalia appetitu, sensúq;, & quædã porrò ratione sint prædita. STOICI & EPICVREI animam iis derogant: quòd animata alia appetant, cõcupiscentiáq; incitentur, alia etiam ratione vtantur: plantæ autem fortuitò natæ sint, nõ animæ effectione. EMPEDOCLES primo inter animalia loco arbores è terra enatas ait, antequàm Sol circumvolueretur, nóxq; à die discerneretur. & ob concinnitatem temperamenti sexus masculi ac feminei rationem continuisse. incrementum eis obtigisse à caloris terræ inclusi distributione. itaq; terrę esse partes, sicvt fetus in vtero matricis sunt partes. Semina, excrementa esse terræ & ignis abvndantium. & quę humoris satis non habeant, earum sub æstatem defluere folia exsuccatarum: plerasq; durare, vt laurum, oleam, palmam. Discrimina succorum esse ob diuersitatem partium & causarum varietatem, maximè nutrimentum: vt in vitibus. nõ enim harum differentiæ vinum vino præstantius efficiunt, sed soli, quo aluntur, diuersitas.

De nutritione & incremento. *Cap.* XXVII.

EMPEDOCLES animalia nutriri subsidente eo quod iis est natura accommodatũ: crescere ob caloris præsentiam: decrescere & tabescere vtriusq; defectu. nostræ ætatis homines priscis comparatos, infantium instar esse.

Vnde appetitus animalia, vnde voluptas incessat. *Cap.* XXIIX.

APpetitum EMPEDOCLES animalibus obtingere defectu elemẽtorum quibus conficiuntur: voluptates autem ex humiditate, & periculorum similiúmq; motus: inter turbationes autem & * *

Febris vt fiat, & an ea sit affectio alius affectionis appendix. *Cap.* XXIX.

ERASISTRATVS febrim sic definit. Febris motio est sanguinis illapsi in pulmonis vasa, nõ proficiscens à nostra voluntate. sicvt enim mare nemine cõmouente quiescit, vento autem contra naturam incidente violento totum exagitatur, inq; circulos torquetur: sic & in corpore vbi cõmotus fuerit sanguis, incidit in vasa spiritui destinata, ibiq; excãdescens calorem toti corpori adfert. placet autem ei febrim morbi esse appendicem. DIOCLES inquit: Quæ videntur, conspectui nobis exhibent ea quæ in obscuro sunt. Hoc autem apparet, febrim vulneribus, ardentibus abscessibus, & bubonibus comitari.

De sanitate, morbo, senectute. *Cap.* XXX.

ALCMAEO sentit, causam bonę valetudinis continentẽ esse æquabilitatẽ facultatis humidi, calidi, sicci, frigidi, amari, dulcis, ac reliquarũ qualitatũ. cõtrà si qua harũ qualitatũ sola prævaleat cæteris, morbũ gigni. verbi gratia, si nimiũ possit calor aut frigus, aut reliquorum aliqd deficiat vel abvndet: vt cum sanguinis aut cerebri non est satis. ideóq; sanitatem esse temperiem qualitatum cõcinnã, hoc est certa invicem proportione invicem respondentium. DIOCLES plerosq; morborum existere ait ob inæqualitatem elementorum corporis, eiúsq; constitutionẽ. ERASISTRATVS morbos ob multitudinem alimenti, cruditatem, & corruptionem existere: victus rationem moderatam & sufficientem corpori, esse sanitatem. STOICI vno ore dicunt senectutem accidere ob caloris defectum. quibus enim plus est caloris, ij senectuti moram longiorem producunt. ASCLEPIADES ait Aethiopes celeriùs senescere, anno scilicet trigesimo: idq; propterea, quòd eorum corpora nimiò Solis ęstu exvrantur. In Britannia contrà senium anno CXX incohari: quòd corpora ob frigiditatem istarum regionum igneam in sese contineant naturam. Et corpora Aethiopum rariora esse, ꝙ relaxentur calore Solis. in septentrionalibus regionibus corpora densiora, ideóq; etiam viuaciora.

Plutarchi Parallela. id est historiarum Græcarum cum Romanis coniuncta recensio.



PLERIQVE existimant veteres rerum gestarum narrationes figmenta esse & fabulas, propterea quòd alienæ sunt à cõmuni opinione. Ego qui obseruassem posterioribus temporibus evenisse germana eorum quæ priscis temporibus perhiberentur cõtigisse, collegi cuivis antiquæ rei gestæ respõdentem recentiorem historiam, simúlq; autoribus nominatis exposui.

I. DATIS Persarum satrapes, exercitu trecentorum millium ad Marathonem Atticę planiciem adducto, positísq; castris, incolis bellum denunciauit. Athenienses spreta barbarorum multitudine, nouem millia hominum miserunt, ducibus Cynægiro, Polyzelo, Callimacho, Miltiade. Collatis signis cùm pugnaretur, Polyzelus aliquid humana conditione augustius conspicatus, est luminibus captus. Callimachus multis transfixus hastis, etiam mortuus stetit. Cynægiro, dum Persicam nauim receptui se dantem retinet, manus sunt amputatæ.

ASDRVBAL rex Sicilia occupata, bellum Romanis indixit. Metellus à senatu bello gerendo præfectus, vicit. in prœlio L. Glauco patricius, dum nauim Asdrubalis detinet, vtranq; amisit manum. Narrat hoc Aristides Milesius, primo libro rerum Sicularum: à quo desumtum hoc argumentum Diodorus Siculus tractauit.

II. XERXES IↃↃↃↃↃ hominum exercitu instructus ad Artemisium appulit, eiúsq; regionis incolas tum hostilia abs se exspectare iussit. Athenienses conturbatis animis, Agesilaum Themistoclis filium misere exploratum, quanquam pater eius Neocles in somnis vidisset illum ambabus truncatum manibus. Is Agesilaus vbi pervenit habitu Persico ad barbaros, Mardonium quendam de regis stipatoribus, Xerxem ratus esse, interfecit: comprehensúsq; à circumstantibus, vinctus ad regem est adductus. Boue tũ litaturus erat rex ad aram Solis. Ibi Agesilaus igni in ara excitato dextrã imposuit manum, cruciatúmq; absq; vllo pertulit gemitu. vinculis proinde solutus, dixit: Tales sunt omnes Athenienses: quod si non credis, etiam sinistram imposuero. Xerxes metu cõcepto, in custodia eum iussit adseruari. Narratio est Agatharchidæ Samij, libro Persicarum rerum secundo.

PORSENA Etruscorum rex trans Tiberim positis castris Romanos oppugnabat, cõmeatúq; intercepto fame eos vrgebat. Inopia cõsilij tũ laborante senatu, MVCIVS de viris illustribus vnus, quadringentis consulum permissu assumtis ęqualibus, habitu priuati hominis indutus amnem transiit: cúmq; satellitem regis videret militibus necessaria distribuere, regem ipsum esse ratus interfecit. Adductus deinde ad regẽ, igni, vt erat ibi paratus, dextram imposuit manum, doloribúsq; animosè toleratis subridẽs: Soluar, inqt, Barbare, etiam te invito. scito enim in castris CCCC esse qui te ad necem quærunt. Territus Porsena pacem cum Romanis fecit. Refert Aristides Milesius tertio historiarum libro.

III. ARGIVIS & Lacedæmoniis de agro Thyreatico altercãtibus, Amphictyones pugna vtrinq; lectorũ hominũ rem decernendã censuerũt, victoriq; agrũ detulerũt istum. Lacedęmonij à sua parte OTHRYADEM summę rei, Argiui THERSANDRVM pręfecerunt. Prœlio de Argiuis duo supstites fuerũt Agenor & Chromius, qui de victoria ciuib. nunciũ attulerunt. Facta aũt quiete, Othryades etiamnũ viuens, fultúsq; hastilib. semifractis, mortuorũ scuta abstulit, trophæũ erexit, suóq; sanguine id Ioui trophæorũ tutori inscripsit. Integrata lite Amphictyones in rẽ præsentẽ venerunt, litémq; secundũ Lacedæmonios dederunt. Sic Chrysermus libro tertio rerũ Peloponnesiacarum.

Stratagema.

ROMANI bello Samnitico ducem exercitus creauerunt Postumium Albinum. Is in angustiis, quæ Caudinæ furcæ dicunt, circumventus hostium insidiis tres legiones perdidit, & ipse vulnere graui accepto cecidit. Intempesta nocte, iamiam moriturus, hostibus occisis scuta ademit, trophæum statuit, manúq; in sanguinem intincta inscripsit, Ioui trophæorum vindici de Samnitibus Romani posuerunt. Fabius autem Gurges cognomento missus cum copiis, vt ad locum venit, viso trophæo omen arripuit, commissóq; prœlio vicit hostes, regémq; eorum captum Romam misit. Ex Aristidis Milesij Italicorum tertio.

Cùm

Cùm Persæ in Græciam adduxissent I ↄ ↄ ↄ ↄ ↄ hominũ exercitum, missus est Leonidas à Spartanis, cum C C C militibus. Is ingruente prandentibus barbarorum multitudine, iis conspectis dixit ad suos: sic prandete, vt cœnaturi apud inferos. factóque in barbaros impetu, multis confixus hastis in ipsum Xerxem contendit, eique diadema avellit. Mortui cor barbarus secans, hirsutum reperit. Aristides primo Persicarum rerum. IV.

ROMANI bello punico trecentos miserunt, duce Fabio Maximo. Is conserta pugna omnes amisit: ipse lethali affectus vulnere in Annibalem irruit, diadema ei detraxit, cúmq; eo mortuus est. Ita Aristides Milesius.

Ad Celænas Phrygiæ vrbem hiatu terræ cum aquæ illuuie orto, multæ domus vnà cum habitatoribus in profundum abreptæ sunt. Midas autem rex oraculo accepto, si preciosissimum iniiceret, fore vt hiatus coiret, auro argentóque iniectis nihil profecit. ANCHVRVS autem Midæ F. cogitans preciosius anima humana esse nihil in vita, amplexu dato genitori & vxori suæ Timotheæ, eques in hiatum sese deiecit. Cùm autem in se coiuisset terra, auream Midas eo in loco posuit aram, eámq; manu tangens Ioui Idæo consecrauit. Hæc ara circa id tempus, quo hiare terra solebat olim, lapidea fit: stato isto tempore elapso, aurea visitur. Autor Callisthenes libro transformationum secundo. V.

PER medium forum fluens Tiberis ob iram Iouis Tarsij, ingentem aperuit hiatum, multásq; absorpsit domos. Oraculo moniti finem fore, si preciosam rem iniicerent, aurum & argentum iniecerunt. Sed CVRTIVS vnus de primariis iuuenibus sententia oraculi intellecta, animámq; istis præstantiorẽ sentiens, eques seipsum in hiatum immisit, suósq; calamitate soluit. Aristides XL Italicorum.

Ducibus qui cum Polynice erant convivantibus, aquila devolans hastam AMPHIARAI raptam in sublime advexit, inde dimisit. ea terræ infixa, in laurum est mutata. Postridie bellum cùm gereretur, eo loco Amphiaraus vnà cum curru terra haustus est, vbi Harma vrbs nunc est à curru sic dicta. Sic Trisimachus lib. tertio de conditis vrbibus. VI.

ROMANIS bellũ adversus Pyrrhum Epirotam gerentibus, oraculo victoria promissa est Aemilio Paulo, si aram posuisset eo loco, quo videret virum illustrẽ aliquem vnà cum curru hiatu terræ hauriri. Triduò pòst VALERIVS Conatus, homo diuinus, per somnium iussus vestem pontificiam sumsit, & in aciem suos eduxit, ac magna hostium cæde edita à terra absorptus est. Aemilius aram statuit, victoriáq; potitus CLX turrigeros elephantos Romam misit. Ara ista vaticinatur sub id tempus, quo Pyrrhus est victus. Scribit hoc Critolaus tertio Epiroticarum rerum libro.

PYRAECHMES Euboënsium rex bellum in Bœotos gessit. Hunc Hercules etiamnum adolescens vicit, pullisq; equi alligatũ in duas partes discerpsit, insepultúmq; abiecit. Locus pulli Pyræchmæ dicitur. situs est ad flumẽ Herculeum, & hinnitum equis bibentibus edit. vt scriptum est libro de fluminibus tertio. VII.

TVLLVS Hostilius Romanorum rex bellum gessit contra Albanos, quorum rex erat Metius Fufetius, ac prœlium sæpius distulit. Semel victo eo Albani se ad conuiuia dederunt. quos Tullus vino captos adortus, regem eorum duobus pullis equinis alligatum discerpsit. Alexarchus quarto Italicorum.

PHILIPPVS Olynthum & Methonem oppugnaturus, dum traiicere Sandanum fluuium vi contendit, sagitta ictus est ab ASTERE Olynthio, qui & dixit, IIX.

Aster lethale Philippo mittit spiculum.

Philippus retrò ad suos natando evasit, amisso ex eo vulnere oculo. Callisthenes tertio Macedonicorum.

PORSENA Etruriæ rex positis trans Tiberim castris bellũ Romanis intulit, interceptáq; cõmeatus subvectione, fame eos pressit. Horatius autem COCLES dux creatus sublicium occupauit pontem, hostésq; transire volentes inhibuit: multitudinéque eorum superatus, suis mandauit vt põtem rescinderet, hostiúmq; turbam transitu prohibuit. sagitta autem oculum ictus in amnem sese abiecit, & ad suos tranauit. Theotimus secundo rerum Italicarum.

FABVLA de Icario, cuius hospitio Bacchus est vsus, ab Eratosthene in Erigona refertur. SATVRNVS apud agricolam diversans, filiam eius Entoriam insigni forma compressit, & filios ex ea genuit Ianum, Hymnum, Faustum, Felicem. Cum autem IX.

vini vsum & vitis cultum tradidisset Icario hospiti suo, mandauit vt eo vicinos quoq; impertiret. Quod cum factum esset, vicini insolito potu in grauiorem consueto delapsi somnum, putauerunt sibi venenum esse propinatum, lapidibúsq; Icarium obruerūt. filiæ filij præ mœrore seipsos suspenderunt. Cum autem Romam pestilentia invasisset, respondit Apollo Pithius finem mali fore, si Saturni iram placassent, & genios iniustè occisorum. Itaq; Lutatius Catulus vnus de principibus viris, Saturno templum prope Tarpeium montem condidit, arámq; in eo collocauit quatuor habētem facies: siue ob nepotes Icarij, siue quòd anni partes sunt quatuor. mensem quoq; Ianuariū statuit. Saturnus autem vniuersos in sidera retulit: quorum alij Protrygeteres vocantur, quasi vindemiam antecedentes, Ianus autem prior oriens cernitur stella ante pedes Virginis. Critolaus libro quarto eorum quæ in cœlo visuntur.

X. PERSIS Græciam populātibus Pausanias Lacedæmoniorum dux acceptis à Xerxe IↃ talentis voluit Spartam prodere. Re comperta, pater Agesilaus eum vsque ad fanum Mineruæ Chalciœci persecutus est, obthuratísq; fani foribus latere cocto, fame necauit. mater etiam insepultum abiecit. Chrysermus historiarum secundo libro.

Seueritas parētum in liberos.

ROMANI bello Latino P. Decium imperatorem designauerunt. Quidam autem patricius iuuenis pauper, nomine Cassius Brutus, hostibus pro certa mercede portas aperire instituit: depræhensúsq; ad templum Mineruæ auxiliariæ confugit. Pater autē eius Cassius Signifer ibi eum inclusit, faméq; interemtum inhumatum abiecit. Cletonymus in Italicis.

XI. DARIVS Persa prœlio congressus cum Alexandro ad Granicum, amissis septem satrapis, ac falcatis curribus IↃII, postridie instaurare pugnam volebat. Ariobarzanes autem filius eius, vt qui Alexandro faueret, promisit ei, se patrem ipsi proditurum. Pater autem indignitate rei commotus, filio ceruices præcidit. Aretades Cnidius tertio Macedonicarum rerum.

BRVTVS ab vniuersis ciuibus consul creatus, Tarquinium Superbum, qui tyrānicè se gesserat, in exsulium egit. Is ad Etruscos confugit, eorúmq; opera Romanis bellum fecit. * filij patrem prodere voluerunt, réq; detecta securi sunt percussi. Aristides Milesius Italicis.

XII. EPAMINONDAS Thebanorum dux bellum contra Spartanos gerens, ad comitia in vrbem est profectus, cùm priùs iniūxisset hoc Stesimbroto filio suo, ne cum hoste confligeret. Spartani eius absentia cognita, iuueni timiditatem exprobrauerūt. q̃d ille indignè ferens, oblitus paterni mandati pugnam cōseruit & vicit. Pater autem iratus ei coronato collum abscidit. Ctesiphon tertio libro rerum Bœoticarum.

ROMANI bello adversus Samnitas præfecerunt Manlium Imperiosum cognomento. Is cùm ad comitia creandis consulibus indicta Romam proficisceretur, filio mandauit ne pugnam cōmitteret. Samnitæ re percepta, conviciis iuuenem iritauerūt, & ad prœlium elicuerunt. Ex eo is victor discessit: pater autem eum securi percussit. vt narrat Aristides Milesius.

XIII. HERCVLES Iolæ coniugium petens, passus repulsam oppugnauit Oechaliam: Iole se de muro præcipitem dedit: casu autem vestem vento sinuante nihil mali passa est. Refert Nicias Maleotes.

ROMANI bello in Etruscos ducem præfecerunt Valerium Torquatum. is cùm vidisset filiam regis Tuscorum Clusiam, eam petiit: cúmq; non impetraret, vrbem obsedit. Clusia de turri seipsam deiecit. veste autem sinuata (curauerat hoc Venus) incolumis ad terram delata est. cui cum vitium Torquatus obtulisset, ob isthæc facta cōmuni Romanorum decreto deportatus est in Corsicam, quę est insula ante Italiam. Theophilus Italicorum tertio.

XIV. CVM Pœni societatem cum Siculis adversus Romanos machinarentur, Metellus Romanorum dux soli Vestæ rem sacram nō fecit: ea ventum classi adversum immisit. C. autem Iulius aruspex cessaturum edixit, si filiam suam dux immolasset. Coactus itaque hic filiam Metellam produxit mactatum. Vesta eius miserta, buculam eius in locum submisit, ipsámq; * Lamusium detulit, & draconis qui ibi colitur antistitam fecit. Sic Pythocles tertio Italicorum.

** Fortè Lanuuium*

AVLIDE, quæ est Bœotiæ vrbs, simile quippiā Iphigeniæ accidisse, Meryllus scribit primo Bœoticorum.

XV. BRENNVS Gallorum rex Asiam vastans ad Ephesum venit, ibíq; puellam plebeiā adamauit. ea se corporis sui vsurā ipsi concessurā, Ephesúmq; traditurā pollicita est, pa-

Proditionis & auaritiæ exitus. cta mercedis loco armillas & mundum muliebrem. Brennus militibus mandauit, vt quidquid auri haberent, id in sinum auaræ conîicerent. itáque illa multitudine auri obruta periit. Tradit hoc Clitophon primo libro rerum Gallicarum.

TARPEIA vna de nobilibus virginibus Capitolij custos, bello Sabinorum contra Romanos, Tatio promisit, se aditum ei in montem Tarpeium patefacturum, si monilia mercedis loco acciperet quæ Sabini gestabant. Sabini hoc sentientes, viuam eam monilibus obruerunt. Aristides Milesius in Italicis.

XVI. Cùm diuturnum fuisset inter Tegeatas ac Pheneatas bellum, placuit vtrinq; mitti fratres tergeminos, qui de summa rei decernerent. Tegeatæ Reximachi, Pheneatæ Damostrati filios delegerunt. Conserta pugna, duo de filiis Reximachi ceciderunt. Tertius Critolaus calliditate duos fratres hostes vicit. simulata enim fuga eos dii invicem divulsi insequuntur interfecit. Redeunti cum omnes gratularentur victori, sola soror eius Demodice gaudio abstinuit, ob interfectum ea pugna à fratre Demoticum, cui desponsa fuerat. Quod indignè ferens Critolaus, sororem trucidauit: cædísque postulatus, à matre absolutus est. Demaratus Arcadicorum secundo.

ROMANI & Albani bello conflato, tergeminis rem decernendam permiserunt, Albani Curiatiis, Romani Horatiis. Vt ventum est ad conflictum, Curiatij duos de Horatiis obtruncauerunt. Tertius superstes simulatæ fugæ auxilio Curiatios singulos insequentes trucidauit. Gaudentibus omnibus sola victori non est gratulata soror Horatia, cuius sponsum Curiatium frater necasset. ab eóq; ipsa est interemta. Aristides Milesius in rerum Italicarum commentario.

XVII. APVD Ilium ardente templo Mineruæ, Ilus accurrens cœlo delapsum Palladium eripuit, ac captus est luminibus, quòd illud videri à viro nefas erat. Postmodò tamen placato numine visum recepit. Hoc Dercyllus libro primo de conditis locis.

METELLVS vir primarius in suburbium pergens à coruis retentus fuit alis eum plangentibus. Eo ostẽto territus in Vrbem rediit: cúmq; videret Vestæ ædem flagrare, Palladio inde rapto excæcatus est: posteáq; temporis expiata ira numinis visum oculorum recuperauit. Aristides Milesius Italicis.

XVIII. THRACIBVS, cùm bellum adversus Athenienses gererent, oraculum victoriam promiserat, si Codro parcerent. Ille autem vili amictu ad hostes venit, falcem gerens, & vno interfecto occisus ab alio est: itáq; vicerũt Athenienses. Socrates autor, libro Thracicarum rerum secundo.

P. DECIVS Romanus contra Albanos belligerans per quietem imaginatus est, se sua morte Romanis vires additurum. Itaque in medios hostes irruit, multísq; occisis interfectus est. Eodem modo filius eius Decius bello Gallico rem Romanã conseruauit. autor Aristides Milesius.

XIX. *Ebrietas.* CYANIPPVS Syracusanus cum diis sacrificaret, solum Bacchum præteriit. Iratus deus ebrietatem ei immisit, per quam in obscuro loco filiam Cyanem compressit. ea patris digito detractum annulum nutrici adseruandum tradidit, agnitionis argumento futurum. Peste oborta, cum Apollo Pythius respondisset incestum hominem esse diis auerruncatoribus malorum immolandum, Cyane sensum oraculi alios fallentem percipiens, crinibus arreptum patrem protraxit, ac eum, séq; insuper ipsam iugulauit. Dositheus tertio rerum Sicularum.

ROMAE cùm celebrarẽtur Liberalia, Aruntius, qui ab ortu suo fuerat abstemius, vim Liberi patris despicatui habuit. A quo in ebrietatem coniectus, filiæ suę Medullinæ virginitatẽ per vim eripuit. Ea ex annulo violatorẽ agnoscens, maius ætate sua meditata facinus patrẽ inebriauit ac coronauit, adductúmq; ad arã Fulminis, illacrymãs interfecit eum qui suæ virginitati insidias struxerat. Aristides tertio Italicorum.

XX. ERECHTHEVS bellum contra Eumolpum gerens, doctus victorem se fore si filiam loco victimæ immolasset, re cum vxore Praxithea communicata, filiam hostię in morem mactauit. Meminit Euripides Erechtheo.

VICTVS bello Cimbrico Marius, somnio monitus est victorem se fore, si filiam suam Calpurniam immolaret. Fecit hoc ille, ciuium saluti naturæ vinculo posthabito, ac vicit. atq; etiamnum duæ sunt in Germania aræ, quæ sub id tempus sonum tubarum edunt. Dorotheus quarto Italicorum.

XXI. CYANIPPVS genere Thessalus identidem venatum exibat. Vxor eius, quam recens duxerat, eum cum alia muliere consuescere suspicata, quod sæpenumero in syl-

Zelotypiæ exitus. uis maneret, vestigia mariti secuta in quodam loco arboribus consito delituit, euentúmque præstolata est. Ramis autem agitatis, canes feram esse rati impetum fecerũt, mulierémq; mariti amantem instar brutæ bestiæ dilaniauerunt. Cyanippus insperatæ rei spectaculo oblato seipsum iugulauit. Autor Parthenius poëta.

SYBARI, quæ Italiæ vrbs est, Aemilius raræ formæ iuuenis, deditus erat venationibus. Mulier, cum qua nuper nuptias peregerat, cum alia rem ei femina esse opinata, nemus intrauit. ramis autem agitatis canes accurrerunt, eámq; discerpserunt. Maritus super ea clade sese confodit. Cletonymus secundo Sybariticorum.

XXII. *Incesti exẽpla.* SMYRNA (quam Myrrham Latini vsurpant) ob iram Veneris Cinyram patrem deperiit, & amoris tormentum nutrici aperuit. Hæc dominum astu subiuit, narrans in vicinia virginem esse, quæ ipsum adamaret, palàm aũt adire prę pudore non posset. ita pater cum filia ignota concubuit. quodam verò tempore cernere amasiam cupiẽs, lumen poposcit. & filiam agnoscens, stricto ense incestam secutus est. illa Veneris providentia in arborem myrrham mutata est. Theodorus in transformationibus.

VALERIA Tusculanaria propter iram Veneris amore patris Valerij correpta, rem cum nutrice communicauit. hæc fraude dominum ad filiæ concubitum induxit, à virgine eum deperiri inquiens vicina, & quæ cum ipso vereatur concũbere si agnoscatur. Pater cum filia congressus, per ebrietatem lucernam postulauit. nutrix Valeriam excitare occupauit. quæ profuga cum ruri degeret, vterúmq; gereret, aliquando deiecta est per præcipitium, incolumis tamen, saluo etiam fetu, quem suo tempore peperit, nomine Syluanum. (Græci Aegipanem vocant.) Valerius præ mœrore de eodem se præcipitio deiecit. Aristides Milesius tertio Italicorum.

XXIII. POST Ilij excidium Diomedes in Africam maris fluctibus eiectus est. Regnabat ibi Lycus Martis F. qui peregrinos de more patri immolabat. Sed filia huius Calliroë *Filiæ patres produnt.* Diomedis amore capta, patrem prodidit, Diomedémq; vinculis exsoluit. Hic beneficatricis nulla habita ratione auectus cùm esset, Calliroë fune sibi mortem consciuit. Ex Iubæ tertio Libycorum.

CALPVRNIVS Crassus vir illustris Reguli legatus, in Massylos missus vt Garætium castellum superatu difficile oppugnaret, captus fuit. cúmq; esset Saturno immolandus, Bysatia regis filia adamans eum victorem prodito patre fecit, ac seipsam ob ipsius discessum iugulauit. Hegesianax tertio rerum Africarum.

XXIV. PRIAMVS Polydorum in Thraciam exposuit cum auro apud Polymestorem affinem, cùm iam excidium Ilio impenderet. Polymestor Troia capta Polydorum necauit, *Auaricia.* vt auro potiretur ipse. Hecuba eò loci delata, astu eam circumvenit vt aurum datura, captiuísque adiuuantibus oculos ei manibus eruit. Euripides tragœdiæ scriptor hoc perhibet.

ANNIBALE res Campanorum agente & ferente, L. Thymbris Rustium filium vnà cum pecunia deposuit apud Valerium Gestium necessarium suum. Hic cum hostem rebus potiri intellexisset, præ cupiditate pecuniæ naturæ iura violans, puerum interfecit. Thymbris iter per agros faciens, reperto filij cadauere necessarium istum suum ad se vocauit, thesauros ei se ostensurum prætendens: nactúsq; hominem oculis priuauit, ac in crucem sustulit. Aristides tertio Italicorum.

XXV. *Fratricidia.* PHOCVM Aeaci è Psamathe filium, dilectúmq; patri Telamon eduxit venatum: apróq; oblato hastam in fratrem quem oderat contorsit, eúmque interfecit. Pater exsulio mulctauit Telamonem. Scribit hoc Dorotheus primo transformationum libro.

* C. MAXIMVS cum filios haberet Similium & Resum, hunc quidem ex Ameria, Cononem cognomento: hic in venatione fratrem interfecit, domúmq; reversus fortuitò, non consultò rem ita confectam dixit. Pater verò eum re comperta vt erat, extorrem egit. Aristocles tertio rerum Italicarum.

XXVI. MARS ex Althæa Meleagrum procreauit * ex Euripidis Meleagro.

* SEPTIMIVS Marcellus ducta in vxorem Syluia, plerunq; venationibus operam dabat. Nouam autem vxorem Mars sub pastoris specie stuprauit vi, atq; fetu impleuit. fassúsq; quis esset, stipitem dedit, in quo futuræ prolis fatum contineri diceret. Interfecit autem Septimius Tuscinum. Mamercus autem cùm fertilitatis telluris gratia diis sacrificaret, solam neglexit Cererem. ea aprum ipsi immisit. Hunc is aprum multis collectis venatoribus interfecit, capútq; & pellem desponsæ sibi feminæ tradidit: Scimbrates autem & Muthias auunculi ea virgini ademerunt. quos cum ille iritatus truci-

trucidasset, mater stipitem cremauit. Sic Merylus tertio Italicorum.

TELAMON Aeaci & Endeidis F. in Eubœam cum venisset, Peribœam Alcathoi XXVII.
filiam vitiauit, noctúq; fugit. Pater sentiens hoc, & factum ab aliquo ciuium suspi-
catus, filiam cuidam satellitum in mare abiiciendam mandauit. qui motus miseratio-
ne, eam vendidit. cúmq; mulier esset ad insulam Salaminam naui advecta, Telamon
eam emit. peperit autem Aiacem. Reperies historiam hanc apud Aretadem Cni-
dium libro de insulis secundo.

L. TROSCIUS filiam habuit ex Patride Florentiam, cuius cùm à Calpurnio Ro-
mano pudicicia esset imminuta, satelles, cui propterea in mare demergendam pater
tradiderat, eam misericordia adductus vendidit. naui autem bona fortuna ad Italiam
applicata, Calpurnius Florentiam emit, ex eáq; Contruscum sustulit.

AEOLUS Etruriæ & vicinorum locorum rex ex Amphithea filias sex, totidémq; XXIIX.
filios habuit. Horum minimus natu Macareus cum sororum vna corpus miscuit. ea *Incestus.*
cùm puerulum peperisset, misso à patre ad prolem necandam ense, impium hoc rata,
interfecit seipsam. Idem fecit Macareus. Adductum ex Sostrati libro rerum Etru-
scarum secundo.

PAPIRIUS Tolucer ducta in vxorem Iulia Pulcra, sex filios, totidémq; filias pro-
genuit. filiorum natu maximus Papirius Romanus Canuliam sororem amore victus
grauidam fecit. pater re cognita, gladium filiæ misit. ea se confodit. idémq; fecit Ro-
manus. Historia est apud Chrysippum primo Italicarum rerum.

ARISTONYMUS Ephesius filius Demostrati mulieres exosus asinam iniit: quæ XXIX.
suo tempore filiam peperit formosissimam, Onoscelin nomine, quod sonat Asininis
cruribus præditam. Ab Aristotelis libro paradoxorum secundo.

FULVIUS Stellus à mulieribus animo alieno cum equa rem habuit. ea suo tempo-
re filiam edidit perpulcram, cui pater Eponæ nomen indidit. atq; hęc dea est equorum
procurationem gerens. Agesilaus tertio Italicorum.

SARDIANI bello cum Smyrnæis contracto, Smyrnam obsederunt, missísq; lega- XXX.
tis denunciarunt se non antè obsidionem soluturos, quàm suarum vxorum copiam i-
psis Smyrnæi fecissent. Malè tum cum Smyrnæis actum fuisset, necessitate circum-
ventis, nisi quædam formosa ancilla ad dominum suum Philarchum accurrens subie-
cisset hoc consilij, ancillas ornatas loco liberarum esse mittendas. Quod cùm exse-
cuti essent Smyrnæi, hostes ab ancillis defatigati, in potestatem Smyrnæorum
venerunt. Itaq; hodiéq; Eleutheria festiuitas, quasi liberarum diceres, apud Smyr-
næos celebratur, in qua seruæ liberarum ornatu decoratæ incedunt. Dositheus ter-
tio Lydiacorum.

ATEPOMARUS Gallorum rex bello Romanos infestans, professus est non antè XXXI.
se recessurum, quàm Romani suas vxores Gallis cognoscendas misissent. Romani
consilio ancillarum obsecuti, has pro liberis miserunt: & barbari nimio rei Venereæ
abvsu fatigati in somnum sunt soluti. Retana (ea princeps consilij fuerat) caprifico
cõscensa in murũ evadit, rémq; cõsulibus indicat. Ita Romani facta eruptione vicerũt.
atq; hinc festus ancillarum dies sumsit initium. Aristides Milesius autor, primo I-
talicorum.

Bello Atheniensium contra Eumolpum, cum nõ sufficeret commeatus, Pyrander XXXI.
publicus quæstor parcè annonam administrans, aliquid de mensura deminuit. Ci-
ues eum proditionis ideò insimulantes, lapidibus obruerunt. Callisthenes tertio
Thracicorum.

ROMANIS bellum contra Gallos gerentibus, & rebus ad victum quæ pertinent
non suppeditantibus, Cinna mensuram, qua populo solebant frumentũ dimetiri, con
traxit. estque propterea à ciuibus, quasi regnum si affectaret, lapidibus obrutus. A-
ristides III Italicorum.

Bello Peloponnesiaco durante Pisistatus Orchomenius infensus nobilitati, tenui- XXXII.
bus fauebat. Itaq; senatus eum per insidias necauit, discerptúmq; in frusta in sinubus
egesserunt, erasa (ne vestigia cædis apparerent) terra. Plebeia autem turba suspicio-
ne facti concitata ad curiam concursum vt fecit, Tlesimachus iunior regis filius, con-
iurationis conscius, multitudinem avertit, quòd diceret à se cõspectum patrem suum,
qui forma quàm humana est augustiore ad Pisæũ mõtem se proriperet. itáq; deceptus
est populus. Theophilus secundo Peloponnesiacorum.

PROPTER bella cum vicinis gesta senatus Romanus frumenti in populū dimensionem sustulerat: quod Romulus ægrè ferens populo restituit, multis potentiorum multatis. Itaq; à primariis est in senatu occisus, frustáque discerpti in sinubus egesta. Romani autem cum igni ad curiam concursum fecerunt: crematuri, nisi Iulius Proculus vnus de procerum numero dixisset, visum abs se in monte Romulum, quovis homine ampliorem, ac deum factum. quod credidere Romani, & se receperunt. Aristobulus tertio rerum Italicarum.

XXXIII. PELOPS Tantali & Euryanassæ F. ducta Hippodamea filios procreauit Atreum ac Thyestam. & è Danaide nympha Chrysippum, quē & maiore atq; genuinos amore est prosecutus. Laius autem Thebanus cupiditate impulsus Chrysippum rapuit, compræhēsusq; ab Atreo & Thyesta, à Pelope dignatus est venia, quòd amor raptionis causa fuisset. Hippodamia verò Atreo & Thyestæ hortatrix fuit, vt interficerent Chrysippum, sciens eum inhiaturum regno. cùmq; id detrectarēt, ipsa flagitio manus admouit, ac nocte intempesta, dum Laius dormiret, stricto eius gladio Chrysippum sauciauit, gladio in eum defixo. Laius cum in necis suspicionem venisset propter gladiū, liberatus ab ipso est Chrysippo, qui semimortuus iam veritati tulit testimonium. Pelops filio sepulto, Hippodameam solum vertere coëgit. Dositheus in Pelopidis.

Nouercalia.

EBIVS Toli ex duos filios ex vxore Nuceria sustulit, aliúmque forma eximia Firmum è liberta, quem legitimis habuit cariorem. Nuceria, quæ in priuignum animo esset infenso, filios hortata est vt Firmum interficerent. quod cùm illi piè recusassent, ipsa cædem peregit, ac noctu eius, cui Firmi corporis custodia erat mandata, mucrone stricto lethale vulnus priuigno intulit, inq; eo pugionem reliquit. puer custodem suum suspicione liberauit, re vt acta erat explicata. Ebius sepulto filio, vxorem extorrem egit. Dositheus tertio Italicorum.

XXXIV. THESEVS verè Neptuni F. suscepto filio Hippolyto ex Amazone Hippolyta, ei superinduxit nouercam Phædram Minois filiam. quæ priuignum deperire orsa, ad incestum per nutricem internunciam solicitauit. ille relictis Athenis Trœzenem se contulit, ibiq; venando incubuit. Impura autem ista cùm spe sua decidisset, mendacibus de casto priuigno exaratis litteris, vitam laqueo finiit. Theseus fidem litteris habens, à Neptuno petiit, vt Hippolytum perderet. nam ab eo ius trium votorum habebat. Neptunus Hippolyto ad oram maris currum agitanti taurū immisit, quo territi equi Hippolytum contriuerunt.

COMMINIVS Super Laurentinus ex Aegeria nympha filiū sustulit Comminium. Gidicam deinde nouercam ei superinduxit. quæ cùm deperiret priuignum, & repulsam esset passa, suspendio sese vita exuit, calumniosis post se relictis litteris. Comminius cognitis criminibus, fidémq; habens obtrectationi, Neptunum invocauit. Is puero curru vehenti obiecit taurum, quo cōsternati equi eum raptando perdiderunt. Dositheus tertio Italicarum rerum.

XXXV. Pestilentia Lacedæmonem vrgente, diuinitus significatum est cessaturam luem, si pro more generosam immolarent virginem. Helena autem cum esset aliquando sorte ducta, & ornata produceretur, aquila devolans gladium abripuit, & in armentum deferens buculæ imposuit. quo factum est vt cæde virginis abstineretur. Aristodemus tertia congerie fabularum.

Victimæ humanæ.

FALERIIS grassante peste, oraculo indicatum est finem fore mali, si quotannis Iunoni virgine litarent. Ea superstitio cùm perduraret, sorte lecta victimæ loco Valeria Luperca, strictum ab ea gladium rapuit aquila, depositóque in ea quæ comburenda igni erant bacillo, cui exiguus erat præfixus malleus, gladium iniecit buculæ cuidam propter templum pascenti. Id intelligens virgo, bucula mactata rem sacram fecit, sublatoq; malleo secundum domos circumiuit, leniq; ictu excitauit ægrotantes, Valere vnicuiq; dicens. Atq; hinc est, quòd illa sacra in hunc vsq; diem peraguntur. Aristides XIX libro Italicorum.

XXXVI. PHILONOME Nyctimi & Arcadiæ filia, venatum cùm Diana solebat proficisci. Illam Mars pastoris sumta forma vitiauit, ac fetu impleuit. Geminos cùm partu edidisset, patris metu in Erymanthum eos abiecit: ij fatali quodam prouidentiæ decreto incolumes delapsi sunt in excauatam quercum. Lupa autem, quæ ibi suum habebat lustrum, suis catulis in fluuium abiectis, mammam infantibus præbuit. Tyliphus pastor, qui suis istud vidisset oculis, sustulit pueros, ac pro suis educauit, nominatos Lycastum

A feris nutriti.

castum & Parrasium, qui & in regnum Arcadiæ successerunt. Ita sanè refert Zopyrus Byzantius libro historiarum tertio.

AMVLIVS fratrem Numitorem tyrannicè tractans, filium eius Aenitum in venatione interfecit: & filiam Syluiam Iuliam Iunonis sacerdotem fecit. Hanc Mars prægnantem reddidit. cúmque gemellos partu edidisset, tyranno veritatem ipsa confessa est. Is in metum venit, proiecitque vtrunque ad ripam Tiberis. amne autem devecti sunt ad locum, vbi lupa catulos alebat. Lupa his abiectis nutriuit infantes. Faustus, qui spectandæ rei intervenerat, pueros educauit, Remi & Romuli nominibus impositis. Hi sunt qui Romam condiderunt. Narratio est Aristidæ in Italicis.

XXXVII. *Matricidæ.*

Post Ilij excidium Agamemno cum Casandra interfectus est. Orestes autem apud Strophium educatus, necem patris vltus est. Pyrander IV. Peloponnesiacorum.

FABIVS FABRICIANVS, MAXIMI cognatus, diripiens Tuxium principem Samnitium vrbem, Venerem Victricem, quæ apud illos colebatur, Romam misit. Huius vxor Fabia stuprata à formoso quodam iuuene Petronio Valentino, maritum dolo interfecit. * Fabia autem fratrem Fabricianum etiamnum infantem periculo eripuit, & aliò furtim educandum misit. is adultus matrem adulterúmque occidit, éstque senatus sententia absolutus. Dositheus tertio Italicorum.

XXXVIII.

BVSIRIS Neptuni & Anippæ Nilo genitæ F. prætereuntes simulata hospitalitate exceptos mactabat. Sed in eum mactatorum vltio vindicauit. Hercules enim insidias sentiens claua eum peremit. Ex Agathone Samio.

Inhospitales.

HERCVLES Geryonis boues per Italiam agens, hospitio vsus est Fauni regis, qui Mercurij fuit filius, ac patri immolare hospites solebat: is aggressus Herculem, ab ipso est trucidatus. Dercyllus tertio Italicorum.

XXXIX. *Malum inventũ inventori pessimum.*

PHALARIS Agrigentinorum tyrannus crudelis, hospites torquebat & excruciabat. Perillus faber ærarius æream buculam confecit, tyrannóque obtulit, vt in ea peregrinos viuos cremaret. Phalaris tum duntaxat iustus, ipsum iniecit. videbatur autem mugitum edere bucula. E secundo libro quæstionum siue causarum.

AEGESTAE, quæ Siciliæ vrbs est, sæuus quidam fuit tyrannus Aemilius Censorinus, donis eos afficiens, qui noua invenissent tormenta. Erat quidam Aruntius Paterculus, qui equum æreum fabricatus dono dedit tyranno, vt in eum coniiceret cruciandos. Tyrannus tunc primùm ius secutus, ipsum tormenti auctorem in equum cõiecit, vt quos aliis parauerat cruciatus, ipse primus experiretur. * eum cõprehensum de mõte Tarpeio deiecit. Et videntur qui crudeliter imperant, ab illo dicti Aemilij. Aristides quarto Italicorum.

XL.

EVENVS Martis & Steropes F. ex Alcippa vxore, Oenomai filia, progenuit filiã Marpissam, eámque virginem adseruauit. Idas autem Apharei F. ea rapta profugit. quem Euenus persequens cùm non adsequeretur, in Lycormam fluuium sese cõiecit, immortalísque est factus. Dositheus primo rerum Italicarum.

ANIVS Etruscorum rex cùm haberet filiam eleganti forma Saliam, virginem eam custodiuit. Cathetus autem primi nominis homo cùm ludentem eam vidisset, amore captus atque victus rapuit, Romámque abduxit. Pater insecutus cùm non cõsequeretur, in profluentem sese saltu dedit, qui ab eo est dictus Anio. Cathetus è Salia Latinum ac Salium procreauit, nobilissimarum autores prosapiarum. Hæc Aristides Milesius, & Alexander Polyhistor tertio Italicorum.

XLI.

HEGESTRATVS Ephesius ciuili nece perpetrata Delphos fugit, scitatúsque deum est vbinam locorum sedem poneret. Respondit Apollo, ibi vbi rusticos visurus esset choreas ducere frondibus oliuæ coronatos. Quod cùm ille in quadam Asiæ regione deprahendisset, vrbem ibi cõdidit, & ab oleis Eleuntem appellauit. Hoc invenies scriptum in tertio libro Pythoclis Samij de rebus rusticis.

TELEGONVS Vlissis è Circe F. missus ad indagandum patrem, monitus est vt ibi vrbem conderet, vbi serta gerentes agricolas saltare videret. cúmque in quendam Italiæ locum venisset, offendit colonos ramis ilignis redimitos choreis vacare. itaque vrbem ibi condidit, & ab eventu Prinistum (est enim ilex Græcis prinos) nominauit. Romani eam vrbem voce detorta Prèneste appellant. Sic commemorat Aristocles libro rerum Italicarum tertio.

COMPENDIVM commentarij, quo ostenditur Stoicos quàm poetas absurdiora dicere.



EPRAEHENSVS fuit Pindarus, quòd Cæneum parum probabiliter finxisset ferro inviolabilem, & corpore quod lædi non posset, terram subiisse nullo accepto vulnere, cùm

Recto pede scidisset solum.

At Stoicorum iste Lapitha ex adamantina vacuitatis omnium perpessionum conflatus materia, non vulnerum duntaxat, morborum, dolorúmq; fingitur expers, sed & metu & mœsticia carere, insuperabilis manere, nullis cedere viribus: tum quidem, quando vulneratur, dolores patitur, torquetur, atq; adeò etiam in patriæ excidio, aliísq; id genus summis calamitatibus. Ac Pindari quidem Cæneus duntaxat ictus nullo cum vulnere excipit. Stoicorum sapiens inclusus non prohibetur, præcipitatus non patitur vim, in tormentis non cruciatur, si vratur non læditur, deiectus in palæstra tamen invictus manet, munitionibus circumventus non obsidetur, si vendatur ab hostibus capi nequit. adeóq; similis est earum nauium, quibus cum inscribatur prosper cursus, prouidentia seruans, commodum ministerium, eæ interim tempestatibus iactantur, colliduntur, evertuntur. *Heraclidis.* Euripideus Iolaus ex imbecilli & decrepito voti cuiusdam vi subitò iuuenis & ad pugnam validus redigitur. At Stoicorum sapiens heri erat infensissimus ac pessimus, hodie subitò mutatus est in virum bonum: atq; ex rugoso, pallido, & (vt ait Aeschylus)

Languente lumbos, conuulso doloribus
Silicernio misello — decorus, dei similis, forma eximia. *Odyss. ε, initio, & alibi.* Sanè Vlissi Minerua rugas, caluiciem & fœditatem adimit, vt pulcer videatur. Istorum sapiens non relinquente corpus senio, sed grauiùs etiam vrgente, molestiámq; alia molestia cumulante, curuus (si ita res tulerit) edentulus, vno oculo captus dũ manet, neq; turpis tamen est, neq; fœdo adspectu. Amor enim Stoicus, instar scarabeorũ, (qui perhibentur vnguento suauiter fragrante omisso, malè olentia sectari) cum turpissimis & fœdissimis versans, hos aversari, vbi sapientia eos formosos reddidit, docet. de Stoicorum sententia is qui manè fuit deterrimus, sub vesperam optimus est: & qui somno se dedit stolidus, ineptus, iniustus, luxuriosus, immò seruus, pauper, inops: ea ipse die surgit, rex, diues, beatúsq; factus, prætereáq; temperans, iustus, constans, opinionum vt quisquam maximè vacuus. non ille barba aut pubertate nata in adolescente & tenero corpore: sed in imbecilla teneráq; anima, adde effeminata & inconstãte, adeptus mẽtem perfectam, extremè probam prudentiam, affectionem diuinæ æqualem, scientiam ab omni opinione purgatam, habitúmq; qui labefactari nullo queat modo. non quòd pristinæ aliquid decesserit prauitati, sed repentè heros (vt sic dicam) aliquis, genius, aut deus è bestia factus pessima. Licet enim sumenti è Stoicorum schola virtutem dicere,

Optato quod vis, assequeris omnia.

virtus iis diuitias confert, regnum parat, fortunam conciliat, felices facit, nullius rei indigentes, totos ex se aptos, etiam si ne denarius quidem sit in patrimonio. Etenim poëticæ fabulæ rationi quod est consentaneum perpetuò retinentes, nusquam Herculem inducunt immunem necessitatum, sed ei ac familiaribus quasi è fonte quodam semper aliquid earum affundunt. At qui Stoicorum nactus est Amaltheam, is diues factus est, tametsi alimenta ab aliis emendicet: rex est, vtvt interim mercede conductus syllogismos soluat: omnia solus habet, quanquam & conductis precio habitet in ædibus, & farinam emat sæpe sumta mutuò pecunia, aut ab inopibus mẽdicando exigat. Mendicat quidem Ithacensium rex, vt quis sit latere possit, ideóq; se ipsum facit quàm maximè

Mendico similem misero. — At Stoica qui est à secta, alta contentáq; voce proclamans, Ego solus sum rex, ego solus sum diues, sæpenumero conspicitur apud alienas fores, dicens

Da pallium Hipponacti. nam rigeo gelu,
Tremórq; membra quassat. —

De

DE VNIVS in republica dominatione, populari statu, *& paucorum imperio.*

VAM heri vobiscum habui disputationem, ad vos disceptatum addu- cturus, visus sum mihi non per somnium, sed reipsa ciuilem virtutem dicere.

Nunc iacta fundamenta sacris
Aurea sunt equidem camœnis.

Hortatus & diuidens ad rempublicam explicandam proponi, si Attico quidem debitam doctrinam exhortationi superstruentes. debetur autem recepto exhortatio ad capessendam rempublicam. ex qua sumtis pręceptis, quantum humana fert conditio, vti lis in publicum sit, tutò simul & cum honore merito suas res rectè componens. Quod autem ad sequentia maximè conducit, & ab his pendet, quæ iam dicta sunt, id consideremus. nimirum quæ reipublicæ forma sit optima. Sicvt enim homo plures vitæ degendæ rationes habet propositas, ita & de formis reipublicæ, quę sunt quasi vita ciuitatis, deligere oportet optimam. hanc verò ciuilis homo aut ex omnibus formis deliget, aut si non possit eam, simillimam saltem eius præferet reliquis. * * *

Civilis ratio (sic enim politeam liceat exprimere) dicitur communicatio iuris quod in aliqua est republica. quomodo dicuntur Megarenses Alexandro ius ciuitatis decreuisse: cúmq; is studium ipsorum pro ridiculo haberet, respondisse ipsos, Nemini se hunc honorem vnquam nisi olim Herculi, nunc Alexandro habuisse. itáq; Alexandrum admiratum raritatem, quæ honorem secum traheret, boni æquíq; id decretum consuluisse. Vita quoque hominis ciuilis, & qui rem administrat publicam, politea dicitur. vt cum Periclis aut Biantis in gerenda republica occupationem (politeam) laudamus: Hyperboli & Cleonis vituperamus. Sunt qui vnicam illustrem & reipublicæ causa susceptam actionem, quæ scopum attigerit, politeam appellant: vt pecuniæ elargitionem in ciues, belli in pacem mutationem, decreti alicuius promulgationem. quomodo certos homines dicimus gessisse rempublicam, id est tractauisse politeam, si quid eorum confecerint, quæ optimo publico prosunt. Denique politea appellatur ordo & cōstitutio ciuitatis, ad quam diriguntur actiones. quo modo tres politeæ, id est formæ reipublicæ dicuntur: Monarchia, quæ vnius est dominatio: Oligarchia, quæ paucorum: Democratia, quæ penes populum summam gubernationis ponit. Has etiam Herodotus libro tertio inter se comparauit. videntúrque esse præcipuæ. reliquæ enim intentione aut remissione harum ortæ, vitia potiùs sunt & corruptelæ quàm formæ reipublicæ. quomodo in musico concentu modis seu tonis principibus nimium aut non satis contentis error incidit. Has principes formas potentissimæ gentes delegerunt. Persæ regnum cum mera potestate, nulli obnoxia iudicio. Spartani paucorum optimatum liberam dominationem. Athenienses legibus suis contentam puram populi administrationem. Hæ formæ vbi vitiantur, deprauatus fit & confusus reipublicæ status: quales sunt tyrānis, paucorum potentia, plebis licentia. existunt enim quando regnum libidinem ingenerat nullis subiectam iudiciis, aut cùm paucorum potentia contemtum aliorum fastúmque secum trahit, vel populi dominatione ordo magistratúsque abolentur, aut æqualitatem iuris immodica licentia consequitur. omnia isthæc rationi sunt aduersa. Ergo quemadmodum vir musicæ peritus quovis instrumento oblato vti artificiosè, idq; tractare affabrè nouit, vt pro sua conditione vocem concinnam reddat: nihilominus tamen Platonis consilio parens, omissis pectidibus, sambucis, psalteriis, barbitis, triquetris, aliis instrumentis quæ varias edunt voces, lyram & citharam iis præfert. sic ciuilis vir probè administrabit oligarchiam Laconicam. qualis à Lycurgo instituta fuit, æquales dignitate & potentia viros placidè ad societatem gerendæ reipublicæ inuitans: probè etiam se accommodabit democratiæ, tanquam variis neruis & sonis instructo instrumento, aliquando remittens, interdum intendens, tempestiuéque fræna laxans, & rursum contrahens, vbi multitudini resistendi locus datur. Quod si ei detur optio formam reipublicæ tanquam musicum instrumentum suo arbitratu capessendi, nullam profectò delegerit aliam quàm Monarchiam, Platonis fidem secutus. Ea enim sola potest perfectum istum & orthium siue rectum virtutis tonum & contentionē sustinere, & vtili- *Monarchia optima forma reipublicæ.*

tatem neq; necessitatis, neq; gratiæ causa inflectere. Reliquæ id habent, quòd ferè is qui imperat, sub imperio & potestate est, & qui gerit eas, ipse geritur fertúrq;, quòd nõ habet vim solidam & stabilem qualis est in monarchia. sed sæpe cogitur Aeschyleum illud exclamare, quo vsus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio:

Tu me creasti, tu fers exitium mihi.

BRVTA animalia ratione vti.

Colloquuntur Vlisses, Circe, Gryllus.



LISSES. Hæc quidem, ô Circe, percepisse me atq; memoria tenere arbitror. Sed libet ex te quærere, an inter hos, quos de hominibus lupos & leones redegisti, aliquos habeas Græcos. CIRCE. Ac quidem multos, suauissime Vlisses. Sed quorsum isthuc interrogas? VLIS. Quia magnam me mihi apud Græcos paraturum mehercle opinor gloriam, si hosce rursum tuo beneficio vitæ humanæ restituam, neq; patiar vt ob meam incuriam ita miserè fœdéq; vitam tolerantes, in bestiarum forma contra naturam consenescant. CIRCE. Hic homo non sibi modò & sociis, sed etiam nihil ad se pertinentibus præ stulticia vult suam ambitionem esse calamitosam. V. Hoc tu iam alterum poculum mõstrosæ orationis misces, omnino me in bestiam mutatura, si tibi hoc adsentiar, calamitatis loco habendum si quis è bestia fiat homo. C. Quasi verò non peius iam antè tibi consulueris, qui immortali & senectutis immuni vita, quam apud me licebat degere, dimissa, ad mulierem mortalem, adde etiam vetulam, per infinita quæ te manent mala contendis? scilicet vt celebrior ac nobilior quàm adhuc es factus, inane bonum & imaginem veritatis loco consequare. V. Sint isthæc ita vti dicis, ne de eadem re sæpius altercemur. Istos tamen tu mihi viros restitue & largire. C. Non per Proserpinam, non hoc ita simpliciter fiet. sunt enim non vulgares. Sed priùs ex iis quære, an fieri hoc velint. quod si negent, differendo iis tu, homo præclare, persuade. si verò non persuadeas, sed disputando ab iis vincare, satis tibi sit de tuis amicorúmq; rebus male statuisse. V. Cur me, beata, rides? quomodo enim cum iis colloquar, quomodo respondeant, dum asini, sues, ac leones sunt? C. Bono es animo, hominum ambitiosissime. ego tibi eos præbebo & intelligentes & differentes. aut potiùs hoc, vnũ sufficiat audire voces, & reddere loco omnium. En tibi huncce, habes qui cum disputes. V. Quo autem, mea Circe, hunc nomine compellabo, aut quisnam hic est hominum? C. Quid hoc ad rem? vocetur tibi, si videtur, Gryllus. ego autem vos relinquam, ne quid videat in meam gratiam dicere præter animi sui sententiã. GRYLLVS. Salue Vlisses. VL. Et tu per Iouem Grylle. GR. Quid vis interrogare? V. Intelligo vos fuisse homines. itaq; miseror vniuersos, qui hanc in conditionem decideritis. par autem est eorum me habere rationem maiorem, qui cùm fuerint Græci, huc miserię pervenerunt. Exoraui itaq; Circen, vt quicunq; ex vobis ita velit, eum illa restitutum pristinæ formæ mecum dimittat. GR. Desine Vlisses, neq; verbum addideris vlteriùs. vsque adeò à nobis tu omnibus contemneris, qui frustra callidus, reliquisque multò prudentior hominibus iactabare: cùm tu tamen per imprudentiam & incogitantiam mutationem de statu deteriore in meliorem reformidaueris. quo modo pueri solent subterfugere remedia, eáque reformidant pati, quæ de morbosis & fatuis saniores ac vsu rationis valentiores efficiunt: eodem tu pacto mutari ex alio in alium renuisti: núncq; cùm ipse horres ac metuis ne si cũ Circe degas, ea te imprudẽtem rei in lupum aut suem cõvertat: tum nobis auctor sis vt relicta vita omnium rerũ copia affluente, simúlq; iis quæ nobis ista bona parat desertis, tecum discedamus rursum homines facti, quo animali nullum est quod ad miserias facilius feratur. VL. Videre mihi, Grylle, nõ formam tantùm, sed animum quoq; perdidisse poculi istius veneficio, ac repletus esse absurdis & fœdis vsquequaq; opinionibus. nisi fortè quædam consuetudinis voluptas ad hoc corpus te præstigiis suis devinxit. GR. Neutrum horũ est, ô rex Cephalleniæ. Quod si colloqui placet, non conviciari, facilè nos, qui vtrunq; vitæ genus callemus, in eam te sententiam traducemus, rectè nos hanc isti vitam anteferre. VL. Enimverò, Grylle, paratus sum isthæc è vobis audire. GR. Proinde nobis quoque in promtu est dicere. Ordiamur aũt à virtutibus, quarũ gratia videmus vos superbire,

bire,

bire, vt qui iusticia, prudentia, fortitudine, aliisq; virtutibus bruta maiorem in modum præstetis. Responde igitur mihi hominum sapientissime. Memoria teneo te aliquando Circæ narrasse de agro Cyclopum, quòd is neque arante quoquam neq; plantante quicquam, tamen ea sit soli præstãtia, vt vltrò omnis generis fruges edat. Vtram ergo præfers, hàncne terram, an capris cõpascuam istam Ithacam & asperam, quæ magno culta labore & molestiis diuturnis, vix tandem paucos quosdam & nullius precij fructus cultoribus reddit? Ac caue sis, ne molestum tibi sit aliter respondere, quàm patriç amor postulet. V. Atqui mentiendum non est. Magis quidem amo & amplector meam patriam. istam autem Cyclopum regionem laudibus & admiratione maiore dignor. G. Sic ergo rem habere dicemus, sicvt prudentissimus hominum censet: alia magis laudanda & approbanda, alia magis deligenda & diligẽda esse. Atq; hoc ipsum etiam de anima abs te responsum esse censeo. eadem est enim ratio animæ, vt melior sit ea, quæ absq; labore virtutem tanquam sponte enatum fructum edat. V. Concessum sit tibi hoc quoq;. G. Proinde id simul iam das, animam brutorum ad virtutem esse natura feraciorem, ac perfectiorem. Nam absq; imperio & disciplina, tanquam terra nõ arata neq; consita, naturæ instinctu producit augétq; vnicuiq; convenientem virtutẽ. V. Et quænam sit ea virtus, Grylle, cuius bestiæ sint participes? G. Immo nulla est virtus, qua non magis præditæ sint, quàm hominum aliquis sapientissimus. Ac, si placet, primo loco fortitudinem considera, ob quam tu superbis, neq; pudori tibi ducis quòd audax & domitor vrbis appellaris: cùm quidem dolis, improbissime, & technis homines simplicem ingenuúmq; belli modũ callentes, fraudis & mendaciorum rudes, deceperis, ac virtutis nomen versutiæ indas, quæ minimè versutiam admittit. Atqui brutorũ inter se & adversum homines certamina vides vt sine arte ac fraude aperta & nuda cum virium fiducia peragantur, vt suo freta robore se defendant, neq; legem vocãtem ad pugnam, neq; actionem desertæ militiæ metuentia: sed quia natura metuũt superari, vsq; ad extremum perdurantia invicta. non enim vincuntur quãdo corpore superantur, neq; despondent animum, sed inter pugnandum moriuntur. ac multis, dum moriuntur, robur & iræ ardor in vnam aliquam corporis partem recedentia atq; coëuntia, interficienti resistunt, subsultántq; & fremũt, donec ignis instar prorsum exstinguantur & pereant. nulla hîc deprecatio, nulla misericordiæ imploratio, neq; victa se fatentur, neq; leo leoni ob fortitudinem seruit, aut equus equo: sicvt homo homini seruit, ac facilè amplectitur timiditatis affinem seruitutem. Quç verò homines tendiculis aut dolo ceperunt, ea si iam adulta sunt, inedia ac siti mori malunt quàm seruire. Pulli & catuli ob ætatem tenelli ac deceptu faciles, multis iisq; fallacibus illecebris atq; inuitamentis tanquam veneficio deliniuntur, vt contra naturam gustatis voluptatibus elanguescant tempore, sustineántq; eam quæ cicuratio dicitur, cum sit effeminatio ferociæ natiuæ. Vnde maximè patet bruta natura ad audaciam procliuia, hominum verò confidentiam præter naturam esse. quod vel hinc potissimum, Vlisses optime, addiscere possis. In brutis natura paria ad robur momenta in vtroq; posuit sexu, vt femina mari nihil concedat vel in tolerandis necessariis laboribus, vel in propugnãdo pro fetu. sed & suem quandam Cromyoniam celebrari audis, quç multum negocij Theseo exhibuit: & illam in Phicio Sphingem desidẽtem, ac ænigmata & griphos texentem, non tutata esset sua sapientia, si non viribus & fortitudine Thebanis multum antecelluisset. circum quæ loca etiam vulpem Teumesiam fuisse aiunt, animal perniciosum, & in vicinia serpentem femellam, quæ apud Delphos cum Apolline de oraculo certamine singulari decreuerit. atq; Aetham rex vester à Sicyonio illo accepit mercedis loco vt eum immunem militiæ faceret: optimo sanè consilio, vt qui homini timido equam bonam ac certandi cupidam anteponeret. Ipse pantheras ac leænas sæpius vidisti, nihilo masculis ferocia & robore inferiores. cum tua vxor te belligerãte domi ad focum desideat, & ne tantum quidem, quantum hirundines, moliatur contra eos, qui ipsam familiámq; oppressum eunt. & quidem ea Spartana est, ne Caricas tibi aut Mæonidas mulieres obiiciam. Ex his tamen quæ dixi, liquet viros non naturali esse præditos fortitudine. (alioquin hæc etiam mulieribus adesset) sed legum necessitate coactos, non sponte vestra, moribus, reprçhensionibus, adventiciisq; opinionibus seruiẽtem, verbisq; efficta meditari fortitudinem: laborésq; & pericula subsistere, non q animos adversum ea geratis confidentes, sed quòd alia his magis metuitis. Sicvt itaq; tuorum sociorum qui reliquos antevertit, is remum leuem arripit, nõ quòd hunc con-

Brutorum fortitudo.

Iliad. ψ, 296.

temnat, sed quod sibi à grauiore metuit. ita qui ictum sustinet ne vulneretur, & hostem vlciscitur ne cruciatum aut mortem perferat, nō animosus adversum illa, sed ad hæc timidus est. Itaque apparet fortitudinem vestram, prudentem esse timiditatem, confidētiam autem metum cum scientia coniunctum alia per alia evitandi. Denique si fortitudine vos præire brutis putatis, cur poëtæ vestri eos qui optimè in hostem pugnant, luporum, leonum, aut apri robore similes perhibent? cum vicissim nemo leonem homini animo vel robore similem dicat. Sed nimirum sicvt veloces aiunt ventorum celeritatem in pedibus habere, & formosos deorum formæ æquales, re nimis exaggerata dicunt: sic etiam pugnacium similitudinem à præstantiore ducunt. Cuius rei causa est, quòd fortitudinis tanquam acies & induratio est animi feruor, quo puro vtuntur bruta in certaminibus. vobis cum ratione commixtus, velvti aqua dilutum vinum, cedit periculis, & occasionem dimittit. Sunt quidam vestrum qui omnino in pugna negant debere animum excandescere, sed hoc feruore excluso sobria vtendum ratione. rectè dicentes, quod ad salutem tutandam attinet, pessimè quod ad vltionem & robur exserēdum. Quî enim nō sit absurdum, quòd cùm naturam incusetis, quæ corporibus non adiecit stimulos, neque dentes ad vlciscendum paratos, aut curuos vngues, ipsi arma animæ à natura data aufertis aut eneruatis? VL. Papæ Grylle, videre mihi egregius factus sophista, qui etiam nunc ex suilla loquens cute tam strenuè de proposito argumentaris. Sed cur non deinceps de temperantia disseruisti? GR. Quia dicta existimabam te prius repræhensurum. Sed tu festinas ad auditionem de hac virtute, quia & pudicissimam habes vxorem, & ipse videris documentum edidisse temperantiæ, Circes concubitu spreto. Atqui profectò nihil hac in re antecellis animalibus brutis. Nam hæc quoque voluptates & amores captant à sui generis animalibus. Itaq; admiratione dignum non est, si quemadmodum Mendesius in Aegypto caper inclusus cum multis ac formosis mulieribus coitu abhorret, & capras desiderat: ita tu venere consueta vtens, homo cum sis, concumbere cum dea noluisti. Cæterùm Penelopes tuæ castitatem innumeræ cornices crocitantes ridiculam esse ostendent atque contemtui exponent, quarum vniuscuiusque si moriatur mas, viduitatem non per exiguum tempus, sed per nouem ætates hominum seruant. vt si libeat comparare, vnaquævis cornix nouies castitatem tuæ superet Penelopes. Sed quando obseruauisti me esse sophistam, agedum dispositione quadam vtar orationis, expositáque temperantiæ definitione, concupiscentiarum genera persequar diuidendo. Est ergo temperantia contractio quædam cupiditatum, & ordo, perimens supervacaneas & adscititias, tempestiuè autem & mediocriter cum decori ratione obsequens necessariis. Iam in appetitionibus nonne cernis inesse infinitum differentiarum numerum? Potus & à natura desideratur, & à necessitate flagitatur. Res venerea quanquam suum habet à natura principium, tamen sunt qui ea nullo cum incommodo careant. itaque naturalis hæc, non etiam necessaria vocatur. Sed eæ appetitiones, quæ neque à natura neque à necessitate oriuntur, ob imperitiam autem recti foris ex inani quadam opinione intrò superfusæ sunt, parum abest quin vestras naturales obruerint cupiditates sua multitudine vniuersas. itaque se gerunt, vt turba peregrinorum convena vi vrgens ciues atq; indigenam populum. At enim omnes bestiæ animis præditæ, quæ inaccessæ sint omnibus foris introductis affectionibus, & à vanis opinionibus tanquam à mari longè remotam vitam agant, elegantia & supervacaneo vitæ degendæ cultu vobis sunt inferiores: temperantiam præclarè tuentur, appetitionésque rectis legibus regunt, quæ iis adsunt neq; multę neq; alienæ. Me quidem ipsum, nō minùs quàm nunc te, aurum perculit, vt cui nulla res dignè posset comparari. ad se trahebant me ebur & argentum. qui horum possideret plurimum, mihi felix & diis charus videbat homo, siue Phryx esset, siue Car, & vel Dolone ignobilior, vel Priamo calamitosior. huc ego semper meis accōmodatis cupiditatibus, nullam neq; gratiam neq; voluptatem aliis ex bonis vitæ percepi, cùm quidem essent abvndè, quòd me maximorum indigum & exsortem bonorum esse arbitrarer. Itaq; memoria recolo me, quo tempore te in Creta vidi amictum veste ad solennem facta ostentationem, non admiratum fuisse prudentiam aut virtutem tuam, sed amiculi textum tenuitatis eximiæ, & coruscationem in læna coloris purpurei, attonitúmq; fuisse ob pulcritudinem vestitus. sed & fibula aurea habebat, si rectè memini, aliquid operis elegantis cælo parati subtilissimè. denique mulieris in modum præstigiis captus

De temperantia.

Odyss. τ, 225.

captus te sectabar. Nūc inanibus istis opinionibus euacuatis, aurum & argentum sicvt quosvis lapides contemno & super ea incedo, tuis autem lænis & tapetibus nō per Iouem suauius indormiam, quàm plenus cibi alto molliq; cœno. Ac huiusmodi quidē foris adscitarum cupiditatū nulla in animo habitat nostro: sed maior pars vitæ nostræ necessariis appetitionibus atq; concupiscentiis temperatur & voluptatibus. non necessariis, sed naturalibus duntaxat neq; incomposite, neq; profusè indulgemus. Atq; has quidem primo loco perpendamus. Voluptas ea, quam ex fragrantibus, & odore suo exhalante olfactum adficientibus percipimus, præterquam quòd simplicem sui præbet, eámq; gratis vsuram, simul etiam discernendo alimento conducit. Nam lingua & est & dicitur norma saporum, vt dulcis, acris, austeri, reliquorum: quando ij cōfusi offeruntur sensui. Olfactus autem noster ante saporem deprædēdens vim vniuscuiusq; alimenti, longéq; accuratiùs quàm regij solent prægustatores sensu eam percipiens, id quod naturæ cōveniens est admittit, alienū amolitur, neq; gustare id sinit aut gustatum offendere: sed vitium rei olfactæ defert atq; accusat, antequam iniuriam ea attulerit. De cætero autē molestus nobis non est odoratus sicvt vobis, quos cogit suffitus, cinnamoma, nardos, malobathra, calamos Arabicos, cum subtili quadam medicatrice arte aut seplasiaria cōquirere & vnà vorare, magna pecunia parum virilem, ac potiùs puellas decentem, nulláq; omnino vtilitate comitatam delectationem redimētes. Et verò is odoratus, quanquam hoc modo affectus, corrupit tamen nō mulieres tantùm omnes, sed & plerosq; viros, vt ne cum suis quidem coire velint vxoribus, nisi vnguenta eæ ac odoratos pulueres redoleant. Atqui porcæ sues, & capros capræ, aliæq; feminæ sui generis mares proprio odore alliciunt, purúmq; rorem, prata, herbásque vbi redolent, cōmuni amore ad miscendum corpora cientur. Non hîc, vt inter homines, feminæ simulatione recusationis ludunt, aut libidini fraudes, præstigias, denegationésq; prætexunt: neq; mares stimulo & luxuria agitati, mercede, labore atq; obsequiis coitum redimunt. sed doli expertem ac sine mercede tempestiuā sectamur venerem, quæ stato anni tempore cupiditatem animalium velvti germen aliquod excitans, illicò restinguit, neq; femella marem à cōceptu admittente, neq; aggrediente mare. Adeò exilem & imbecillum honorem apud nos voluptas obtinet, omnia naturæ deferuntur. Itaq; in hūc vsq; diem inter nos neq; mas marem, neq; feminā femina amauit. qualia multa memorabiles, & præclari viri apud vos cōmiserunt: vt viles missos faciam. Agamemno quidem Bœotiam perlustrauit Argæum venans subterfugientem, falsisq; mare & ventos onerans criminibus, tandem pulcrè pulcrum sese in lacum Copaidē demersit, vt ibi amorē exstingueret, ac se cupiditate liberaret. Itidem Hercules imberbem sectans amasium, deseruit optimos socios, classémq; & institutum prodidit. Et in tholo Apollinis Ptoi quidam vestrum expertus scripsit, Achilles pulcer: cùm iam Achilles filium haberet. audióq; durare adhuc eam scripturam. At gallus si gallum conscendat absente gallina, viuus combvritur, aruspice aliquo pronunciante graue atróxq; id esse ostentū. Ita ipsi homines hoc cōfessi sunt, castitate à brutis se superari, eáq; naturæ vim non facere voluptatū percipiendarum causa. Vestras libidines natura, quanquam legis auxilio fulta, tamen intra suos non potest coercere fines: quin eæ instar fluuij exvndantes atrocem fœditatem, tumultum, confusionémq; naturæ gignūt in re venerea. Nam & capras, porcas, equas iniuerunt viri, & feminæ insano masculorū bestiarum amore exarserunt. ex huiusmodi enim coitibus vobis sunt Minotauri, Siluani seu Aegipanes, atq; (vt mea fert sententia) etiam Sphinges, & Centauri nati. Enimverò fame coactus canis aut auis aliquando cadauere humano vescitur. ad coitū nullus vnq; est homo à bestia solicitatus. bestias verò cùm ad hanc, tū ad alias voluptates vos vi trahitis ac contra ius vsurpatis. Porrò homines ita vitiosi & incontinentes cum sint in dicto cupiditatis genere: tamē evinci potest, multo adhuc brutis intemperantiores eos esse quod attinet ad appetitus necessarios, id est potū ac cibum. Hîc nos voluptatem semper cum aliqua vtilitate captamus. Vos, qui voluptatem potiùs, quàm naturæ conveniens alimentum persequimini, multis ac diuturnis multamini morbis, qui tanquam vno aliquo è fonte hausti abvndantia, corpus omnis generis flatibus expurgatu difficilibus replent. Primùm enim vnicuilibet animalis generi suū est quoddam cognatum naturæ alimentum: aliis herba, aliis radix, aut fructus. & quæ carne vescuntur, nullum alium fructum ea appetunt, neq; infirmioribus alimentum eripiunt: sed & ceruum pasci sinit leo, & lupus ouem, quantum natura statuit. Homo autem gu-

Odoratus.

Fœdi amores.

Homo in alimēti vsu peccat.

læ studio ad omnia se ferens, omnia tentans, omnia gustans, vt sui & naturæ ipsius cõvenientis ignarus etiamnum nutrimenti, solus inter omnia animalia omnibus vescit̃. Primùm vtitur carnibus, nulla cogente inopia, nulla penuria: cùm liceat ei quovis tempore alios è seminibus & plantis decerpere cibos, multitudine nũquam defectura. sed luxuria, & satietate necessariorum, alienas & pollutas cędibus animalium escas sectatur, immanitate etiam sæuissimas vincens feras. Sanguis enim & cædes ac carnes miluo, lupo, draconi conveniens sunt cibus, homini autem obsonium. Deinde cùm omnibus vtatur generibus, nõ sicvt bestiæ à plerisq; formis al stinet homo, paucis ob necessitatem nutrimenti infestus est: sed neq; auis vlla, neq; in aquis degens, aut in terra viuens animal vllum effugit vestras illas, quæ benignæ hospitalésq; dicuntur, mẽsas. * Esto: his vos obsoniis dulciores reddere cibos. Quid ergo ad hæc ipsa *

Artes brutorũ. Sed animalium brutorum nullam invtilem aut inanem admittit artem prudentia. necessarias non ab aliis importatas, aut mercede data cognitas, vel cura glutinante singula, parcéq; oblatis cõtemplationibus compingente nanciscitur, sed à natura habet genuinas & cognatas, atq; profert. Aegyptios vniuersos aiunt esse medicos. At verò quodvis brutum animal non tantùm ex sese arte ad sanandum est præditum, sed etiam alimenti quærendi, robur parandi, adversa declinandi, convenientia quærendi, atq; etiam ad musicen, pro modo cuiq; animalium à natura præscripto. Nam à quo didicimus porci, quando ægrotamus, ad fluuium descendere cancrorum capiendorum gratia? Quis docuit testudines devoratis viperis origanũ postea edere? quis capris Cretensibus pręcepit, vt sagittis ictę dictamnum quærant, quo comesto cuspides excidũt. Si enim dicas verum esse, harum rerum magistram esse naturam, brutorum intelligentiam refers ad principium præcipuum atq; sapientissimum. Tum si istam intelligentiã nõ dignamini rationis aut intelligentiæ nomine: tempus est vt circumspiciatis de nomine alio honestiore & augustiore. sicvt nimirum reipsa ostendit maiorem admirabiliorémq; facultatem sibi esse, non rudis aut indocta, sed à seipsa docta & nihil extra se desiderans, nõ ob imbecillitatem, sed naturalis virtutis perfectionem ac vigorem, iussa valere ea disciplina, qua velvti collecta stipe alivnde discitur. Quæ enim homines ludentes aut luxuriantes discunt ac meditant̃, hæc nostra intelligentia etiã contra corporis naturam adsequitur, freta vi percipiendi innata atq; copiosissima. Non dicam de catulis feras indagantibus, aut pullis equorum ad certum numerum gradi discentibus. * sed & corui loqui, & canes per obversos saltare orbes discunt: & equi ac boues in thea* tris mirabiles addiscunt motus, sessiones, institiones, choreas, itáq; meminerunt artis, * eámq; exercent, hominum maximo studio atq; industria. quæ ipsa docilitatis sunt documentum, nullam aliam ad rem prosunt. Quòd si negas disci à nobis artes, etiam doceri eas à nobis audi. Perdices suos pullos docẽt inter fugiẽdum occultare sese, & glebam pedibus pro se obtendere, postquam supini corruerunt. & vides vt ciconiæ suos pullos volare doceant, primùm id tentantes. Lusciniæ quoq; suos pullos cantare docent: & capti antę tempus, enutritíq; inter hominum manus, deteriùs canunt, qa præpropere à magistro sunt remoti. Ego iam, ex quo in hoc corpus sum illapsus, miror rationes istas, quib. mihi à sophistis persuaderi passus sum omnia animalia, homine dem to, esse bruta & rationis expertia. V. Nunc ergo tu Grylle à mutatione tua etiã oui atq; asino rationem tribuis? GR. Mi Vlisses, ex his ipsis colligere par est, bestiarum naturam non esse mentis atq; intelligentiæ expertem. Sicvt enim nõ est stirps alia stirpe magis exsors sentientis animæ, sed eodem omnes modo destituuntur sentiendi facultate, quia nihil eorum, quorum stirpes terra continentur, anima est præditum. ita animalium quoq; nullum altero ignauius aut ad discendum ineptius diceret̃, nisi vniuersa rationem atq; intelligentiam, sed alia minùs vel ampliùs, haberent insitam. Atq; mihi hoc cõsidera, stupiditatem ac fatuitatem quarundam bestiarum, acumine & versutia aliarum demonstrari. verbi gratia, si compares cum vulpe, lupo, aut ape asinum vel ouem, perinde est ac si tecum componas Polyphemum, aut cum auo tuo Autolyco Glaucum illum Corinthium, de quo est apud Homerum. Non enim existimo tanto

Iliad. ζ, 152. differre bestiam à bestia intervallo, quanto homo ab homine disiungit̃, quod ad intelligendum, ratiocinandum, memoriáq; tenẽdum attinet. VL. Attamen Grylle hoc vide, ne improbum sit & violentum, rationem iis adscribere, quæ noticia dei carent GR. Non ergo dicemus te, Vlisses, ita sapientẽ ac curiosum, Sisypho genitũ fuisse? *

Plu-

Plutarchi commentarius Ne ſuauiter quidem viui poſſe ſecundum Epicuri decreta, docens.

OLOTES Epicuri familiaris librũ edidit, hoc indice, Ne viui quidem poſſe iuxta aliorum philoſophorum decreta. Cõtra quem quæ pro philoſophis differere nobis ſubiit, ea iam antè conſcripſimus. Quoniam autem ſoluto qui diſputationi interfuerat cœtu, in ambulatione complures ad eam ſectam ſe dederunt, viſum mihi fuit hos quoq; in viam reducere: ſi nullam aliam ob rem, ſaltem vt his qui in alios inquirunt, demonſtrarem debere ab his eorum quos arguunt aut refellunt ſcripta non obiter percurri, neq; eos voces hinc inde avulſas & dictiones abſq; ſcriptura adoriri, itáq; fraudem imperitis facere. Progreſſis enim nobis more noſtro in gymnaſium è ſchola, Zeuxippus: Mihi, inquit, ſermo fuiſſe videtur habitus aliquanto mollius, quàm libertas conveniens rei exigeret. abit quidem Heraclides nos culpans, & in Epicurum ac Metrodorum aſperiùs invectus, cùm nos ei huius rei cauſam præbuerimus nullam. Hoc verò, inquit Theo, non dicis, quòd cum his comparatus Colotes, hominum in dicendo videri poteſt modeſtiſſimus. Congeſta enim in vnum quę inter homines habentur fœdiſſima vocabula, ſcurrilitates, ampullas, arrogantias, ſcortationes, homicidia, graues gemitus, multorum perditionem, cerebri grauedines: in Ariſtotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophraſtum, Heraclidẽ, Hipparchum, deniq; neminem non virorum illuſtrium effuderunt vniuerſa, vt ſi alioquin omnia ſapienter ſtatuiſſent, certè ob maledicta hæc, háſq; criminationes longiſſimè fuerint à ſapiẽtia arcendi. Invidentia enim excludenda eſt à diuino ſapientũ choro, & obtrectatio quæ ob imbecillitatem id quod dolet diſſimulare nõ poteſt. Hæc verba excipiens Ariſtoteles, Heraclides, aiebat, grammaticus cùm ſit, poëticæ turbę (vt Epicurei appellant) & Homericorum deliriorum gratia Epicuro hanc rependit mercedẽ: vel eo commmotus, quòd Metrodorus tam multa ſcripſit ad ignominiã Homeri pertinentia. Sed hos, Zeuxippe, omittamus. Quod autem initio diſputationis adverſum Epicureos dictũ fuit, Ex eorum pręſcripto ne viui quidem poſſe, cur non potiùs, quando hic defeſſus eſt, ipſi adſcito Theone ad finem perducimus. Theo ſic reſpõdit: Atqui ante nos hoc iam alij peregerunt certamen.

Nunc alius ſcopus eſt, —— Odyſſ.χ,6.

ſi placet, collocandus: & ſic vlciſcamur philoſophis factas iniurias, vt demonſtremus, ſiquidem fieri poteſt, Secundum Epicureos ne poſſe quidem iucundè viui. Papæ, ego riſu edito dixi: Videre mihi iſtis hominibus in ventrem velle inſilire, litémque de carnibus moturus: qui voluptatem detrahas hominibus clamantibus,

Non pugiles ſumus, —— Odyſſ.θ,246.

non rhetores, non ciuitatum præſides, non principes:

Semper ſola iuuant ſed nos conuiuia, ——

omniſq; carnem ſuauiter afficiens motio, anima ad voluptatem quandam atq; gaudiũ excitata. Itaq; mihi videris nõ voluptatem auferre, ſed vitam illis, vbi ſuauem vitam eis nõ relinquis. Quid ergo, inquit Theo, ſi ipſe orationẽ probas, qua opus eſt re * præſenti vtar, inquit, audiens & reſpondens vbi requiretis. principatũ autem vobis trado. Cùm itaq; parumper tergiverſatus eſſet Theo: Ariſtodemus, Quàm, inquit, compendioſa & plana nos intercluſiſti via, dum non ſinis ſectã illam de honeſto cauſam priore loco dicere. Nam homines, qui finem vitæ ſtatuunt voluptatem, non facile eſt ſuaui vita depellere. ſed ſi honeſta vita exciderint, iucunda ſimul exciderũt. ipſi enim dicũt, Impoſſibile eſſe ſuauiter viuere ſine honeſtate vitæ. Tum Theo. Hoc ergo, inquit, in progreſſu ſermonis, ſi ita videbitur, reponemus. Nunc iis vtemur, quę ab ipſis dantur. Exiſtimant Epicurei, circa ventrem eſſe bonũ, reliquóſq; meatus carnis vniuerſos, ꝑ quos voluptas, non dolor ſe inſinuat: omnéſq; pulcras & ſapientes inventiones exſtitiſſe ob voluptatẽ quæ circa ventrẽ verſatur, & ſpem bonã de eo, vt ſapiens dixit Metrodorus. Itaq; ab initio ſtatim, amice, vidẽt ieiunã, putridam, & inſtabilẽ boni cauſam ſtatuere: & quę cũ meatib. iſtis, ꝑ quos voluptates introducunt, etiã ad dolores ꝑinde perforẽt:

Voluptas Epicureorum.

aut potiùs, quę voluptatem paucis, dolorem omnibus partibus admittat. Omnis enim voluptas circa artus, neruos, manus, & pedes est: quibus partibus subeunt atroces atq; miseri affectus, fluxus podagrici & phagedænici, corrosiones, putrefactiones. Iã odorum & saporum suauissimos corpori si offeras, exiguum planissimè in eo locum offendes qui leniter & iucundè afficiatur: reliquæ plerunq; aversantur & ægrè ferunt. at nulla interim pars est, cui igni, ferro, morsu, scutica non sensus doloris inferatur. sed & æstus, & gelu, & febris totum corpus pervadunt. Voluptates aurarum instar ad alias atque alias corporis extremitates renidentes, statim diffunduntur. neq; multum durant temporis, sed instar ignium in aëre subitò discurrentium, simul & oriuntur in carne & exstinguũtur. De dolore testimonium Philoctetæ Aeschylei sufficit. qui serpentem non immisisse pedi, sed tanquam sedem in eo fixisse morsu ait dolori * neque alia talia, mouens ac titillans corpus. *. Sed sicvt Medicæ herbæ semen multis flexibus & per obliquum terræ innascens, ob asperitatem multo tempore perdurat: sic dolor vncinos ac radices disseminans, carníq; implicatus, adhærénsq; nõ diem modò aut noctem, sed & annos aliquot atq; lustra, ægrè aliis doloribus tanquam clauis violentioribus expulsis discedit. Quis enim tantum tẽporis edendo bibendóve extraxit, quanto sitiunt febricitantes, & esuriunt obsidione circumventi? quænam animi relaxatio & cum amicis oblectatio tanta est, quanti sunt cruciatus & torturæ à tyrannis immissæ? Hoc ipso scilicet corpus quàm sit prauum, & natura ad iucundè viuendum ineptum intelligitur, quod magis perfert dolores quàm voluptates: præditúmq; adversus illos robore ac viribus, in his imbecillum est ac satietati fastidióq; obnoxium. Neque verò nos aggressos de iucunda vita dicere, plura patiuntur ipsi proferre, vtpote qui fateantur vltrò voluptatem corporis exiguam esse, adeóq; momentaneam. si quidem non nugatur aut vana in dicendo vtitur iactantia Metrodorus, dum ait sæpenumero nos exspuere in despectum voluptatum corporis. itémq; Epicurus, qui sapientem ægrotantem inquit sæpe ridere ob morbi quo vrgetur corpus magnitudinem. Quibus ergo dolores corporis ita sunt faciles atque leues, quî sint voluptates alicuius momenti? nam vt neque tempore neq; magnitudine doloribus sint minores, certè circa dolores versantur, finémque voluptatibus extremum hunc communem præscripsit, omnis doloris sublationem. nimirum quòd natura vsque ad dolorem abolendum augeat voluptatem, vltrà autem progredi huius nequeat magnitudo, variari duntaxat modis non necessariis possit, cùm non in eo est vt doloris vacuitatem conciliet. Quæ autem cum appetitu eò tendit via, vtpote mensura voluptatis, breuis admodùm est ac compendiosa. Itaque hoc loco sentientes rei exilitatem, è corpore tanquam sterili agro finem bonorum in animum transferunt. nimirum quòd ibi voluptatibus pascua & ampla prata suppeditent: quando

Odyss. Λ, 601. *Non est aptus equis Ithacæ locus, vt neq; planis*
Porrectus spaciis: — quando scilicet non facilis est in caruncula hac voluptatum perceptio, sed aspera, admixtis multis alienis & quæ pulsando exagitent. Sub hæc Zeuxippus: Itáne, inquit, non tibi rectè videntur isti facere homines, qui initio facto à corpore, in quo primùm ortus voluptatis conspicitur, inde ad animam transeunt, rémque in ea absoluunt? Rectè, inquam ego, & naturæ convenienter: si quidem melius aliquid hîc & perfectius re vera indagant atque inveniunt, sicvt homines faciunt in contemplatione rerum versantes ac ciuiles. Cum verò audias ipsos testari ac vociferari, nulla re animam gaudere posse, nulla tranquillitate frui, nisi vel adsint vel exspectentur voluptates corporis, hásque bonum eius esse: nónne videntur tibi animam pro corporis colo vsurpare, voluptatem vini instar è corpore tanquam prauo & perfluente vase diffundentes per colum istud, ætatémque ei conciliantes, vt fiat aliquanto melior & honestior. Quanquam vinum quidem diffusum à tempore conseruatur, fitque suauius. voluptatis præter memoriam conceptam tanquam odorem quendam, nihil animus aliud conseruat, quæ in carne vt efferbuit ita exstinguitur. Ipsáque eius memoria obscura est, ac nidoris similis: perinde ac si quis pridie quæ edit bibitve, eorum sibi imaginationes suggerat, inque animo recondat, scilicet his vsurus cùm recentia non sint ad manum. Vide autem, quanto modestiùs Cyrenaici, quanquam ex eodem cum Epicuro poti poculo: qui re venerea vti adhibita lucerna nequaquam censuerunt debere homines, sed tenebras prætendere: ne animus è conspectu simula-

simulacra actionis cōcipiens evidentia, crebrius appetitum inflammet. At qui hac maxime re sapientem excellere sentiunt, quod evidenter recordatur, inq; seipso continet voluptatū imagines, affectiones, motus: ne dicamus nihil eos sapientia dignū profiteri qui voluptatū eluuiem quasi quandã è corpore in animo relinqui putãt: statim quidē manifestum est, Ex his viui suauiter non posse. Fieri enim potest, vt absq; voluptate sit hęc voluptatis recordatio, quę pręsens quoq; exigua interdum est, & moderatè percepta facilè effugit: quando etiam istis, qui attoniti corporeas mirantur magniq; faciunt voluptates, his finitis non remanet delectatio, sed vmbra quædam & somnium relinquitur in animo voluptatis quæ avolauit, quo somnio quasi fomite ignis cupiditatum excitatur. Et quemadmodum qui per soporem sitiunt aut amant, eorum imperfectę voluptates ac perceptiones acriùs exstimulant libidinem: ita & his non iucunda est voluptatum perceptarum memoria, sed reliquiæ voluptatis inanes ac languidæ multum habent stimulorum atq; aculeorum, quibus pungant palàm se efferentem cupiditatem. Neque probabile est, modestos ac temperantes homines huiusmodi cogitationibus immorari, aut ea facere, ob quę Carneadem subsannat ille, tanquam ex ephemeridibus repetentem, Quoties cum Hedea aut Leontio rem habuisset, vbi Thasium vinum bibisset, quibus Idibus splendidissimè cœnasset. Atrocem enim ac belluinam in fruendis aut exspectandis voluptatibus exagitationem animi ac rabiem designat tanta ipsius ad recordandum bacchatio atque adhæsio. Vnde & ipsi videntur mihi hæc absurda animadvertentes, ad vacuitatem doloris & firmam affectionē carnis defugere: ac si in eo sita sit vitæ iucunditas, vt cogites ista vel adfutura vel affuisse. summum enim & constantissimum gaudium adferre iis qui ratiocinari possint aiunt, carnis firmam affectionē, eiúsq; exploratam spem. Hæc primùm considera quam rem agant, istam siue voluptatem, siue indolentiam hinc inde transferentes, è corpore in animum, ex hoc rursum quia contineri eo non possit, in corpus dilabentem. Itaque coguntur ad principium redire, delectationem carnis (sic enim aiunt) gaudio animæ vt fundamentum substernentes, ac rursus læticiam spe voluptatis finientes. At quî fieri quit, vt fundamento cōcusso, non id simul concutiatur, quod ei insistit? aut quî explorata spes potest, gaudiúmque illabefactabile esse de re tot iactationibus ac mutationibus obnoxia? quale est corpus, cui & foris imminent plurimæ necessitates, plurimi ictus: & in se intus habet principia malorum, ratione averti vlla quæ nequeunt. aliâs non accidissent cordatis hominibus difficultates vrinæ, intestinorum morbi, tabes, aquæ intercutes: quorum cum quibusdam ipse conflictatus est Epicurus, alia Polyænum, Neoclem, Agathobulum è vita eduxerunt. Neque nos illis hæc exprobramus, qui & Pherecydem & Heracletum nouimus in grauibus fuisse morbis. sed hoc postulamus, vt si fateri libet ipsis suorum perpessiones corporum, neq; vanis vocibus ferociendo & auram popularem captando vltrà arrogantis futilitatis culpam incurrere, aut non statuant carnis firmam affectionem principium omnis gaudij, aut non dicant gaudere & insultare doloribus eos, qui in grauissimis morbis sunt aut cruciatibus. Sæpe enim affectio corpori firma contingit: sed de ea spem exploratam ac stabilem animus sanæ mentis compos nunquam concipit. verùm sicvt in mari (vt est apud Aeschylum)

Nox incutit gubernatori, qui sapit,

Dolorem, —— immò etiam in trãquillitate metu non vacat: (futurū enim incertū est) sic animum corpore benè affecto & in spe de eius bono statu felicitatē collocantē, non licet absq; metu & fluctuatione degere. Non enim foris duntaxat vt mare, ita corpus etiam tempestatibus & procellis potest exagitari: sed plus turbarum, earúmq; maiorum, intus alit atq; effert. ac rectiùs tranquillitatē hybernam aliquis quàm carnis incolumitatem sperauerit sibi constanter adfuturam. Quid enim aliud poëtas mouit, vt homines animalia dicerent in diem viuentia, instabilia, incerta, foliorum similia, quæ anni statis temporibus nascuntur ac pereunt: quàm natura corporis tot calamitatibus, damnis, morbis obnoxia? cuius etiam optimam affectionem metuere iubent, ac deminuere. Est enim, inquit Hippocrates, ad summum progressa corporis bona affectio periculosa. Et Euripideus ille,

Modò qui vigebat carne cœlitus vel vt
Delapsa stella exstinctus est. ——

Et formosos putant lædi fascino & invidia contuentium; quia vigor corporis ob im-

Recordatio voluptatū qualis.

De voluptatibus corporis spes nulla certa.

Humani corporis miseria.

becillitatem celerrimè admittit mutationem. Omnino autem res ipsorum esse ad vitam doloris vacuam parandam malè accommodatas, ex his intellige, quæ contra alios

Metus felicitati adversatur.

ipsi disserunt. Flagitiosos aiunt omne tempus vitæ miserè & in metu exigere: quod etsi fallere possint, tamen spem latendi certam atque indubitatam sibi sumere nullo modo possint: itaque futuri metum identidem incumbentem non sinere eos gaudere, aut præsentibus confidere. Non animadvertunt hoc adversum seipsos esse ab ipsis dictum. Sæpe enim potest corpus bono in statu esse, ac sanitate frui: explorata spes fore vt semper eo in statu maneat, fieri potest nulla. necesse est ergo, semper vt perturbère anxiúsque sis de corpore propter futura, ac quid sit exspectandum, neque vnquam te certam posse ac stabilem animo inducere fiduciam. Iam nihil peccare non eò facit, vt bono esse animo, & fidere rebus possis. Non enim hoc formidamus, ne quid iustè patiamur: sed ne quid omnino patiamur. neque molestum est, esse iniustum: non molestum aliorum iniusticiam experiri. sed si non maiori, non minori quidem certè malo fuit Atheniensibus Lacharis, & Syracusanis Dionysij importunitas, quàm ipsi Lachari & Dionysio. hi enim turbantes perturbabantur, & malè se tractatum iri suspicabantur, quia iniurias & maleficia vltrò aliis intulerant. Iam turbarum iras, latronum crudelitates, hæredum iniusticias, tum pestilẽtias aëris, maris pericula, quo se Epicurus cùm nauigaret Lampsacum pœnè fuisse absorptum scribit, quorsum attinet referre? sufficit ipsa carnis natura, materiam morborum in se continens, & (quod proverbio dicitur) loris ex ipso boue petitis, doloribus è corpore, vitam bonis malisq; iuxtà periculosam reddit, metúsq; plenam: siquidem de carne duntaxat & eius spe discant, nulla alia de re gaudere aut fiduciam concipere. quemadmodum Epicurus cùm aliis multis in libris scripsit, tum in iis, quos de Fine composuit. Ergo non tantùm insidũ atq; inconstans principium suauiter viuendi sumunt, sed omnino contemtu facile ac exiguum: siquidẽ

Bonum quid Epicureis.

gaudẽdi materies & bonum ipsis est malorum evitatio, neq; aliud se excogitare posse, aut omnino in natura esse aiunt, in quo bonum collocetur, eo vno excepto, vnde malũ eius expellitur, vt Metrodorus scripsit in his quæ adversus sophistas disputat. Est ergo Bonum ipsum fuga mali: vbi enim ponatur bonum nihil est, nisi vnde nihil porrò potest exigi dolorem molestiámve faciens. Similia sunt hęc Epicuri, dicentis naturam Boni exsistere ex evitatione mali, memoriáq; & reputatione ac gratulatione, quòd sibi ita evenerit. Quod enim, inquit, facit incomparabile gaudium, est magnum malũ evitatũ quod imminebat. Atq; hæc est natura boni, si quis rectè adsequatur, deinde consistat, neq; inaniter obambulet de bono nugans. O ingentem hominum istorum voluptatẽ

Ridet Epicureorum iactantiam.

& felicitatem, qua fruuntur gaudentes quòd nihil mali sint passi, neq; molestia aut dolore afficiantur. Nónne iure suo ob ista & sentiunt de se & dicunt quæ dicunt? immortales dum seipsos & diis æquales iactant, atq; ob nimiam bonorum excellentiã præ voluptate in fremitus atq; vlulatus bacchando efferuntur: quòd scilicet aliis spretis soli diuinum invenerint bonum cum vacuitate omnium malorũ. adeò vt iam neq; porcis cedant, neq; ouibus, in eo felicitatẽ statuentes, vt carni, & animo de carne procuranti benè sit. Enimverò animalium quæ sunt natura elegantiore & venustiore, iis finis non est fuga mali. sed & ad canendũ præ satietate aguntur, & natatione aut volatu se oblectãt, ac voluptate & animi elatione instigata omnis generis voces ac sonos imitari aggrediuntur, sibiq; invicem blandiuntur & exultim ludunt: natura eò ducẽte, vt evitato malo bonum quærant, aut potiùs, vt omne molestum atq; alienum propulsent, vtpote impedimenta sui boni & præstantioris naturæ. Quod enim necessarium est, id bonum nõ est: sed vltra fugam mali situm est id quod appeti & deligi debet: immò autem id quod suaue est, & naturæ conveniens ac vernaculum. Hoc enim Plato pronũciauit, qui prohibuit etiam ne dolorum aut molestiarum evitationẽ voluptates putaremus, sed velvti quandam advmbrationem seu mixtionẽ vernaculi et alieni, tanquam albi & nigri ab imis partibus ad medium sese efferentiũ: quæ imperiti atq; inscientes imi & medij, pro summo extremóq; habeãt. Quo in errore Epicurus est & Metrodorus, substantiã summúmq; gradum Boni ponẽtes mali fugam, gaudiúmq; gaudẽtes mancipiorũ quoddã aut captiuorum, qui è vinculis sint dimissi, ac post contumeliosam tractationẽ flagellorúmq; verbera pergratũ habeant vngi & lauare: cùm quidẽ liberalẽ, purã, sincerã, & vibicum expertẽ lætitiã neq; degustauerint vnquã, neq; spectauerint. Nõ enim si alienũ

Mali fuga an sit bonum.

est carnẽ scabie, oculos lippitudine laborare: ideò scabere et detergere ex oculis defluẽtẽ humorẽ, res est suspiciẽda. neq; si malũ est dolere, & deos timere, perturbariq; ob ea

quæ

quæ apud Manes eſſe putant:ideò harum opinionũ vacuitas beatum aliquid aut præclarum haberi debet.Immò exiguũ quendã planeq; arctũ gaudio locũ(in quo verſetur ac voluteť eò vſq;,vt malis quæ apud inferos creduntť eſſe nõ perturbeť) attribuit iſtorum opinio,aliquantulũ vltra vulgo receptas progrediens,hũncq; finem ſapiẽtiæ præfigens,quem citra dubiũ apparet omnibus brutis eſſe. Si enim ad indolentiã corporis nihil intereſt,ex ſeſe ne an à natura vacuitatẽ habeat doloris: ne ad pturbationis quidẽ animi vacuitatẽ referet,p ſe ne,an à natura adeptus is hoc ſit,vt ne pturbeť.Et quidẽ nõ abſq; ratione dici poteſt affectionẽ à natura profectã,quæ pturbationes excludit,validiorẽ eſſe ea,quę has ratione & induſtria ſubterfugit.Deferať tamen vni tantũ,quantũ alteri.certè ſic liquebit,nihil eos brutis antecellere,q̃d attineat ad vacuitatẽ pturbationis,ppter ea quę de diis & inferis dicunť,& nõ extimeſcẽdos dolores aut cruciatus infinitos.(Ipſe pfectò Epicurus dixit,Niſi nobis moleſtias exhibuiſſent ea quæ in ſublimi ſunt,& quæ de morte ac doloribus feruntť,nihil ad hæc amoliẽda nobis opus fuiſſe philoſophia naturali)nã bruta neq; de diis in malã ſuſpicanť partẽ,neq; opiniones habẽt de iis quę mortẽ ſubſecutura ſint ſiniſtras quib.conturbenť,atq; omnino his de reb. nihil vel cogitãt vel norũt metuẽdũ.Quòd ſi Epicurei in anticipata dei notione tradẽda pvidentiã reliquiſſent,videri poterat homines prudẽtes plus bonæ ſpei de vita iucũda habere quàm belluas.Quoniã aũt finis diſputationi de deo ab iis hic pponiť,vt nõ metuamus deũ,deſinamúſq; turbari: cõſtantiùs ego arbitror teneri hoc ab iis, quæ omnino deũ eſſe nõ intelligũt,q̃ ab iis,qui didicerũt deũ cẽſere q nõ lædat. Illa enim nõ liberanť ſuperſtitione,ſed ne capta quidẽ ea vnquã fuerũt: neq; deponũt cogitationẽ de numine perturbantẽ,ſed ne venerũt quidẽ vnquã in eam.Eadẽ de inferis ſunt dicenda. Inde enim bonũ aliquid ſperare,neutris cõtingit. Suſpicari autẽ & metuere aliqd poſt mortẽ,minùs evenit iis quæ omnino anticipata mortis noticia carẽt,quàm iis qui præcipiunt mente nihil ad nos mortẽ pertinere. certè enim eatenus ad eos pertinet mors, quatenus de ea ratiocinanť & conſiderãt: belluæ prorſus vacant cura rerum ad ſe non pertinentium.& cùm verbera,vulnera,cædem fugiunt,eatenus mortem fugiunt, quatenus & iſti.Talia ſunt,quæ ſibi ſapientia comparata Epicurei dicunt. Conſideremus porrò qualia ſint,quibus ſeipſos priuant,& à quibus ſeſe abigunt. Animæ delectationes,quæ eis ob iucundam corporis affectionem accidunt,ſi mediocres ſunt,magni aut præclari habent nihil. Sin excellentes ſint,præter quàm quòd vanæ & inſtabiles, importunas etiam & proteruas, nõ profectò animi voluptates aut gratos motus,ſed corporeas dixerit aliquis voluptates, animo velvti arridente iis ſimulq; luxuriante. Quas verò dignum æquúmq; eſt lætitias & gaudia animi dici,eæ contrarij ſunt vacuę,neque palpitationem aut morſum admixtum vllum,vllámve pœnitentiam habent. *Animi voluptates.* Eæ delectationes bonum habent animo familiare,eíq; verè conveniens,et genuinum,non adſciticium,non brutum, ſed ſummè conſentiens rationi, enatum ea ex animi facultate, quæ contemplando vero,diſcendíq; ſtudio, aut quæ agendo & honeſti tractationi eſt deſtinata. Quàm multas,& quantas voluptates harum vtraq; proferat,dicẽdo enumerare fruſtra quiſquam conetur:breuiter mentionem earum ſubiicere licet. In promtu ſunt hiſtoriæ,quæ cùm multas habeant animum oblectantes tractationes,perpetuum veritatis ſtudium nunquam explẽt,nunquã exſatiant voluptate: *Hiſtoriæ. Fabulæ.* quæ voluptas etiã falſis aliquam conciliat gratiã, vt cùm figmentis & poëmatis fidem non adhibeamus, tamen inſit his quædã perſuadendi vis.Cogita enim apud animũ tuum, quẽ morſum ſentiamus,vbi Platonis Atlanticũ,aut Iliadis poſtremã partem legimus:velvti tẽplo clauſo aut theatro deſiderantes fabulæ reliquum. Ipſius autem veritatis cognitio ita eſt amabilis,ita deſiderabilis,vt ipſum hoc viuere & eſſe propter cognitionem data videantur: *Cognitio veri.* & quæ mors habet triſtiſſima,obliuio ſunt,ignoratio,& tenebrę.Itaq; ergo me hercle omnes ferè vno ore reclamant iis qui mortuos ſenſu priuant: quod in ſola animæ ſentiente ac cognoſcente vi ponunt vitam, eſſe,& gaudere. Licet enim etiam eorum quæ moleſta nobis ſunt quędam interdum cum voluptate audire:ac ſæpe turbati aliorum ſermone & lacrymantes,tamen dicere iubemus,vt ille:

A. Eheu,mali ipſius eſt dicendi iam locus.
B. Et audiendi mihi. Sed audire eſt opus.

Verùm hoc quidem videtur voluptatis omnia cognoſcendi quædam eſſe intemperantia ac fluxus vim rationi faciens. Cùm verò nihil in ſe habens moleſtum aut damnoſum hiſtoria, vel narratio de rebus pulcris ac magnis, adſciuerit

orationem vi elegantiáq; præditam: (vt cùm res Græcas Herodotus, Persicas Xenophon exponit,

Et quos diuinus numeros cantauit Homerus,

aut Eudoxi de conversionibus orbium cœlestium, Aristotelis de conditis vrbibus & de rebus publicis libri, Aristoxeni vitæ virorum) non modò ingens & copiosa ibi exhilarandi animi materies offertur, sed & pura, pœnitentiæq; secura. Quis enim vel esuriens edere, vel sitiens bibere malit ea quæ apud Phæaces fuerunt proposita: quàm Vlissis recensionem suorum errorum cognoscendo percurrere? aut quē magis iuuet dormire cum formosissima muliere, quàm invigilare iis quę de Panthea Xenophon, de Timoclea Aristobulus, de Thisba scripsit Theopompus. Verùm ab his delectationibus Epicurei animum avocant. Adde, quòd etiam à mathematibus profectas inde exturbant. At enim historiis simplex quædã & plana ac læuis adest delectandi occasio. Quę à geometria, astrologia, & harmonica veniunt voluptates, iis acres & variæ illecebræ aditum parant, neq; vlla deest inescandi occasio. descriptionibus enim suis mathemata tanquam illicibus quibusdam ad se trahunt. quarum qui gustum percepit, siquidem rerum imperitus non sit, obambulat Sophoclea ista cantillans:

Voluptates è mathematis.

* *Musarum exagitat me validus furor.*
* *Nec curæ mihi nunc, quàm lyra, quàm modi,*
* *Est quidquam.*

non Thamyras alia de causa Musis operam impendit, ac me hercle ne Eudoxus quidē, Aristarchus, & Archimedes. Quando enim picturæ dediti adeò suorum afficiuntur operum specie, vt Nicias pingens Necyam sæpe è seruis quæsiuerit, Pransúsne esset: & opere absoluto cùm Ptolemęus rex eius emendi gratia mitteret LX talenta, non acceperit pecuniam, neq; tabulam vendiderit. quas & quantas credemus voluptates è Geometria & Astrologia decerpsisse, Euclidem cùm scriberet Dioptica, Philippum demōstratione de figura Lunę litteris mandata, Archimedem cùm anguli ministerio depręhendisset, diametrū Solis tantā esse maximi circuli portionē, quanta est angulus ille de quatuor angulis rectis? q̃d idem volo intelligi de Apollonio & Aristarcho aliarū id genus rerum invētoribus, quarū hodiéq; cōsideratio magnas voluptates & mirabilē animorum alacritatem apud discentes excitat. Indignum verò est è culinis & prostibulis accersitas voluptates cum his contendendo, dedecus inferre Musis & Heliconi,

Vbi neq; pastor pascere conatur pecus,
Ferróq; sunt intacta loca. ——

Nam mathematicæ hæ voluptates verè sunt pascua apum vitij exsortia: istæ porcorum & caprorum pruritibus sunt similes, porrò animi facultatem quæ omnis generis affectionibus est opportunissima opplentes. Sanè res est varia & proterua, studium voluptatis. Neq; tamen in hunc vsq; diem quisquam amica potitus præ gaudio solenne sacrificium fecit: aut statim mori optauit, si daretur obsoniis bellariísq; regiis impleri. At verò Eudoxus Phaëthontis modo combvri vouit, ea lege, vt sibi antè liceret ad Solem adstanti, figuram, & magnitudinem, formámq; astri perdiscere. Et Pythagoras bouem immolauit, delineationis geometricæ causa. sic enim perhibet Apollodotus:

Pythagoras celebri diagrammate quando reperto,
Mactato fecit splendida sacra boue.

siue id pertinet ad hoc, quòd in rectangulo triquetro longissimi lateris quadratum reliquorum laterum quæ angulum rectum conficiunt quadratis in vnum conflatis ęquale esse demonstrauit, siue ad quæstionem de area parabolæ. Iam Archimedē à descriptionibus geometricis vi avulsum serui vnxerunt. ille interim strigili lineas in ventre ducebat. & inter lauandum cum ex aquæ (vt traditum) supra labrum solij elisæ effluxu excogitasset coronæ dimensionem, tanquam furore quodam aut diuino instinctu exagitatus prosiluit, vociferans, Reperi. hácq; voce sępius repetita perrexit ire. Neq; verò audiuimus, vel gulæ addictissimum quēquam clamare, Voraui: vel lasciuissimum, Amaui. cùm quidem & sint & fuerint innumeri intemperātes. sed & vt impuros aversamur eos, q cœnarū vehemētiori cū affectione animi recordantur: vt qui nimium delectentur exiguis & nullius precij voluptatibus. At Eudoxi & Archimedis ac Hipparchi instinctu diuino cōcitatorum comites esse volumus, Platoníq; credimus, qui de mathematib. ꝓnūciauit, ea ob inscitiā hominū imperitiámq; neglecta, vi tñ ob venustatē suā incremēta facere. Enimverò has tot tātásq; voluptates velvti perenni è fōte manātes Epicurei

curei devitant atque aversantur, neque patiuntur earum gustum percipere quicũque se ad ipsos contulerint. sed aliis mandant, vt citatis lembis eas fugiant: & Pythoclem omnes ab ea secta viri, omnes mulieres per Epicurum orant atq; obsecrant, ne disciplinam, quæ liberalis dicitur, magni facere sectarive studeat. & Apellem quendam mirantur ac maiorem in modum amplectuntur, quòd (vti scribunt) à mathematibus iam inde ab initio abstinendo purum sese conseruauerit. De historiis, vt cætera omittam quæ hac in re eorũ ruditatem arguunt, verba duntaxat apponam Metrodori, qui in libro de poëtis sic scripsit. Proinde ignorare te dicens ab vtra parte fuerit Hector, ignorare etiã primos Homeri versus aut quæ in medio sunt, non est q̃d trepides. Iam corporis voluptates Etesiarum in morem post vigorem elãguescere ac desinere, non fugit Epicurum. Dubitat itaque an sapiens iam senex factus & ad coitum ineptus, pulcrarum adhuc tactibus & contrectationibus gaudeat. sanè non cum Sophocle sentiens, qui libenter à voluptate hac tanquam à domino agresti & furioso se profugisse dixit. At enim voluptatibus fruendis deditos oportebat, cùm cernerent multas voluptates senectute aboleri, & quod est apud Euripidem,

Aetate grandibus Venerem aduersarier:

huiusmodi, quales retuli, voluptates potissimum conquirere, & quasi obsidionis metu frumentum quod corrumpi & perdi non posset cõgerere. atque ita postquam Veneris per vitam sacra coluissent, præclaras eius festiuitatis appendices conficere, versando in historiis aut poëmatibus, & musicas ac geometricas tractando quæstiones. Non enim in animum inducere subiuisset cæcas istas & edentulas contrectationes, si didicissent vt nihil aliud, saltem de Homero aliquid & Euripide scribere, vt fecerunt Aristoteles, Heraclides, Dicæarchus. Illi verò nimirum hoc commeatu neglecto, cùm reliqua ipsorum tractatio delectationis expers & arida esset, (quomodo ipsi virtutem appellant) & omnino tamen voluptate affici vellent, corpúsque ad eam rem deficeret, fatentur turpiter se & intempestiuè agere, dum & pristinas in memoriam sibi revocant voluptates, & antiquis penuria nouarum vtuntur, tanquam muria conditis & mortuis, aliásque rursum exanimas in carne, velvti in frigido cinere ignem, contra naturam succendunt. quippe nihil proprium in animo paratum qui habeant, quod alicuius momenti oblectationem gaudiúmque conciliare possit. Ac cætera quidem à nobis, ita vt in buccam venerunt, dicta sunt. Musicam verò (quantarum voluptatum & elegantiarum fertilem?) eos vitare & fugere, ne si velis quidem, ignorare possis: ita absurda sunt quæ hac de re Epicurus tradidit. Pronunciat enim sapientem spectaculis debere esse deditũ in publico, scenicísque actionibus & musicis auditionibus ita vt quenquam alium gaudere. sed musicis quæstionibus, & eruditis disquisitionibus eorum qui iudicium sibi de hac re sumunt, ne inter pocula quidem locum concedit. immò regibus Musarum studiosis autor est, vt in cõuiuiis narrationes militares, & importunas scurrilitates potiùs tolerent, quàm disputationes de musicis aut poëticis quæstionibus institutas. Hæc .n. ausus est scribere in libro de regno: tanquam si ad Sardanapalum scriberet, aut Naratum Babylonis satrapam. Non enim Hieroni, Attalo, aut Archelao persuasisset, vt iussis è conviuio surgere Euripide, Simonide, Melanippide, Cratete, Diodoto, Cardaces secum collocarent, & Agriantas, & Callias scurras, ac Thrasonidas aliquos & Thrasyleontas, vlulatus & plausuum tumultum excitaturos. Quod si Ptolemæus qui primus musicos conduxit in præclara ista & rege digna incidisset præcepta, nónne dicturus erat Samiis: O Musa, quæ invidia? Nam Atheniensium quidem nemini convenit ita infensum Musis esse, iisq; bellum facere.

Musica ab Epicuro posthabita.

Sed quæ cara Ioui non sunt,
Consternantur, vbi audiunt
Pieridum vocem.

Pindarus Pythiorum I.

Quid ais Epicure? prima luce in theatrum progrederis, citharœdos auditurus & tibicines? in conviuio si Theophrastus de concentibus vocum disserat, aut earum de mutationibus Aristoxenus, & Aristophanes de Homero, manibus aures occupabis indignans & abominans? Nónne magis scitus fuit Atheas ille Scytha, qui cùm Aminias tibicẽ captus inter pocula fistula cecinisset, iurauit suauiùs se auditurum equũ

hinnientem? Nónne profitentur se pulcras adversum res bellum suscepisse nulla pace finiendum, idque non indictum, qui nisi voluptas adsit, nihil purum nihil egregium amplectuntur & amant? Nónne æquius erat suauiter viuendi gratia vnguentis eos & suffitibus, cantharorum & vulturum in morem esse iniquos, quàm criticorum & musicorum sermonem impurum ducere eúmque fugere? Quæ enim tibia aut ad cantum concinnata tibia, aut

Quis clarum chorus ex probè
Doctis artificum gutturibus sonum
Depromens——

ita delectauit Epicurum & Metrodorum: vt Aristotelem, Theophrastum, Hieronymum, Dicæarchum disputationes & doctrinæ de choris, & quæstiones de tibiis, numeris, ac concinnatione sonorum? Verbi gratia, Cur æqualium tibiarum ea quæ angustior est, grauiorem edit sonum? cur fistula sursum elata omnes sonos acutiores, inclinata rursus grauiores profert? cur cum alia si coniūgatur, grauiùs, sola autem acutiùs sonat? Cur si in orchestra theatri paleæ spargantur aut puluis, populus cæcatur? cur Alexandrum Pellæ proscenium æreum facere volētem inhibuit artifex, corrupturum eum vocem histrionum dicens? Cur inter musices genera chromaticum animum maximè diffundit, harmonicum componit? Iam poëtarum singularia ingenia, figmenta, & formarum discendi discrimina, ac quæstionum difficilium solutiones, cum decoro & nitore convenientem rei propositæ probabilémque habētes rationem, videntur mihi (quod Xenophon aiebat) etiam amoris obliuionem inducere, tantam adferunt voluptatem: cuius neque fiunt, & nolle etiam se fieri participes aiunt Epicurei. Qui sanè cùm facultatem animi contemplatricē intendant corpori, & quasi plumbeis molibus in carnis cupiditates detrahāt, nihil absunt ab equisonibus & pastoribus fenum aut calamum aut herbam aliquam prædicātibus, quòd suis ista pascere & edere pecoribus conveniat. Nónne enim ita volunt animā voluptatibus corporis porci in morem pascentis saginari, quantum spes aliqua suppeditat de carnis suaui affectione, eiúsve recordatione? cùm non sinant peculiarem sibi eam ex sese capere aut petere delectationem. At verò quid potest absurdius fieri, quàm, cùm duæ sint è quibus homo componitur partes, corpus & anima, quarum quidem hæc principatū obtinet, corporis proprium quoddam, domesticū, & naturæ conveniens esse bonum, nullum animæ? sed eam desidentem in corpus habere conversos oculos, eiúsque affectionibus arridere, vnàque voluptate & gaudio frui? ipsam ab initio immobilem, omnisq; affectionis vacuam, nihil omnino habere quod deligat, quod appetat, quo gaudeat? Aut enim oportuit eos simpliciter sententiam suam revelantes hominem totum carneum facere, quod nonnulli audent animæ substantiam negantes, aut duas naturas diuersas in nobis si relinquunt, proprium vtriusque etiam relinquere bonū & malum, familiare & alienum. quo modo scilicet sensuum vnusquisque suo est destinatus sensili, & omnino simili invicem afficiuntur modo. Est autem animæ proprium sentiendi instrumentum mens, cui nullam rem peculiarē subiicere quam spectet, qua moueatur, nullam cognatam affectionem qua soleat gaudere, omnium est absurdissimū. nisi fortassis aliqui hoc illis falsò & per calumniam imputātes fallunt? Respondi tum ego in hæc verba. Non equidem nos talem sententiam feremus. itaq; intrepidè reliquum orationis persequere. Quî? aiebat. Non enim in dicendi partes nobis Aristodemus succedet, si tu planè fessus es? Omnino, inquit Aristodemus, si itidem tu vt ille est defatigatus fueris. Verùm tu, bone vir, qui etiamnum viges, vtere teipso, neque ob mollitiem detrectantis opinionem de te excita. Et quidem, subiiciebat Theo, id quod restat admodum est facile. superest enim vt enarretur, quanta actionibus cōcilietur homini voluptas. Cæterùm ipsi hoc Epicurei dicunt, suauius esse afficere quàm affici beneficio. Non abnuerim etiam verbis beneficium posse conferri. sed certè in actione pars maxima & potissima consistit: quod & benefaciendi vocabulum indicat, & ipsi fatentur. Paulò enim antè audiuimus istum dicentem, quales voces emiserit Epicurus, quales ad amicos litteras dederit, prædicans & summis vehens laudibus Metrodorum, quòd is præclarè & egregio conatu ex Astu in Piræeum descendisset Mithro Syro opem laturus. cùm quidem nihil tum egerit Metrodorus. Quas ergo & quantas fuisse existimatis Platonis voluptates, cùm ab ipso profe-

Hominis duæ partes.

Actionum voluptas.

profectus Dio evertit Dionysium, & Siciliæ libertatē reddidit? aut Aristotelis, quando patriam humi prostratam erexit, ciuésque postliminio reduxit? aut Theophrasti & Phediæ, vbi patriæ suæ tyrannos exciderunt? quid enim apud vos, quibus isthæc sunt notissima, commemorem quàm multis subvenerint viris, non tritico mittendo, aut farinæ modio: sicvt Epicurus misit quibusdam. sed exsulibus reditum conficiendo, vinctis liberandis, reddendísque vxoribus & liberis his qui eos amiserant? Sed ne si cupiam quidem, possim præterire ineptias hominis, qui cùm Miltiadis & Themistoclis res gestas sub pedibus collocasset & extenuasset, de seipso ad amicos hæc scripsit. Strenuè ac magnificè res nostras in frumento comparando administrauistis, vestræq; erga me benevolentiæ signa ad cœlum vsq; pertinentia edidistis. Quod si quis ex epistola philosophi modicum illud frumēti exemisset, verba opinionem poterant excitare, scriptam esse causa agendarum pro tota Gręcia aut Atheniensi populo liberato gratiarū. Mittamus in præsentia hoc, quòd ad corporis voluptates natura multiplici sumtu atq; impēdiis indiget, neq; in iure & lēte dulcissimū inest: sed appetitiones deditorum fruēdis voluptatibus obsonia requirunt, & Thasium vinū, & vnguenta, & cupedias, & placentas melle largo rigatas: præterea formosas & ætate integra mulieres, quales circa hortū Epicuri versabantur Leontiū, Boidium, Hedea, Nicedium. Id quidem in confesso est animi lętitiæ subiectā oportere esse actionum magnitudinē, & pulcritudinē facinorum memorabiliū, si nō vana, ignobilis, & puerilis, sed ponderosa debeat esse, stabilis, ac magnifica. Quòd autē Epicurus ob suauē affectionem animo efferī nautarum instar Aphrodisia (ea sunt festū Veneris) agentium, & magni sese facit, quòd in morbo se exercuerit, conviuia amicorum quædā instituerit, aquæ intercuti humorē superinducere non inviderit, & extremorum Neoclis verborum recordatus sua peculiaris modi voluptate cum lacrymis contabuerit: hæc nemo sanæ mētis vera gaudia appellauerit. sed si quis est animę Sardonius risus, is in huiusmodi est violentis læticiis ac permixtis fletu risibus. Siquis tamen læticiæ nomine ista dignabitur, considera mihi excellentiam harum voluptatum: *Epicuri iactantia.*

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum. &:
Hic patriæ est, hospes, Romæ memorabile sidus. &:
Ambigo, téne hominem, vel numen dicere par sit.

Cùm autē mihi ante oculos pono Thrasybuli & Pelopidæ illustria facta, & apud Platæas, Aristidem, Miltiadem Marathonæ: ibi (secundū Herodotum vt loquar) cogor hanc proferre sententiam, Vitæ in agendo occupatæ plus voluptatis quàm honesti esse. Testimonium mihi etiam Epaminondas præbet, qui hoc sibi (vt fertur) iucūdissimum evenisse dixit, quòd parētes ipsius viuentes trophæum ipso duce apud Leuctra erectum conspexerunt. Contendamus ergo cum Epaminondæ matre matrem Epicuri, gaudentem quòd filius in hortulum sese abdidit, & communi iure cum Polyæno meretrice Cyzicena ad sobolem procreandam vtitur. Matrem enim & sorores Metrodori nimio ob eius nuptias gaudio fuisse evectas, rescripta ad fratrem, quæ in libris exstant, abvnde docent. vociferando enim in clamorem erumpētes isti homines produnt suauiter se vixisse, florere, & vitam suam summis vehunt laudibus. Serui cùm Saturnalia cœnant, aut Liberalia in agro vagantes celebrant, vlulatum eorum & tumultus ferre non possis, præ gaudio & imperitia rerum pulcrarum talia agentium & loquentium:

Quid desides? quin bibimus, & capimus cibos?
Sunt hæc, miselle, in promtu: cur tibi inuides?
Vocem statim hi dedere. tum Bacchi liquor
Infunditur, & corona aliquis ornat caput.
Lauriq; pulcram ad frondem turpiter canit
Indigna Phœbo: ianuámq; alius domus
Pulsam operiens, excludit caram coniugem.

Nonne verò horum similia sunt ea quæ ad fratrem scribit Metrodorus. Nihil attinet, ô Timocrates, Græcis salutem parare, aut ob sapientiam ab iis coronas accipere: sed edere, & bibere vinum ita vt ventri non noceat, eique sit gratum. Et rursum iisdem in litteris scribit. Gauisus sum vehementer, & ferocire cepi, quòd ab Epicuro didici rectè ventri gratificari. Et: Nam, ô naturæ indagator Timocrates, circa ventrem est

* » bonum. Omnino autem isti homines totam voluptatem, eiúsque magnitudinẽ ventre quasi centro posito circumscribunt: splendida, & regali, ac magnitudinem animo, lumen, tranquillitatémque conferente voluptate, quæ verè gaudio totum perfundat hominem, non possunt frui. quippe vitam exitus expertem, à rep. & humanitate alienam, & quæ nullo ad honorem elegantiámque cieatur instinctu, cùm sibi delegerint.

Animi vis. Enimverò animus res est minimè iners aut exilis aut abiecta, neque cupiditates suas, quomodo polypi flagella sua, tantùm vsque ea quæ esui sunt extendit. sed has celerrimè præcidit satietas momento temporis, & minima horæ portiuncula. Augescentibus autem impetibus quibus ad pulcrum incitatur, eíque propositum honorem & gratiam, mensura eius non est vitæ tempus: sed honoris humanitatísque studium totam attentans æternitatem, certatim pulcris actionibus elegantibúsque factis contẽdit, voluptatem habentibus immensam. quas ne fugiendo quidem evitare possunt boni, vndiquaque occurrentes sibi & circumfusas, cùm lætitiam percipiunt ex eo quòd multis benefecerint.

Hunc vel vti numen, quàcunq; incedit in vrbe,
Suspiciunt cuncti.—

Qui enim sic alios afficit, vt & gaudeant eo viso & exsultent, tangeréque & compellare desiderent, vel cæcus videat hunc magnas in se habere ac perfrui voluptates. Itaque etiam non defatigantur benefaciendo, neq; animum despondẽt, sed huiusmodi eorum audiuntur voces:

Magni pater precij creat mortalibus. Item:
Non desinamus bene mereri de hominibus.

Et quid opus est de summè bonis dicere? Si cuipiam mediocriter malorum iam morituro, potestatem vitæ & mortis habens siue deus siue rex vnam proroget horam, vt ea vsus vel ad honestum facinus vel ad fruitionẽ voluptatis, statim vita decedat: quis isto tempore mallet cum Laide concumbere, aut vinum bibere Ariusium, quàm Archia occiso liberare Athenas? Equidem puto neminem. Nam gladiatores etiam video qui non planè sunt belluini sed Græci, in arenam intraturos, multis ac preciosis propositis cibis, libentiùs isto tempore mulierculas suas amicis commendare, & seruos libertate donare, quàm ventri gratificari. Immò si quid magnum habent voluptates corporis, commune id est iis qui in agendis rebus versantur. Nam hi quoque

Iliad. ι,341. *Vescuntur Cerere, & Lenæi rore rubentis,*

& cum amicis conviuia agitant. idque multo ni fallor alacriùs certaminibus & actionibus obitis, vt Alexander, vt Agesilaus, ac mehercle Phocion & Epaminondas: quàm hi ad ignem vncti, & lecticarum gestatione sensim concussi. Verùm illi has contemnunt voluptates, quia in maioribus istis sunt. Quid enim referam noluisse cœnare Epaminondam, cùm cœnam vidit quàm pro re familiari sumtuosiorẽ, ac dixisse amico: Putabam te sacrificare, non insolenter luxuriare? quando Alexander etiam Adæ coquos reiecit, Meliores inquiens se obsoniorum conditores habere, nocturnum iter ad prandij, & huius exilitatem ad cœnæ suauitatem. & Philoxenum qui per epistolam eminevellet formosos pueros interrogaret, parum abfuit quin procuratione commissa deiiceret. & verò cui magis licebat? Sed sicvt inquit Hippocrates è duobus doloribus minorem à maiore obscurari: sic voluptates etiam corporeæ à voluptatibus agendo & honesti studio partis ob animi lætitiam ingentem ac incomparabilem oblitterantur & exstinguuntur.

Sobriè.

Memoria voluptatum. Quod si ergo, vt aiunt, memoria pristinorum bonorum maximè facit ad iucunditatem vitæ: Epicuro quidem nemo, puto, nostrûm fidem habebit, eum inter maximos dolores & grauissimis in morbis animam agentem recreatum fuisse memoria perceptarum olim voluptatum. Imaginem enim visus in profundo conturbato & fluctu faciliùs aliquis animo concipiat, quàm voluptatis memoriam renidentem in tanta corporis exagitatione atque laniatione. Memoriam verò actionum nemo, ne si id conetur quidem, potest amoliri à se. An enim, aut quomodo Arbelorum Alexander oblitus fuisset, aut Pelopidas Leõtiadæ, aut Salaminis Themistocles? Marathoniã.n. pugnã hodièq; Atheniẽses, Leuctricã Thebani, & nos Daiphãti apud Hiãpolin, vt nostis, celebramus solenniter, sacrificiisq; & honoribus Phocis repletur. neq; quisquam nostrum cibo & potu quibus vescitur ita delectaẽ, vt eorũ rebus gestis. Cogitari verò potest quanta in

lætitia

lætitia gaudióque & hilaritate ij vixerint, qui horum autores fuerunt facinorum: cùm memoria 1 ɔ & amplius annorum delectationem non amiserit. Porrò à gloria etiam quasdam proficisci voluptates Epicurus fatetur. Quî verò non hoc faceret? ita insano flagrans atque æstuans gloriæ studio, vt nō modò negaret vllis se vsum præceptoribus, & cum Democrate decreta eius totidem verbis suffurato altercaretur de syllabis & apicibus, nullúmque diceret exstitisse sapientem extra se & suos discipulos: sed scriberet etiam, sibi cùm explicaret naturam rerũ ad genua accidisse suppliciterque ea tetigisse Coloten: Neoclem autem fratrem statim à puero pronunciauisse, neminem Epicuro sapientiorem vnquam fuisse: matrem quoque suam in se tot tantásque habuisse atomos, quarum congressu sapiens ederetur. Non igitur, sicvt Callicratidas aiebat Cononem mare adulterare, ita iure aliquis dixerit Epicurum turpiter ac furtim captare gloriam, vísque in eam se ingerere, cùm palàm ea non potiatur, sed amet tantùm ac totis viribus affectet? Sicvt enim præ fame corpora cibo destituta coguntur contra naturam ex seipsis alimentũ petere: ita ambitio hoc mali in animis ingenerat, vt laudũ auidi, quando ab aliis eæ non conferuntur, ipsi sese laudent. Cæterùm qui hoc modo sunt erga laudem & gloriam adfecti, nónne fatentur se magnas dimittere voluptates, dum ob imbecillitatem vel molliciem fugiunt magistratus, reip. gubernationē, amicicias regum: quibus à rebus magna bona vitæ proficisci dixit Democritus. Nemini enim homini persuaserit Epicurus, se, qui Colotæ adorationē & Neoclis testimoniũ tanti fecisset, si à Græcis Olympiæ publico exciperetur plausu, non insaniturum præ gaudio & vlulatum fuisse editurum: ac non potiùs ita præ lætitia se elaturum,

Inflata ceu veteris lanugo cardui,

vt est apud Sophoclem. Quod si dulce est gloria esse præditum, nimirum molestum erit esse inglorium. atqui nihil est ab omni gloria alienius, quàm amicis, actionibúsque carere, deum nullum putare, soli vacare voluptati, omnes res negligere. quæ quidem omnes ipsis exceptis homines Epicureorum sectæ tribuunt. Dicat aliquis, immeritò hoc. Atqui non veritas hîc, sed fama spectatur. Et sanè libros ac decreta maledica ciuitatum contra Epicureos scripta non proferemus. odiosum enim hoc fuerit. Sed profectò si oracula, diuinatio, deorum prouidentia, parentum in prolē innatus amor & dilectio, si reip. administratio, principatus, magistratus, hæc inquam si cum gloria & laude sunt coniuncta: eos qui dicunt non esse salutem Græcis parandam, sed edendum bibendúmque ita vt ventri neque noceat & sit gratum, necesse est infamia laborare, malósque existimari. & cum tales habeantur, dolore affici, & vitam viuere turpem: siquidem dignitatem & gloriam pro re iucunda putant. Hæc locuto Theone, placuit finem deambulandi facere. & pro more nostro in subselliis cōsidentes, dictáque considerantes silentium tenuimus non diuturnum. Zeuxippus enim iniecta è dictis cogitatione, Quis, inquit, reliquam orationis partem absoluet? nōdum enim suo fine conclusa est, cùm modò diuinationis & prouidentiæ intulerit mentionem. quorum contemtum Epicurei aiunt non minimum conferre momentum ad voluptatem, tranquillitatem, & fiduciam vitæ. itaque etiam de his dicendum est aliquid. Aristodemus sub hæc ita locutus est. De voluptate quidem ferè dictum est hoc, Epicureorum sermonem, vt maximè id consequatur quod habet propositum, metum auferre quendam & superstitionem, nullam autē lætitiæ & gaudij deorum causa cōcipiendi præbere materiam: sed facere vt ita simus erga eos affecti neque timēdo neque gaudendo, quomodo sumus erga Hircanos aut Scythas affecti, neque boni ab iis quicquam neque mali exspectantes. Si quid autem addendum est dictis, id ab ipsis sumemus. Primum est hoc, quòd dolores, lacrymas, & gemitus in morte eorum qui cari fuerũt excludentibus repugnãt, dicúntque indolentiam quæ affectionum vacuitatem efficit, à maiori malo proficisci, crudelitate nimirum aut immoderata arrogãtia & rabie. itaque præstare affici, mœrere, oculos rigare, flēdóque tabescere, & quæ alia sunt gestuum genera vsurpare, quibus homines vtentes volunt molles & suorum studiosi videri. Hæc enim Epicurus cùm aliis multis locis tradidit, tum in scripto super morte Hegesianactis ad patrem eius Dositheum, & fratrem mortui Pyrsonem. nuper enim forte fortuna has epistolas pellegi. Ego autem contrà dico, opinionem quæ deorum naturæ est aduersa, non minus esse immanitate & ambitione malum. quam ad opinionē ij nos ducunt, dum gaudium propter numen vnà cum eius iræ metu abolent. Præstat enim insitam esse opinioni de deo ac contemperatam affectionem quandam mixtam

Voluptates à gloria profectæ.

Mortui an lugendi.

Opinio de diis

qualis esse debeat.

è verecundia & metu, quàm hoc dum fugimus, neque spem nobis, neque gratiam, neque fiduciam bonis præsentibus, neque rebus adversis conversionem ad deum relinquere. Equidem oportet omnino opinioni de diis superstitionem, tanquam oculo lemam, adimere. quod fieri cùm possit, non est vnà cum superstitione excidenda aut excæcanda fides, quam de diis plerique habent. Ea autem non est horribilis quædam aut tetrica persuasio, qualem isti fingunt, calumnia providentiam impetentes, quæ hominibus tanquam pueris ingruat, aut supplicio scelerum tragico sit inscripta.

Metus deorum rectus.

Verùm pauci homines deum ita timent vt non præstet non metuisse. Qui autem eum timent vt principem bonis benignum, malis infestum, vno illo metu liberati à studio peccandi, neque multis opus habentes liberatoribus, cùm malicia apud ipsos paulatim quasi contabescat, minùs animo conturbantur, quàm qui indulgēt vitiis audentq; scelera, ac statim deinde metu & pœnitentia corripiuntur. Plerorumq; verò & indoctorum, neque penitus tamen prauorum hominum de deo sensus, habet is quidem cultui & honori permixtum quendam tremorem & metum, quæ superstitio vocatur. innumeris verò modis antecellit bonæ spei copia, gaudij abvndantia, omnísque prosperitatis, vt à diis proficiscentis, votis atque exspectatione. Quod ipsum maximis ac certissimis ostenditur signis. Nam neque sacerdotum in templis consuetudines, neque solennitatum tempora, neque actiones aut spectacula alia magis nos delectant, quàm ea quæ ipsi facimus & cernimus orgia agentes, aut choros ducentes, aut sacrificiis mysteriísve vacantes. Non enim tunc animus in mœrore est, non languet, neq; ei ægrè est: quod futurum erat, si cum tyrannis se aut atrocibus vindicibus agere putaret. sed vbi maximè opinatur ac ratiocinatur deum adesse, ibi potissimùm doloribus, metu, curísque repudiatis, delectationi vsque ad ebrietatem, risum, iocúmque indulget. Scripsit in Amatoriis poëta,

Annosum Cytherea virum, vetulámq; suaui
Lætitia quandoq; implet repetita trementem.

At in pompis & sacrificiis non vir modò senex aut anus, non pauper duntaxat & plebeius, sed &

Ancilla suras crassa in pistrino molens,

& vernæ & mercenarij gaudio lætitiáque efferuntur. Diuitibus & regibus conviuia sunt, & viscerationes quædam publicæ: sed multo maiorem iis voluptatē ac delectationem sacrificia & solēnitates præbent, vbi cū veneratione & cultu proximè animo ad deos accedere videntur. At enim in nullam huius voluptatis partem venit, qui de providentia spem opinionémque abiecit. Non enim vini copia, aut carnium assatio id est quod in sacrificiis delectat: sed bona spes atque sententia de præsentia dei propicij, & qui grata habeat ea quæ fiunt. Sunt quædam sacrificia, quibus fistulæ & serta adimuntur. Sacrificium deo non præsente, tanquam solennitas conviuij expers, reliqua habet impia, festiuitatis & instinctus diuini expertia. immò planè totum insuaue & molestum Epicureo relinquitur. Simulat enim se adorare & vota facere, non quòd sibi his rebus aliquid quærat, sed metu multitudinis impulsus: vocésq; contrarias his quas inter philosophandum ederet, pronunciat. ac sacrificans quidem mactanti sacrificulo tanquam coquo adsistit: operatus autem sacris discedit, inquiens:

Rem sacram inutiliter feci. neq; enim diis
De me vlla cura est.——

Sic enim Epicurus censet sacrificantem debere se componere, neque invidere aut infensum esse vulgo hominum qui cum gaudio ista agunt, ipsi molestè ferentes.

Quod facere est etenim cúmq; necesse, graue est,

inquit Euenus. Itaque etiam superstitiosos arbitrantur sacris & mysteriis interesse non gaudentes, sed sibi timentes. nihil ipsi iis meliore cōditione, siquidem ob metum eadem agunt, neque tantum bonæ spei, quantum illi, animo concipiunt: id duntaxat animo perturbato metuentes, ne depræhendātur multitudinem hominum impostura circumvenientes. adversus quam multitudinem libros etiam suos de deo & diuina natura composuerunt,

Cuncta inuoluta, distorta, & sani nihil:

sed in quibus suam opinionem metu adducti omnis generis tegumētis operiunt atq; occultant. Porrò post malos & vulgus hominū, tertio loco consideremus hominum

præstan-

præstantius & diis amicissimum genus quantis in voluptatibus sit, de deo purè sentiens. nimirum hunc omnium esse bonorum principem, omnium pulcrarum rerũ parentem, neq; fas eum aut agere aut pati mali quicquã. Bonus enim cùm sit, bono nullius rei vel invidia vel metus, non odium, non ira subit. vt enim caloris non est refrigerare, sed calefacere: ita boni quoq; non est nocere. Iram porrò à gratia, bilem à benignitate, ab humanitate & benevolentia malevolentiã ac tumultus animi natura longissimè deiunxit: cùm altera virtutis sint ac potentiæ, altera imbecillitatis & vitij. Non igitur ira aut gratia numen tenetur: sed suapte natura beneficum & auxiliare, irasci & lædere non nouit. Verùm magnus in cœlo Iupiter, volucrem citans currũ primus deorsum concedit omnia componens atq; procurans. reliquorum deorũ alius est largitor, alius blandus, alius malorum depulsor, & Apollo damnatus est eo nomine, quòd sit (vt ait Pindarus) benignissimus erga homines. Cæterùm omnia sunt deorũ, Diogeni si credimus, itémq; amicorum communia omnia: & boni diis sunt amici. itaq; fieri nõ potest diis chari qui sunt, vt felices non sint: & homo temperans aut iustus diis non carus esse nequit. Ergóne aliã mereri pœnam putemus eos qui providentiã tollunt, non satis hoc ipso puniri, quod tantum sibi voluptatis atq; gaudij adimunt, quantũ nobis contingit hoc modo erga deos affectis? Epicuro quidem Metrodorus, Polyænus, & Aristobulus præsidium fuere & gaudium: quorum ille plerosq; vel ægrotantes curãs, vel mortuos deplorans vitam exegit. Quid? Lycurgus à Pythia sic compellatus,

Care Ioui, cunctisq; domus quibus altus Olympus:

& Socrates existimans genium secum præ benevolentia loqui: & Pindarus audiens à Pane carmen quoddam cantari à se compositum, mediocriter sunt gauisi? aut Phormio Castores, Æsculapiũ Sophocles hospitio suo exceptum ipsi persuasum habentes, aliisq; idem sentientibus ob factam apparitionem? Sententiam verò Hermogenis de diis, par est verbis ipsius referri. Hi, inquit, qui & sciunt omnia dij & possunt omnia, ita mihi sunt amici, vt propter curam quam pro me gerunt, nũquam eos lateam neque noctu neque interdiu, quamcunq; rem aggrediar aut acturus sim. vtq; præscire possim exitus singularum rerum, eos mihi significant mittendis nunciis suis, ominibus, somniis, auguriis. Consentaneum quidem est pulcra esse quæ à diis veniunt. sed hoc ipsum, suggeri ea diuinitus, magnam voluptatem conciliat, fiduciámq; immensam & animi elationem ac gaudium velvti arridens bonis. Aliter affecti, rerum secundarum suauissimum quod est mutilant, in adversis quò se avertant, nihil sibi faciũt reliqui: sed fortuna vrgente, ad dissolutionem & sensus vacuitatem tanquam vnicum refugium & portum respiciunt. Perinde ac si tempestate in mari agitatum aliquis consolaturus sic dicat: Neque gubernatorem habet nauis tua, neque ipsi Castores suo superventu emollient vim maris ingruentis, celerésq; ventorum impetus. nihil tamen mali est: iam iam enim nauim mare deglutiet, aut statim ad scopulos eiecta cõteretur. Talis est enim planè oratio Epicureorum in morbis atrocibus & doloribus ingentibus. Speras aliquid boni à diis ob tuam pietatem? animo es inflato: beata enim & interitus exsors natura neque gratia capitur, neque ira. melius aliquid post vitam oblatum iri sentis quàm in vita? in errore es. quod enim dissolutum est, sensũ caret. quod sensu caret, nihil ad nos. Quomodo itaque mi homo, edere me iubes, & gaudere? quia scilicet tempestate iactato imminet naufragium. dolor enim excellens morti tradet. Atqui è naui quidem elapsus vector dissipata, cum spe tamen aliqua vehitur, tãquam terræ corpus applicaturus & enataturus. Horum philosophia animo

E ponti canis nusquam datur exitus vndis:

sed statim abolitus est ac dissipatus, & corporis interitum antevertit: adeò vt summo afficiatur gaudio, sapiens hoc & diuinũ decretũ arripiens, miseriarũ sibi finem esse interitũ, inq; nihil abitionem. Verùm enimverò (hæc dicens me adspiciebat) Fatuũ est de hoc disserere, qui nuper vos audiuerimus sufficienter disputantes contra eos, qui Epicuri doctrina putant nos ad mortem obeundã faciliores æquioresque reddi quàm Platonis de animo tractatione. Ergo, inquit sermonem excipiẽs Zeuxippus, hęc propter illam imperfecta erit disputatio, & oraculum metuemus, contra Epicurum disputantes? Minimè verò, inquam ego. nam secundum Empedoclis sententiam,

Quæ sunt pulcra, iterum atq; iterum est audire necesse.

Itaq; rursum nobis Theo est exhortandus: quem & interfuisse illi disputationi puto, & adolescens cùm sit, non metuit ne adolescentes ei obliuionis dicã scribant. Tum

Theo quasi vi adactus, Si videtur, inquit, sic agendum, non imitabor te Aristodeme. Tu enim veritus es huius sermonem vsurpare: ego autem tuo vtar. Videris enim mihi recte homines in tria diuisisse genera: iniustorum vnum & malorum, secundum vulgi & plebeiorum, tertium bonorum & prudentum. De his iniusti & mali supplicia in vniuersum pœnásq; dum timēt, earúmq; metu à flagitiis sese cohibēt ac facilius quiescunt, suauius viuent, ac minus dabunt turbarum. neque enim Epicurus alia re existimat ab iniusticia arcendos homines, quàm supplicij metu. Ergo his vltrò propinanda est superstitio, concitandáq; adversum eos omnia terrorum genera, quæ cœlo & terra suppeditantur, hiatúsq;, & metus, & suspiciones: siquidem his perculsi, honestius viuent atque placidius. Magis quippe in rem ipsorum est, vt metu eorum quæ mortem sunt consecutura sibi à flagitiis temperent: quàm facinoribus malis perpetratis vitam in metu ac periculis traducant. Vulgo autem hominum, quod metu eorum vacat quæ apud inferos esse perhibentur, fabulis adiuncta sempiternitatis spes, ac viuendi desiderium, quo nullus est amor vetustior aut maior, voluptates quasdā & delectationes subiicit, puerilémq; istum metum eximit. Itaque vbi liberos, vxores, amicos amiserunt: esse alicvbi & durare etiam in miseria malunt, quàm omnino periisse & ad nihilum redacti videri. Iidem ergo libenter audiunt ista vocabula, quibus eum qui moritur notantes, migrare aut commutare dicimus, aut quæ alia mortem non interitum, sed mutationem animæ evenientem significant. & sic ipsi loquuntur:

Hominum tria genera.

Superstitionis vsus.

Essendi desiderium.

Isthic rursus ero cari memor ipse sodalis. &
Quid Hectori tu nuncias per me, tuo
Vel quid seni marito?—

Hinc adeo conversione orta, arma, instrumenta, vestésq; mortuis frequentius vsitatas, & vt Minos Glauco

Membra hinnuleæ variæ defunctæ Creticas
Vbi tibias ——

iuxtà sepeliuerunt, æquiore sunt animo. & si quid moriens petat aut desiderare videatur, læti tribuunt. vt Periander mundum muliebrem vnà cum vxore, rogante & algere se dicente, cremauit. Æaci autem, Ascalaphi, & Acherontes non admodum perturbant: quibus ij & choros, & theatra, & Musicam qua se oblectaret omnis generis obtulerunt. Eam verò mortis faciem vt terribilem, tetricam, tenebricosam omnes reformidant, quæ sensuum priuatione omnium, obliuione, & ignoratione describitur: turbantúrq; cùm mortuum audiunt periisse, sublatum esse, non iam esse amplius: & animo ægro tales admittunt voces,

In tellure consita arboribus
Computrescet hic liræ,
Et conuiuiorum exsors,
Omnigeniq; tibiarum
Suauium sonitus. Item:
Ast hominis post mortem obitam reparabilis arte
Non vlla est animus semel expiratus ab ore.

Iliad. ι.

Et sunt alicvbi, qui sese in carorum iugulant funeribus, isthæc dicentes: semel nati sumus homines: bis nasci non datur: porrò æuum nostrum iam desinere oportet. Hi enim vitam præsentem vt exiguam, immò vt pro nihilo si cum æternitate comparetur deputantes contemnunt, itáq; exigunt vt ea non fruantur, negligúntq; virtutem & actiones, collapsis animis seipsos spernentes vt ad vnius diei vitam natos, instabiles, & ad nullam rem factos memorabilem. Nam sensuum abolitio, dissolutio, & hæc ratio id quod sensu cassum est nihil ad nos pertinere, non tollit mortis metum: sed quasi demonstrationem eius adiicit. Hoc enim illud ipsum est, à quo sibi natura metuit:

Sed vos in terram cuncti redeatis, aquámq;.

Iliad. η.

nimirum ab animæ dissipatione tali, quæ ei intellectum & sensum auferat. quam Epicurus dispersionem in vacuum & atomos faciens, tanto magis spem perpetuitatis exscindit. ob quam spem parum abest quin dicere ausim omnes vtriusq; sexus homines paratos esse Cerbero se dilaniandos permittere, & in dolium Danaidum aquam congerere, ea lege vt esse detur, neque prorsus aboleantur. Et verò hæc, vt dixi, non admodum multi metuunt, matrū & nutricum opiniones, ac fabulosa commenta. & rursum qui

qui timent, quasdam initiationes & expiationes putant opitulari, quibus purgati permaneāt apud Manes ludo choreísq; dediti inter eos, qui lucem, spiritū, sonúmq; mundum retinent. Vitæ autem priuatio, iuuenes senésq; perturbat. Videmur enim infelici amore torqueri. tamen non facilè aut citra molestiam isthæc audimus

Infra terram abiit fulgor, —— vt Euripides loquitur. Et,

Isthæc eum loquentem, lucidum iubar
Solis perennis exacto liquit die.

ita Epicurei cum immortalitatis opinione iucundissimas plerorumque hominum & maximas spes tollunt. Quid censetis de bonorū exspectatione? qui cùm vixerint piè & iustè, nihil post mortem mali, sed bona pulcerrima & diuinissima sibi pollicentur. Primò omniū, sicvt athletæ non nisi peracto certamine & parta victoria coronanē: sic illi victoriæ viuendo impetratæ præmia bonis post vitā dari iudicātes, mirū dictu est quātū huius spei gratia sibi de virtute plaudāt: qua in spei copia videre est etiā eos qui nunc ob opes & potentiam insolenter se ac impotenter gerunt, melioresq; stultè despiciunt, dignas pœnas luere. Deinde nemo vnquam eorum qui veritatis indagationi ac contemplationi fuere dediti, cupiditatem suam in hac vita expleuit, per corpus tanquam caliginem aut nubem humida ac perturbata vsus ratione. sed auis instar sursum spectant, vtpote euolaturi hoc ex corpore in magnum aliquem splendidúmque locū animúmq; à rebus caducis liberatum, facilem expeditúmq; reddunt, philosophando vtentes pro mortis meditatione. adeò ingens aliquod & verè perfectum bonum existimant esse mortem, quòd ab ea veram vitam sit adepturus animus, qui hic non rebus ipsis, sed tanquā somniis rerum adficitur. Quòd si amici memoria est, quod voluit Epicurus, vndiquaq; iucunda: iam hinc intelligi potest quāto seipsos gaudio spolient, imagines & visa mortuorum sociorum opinantes se accepturos & venaturos, mentis sensúsq; inania: cum ipsis autē rursum se verè futuros, carúmq; patrem, caram matrem, & vxorem alicvbi probam visuros se non sperantes, neque animo præcipiētes consuetudinem istam & familiaritatem, quam exspectant qui de animo idem cum Pythagora, Platone, & Homero sentiunt. Cuius rei similis sit ipsorum sententia, Homerus obscurè significauit, Aeneæ velvt mortui speciem in medium proiiciens præliantium, postea ipsum illum viuum &

Intrantem firmo gressúq;, & robore fretum
Egregio ——

ostendens sociis, gaudentibus quòd simulacro amoto ipsis præberetur. Nónne igitur nos quoq; ita de Epicureis rectè sentiemus, ratione demonstrāte fore vt reuera cū vita functis possimus congredi, pristinámq; amiciciam renouare, eos iudicij inopia amoliri & abiicere non posse visa ista atque cortices, in quibus lamentando nouísq; se affectibus animi perturbando omne vitæ tempus conterunt. Præterea qui mortem alterius vitæ melioris initium existimant, ij & rebus prosperè fluentibus maiorem capiūt delectationem ob maiorum exspectationem bonorum: & si hîc non planè ex animi sententia res succedant, non admodum ægrè ferunt: sed spes de bonis mortem subsecuturis conceptæ, inexplicabilibus voluptatibus & exspectationibus præditæ, omnē defectū, omnem offensionem ex animo eluunt atq; abolent, velvti in via, aut declinatione potiùs breui itineris facilè ac mediocriter obuia quæq; ferente. At quorū vitæ finis destinatus est sensus omnis amissio & dissolutio, his mors quia nō adfert mutationē malorū, vtriq; fortunæ molesta est, magis tamen prosperè quàm miserè viuentibus. his enim amputat spē felicioris vitæ, illis certū bonū ac stabile, vitā scilicet iucūdā, adimit. Et queādmodū medicamenta nō cōmoda sed necessaria subleuāt quidē ægrotos, sed sanos lædūt atq; divexāt: sic Epicuri doctrina neq; adversa cōflictatis fortuna vitā pollicetur meliorē: & quorū res secundæ sunt, iis finem felicitatis denunciat animi interitum atq; dissolutionem. prudētium autem, sapientū, & bonis vigentium omnino deiicit animi læticiā tranquillam, eos è vita beata ad vitæ amissionē & in nihilū reuocans. Cęterùm in promtu est cogitationē de amissione bonorū tātum adferre doloris, quantū gaudij exhibent spes de bonis pręsentibus firmę, eorúmq; fruitio. At enim dicūt cogitationē de futura dissolutione ipsis bonū stabilissimū & suauissimū in animo relinquere, quia scilicet eximat suspicionem de infinitis & innumeris malis: atq; hoc præstare doctrinā Epicuri, mortis metū animæ dissolutione reprimētis. Quod si verò suauissimum est liberari exspectatione malorū infinitorū, quō nō erit molestū priuari

Exspectatio bonorū post mortem.

Animi interitus

spe æternorum bonorum,& supremam amittere felicitatem. Bonum enim vētris, sed omnibus in vniuersum quæ sunt contra naturam est & alienum,nō esse.& quibus malo mortis vitæ mala auferuntur, ea sensus vacuitatem ita solatij loco habent, ac si subterfugissent. Contrà autem quibus è bonis in nihilum mutatio imminet, eorum video terribilissimum exitum,quo beatitas finietur.nō enim natura sensus amissionem metuit tanquam initium alterius rei alicuius: sed quia præsentium bonorum est abolitio. Etenim quod nihil ad nos pertinere dicitur, ortum ex omnium nostrarum rerum interitu,iam cogitando ad nos pertinet, & sensuum amissio eos, qui iam non sunt, non afficit sanè molestia:afficit profectò eos qui sunt,planè in nihilum eos demergens,nō sub terram aliquò saltem detrudens. Itaque ergo non Cerberus, neque Cocytus infinitum mortis metum reddidit: sed minæ istæ, nos in nihilum iri redactū, vnde ad Esse non datur mutatio aut reditus his qui interierunt. Bis enim non licet nasci: & Epicuri de sententia oportet æuum aboleri. Si enim non esse æuum finit, non esse autem infinitum est & immutabile:iam paratum nobis est æternum malum, priuatio bonorum & sensus nunquam desitura. Et sapientius Herodotus, qui Deum inquit dulcedine æternitatis gustata, apparere invidum suapte natura esse. maximè quidem his qui beati putantur, quibus dulcedo gustum præbens eorum quę amissuri sunt,esca est doloris. Quam enim læticiam,quam perceptionem voluptatis, quam exsultationem non expellat & frangat continenter ad animum accidens cogitatio, fore vt in infinitum is tanquam vastum in mare effundatur, apud eos qui pulcrum & beatitudinem in voluptate ponunt? Tum si, quæ est Epicuri opinio, plerisq; vsu venit vt cum dolore intereant:planè nullam admittit consolationem mortis metus,per mala ad priuationem bonorum ducentis. Præterea non defatigantur Epicurei pugnando & omnes homines cogendo, vt malorum evitationem pro bono ducant, pro malo autem bonorum abolitionem non reputent: interim fatentur,mortem omni spe ac gaudio carere,sed præcisa esse omnia iucunda & bona.quo quidem tempore multa pulcra, magna, diuinaq; exspectant, qui animos interitus expertes esse sentiunt & immortales, aut qui longas quasdam temporis circuitiones aliàs in terra aliàs in cœlo peragrando conficiant,donec vnà cum mundo dissoluantur,cum Sole & Luna in ignem mente præditum conflagrantes. Huiusmodi campum voluptatū tantarum Epicurus excindit,& iis quæ diuinitus sperantur,(vti docuimus)muneribusque deorum sublatis, studio cognoscendæ veritatis facultati contemplatrici,actrici cupiditate honorum ademto,naturam in læticiam animi corporis gratia conceptam, nimis hanc angustam, ac ne puram quidem,coniicit atque includit: tanquam si natura maius aliud bonum, quàm est mali fuga,haberet nullum.

Amittendi bona metus.

Plutarchi libellus, An rectè dictum sit, Latenter esse viuendum.



AT Qui ne is quidem, qui hoc pronūciauit, latére voluit:sed ne lateret hoc dixit,tanquam reliquis subtilius aliquid intelligens:& cohortādo ad nominis obscuritatem, iniqua ratione gloriam captauit. Ego autem

Odi sapientem,qui ipsus non sapit sibi.

Philoxenum Eryxidis F. & Gnathonem Siculum obsoniorum nimia cupiditate impulsos,narium sordes emungere in patinas solitos ferunt, vt aliis ab edendo deterritis ipsi soli implerentur propositis cibis. Atque sic etiam isti nimio gloriæ studio repleti,gloriam apud alios traducunt tanquam riuales suos,vt ipsi ea absque certamine potiri possint. Qua in re imitantur remiges. vt enim hi ad puppim nauis obversis oculis proram propellunt, nimirum vt ex allisione refluxus ortus lembum vnà incitet:ità qui talia dant præcepta, gloriam ij tanquam aversi sectantur. Quorsum enim attinebat hoc dicere, quid scribere, scriptúmq; ad posteros edere,si fallere voluit eos qui tum erant,cùm ne ab olim quidem victuris se vellet ignorari? Verùm ipsa res qui non sit praua, Viue ita vt ignoreris? scilicet viue,vt

Ambitio occulta.

qui

qui sepulcrum reclusêris. An viuere est turpe, ita vt omnes sciamus te viuere? Ego sanè dicere non verear, Ne si malè quidem vixeris, dandam tibi operam esse vt lateas. immò enim innotesce, redi ad sanitatem, corrige peccatum. Siue virtus tibi adest, noli esse invtilis: siue vitium, noli negligere medicinam. Quin tu potius hoc distingue ac defini, cuinã homini istud Latére tuũ præcipis. Si enim indocto, prauo, & fatuo, perinde est ac si febricitantẽ aut insanientem ex morbo occultare se iuberes, ne agnosceretur à medico, & se aliquò in tenebras abiicere vbi lateret vnà cum suis morbis. Tu quoque, dicis vitioso homini, cum vitiis tuis te abde, morbúmq; insanabilem & pestilentem perfer, celáq; invidiam vel superstitionem velvti palpitationes quasdam, & tradere te iis qui docere ac sanare possunt caue. At verò prisci ægrotos suos in publico proponebant, vt prætereuntium quivis si quid vel ipse eodem morbo cõflictatus, vel similiter laboranti opitulatus medelæ nosset, id ægrotanti significaret. aiúntq; artem hoc modo experientia adiuuante creuisse. Hoc modo etiam vitæ vitia animíq; prauas affectiones expediebat detegere, vt cuivis liceret iis inspectis & cõsideratis dicere, Iratus es? hoc caue. riualitate vexaris? istud facito. amas? ipse quoq; aliquãdo amaui, sed resipui. Nunc dum vitia sua negant, occultant, velant: penitus ea in sese defigũt. Si verò bonis suades vt lateât, Epaminondam iube bello gerẽdo, Lycurgum legibus ferendis, Thrasybulum tyrannis occidendis, Pythagoram instituendis discipulis, Socratem disputationibus supersedere. Immò tu primum ipse Epicure, non scribe ad amicos in Asia, non ex Aegypto hospitibus te præbe, non stipator esto Lampsacenis ephebis, non libros ad omnes vtriusq; sexus homines dimitte sapientiã ostentans, neque de sepultura manda. Quid enim sibi volunt communes mensæ, quid necessariorũ & pulcrorum conventus, quid tot millia versuũ scripta & composita laboriosè in Metrodorum, Aristobulũ, Chæredemum, vt ne mortui quidẽ ignorari possent, si obliuione virtutem, ocio artem, silentio philosophiã, oblitteratione felicitatem leges tuæ describunt? Sin è vita, tanquam è conviuio lumen, aufers cognitionem, viuito sanè occultè, qui omnia è voluptate ad voluptatem facis. Omnino si cum Hedea meretrice sim vitam acturus aut Leontio, & inhonesti contemtũ despuens bonũ in carne & titillationibus quæsiturus: ista tenebras desideret sacra, ista noctem, his obliuio & ignoratio induci debeant. At si quis in naturæ rerũ investigatione deum celebret, Iusticiã, Providentiam: in morũ doctrina legem, communionem, rempublicã, in rep. honestatem, non vtilitatem: cur viuens ignorari velit? an ne quem doceat, ne cuiusquam studiũ ad virtutem excitet, néve aliis exẽplo sit? Si Themistocles Atheniensibus ignotus fuisset, nõ repulissent Græci Xerxem: si Camillus Romanis, periisset Roma: si Dioni Plato, non fuisset liberata Sicilia. Nimirũ sic sentio. sicvt lumen nõ manifestos tantùm nos, sed & vtiles invicẽ facit: ita noticia non gloriã modò, sed & agendi materiã virtutibus parari. Epaminondas quidẽ ad quadragesimũ vsq; annũ obscurus, nihil profuit Thebanis: postmodò cognitus & rebus præfectus, patriã pessum euntẽ seruauit, Græciámq; seruitute liberauit, in fama tanquã luce virtutẽ apto tẽpore efficacem præbens.

Namq; æris instar quod longo post tempore
Vsu refulget attritum, virtus viri
Comperta splendet actionibus probis. vt est apud Sophoclem.

sicvt contrà in ocio delitescens ingeniũ viri velvt æruginem ac seniũ cõtrahit. Quies enim alta, vitáq; in ocio deposita, non corpora modò, sed & animos tabefacit. & sicvt aquæ latentes sub vmbra ac non fluentes putrescunt: ita in vita motuũ experte facultates hominibus insitę consenescunt & pereunt, cùm quod vtile adfuit, vsurpatum nõ est. Non vides, vt nocte appetente & corpora grauis quidam languor invadit, & animas torpor inefficax, & contracta in seipsam ratio tanquam obscurus ignis ob ignauiam & languorem leuiter divulsis agitatur visis, hoc vnum indicans viuere adhuc hominem?

Verùm vbi Sol oriens velocia somnia abegit,

& tanquam in vnum commiscens convertit & excitauit vnà cum luce omniũ cogitationes: tũc (vt ait Democritus) noua inita die homines mutuis conatibus tanquã condimento quodã refecti, alius aliunde ad res agẽdas sese conferũt. Ac mihi videtur ipsa vita, & quòd homines nati sumus, ad innotescendum nobis diuinitus obtigisse. est autem quisq; nostrum obscurus & ignotus dum in vniuersi mole seorsim exiguus fertur. cùm autem inter se coëunt homines, adepti iam magnitudinem effulgent, clarique

Vitia non tegenda.

Ocium.

ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis. Non enim noticia via est ad substantiam, vt nonnulli dicunt: sed essentia ad noticiam. Non enim ortus singulas res efficit, sed demonstrat: sicvt neque interitu res in nihilum rediguntur, sed tantùm in obscurum abducuntur. Hinc est quòd maiorum instituto Solem cum Apolline eundem putantes, Delium & Pythium cognominant à manifestando: sicvt adversæ dominum sortis, siue is deus est siue genius, Aden nominant (nos Plutonem): quòd nos cum dissoluimur, abeamus in locum visui inaccessum: & vocant

Somni socordis dominum, cæcæq; noctis.

Existimo autem ipsum quoque hominem veteres phota dixisse, quòd vnicuiq; nostrũ ob cognationem cum lumine (id ipsis est phôs) acris est insitus amor cognoscendi

Lux. & innotescendi. Ipsam verò animam nonnulli philosophorum lumen, suapte natura esse statuunt, cùm aliis vtentes argumentis, tum quòd nullam rem anima magis aversatur quàm ignorantiam, & omnia lucis expertia vitat, tenebrísque turbatur, metuit, ac suspecta habet. ita autẽ ei dulce est lumen, ita desiderabile, vt nihil aliud ipsi iucundum sine eo aut in tenebris velit admittere: sed omnem ei voluptatem, iocum, ac delectationem lux admixta velvti commune condimentum suauem reddat atque gratam. Qui verò seipsum in obscuritatem coniicit, ac se tenebris involuit, vitámq; inanis similem sepulcri facit: is ipsum videtur ortum fastidire, & quod exstiterit iniquè ferre. Iam recepta est hæc sententia, esse quendam locum, vbi pij post mortem degant.

* *His apud inferos per noctem*
* *Solis fulget iubar almi,*
Per prata puniceis rosis
Consita.—
Illis campus floridus patet
Virénsq; frondibus arborum,

fluuiíque quidam lenes & lacrymarum vacui perfluunt. mutuáque se consuetudine oblectant, commemorandis & explicandis rebus præteritis ac præsentibus. * Tertia via est eorum qui impiè & flagitiosè vixerunt, quæ animas in orcum & voraginem detrudit,

Vbi immensas tenebras eructant
Validi nigræ noctis fluuij,

recipientes & ignorantia ac obliuione occultantes eos qui puniuntur. Non enim vultures semper iacentium in terra depascuntur iecur. aut enim igni id aut putredine absumtum est: neque ponderum moles gestandorum fatigant atque conficiunt corpora pœnas luentium:

Odyss. λ, 218. *Non etenim fibris sunt cinctáve carnibus ossa:*

neque reliquiæ sunt corporum post mortem, quæ cruciatus sustinere possint. Sed re vera vnicum eos qui malè vixerunt manet supplicium, obscuritas & ignoratio, & abolitio in nihilum redigens, ac obliuione in fluuium illum illætabilem abripiens, inq; abyssum demergens, & in vastissimum mare, invtilitate & ocio, ignorationéq; & obscuritate omnia involuens.

PLVTARCHI,

An vitiositas ad infelicitatem sufficiat.

* *

* *Sustinet*
Muliebri dote corpus venditum gerens,

vt est apud Euripidem: sed pauca manifestata sunt & instabilia. huic autem non multum per cinerem, sed per regium incedenti rogũ atq; ambvsto, anhelitus pleno & metus, & sudoris transmarini, diuitias ea apponens Tantalicas, ob occupationem frui nõ * valenti. Etenim Sicyonius ille equos alens, bono vsus consilio equam Agamemnoni velocem cursu dono dedit,

Vna

Vna ventosum ne miles ad Ilion iret, Iliad. ψ,295.

sed domi manens oblectaretur, in amplas diuitias & ocium molestiæ expers se reclinans. At qui nunc citra molestiam viuere, & rebus agendis dediti videntur, nemine vocante vltrò se præcipites devoluunt in aulas, comitatus, excubiásque laboriosas, vt equũ aliquem, scortum, aut aliud quippiam istarum quæ beare putantur rerum consequantur.

Est & cui laniata genas sit in ædibus vxor, Iliad. β,700.

Et domus imperfecta:—— cùm ipse interim trahatur & oberret inter alios, sperans ac contumelias tolerans. Quod si adipiscatur eorum quæ desiderabat aliquid, circumagitatus, & oborta ad ludum fortunæ vertigine, discessum quærit, & beatos prædicat eos qui obscuri vitam securam agunt. At hi contrà eum supra ipsos situm suspicientes, felicem deputant. Sic vitiositas afficit homines, omnia in se habens ad infelicitatem fabricandam posita, neque instrumentorum egens, neque famulorum. Alij verò tyranni operam dantes vt quos puniunt miseros faciant, carnifices alunt & tortores, & cauteria ac cuneos bruto animo fabricantur. Prauitas absque vllo apparatu, simul atque animum attigit, adfligit atque deiicit, implet dolore, lamentis, mœsticia, pœnitentia hominem. Indicium hoc certum est. Multi tacent dum secantur: tolerant flagrorum ictus: cuneis adactis torti à dominis aut tyrannis, vocem emittunt nullam: quandoquidem animus conniuens vehementiam affectionis tanquam manu iniecta comprimit atque cohibet. Excandescentiæ autem nunquam quietem imposueris, aut luctui silentium, aut metuenti vt subsistat persuaseris, aut ob pœnitentiam ęgro ne vociferet, néve in crines involet suos, aut femur pulset. Adeò vitium & igne est et ferro violẽtius. Ciuitates quando locationẽ templorum aut colossorum proscribunt, artifices audiunt de conducendo opere certantes, rationésque & exempla adferẽtes. cum deinde deligũt, qui minori sumtu opus videtur confecturus & melius & celerius. Finge nos quoque publicè proposito scripto inuitare, qui nauare velint mercede cõducti operam ad vitã hominis miseram efficiendum. venire dicatum suam operam fortunam & vitiositatẽ, inter se contendentes. Fortunam adferre abvndantiam omnis generis instrumentorũ, quibus vita misera & miseranda possit effici. puta latrocinia, bella, tyrannorum homicidia, tẽpestates marinas, fulmen de cœlo immissum: tum cicutas, gladios, calumniatorũ conductas copias, febrium incendia, compedes, carcerum circumventionem. quanque pleraque horum prauitati potius debentur quàm fortunę. sed sint omnia fortunę. Vitiositatẽ porrò nudã adstare, neque adversus hominẽ vlla re externa indigentẽ: & è fortuna quærere: Fortuna, quo pacto miserũ efficies hominem? Minaris paupertatẽ? deridet te Metrocles: qui hyeme inter oues, ęstate in vestibulis templorũ dormiẽs, provocat ad certamen de felicitate Persarum regẽ Babylone hyemantẽ, & æstiuo tẽpore in Media degentẽ. Seruitutẽ, vincula, venditionẽ inducis? spernit te Diogenes, qui cùm à prædonibus venderet, præconis voce proclamauit, Ecquis emere vult dominum? Venenatum tẽperas poculũ? nonne & Socrati id præbibisti? ille tamẽ placido sedatóque animo, nihil territus, & neque colore neque vultu mutato, admodũ facilè ebibit. mortui verò beatitatẽ laudauerũt viuẽtes, vt ne apud inferos quidem absque sorte diuina futuri. Sanè ignẽ tuũ Decius Romanorũ imperator anteverrit, quì tẽpore exstructo in medio exercituũ rogo, ex voto sese pro patrię principatu Saturno immolauit. & apud Indos castę maritorúmque amãtes vxores de igni litigãt atque certãt: victricẽ, quia cũ mortuo marito cõbvrit, reliquę vt felicẽ laudib. vehũt atque decantãt. ac qui sapientes ibi sunt, nullus eorũ dignus admiratione, nullus beatus habet, nisi viuus etiamnũ, & animo ac corpore valẽs, animã à corpore igni discernat, purúsque à carne discedat eluta mortalitate. At. n. è magnis opibus, domo splẽdida, victu magnifico ad lacernã, perã, & quotidiani cibi emẽdicationẽ redigis? hæc verò beatitatis principia Diogeni, libertatis gloriæque Crateti fuerũt. Inquies, in crucẽ te suffigã, aut ad palum. atqui Theodori nihil interest, humine an sublime putrescat. sepultura isthæc Scythis beata putat. canes Hyrcanorum, Bactrianorum volucres cadauera præscripto legũ vorant, vbi feliciter vitã finiuerũt. Quos ergo ista faciũt miseros? eos qui molles sunt & parum habent rationis, malè educatos, nõ exercitatos, qui opiniones à teneris conceptas vnguiculis seruant. Proinde non fortuna infelicitatem pficit, nisi prauitate vtat adiutrice. Sicvt. n. ossa findunt filo, postquam sunt aceto & cinere perhumectata: ac sicvt ebur Zytho emollitum atque laxatum flectũt, inque varias formas fingunt, cùm id fieri aliàs non possit. sic fortuna quod à sese malè affectũ, mollitúmque

Fortunæ et vitiositatis cõparatio.

est vitiis, superveniens vulnerat atq; perforat. Et quemadmodum * nulli noxius, neq; lædens tangentes & gestantes, si duntaxat vulneratus aliquis inferatur, statim eum interficit affectionis quendam defluxum in se recipientem. ita cuius animus à fortuna sit subvertendus, eum intra corpus suum oportet peculiare vulnus malúmq; habere aliquod: foris accidentia quod miseranda & lamentabilia redigat. Est ne vitiositas etiam talis, vt ad inferendam miseriam fortunæ requirat opem? Nequaquam. Non asperũ ac tempestuosum excitat prauitas mare, non deserto imminentes montium radices occupat ac cingit latronum insidiis, non agris frugiferis nubes grandinem eiaculantes immittit, non Melitum, Anytum, aut Callixenum subornat sycophantam, non repulsam præturæ conficit, vt miseros faciat. sed percellit diuites, rebus abundantes, hæreditatẽ adeuntes: terra maríq; subit & inhæret, cupiditatibus colliquans, iris incendens, superstitionibus conficiens, vultum mutans.

*

PLVTARCHI

Libellus de Amore prolis.



QVOD ad peregrinos iudices Græci appellauerunt aliquando, & in alieno foro litigauerunt, id initiò hinc excogitatum fuit, quòd alij de aliorum iusticia diffidentes, eam vt rem necessariam & apud ipsos non exsistentem aliunde petendam sunt opinati. Nónne eodem modo philosophi etiam de quæstionibus quibusdam propter mutuas invicem dissensiones ad naturam brutorum animalium, tãquam ciuitatem alienam, provocauerunt, eorúmq; affectionibus et ingeniis, vtpote integris & nullo alloquio, nullo dono corruptis, iudicium permiserunt? Aut hoc quoque commune est humanæ vitiositatis crimen, quòd de maximis & adprimè necessariis rebus dissentientes, apud equos, canes, & aues quærimus, quomodo nobis matrimonia contrahenda, proles procreanda & educanda sit: ac quasi nihil in nostra natura sit proditum, brutorum mores & affectus appellamus: hócq; adversus vitam nostram testimonij dicimus, multa in ea contra naturam agi atq; vsurpari, statim ab initio & primis in rebus confusione ac perturbatione insinuãte. Nam in brutis quidem proprietates suas natura sinceras simplicésq; conseruat. inter homines ratio & cõsuetudo eas, sicvt oleum solent seplasiarij, multis permiscens opinionibus ac iudiciis adscititiis, non patitur simplices manere, sed multipliciter variat. Neq; est quod miremur bruta magis quàm ratione predita sequi naturam: nam in eo bruta etiam superant à plantis. hæ enim neq; imaginandi vi, neq; appetitu præditæ qui naturam aliò averteret, tanquam vinculo constricta manent ac tenentur, vnicúmq; semper natura ductum sequuntur. Brutis rationis mansuetudo, subtilitas, & libertatis studium non admodum sunt insita: incitationes tamen & cupiditates rationis expertes habent, quibus vsa evagantur: plerunq; tamen non longè efferuntur, sed in natura tanquã anchora subsistunt. Sicvt itaq; asinum habena & fræno dominus dirigit: sic & in homine ratio, penes quã principatus est, modò has modò alias inveniens digressiones ac diverticula, nullũ conspicuum aut evidens relinquit naturæ vestigium. Initiò in brutis considera, quàm sint omnia naturæ accommodata. Primùm non exspectant dum leges contra cœlibatum aut serius matrimonium ineuntes ferantur, vt Lycurgi & Solonis ciues. neq; metuunt ignominias prole carentibus propositas, aut honores trium liberũm: sicvt Romanorum multi vxores ducunt & liberis operam dant, non vt hæredes, sed vt ius adeundæ hæreditatis habeant. Deinde miscetur mas feminæ, non omni tempore: quia non voluptas ei, sed procreatio est finis propositus. Itaq; verno anni tempore, cùm auræ spirant genitabiles, & temperie prægnantibus commodæ, coit cum mare femina mansueta & desiderabilis, suaui corporis odore, & peculiari corporis ornatu exsultans, rore & pura herba impleta. ac vbi se concepisse sentit, modestè abit, & ea prospicit quæ ad fetum perferendum edendúmq; pertinent. Quæ agant, dignè dici nequit. in omnibus quidẽ amor prolis est manifestus, in providendo, in tolerando, in continentia. Cæterùm nos apem sapientem vocamus, ac celebramus

Mel flauum meditantem:

adulantes ei ob dulcedinem nos titillantem. reliquorum animalium sapientiam & artem, quam adhibent partui

Coniugia brutorum.

Alcyones.

partui & educationi, negligimus. Occurrit primo loco alcyon, quæ postquam concepit, nidum componit è spinis marinæ acus. quas inter se complicans atq; conferens, formam circumfractam, qualis est retis piscatorij, & prælongam struit, concinnéq; densa serie spinis inter se accuratè cõtextis, opus illuuiei vndarum supponit, vt paulatim percussum atq; stipatum textum, solidam nanciscat̃ superficiem. ita autem duratur, vt vix diuidi lapide aut ferro possit. & quod est mirabilius, orificium nidi ea proportione ad modum & magnitudinem alcyonis effingitur, vt nullum neq; maius intrare neq; minus animal possit, ac (vt nonnulli tradũt) ne mare quidem aut rem vllam minimam admittat. Maximè autem feles viuum edunt partum, qui catulos in se continent, eósq; sinunt foras prodire ac pasci, deinde rursum intra viscera recipiunt dormituros. Vrsa, animal quo neq; deformius est aliud, neque morosius, informes artubúsq; carentes catulos parit. lingua autem tanquam instrumento format membra: vt nõ solùm parere, sed etiam fabricari videatur fetum. At Homericus leo ille:

Feles. Vrsa.

Cui venatores, catulos dum ducit, in alta
Occurrunt sylua, frendens, & robore fretus
Omne supercilium tectis demittit ocellis.

Iliad. ρ, 135.

nonne tibi videtur similis esse meditanti cum venatoribus de catulis paciscí? in vniuersum enim amor prolis animalia audacia redigit timida, & de segnibus industria, ac de gulosis parca. Sic Homerica illa auis pullis tradit

Esca quidquid habet, malè sit sibi quamlibet ipsi.

Iliad. ι, 324.

sua enim ipsius fame pullos alit, cibúmq; iam ventri appropinquantem abstinet & ore premit ne imprudens deglutiat. Apud eundem Poëtam,

Vt cum pro teneris catulis canis anxia latrat
Ignoto accedente viro, pugnæq; parat se:

Odyss. υ, initio.

metum pro catulis quasi secundam iram concipit. Perdices quando vnà cum pullis exagitantur, eos prævolare sinunt ac fugere, idq; machinantur in propinquo voluentes se ac post pullos relictę, vt aucupes ipsas captent: deinde paululum cursu provectę, rursum spe capiendi aucupem lactant, donec ita parta pullis suo periculo securitate longiùs producant persequentem. Gallinas autem quotidie ante oculos habemus, ac cernimus quo modo pullos suos foueant, alios passas sub alas recipientes, aliis tergum conscendendum & vndiquaque aditum præbentes, simúlque blandam & gaudij indicem vocem edentes. eædem canes & angues fugiunt, cùm sibi metuunt: cùm verò pullis timent, defendunt, & vltra quàm vires patiantur iis propulsandis certant. Enimverò huiusmodi affectiones opinabimur istis animalibus ingenerasse naturam, de gallinarum, canum, vrsarum propagatione solicitam: non nobis hoc modo pudorem voluisse incutere? nimirum reputantes, ista naturam sequentibus exemplorum loco esse: duris autem suam exprobrare inhumanitatẽ, propter quos sola hominis incusatur natura, quòd amorem gratuitum non ferat, neq; nisi vtilitatis causa diligere nôrit. In admiratione enim est is, qui in theatris pronunciauit:

Perdices. Gallinæ.

Mercedis ergò namq; hominem homo diligit.

Epicurus censet hoc pacto à parentibus liberos, & à liberis parentes amari. Quòd si sermonis intelligentia brutis concederetur, & coactis in theatrum commune equis, bobus, canibus, volucribus, mutato carmine pronunciaret aliquis, neq; à canibus catulos mercedis gratia, neq; ab equis equuleos, neq; ab auibus pullos, sed gratis & naturæ impulsu diligi: omnium brutorum affectionibus hoc vt rectè ac verè dictum approbaretur. Turpe enim, proh Iupiter, fuerit, bestiarum procreationes, partus, dolores in partu, educationes gratis esse & à natura: homines verò fenus, mercedem, arrabones istarum rerum causa exigere. Sed neq; verum hoc est, neq; dignum creditu. Natura enim sicvt in plantis syluestribus, vt labruscis, caprificis, oleastris principia fructuum mitium cruda & imperfecta gignit: ita brutis quoque amorem fetus inseuit imperfectum & non pertinentem ad iustitiam, neque vltra vtilitatem sese proferentem. homini verò, quem protulit vt animal esset ratione præditum ac ciuile, iustitiámque, leges, & deum coleret, vrbésque conderet & amicè cum aliis viueret: semina quoque harum rerum præclara, pulcra, & fecunda inseruit, amorem scilicet prolis: secuta in hoc prima principia, quæ in ipsa corporis insunt constructione. Etenim natura, cùm omnibus in rebus accuratam artificiosámque adhibeat diligentiam, nihilque mancum aut

Homines à natura esse amantes prolis.

ſupervacaneũ admittat, et (vt ait Eraſiſtratus) nihil habeat ocioſum aut friuolum: nulla oratione ſatis explicari poteſt, qua induſtria confecerit ea quæ ad humani generis procreationem attinent. Ac fuerit fortaſſe non ſatis decorum nimis ſubtiliter ea perſequi, quorum vocabula parum honeſtè proferuntur, ſed occultantur: vt intelligi poſſit quæ ſit & quàm apta conſtitutio eorum membrorum, quæ gignendo, fouendo, in lucem edendo & enutriendo homini natura deſtinauit. Sola lactis confectio ac diſpenſatio ſufficit ad demonſtrandam naturæ providentiam atq; induſtriam. Quãtum enim ſanguinis in mulieribus ſupra neceſſarios vſus abvndat, atq; ob languorem exiguitatémq; ſpiritus in ſuperficie vagans moleſtia adficit: id reliquo tempore ſolet menſtruis dierum circuitionibus, natura ad hoc canales & meatus aperiente, effundi, & cùm reliquum corpus leuare ac purgare, tum vterum tanquam aruum aratro & ſemini concipiendo aptum auidúmq; tempeſtiuè reddere. Verùm poſtquam genitale ſemen complexus eſt vterus, actis iam radicibus: (primùm enim in vtero vmbilicus naſcitur, vt ait Democritus, tanquam anchora qua fetus nitatur contra fluctuationes, & tanquam retinaculum aut pedamentum conceptæ ſobolis) ibi tum menſtruæ illos purgationi aptos meatus natura occludit, ſanguinémq; vagum arripiens, eo alimenti loco vtitur, fetúmque humectat eo, qui iam cogitur & fingitur, donec iuſto dierum numero in vtero exacto auctus, alium locum is, aliúmq; victum requirat. Exinde natura quovis ſolertior colono ſanguinem ad alios identidem deriuans vſus, paratos habet quaſi ſubterraneos fontes quoſdam, qui laticem affluentem recipiant. & quidem recipiant non ocioſè aut ſine affectione aliqua, ſed ſpiritus leni calore muliebríq; mollicie excoquãt, læuigent ac mutent. Hoc enim modo vbera internè ſunt affecta atque temperata. Lac autem ex iis non per tubulos confertim effunditur. ſed in carnem ſcaturiginum plenam ac ſenſim exilibus meatibus perviam deſinentia vbera, infantis ori tactu ſuaue & lene penu præbent. Verùm enimverò hæc tot tantáq; ad procreationem inſtrumenta, tot apparatus, tantum ſtudium, tantáq; providentia nihil erant profutura, niſi parientibus natura amorem procurationémq; fetus ſui ingeneraſſet.

Lactis cõfectio.

Iliad.ι,446.

Quando nil ſpirat, terra neq; repit in alma
Tam miſerum, quàm ſunt homines. ——

id quod de infante recens nato dictum, minimè fallit. Nihil enim eſt ita imperfectum, inops, nudum, informe, ſpurcum, vt homo à partu ſtatim conſpectus. cui ſoli ferè ne exitum quidem in lucem mundum natura conceſſit: ſed ſanguine inquinatus, tabóq; oppletus, & occiſo magis quàm nato ſimilis, à nemine tangi, tolli, ſuauiari, ac amplexu foueri poteſt, niſi natura inſitum gerente amorem. Itaq; aliis quidem animalibus infra ventrem vbera in mammas deſinunt: mulieri ſupernè ad pectus naſcuntur, vt in promtu ſit oſculari, amplectíq; & fouere infantem. nimirum quia pariendi & alendi finis eſt non neceſſitas ſed amor. Refer. n. ſermonẽ ad priſca tẽpora. quæ primæ pepererunt, qui primi natum infantẽ viderũt, his neq; lex vlla neceſſitatẽ alendæ prolis imponebat, neq; exſpectatio gratiæ iubebat infantibus alimẽta tanquã fenore locare. Quinimmò infenſæ potiùs proli, & memores acceptorum maleficiorum erant alioqui futuræ: vtpote tantis periculis laboribus, doloribúſq; exhauſtis.

Iliad.λ,269.

Vt cum parturiens mulier penetrante ſagitta
Fixa gemit, duris quam partibus Eileithyæ
Quæ præſunt natæ iaciunt Iunonis acerbam,
Et ſæuos partu cumulant vrgente dolores.

Hæc mulieres aiunt non ab Homero ſcripta fuiſſe, ſed ab aliqua Homeride, quæ peperiſſet, aut etiamnum páreret, mixtionémq; doloris ſimul acerbi atq; acuti in viſceribus ſentiret. Verùm inſitus à natura amor parientem flectit atq; ducit. Etiamnum calida doloribus, ac cruciatibus concuſſa & tremebunda, infantem non præterit neq; fugit, ſed ad eum ſe convertit, arridet, tollit, oſculatur: nullam ſanè percipiens dulcedinem, nullã vtilitatem, ſed laborioſè ac ærumnoſè

Ad hoc paratis excipiens cunabulis
Fouet, refrigerátq;, identidem nouum
Cumulans labore laborem, nocturnúmq; opus
Mutans diurno. ——

Qui vitem æquinoctio verno ſerit, vuas ex ea legit autumnali. occidentibus Pleiadib. q triticũ ſeminat, metit ſub ortũ earũ. Boues, equi, alites, iam vſibus paratos edũt fetus. Homi-

Hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum, virtus ita in longinquo sita, vt pleriq; parentes priùs ex hac vita decedant, quàm filij virtutem suam demõstrent. Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles, neq; Cimonis res ad Eurymedontem gestas Miltiades, non audiuit Periclem concionantem Xanthippus, neq; Platonem philosophantem Aristo. neq; Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognouerunt. Balbutientes eos, & litteras in syllabas cogentes audiuerunt: comesationes, potationes, amores, aliáq; id genus filiorum delicta videre patribus cõtingit. adeò vt illa duntaxat Eueni inscriptio memoretur ac laudetur:

Per tempus patri est filius omne dolor.

Et tamen finem non faciunt filios educandi: ij maximè, quibus nihil opus est filiis. ridiculum est enim opinari diuites natis ipsis liberis rem sacram facere & gaudere, quia habeant alimenta præbituros & sepulturam curaturos. Nisi me hercle hæredum inopia liberos alunt: scilicet quia non licet invenire qui aliena accipere velit. Arena, puluis, & pennæ auium varias voces edentium tanto non sunt numero, quantus est hæreditates ambientium. Danaus filiarum L fuit pater. qui si prole caruisset, vel plures habuisset hęredes. Tum diuersa est ratio. Filij enim gratiam hanc ob causam non habent, neque colunt ac venerantur eo nomine: sed vt rem debitam, hæreditatem exspectant. At alienorum circa liberis carentem voces audiuntur, similes comicis istis:

Impone, sorbe, deuora, habet triobolum.

Iam quod Euripides dixit,

Hominibus amicos conciliat pecunia,
Rebúsq; plurimum in mortalium potest:

non est simpliciter verum, sed de iis quibus nulli sunt liberi. His pecuniam diuites dant mutuam, hos principes colunt, his solis oratores gratis patrocinantur:

Multum potest hæredem habens incognitum
Diues. ——

itaq; ergo multos qui amicorum magnum haberent numerum, & à multis honorarentur, vnica nata proles amicis potentiáq; exuit. Ita ne ad potentiam quidem liberi conducunt: sed naturæ tota est vis, non minùs apud homines, quàm apud bestias. obscurãtur enim & hęc & multa alia à vitiis: sicut cum sylua hortensibus seminibus consita floret. An hoc dicemus, ne seipsum quidem diligere hominem? quia multi seipsos iugulãt aut præcipites dant, & Oedipus sibi

Oculos domo funesta auersos eruit:

& Hegesias sua disputatione multos auditorum permouit vt mortem sibi consciscerent.

Multæ sunt species rerum fatalium.

Verùm & hæc & ista, morbi sunt, affectionésq; animi à sua desciscentis natura. & homines ipsi hæc contra se dicunt testimonium. Si enim porca aut canis à se editum fetum dilaniauerit, animum abiiciunt, perturbantur, ac diis pro auerruncanda calamitate sacrificant, rémq; pro ostento habent: quia sentiunt à natura animalibus omnibus datum vt ament suos fetus & enutriant, non vt interficiant. Enimverò sicvt in metallis aurum quanquam multa terra permixtum atq; tectum, tamen enitet: sic natura etiam in vitiosis factis atq; affectibus amorem prolis declarat. Pauperes enim non alunt liberos, metuentes ne iusto deteriùs educati, seruiles, & rudes culturæ, omniúmq; bonorum inopes fiant. nam paupertatem, quam vltimum malorum censent, tanquam grauem & magnum morbum, non sustinent suæ proli trãdere.

PLVTARCHI
De Iside & Osiride liber.



VI sapiunt, ô Clea, iis omnia bona sunt à diis immortalibus petenda. maximè autem cognitionem deorum pro captu humanæ naturę consectantes, ab ipsis petimus nobis eam concedi: quia neq; maius homo accipere, neque dignius dare munus homini deus potest veritate. Reliqua quippe non sibi propria & peculiaria deus homini largitur, possidens ea atq; vsurpans tantùm. Neq; enim argentum & aurum deo beatitatem, neq; tonitru et fulmen vim parat: sed sciētia & prudentia istas laudes consequitur. Ac omnium quæ dixit Homerus, hoc est ab eo præclarissimè pronunciatum:

Iliad. θ, 354

Est ambobus idem sanè genus, & patria vna.
Sed Iupiter natu prior exstat, pluráq; nouit:

maiestate Iouis imperium anteire dicens, quod sciētia & sapientia esset antiquius. Existimo etiam æternæ vitæ, quam deus occupauit, beatitatem in eo esse, quòd cognitiones vi præterita non dimittit. alioqui cognitione & intelligentia rerū sublatis, immortalitatem non esse vitam sed tempus. Est ergo diuinitatis appetitus, veritatis, maximè de natura deorum, indagatio, tanquam recuperationem sacrorū vsurpans inquisitionem ac perceptionem: & res quavis castimonia, quavis æditui munere sanctior. non leuiter eadem grata isti deæ, quam tu colis eximiè sapientem & rerum cognitioni deditam: & ipso è nomine intelligitur, nulli alij numini magis convenire scientiam atq; cognitionē. Græca enim Isis vox est, à scientia demanans. & huius deæ inimicus Typhō, à fastu (qui typhos Græcis dicit̄) nomen habet, quòd inscitia & erroribus inflatus, discerpat aboleatq; sacram doctrinam, quam dea colligit, cōponit, traditq; diuinitati cōparandæ initiatis. quos ea temperanti continenter victus rationi, & abstinentiæ multorum ciborum ac rei Venereæ adsuefactos, qua libido & voluptatum appetentia reprimuntur, sacra in tēplis luxus expertia & austera obire condocefacit. quorū finis est, primi, rerum domini, ac sola mēte percipiēdi cognitio dei: quē dea apud se quærere iubet, secū degentē. Ipsum quoq; fani nomen palam pollicetur cognitionem & scientiā Entis. appellat̄ enim Isæum, vt cum ratione & sanctè adeamus sacra deę, cogni turi Ens. Ad hæc Isidem multi Mercurio, multi Prometheo natā perhibēt: quorū hūc sapiētię & providentię, illum grāmaticę & musicę invētorē esse cēsent. Itaq; Hermopoli etiā Musarū priorē Isidis & Iusticiæ nominibus afficiūt, quòd sit (vt diximus) sapiētia, résq; diuinas demonstret iis q re vera ac ritè à sacris gerendis sacróq; vestitu Hieraphori & Hierastoli nominantur. hi autem sunt qui sacrā de diis doctrinā omni à superstitione & curiositate purā in animo suo, tanq; in cista, gestāt atq; cōtinent: fugiūntq; atra & vmbrosa, manifesta aūt & splendidā de deo sententiā monstrātia amplectunt̄. Quod ipsum veste quoq; sacra innuitur. Itaq; mortui Isiaci hac ornātur, quod signum est eò istos abire, nulla alia re quàm doctrina instructos. Non .n. ô Clea, philosophū barba & palliū, neq; Isiacū lini gestatio aut rasura faciūt. sed Isiacus is verè est, q quæ ostendunt̄ & agunt̄ de diis istis, ritè cōparat cū rebus, & veritatē philosophica inquisitione indagat. Vulgo enim etiā vsitatissima ista atq; minima sunt incognita, cur capillos ponāt sacerdotes, cur lineas gerāt vestes. quidā ne curāt quicq; his de rebus cognoscere: alij lanis eos vt et carnibus ouiū religionis gratia putāt abstinere, radi capita ob luctū, linū gerere ob colorem quem flos lini habet similem nitori ætheris mundum ambientis. Vera autem horū omnium causa est, quod purum tāgi à non puro nefas est, vt ait Plato. atqui nullum excrementum alimenti, nullum reiectaneum castum purúmve est. cęterùm ex excrementis nascuntur lanæ, villi, crines, vngues, atq; germinant. ridiculum verò fuisset, Isiacos, vbi castimoniæ gratia suos posuissent capillos, raso æqualiter toto corpore, amiciri pecorum lanis & eas gestare. Quod autem Hesiodus præcipit:

Rasuræ capitis & linearum vestium vsus causa.

Operibus 741.

Nunquam à quinque fronde inter conuiuia diuūm
A viridi siccum cures abscindere ferro.

docere eum est intelligendum, debere nos rem diuinam obire, iam antè vnguibus desectis aliísq; id genus rebus procuratis, non in ipsis sacrificiis adhibere purgationem & excre-

excrementorum remotionem. Linum porrò è terra nascitur immortali, & fructũ fert esui aptum, vestem exhibet tenuem ac puram, quæ gerentem non grauat, & est apta omnibus anni temporibus, minimé q; pediculos gignit, vt aiunt. de quo alia est disputatio. Sacerdotes autem ita abhorrent ab excrementorum natura, vt nõ legumina modò pleraq; aversentur, & carnes ouillas ac suillas, quæ multum supervacanei gignunt: sed salem quoq; cibis detrahant quo tempore sanctè ac purè viuunt. cùm aliis hoc de causis, *Sal.* tum quòd sal appetitu exacuendo magis bibulos & voraciores reddit. stultum est enim salem propterea pro immundo haberi, quòd, vt Aristagoras ait, dum is cogitur, multa animalcula deprœhensa ei immoriãtur. Dicuntur etiam Apin peculiari è puteo potare, & à Nilo eum omnibus modis arcere. non quòd pollutã Nili aquam propter crocodilum censeant, vt visum quibusdam: cum nihil in maiore sit Aegyptiis honore atq; Nilus. sed quia eius aqua pota credit̃ pinguedinem carnísq; magnum efficere incrementum. non volunt autem Apin pinguem esse & multa carne obesum, vt ne seipsos quidem: sed animis volunt leuia atq; gracilia circumdata esse corpora, ne diuina pars à mortali prematur atq; adfligatur. Iam vinum ij, qui Heliopoli Solem colunt sacris, *Vinum.* nullum prorsus in templum inferunt: quòd non conveniat interdiu bibere, domino & rege inspiciente. reliqui vino vtuntur, sed modico admodũ: habéntq; multos ritus quos purè castéq; obeunt, vini expertes, vbi philosophãdo, rebus sacrísq; docendis ac discẽdis tempus exigit̃. Reges quoq; ex sacrarum præscripto litterarũ certa mensura vinum bibebant, vt scribit Hecatęus, qa & ipsi essent sacerdotes. Bibere cepit Psammetichus, cùm neq; bibissent antè, neq; diis libassent vinum, nõ id gratum diis rati, sed sanguinem eorum qui aliquando bellum diis intulissent: ex quorum cadaueribus terræ permixtis putant vites esse ortas. itaq; etiam ebrietas insanos facit & abalienat mẽtem, impletis hominibus sanguine suorum maiorum. Atq; hęc Eudoxus secundo Circuitionis libro à sacerdotibus ita narrari scribit. Piscibus aũt marinis non omnes omnibus, sed quibusdam abstinent: vt Oxyrynchitæ hamo captis. quia enim oxyrynchũ piscem sic ab acuto dictum rostro venerantur, metuunt ne hamus aliquando ab oxyryncho tactus pollvat̃. Syenitę etiam phagrum cauent. videtur enim vnà cum Nilo apparere, eiúsq; exoptatum incrementum conspectus ipse nunciare. Sacerdotes omnibus abstinent piscibus. Primi autem mensis nono die, cùm reliquorum Aegyptiorum vnusquisque ante fores domus suæ assum piscem edat: sacerdotes non gustant, sed ante ianuam ædium combvrunt pisces. Cuius rei duæ sunt rationes. sacra altera & subtilis, quam infrà adducam, concinentem iis quæ de Osiride & Typhone piè philosophamur. Altera manifesta est & in promtu, piscem cibi genus esse non necessarium sed supervacaneum. & suffragat̃ Homero, qui neq; Phæaces istos delicatos, neq; Ithacenses *Piscis qualis cibus.* insulares piscibus vti scripserit, ac ne socios qdem Vlissis in mari támq; longa nauigatione prius quàm extrema adegit eò inopia. Planè aũt mare ab igni cẽsent factum, exclusum finibus elementorum: quòd neq; mundi pars sit, neq; elementum, sed alienum *Mare.* excrementum, corruptum & morbosum. Etenim in sacrificia nihil est insertũ ratione carens, aut fabulosum, aut à superstitione profectũ, vt nonnulli censent. sed alia morales habent vtilésq; causas, alia historicæ aut è natura rerũ repetitæ elegantiæ non sunt inania. Quale est de cæpa. incidisse enim in fluuium ac periisse Dictyn Isidis alumnũ *Cepa.* dum cæpas captat, extremè est absurdum. Sed sacerdotes aversantur cæpam & cauẽt, quia sola hæc planta Luna decrescente vigere & augescere solet. & cæpæ vsus neque castimoniam exercentibus commodus est, neq; dies festos celebrantibus: alteris quia sitim creat, alteris quia lacrymas elicit. Suem quoq; alienum à sacris animal censent. *Sus.* quòd maximè coëat Luna decrescente, & lac eius bibentiũ corpora lepram asperámq; scabiem efferant. Quod autem semel in plenilunio suem mactantes comedunt, rationémq; hãc reddunt, Typhonẽ cùm plena Luna suem persequeret̃ reperisse ligneã arcã, in qua Osiridis corpus iacebat, idq; disiecisse: id nõ omnes probant, sed, vt & alia multa, non rectè inauditã rem existimant. Enimverò priscos aiũt ita luxuriã, ꝓdigalitatem, ac deliciarũ studiũ traduxisse, *Frugalitas.* vt columnã quoq; ꝓhibitũ sit Thebis in tẽplo positam fuisse, in qua diræ imprecationes inscriptæ fuerint in Menim regem, qui primus Aegyptios à tenui, & opum pecuniæq; non indigẽte victus ratione deduxisset. Dicitur etiam Technatis Bocchorem qui filium habuit, cùm expeditionem in Arabes faceret, & impedimenta morarent̃, obvio cibo suauiter vsus, super toro somnum cepisse profundum. eáq; re inductum, Menin fuisse exsecratũ, ac approbantibus sacerdotibus

exsecrationem eam in columna incisam posuisse. Reges porrò aut è sacerdotibus, aut è bellicosis legebantur: cùm hæc gens ob virtutem, illa ob sapientiam in honore & autoritate esset. Qui autem è bellicosis creabatur rex, statim se sacerdotibus dabat, ac philosophiæ fiebat particeps, pleraq; fabulis occultantis ac sermonibus obscura veritatis indicia & argumenta habentibus. quod sanè ipsi declarãt, ante templa Sphinges plerunq; collocantes: quo innuunt, suam rerum sacrarum doctrinam constare perplexa & sub involucris latente sapientia. Quod Sai est Mineruę, quam eandem cum Iside arbitrãtur, fanum, hanc habebat inscriptionem: Ego sum omne quod exstitit, est, & erit: meúmq; peplum nemo adhuc mortalium detexit. Porrò cum pleriq; existiment peculiare apud Aegyptios nomen Iouis esse Amûn, quod nos producto vocabulo Ammonem dicimus: Manethos Sebennita ea voce occultatum & occultationem iudicat significari: Hecatæus autem Abderita hoc verbo invicem vti Aegyptios ait cum alter alterum vocat. esse enim vocem invocatiuam: & cùm principem deum eundem cum Vniuerso putent, vtpote obscurum & absconditum, vocari ab iis & orari Amûn dicentibus, vt prodat se ac conspiciendum præbeat. Talis ergo fuit Aegyptiorum accuratio in contemplatione rerum diuinarum. Testimonium perhibent etiam Græcorum sapientissimi, Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & quorundam opinione etiam Lycurgus: qui in Aegyptum venerunt, & cum sacerdotibus versati sunt. & ab Eudoxo quidē Chonuphin Memphitam fuisse auditum aiũt, à Solone Sonchiten Saitam, à Pythagora Oenuphin Heliopolitam. Pythagoras autem maximè, vt apparet, in admiratione habitus admiratúsq; sacerdotes istos, imitatus est rationem eorum, res notis quibusdam & per ambages proponendi, suásq; sententias involucris texit. Nam quæ vocantur litteræ hieroglyphicæ, his pleraque Pythagoræ præcepta nihil concedunt, qualia sunt, Non edere in curru, Non insidere chœnici, Non plantare palmam, Ignem in ædibus gladio non agitare. Ego verò sentio, quòd Pythagorei vnitatem appellant Apollinem, binarium Dianam, septenarium Mineruam, primum cubum Neptunum, convenire cum his quę fixa sunt in templis, atq; adeò agunt & pinguntur. Regem enim & dominum Osirin, oculo & sceptro pictis exprimunt. & nomen quidam interpretant Multioculum: quòd Os Aegyptiorum sermone multũ, Iri oculum notet. Cœlum, quia ob perpetuitatem nũquam senescat, corde picto significant, cui focus ardens subiectus sit. Thebis simulacra fuerunt dedicata iudicum manibus carentium, & princeps iudicum oculos in terram deiectos habens: quo innuebatur iusticiam donis & alloquiis non esse obnoxiam. Bellicosis sculptura annuli erat scarabeus. hoc enim insectum sexu femineo caret, omnes sunt masculi, & semine * in materiam in globum redactã immisso propagant genus, non alimento magis quàm procreationi locum parantes. Ergo audiens fabulas quas de diis Aegyptij referunt, errores eorum, dissectiones in membra, multósque alios id genus casus: necesse est vt dictorum recordere, nihilque horum credas ita vt narratur actum fuisse aut evenisse. Non enim propriè cani Mercurium nomen faciunt: sed ob custodiendi ac vigilandi studium, & sapientiam, qua inter amicum & inimicum internoscit, eum callidissimo (vt Plato ait) deorum accommodant. Neque putant Solem infantem recens natum è loto exstitisse: sed sic ortum Solis pingunt, innuentes quomodo is ex humidis accendatur. Nam & Ochum Persarum regum crudelissimum ac apprimè terribilem, quòd is multis interfectis, Apin quoque ad extremum mactasset & cum amicis epulando absumsisset, Gladium vocauerunt: itaque etiamnum in recensione regum applant. non sanè substantiam eius ita exprimentes, sed morum asperitatem ac maliciam instrumento cædibus parato adsimilantes. Hac itaque ratione ea quæ dicuntur de diis inaudiens atque accipiens ab iis qui fabulam piè ac philosophicè interpretantur, ritúsque sacrorum legitimos obiens & seruans perpetuò, ac statuens nullum diis te sacrificium, nullum præstare officium posse perinde gratum, ac si de iis rectè sentias, non leuius impietate vitium superstitionem evitabis. Fabula ipsa, invtilibus omnino & ociosis quantum fieri potest amputatis, sic breuissimè narratur. Reæ aiunt occultè cum Saturno congressæ Solem, qui id flagitium deprædendisset, imprecatum fuisse vt neque in mense neque in anno pareret. sed Mercurium amore deæ captum, cum ea coiisse, ac deinde in ludo cum Luna victorem, septuagesimam partem cuiusvis diei abstulisse, atque ex his omnibus dies quinque confecisse, ac CCCLX anni diebus adiecisse: quæ quinque dies nunc ab Aegyptiis Epagomenæ, id est adiecticiæ

Philosophia Aegyptiorum.

Iupiter Amûn & Ammon.

Pythagoræ philosophia.

Fabulæ de diis.

vocan-

vocantur, & vt natales deorum festi aguntur. Prima autem earum die Osirin natum, & simul cum eo vocem editam, quæ indicaret dominum omnium rerum in lucem prodire. alij Pamylen quandam aiunt cùm Thebis è templo Iouis aquam peteret, vocem exaudiuisse, qua iuberetur proclamare, Osirin magnum regem & beneficum esse natum. itaque & hanc Osirin à Saturno traditum enutriuisse, & Pamylia ei sacra peragi, Phallephoriis (id est sacrificiis in quibus penis imago vsurpatur) similia. Secunda die Aruerin natum, quem alij Apollinem, nonnulli Orum seniorem dicunt. Tertia Typhonem, non suo tempore & loco, sed latere ictu perrupto exsiluisse. Quarta Isidem in Panygris. Quinta Nephthyn, quam & Finem, & Venerem, & Victoriam nominant. Patrem autem Osiridis & Arueris fuisse Solem: Isidis Mercurium, Typhonis & Nephthys Saturnum. itaq; etiam tertium epactarum diem reges pro nefasto habentes, non dabant responsa, neque ante noctem corpora curabant. Porro Nephthyn Typhoni nupsisse. Isidem & Osiridem mutuo impulsos amore, antequam ex aluo matris exirent, in tenebris corpora miscuisse. ac sunt qui sic natum putent Aruerin, & ab Aegyptiis seniorem Orum, à Græcis Apollinem nuncupatum. Iam Osirin regno inito statim Aegyptios inopi & belluina victus ratione soluisse, cùm & fruges iis ostenderet, & leges poneret, & deorum cultum præciperet. Postmodò vniuersam obiuisse terram hominésq; mansuetos redegisse, minimo armorum vsu, cùm plerosq; persuadendo & docendo adhibitis carminibus ac musica alliceret. itaq; creditum esse Græcis eundem cum Libero patre. Typhonem verò, qui eo absente res nouas moliri non esset ausus, quòd Isis continentiæ seruans magno studio & attentione sibi caueret, redeunti insidias struxisse, adscitis in coniurationem viris LXXII, & conatum adiuuante regina Aethiopiæ quæ ad ipsum se contulerat. Aso nomen huius fertur. Metitum furtim Typhonem corpus Osiridis, ad magnitudinem eius arcam apparasse elegantem, exactéque ornatam, eámque in conuiuium intulisse. quam vbi conuiuæ cum voluptate & admiratione spectassent, per iocum promisisse Typhonem se dono arcam huic daturum, qui inclusus quantitatem eius exæquaret. cùm omnes periculum fecissent, neque cuiquam quadraret, Osirim in eam ingressum decubuisse. ibi eos qui intererant, accurrisse, & operculum arcæ iniecisse, & quà clauis externè, quà liquido plumbo immisso cùm obfirmassent, ad Nilum detulisse, ac in mare demisisse per Taniticum ostium: quod eam ob rem hodie nominatu abominabile est Aegyptiis. Acta hæc esse decimaseptima die mensis Athyr, quo mense Sol Scorpium peragrat, annum regnante Osiride duodetrigesimum. alij non regnasse, sed vixisse tot annos eum perhibent. Cùm autem primi hoc sensissent Panes ac Satyri, qui loca circa Chennin sita incolunt, & hoc de facto mentionem hominibus iniecissent, subitas multitudinum perturbationes & consternationes, nomen Panicorum terrorum inde obtinuisse. Isin certiorem factam, eo in loco cincinnorum vnum desecuisse, ac vestem sumsisse lugubrem, vbi vrbs est quę Coptus hodiéque dicitur. quo nomine quidam priuationem notari existimant, Aegyptiis Kopten pro priuare vsurpantibus. Vagatam inde passim & animi anxiam, nemini occurrisse quem non appellaret: ita etiam puerulis obuiam factis, quæsiuisse ex iis de arca. hos autem vt forte fortuna viderant arcam, Isidi ostium indicasse, per quod amici Typhonis arcam in mare eiecissent. Hinc tractum, quòd Aegyptij pueros facultate diuinandi præditos putant, & maximè omnis loco accipiunt, si quid ij in templis ludentes fortè pronunciant. Porrò Isidem, comperto Osirin cum sorore per errorem tanquam secum coiuisse, & argumento rei viso corona melilotina quam is apud Nephthyn reliquerat, puerulum quæsiuisse: (nam præ metu Typhonis eum statim mater exposuerat) magnóque labore canibus indagantibus repertum enutriuisse: eúmque custodem deinceps comitémque habuisse, Anubin appellatum, & creditum deos custodire, vt canes hominibus custodes esse assolent. Exinde inaudiuisse arcam apud Byblum maris fluctibus eiectam, ericæ cuidam molliter insedisse. ericam autem breui temporis spacio pulcerrimum atque maximum edidisse germen, eòque arcam circùm amplexam occuluisse intra se. regem verò admiratum plantæ magnitudinem, præcidisse sinum quo arca non visa continebatur, ac tecto fulcri loco supposuisse. Hæc aiunt diuinitus emisso famæ spiritu Isidem edoctam Byblum venisse, & ad fontem consedisse demissam atq; lacrymantem, neq; cum vllo hominum verba commutasse. reginæ autem ancillis salutem dixisse, & comiter allocutam, crines earum replicasse, & à se mirabilem fragrantię suauitatē

Osiridis res gestæ.

corporibus earum adspirasse. reginam visis ancillis desiderio peregrinæ captam fuisse, cùm earum & crines & corpora spirarent ambrosiam. ita Isidem accitam & familiarem redditam, à regina nutriendo puerulo fuisse præfectam. Regis nomen Malcander fertur. reginam alij Astartam, alij Saosin, quidam Nemanûn, quasi Mineruiam perhibent. Isidem nutriendo puero digitum mammæ loco in os inseruisse: noctu mortales corporis partes ambussisse, & sumta hirundinis forma ad columnam istam advolasse atque lamentatam fuisse. tandem reginam re obseruata, clamore edito cùm videret infantem ambvri, eum immortalitate exuisse. Deam verò iam patefactam, postulasse columnam cui tectum incumbebat: eáque subducta, nullo negocio ericam amputauisse, hàncque linteo velatam affuso vnguento regibus in manus tradidisse. colique etiamnum à Bybliis lignum istud in fano situm Isidis. Ipsam ad arcam accidisse, tantóque vsam eiulatu, vt regis filiorum natu minor ex eo sit mortuus. cum maiore & arca Isidem naui cõscensa avectam. cúmque Phædrus amnis sub auroram ederet auram asperiorem, iratam eum exsiccauisse. Vt primùm nacta fuit ocium & solitudinem, arcam aperuisse, faciéque faciei imposita exosculatam illacrumasse. cùm verò puer tacitè à tergo accederet & quid ageretur obseruaret, sentientem Isidem se convertisse, truciq; in eum ex ira intuitam vultu: puerum eo terrore consternatum obiisse. alij non sic dicunt, sed quo modo commemoratum est in mare excidisse. In honore tamen haberi propter Isidem. esse enim Manerotem hunc, quem in conviuiis Aegyptij cantant. Alij puero nomen fuisse Palæstino, & à dea conditam vrbem ei cognominem Pelusium. Manerotem autem illum qui cantatur, autorem fuisse musices narrant. Sunt qui Manerotem negent hominis esse nomen: sed affirment ista voce Aegyptio sermone conviuas modestiæ admoneri: atque hoc esse quod identidem nominando Manerote Aegyptij significẽt. quo pacto scilicet etiam mortui simulacrum in cistella circumlatum, non sit monimentum eorum quæ Osiridi evenerunt, vt nonnulli existiment: sed quòd censeant monendos conviuas ita vt fruantur præsentibus, vt mox ipsi quoque tales futuri, ideò inferri eam in conviuia imaginem. Cùm autem Isis ad Orum filium, qui Buti educabatur, iter faceret, & arcam extra conspectum hominum deposuisset, Typhonem noctu venantem ad Lunam incidisse in arcam eam, cadauérque agnitum in partes quatuordecim discerpsisse, eásque disiecisse. Isidem re comperta, paludes papyreo lembo pernauigasse & frusta conquisiuisse. hinc esse, quòd qui papyrinis nauigiis vehuntur, ij à crocodilis non infestantur, aut metuentibus aut venerantibus eos propter deam. atque hanc esse causam, quòd multa sunt in Aegypto sepulcra Osiridis, quia Isis frustum quodque ita vt inciderat humauerit. Alij hoc negant. simulacra aiunt Isidem fecisse, & singulis singula vrbibus dedisse, simulantem cadauer se dare, vt is à pluribus coleretur: & si Typhon prævaleret, verúmque Osiridis sepulcrum quæreret, multis commonstratis, de inveniendo desperaret. de omnibus membris solum penem Osiridis non fuisse ab Iside repertum. hunc enim statim fuisse in Nilum abiectum, gustatúmque à lepidoto siue squameo, phagro, & oxyryncho piscibus: quos præ aliis piscibus exsecrantur Aegyptij. Isidem autem eius loco phallum (id est veretrum) eius imitatione confecisse atque consecrasse: quo hodiéque in sacris vtantur Aegyptij. Deinde Osiridem Oro ab inferis præstò adfuisse, eúmque ad prœlium instituisse atque exercuisse. percunctatum etiam postea fuisse quid pulcerrimum putaret. cúmque respondisset Orus, Vlcisci patrem & matrẽ iniuria adfectos, vlteriùs quæsiuisse, quódnam animal ad pugnam eunti censeret vtilius. cùm equum respondisset Orus, miratum fuisse & in dubium vocasse, quod non leonem potiùs quàm equum dixisset. respondisse Orum, esse leonem vtilem indigenti auxilio, equum autem facere ad instandum hosti eúmque interficiendum. his auditis delectatum Osirin fuisse, vt qui satis instructum ad pugnã Orum sentiret. Narrant subinde compluribus ad Orum transeuntibus, pellicem quoque Typhonis, nomine Thueridem ad eum se contulisse, & anguem qui eam persequebatur ab Ori hominibus fuisse occisum. ideóque adhuc funiculum in medium proiici & conscindi. Prœlium porrò per plures dies durasse, ac victoria Orum potitum. Isidem, cùm vinctum Typhonem esset nacta, non modò non interfecisse, sed & soluisse & missum fecisse. idque Orum ita indignè tulisse, vt matri iniecerit manus, & regium ornatũ à capite eius detraxerit. sed Mercurium Isidi galeã è bouis factam capite imposuisse. Cúmque Typhon Oro diem illegitimorum nataliũ dixisset, auxilio Mercurij Orum à diis fuisse legitimum iudicatum. Typhonem aliis duabus pugnis

Orus.

Typhõ victus.

gnis debellatum. Isin ex Osiride, qui à morte cum ipsa coiuisset, exterricineum & inferioribus debilem membris filiũ peperisse, Harpocratem nomine. Hæc ferè sunt fabulæ capita, omissis iis quæ auditu sunt difficilima, vt de Oro membratim discerpto, & Iside capite truncata. Enimverò hæc si sentiant ac dicant homines de beata & interitus experte natura, qua potissimùm intelligitur numẽ, tanquam re vera sic gesta & obita, despuendum esse ob indignitatem rei, & os purgandum, vt est apud Aeschylum, nihil attinet ad te dicere. vltrò enim succẽses iis, qui tam impias & barbaras de diis habent opiniones. Non tamen ignoras ista non omninò germana esse fabularũ & inaniũ figmentorum, qualia cõminiscunt̃ poetæ & fabularum scriptores, aranearum instar ex seipsis gignentes initia nullo fundamento innixa, eáq; pertexentes: sed habere disputationes quasdam in se, & certorum narrationes eventorum. Et quemadmodum mathematici arcum cœlestẽ Solis tradunt esse imaginem variatam visus ad nubem reflexu: sic fabula hoc loco indiciũ est orationis aliò reflectentis intellectũ. Declarant hoc sacrificia lugubrem ac tristem speciem præ se ferentia. tum templorum dispositiones, aliquando in pinnas, & stadia desinentium sub dio sita ac pura: aliquando tenebricosa & operta infra terram habentium sacraria, cellulis similia & adytis. Nõ minimum huc faciunt Osiridis templa tã multis in locis celebria, cuius corpus multis in partibus terræ sepultum fertur. Inter alias vrbes, Abydus & Memphis nominantur, in quibus solis verè exstet Osiridis sepulcrum. Et Abydi qdem humantur Aegyptiorum fortunis ac potẽtia præcipui, studiosè hoc ambientes, vt eodem cum Osiride potiant̃ sepulcro. Memphi autem Apis nutritur, vtpote animę eius simulacrum, ibíq; etiam corpus cõditum perhibent. ac nomen vrbis alij portum bonorum interpretant̃, alij sepulcrũ Osiridis. exiguam quoq; insulam quæ est ante vrbem sita aiunt reliquo tempore omnibus inaccessam esse, ac ne aues quidẽ eò devolare aut pisces appellere. stato tempore sacerdotes in eam traiicere, ac parentare, & monimentũ coronare methidę plantę obvmbratum, quæ omnis oleæ magnitudinem excedat. Eudoxus, cùm multa in Aegypto sepulcra Osiridis perhibeant̃, corpus situm esse Busiride ait: eam enim fuisse patriã eius. iam de Taphosiri disputandum non esse, cùm ipsum hoc nomen significet sepulcrum Osiridis. Laudo autem ligni secturam, & lini scissionem, & liba quæ inferiarum gratia funduntur, quòd his multa admixta sunt arcanum sensum sacrorum innuentia. Neq; horum modò, sed & reliquorum deorum corpora pontifices aiunt apud se obita morte deposita procurari: scilicet eorũ deorũ, qui ortus & interitus expertes non sint. eorum autem animas in cœlo fulgere, et esse stellas. nam Isidis vocari à Græcis Canem, ab Aegyptiis Sothin: Orionem esse Ori, Typhonis Vrsam. Cùm autem ad alenda quę venerant̃ animalia sumtum suppeditent cõstitutum Aegyptij, soli (vt fertur) Thebaidos incolæ immunes sunt. hi enim mortalẽ deum nullum cẽsent, sed deum qui Kneph ipsis dicitur, ortus exsortem & immortalem putant. Cæterùm qa multa talia dicunt̃ & monstrant̃, qui arbitrant̃ hoc pacto cõmemorari eventa regum aut tyrannorum, qui cùm ob excellẽtem virtutem aut potentiã diuinæ naturæ dignitatem sibi arrogassent, grauibus postmodò fortunæ adversitatibus fuerint perculsi: ij facilimo vtuntur orationis effugio, & quæ auditu sunt molesta, non ineptè à diis ad homines transferunt, habéntq; sua adminicula ex historiis vulgatis. Narrant enim Aegyptij Mercurium alterum cubitorum habuisse breuiorem, Typhonem fuisse rufum, Orum albũ, Osirin nigrum: vt qui homines natura exstitissent. ad hæc imperatorem nominant Osirin, & gubernatorẽ Canopum, cum quo stella idem habeat nomẽ. & nauim, quæ Argo Græcis dicitur, inter sidera relatam in honorem nauis Osiridis, non procul ab Orione & Cane ferri: quorum siderum alterum Oro, alterũ Isidi sacrum Aegyptij cẽsent. Vereor aũt ne hoc sit immobilia mouere, & bellũ inferre nõ tãtùm, vt Simonides aiebat, lõgo tempori, sed multis hominibus, gentibus & familiis, quas religiosus horum deorũ cultus quasi furore diuino correptas tenuit. neq; aliud mihi ferè hoc esse videt̃, quàm tanta nomina è cœlo in terras deducere: honorémq; & fidẽ omnibus propemodũ hominibus ab ipso ortu ingeneratã exturbare atq; dissipare. ac cùm magnas aperire valuas impiæ turbæ, quæ res deorum in humanas convertit: tum splendidam licentiã conciliare imposturis Euemeri Messenij. Is enim cõmentario cõscripto incredibiliũ & vanarum fabularũ, omne impietatis genus per totũ sparsit terrarũ orbem, eos qui dij existimant̃ vniuersos æqualiter expungens, & ad nomina priscorũ imperatorũ, nauarchorũ, ac regum detorquẽs, descripta aureis litteris in Panchæa. in quas qdem litteras nemo neq;

Diuina ad homines qui trãsferunt.

barbarus neque Græcus, sed solus si diis placet Euemerus inciderit, naui advectus ad nullibi terrarum degẽtes aut natos Panchæos ac Triphylios. Sanè magnæ res gestæ à Semiramide celebrãt apud Assyrios, à Sesostri in Aegypto. & Phryges præclara facinora hodiéq; Manica appellant: quia Manis quidam antiquorum regum apud ipsos virtute & potentia polluerit, quem nõnulli Masden vocant. tum Cyrus Persas, Macedones Alexander victores pœnè vsq; ad fines terræ perduxerũt. Verùm istis nomina & memoria præclarorum regum obtigerunt. At si qui fastu elati, & (vt Plato ait) simul iuuentute & inscitia animis inflãmatis per lasciuiam deorum cognomina acceperunt, ac templa sibi poni voluerũt: eorum gloria breui floruit tempore. deinde præter vanitatem & arrogantiam impietatis etiam ac iniusticiæ culpam sustinentes,

Deos se facientes homines.

Euolitauerunt tenues ceu fumus in auras
Præpete surrepti fato.

& nunc tanquam fugitiui serui, in quos ius abducendi est dominis, avulsi à templis & aris, nihil præter monumenta & sepulcra habent. Itaq; Antigonus senior, cùm Hermodotus quidam in carmine ipsum Solis filium & deum prædicauisset, Non talium sibi conscium esse rerum dixit seruum qui matulam gestaret. Rectè etiam Lysippus fictor Apellem pictorem repræhẽdit, quòd is imaginem Alexandri fulmen manu tenentem pinxisset, ipse hastam huius inquiens gloriam, quæ vera Alexãdro & propria esset, nullo tempore abolitum iri. Melius ergo faciunt, qui quæ de Typhone, Osiride, Iside narrãtur, neq; deorum, neq; hominum, sed magnorum geniorum eventa sentiunt. quos genios & Plato, & Pythagoras, & Xenocrates & Chrysippus priscorum theologorum imitatione, hominibus robustiores exstitisse aiunt, & potentia nostram naturam longè superare: diuina autem natura non sincera aut pura præditos, sed quæ animæ natura corporísq; sensu compræhensa, voluptatis esset dolorísq; capax, aliísq; id genus obnoxia affectionibus, ac mutationibus, quibus alij magis, alij minus turbãtur. nam vt in hominibus, ita etiam inter dæmones sunt virtutum & vitiorum discrimina. Etenim quæ de Gigantibus & Titanibus apud Græcos cantantur, & Saturni quædam scelera, Pythonis cum Apolline certamen, exsulia Bacchi, Cereris errores, nihil absunt ab Osiridis & Typhonis eventis, aliísq; similibus, quæ omnibus licet licenter conficta audire. eadem est eorum quoq; ratio, quæ in mysticis sacris occultè aguntur, & efferri ad vulgus aut ab eo videri nefas ducitur. Iam Homerum quoq; animadvertimus insigniter bonos viros identidem appellare deorum similes, diis æquales, &

Geniorum natura.

Odyss. ξ, initio.

Consiliis superũm instructos:

appellatione autem à geniis (qui Græcè dicuntur dæmones) promiscuè vti de bonis & malis, quòd genij mixta & inæquali sint natura ac voluntate præditi. itaque & Hectorem Aiax, & Iunonem Iupiter vituperandi gratia genij similem appellat: & dæmonis in morem irruere in hostem Achilles dicitur. Hinc adeò est, quod Plato cœlestibus diis dextra & imparia, horum adversa geniis adscribit. Xenocrates etiam nefastos dies, & ferias in quibus verbera, planctus, ieiunia, mali ominis voces aut obscena dicta vsurpantur, neq; deorum convenire venerationi, neque bonorum geniorum censet: sed esse in aëre quasdam naturas magnas & validas, easdémque tetricas & morosas, quæ istis delectentur rebus, ac consecutæ à maleficio abstineant. Hesiodus bonos & commodos genios vocat

Iliad. ν. 810.
Iliad. Δ, 31.
Iliad. υ, 447, 493, alibi.

Operibus 122.

Castos, custodes hominum, rerúmq; datores
Lautarum, quod sint regalis honoris adepti.

& Plato hoc genus inter homines ac deos interpretum administrorũmq; fungi muneribus ait; quia ab hominibus vota precésq; ad deos perferant, à diis ad homines oracula & dona bonarum rerum. Empedocles genios etiam pœnas peccatorum delictorũmq; luere affirmat.

In mare namq; illos adigit vis ætheris vrgens,
Exspuit in terræ pontus sola: terráq; in almi
Lampada propellit Solis: Sol ætheris illos
Vorticibus celer immittit. sic ordine longo
Vnus post alium exosos scelerum excipit vltor:

donec suppliciis expiati ac lustrati pristinæ naturæ locóq; suo restituantur. Horum ac similium germana sunt, quæ de Typhone feruntur. qui cùm odio impulsus & malignitate atrocia patrasset facinora, omnibúsque conturbatis rebus terras omnes omniáq; maria

maria malis impleuisset, tandem pœnas dederit. Vltrix autem Osiridis soror atque vxor postquam Typhonis furias & rabiem compescuit atque exstinxit, non neglexit certamina ærumnásque suas & errores quibus fuerat iactata, neq; passa est tã multa sapienter, multa fortiter abs se gesta silentio oblitterari: sed sanctissimis sacrificiis admiscens imagines, indicia, & exempla suorũ eventorũ, simul & pietatis documentum, & solatium viris mulieribúsq; adversa fortuna vtentibus consecrauit. Ipsa autẽ, & Osiris de bonis geniis ob virtutem in deos mutati, vt postmodò Hercules & Liber, haud abs re deorũ & geniorũ permixtis honoribus colũtur, vbiq; magna, maxima autẽ in rebus supra & infra terrã potentia præditi. Neq; verò Sarapis alius est quàm Pluto, aut Isis à Sarapis.
Proserpina differt: vt & Archemachus Euboënsis docuit, & Heraclides Ponticus, qui oraculũ Canopicum, Plutonis esse iudicat. Ptolemæus verò Soter Plutonis colossum qui Sinopæ erat sustulit, cum neq; nosset neq; vidisset vnquã talẽ, quali forma per quietem imaginatus fuerat se videre, ac iuberi eũ quamprimùm Alexandriã perferre. ignoranti autem, & anxiè inquirenti vbinam locorum situs esset, amicísq; rem narrãti, oblatus est Sosibius quidã latè vagatus homo, qui Sinopę à se visum talem colossum diceret, qualem rex imaginatus fuerat. missi itaque Soteles & Dionysus, longo tempore & ægrè, neque sine providentia diuina, furtim ablatũ colossum ad regem pertulerunt. qui vbi conspectus fuit, Timotheus interpres, & Manetho Sebennita à Cerbero & dracone coniecturis ductis collegerũt Plutonis esse simulacrum, Ptolemæóque persuaserunt, non esse alius dei, quàm Sarapidis. non enim isthinc hoc nomen gerens venerat: sed allatus Alexandriam, Sarapidis nomen, quo Aegyptij Plutonem afficiunt, invenit. Iam cùm Heracletus physicus dicat, Pluto & Liber hic * cum ergo insaniunt & delirant, in hanc concedunt sententiam. Qui enim Ditem existimant corpus animæ dici tanquam desipientis & ebriæ in eo, interpretatione nimis exili vtuntur. Præstat autem Osirin cum Baccho eundem facere, & cum Osiride Sarapin: sic dictũ postquam naturam mutauit. quia omnibus communis est Sarapis. quomodo autem Osiris sit appellatus, norunt qui sacrorum sunt facti participes. Non enim par est Phrygiis credere litteris, in quibus dicitur Charopos quædam Herculis filia fuisse, Herculis autem Isiaci filius Typhon. Contemnendus etiam Phylarchus, qui scribit primum ex India Bacchum adduxisse boues duos, quorũ Apis alter, alter Osiris sit dictus. cæterùm Sarapin esse nomen eius qui Vniuersum ordinat atque ornat, quod voce særen quidam exprimunt. sunt enim hæc Phylarchi absurda. Multo absurdiora sunt quæ quidam dicunt, Sarapin non esse deum, sed sepulcralem cistam, quæ Græcè est Soros, Apidis sic nominari: & apud Memphin æreas quasdam portas, quæ Lethes & Cocyti, hoc est obliuionis atque lamentationis appellentur, aperiri cùm Apin sepeliũt, grauem asperúmq; edentes sonitum. scilicet quia quovis æreo opere resonante nos obliuio invadat. Tolerabiliùs sentiunt, qui à seuesthæ & sustæ deducentes, significant rapido motu citari Vniuersum. Pleriq; sacerdotũ in idem aiunt recidere Osirin & Apin, enarrántq; & docent nos, Apin esse intelligendum formosam animæ Osiridis imaginem. Ego autem, siquidem Aegyptia vox est Sarapis, gaudium ea & læticiam significari censeo: hoc adductus argumento, quod Charmosyna, id est festum læticiæ diem, Særa appellant Aegyptij. Nam & Plato Aden, id est Ditem, tanquam Aedûs, quę est Verecũdia, filium ait nominatum, vtpote comem benignúmq; deum erga eos qui ad ipsum pervenerunt. Et apud Aegyptios cùm multa alia nomina rationem habẽt: tum subterraneum ij locum, in quem putant à morte animas ferri, Amenthen vocãt, quod vocabuli significat dantem & accipientem. An autem hoc vnum sit de verbis, quę antiquitus è Græcia in Aegyptum translata fuerunt, inferiùs disquiremus. nunc ea persequemur, quę de explicatione sumtæ in manus opinionis restant. Et enim Osiris & Isis è bonis geniis in deos transiuerunt. Typhonis autem obscuratã atq; contritam potentiam, atque adeò semianimã & instãte interitu trementem, cùm sacrificiis quibusdam demulcent atq; leniunt, tum cõtrà in aliis festiuitatibus deprimunt contumeliísq; afficiunt. In his ignominiosè tractant rufos, asinúmq; de præcipitio deiiciũt, vt Coptitæ solẽt: propterea quòd rufus & asinino colore fuerit Typho. & Busiritę ac Lycopolitæ omnino vsu tubarũ abstinẽt, quòd harũ sonus voci asininæ sit similis: planéq; animal illud non mundũ, sed geniis peculiare putant ob similitudinẽ qua ei cũ Typhone convenit. & mensibus Payni ac Phaophi cùm in sacrificiis placentas condãt, asinum vinctũ in iis effingũt. In Solis item sacrificio eos qui deum venerãtur, hortantur ne in

* corpore aurũ ferant, néve asino alimentũ præbeant. Apparet etiã Pythagoricos Typhoni vim genij adsignasse. natũ enim eum aiunt esse mensura pari, quinquagesimasexta nimirũm. rursũmque triangulã figurã Ditis, Bacchi, & Martis esse aiunt: quadratã Reg̨, Veneris, Cereris, Vestg̨, & Iunonis: duodecim angulorũ figurã Iouis: quinquagintasexangulã Typhonis, vt Eudoxus tradidit. Aegyptij porrò quia Typhonem colore rufo fuisse censent, boũ quoq; non nisi rufos immolant. itaq; accuratã adhibent obseruationem, vt si vel vnũ capillum habeat album aut nigrũ, non immolandum iudicent. non enim aptum esse ad victimã præstandam id quod carũ sit diis: sed cõtrà iis corporibus sacrificandũ esse, quæ animas impiorũ & iniustorũ hominũ in alia corpora transeuntes exceperunt. Itaq; in caput victimæ exsecrati, amputatũ in flumen abiiciebant antiquitus, nunc peregrinis id dant. & bouem qui immolandus est sigillo impresso notabant sacerdotes certi, qui Sphragistæ, id est sigillatores dicebãtur. sigilli autẽ sculptura exprimebatur, vt Castor perhibet, homo in genua desidens manibus post tergũ reductis, iugulo ense imminente. Asinũ quoq; arbitrantur similitudinis (vti docuimus) pœnas dare, non minus ob inertiã & petulantiã quàm ob colorem. Itaq; etiã de Persicis regibus maximè exosi Ochũ, vt scelestum & impurũ, asinum appellarũt. & Ochus hoc fatus, At enim hic Asinus vestrum bouem epulabitur, Apim mactauit. vt narrat Deno. Qui autem dicunt è prœlio Typhonem asino vectũ per septem dies fugisse, elapsũmq; filios genuisse Hierosolymũ & Iudæũ: facilè patet eos Iudaicas res in fabulam hanc adsciscere. Hæc itaq; tales sententias verbis tectas præbent. Nunc alio principio facto, de his quæ magis philosophicè dici videntur, primùm simplicissimas perpendamus opiniones. Sunt qui dicant, quemadmodũ apud Græcos Cronos (qui Latinis est Saturnus) tempus, Iuno aerem, Vulcani ortus mutationem aeris in ignem notat: sic apud Aegyptios Osiride intelligi Nilum, qui cum terra, quam Isis designat, coeat. Typhonem mare esse, in quod incidens Nilus divellitur & perit, nisi quantum eius terra excipiens ab eo fecunditatem consequitur. Estq; sacra lamentatio de Saturno. deplorat autẽ natũ in sinistris partibus, in dextris pereuntem. Nã Aegyptij statuũt partes mundi ad ortũ Solis sitas esse faciem, dextra quæ ad septentrionem, sinistra quæ ad meridiem vergũt. Ergo Nilus à meridie labens, & versus septentrionẽ à mari absorptus, rectè dicitur nasci in sinistris partibus, perire in dextris. Itaq; & mare abominantur sacerdotes, & salẽ Typhonis spumã vocant, interq; alia interdictũ est ipsis, ne salẽ in mensa ponant: nauiũ quoq; rectores ab iis non cõpellantur, vtpote mari vtẽtes, indéq; victũ suum petentes. eadémq; potissimũ de causa piscem aversantur, & odiũ pingendo piscem notant. Sai in vestibulo templi Mineruæ erat insculptus infans, senex, deinde accipiter, pòst piscis, vltimo loco equus fluuialis. hæc symbola notabãt infans & senex ortum atq; interitũ, accipiter deum, piscis odium (vt diximus) propter mare, equus fluuialis impudentiã. Fertur enim patrẽ interficere, & postea cũ matre per vim coire. Videri potest etiã id, quod Pythagorici dicũt mare lacrymã esse Saturni, innuere nõ purũ id esse neq; nostro generi familiare. Atq; hæc profana sunt vulgatis narrationibus prodita. Sed sacerdotũ sapientiores, non Nilum duntaxat Osiridis, mare Typhonis nomine accipiunt: sed Osiridem in vniuersum censent omne principiũ facultate humectandi præditũ, vtpote causam ortus & substantiã seminis: & Typhonem omne siccum, igneũ, & quicquid deniq; exsiccandi vim habens adversum est humori. Ideò rufum & subpallidũ fuisse Typhonem censentes, nõ admodũ libenter compellãt tali colore qui sunt homines, ingratáq; ipsis horum est cõsuetudo. Osirin autem nigro colore fuisse fabulantur, quia aqua omnem terrã, omnem vestem, & nubes etiã nigras reddit admixta: & humor in iuuenibus capillos edit nigros, canicies velut in pallidũ mutat hos à siccitate contingens corporibus iã post vigorem elanguescẽtibus. ac ver virens est, fecundum, & amœnũ: autumnus ob humoris defectũ cum stirpibus inimicus est, tũ animalibus morbos fert. Iam qui Heliopoli nutritur bos, (Mneuin vocãt, sacrũ Osiridi, & nonnullorũ sentẽtia Apis patrẽ) is niger est, & proximè secundũ Apin colitur honoribus. Prg̨terea Aegyptũ quæ vel maxima nigrã habet terrã, tanquã nigrã

* oculi partẽ, chemia vocant, & cordi comparãt. calida enim est & humida, & austrinis mundi partibus, vt cor sinistris hominis, includitur atq; accedit. Solem quoq; & Lunã dicũt nõ curribus, sed nauigiis vectos cursus suos cõtinuare: innuentes humore ali res atq; procreari. Existimãt etiã Homerũ itidẽ vt Thaletẽ ab Aegyptiis doctũ, principiũ & ortum omniũ rerũ posuisse aquã. esse enim Oceanũ Osirin, Tethyn Isin, quæ omnia enutriat

Fabulæ physica explicatio.

Iliad. ξ, 246.

enutriat vnà atq; educat. Etenim Græci seminis emissionem apusiã, & coitum synusiã vocant, & filium hyon, ab aqua & pluuia, quæ sunt hydor & hyen. & Bacchum Hyen appellant, vt humidæ dominũ naturæ: qui sanè nõ est alius ab Osiride. Quippe Hellanicus Hysirin pro Osiride posuit, itáq; eum crebrò nominat, nimirũ à natura & inventione: aitq; se eũ ita à sacerdotibus nominari audiuisse. Esse autẽ Osirin eũdem cũ Baccho deum, cuinam magis conveniat scire, quàm tibi, ô Clea: quæ & Thyadũ Delphicarũ es princeps, & à patre ac matre Osiriacis consecrata sacris. Si tamen aliorũ gratia adducere oportet testimonia, suo loco relinquamus ea quæ effari nefas est. Quæ autẽ palàm faciunt sacerdotes, dũ Apidis cadauer rate advectũ sepeliunt: nihil distãt à Bacchi sacrificio. quippe & hinnuleorũ pelles circùm appendunt, & thyrsos gestant, iisq; vtũtur clamoribus & motibus, quibus Bacchico furore correpti dũ orgia peragũt. Ea de causa plerīq; Grecorũ Bacchi simulacra faciũt tauri forma: & Eleorũ mulieres vota facientes precãtur vt ad se deus veniat bubulo pede: & Argiuis Bacchus est bouigena, & evocãt eũ tubis ex aqua, ianitori ouẽ in abyssum iniicientes, & tubas inter thyrsos occultant, vt Socrates scripsit in libris de Hosiis, siue sacris. Conveniunt & Titanica, & nox quæ perfecta dicitur, his quę dicũtur de discerpto Osiride & rediviuo ac renato. Nec nõ & sepulturæ. Nã & Aegyptij multis in locis sepulcrũ Osiridis mõstrant, vt suprà ostẽdimus: & Delphi reliquias Bacchi apud se iuxta oraculũ sitas putãt, arcanúmq; sacrificiũ Hosij in fano Apollinis peragũt, quo tẽpore Thyades Licnitã (id Bacchi est nomẽ) excitãt. Quòd autẽ Liberũ Gręci nõ vini tãtũmodò, sed & omnis humidę naturę dominũ atq; principẽ faciant, testimonio Pindari sufficit docere sic dicẽtis,

Bacchus lætitiæ dator
Gratis frugibus arbores
Fecundet: —

eáq; causa est, quòd Osiridis cultoribus nefas est arborẽ hortensem perdere, aut fontẽ aquæ obthurate. Non solũ autẽ Nilũ, sed omnẽ simpliciter humorẽ, defluxũ Osiridis vocant: & ante sacra in pompa semper pręcedit vas aquariũ in honorẽ dei. & ficus folio regem, ac meridionale mundi clima pingunt. interpretantúrq; foliũ ficus irrigationem & fetationem omniũ: videtúrq; natura simile genitali membro. Porrò Pamylitia festum agentes, quæ, vt dictum fuit, phallo, id est virilis membri simulacro adhibito fiunt, imaginem proponunt atque circumferunt, cuius triplus est penis. nam deus est principium, omne autem principium vi genitali multiplicat id quod ab eo producitur. multiplex autem solemus ternario notare, vt cùm dicimus:

O ter felices. — &
Ter tot vincla. —

Nisi potiùs ita sentiendũ est, triplũ à veteribus propriè fuisse vsurpatũ. Humida enim natura cùm ab initio principiũ & ortus omniũ esset rerũ, tria prima effecit corpora, terrã, aerem, ignem. Quæ enim fabula rei additur, membrũ Osiridis in flumen fuisse à Typhone abiectũ, & Isidem cùm id non inveniret, simulacrũ eius adornasse, idq; vt honoraretur & phallus gestaretur instituisse: ea huc facit, docétq; genitalẽ vim & semen dei pro materia prima habuisse humorem, & humoris interventu coaluisse cũ his quæ nascendi facultate erant prædita. Alia etiã apud Aegyptios fertur fabula, Apopin Solis fratrẽ bellũ mouisse adversus Iouem. & Osiridẽ à Ioue, cui in hoste debellando auxiliũ tulisset, adoptatũ filij loco, Dionysiúmq;, id est Bacchũ, fuisse appellatũ. Hãc quoq; fabulã veritati & naturæ congruere, demõstrari potest. Iouem enim Aegyptij spiritũ vocant, cui sicca & ignea natura est adversa & inimica. ea verò nõ est Sol, sed quandã habet cum Sole cognationẽ. humor autẽ exstinguens nimiũ siccitatis, auget & roborat exhalationes, quib. spiritus alitur & viget. Pręterea & ederã Gręci Baccho cõsecrãt, & hęc ab Aegyptiis dicitur nominari Chenosiris, q̃d significat plantam Osiridis. Proinde Aristo, qui coloniã Atheniẽsiũ scripsit, in epistolã quãdã Alexarchi inciderit * * * *

Fertur etiam apud Aegyptios Bacchus filius Isidis, qui non Osiris, sed Arsaphes nomen gerat, quo fortis significatur. Indicat hoc etiam Hermæus primo de Aegyptiis libro, validum esse si interpretetur Osirin inquiens. Omitto Mnasean, qui Epapho apponit Liberũ, Osiridem, & Sarapin. omitto Anticlidã, qui Isidem Promethei filiã, Liberi vxorem facit. Nam quas retuli festorũ & sacrificiorũ similitudines, apertiùs quàm

Bacchus idẽ qui Osiris.

testes rei fidem faciūt. Et de sideribus Serium Isidi adscribūt, cùm aquā ducat. & Leonem venerantur, rictibúsq; leoninis ianuas templorum ornant, quia Nilus exvndat

Titanus primùm curru tangente Leonem.

Isis. Sicvt autem Nilum Osiridis defluxum, ita corpus Isidis terram putant, nō vniuersam, sed quam Nilus invadens ac coiens fetam reddit. *Orus.* hoc ex coitu Orum nasci perhibent. *Nephthys.* Est autē Orus tempestas ac temperies aeris ambientis omnia seruans atq; alens. quem in paludibus apud Butū à Latona dicunt enutritū: quia aquosa & irrigua terra maximè educit exhalationes quibus siccitas restinguitur atq; laxatur. Nephthyn porrò appellant extremas terræ partes quæ mare attingunt: ideóq; eam vltimā nomināt, & Typhonis vxorem dicūt. Cùm autem exvndans Nilus etiā in istas partes diffluit, hoc Osiridis cum Nephthy coitū nuncupāt, quem stirpes germinantes arguerint, inter quas & melilotum est: quo fabula fert delapso & relicto Typhonem adulteriū depræhendisse. itaq; Isis Orum iusto partu edidit, Nephthys autem Anubin furtiuo. Sanè in descriptione successionis regū scribunt Nephthyn Typhoni nuptā principió fuisse sterilem. quod si non de muliere, sed dea dicūt, innuere volunt terrā soliditatis suæ causa omnino sterilem fuisse & infrugiferam. Iam Typhonis insidiæ ac tyrannis vim significat siccitatis obtinentis, & consumentis humorem quo nascitur & augetur Nilus. Regina verò Aethiopū quæ Typhonem adiuuerit, flatus austrinos ex Aethiopia notat: qui si vincant Etesias à quibus versus Aethiopiā nubes pellūtur, prohibeántq; imbres decidere quibus Nilus augetur, tū prævalens Typhon æstu vrit, ac planè obtinēs, Nilum in diuersam partē ob imbecillitatē fluentē, cauo alueo & humili in mare expellit. Quod enim inclusus in arcam dicitur Osiris, eo nihil aliud significatur quàm aquæ occultatio & defectus. Itaq; mense Athyr periisse Osiridē dicunt, quādo Etesiis omnino deficientibus Nilus recedit, & solum nudatur. Quando autē nox fit longior, tenebræ crescunt, lucísq; superatur & tabescit vis: tunc sacerdotes cùm alios tetricos ritus exercēt, tum bouem auratū nigro byssino amictu ostentant in luctu deæ, (bouem enim Osiridis ducunt imaginem) * per quatriduū continuū à decimaseptima mensis die. Quatuor enim sunt quæ lugentur. primum, Nilus recedens atq; deficiens. secundū, septētrionales flatus, qui invalescentibus austrinis ventis admodū exstinguūtur. tertiū, quòd dies minor fit nocte. vltimū, denudatio terræ, simul etiā tunc stirpibus folia abiicientibus. Decimanona mensis die, noctu ad mare descendit, & sacrā cistā Stolistæ (quasi vestitores diceres) vnà cum sacerdotibus efferunt, in qua est intus aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his qui adsunt, vociferantibus Osiridem esse inventum. exinde tellurem frugiferam aqua permiscent, additísq; mixturæ aromatibus & suffimentis sumtuosis, effingunt imagunculam luniformem, & hāc amiciunt & ornant: significantes deos istos ab ipsis putari esse naturam terræ & aquæ. Rursum vbi Osirin Isis recepit, & Orum educat, exhalationibus, & nebulis ac nubibus crescētem ac roboratum: superatus quidem, non tamen etiam interfectus est Typhon. non enim passa est dea, quæ terræ domina est, vndiquaq; aboleri naturam humori contrariam: sed dimittit eam & laxat, cupiens temperiem relinqui. quia non poterat mundus esse perfectus, abolita ignea natura. Quod si hæc ab iis non absurdè dicuntur, par est ne hanc quidem repudiari rationem, qua dicitur antiquitus Typhon partem Osiridi *Aegyptus.* debitam obtinuisse. Nam Aegyptus olim mari fuit tecta. itaque in metallis & montibus multa etiamnum inveniuntur conchylia: & omnes fontes, omnes putei, cùm quidem eorum tanta sit multitudo, salsam atque amaram habent aquam: vtpote quòd eò reliquiæ veteris maris obsoletæ cōfluxerint. Successu autem temporis Orus Typhone est factus superior. id est, cum tempestiuè imbres oborti essent, Nilus mari expulso planiciem detexit, & terræ aggestione compleuit. Ipse sensus huic rationi testimoniū fert. Etenim hodiéq; cernimus fluuio nouum aggerente limum, terrámq; adducente, paulatim recedere mare, atq; retrò defluere: fundo ob aggestionem materiæ altitudinem nanciscente. *Iliad. Δ, 356.* Pharum certè, quam Homerus cursu vnius diei abesse ab Aegypto nôrat, nunc partem esse Aegypti constat. non quòd ipsa suo loco mota accesserit, sed quòd mare intermedium flumine opplente & complanante continenti adiecta est. *Stoicorū theologia.* Verùm enimverò hæc similia sunt eorum quæ Stoici de sacris rebus disputant. Nam genitabilem & alendo aptum spiritum Bacchi nomine afficiunt illi: qui vim percellendi ac diuidendi habet, Herculis: qui recipiendi facultatem, Ammonis: id quod per tellurē & fruges penetrat, Cererē ac Proserpinā: quod per mare, Neptunū nominant.

nominant. Qui autem naturalibus istis etiam mathematica quædam astrologica admiscent, ij putant Typhonem esse mundum solarem, Osiridem lunarem. Lunam enim quæ lumen habet genitabile & humectans, prosperam esse & animaliũ procreationi, & stirpium pullulationi. Solem hoc sortitum, vt intemperato igni calefaciat exsiccétque natas & florentes stirpes: & suo ardore magnam partem terræ fecisse habitationibus ineptam, ac sæpe etiam Lunã ab eo superari. Itaq; Aegyptij Typhonem Seth nominant: id significante vocabulo, quod vi prævalet. & in Sole situm Herculem vnà circumagi, in Luna Mercuriũ fabulantur. quæ enim Luna efficit, ea orationis & sapientiæ operum sunt similia: Solis autem, verberũ, vi & robore effecta. Stoici Solem è mari incendi atque ali aiunt: Lunæ à fontanis & lacustribus aquis dulcem mollémq; submitti exhalationem. Decimaseptima mensis die interiisse Osiridem Aegyptij fabulantur, qua die maximè plenilunium fit evidens. Ideò diem istam Pythagorei vocant antiphraxin, quasi oppositionem cum obstructione coniunctam: & omnino numerum XVII aversantur. Nam inter XVI, qui quadratũ, & XIIX, qui altera dimensionũ longius parallelogrammũ refert, atq; hi duo soli omniũ numerorum planorum ambitus habent areis suis æquales, medius interveniens XVII obstruit & disiungit eos invicem, inq; partes scissus inæquales, sesquioctauam proportionem constituit. Annos XXIIX alij vixisse, alij regnasse Osiridem dicunt. toties enim lucet Luna, tótq; diebus suam circuitionem absoluit. Lignum autem in sepultura, vt vocant, Osiridis secantes, arcam apparant lunata forma: quia Luna Soli appropinquans falcatur & occulitur. Quod autem in XIV partes discerptus dicitur Osiris, referendũ est ad dies quibus à plenilunio vsque ad nouilunium deficit Luna. Diem, qua primùm conspicitur evitatis & præteritis radiis Solis, imperfectum bonum nominant. Est enim Osiris beneficus: & nomen hoc multa significans, præcipuè vim efficacem & beneficam designat. Alterũ dei huius nomen quod est Omphis, Hermæus interpretatur beneficum. Existimant autem Nili incrementa ratione quadam illuminationibus Lunæ respondere. *Nilus.* Maximũ enim apud Elephantinam, cubitorum fit XXIIX, quot dies sunt menstruæ circuitionis Lunæ. apud Mendetem & Xoin, vbi est minimum, cubitos æquat VI, quot diebus Lunæ orbis fit dimidiatus. Medium apud Memphin, si iustũ sit, XIV cubitis convenit, & respondet tempori plenilunij. Porrò Apin animatam dicunt Osidiris esse imaginem. *Apis.* itaq; etiam figuris Lunæ similia habet multa, atratus circũ splendidas partes & vmbrosis tectus. & in nouilunio mensis Phamenoth festum celebrant, * quod ingressum Osiridis in Lunam appellant. Est autem id veris initium. Hoc pacto vim Osiridis in Luna collocantes, Isidem ei vxorem, ex qua prolem procreet, adscribunt. Ideò & Lunam mundi matrem appellant, & naturam ex vtroque mixtam sexu adsignant ei: quòd impleta & grauida facta à Sole, rursum à se in aerem emittat ac disseminet genitabilia principia. Non enim semper obtinere corruptelam Typhonicam, sed sæpe victam à vi procreatrice atq; vinctam, rursum emergere, & cum Oro decertare. Orus autem est mundus terrestris, neque interitus vnquam omnino expers, neq; ortus. Neque desunt, qui defectus hac fabula per ambages notari censeant. *Eclipses.* Etenim in plenilunio deficit Luna, Sole ipsi ex adverso stante in terræ vmbram incidens: sicvt in arcam fertur incidisse Osiris. Rursum ipsa Solem occultat & conspectui subtrahit vltima mensis die, neque tamen Solem omnino interimit, vt neque Isis Typhonem. Pariente Anubin Nephthy, Isis subiicitur. *Nephthys.* Nephthys enim est id quod infra terram situm non cernitur: Isis quod supra terram manifestum exstat. *Anubis.* at circulus isthæc ambo tangens & dirimens, qui à definiendo Horizon dicitur, ambobus cõmunis, Anubis vocatur, ac forma cani adsimilatur. quia canis visu perinde noctu vtitur atq; interdiu. Videturq; Anubis apud Aegyptios eam obtinere vim, quã apud Græcos Hecate, numen scilicet terrestre simul & cœleste. Nonnullis Anubis Saturnus esse videtur, quia omnia gignens ex se & in se tanquam prægnans mulier gerens (quod Kyein Græcè dicitur) Kyon (id est canis) appelletur. Et verò antiquitus canem violare Aegyptiis religio erat, * summisque id animal honoribus afficiebatur. sed postquam Apis à Cambyse necati & proiecti cadauer nullum extra canem animal adiit vel gustauit: primos inter animalia honores canis perdidit. Sunt qui vmbram terræ, in quam delapsam Lunam deficere putant, Typhonis nomine accipiant. Itaque ergo absurdum dictu non est singulos non rectè, vniuersos rectè pronunciasse. Non enim siccitas duntaxat, aut ventus, mare, tenebræ: sed quæcunque naturæ pars damnosa est & corrum-

pendis rebus apta, Typhonis est. Quippe nec in corporibus animę exsortibus principia Vniuersi sunt constituenda, vt fecere Democritus & Epicurus. neq; qualitatis expers materiæ opifex providentia vnica, quæ omnia superet atque contineat, hunc titulum meretur: qui fuit Stoicorum error. * Impossibile enim est, vbi nullius rei causam deum statueris, aliquid vnum vel bonum facere omnium rerum principium. cùm, Heracleto teste, vt lyræ & arcus, ita mundi quoque concinnitas contentionem & remissionem admittat. & si Euripidem audimus,

Seiungier non possunt à bonis mala:
Sed est eorum, vt res habeant satis benè,
Commixtio quædam. ——

Mundi gubernatio qualis.

Vetustissima proinde à sacrarum professoribus rerũ & legumlatoribus deriuata est opinio, auctore incognito, fide firma & indelebili, non in sermonibus ea tantùm & rumoribus, sed & in mysteriis ac sacrificiis tam barbaris quàm Græcanicis exstans. neque casu ferri & à fortuna pendere Vniuersum, mente, ratione, ac gubernatore destitutum: neq; vnicam esse rationem quæ contineat id & dirigat tãquam clauum aut fręna moderans. sed cùm permulta è bonis iuxtà malisq; sint confusa, immò nihil hęc natura sincerum (vt verbo dicam) proferat: non esse vnum aliquem promũ qui è duobus doliis res nobis velvti aliquem liquorem cauponis in morem distribuat atq; misceat.

Duo adversa rerum principia.

ergo à duobus principiis contrariis, adversisq; duabus facultatibus, quarum altera ad dextrã & rectã ducat, altera retrorsum avertatur atque reflectat, cùm vitã esse mixtam, tum ipsum mũdum, (si nõ vniuersum, eũ saltem qui ad terrã est & Lunæ subiacet) inęqualiter ferri, variisq; & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absq; causa fit, & mali causam bonũ non præbet: necesse est in natura vt boni, ita etiã mali ortũ peculiarem, suúmq; principium exstare. Atque hæc quidem sententia plerisq;, & iisdem sapiẽtissimis probatur. Existimant enim alij duos esse deos, quasi cõtrariis deditos artibus, vt bona alter, alter mala opera cõficiat. alij eum qui est melior, deum: qui deterior, dæmonem dicunt. In qua sententia fuit Zoroastres magus, quem narrant I Ↄ Ↄ annis

Magorum theologia.

antiquiorem bello Troiano exstitisse. Is ergo Zoroastres melioris nomen Oromazã, peioris Aremanium perhibuit. addiditq; hoc enunciatũ, de rebus sub sensum cadentibus, illũ maximè similem esse luci, hunc tenebris & ignorationi. mediũ horũ esse Mithram. quæ causa est quòd Mithram Persę Mesiten, id est mediatorem seu intermediũ nuncupant. Docuitq; votiuas & pro gratiis agendis oblatas victimas illi immolãdas: huic auerrũcandi mali causa institutas & tetricas. herbam enim quandã, Omomi appellatam, in mortario tundentes, Ditem invocant & Tenebras: tum admixto lupi iugulati sanguine, efferunt & abiiciunt in locum quò Solis radij non pertingunt. Nam & de stirpibus ita iudicant, quasdam boni dei esse, mali quasdã genij. & animaliũ alia, * vt canes, aues, & echinos terrestres bono, aquaticos malo adiudicant. itaq; & beatum eum prędicant, qui plurimos interfecerit. Enimverò illi quoque multa de diis fabulosa narrant: cuius generis est quod referam. Oromazen natũ aiunt è luce purissima, Arimanium è caligine: eos bellum inter se gerere. sex deos fecisse Oromazen: primum benevolentiæ, secundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos sapientiæ, diuitiarũ, & voluptatis quæ honesta consequitur opificem. Arimanium totidem numero his adversa efficiẽtes. Deinde Oromazen sese triplicasse, & à Sole tanto se intervallo remouisse, quanto à terra Sol abest. ac cœlũ stellis decorasse, vnámq; ante alias tanquã custodem & speculatorẽ constituisse Siriũ. alios porrò XXIV deos condidisse & in ouo po* suisse. At totidem numero factos ab Arimanio ouũ illud perforasse * hinc mala bonis esse permixta. Appetere porrò fatale tempus, quo necesse sit peste & fame ab his adducta Arimanium omnino perdi atq; aboleri. terráq; æquabili & plana facta, vnã vitam vnámq; ciuitatem beatorũ hominũ vniuersorũ, vnáq; lingua vtẽtium fore. Theopompus ait de sententia magorũ vicibus ter mille annorũ alterum deorũ superare, alterum succumbere: & per alia tria annorum millia bellum eos inter se gerere, pugnare, & alterum alterius opera demoliri: tandem Plutonem deficere. & tunc homines fore beatos, neq; alimẽto vtentes, neq; vmbrã edentes. deum porrò ista qui machinetur, quiescere ad aliquod tempus, nõ quod longũ sit deo, sed rectũ & mediocre tanquã hominis dormientis. Hoc modo se habent Magorum fabulæ. Chaldæi planetas deos faciunt, quorũ duos beneficos, totidem maleficos, reliquos tres medios affirmãt & promiscuos. Græcorum opinio nemini ferè ignota est: qui bonam partem Ioui Olympio, malam

malam Diti auerrunco adsignant. & Harmoniam (quasi concinnitatem) è Venere & Marte natam fabulantur: quorum hic sæuus est & contentiosus, illa comis & genitabilis. Iam philosophos vide cum his consentientes. Heracletus enim apertè bellum nominat patrem & regem & dominum omnium. & Homerum dum optat, *Philosophorũ sententiæ de principiis.*

Ex diuûm atq; hominum vt pereat discordia cœtu, *Iliad. σ, 207.*

occultè exsecrari vniuersorum ortum, quia nascuntur ex contentione & adversatione. & Solem non transgressurum positos sibi limites: alioqui fore vt in linguas incidat iusticiæ patrocinantes. Empedocles principium boni efficax amorem ac amiciciam, sæpe etiam harmoniam appellat: deterius autem

Rixam perniciosam, & litem sanguinolentam.

Pythagorici pluribus vtrumque principium afficiunt nominibus. Bonum Vnitatis, finiti, quiescentis, recti, imparis, quadrati, æqualis, dextri, splendidi: malum Binarij, infiniti, in motu versantis, curui, paris, altera dimensione lõgioris, inæqualis, sinistri, tenebricosi. hæc esse principia ortus rerum statuunt. Anaxagoras mentem & infinitum. Aristoteles formam & priuationem. Plato multis locis quasi occultans & obvmbrans suam sententiam, alterum cõtrariorum principiorum Idem, alterum appellat Diuersum. At in libris de Legibus iam senior nõ per ambages aut notas, sed disertis verbis pronunciat mundum non vnica anima, sed compluribus fortasse, ad minimum autem duabus cieri: quarum vna boni sit efficax, altera eius contraria & contrariorum opifex. relinquit etiam tertiam quandam in medio naturam, non animæ, non rationis expertem, neque ex sese immobilem, vt nonnulli putant: sed vtrique harum expositam, ita vt semper appetat ac desideret meliorem & sectetur. id quod sequens oratio explicabit. vbi Aegyptiorum theologiam maximè ad hãc accommodabimus philosophiam. Mixta est enim huius mundi origo atque compages ex contrariis facultatibus: sed quarum non sint æquales vires. melior enim prævalet quidem: deteriorem autem funditus aboleri nefas est, cùm & in corpore ea validè inhæreat, & in anima vniuersi, & meliori semper repugnet. In anima ergo mens & ratio optimorum omnium princeps atque dominus, Osiris est. in terra autem, spiritibus, aquis, cœlo, & stellis quod ordinatum est, æquabile, & sanum, id defluxus & imago est Osiridis, tempestatum, temperamentorum, ac conversionum vicibus conspicua. Typhon autem animæ pars rationis vacua est, & variis motibus exagitata, tumultuosa & bruta. in corpore facultas morbos & mutationes adsciscens. tum aëris intemperies & inconstantia, solisque & lunæ defectus, velvti excursiones sunt Typhonis. Et ipsum nomen Typhonis, quod eum Seth appellant, rem arguit. notat enim id quod vi obtinet, ac multas conversiones admittit, sæpe transilit. Quidam dicunt Bebæonem vnum de sociis Typhonis fuisse: Manethos Typhoni etiam Bebonis nomen factum: voce obstaculum seu impedimentum significante. quòd rebus rectà incedentibus & ad suum finem tendentibus vis Typhonis obsistat. Itaque de cicuribus animalibus inertissimum ei tribuunt asinum: de feris sæuissima, crocodilum & equum fluuialem. Ac de asino quidem dictum est suprà. Cæterùm apud Hermupolin simulacrum ostenditur Typhonis, equus fluuialis, cui accipiter insistit in serpentem pugnans. equo Typhonem indicante, accipitre vim & principium, quibus vi potitus ille sæpenumerò non defatigatur præ malicia turbatus atque turbans. itaque etiam septima mensis Tybi sacrificantes, quam diem nominant Isidis è Phœnice adventum, placentis adfingunt equum fluuialem vinctum. In vrbe Apollinis statutum est vt quisque omnino de crocodilo edat. certa autem die quadam venati quotquot possunt crocodilos, interficiunt, & ex adverso templi abiiciunt, Typhonem dicentes in crocodilum mutatum Oro se fuga eripuisse. ita omnia animalia, stirpes, & eventa mala atque damnosa Typhonis opera & effecta putant. Contrà Osirin oculo & sceptro pictis exprimunt, oculo providentiam, sceptro potentiam demonstrante. sicvt Homerus etiam Iouem omnium regem atque principem appellat *Typhonis & Osiridis interpretatio.* * * *

Induperatorem, consultorémque: ——— priore voce imperium, posteriore prudentiam innuente. Accipitre etiã picto Osirin sæpe proponunt. auis enim ea pollet acumine visus & volatus celeritate, eáq; est natura, vt celerrimè alimentũ digerat. fertur etiam cadaueribus inhumatis terram iniicere supervolans. & cum in Nilum bibendi *Iliad. θ, 22.* *Accipiter.*

causa devolat, pēnam constituit rectam, ac inclinans eam postquam bibit, ostendit se evitato crocodilo incolumē evasisse: si enim rapiatur, manet penna recta sicut eam fixerat. Vbique porrò ostenditur simulacrum Osiridis humana specie, recto pene, ob vim gignendi & alendi. At amiculum flammeum quo imagines eius velantur, Solem exprimit, quod corpus benefica præditum facultate visu percipitur, & exemplum est sola mente cernendæ substantiæ. Itaque meritò contemtui habentur, qui globum Solis Tiphoni adscribunt: cui nihil splendoris, nihil salutare, nullus ordo, nulla procreatio aut motio ratione modóque constans, contraria omnia conveniunt. & æstus, quo multa animalium ac terra nascentium corrumpuntur, non Solis opus existimari debet, sed spirituū aquarúmq; in terra & aëre intēpestiuè confusarum, quando principiū incompositæ & infinitæ facultatis errore cōmisso exhalationes exstinxerit. Porrò in sacris de Osiride canticis invocant eum, qui in Solis occultatur vlnis. & vltima die mensis Epiphi, Sole & Luna in eadem linea coëuntibus, ferias agunt natalicias oculorum Ori. quippe non Lunam modò, sed & Solem oculum lumén que Ori censentes. Vigesima secunda die mensis Phaophi, post æquinoctium autumnale, festū diem celebrant, tum Solis baculos natos dicentes. quo innuunt velvti fulcro & roboratione Solem iam indigere, qui inclinatus cùm iam à nobis per obliquum ferri incipit, & caloris & luminis aliquam sit passus deminutionem. Præterea bouem femellam sub solstitium hybernum septies circa templum circumferūt: vocatúrque Osiridis indagatio Solis circuitus, aquam hyeme desiderante dea. toties autem circumeunt, quia septimo mense decursus Solis ab hyberno ad æstiuum solstitium cōficitur. Omnium primus Orus Isidis F. Soli sacrificasse fertur quarta die mensis, vt scriptum est in libro, qui Natalicia Ori titulum habet. Et verò quavis die ter adolent Soli: resinam sub ortum, myrrham meridie, Kyphi (quod vocant) circa occasum. quorum quodque quam habeat rationem, infrà exponam. singulis quidem istis cōciliare se & venerari Solem opinantur. Quanquam quid refert multa colligere talia. Sunt, qui Osirin disertè aiunt esse Solem, & à Græcis Sirium appellari: articulum O præpositū huic nomini apud Aegyptios obscuritatem dubitationémque de vocabulo genuisse. Isidem verò eandem cum Luna esse pronunciantes, etiam eadem vtranque imagine repræsentant. in qua cornuta Lunæ indicāt illuminationes falcatas, nigræ autem vestes occultationes eius & obvmbrationes designant, quibus Solem desiderans sectatur. Itaque & ad res amatorias Lunam invocant: & iis rebus præesse Isidem Eudoxus affirmat. Atque hæc quidem veri saltem aliquam habent similitudinem: qui autem Typhonem faciunt Solem, indigni sunt qui audiantur. Sed nos eò, vnde abiit oratio, revertamur. Est ergo Isis naturæ ea pars, quæ quasi feminea, omnes in se recipit ortus, tanquam nutrix quædam & omnium commune receptaculum à Platone dicta, à plerisque aliis Myrionymos, id est innumeris prædita nominibus: quòd ratio eam in omnes formas speciésque vertat. Huic Isidi à natura insitus est amor primæ omniúmque principis & præstantissimæ naturæ, quæ est Bonum. hoc ea desiderat atque persequitur, & portionem à malo sibi obtingentem fugit atque repellit. Cùm enim sit receptaculum & subiectum vtriusq;, sua tamen sponte semper vergit ad melius: séq; præbet implendam & conserendam defluxibus ac similitudinibus, quibus feta & rebus referta gignendis gaudet atq; exsultat. Quod enim nascitur, id imago & exemplum in materia est Entis. Itaq; ergo non abs re fabulantur Osiridis animam sempiternam esse interitúsq; securam: corpus eius à Typhone subinde divelli atque aboleri, idq; ab Iside vagante conquiri, rursúmque componi. Id enim quod re vera est, soláque cernitur mente Bonum, extra interitus mutationísque aleam situm habetur. eius imagines quasdam sensilis atque corporea natura impressas gerit, rationésque eius & formas ac similitudines in se recipit, quomodo in cera sigillorum simulacra finguntur. verùm ista non semper permanent, sed confusione & tumultibus excipiunt in hac regione, superiore expulsa, & adversus Orum pugnantia, quem Isis gignit sensile exemplum mundi sola mente videndi. Eam ob rem pro spurio accusatus à Typhone dicitur, vtpote non purus, neq; sincerus vt pater ipsius forma per se mixtionis & motionis expers, sed corporea materiei natura adulteratus. Causam tamen in iudicio obtinet Orus, Mercurio, id est ratione, demonstrante mundum à natura conformari imitatione substantiæ sola intelligentia perceptæ. Quod enim Apollo ex Iside & Osiride adhuc in vtero Reæ versantibus dicitur natus, eo innuunt antequam

Isidis, Osiridis, Typhonis physica explicatio.

hic mundus conspicuus fieret & materiam forma perficeret, naturam ex sese imperfectionis convictam primum ortum edidisse. ideóque illum deum mancum in tenebris natum esse aiunt, & seniorem Orum appellant: quòd non mundus erat, sed futuri mundi imago quædam ac species. Orus autem ipse finitus est & perfectus, neque Typhonem omnino interfecit, sed vim eius efficacitatémq; abstulit. Itaque Copti ferunt simulacrum Ori altera manu Typhonis genitale membrum tenere. & Mercuriū fabulantur Typhonis neruos exemisse, vtíque iis pro fidibus: docētes rationem concinnando vniuerso id de dissonante consonū redegisse, & vim interimendi nō aboleuisse sed impleuisse. quo fit, vt ea imbecillis atque languida in hoc mundo rebus mutationum affectionúmque variarum capacibus adhæreſcat: & in terra quidem concussiones tremorésque, in aëre æstus ventósque intempestiuos, tum turbines igneos atque fulmina moliatur: aquas etiam & spiritus pestilenti lue inficiat: & vsque ad Lunam excurrat séque efferat sæpe splendidum obfuscans aërem. quod sentiētes Aegyptij, Typhonem dicūt aliàs percussisse, aliàs erutū deglutisse oculum Ori, deinde Soli reddidisse. ictu menstruam Lunaris luminis diminutionem innuentes, impletione autem defectum, cui Sol medetur Lunam, vbi ea vmbram terræ evitauit, adversus illustrans. Iam præstantior ac diuinior natura è tribus constat, eo quod mente cernitur & materia, & quod ex his compositum Græcis Kosmos, id est Mundus, dicitur. Ac Plato quidem primum illud ideam, exemplar, patrémque nominat: Materiam matris, nutricis, sed is, & regionis ortuum capacis vocabulo notat: quod ex vtroque constat, prolem ortúmque nominare adsolet. Aegyptios autem probabile est triangulorū pulcerrimo in primis comparasse Vniuersi naturam: qua comparatione etiam Plato in rep. videtur vsus, vbi figuram Nuptialem componit. Constat id triangulum tribus lateribus, quorum basis est quatuor, angulum rectum ad eam conficiens trium, & huic subductum angulo latus quinque scrupulorum, tantum potest quantum latera eum conficientia. Intelligendum est autem linea ad rectum angulum alteri insistente marem, basi feminam, subtendente prolē vtriusq; repræsentari. & Osirin esse principium, Isidem receptaculum, Orum effectum. ternarius quippe primus est impar ac perfectus numerus: quaternio est quadratū lateris paris binarij: quinarius quâ patri, quâ matri cōgruit, cōflatus è binario & ternione. is Græcis est pente, à qua voce manasse videt̄ panta, quo Vniuersum, & pēpasasthæ, quo numerare intelligitur vocabulo. quadratum porrò quinarius producit à se, quantus est numerus litterarum apud Aegyptios, & quot annos vixit Apis. Orum solent ij Kæmin appellare, quod est visui expositum. est enim mundus res sensilis ac visilis. Isis aliquando Muth, nonnunquam Athyri, quandoque Methyer nominatur. prima voce mater intelligitur, secunda domus Ori mundana, (sicvt & Plato locum ortus & receptaculum fecit) tertia ex plenitudine & causa componitur. plena enim est materies mundi, & cum bono, puro, probéque composito subsistit. Fortassis etiam Hesiodus prima omnia faciens chaos, terram, tartarum, & amorem, videri potest non diuersa, sed eadem rerum principia ponere: siquidem Isidis nomine terram, Osiridis amorem, Typhonis tartarum accipimus. nam chaos videt̄ quasi locum quendam & regionem Vniuerso subiecisse. Enimverò res ipsa quodammodo citare videri potest fabulam, quam in cōuiuio Platonico Socrates de ortu Amoris narrat. Paupertatem scilicet cùm prolem desideraret, Poro (id est copiæ) dormienti accubuisse, atque ex eo grauidam factam, Amorem peperisse, natura varium & ad omnia sese vertentem: vt qui patre bono, sapiente, atque in se ipso omnium habente rerum copiam, matre autē inope, ac ob paupertatem semper aliorum appetente natus esset. Porus enim ille nihil est aliud, quàm id quod primò amatur atque appetitur perfectum & seipso contentum. Materiæ autem nomen paupertatis indidit, quæ suapte natura indiga est boni, ab eóque impletur, & id semper expetit atque recipit. Ex his natus Orus siue mundus, nō sempiternus est, neque mutationum exsors & interitus, sed identidem nascens, vicibus mutationum subinde atque affectionum nouus recuditur, permanétq; vt nunquam periturus. Porrò autem fabulis vtendum est, non quasi eæ rem prorsus doceant: sed quod ob similitudinem cum re ipsa aliquam commodum ad eius explicationem offertur, desumendum inde est. Ergo vbi materiam nominamus, non debes philosophorum quorundam opiniones secutus corpus aliquod animæ expers ac qualitatum, & ociosum suapte natura atque inefficax imaginari. nam & oleum vnguenti materiam

Triāgulum rectangulum primum.

Theogonia 116.

Materia.

vocamus, & aurum statuæ, non omni planè carentia qualitate. ipsúmque animum & intellectum hominis tanquam virtutis & scientiæ materiam rationi expoliendam atque componendam tradimus. & mentem quidam formarum locum, & in qua rerum intellectu percipiendarum quasi expressa sint simulacra appellant. sunt etiam qui semen muliebre non facultatem aut principium, sed materiam & alimentum fetus censent. Hæc tenentes, etiam deam hanc sic intelligere debemus participem fieri primi dei, & amore perpetuo bonorum eius duci, non vt ei adversam: sed quæ tãquam maritum legitimum & iustũ amore iusto sectetur. quomodo probam mulierem cum suo viro degentem, tamen eius desiderio trahi dicimus: ita eam semper eum auere, eique adesse, ac præcipuis & purissimis repleri partibus. Vbi autem Typhon extrema tangens incidit, ibi videri eam mœstam, ac dici lugere, & reliquias quasdam frustáque discerpti Osiridis conquirere ac velare, dum ea quæ intereunt excipit atque occultat, vt rursum ex sese edat ac emittat res nascẽtes. Etenim quæ in cœlo & sideribus sunt formæ ac defluxus dei, permanent. quæ autem sparsa sunt in res motibus obnoxias terram, mare, stirpes, animalia, ea mutantur, intereunt, sepeliuntúrque, & sæpenumerò rursum exsistunt, in lucémque emicant orta. Itaque fabula Typhonem maritum Nephthyos facit, & cum hac occultè coiisse Osirin. Extremas enim materiæ partes, quæ Nepthyos & Finis nomine intelliguntur, vis maximè interitum rebus adferens cõtinet. vis autẽ genitalis & conseruatrix rerum, imbecillum semen & languidum in eas didit, & à Typhone perimitur, nisi quantum eius Isis excipiens seruat, alit, atque constituit. In vniuersum autem ille est præstantior: sicvt & Plato opinatur, & Aristoteles. Ad hunc naturę pars genitabilis & salutaris, & ad exsistendum mouetur: ab eodem facultas interimens atque abolens cietur & ad interitum impellitur. Itaque illi Isidis nomen est factum, quòd sciẽter proficiscatur atque procedat: quippe motus cum sit animatus ac prudens. Non enim barbaricum est nomen. sed sicvt omnibus diis à theato & theonte, id est spectabili & currente nomen theos inditum fuit: sic istã deam à sciẽtia simul & motu cùm nos Isidem, tum Aegyptij appellant. Sic etiam Plato ait Vsiam, quod est substantia, veteres nomine Isias expressisse: & intelligentiam ac prudentiam vocasse itidem, quasi mentis agitationem, vocibus omnibus ab ienæ (quod est ire) deductis. hinc synienæ intelligere est. & omnino simili ratione ab eo boni, virtutísque explicantur vocabula: sicvt contrariis notantur traducuntúrque appellationibus ea quæ naturam impediunt eiúsque progressionibus moram obstando iniiciunt, vt malum, indigentia, timiditas, molestia. Sic ergo Osiris nomẽ habet ex hosio & hiero, quod est sancto & sacro, conflatum. communis enim est ratio eorum quæ in cœlo & apud inferos sunt, quorũ altera hiera, altera hosia veteres nuncupabant. Iam qui cœlestia ostẽdit Anubis, superiorũ quasi ratio, (ano enim suprà est) aliquando etiam Hermanubis vsurpatur: altero nomine superioribus, altero inferis scilicet conveniente. itaque ei immolant aliàs album, aliàs flauum gallum: supera sincera & manifesta, infera mixta & varia innuentes. Neque verò mira debet videri nominum ad Græcum sermonem effictio. nam innumera alia hodiéq; manent vnà cum migrantibus è Græcia ad exteros propagata: quorum quædam revocãtem poëticam vituperant tanquam barbariei se dantem ij, qui id genus res glossas appellant. Cæterùm memoria proditum est in libris, qui Mercurij libri dicuntur, scriptum esse de sacris nominibus, facultatem quæ præest cõversioni Solis Orum, Græcis Apollinem vocari. quæ vento, ab aliis Osirin, ab aliis Sarapin, Aegypticè Sothi: quę vox Kyesin, id est grauiditatem siue feturam notat. atque hinc facta inclinatione stella Caniculæ, quæ propria Isidis censetur, dicta est Kyon siue Canis. Minimè equidem de nominibus est contendendum. ego tamen Sarapidis potiùs quàm Osiridis nomen Aegyptios sibi vindicare sinam. illud enim peregrinum, hoc Græcum, ambo vnius dei seu facultatis vocabula censeo. His conveniunt etiam Aegyptia. Isidem enim sæpenumero nomine Mineruæ significant * * quæ vox significat motum à seipso profectum. Typhon autem, sicvt monstratum fuit, Seth, Bebon, & Smy appellatur: quibus verbis indicatur violenta quædam inhibitio, contrarietas, aut inversio. Præterea magnetem lapidem ossis Ori, ferrum ossis Typhonis nomine afficiunt, vt Manethos narrat. sicvt enim ferrum sæpe simile est tracti à lapide & eum sequentis, sæpe avertitur in diuersam partem. ita motus mundi salutaris, bonus, & ratione cõstans aliquando versat, ad se ducit atque molliorem reddit obsequentem sibi duram illam ac Typhoniam

Isidis nomen & Osiridis.

Vide Cratylũ.

phoniam vim: aliquando hæc in sese revertitur, & in infinitatem relabitur. Ad hæc de Ioue perhibet Eudoxus fabulam Aegyptios celebrare, eum pedibus inter se connatis cùm ire non posset, ob pudorẽ in solitudine vixisse: Isidẽ autem dissectis & diductis iis membris Ioui gressum expediuisse. qua fabula hoc innuit, dei mentẽ suapte natura in invisibili & inconspicuo degentem, motu ad res procreandas processisse. Sistrum *Sistrum.* quoque arguit quati omnia naturalia & nunquam motu vacare debere, sed velvti excitari atque exagitari vbi torpere & tabescere ceperint. aiunt enim sistris Typhonem averti atque depelli: ostendentes interitu res vinciente & inhibente, ortum rursus motu naturam soluere atque expedire. Et sistri superiore parte rotundi conspectus admonet de quatuor corporibus quæ concutiuntur. nam quæ pars mundi ortui & obitui est obnoxia, ea continet globo Lunæ: inque ea omnia mouentur ac mutantur ratione quatuor elementorum, ignis puta, terræ, aquæ, & aëris. Curuamini sistri autem in vertice infigunt felem humana facie, imæ parti infra ea quæ quatiuntur, aliquando Isidis, interdum Nephthyos faciem. his faciebus adumbrant ortum & interitum, quæ sunt elementorum mutationes atque motus: fele Lunam repræsentante, *Felis natura.* ob animalis istius varietatem, ac vim noctu agendi & fecunditatem. dicitur enim vnum principio catulum párere, deinceps duos, tres, quatuor, vnóque subinde plures donec septem vno partu edat. itaque duodetriginta in summa parit, qui est numerus dierum Lunæ. Verùm hoc fortasse fabulæ sit similius. sed felis oculorum pupillæ impleri dilatarique videntur sub plenilunium, & Lunæ lumine decrescente attenuari atque languescere. humana autem felis facie innuitur Lunæ mutationes mente ac ratione gubernari. Sed vt rem in pauca verba contraham, neque aquam, neque Solem, neque terram, neque cœlum Osirin vel Isidem esse rectum est putare: neque Typhonis nomine ignem, æstum, aut mare intelligere verum. sed simpliciter quantum in his modo & ordine caret ob excessum aut defectum, Typhoni imputantes: quæ ordine & compositè fiunt, quæ bona sunt & vtilia, vt Isidis opus, imitationem autem & imaginem ac speciem Osiridis venerantes atque colentes, non peccabimus. quin & Eudoxi dubitationibus finem imponemus, anxiè quærentis cur non Cereri procuratio rerum amatoriarum adscribatur, sed Isidi, & cur non Bacchus Nilum augeat, neque mortuis possit præesse. Vna enim ratione communi hos deos omni bonorum portioni præesse censemus, & quidquid in natura pulcrum bonúmve inest, iis acceptum ferimus: illo principia suppeditante, hac vim excipiente & conseruante. Eodem pacto vulgares quoque & molestas sententias refellemus eorum, qui vel aëris secundum anni partes mutationibus, vel frugum procreationi, sementi, arationi gaudent accommodare ea quæ de his diis memorantur. vt cum dicunt Osiridem sepeliri quando semen terra occulitur: in vitam redire & rursum apparere quando pullulare incipit. ideóque dici, Isin cùm se sentiret esse grauidam, appendisse sibi amuletum, sexta die mensis Phaophi. & peperisse Harpocratem sub solstitium hybernum imperfectum ac recentem, quòd tum prævij flores & germina prima enascuntur. ideóque ei fabarum nascentium primitias offerunt: dies autem puerperij post æquinoctium vernum solennes agunt. Hæc enim vulgo audientes amplectuntur atque credunt, illicò ab iis quæ in promtu sunt petita probabilitate. neque sentiunt hoc primum esse iniquum, vbi deos non communes omnium hominum faciunt, sed proprios Aegyptiis dicant, & dum Nili Aegyptique nomine, ac pauludum, Lotum, & deorum effectionem de his solis intelligunt, quibus ea nomina sunt tributa: magnis se diis alios spoliare homines, quibus nullus Nilus est, neque Butus, neque Memphis: cùm tamen hi Isin aliósque id genus deos vniuersi habeant atque norint, & quosdam sanè Aegyptiis nominibus afficere non ita pridem didicerint, singulorum autem vim iam inde ab initio cognouerint atque honorauerint. Deinde maius etiam incommodum est. Nisi enim attentissimè cauerint, imprudentes numina in spiritus, fluxus, sementes, arationes, terræq; adfectiones & tempestatum mutationes permutent atque dissipent. vt ij qui Bacchum pro vino, Vulcanum pro flamma accipiunt. sic & Cleanthes alicvbi Proserpinam (quæ Græcis est Phersephone) ait esse spiritum qui per fruges dum fertur, interimitur. & quidam poëta de messoribus dixit:

Cùm lecti iuuenes Cereris iam membra secarent.

Hi sanè nihil ab iis differunt, qui vela, rudentes & anchorā prò gubernatore, & fila ac stamina pro textore, & cyathum, mulsum, vel ptisanā pro medico habent. Adde quòd pessimas & impias isti opiniones excitant, qui deorum nomina rebus sensu animáq; carentibus, & vsu hominū necessariò pereuntibus imponūt: quæ vt dij sint, nullo modo intelligi potest. * Non enim deus res est animæ expers, & manibus hominū subiecta aut obnoxia: sed deos inde cēsuimus esse, quod ij nostris vsibus res perpetuas atq; perdurātes largiti sunt. Neq; verò alij apud alios sunt dij, aut sui Græcis, barbaris item sui, alij septentrionalibus, alij austrinis. Sed quemadmodum Sol, Luna, cœlū, terra, mare, communia sunt omnibus, tantùm aliter ab aliis appellantur: ita vnius mētis hoc Vniuersum temperantis, vniúsq; providentiæ huic præfectæ, & facultatū administrarum omnibus rebus destinatarum, alij apud alios honores, alia nomina legum instituto habent. notisq; vtuntur obscurioribus ij qui sacris sunt dedicati, alij apertioribus intellectū ad diuinas res quasi manu deducunt. * quæ res periculo non vacat. Nōnulli enim à recto itinere deviantes, prorsus in superstitionē delapsi, alij fugiendo, vt par erat superstitionem, imprudentes in præcipitium quasi quoddam impietatem delati sunt. Itaque oportet apprimè ratione è philosophia desumta, quæ nos sacris initiet, sanctè eorum quæ aguntur dicuntúrq; vnumquodq; considerare, ne quomodo Theodorus dicebat se orationes dextra porrigente, auditorum nonnullos læua eas accipere: sic nos quæ leges de sacrificiis & festiuitatibus bene præcipiunt, aliter quàm rectū est intelligentes, peccemus. Etenim omnia esse ratione peragenda, ex ipsis illis potest depræhendi. Vndevigesima die primi mensis, diem Mercurio festum celebrātes, mel & ficos edunt, simul dicentes, Dulce est veritas. Isidis amuletum, quod appendisse eam sibi fabulantur, interpretatum sonat Vocem veram. Harpocrates neq; deus imperfectus ac infans putandus est, neq; vllum leguminum: sed præses atque corrector recentis, imperfectæ, & incompositæ hominum de diis sententiæ. itaque & digitum ori impositum tenet, argumentum taciturnitatis & silentij. & mense Mesore offerentes ei legumina, dicunt: Lingua est fortuna, lingua genius. De stirpibus Aegyptiis maximè consecratam deæ aiunt perseam: quòd eius fructus cordis, folium linguæ speciem refert. Quippe eorum quę homini obtingere possunt omnium nihil diuinius est oratione, præcipuè de diis, neque maius res vlla ad felicitatem momentum adfert. Itaque hîc oraculum intraturo mandatur, vt sanctè sentiat, & modestè loquatur. Pleriq; autem ridiculè agunt, qui in pompis & festiuitatibus fauere linguis iubentes, pòst de diis ipsis pessimi ominis voces sententiásque vsurpant. Quomodo ergo tristia illa & risus expertia ac lugubria sacrificia sunt obeūda? siquidē neq; omittere legibus præscripta convenit, neq; opiniones de diis confundendæ & cum suspicionibus absurdis miscendæ sunt. Equidem quo tempore Aegyptij sacris operantur, multa eodem tempore similia apud Græcos agunt. Nam & Athenis mulieres Thesmophoria obeuntes ieiunant humi desidentes: & Bœoti Achææ Megara mouent, festiuitatémque eam molestam nominant, quòd nimirum Ceres ob Proserpinæ filiæ descensum in dolore sit. Fiunt hæc mense sationis circa Virgiliarum ortum, quem mensem Athyr Aegyptij, Pyanepsionem Athenienses, Bœoti Damatriū, id est Cerealem nuncupant. Theopompus narrat eos qui ad Solis occasum habitant censere & appellare hyemem Saturnum, æstatem Venerem, ver Proserpinam: & omnia nasci ex Saturno atque Venere. Phryges deum opinantes hyeme dormire, æstate vigilare, hyeme sopitiones ei, æstate excitationes bacchando celebrant. Paphlagones vinciri eum atque coërceri hyeme, vere moueri & solui aiunt. Et temporis ratio iniicit suspicionem, tristia sacra instituta esse ob occultationem fructuū: quos antiqui non deos, sed dona putauerunt deorum magna & necessaria ad feræ & belluinæ vitæ evitationem. Ac quo tempore fructus arborum omnino defecisse abolitósq; esse cernebāt, alios ipsi serētes parcè & cū penuria, terráq; manibus hausta occultabant, incerta spe fructus capiendi deponentes, multa agitabant in morem sepelientium atque lugentiū. Porrò sicvti nos eū, q libros Platonis emit, emere Platonē dicimus, & Menandrū agere, qui poëma Menādri agit: ita illi nomina deorū liberaliter donis ac operib. deorū tribuerūt, ob vtilitatē ea honorantes atq; exornantes. Sed posteri horū indoctè ista accipiētes, imperitéq; in ipsos deos detorquētes, ea quæ frugibus accidunt aliàs exorientibus aliàs occultatis, deorū ortus interitúsque non vocando duntaxat, sed etiam sic habere rem arbitrando, seipsos absurdis, impiis, tumultuosisq; opinionibus obruerunt.

Sacrificia tristia.

ruerunt. At verò absurditas rei in conspectu fuit non modò Xenophani Colophonio, aut qui eum subsecuti Aegyptios monuerunt, vt aut ne lugerent eos quos deos censerent esse, aut pro diis non haberent, si lugendos crederent: sed & ridiculum ex se est inter lugendum votis petere vt noui nascantur sibi fructus, quos rursum insumendi ac porrò lugendi habeant materiam. Verùm res aliter habet. fructuum enim causa lugent: deos vt causam & præbitores bonorum precantur, vt ij loco pereuntium nouos alios gignant atque producant fructus. Ita rectissimè apud philosophos dicitur, Qui vocabula non discant rectè intelligere, eos etiam de rebus ipsis falli. quod vsu venit Græcorum iis, qui ærea, picta, aut lapidea simulacra cùm adsueuissent non imagines & honores deorum appellare, sed deos: ausi sunt deinde dicere, Mineruam à Lachare fuisse exutam, Apollinis cincinnos aureos Dionysium tondendo abstulisse, Iouem Capitolinum sub bellum ciuile incendio periisse. Hæc illi discũt attrahentes & amplectentes prauas opiniones, quæ nominibus comitantur. Atq; hoc non leuiter Aegyptiis accidit respectu eorum quæ venerantur animalia. Nam in hoc negocio Græci rectè cùm dicunt tum sentiunt columbam animal esse sacrum Veneris, draconem Mineruæ, coruum Apollinis, canem Dianæ, sicut Euripides de Hecuba: *

Hecates simulacrum luciferæ fies canis.

Sed Aegyptiorum pleriq; colentes ipsa animalia & tractantes tãquam deos: non sannis modò & irrisioni totam pœnè sacrorum obiecerunt rationem. (hoc enim à stulticia illa malum provenit minimum) sed & vehemens ingeneratur animis opinio, quæ infirmis atq; simplicibus meram inducit superstitionem: vehementiores atq; audaciores ad negandum deos, belluinásq; cogitationes propellit. Quo fit, vt de his ipsis etiã aliqua probabiliter disserere non sit alienum. Nam quod traditur deos Typhonis metu in ista animalia transiisse latendi causa, & corporibus ibium, canum, accipitrũ se occuluisse: id quovis prodigioso commento, quavis fabula est vanius. neque plus fidei meretur, quàm animas mortuorum eas quæ non abolentur nouo ortu in hæc tantùm redire animalia. Cæterùm qui ciuilem aliquam causam adferre volunt, eorum alij Osirin dicunt magnum exercitum suum in certas cohortes atque centurias diuisisse, ac singulis vexillum animali aliquo insignitum tradidisse: singulósque populos id quod ei obtigisset, honore ac sacro cultu dignatos fuisse. Alij posteriores reges, terroris hostibus incutiendi causa in prœliis aiunt occurrisse, belluarum aureis argenteísve capitibus atque primis partibus indutos. Sunt qui regem quendam callidum atq; versutum narrent, quia depræhendisset Aegyptios natura leues, & ad res nouas apprimè procliues esse, eosdémque ob multitudinem viribus insuperabilibus atque effrænibus præditos vbi sana mente & communi consilio rem vellent gerere: sempiternæ eis discordiæ occasionem dispersa in singulas gentes superstitione obtulisse. cùm enim aliis aliorum animalium cultum iniunxisset, quæ inter se inimicicias exercent, & vnum ab alio cibi gratia expetitur: dum sua singulæ defendunt animalia, & eorum iniurias ægrè ferunt, factum esse vt ob animalium inimicicias ipsæ gentes re non obseruata infestæ sibi invicémq; hostes redderentur. Sanè soli omnium Aegyptiorum Lycopolitæ ouem edunt: quia idem lycos, id est lupus, facit, quem pro deo habent. Et nostra adeò tempestate cum Cynopolitæ piscem oxyrynchum ederent, Oxyrynchitæ canes compræhensos ac mactatos victimæ in morem comederunt. eaque de causa conflato bello, cùm ipsæ grauibus sese invicem damnis affecerunt vrbes, tum adfectæ à Romanis pœnam iis infligentibus fuerunt. Porrò cum multi dicant ipsam Typhonis animam in has bestias avolasse: fabulæ involucro tegi hoc potest videri, omnem brutam & belluinam naturam, malo genio iure deberi. eúmq; placantes & demulcentes eos ista colere atq; venerari. Magno autem æstu incidente, ac molesto, qui vltra modum adducat vel pestilentes morbos, vel alias invsitatas calamitates: sacerdotes quædam eorũ quæ coluntur animalium abducentes tacitè in tenebras, terrent primùm ea minis: sin malũ duret, immolant atq; mactant: tanquam supplicium aliquod genij hoc si esset, aut aliàs expiatio magni mali magna. Nam & in Idithyæ vrbe viuos combusserunt homines, vt Manethos scribit, Typhonios appellantes, & cinerem eorum ventilando dissiparunt atq; aboleuerunt. verùm hoc palàm factum est, & certo tempore, diebus canicularibus. consecrationes animalium quæ coluntur occultæ, neque statis fiunt temporibus, & vulgo sunt ignotæ: nisi quòd sepulturam Apidis celebrantes, atq; illa producẽtes, quædam omnibus præsentibus vnà in sepulcrum coniiciunt: existimantes hoc pa-

De animalibus quæ colunt Aegyptij.

cto se Typhoni voluptatem percipienti vicissim molestiam obiicere, læticiámq; eius infringere. Etenim Apis videtur cum paucis aliis sacer esse Osiridi. ei autem pleraque attribuunt. Quod si verò est hęc ratio, existimo ea significari id quod quærit̃ de in cõfesso positis, & honores communes habentibus. cuius generis sunt ibis, accipiter, cy* nocephalus, & ipse Apis. sic enim caprum scilicet, qui Mendete alitur, nominant. Relinquitur, vt ad vtilitatem, & notationem qua aliquid designant, respiciatur. quorum vtrunq; plerisq;, multis alterum adest. Bouem nimirum, & ouem, & ichneumonem liquet vtilitatis gratia atq; emolumenti honorem invenisse. qua ratione Lemnij galeritam honorant, quia bruchorum oua invenit ac confringit: & Thessali ciconiam, q; multos angues subitò è terra editos ciconiæ vniuersos perdiderunt: ideóq; lege exsulium indicit̃ ei qui ciconiã necauerit. Aspidem verò Aegyptij, & felem, & cantharũ in honore habẽt, diuinæ potẽtiæ imagines quasdã obscuras, sicvt solis simulacra in stillis solent, conspicati. Nam felẽ etiamnũ sunt qui dicant ac credant multi per aurem concipere, partum per os emittere, qua similitudine orationis ortus refertur. At in cantharorum genere perhibitum est nullam esse feminam: mares omnes semen eiicere in materiam ab ipsis in globum conformatam, quam volutent ex adverso impellentes. sicvti Sol videtur cœlum in contrariam partem convertere, ipse ab occasu versus ortum proficiscens. Aspidem vt senij securam, & motibus nullo instrumento indigentibus facile ac molliter vtentem, sideri comparauerunt. Crocodilus certè cultus sui probabili causa minimè destituit̃. nam fert̃ exstitisse exemplũ dei, solus animalium elinguis. nimirum quia voce numen nihil indiget, sed iter iusticiæ citra vllum conficiens sonitũ, res humanas iustè temperat. Aiunt huic soli in humore versanti oculos contegi à mẽbrana tenui ac pellucida, quæ à fronte descendat: ita vt videns, non videat̃ ipse. qua in re principi deo respondet. Præterea, quo loco regionis crocodilus femina parit, eũ cõstat incrementorum Nili fore limitem. cùm enim in humido párere nõ possint, & metuant longiùs ab aqua párere, ita præcisè norũt futuræ eluuiei modum, vt fluuio qdem à partu & fouendi gratia accedãt, oua tamen sicca & humoris expertia conseruent. pariunt LX, totidémq; dies excludendo fetui impendunt, tótq; annos viuunt crocodili, qui diutissimè. Sexagenarius aũt numerus prima est mensura iis qui astrologiam tractant. Iam de cane, qui inter ea numerat̃ quæ vtraq; de causa coluntur, dictum est iam antè. Ibis verò cùm repẽtes humi mortiferas bestias interficit: tum prima medicã evacuandi corporis rationem docuit, cùm conspiceret̃ isto modo sese proluere atq; purgare. Sacerdotum etiam qui sunt maximè obseruantes legum, lustrandi sui causa aquã inde petunt, vnde ibis biberit: non enim bibit morbosam aut infectam aquam, immò ne accedit quidem. Ad hæc diductis pedibus & rostro cum his comparato, triangulũ æqualium omnium laterum efficit. & nigrarum pennarum cum albis mixtio & consertio, Lunæ vtrinq; gibbosæ formam habet. Enimverò mirari nemo debet, Aegyptiis ita exiles similitudines arrisisse: cùm Græci etiam pictis fictisq; deorum simulacris multa adhibuerint talia. qualis est Cretæ Iouis imago auribus cárens: nõ enim cõvenit audiri ab eo quenquam, qui omnium sit rerum dominus atq; princeps. & Mineruæ simulacro draconem Phidias addidit, Veneris Elide testudinem: virgines custodia habere opus, nuptis domi mansionẽm & silentium convenire significans. & Neptuni tridens signum est tertiæ regionis, quam mare obtinet post cœlum & aërem collocata. & à ternione etiam Amphitritæ ac Tritonum sunt nomina. Pythagorei autem numeros quoque & figuras deorum ornauerunt appellationibus. Nam triangulum æqualium omnium laterum nominauerunt Mineruam è vertice natam, & Tritogeneam: quia tribus perpendiculis eductis è tribus angulis suis diuiditur. Vnitatem Apollinis vocabulo affecerunt, duplum eius Dianæ, videlicet binarium. eundem binarium Contentionem & Audaciam vocauerunt. ternarium dignati sunt Iusticiæ titulo. æqualitas enim in medio posita est eorum quæ iniustè aguntur, & contra ius tolerantur, ab excessu & defectu proficiscentia. tetractyn, quæ celebratur, id est quaternionẽ mysticum, XXXVI vnitatibus constantẽ, loco iureiurãdi maximi fuit, sicvti omniũ sermonibus est tritũ: & appellabat̃ Mundus. conficit̃ aũt primis quatuor paribus, & primis imparibus in vnam summã collectis. Proinde cùm philosophorũ probatissimi conspectam aliquã occultam dei imaginem ne in animæ corporisq; expertibus qdem rebus neglexerint, aut contemnendum senserint: multo (nisi fallor) pluris faciẽdę sunt, quæ in sensilibus, animatísve proprietates eò pertinẽt, eorúmq; adfectionibus

&

& moribus. At enim probandi sunt, non qui isthæc, sed qui per hæc numen venerãtur: istáq; recte habentur pro speculis clarioribus & à natura suppeditatis, tãquam instrumenta & artificia dei vniuersa ornantis. Aequum etiam est hoc intelligi, nihil animatum inanimato, nihil sensu carens sentiente præstantius esse: etiam si quis vniuersum aurum, & smaragdum in vnum comportaret locum. Nõ enim in coloribus aut figuris aut læuitatib. inest diuina natura. quinimmo deteriore illud conditione est quàm res vita exutæ, quod neq; vixit vnquam, neq; viuendi habuit in se facultatem. quæ verò natura viuit, videt, & in se principium motus, noticiámq; sibi convenientium & alienorum à se continet: omnino particulam aliquam defluentem hausit eius providentiæ, qua gubernari hoc Vniuersum Heracletus dixit. Itaque in his rebus nihilo deterius diuinæ naturæ concipitur imago, quàm in æreis aut lapideis operibus, quæ itidem interitui & mutationi obnoxia, sensu interim omni, omníque intellectu priuauit natura. Atque hæc sunt quæ maximè ex istis admitto, quæ de animalibus cultu dignatis disputantur. Porrò autem amicula Isidis variæ sunt tincturæ. nam vis eius versatur circa materiam in omnia mutabilem, òmnium capacem rerum: lucis inquam, tenebrarum, diei, noctis, ignis, aquæ, vitæ, mortis, principij, finis. Osiridis non vmbram, non varietatem habet: totum est luminosum. principium enim temperamenti est exsors: & quod primum est, soláque cernitur mente, id mixtione vacat. Itaque Osiridis simulacra semel tantùm promuntur, deinde ita reponuntur, vt videri tangíve non possint: Isiacis sæpenumerò vtuntur. Sensilia enim in promtu sunt, ínque vsu versantur, variisq; sui mutationibus multiplicia exhibent spectacula. Intelligentia verò sinceri, sancti, & nõ nisi mente percipiendi principij, fulguris instar emicans animum id semel attingere atq; intueri tandem finit. Itaq; & Plato & Aristoteles eam philosophiæ partem inspectricem appellant: quando scilicet homines ratione prætervecti opinabilia ista, mixta, & omnigena, ad primum illud, simplex, & materiæ expers prosiliunt, verámq; de eo sententiam attingentes, perfectum se ad finẽ philosophiæ pervenisse existimant. Id etiam, quod hodie sacerdotes velvti abominantes & occultantes trepidè significãt, Osiridem mortuis imperare, neq; à Dite seu Plutone alium esse: ignoratum quo modo verum sit, plerosq; turbat, suspicantes in terra & infra terram sacrosanctum istum verè Osirin habitare, vbi corpora latent eorum qui iam esse desiisse putantur. At verò ille ipse longissimè à terra abest impollutus intaminatúsq;, & purus ab omni natura interitum mortémq; sustinente. Hominum autem animæ quandiu hîc à corporibus & adfectionibus continentur, nihil habent cum deo consortij, nisi quatenus philosophiæ adiumento velvti per somnium intelligentia eum attingunt. at postquàm solutæ migrauerunt in purum, & visui atque perpessionibus non obnoxium: ibi tum earum ipse deus ductor est, ab ipso pendentium, spectantiúmq; absq; vlla satietate & desiderantium ineffabilem hominibus pulcritudinẽ: cuius amore prisca fabula Isidem correptam ait, ea persequenda & potiunda implere res caducas omnibus pulcris atq; bonis. Hæc est harum rerum explicatio, maximè deorum naturæ consentanea. Quod si est, sicvti in me receperam, aliquid etiam dicendum de iis quæ quotidie adolentur: illud primò cogitandum videtur, viros istos studium rerum ad sanitatem conducentium nunquam non fecisse maximi: in sacrificiis aũt, castimoniis, ac vitæ quotidianæ vsu non minorem pietatis duxisse quàm sanitatis rationem. sentiebãt videlicet neq; corporibus neq; animis morbi supectis aut vitij rectè coli eam posse naturam, quæ vndiquaq; pura, impolluta, atq; illæsa est. Ergo quoniam aër, quo adsiduè vtimur, ínq; eo degimus, non eodem semper affectus temperatúsq; est modo: sed noctu densatur, corpus comprimit, animámq; cõpellit ad mœsticiam quãdam & solicitudinem, velvti caligine ei quadam & grauedine inducta: statim vt à somno surrexere, resinam adolent, reficientes aërem & secretione purgantes, spiritúmq; qui concretus cum corpore languorem contraxit resuscitantes. habet enim odor resinæ vehementiam quandam & vim percellendi. Rursum meridie sentientes Solem è terra attrahentem vi sua admodum multum ac grauem vaporem, & aëri admiscentem, myrrham suffiunt. nam calor dissoluit atque dissipat turbulentas fæces quæ in aëre coëunt. Etenim medici censent adversus pestem remedio esse copiosam flammam, vtpote quæ aërem attenuet. hòc autem fit rectiùs, si odorata ligna vrantur, vt cupressi, iuniperi, piceæ. & Acro medicus Athenis tempore magnæ pestis gloriam sibi parauit, iubendo ignem ponè ægrotantes accendi: nam iuuit non

Isidis vela.

Osiris quomodo mortuis præsit.

Suffituũ ratio.

paucos. Aristoteles etiam affirmat, vnguentorum, florum, pratorûmque suaues fragrantias non minus ad sanitatem facere quàm ad voluptatem: quòd eæ cerebrum natura frigidum & ad concretionem procliue sensim suo calore & læuitate relaxent. Id quoq; ad rationem causæ reddendæ nonnullum adfert testimonium, quòd myrrham Aegyptij Bal nominant: quæ vox si interpreteris delirationis significat amolitionem. Kyphi porrò, mixtura est sedecim rerum in vnum compositarum: mellis, vini, vuæ passæ, cyperi, resinæ, myrrhæ, aspalathi, seselis, iunci odorati, bituminis, folij ficulni, rumicis, iuniperi vtriusque, (duas enim nominant, maiorem ac minorem) cardamomi, & calami. Has autem species non temerè componunt, sed seplasiariis, dum isthæc miscent, sacræ recitantur litteræ. Ipse numerus aliquid videtur habere, quòd nimirum quadratus est à quadrato procreatus, solus talium pariter par, & areæ quantitatem cum ambitus numero eandem * sed ad hoc conducunt plurima eorum quæ miscentur, aromaticis prædita facultatibus. Itaque Kyphi suauem emittit vtilémque exhalationem, qua aër mutatus spiritu suo etiam corpus afficit, temperiémque blandam adipiscitur: & molestiam ac vehementiam diurnarum curarum quasi vincula quædam animi citra ebrietatem relaxat: facultatémque animi imaginatricem & somniorum capacem læuigat instar speculi, puriorémque reddit: non minus id quidem efficaciter, quàm lyræ strepitus, quibus ante somnum Pythagorei vtebantur, brutam motibúsq; subitis obnoxiam animæ partem ea ratione excantantes atque sedãtes. Odores enim sæpe sensum deficientem revocãt, sæpe etiam contrà hebetant ac sopiunt, diffusis ob læuitatem per corpus exhalationibus. sicvt medicorum nonnulli somnum oboriri aiunt, quando alimenti vapor velvti serpens leniter circum intestina & ea cõtrectans titillationem quandam inducit. Kyphi porrò Aegyptiis etiam ad bibendum temperatur. potum enim videtur ob vim molliendi suam interiora purgare. Præter hæc, resina Solis est opus: & myrrha lacryma est ad Lunam à stirpibus edita. Eorum porrò quæ in Kyphi componuntur, sunt quæ nocte magis gaudent, vt quæ spiritibus frigidis, vmbris, rore, & humoribus aluntur. Nam diei lux vna est & simplex: & Solem Pindarus cerni ait per vacuum ætherem. Nocturnus autem aër mixtus temperatúsque est è variis luminibus atque facultatibus, quæ velvti semen in vnum ab omnibus stellis confluunt. Ergo non abs re illa vt simplicia & à Sole procreata interdiu: hæc vt mixta & omnigenis qualitatibus prædita, ineunte nocte adolent. *

PLVTARCHI

De his qui serò à numine puniuntur, commentarius.



HAEC ergo locutus Epicurus, Cynie, prius quàm responderet quisquam, cùm in vltima porticu nos essemus, proripuit se atq; discessit. Nos cùm admirati hominis insolentiam aliquantulum taciti substitissemus, invicémq; intuiti essemus, rursum, vt tum fortè deambulabamus, reversi sumus. Ibi primus Patrocles, Quid, inquit, an non absentis perinde atq; si coram adesset videtur sermo revocandus, & quæstio tractanda? Sub hæc Timon: Non sanè ait, si coniecto in aliquem nostrûm iaculo abiisset, iaculum inhærens corpori negligere cõveniebat. Brasidas quidem, vt fertur, hasta è suo extracta corpore eum ipsum perculit ac necauit, à quo in ipsum fuerat missa. nos quidem nullo negocio vlcisci possumus eos, qui absurdo & falso convicio nos impetunt: quod satis est à nobis profligari, ante quàm attingat. Quid est ergo, inquam ego, quod ex iis quæ Epicurus dixit potissimùm vos moueat. multa enim confertim, nihil ordine protulit homo: & alia alivnde petita, ira quadam & maledicendi studio interim exagitatus, adversus Providentiam effudit. Tum Patrocles, Mihi, inquit, vel maximè tarditas & cunctatio numinis in pœna malis irrogãda res videtur esse grauis atq; atrox. & nũc oratione istius quasi rudis factus sum quod ad opinionem hanc attinet atq; nouicius. Iampridem cum indignatione audiebam isthuc Euripidis:

Cun-

Cunctatur. hæc quippe est natura numinis. *Orestа.*

Enimverò nullam ad rem, minimè autem omnium adversum malos decebat deum esse segnem: non segnes eos, aut qui suæ maleficentiæ diem producāt, sed qui celerrimis impetibus ab animi adfectionibus ad flagitia incitentur. Thucydidis est sententia, vltionem maleficio quamproximè adiunctā statim viam intercludere iis qui quamplurimùm malicia bonos habente successus vtuntur. Nullum enim aliud debitum perinde, atque dilatio iustæ vindictę, iniuria affectorum spes eneruat animósque eorum deiicit, contra improbos ferocia & audacia augens. Sed supplicia statim facinoribus imposita, etiam futurorum sunt inhibitiones maleficiorum, illísque maxima inest consolatio, quæ passos iniuriam reficiat. Itaque mihi etiā Biantis dictum molestum est, sæpe id mecū repetenti: quod dixisse fertur cuidam malo: Non metuo ne non sis daturus pœnas, sed ne ego id non sim visurus. Quid enim vtilitatis rediit ad Messenios, antè interfectos quàm de Aristocrate sumtum est supplicium? qui prodita in Cypro pugna, cùm supra viginti annos delituisset, totóque eo tempore Arcadum rex fuisset, tandem depræhensus pœnas dedit: Messeniis pridem pessundatis. Aut quid solatij attulit Orchomeniis, qui proditione Lycisci liberos, amicos, & familiares suos amiserunt, morbus qui longo pòst tempore Lyciscum invasit, corpúsque eius depastus est? qui identidem pedes in fluuium intingens imprecatus est iis putredinem, siquidem prodidisset aut iniquè egisset. Nam quòd Athenis scelestorum corpora proiecta, & cadauera extra fines patriæ deportata sunt, ne nepotibus quidem videre licuit eorum, quos isti interfecerant. Et Euripides absurdè his vtitur verbis, dehortaturus aliquem à malicia:

Trepidare noli: non te accedens comminùs
Iusticia iecur feriet, aut alium improbum.
Sed tacita, lento tardéque adrepens pede
Suo malos aliquando tempore obruet.

Non enim profectò alia, sed hæc ipsa ea esse consentaneum est, quibus mali sese ad capessenda flagitia exhortātur atque excitant: quòd nimirum malicia fructum statim maturum & ante oculos situm præbeat, pœna autem serò demum & longè pòst fruitionem subsequatur. Hæc Patrocle fato, Olympiacus ista subiecit. Expediendum erat tibi, Patrocles, quódnam absurdum cūctatio numinis in puniendo secum trahat. Nimirum quòd tarditas fidem providentiæ derogat. & quia non quodvis flagitium malorum aliquid adversi comitatur, sed spacio temporis succedit: infortunij alicuius loco accipiunt mali, ac non supplicium, sed calamitatem appellātes, nihil percipiunt commodi: ægrè quidem ferentes adversa quæ eveniunt, sed facinora sua tamen non mutātes. Sicvt enim pœna illicò peccatum insequens, ictus est & compunctio quæ corrigat, ádque officium redigat: quæ aliquanto pòst tempore subsequuntur convulsiones, repetitiones, & exprobrationes, aliò magis quàm ad docendum pertinere videntur, quia molestiam adferūt sine institutione. ita malus, si quoties aliquid delinquit, vapulet pœnáque imposita reprimatur, saltem tandem ad mentem redibit, metúque dei humiliter se demittet, eum præstò humanis actionibus atque affectibus intelligens esse vindicem non qui in aliud iudicium reiiciat tempus. At iusticia ea, quæ paulatim, & (vt Euripidi visum) tardo pede & vtcunque malis ingruit, ob incertitudinem ac dilationem & inordinatam vindictæ rationem à casu potius quàm à providentia pendere videt. Atque adeò non video quid vtilitatis adsit iis, qui serò tandem molere molis deorum dicuntur. cùm hoc pacto & iusticia reddatur obscura, & maliciæ metus evanescat. His ita dictis, cùm ego mecum rem meditarer, Timo, Vultísne, inquit, vt ipse quoque difficultatibus huius disputationis colophonem addam? aut sinam potiùs istum adversus hæc decertare. Quid enim, respondi ego, attinet tertium fluctum immittere, eóque obruere argumentum, si id priora non possit depellere aut evitare crimina? Primùm itaque sumto, tanquam à Lare, initio ab auita Academicorum philosophorum de rebus diuinis differendi cautione atque modestia, ita de his rebus dicere ac si earum sciētiam profiteremur, piè detrectabimus. Grauius enim est quàm de rebus musicis imperitum musices, aut de bellicis militiæ rudē verba facere, res deorum & geniorum velle perspicere eum qui sit homo: & tanquam artificis sententiam artis ignarum opinionibus & probabilibus coniecturis investigare. Nam cùm perdifficile sit homini plebeio consilium medici depræhendere, quod secutus non antè sed pòst sectionem ad-

Tarditas pœnæ. (margin, beside "tibi, Patrocles")

I. Tēpus pœnæ soli deo notum. (margin, beside the last lines)

hibuit,neq; heri lauit ægrotum sed hodie: certè de deo non facile aliud quicquam firmum homo pronunciabit, quàm eum, vt qui optimè opportunum medendi flagitiis tempus habeat cognitum,medicamenti instar pœnã sceleri cuivis imponere, neq; eadem in omnibus magnitudinis mensura,neq; eodem temporis articulo definitã. Medicinam enim animæ, quæ Iusticia cognominatur,omnium esse artium maximã,præter sexcentos alios etiam Pindarus testatur, principem & dominum omnium deũ appellans Aristotechnam, id est, artificum præstantissimum: quippe iusticiæ administratorem,quæ ius habet determinandi quando, quomodo, & quatenus quilibet malorum sit puniendus.Atq; hanc artem Minos Iouis F. didicit,vt Plato ait:indicans ius rectè administrare,rectámq; iuris administrationẽ intelligere non posse, qui eam scietiam discendo non fuerit consecutus. Etenim & eæ leges,quæ ab hominibus ponuntur,non vbiq; habent rationem eorum quæ præcipiunt illustrem. immò quædam videntur omnino ridicula. vt quòd Lacedæmone Ephori statim ab inito magistratu edicunt ne quis mystacem alat:& vt legibus obtemperent,ne eæ ipsis sint difficiles obseruatu.Romani quos in libertatem vindicant, eorum corporibus stipulã tenuem iniiciunt.& vbi testamentum condunt,alij scribunt hęredes,alij vendunt bona.q̃d videtur alienum à ratione,alienissimum illud Solonis, qui in seditione neutri se parti adiũgentem ignominia notauit.& planè multa legum absurda esse dixerit,qui autoris mẽtem,& causam scriptorum singulatim non cognouerit. Quid ergo miremur,vbi humana ita difficulter à nobis intelligunt,si non facile explicatu nobis est quanã de causa dij peccantium aliis maturiùs, aliis seriùs supplicia imponant? Quæ dixi,ea non tergiversationis sunt præscriptio, sed veniæ petitio:vt disputatio nostra portum quasi & tutum effugienti locum respiciens,probabilia ad explicandas quæstionis difficultates tanto animosiùs possit consectari. Proinde hoc primum considerate,q; Platone autore deus se in medio exemplar omnium bonorum cùm proposuisset,humanam virtutem,qua homo similis dei aliquo modo saltem redditur, parandam concessit his,qui deum sequi possunt. Etenim ipsa huius vniuersi natura cùm omni careret ordine, habuit principium suæ mutationis vt mundus fieret, quòd similis particépsq; facta est cuiusdam ideæ & virtutis quæ in deo erat. Idem ille Plato visum in nobis à natura fuisse accensum ait, vt spectandis admirandísq; cœlestium corporum motibus anima nostra amplecti condocefacta decorum & ordinem,odium conciperet incompositorum & vagorum motuum,temeritatémque & casui fidentem leuitatem fugeret tanquam omnis vitij & erroris originẽ. non est enim maior alius fructus quem ex deo possit capere homo,quàm quòd imitatione pulcrorum & bonorum quæ diuinæ naturæ insunt,virtute potitur. Propterea deus malis interposita mora ac tardè pœnas infligit, non quòd vereatur, ne accelerando supplicio erret aut committat cuius pœnitentia aliquando ducatur. sed vt in vindicandis aliorum peccatis sæuiciam & vehementiam nobis hoc exemplo suo eximat. docens non per iram, aut cùm maxime feruet & palpitat

II. Cunctationem dei in puniendo,nos debere imitari.

Visus vtilitas.

Animus,super rationem se saltu efferens,

tunc nos debere quasi famis sitisve replendæ gratia invadere in eos qui nos iritauerũt: sed imitatione ductos eius mansuetudinis & cũctationis, ordine & accuratione adhibito temporis spacio in cõsilium,quod minimè locum parabit pœnitentiæ, ad puniẽdum nos conferre. Nam,vt Socrates dicebat, si in aquam turbatam incidens,eàm ob incontinentiam bibas,minus mali est,quàm si animo conturbato, iræq; & furoris pleno,priusquam subsistat & purus fiat eò te des, vt supplicio cognati & ad eandem gentem pertinentis eum expleas. Non enim vltio proximè iniuriam, vt voluit Thucydides,sed longissimè potiùs ab ea dissita, convenientem sibi locum obtinuerit. quippe sicvt ira,vt est apud Melanthium,

Ira compescenda.

Migrare coacta ratione malas res agit:

ita ratio vicissim ira & excandescentia submotis iustè moderatéq; agit. Hinc est quòd etiam humanis exemplis auditis homines fiunt placidiores. quale est Platonis qui cùm sublato baculo plagam puero intentasset,aliquandiu constitit, irã(vt ipse aiebat) puniens. & Archytæ, qui ruri depræhensa seruorum suorum socordia & ordinis neglectione, vt sensit se asperiùs adversum eos animo esse commotum, nihil egit, nisi quod discedens dixit,Bona vestra fortuna fit quòd iratus sum vobis. Quòd si commemoratio humanorum dictorum factorúmque iræ vehementiam asperitatémque pos-

possunt adimere: multo magis convenit nos in deum intuentes (qui tametsi nullius rei metu pœnitentiáve ducatur, tamen supplicium differt, & in futurum reiicit tempus) cautè in hoc genere versari, & mansuetudinem grauiúmq; læsionum tolerantiam pro diuina habere virtutis parte. quam deus nobis demonstrat, puniendo paucos emendantem, tardè puniendo multos iuuantem atq; corrigentem. Secundum porrò hoc consideremus. Humanæ malefactorum vltiones legitimæ id duntaxat habent, quod vicissim ægrè faciunt, repositóq; maleficio subsistunt, neq; vlteriùs progrediuntur. quæ causa est, quòd delicta canum instar cum latratu persequuntur, & facinora extemplò vlciscuntur. Atqui deum credibile est, quancunque vitio captam animam iusto suo iudicio aggreditur, eius motus perspicere, sicubi ad pœnitentiam inflectuntur, tempúsque correctionis largiri iis, quorum non extrema est & incurabilis nequicia. Videlicet sciens quantam virtutis portionem animæ ab ipso ad hominis ortum proficiscentes secum ferant, & quàm valida eis, miniméque evanida generositas sit innata: vtq; eædem contra suam naturam vitia proferant cùm sunt victu consuetudinéq; malis corruptæ: ita quidem vt nonnullæ rectè curatæ, sibi convenientem recuperent habitum: non omnibus eodem modo pœnam accelerat. sed quod insanabile est, statim præcidit vitáque priuat: quia & omnino aliis nocent, & sibi multo maximè, qui semper in vitiis viuunt. quibus autem ignoratione boni potiùs quàm appetitione boni peccata obrepunt, iis tempus vitia mutandi largitur: quod si persistant in vitiis, ipsos quoque punit. non enim periculum est vllum, ne ipsius manibus elabantur. Considera verò quàm multorum hominum mores & vita fuerint mutata. qua occasione Græci mores tropos à mutando, & ethe à consuetudine nominant, quæ in hac re semel adhibita plurimum potest. Equidem ita sentio, Cecropem à priscis fuisse biformem dictũ, non quòd è bono rege immanis & draconis naturam imitans sit factus tyrannus: sed contrà, quòd perversus ab initio & terribilis, postmodò benignè humanitérque imperauerit. Quod si hoc incertum est: certè Gelonem nouimus, & Hieronem Siculos, & Pisistratum Hippocratis F. qui tyrannide per maliciam parta vsi sunt secundum virtutis rationes, & iniustè potiti imperiis, mediocriter iis & cum vtilitate publica functi sunt. nam & optimarum vsum legum, & agriculturæ subditis studium commendando ciues de captatoribus risuum ac garrulis modestos ac industrios redegerũt. & Gelo adversus Carthaginiẽses gesto optimè bello, cùm eos magno vicisset prœlio, pacem petentibus non antè concessit, quàm id quoque insertum eius fuit conditionibus, finem facturos Carthaginienses Saturno suos immolandi liberos. Megalopoli tyrannus fuit Lydiades. is ipsa in tyrannide consilio mutato & improbata iniusticia, ciuibus rempub. & leges restituit: & pro patria in hostes pugnans, illustrem oppetiit mortem. Iam si quis Miltiadem in Cherroneso tyrannidem gerentem interfecisset, aut Cimonem cum sorore concumbentem in iudicio reum tanti criminis peregisset, aut Themistoclem lasciuè comesantem, petulantérque per forum bacchantem Athenis expulisset, sicvt postmodò de Alcibiade reo facto statutum fuit: nonne periissent nobis Marathon, Eurymedon, Dianium, vbi

—— Pubes attica iecit
Illustre fundamentum libertatis?

Nihil enim præstantes naturæ exiguum efferunt: & ob acumen vehementia earum atque efficacitas ociosa esse non potest. sed quasi æstu fluctibúsque iactantur, donec mores stabiles atque compositos sibi parent. Sicvt ergo rudis aliquis agriculturæ nullo modo probaret locum, quem videret densa obsitum sylua, agrestibus stirpibus, & multis feris ac riuis lutóque repletum: perito autem, & iudicandi gnaro, hæc ipsa virtutem molliciémq; agri demonstrarent. sic multa inepta & praua magnæ naturæ primò efferunt: quorum nos asperitatem & aculeos initiò non ferentes, putamus statim exscindi opprimíq; debere: qui verò melior est ratiocinator harum rerum, is ætatẽ tempúsq; præstolatur quod rationi & virtuti auxiliũ fert, quo etiã tempore indoles suũ ꝓfert fructũ. Atq; hæc quidẽ hactenus. Legẽ autẽ Aegyptiã nónne vidẽt rectè quidã Grecorũ descripsisse quę iubet grauidã si mortis fuerit damnata, asseruari donec pariat? Planè assensum ab iis est. Tum ego. Quid si prægnãs aliqs nõ sit, sed ꝓgressu tẽporis actionem aut consilium arcanum in lucem possit producere, aut occulti alicuius

III. Pœnitendi locum dari cunctatione puniendi.

Exempla eorũ qui mores emendauerunt.

Magnæ indoles non sine vitiis.

IV. Seram malorum pœnam aliis prodesse.

mali indicium deferre, vel salutaris autor fieri cōsilij, aut necessarij vsus inventor: nōnne rectiùs facit qui dilato supplicio eam vtilitatem operitur, quàm qui præmaturè eum interficiat. mihi quidem sic videtur. Nos quoque idem sentimus, respondit Patrocles. Rectè, inquam ego, statuitis. Hoc enim reputa. si de Dionysio sub initium tyrannidis sumtum fuisset supplicium, nemo vtique Græcorum Siciliam fuerat inhabitaturus, à Carthaginiensibus evastatam. neq; vel Apolloniam, vel Anactorium, vel peninsulam Leucadiam quisquā Græcorum incoluisset, si Periandri pœna non fuisset in bene longum dilata tempus. Existimo etiam Casandro obtigisse moram debiti supplicij, vt rursus Thebæ ciuibus frequētarentur. Barbarorum, qui in hoc templo occupando suam sacrilegis nauarunt operam, bona pars cum Timoleonte profecti, quo is tempore Carthaginiensibus devictis tyrannides destruxit: mali malè perierunt postmodò. Nimirum enim deus quibusdam malis tanquam carnificibus vsus est ad sumendas de aliis malis pœnas. quod verum esse de plerisque tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel hyænæ, & phocæ aliorúmque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad morbos sanandos vtile: sic nonnullis morsu & pœna indigentibus deus iniiciens tyranni alicuius sæuiciam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatē, non ante id quod excruciabat ac turbabat sustulit, quàm vitiosos morbo liberasset ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis. & Sicyoniis deus disertis verbis prædixit, flagella incutientibus vrbē opus habere: quādo ij Teletiā puerum ludis Pythiis coronatum tanquā suum ciuem Cleonæis auferentes discerpserūt. Et verò Orthagoras tyrānus, ac post eum Myro & Clisthenes Sicyoniorum lasciuiæ finem imposuerunt: Cleonæi, quibus eadem medela non obtigit, pessum eunt. Audiuistis etiam Homerum alicubi sic loquentem:

Deus malis vt vtitur.

Iliad. o, 641.

Filius hoc patre est permultum deteriore
Editus, omnigenis potior virtutibus.——

& tamen filius iste Coprei nullum præclarum edidit aut memorabile facinus: Sisyphi, Autolyci, & Phlegyæ posteri gloria & virtute inter magnos reges floruerunt. Quin & Pericles Athenis natus fuit è familia scelerata: & Pompeius Magnus Romæ patre Strabone, cuius cadauer populus Romanus odio victus deiecit atque calcauit. Quid ergo absurdi est, si quo modo agricola spinam non exscindit nisi priùs sumto ex ea asparago: & Afri sarmentum non antè combvrunt, quàm Ladanum inde collegerint: sic deus nobilis ac regij generis radicem malam atq; asperam non priùs abolet, quàm debitus ex ea fructus provenerit. Præstabat enim Phocensibus aliquot millia boum Iphiti & equorum perire, plúsq; auri & argenti Delphis ablatum esse: quàm non nasci Vlissem, non Aesculapium, non alios, qui è malis & prauis hominibus præstantes & vtilissimi in publicum viri nati sunt. Nōnne autem sic statuendū est, tempore & modo convenienti irrogatas pœnas præstare celeriter ac subitò immissis: quale est Callippi, qui quo pugione Dionem sub amici specie interfecit, eodem rursus est à sociis suis necatus. & cùm Mitius Argiuus in seditione esset interemptus, ærea statua in foro cùm exhiberentur spectacula, incidit in percussorem Mitij eúmque occidit. Quid Besso Pannoni, & Aristoni Oetæo ductori peregrinorum militum evenerit, scis, opinor, Patrocles: Non profectò, aiebat Patrocles: sed cupio audire. Aristo, inquam ego, mundum Eriphylæ hîc depositum permissu tyrannorum abstulit, donóque suæ mulieri apportauit. filius autem ipsius certa quadam de causa iratus matri, domum succendit, in eáque totam familiam combvssit. Bessus, vt narratur, cum patrem suum necasset, diúque id scelus clàm fuisset, postea temporis ad hospites quosdam cùm iuisset cœnatum, nidum quendam hirundinum hasta incussa deiecit, pullósque interfecit. cúmque ij qui aderant quærerent (vt fieri adsolet) quânam re impulsus rem tam insolentem egisset, Non (inquit) auditis hirundines falsò de me vociferari & testari, me patris mei esse interfectorem: Mirati qui intererant, hunc sermonem ad regem detulerunt. rēq; certis indiciis comperta, pœnas luit Bessus. Verùm hæc ita à me dicta sunt, posito (quod pro certo sumtum fuerat) moram aliquam intercipere malorum supplicia. Quod reliquum est, statuamus audiēdum esse Hesiodū, qui non vt Plato affectionem quandā molestam animi sentit esse vltionem peccati comitem: sed vltionem delicti æqualem facit, simúlq; ait eodem è loco eademq; radice enasci. Sic enim inquit:

V. Modum & opportunitatē supplicij considerandam.

5. Leg. princ.

Operibus 263.

Molitur damnum ipse sibi, qui intentat alij.
Consiliúmq; malum autori fert maxima damna.

Cantha-

Cantharidem ferunt in se habere quoddam damni quod iniunxit remedium, adverso modo afficientibus præditam facultatibus. sic malicia simul secum gignens id quod animum mordet atq; vexat, non subsequentem, sed in ipso malefacto præsentem pœnã habet. Et quemadmodum malefici cùm ad supplicium educuntur, quisque suam effert crucem: sic vitiositas ad singula peccata ex sese fabricatur singula tormenta: solertissima opifex vitæ miserabilis, & in qua præter turpitudinem terrores multi, animíq; motus graues, pœnitentia, tumultúsq; continentes insint. Sed multos invenias homines, nihil à puerulis differentes, sæpenumerò dum maleficos in theatris spectant in vestib. auro pertextis & lænis purpureis coronatos saltare, stupentibus, vtq; beatos admirantibus, tãtisper dum compungi eos ac flagellari & è preciosa ista veste ignem edere cernant. etenim malorum multos magnis familiis circumdatos, magistratibúsq; gestis & potentia illustres, non apparet pœnas dare, donec conflagrent iugulati aut præcipites deiecti. quod non tam rectè pœnam, quàm extremum & perfectionem pœnæ dixeris. Est apud Platonem, Herodicum Selybrianum, cùm incidisset in tabem, morbum insanabilem, & primus hominum arti medicæ artem corporis exercendi miscuisset, diuturnam sibi aliisq; eodem modo ægrotantibus mortem redegisse. Sic & mali homines, cùm in præsentia effugisse ictum vindictæ putantur, non post longius tempus, sed longiore temporis tractu supplicium non serius sed diuturnius perferunt, neq; senes facti puniuntur, sed in toleranda pœna consenescunt. De tempore longo cùm dixi, intelligendum est hoc vt ad humanam refertur naturam. Nam diis quidem omne humanæ vitæ spacium pro nihilo est: & quod nunc, non ante XXX annos, tale est, atque hoc, quod non manè, sed vesperi cruciatur aut suspenditur sceleratus: maximè qui in hac vita captiuus detineatur, tanquam in carcere vnde migrare aut effugere non possit, vtcunque interim multum conuiuiorum, negociorum, munerum, officiorúmque obtingat. scilicet ea sunt similia ludorum, quos alea aut talis in carcere captiui ludunt, fune super capita pendente. Quanquam quid impedit dicere, neq; eos qui ad mortem in carcere inclusi tenentur, puniri antequàm ceruices præcidantur? neque eum qui cicutam biberit, iámque obambulet & exspectet dum cruribus ingruat grauitas: prius quàm exstinctio caloris & concretio eum sensu spolient? si extremum duntaxat supplicij articulum pro supplicio deputamus: animi autem intervenientes tumultus, terrores, metus, pœnitentias (quibus malorum vnusquisque commissa culpa devincitur) omittimus. quod perinde est ac si piscem qui hamum vorauit negemus captum, antequàm à coquis assatum aut in frusta concisum videamus. Nam vt primùm quis improbè egit, iam obstrictus pœnæ tenetur, & suauitate flagitij velvti esca illicò devorata, conscientiam intus vrgentem plectentémq; habens

Agitatur, vt mare thynni fluctuat impetu.

Etenim proteruitas illa & ferocia prauitatis vsq; ad perpetrandum facinus vim suam perfert atq; exstat: deinde motu animi tanquam vento sensim deficiente, imbecilla & humilis reddita terroribus se & superstitionibus submittit. vt ad rerum ipsarum eventum & veritatem Stesichorus somnium Clytæmnestræ effinxisse videatur, in hanc sententiam:

Visus adesse draco, tabo caput oblitus atrum:
Ex illo se rex promere Plesthenides.

Quippe somnia, & spectra diurna, oracula, de cœlo seruationes, & quidquid aliud diuinitus obiici videtur, tempestatibus et terroribus percellit malè sibi cõscios. Hoc modo narrant Apollodorum aliquando in somnis vidisse, cutim sibi à Scythis detrahi, deinde elixari se, & cor ex ipso lebete sibi tacitè dicere, Ego tibi horum sum causa. rursúmque, filias ignitas & ardentes in orbem circa ipsum discurrere. Hipparchum Pisistrati F. paulo ante mortem, Venerem sanguinem ipsi è patera quadam in faciem conîicere. Ptolemæum Ceraunum amici per quietem imaginati sunt à Seleuco in ius vocari, vulturibus & lupis disceptationi præfectis, ipsúmque multas carnes inter hostes distribuere. Pausanias Cleonicam virginem liberam Byzantij per libidinem ad se vocauit, vt ea per noctem potiretur: deinde accedentem perturbatione quadam & sinistra suspicione concitus interfecit. hanc sæpe dormiens vidit sibi dicere,

Perge ad supplicium: valdè est damnosa libido.

quod visum cùm nõ desineret, Heracleã nauigauit ad Psychopõpeon, q̃ locus est curãdis animabus destinatus, puellæq; animam deprecationibus inferiísq; certis evocauit.

VI. *Simul cum flagitio pœnam exsistere.*

3. de repub.

Somnia sceleratorum.

atq; ea in conspectum venit, ac finem ei malorum fore prædixit, vbi Spartam venisset. reversus autem Lacedæmonem, statim periit. Ac ꝓfectò, si nihil animæ post corpus reliquum est, sed morte omne & beneficium & supplicium finitur: celeriter sua flagitia luentibus & morientibus malis benignè ac indulgenter fieri à diis dixeris rectiùs. nam vt vitam & tempus nihil aliud mali flagitiosis adferre dicas: tamen vbi vitiositas convincitur esse res sterilis & ingrata, ac quæ operæ precium nullum persoluat tam multis & magnis ærumnis: harum ipsarum rerum sensus animam subvertit. quo modo narrat Lysimachum siti victum Getis corpus imperiúmque suum in manus dedisse, cúmque deditícius iam bibisset, dixisse: Proh me hominem prauum, qui tantillę voluptatis gratia tantum amiserim regnum. At enim perdifficile erat homini adversus necessariam naturæ affectionem pertendere. Verùm vbi homo aut ob auariciam, aut glorię potentiæq; ciuilis invidiam, aut Venereæ voluptatis causa facinus iniustum atq; atrox commisit: ac deinde furiosa siti libidinis suæ dissipata, sumto tempore perspicit reliquos mansisse fœdos & horrendos flagitij impetus, vtile autem, necessarium, aut conducibile nihil iis partum: nónne in eam vt sæpenumerò incidat cogitationem necesse est, se vanæ gloriæ aut illiberalis ingrataeq; voluptatis causa, perversis pulcerrimis & maximis inter homines iuribus, vitam turpitudine tumultibúsq; impleuisse? Iocans dicebat Simonides, se argenti cistam semper invenire plenam, beneficiorum autem vacuam. Sic etiam praui homines maliciam in se suam contemplantes, ob voluptatem vanam statim gratiam habentem inveniunt spei inanem esse: eandémque semper abvndare metu, dolore, memoria tristi, & de præsenti statu diffidentiæ, de futuro sinistrarum suspicionum plenam esse. In theatris Inonem audimus dicere, pœnitentia factorum ductam:

Quónam modo, caræ mulieres, denuò
Athamantis incolam domum, quæ sunt retrò,
Factis difficiùs?——

nónne hoc modo etiam quævis impia anima secum versat atq; rationes init, quomodo excussa delictorum memoria, eiectáq; conscientia, puriciem nacta aliam alio ab initio vitam posset viuere? Nisi enim omnino sapientiæ titulum deferimus iniusticiæ: profectò maliciæ cõsiliis atq; ad agendũ ꝓpositis nihil fiduciæ, nihil grauitatis, nihil stabilitatis, nihil constantiæ adest. verùm vbi vel diuitiarum vel voluptatum cupiditas effusior, vel odium ardentius cum hostili malignitate atq; improbitate coniunctum insederit: ibi re considerata diligentiùs, deprændes & superstitionem delitescere, & molliciem labores subterfugiẽtem, & mortis metum, & animi impetuum celerem mutationem, & vanitatem animi ob arrogantiam hiantis. hoc genus hominum et terretur si reprændatur, & laudatores metuit, vt impostura ipsorum iniuria affectos, eóq; vel maximè infestos, quia etiam hos alacriter laudent, qui boni videntur. Duricies enim maliciæ, itidem vt ferri vitiosi, putrida est: rigórq; eius facilimè retunditur. Inde fit, quod lõgo temporis decursu pleniùs seipsos cognoscentes, ægrè ferunt culpántq; vitę suæ statum. Scilicet aliquis vitiosus homo vbi depositum reddidit, aut pro amico fideiussit, vel in patriam aliquid ambitiosè impendit: statim pœnitentia ducitur, factúmq; ei suũ est molestum, ob vagam vsquequaq; animi mobilitatem. & nonnulli plausu in theatro excepti, extemplò ingemiscunt, ambitione in auariciam recidente. qui verò tyrãnidis & conspirationis gratia homines mactauerunt, vt Apollodorus, aut amicos pecuniis spoliauerunt, vt Glaucus Epicydis F. credemus non mutasse factum, non in seipsos odium concepisse, nulla ob facinus affectos fuisse molestia? Ego, si fas est dicere, censeo scelestos nullo neq; deo neq; homine indigere qui supplicia ipsis imponat: ipsam ad hoc eorum existimo sufficere vitam, totam à prauitate corruptam atque conturbatam. Vos tamen, inquam, videritis, ne vltra quàm convenit nostra progrediatur oratio. Hæc Timo, Fortasse, inquit, longiùs progressa videatur, si ad ea quæ restant eorúmque longitudinem respiciatur. Iam enim ego vltimam dubitationem, quæ exitum priorum quæstionum, mediocriter sanè solutarum, præstolata est, in medium adduco. Quæ Euripides libero ore incusans diis obiicit, maiorum delicta posteris imputãtibus, eadem existima nos quoque tacentes vitio iis dare. Siue enim sontes puniti sunt: iniustum est porrò etiam ab insontibus pœnas exigi, cùm bis ob idem delictum ne eum quidem puniri qui in noxa fuit, æquitas sinat. siue socordia quadam prætermissam pœnam noxiorum serò ab innocentibus exigunt, non rectè tarditatem suam iniusticia exsar-

VII. *Celeriter puniti serò punitis fortunatiores.*

VIII. *Cur maiorum delicta posteri luant.*

exsarciunt. Cuius generis est, quòd hæc actum fertur. Aesopum huc advenisse allato à Croeso auro, vt & magnifico sacrificio Apollinem veneraretur, & Delphis viritim quaternas minas distribueret. [illegible]ìm verò ei offensa & discordia quædam cum Delphicis esset oborta, sacris quidem eum fuisse operatum, sed pecuniam Sardes remisisse, vt qui homines istos beneficio indignos iudicaret. Delphos è cõposito sacrilegij insimulatum eum interfecisse præcipitatũ de saxo, quod Hyampeam nominant. Ex eo deum iras in ipsos exercuisse, & cùm solo sterilitatem, tum hominibus omnis generis tetros morbos intulisse: ita vt Delphi singulis Græcorum conventibus edixerint, se paratos esse, si quis Aesopi gratia poenas ab ipsis exigere vellet. Tertia demum ætate venisse Idmonem Samium, qui genere Aesopum nequaquã attingeret, sed prognatus ab his esset qui Aesopũ Sami emissent. huic pro delicto satis dedisse Delphos, itaq; eos malis liberatos fuisse. Ferunt ex hac re tractũ, vt suppliciũ sacrilegorũ ab Hyampea in Nauplíam petram transferretur. Alexandrum porrò ne hi quidem qui vel maximè amãt, quorum & nos sumus, laudant, quòd Branchidarum vrbẽ evertit, omnísq; ætatis homines interfecit, propter proditionẽ Milesij templi, à proauis horũ factam. Agathocles verò Syracusanorũ tyrannus etiam cum risu subsannans Corcyræos quærentes cur ipsorũ insulam popularet, respondit: Quia me hercle maiores vestri Vlissem hospitio exceperunt. & Ithacensibus itidẽ expostulãtibus quòd milites ipsius eorũ oues auferrent, At vester, inquit, rex cum ad nos venisset, prætereà etiã excæcauit pastorẽ. Quid? nonne his insolentior Apollo, si Pheneatas qui nunc sũnt perimit obthurato barathro, & vniuerso eorum agro illuuie perdito, qui ante annos, vt aiunt, mille Hercules hinc abrepto tripode oraculum ad Pheneum transtulit? idémq; Sybaritis finem malorum prædicens, postquam tribus exitiis iram Iunonis Leucadiæ expiauerint? Neq; diu est quòd Locri desierunt virgines ad Troiam mittere,

Quæ pedibus nudis, ceu seruæ, corpore nudo,
Sub lucem circum verrebant Palladis aram
Vittarum exsortes, gelidam quoq; ad vsq; senectam,

ob Aiacis libidinem. Vbinam hæc rationem habent? quo iure fiũt? Neq; enim Thraces laudamus, qui in hanc vsq; diem suas compungunt vxores vlciscendi Orphei causa: neq; barbaros ad Eridanum accolẽtes, qui atris vestibus amicti Phaëthontẽ lugẽt, si vera est fama. magis etiã, puto, ridiculum hoc fuerit, si eorũ hominum, qui vixerunt pereunte Phaëthonte, nemine id curante, nati quinq; aut decem pòst ætatibus cepere eius gratia vestẽ mutare & lugere. Quanquã hæc stulta duntaxat sunt, cum nulla pernicie coniuncta. Deorum aũt iræ quãnam ratione subitò occultatæ, velvti nonnulli animum, deinde rursum in alios erumpunt, & in eorũ extremas calamitates desinũt? Vt primum inhibuit vocem, Ego metuens ne de integro orsus plura & grauiora proferret absurda, statim interrogaui hominem: Esto, inquam. Hæc enim tu omnia vera putas? Tum ille, An, inquit, si non omnia, quædam tamen vera sint, non putas eodem absurdo rem laborare? Fortasse, inquam. sicvt vehementer febricitantibus siue vnica, siue multis vestibus sint amicti, idem aut similis ardor adest: tamẽ recreandi gratia multitudo est amolienda. Sed, si ita videtur, ista sic relinque, quanq; pleraque fabulis & commentis videntur similia. In mẽtem verò revoca nuper celebrata Theoxenia, & præclaram illam portionem, quam eximiam præco edicit Pindari posteros accipere debere: & quàm tibi res ea fuerit visa pulcra, quàm iucunda. Quis verò, inquit, non delectaretur venustate honoris, ita Græcanicè & simpliciter antiquitatem referentis, nisi si cuius atrum cor (vt cum ipso illo Pindaro loquar) frigida flamma sit fabricatum? Missum facio igitur, inquam ego, huius simile edictum Spartæ, secundum Lesbium cantorem, quod proclamabatur in honorem & memoriam Terpandri. eadem est enim vtriusque ratio. Sed & vos nimirum inter Boeotos aliis potiores haberi vultis, vt qui Opheltiadæ genere sitis: & apud Phocenses propter Daiphantum. Et mihi primùm adfuistis causamque meam iuuistis, quando Lycormæ & Satelæi dicebant auitam Heraclidarum dignitatem & coronæ gestationem conseruari ambientibus debere. quod maximè posteris Herculis beneficia & honores oportet sartos tectos curari, cùm ipsi pro collatis in Græcos beneficiis gratia par relata non fuerit. Egregij, inquit, nobis certaminis & philosophia digni memoriã renouasti. Mitte ergo, inquã, sodes vehemẽtiã istã accusationis, neq; iniquè fer si qui malis aut improbis prognati puniunt: aut lætari ac probare noli, si bonis natalibus honor habet. Nã si gratiã

Aesopi mors.

quæ virtuti refertur arbitramur ad posteros debere pro[illegible]gari: consentaneum omnino rationi est vt sentiamus debere etiam pœnas flagiti[illegible]m non intercidere, aut ante gratiã desinere: sed eódem vsq; se extẽdere, vt vtrinq; [illegible] suũ cuiq; tribuatur ratione. Qui verò Cimonis posteros Athenis honorari cum voluptate videt, Lacharis contrà vel Aristonis stirpem exsulare indignatur: is nimis quàm mollis est & socors, aut potiùs querelarũ captator & morosus adversus deos. incusans eos si iniusti maliq; hominis posteritas videatur rebus vti secundis: incusans rursum si familiæ improborũ alterentur & aboleant̃: & siue boni, siue mali patris proli res contingãt adversæ, deos culpans. Atq; hæc, aiebam, posita tibi sunto velut sæpes obiecta nimis acerbis istis & ad vituperandum propẽsis. Nunc autem quasi glomeris initio repetito, in tenebricosa & multas involutiones, multos errores habente de diis disputatione, cautè nosmet & paulatim evoluamus filo deducente ad ea quæ probabilia videnť. Veritatem enim & de quo constet, ne in his quidem quę ipsi nos agimus, certò possumus habere. Verbi gratia, cur tabe aut intercute aqua exstinctorũ liberos, tantisper dum cadauer comburitur, sedere iubemus pedibus in aquã demissis? creditur enim sic effici, vt morbus in eos nõ transeat, neq; eos attingat. Aut quæ causa est ꝙ capra eryngiũ in os sumente totus subsistit grex, tantisper dum accedens caprarius eximat? aliæ quoq; sunt facultates ansis ac propagationibus præditæ, & incredibili celeritate etiã in longinquum penetrantes. Sed nos temporũ intervalla miramur, non locorũ. Atqui plus admirationis meretur, si lue in Aethiopia exorta Athenæ sunt impletæ, mortuúsq; est Pericles, & morbo correptus Thucydides: ꝙ si Delphis ac Sybaritis praua vsis viuẽdi ratione, pœna in eorũ liberos incubuit. Est enim facultatibus suus quidã recursus & cõtinuatio ab extremis ad prima pertinens: quorũ causa, etiã si à nobis ignoreť, tacitè suũ peragit officium. Enimverò publicæ vrbiũ ob iras deorum calamitates, rationem in prõtu sitam habent. Est enim ciuitas res quædam vnica & continens, animalis instar: neq; mutationibus secundũ ætates suam exuit naturã, aut ratione tẽporis aliud fit ex alio: sed semper easdem erga se affectiones & naturæ suę consentaneas seruat, omnésq; eorum quæ publicè agit aut egit causas in se cõtinet, quandiu cõmmunitas, quæ mutuis complexibus devincit vnúmq; corpus efficit, vnitatem suam conseruauerit. Qui verò ex vna vrbe ratione tẽporis instituta diuisione plures atq; adeò infinitas facit: is perinde agit ac si vnum hominem in multos diducat, propterea ꝙ nunc senex est, antè iuuenis, olim adolescens fuit. Immò isthæc planissimè cum Epicharmeis istis quadrãt, ex quibus sophistæ ratiocinandi formulam desumserunt, auxomenon, id est augescentem, appellatam. qui dudum pecuniam sumsit mutuam, is nunc eam non debet, cùm sit factus alius. & qui heri est ad cœnam inuitatus, is hodie invocatus venit: est enim alius. Et verò ætates discrimina maiora in quovis nostrûm efficiunt, quàm in vrbibus. Qui enim Athenas vidit, anno pòst trigesimo agnoscat: & mores, motus, ludi, seria, gratia, iræ populi quæ nunc sunt, priscorum sunt admodum similia. Hominis diu non visi formam vix domesticus aut amicus agnouerit occurrens. morum ea est ad quemvis sermonem, laborem, affectionem, ac legem mutatio, vt etiam ei qui semper vnà sit miranda insolentia hominis atq; nouitas videri possit. & tamen vnicus homo ab ortu vsq; ad mortem dicitur. Ergo vrbem quoq; eodem modo perdurantem volumus opprobriis maiorum suorum obnoxiam esse, quo etiam sibi gloriam eorum & potentiam vindicat. nisi imprudentes omnia velimus in Heracliteũ illum iniicere fluuium: in quem ille negabat bis posse eundem descendere, natura subinde omnia mutante atq; alterante. Quod si vrbs vna res est & continua, est nimirum etiam genus à principio pendẽs vno, quod vim quandam & communionem assiduam in se habeat. & quod inde nascitur, non ita à procreante liberatur, quomodo opificium ab opifice. non enim ab ipso, sed ex ipso fit. itaq; aliquam convenienter à sua origine partem trahit, siue honore, siue pœna afficiatur. Ac nisi vererer, ne quis iocari me putaret, dicerem grauissimam iniuriã Casandri statuæ factã ab Atheniensibus cùm eam conflauerũt: aut Dionysij cadauer, cùm est à Syracusanis extra fines ipsorum proiectum. multò iustiùs eorum posteros pœnas luisse. Nam statuæ quidem Casandri nihil inerat naturæ: & cadauer Dionysij ab anima fuit desertum. Nysæo autem, Apollocrati, Antipatro, Philippo, aliisq; itidẽ omnibus nequã hominib. princeps innata est inhærétq; portio, non quieta aut ociosa illa: sed per eam viuunt, alunť, gubernantur, sentiunt. & iniquum minimè est, si illorũ cum sint, habeant quæ illorũ sunt. In vniuersum deniq;,

De publicis vrbium calamitatibus.

sicvt

ſicvt in medicina id quod vtile eſt, iuſtũ etiam cenſetur: (ridiculus enim ſit qui iniuſtè fieri dicat quod coxendicibus laborantibus pollices vruntur: & iocinore vitiato, incidere ventrem circa vmbilicum: & boum extrema cornua invngere quando eorum vngulæ mollicie tentant) ita qui aliud ius in ſuppliciis quærit quàm maliciæ curatione͂, & indignatur ſi medicina per alios aliis adhibeatur, (velvti cùm lippitudinis leuandæ gratia vena ſecatur) videtur nihil vltra ea quæ ſentiri poſſunt proſpicere: neque meminit magiſtrum vno puerorũ cæſo reliquos officij monere, & decimatione facta imperatore͂ totum plectere exercitũ. Atque ſic quidem non tantùm vni parti per aliã, ſed & animæ per animã accidunt quædam affectiones, vitia, & correctiones, magis quàm corpori per corpus. Ibi enim, vti par eſt, oportet eandem affectionem, eandem mutationem evenire: hîc anima viſis ducta vt fidendo metuendóve meliùs aut deteriùs afficiatur, à ſua habet natura. Nondum ego finem dicendi feceram, cùm Olympiacus ſermonem excipiens: Videris, inquit, huic diſputationi quaſi fundamentum magnum ſuppoſuiſſe, animæ permanſionem. Sanè, inquam, vobis dantibus, aut potiùs iam antè largitis. ſermo enim huc proceſſit ab eo principio, quòd dare deus cuiq; quod eo dignum eſt ponebatur. Tum ille, Ergo, ait, cenſes ex hoc, quòd deus ſingulas res noſtras inſpicere, ac diſtribuere pro meritis ponitur, ſequi animas aut omnino interitus eſſe expertes, aut aliquandiu ſaltem à morte corporis ſupereſſe? Non ſanè, inquam. Sed ſcilicet ſordidus admodum eſt deus, ac inanem ſumere voluit operam, qui noſtrûm nihil in nobis diuinum, nihil habentium ipſius ſimile quocunque modo, & permanens ac ſtabile, ſed foliorum inſtar (vt eſt apud Homerum) breui temporis ſpacio emarceſcentium atque pereuntium, tantam habeat rationem. cùm quidem quomodo mulieres Adonidis hortos in teſtis colunt atque educant, ita nos animas in diem victuras in carne delicata vitáque non durabili germinantes habeamus, & qualibet occaſione exſtinguendas. Quod ſi lubet, reliquis diis omiſſis, Apollinem hac degentem noſtrum conſidera. Videtúrne is tibi compertum habens animas mortuorum ſtatim interire, ac fumi inſtar aut nebulæ à corporibus exſpirare, tam multas expiationes vita defunctorum, ac tot tantáque præmia & honores iis habendos exigens, credulis hominibus fraudem facere & ora ſublinere velle? Ipſe profectò animæ perpetuitatem nunquam ſim inficiaturus, niſi quis Herculis in morem erepto Pythiæ tripode aboleat ac perdat hoc oraculum, qui ſciam in hunc vſque diem multa id genus hac data fuiſſe reſponſa. ſicvt Coraci Naxio ferunt edictum eſſe, Impium eſſe animam morte damnare. Ibi Patrocles, Quid, inquit, hoc oraculi eſt, aut quis Corax iſte? nam & res mihi ignota, & inauditum eſt nomen. Nequaquam verò, inquam. ſed ego in cauſa ſum loco nominis cognomine vſus. Is enim qui Archilochum in pugna interfecit, Callondas nomine fuit, cognomento Corax. is primùm eiectus à Pythiã, vt qui Muſis ſacrum virum necaſſet, vſus deinde ſupplicibus precibus & obſecrationibus cum excuſatione ſui, iuſſus eſt proficiſci ad Tettigis habitationem, ibique animam Archilochi placare. Is autem locus erat Tænarus, quò fertur Tettix Cretenſis cum claſſe appuliſſe, ac vrbe condita habitaſſe ponè Pſychopompeum, qui eſt locus animis demulcendis ſacer. Similiter cùm Spartani oraculo eſſent iuſſi placare animam Pauſaniæ, exciti ex Italia animarum luſtratores, facto ſacrificio ſimulacrum templo avellerunt. Vna igitur, aiebam, eadémque ratione & prouidentia dei, & animæ humanæ permanſio ſtabilitur: neque poteſt relinqui altero ſublato alterum. Ergo animæ poſt mortem exſtanti magis probabile eſt vel præmia vel pœnas reddi. vitam enim quaſi certamen quoddam obit, & certamine peracto conſequitur quod meruit. Enimverò quos ibi honores, aut quæ ſupplicia ob actam vitam percipit ea ſola exiſtens, nihil iſta ad nos qui viuimus attinent, ſed ignorantur, fidéſque iis derogatur. quæ liberos ſtirpémque pervadunt pœnæ, viuentibus conſpicuæ, multos malorum dehortantur atque reprimunt. Non eſſe autem fœdiorem vllam pœnam aut quæ maiorem afferat dolorem, quàm ſi quis videat ſua culpa ſuis poſteris malè eſſe, & cùm impij ſceleratique anima hominis poſt mortem cernit non ſtatuas ſuas aliquas everti aut honores antiquari, ſed propter ſua ipſius flagitia liberos ſuos, aut amicos, aut neceſſarios grauibus premi calamitatibus & pœnas dare * * nemo acquieſcet Iouis honoribus iniuſtum fuiſſe & intemperantem. Poſſem etiam ſermonem quendam nuper mihi auditum referre, niſi vererer ne vos fabulam putaretis. itaque tantùm vtar probabili-

De animæ perpetuitate.

Iliad. ſ,147: φ,464.

*

K

bus. Quin tu, inquit Olympiacus, eum nobis narra. Eadem reliquis orantibus, Sinite, inquam, me probabilia persequi: deinde, si ita videbitur, fabulam (si quidem fabula est) proferemus. Etenim Bio deum qui malorum liberis supplicia inferret, magis aiebat ridiculum esse medico, qui filio aut nepoti ob morbum patris vel aui medicinam adhiberet. Sunt verò hæ res aliquatenus dissimiles, aliquatenus etiam similes. Alius enim dum sanatur, alium qui simili est in morbo, nihil iuuat: neque quisquam ex oculis aut febre laborans leuatus est malo, quòd alium videret vngi aut emplastro illini. malorum autem supplicia omnibus hoc demonstrant, Iusticiæ ratione pergentis opus esse aliis puniendis alios coërcere. Neque sensit Bio, quid in hac similitudine conveniret propositæ quæstioni. Quippe viri qui in morbum grauem, neque tamen immedicabilem, inciderit, ac deinde ob intemperantiam & molliciem prodito corpore perierit, filium non ægrotare, sed procliuem duntaxat ad idem morbi genus creditum medicus, aut necessarius aliquis, aut alipta sentiens, aut bonus dominus, in victus rationem austeram coniiciens, adiménsque obsonia, bellaria, potationes, scorta, vténsque continentibus medicationibus, exercitationibúsque corpus durans, magnum malum exiguo semine dissipando averterit, non passus progrediendo augeri. Nónne enim sic præcipimus, animadvertendos, non negligendos esse qui patre aut matre morbosa nati sunt, statimque innatum mali principium mobile & ad lædendum in procliui situm eiiciendum esse anteverten- do? Omnino quidem, respondebant. Non ergo absurdam rem, inquam ego, sed necessariam, neque ridiculam, sed vtilem agimus, quando filiis comitiali morbo, melancholia, aut podagra detentorum exercitationes, victus rationem, & medicamenta accommodamus, non quòd ægrotent, sed vt ne hoc fiat. Natum enim è malo corpore corpus supplicium sanè nullum, sed medicinam tamen & custodiam meretur: quam quia voluptatibus abstinet, morsúmque & dolorem infert, qui ob molliciem & timiditatem supplicij afficit nomine, missus est faciendus. An ergo corpus è vitioso natum corpore curare & custodire convenit? maliciæ innatam similitudinem in tenera indole germinantem & enascentem negligere debemus, & moras nectere tantisper dum se effundat, motibúsque prauis malignum occulti animi fructum detegat, vt ait Pindarus? An hac ratione nihilo deus sapientior videbitur quàm Hesiodus, qui sic præcipit:

Neu serito rediens tristi de funere prolem.
Da natis operam diuûm conuiuia linquens.

scilicet non vitij modò & virtutis, sed gaudij etiam ac tristiciæ, omniúmque id genus rerum capax quia esset genitura, ideò ad procreationem prolis iubens nos hilari animo serenóque aggredi? Illud verò non à sententia Hesiodi proficiscit, neque humanæ est opus sapientiæ, sed dei, perspicere ingeniorũ similitudines & discrimina, priusquam ab animorũ motibus in magna erumpentibus flagitia detegantur. Sane vrsorum catuli, & luporum ac simiarum, statim suam ostendunt indolem, nulla velatam aut oblitam re. Humanum ingenium in mores, opiniones, legésque se coniiciens, sæpenumero vitiis occultatis bona imitatur, vt aut omnino tandem eluat innatam vitij maculam, aut versutia tanquam exuuio quodam tectum lõgo tempore delitescat, ac nos fallat. qui velut icti aut morsi vno quovis flagitiorum vix tandem nequitiam sentimus, immò tum demum iniustos fieri putamus homines, cùm iniuria nos afficiunt, intemperantes cum libidinem exercent, timidos cùm fugiunt: non aliter quàm si quis opinetur scorpiis stimulum innasci quando pungunt, & viperis venenum quando mordent. Quæ quidem stulta est opinio. Non enim simul & fit malus aliquis, & malus esse cernitur. sed iam inde ab initio præditus prauitate, occasionem facultatémque nactus furatur fur, leges violat tyrannicæ indolis homo. At verò deus non ignorat cuiusque ingenium & naturam, vt qui animam suapte natura magis quàm corpus sentiat, neque eò rem differt, vt violentiam iam manibus, impudentiam voce, libidinem pudendis proditam puniat. Non enim vlciscitur se accepta iniuria, neque raptori irascitur vim passus, aut mœchum odit affectus iniuria: sed medicinæ faciendæ causa sæpe plectit ad adulterium, auariciam, vel iniuriam faciendam procliuem, vitium velut morbum comitialem antevertens priusquam erumpat. Nos interim qui paulò antè indignabamur ob sera sontium supplicia, nunc id culpamus, quod deus ante quàm committantur flagitia ipsum prauũ animi habitum

Posteri propter culpam maiorũ puniti.

Malicia delitescit.

IX. *Pœna nõdum cõmißi flagitij.*

coërcet:

coërcet: quippe ignorãtes sępe futura factis, & occulta apertis deteriora maioriq; digna metu esse: neq; docti ratiocinari causas, propter quas nõnullos expedit etiã perpetrato scelere missos facere, alios etiamnũ meditãtes maleficiũ pœna anteverti. quomodo medicamentorũ quædam non congruunt ægrotantibus, conducunt autẽ aliis non laborantibus, sed in periculo quàm ægroti versantibus maiore. Hinc est, quòd nõ omnia parentũ peccata dij in liberos convertunt. sed si quis de malo nascit̃ bonus, tanquã bene affecti corpore natus de morboso, is generis pœna liberatur, vtpote è malicia vt qualitate ortus. qui verò morbo in similitudinem generis refertur atq; redigitur vitiosi, ei nimirum convenit tanquam hæredi debitas pœnas vitij persoluere. * Nõ enim profectò Antigonus propter Demetrium, non Phyleus propter Augeam, non Nestor propter Neleum sustinuit pœnam: nati enim hi malis, boni ipsi fuerunt. sed quorum natura amplexa est cognatam maliciam, hos Iusticia similitudinem prauitatis persequens supplicio affecit. Verrucæ, næui, lentes parentum in filiis non visi, aliquando in nepotibus denuò apparuerũt. & quædam mulier Græca cùm nigrum peperisset infantulum, adulterij postulata, invenit se quarto gradu progeniei ab Aethiope procreatam. ac Pythonis Nisibensis, qui nuper cõmutauit vitam cum morte, dictus genus à Spartis (hi sunt homines è satis à Cadmo draconis dentibus enati) ducere, filiorum quidam hastæ figuram in corpore suo in lucem extulit: similitudine generis tam multis pòst ætatibus tanquam è profundo emergente. Eodem modo sæpe animi adfectiones in prima prole occultantur: in posterioribus propaginibus natura demum similitudinem vitij aut virtutis instaurat. His dictis ego cùm conticuissem, subridens Olympicus: Non, inquit, laudamus te, ne quasi satis demonstrato proposito videamur fabulam dimittere. hac demum audita, pronunciabimus. Tum ego narrationem sic sum prosecutus. Thespesius Solensis vir Protogenis, eius qui hæc nobiscum fuit, familiaris atque amicus, cùm primis tẽporibus perquàm dissolutè vixisset, atq; exinde rem familiarem celeriter perdidisset, aliquandiu etiam necessitate impellente malis se dedit artibus: & pœnitentia ductus, dum diuitias sectatur, idem est expertus, quod vsu venire intemperantibus solet. qui vxores dũ habent, non custodiunt, dimissásque & aliis coniunctas improbè corrumpere conantur. Is ergo Thespesius dum nulla turpi re abstinet, quæ voluptatem aut quæstum videretur conciliatura, breui temporis spacio opes nõ sanè magnas, opinionem autem maliciæ summam sibi parauit. Maximè autem eum notauit oraculum ab Amphilocho allatum. cùm enim (vt fertur) misisset ad deum, scitatũ an reliquum vitæ victurus esset melius, responsum fuit, Melius habiturum postquã mortuus foret. Ac sanè hoc illi quodammodo non post multum temporis accidit. De sublimi enim in ceruicẽ delapsus, ictu absq; vllo vulnere accepto mortuus est: tertiáq; pòst die sub ipsam funerationem revixit. Mox recuperatis viribus ad se reversus, incredibilem quandam vitæ mutationem instituit. nam neque iustiorem in contractibus vllum eo tempore nouerunt Cilices, neq; maiore adversum deos pietate, neq; hostibus molestiorem, neq; magis fidũ amicis. quo factum est vt quibus res cum ipso erat causam cognoscere tantæ diuersitatis auerent, non vilem aut vulgarem eam fuisse arbitrantes. Quam eorum fuisse veram opinionẽ, intelligi potest ex his quę ipse Protogeni, aliisq; bonis amicis narrauit. Nam simul atque mens corpore excidit, principio eiusmodi sensit mutationem, qualis eveniret gubernatori è naui in profundum mare abiecto. Deinde paululũ elatus, visus est sibi totus respirare, & anima velut vnico oculo aperta vndiquaque circunspicere. Conspexit autem nihil eorum quæ anteà. sed stellas ingentes, & inter se immensis distantes intervallis, splendorémque admirabilis coloris emittentes efficacitate præditum, ita vt anima eò leuiter vecta, tanquam in serenitate in lumine vsquequaque celeriter vagaretur. Prætereo hîc plurima spectacula ab eo commemorata. Animas autem morientium narrabat cùm sursum adscendũt, aëre cedente bullam efficere flammeam: qua deinde sensim rupta exeant forma præditæ humana, mole exigua, & motu non eiusdem omnibus modi. quasdam enim celeritate admirabili exilire, & ad rectam lineam sursum emicare. alias fusi instar in orbem conversas, alias sursum, alias deorsum vergendo, mixta quadam & turbida moueri agitatione, vix longo admodum temporis tractu subsistente. Plerasque earum ignorabat (vt retulit) quorum essent. duas aut tres notas sibi cùm conspexisset, conatus est accedere & alloqui. illæ autem neque audiebant, neque apud se erant, sed mentis expertes ac con-

Qui posteri puniantur ob delicta maiorum.

Fabula de Thespesio Solensi rediviuo.

De animis morientium fabula.

sternatæ, omnem conspectum tactúmque fugientes vagabantur primùm seorsim vnaquæque, deinde multis eodem modo affectis obviam factæ & implicatæ, motibus promiscuis & temerariis ciebantur, vocésque edebant obscuras, quasi vociferationes eiulatu & pauore mixtas. Aliæ autem suprà in summo ambientis erant adspectu splendidæ, & invicem ob benevolentiam coëuntes, tumultuantibus istis vitatis: significabant nimirum sese in se contrahendo molestiam, extendendo autem & pangendo gaudium & approbationem. Ibi aiebat quandam cuiusdam cognatorum animam, quem vtpote ipso puero mortuum, nõ satis bene agnosceret, propè accessisse, ac dixisse: Salue Thespesi. Miratum se respondisse, Non Thespesius ego sum, sed Aridæus. tum animam intulisse: Priùs quidem Aridæus fuisti, postmodò autẽ Thespesius (vox ea diuinum significat) eris. non enim mortem obiisti, sed diuino quodam fato tua huc venit mens, reliquis animæ facultatibus velvti anchora in corpore relictis. atque rursum nunc tibi argumento hoc sit, quòd animæ defunctorum neque vmbram faciunt, neque conniuent. His auditis Thespesius iam & magis colligere se ac ad rationis vsum redire cepit, & cùm perspexisset, animadvertit sibi comitari appendicis loco obscuram quandam & vmbrosam lineam: illas verò animas fulgore circundari ac intus esse pellucidas, non omnes tamen eodem modo. nimirum alias plenæ instar purissimæ Lunæ vnum colorem læuem ac continentem æquabiliter exhibere: alias squamis quibusdam exilibus ac vibicibus percurrentibus maculatas: alias admodum vario & insolenti adspectu, nigris notis viperarum instar compũctas: alias etiam obtusis distinctas fissuris. Cæterùm singula enarrans Thespesij ille cognatus (nihil enim impedit, quin hominum nominibus animas adficiamus) docuit Adrasteã Iouis & Necessitatis filiam omnibus flagitiis vindicem supremo loco collocatam esse: neque malorum quenquam ita vel magnum vel paruum vnquam fuisse, vt aut latendo aut vim faciendo pœnæ subducere se potuerit. Porrò alios aliter puniri, & ipsam tria suppliciorum genera tueri atque exsequi. Quosdam enim (aiebat) statim in corpore & per corpora plectendos pœna velox arripit miti quadam ratione, & quæ multa omittat expiationis indigentia. Quorum verò malicia operosiorem flagitat medicinam, eos genius post mortem Iusticiæ tradit. Prorsus autem insanabiles Iusticia repellente, tertia & sæuissima Adrasteæ administrarum Erinnys hinc inde vagantes atq; fugientes cursu adsequens miserabiliter atque immaniter vniuersos abolet, inq; locum demergit qui neque cerni oculis, neque visu adiri potest. De cæteris vindictis, ea quæ in hac vita pœnam infligit, barbaricarum est similis. Sicvt enim apud Persas eorum qui puniuntur vestes atque tiaras convellunt ac flagellant ipsis plorantibus & vt desistatᷓ cepto obsecrantibus: ita supplicia quæ à facultatibus & corporibus exiguntur, vehementem non inferunt ictum, neque ipsam attingunt maliciam, sed pleraq; tantùm opinionem quandam sensúmq; externum pœnæ præbẽt. Qui verò hinc pœna evitata & inexpiatus eò pervenit, hunc excipiens Iusticia conspicuum atque nudum, ac qui prauitatem suam nulli rei immergere, nullo velare modo possit, sed vndiquaq; ab omnibus talis qualis est perspiciatur, primum parentibus ac maioribus suis probis (si quidem tales sint) demonstrat, indignum ipsis atq; conspuendum. sin mali fuerunt, pœnas eorum videns, ipsis vicissim cernentibus plectitur per longum satis tempus, singula vitia iis luẽs doloribus ac cruciatibus, qui magnitudine & vehemẽtia tanto superant corporis dolores quãto res vera est quàm somnium efficacior. cicatrices autem & vibices restant à singulis vitiis, maiores aliis, aliis minores. Iam mihi (aiebat) considera varios istos animarum & omnigenos colores. Squalidus iste & caliginosus, illiberalium sordiũ est pigmentum atq; auariciæ. sanguinolentus & igneus, crudelitatis atque sæuiciæ. cœruleus intemperantiæ circa voluptates * liuidus ac violaceus, & qualis atramenti quod sepia emittit, inuidiæ ac malignitatis. Etenim vt hîc vitiositas per animæ motus in corpora certos colores didit: ita ibi color finis est lustrationis atque pœnæ. His coloribus omnino detersis, anima splendida & macularum expers redditur. Quandiu autem inhærent, reciprocant affectus cum saltu quodam & agitatione, quæ in quibusdam languidior est ac facilè exstinguitur: in aliis vehementer se intendit. Ac harum animarum aliæ iterum iterúmq; punitæ convenientẽ sibi habitũ affectionémq; tandem adipiscuntur: alias rursum in corpora animaliũ expellit violentia quædã inscitiæ ac cupiditatis voluptatũ genus. nam rationis imbecillitas ob contẽplatricis facultatis socordiã actiuã in-

inclinat ad procreationem: hæc cum instrumentum intemperantiæ desideret, cupit suos appetitus ad fruendum perducere, & per corpus implere. isthic enim nihil nisi vmbra quædã imperfecta & somnium voluptatis nunquam implẽdæ adest. Hæc locutus, Thespesium celeriter sanè, cæterùm per immensum spaciũ, vt apparebat, produxit, facilè atque expeditè pergentem: quippe qui splendore luminis tanquam alis veheretur, donec ad magnum quendam hiatum deorsum penetrantem fuit perventum. ibi desertus à vi eum tenente, vidit alias idem pati animas. Instar auium enim coëuntes eò, atque in orbem circum hiatum obambulantes, rectà transire non audebant. Ipse hiatus intus bacchici in morem antri conspiciebatur materia, viriditate, & floribus omnis generis variè ornatus. exhalabat autem lenem auram quæ odorem exhibebat suauitatis admirabilis, eámq; temperiem adferebat fructibus, quam vinum solet ebriis. nam fragrantia illa perfruentes animæ, lætitia perfundebantur, sibique invicem blandiebantur. Circa eum locum in orbem erat bacchatio, risus, omnísque iocantium & sese oblectantium musa. Atq; eà cognatus ille Thespesij dicebat Bacchum in deos abiisse, Semelémque postea eòdem adduxisse. vocari autem Lethæ, id est Obliuionis locum. Itaque cupientem non passus est ibi cõmorari Thespesium, sed vi abstraxit: simul docens, præ voluptate colliquari & humectari mentem: brutam verò partem rigatam & obstupefactam, memoriam corporis excitare. ex ea desiderium nasci quod trahat ad generationem, quæ sic dicatur, cùm sit inclinatio intendens animam humore grauatam. Tantundem porrò itineris vbi confecit Thespesius, visus est sibi videre ingentem craterem, ínque eum riuos influere, quorũ alius candidior maris spuma aut niuibus esset, alius purpuram arcus cœlestis referret, alij aliis coloribus infecti eminus suum perhiberent splendorem. vt propiùs accessit, crater ambiente aëre magis abolito, & obscuratis coloribus floridissimum retinuit absque albedine colorem. vidit autem tres genios ibi in formam trianguli considentes, qui aquam influentem inter se mensuris quibusdam dimetirentur. Huc vsque aiebat Thespesij animæ ductor Orpheum pervenisse, quo tempore animam vxoris quæsiuit: & non probè memoria suggerente falsum hunc ad homines sparsisse sermonem, oraculum quod apud Delphos est, Apollini esse cum nocte cõmune. cùm quidem commune Apollini cum nocte sit nihil. Verùm hoc (addebat) noctis est & Lunæ commune oraculum, nullo terræ fine inclusum, neque vna certa fixum sede, sed quod vsquequaq; inter homines visis somniísq; vagetur. Hinc enim somnia, vt vides, temperata, & fallaci ac vario simplex verúmque adsciscentes disseminantur. Apollinis autem neque vidisti, neque videre potes. altiùs enim se non effert neque concedit animæ terrestris portio, sed deorsum tendit à corpore dependens. Simúlque conatus est adducto Thespesio ostendere lumen, quod (vt narrabat) è tripode per sinus Themidis enititur in Parnassum. sed cum id is videre cuperet, præ splendore non conspexit. audiuit tamen præteriens vocem acutam mulieris carmine edentis cùm alia quædam, tum tempus etiam quo ipse extremum esset vitæ diem cõfecturus. Dicebat autem genius, vocem hanc esse Sibyllæ, quæ in facie Lunæ circumvehens futura caneret. Cùm autem plura vellet audire, impetu Lunæ velvti fluctu in diuersam partem compulsus, pauca percepit: è quibus fuit etiam vaticinium de monte Vesuio, & Dicæarcheæ conflagratione, ac de principe eius temporis incisum hoc, Bonus cũ sit, morbo tyrannidem finiet. Secundum hæc ad spectanda supplicia se converterunt. Atque initio quidem tantum difficilia & miserabilia visa ipsis sunt oblata. pòst in amicos etiam, familiares, & socios præter omnem suam exspectationem incidit Thespesius, qui graues cruciatus, ac fœda supplicia durissimáque perferentes ipsum cum lamentatione & ploratu compellarent. denique etiam patrem suum conspexit è voragine quadam emergentem, plenum puncturarum atque cicatricum, manus adversus se intendentem, ac silere non passum, sed coactum à præfectis suppliciorum fateri, nefariè se hospites quosdam auro præditos veneno sustulisse, & cùm isthic latuisset, hîc sceleris convictum partim dedisse pœnas, & iam duci vt reliqua patiatur. Deprecari ibi aut intercedere pro patre non ausus præ metu & terrore Thespesius, cùm referre pedem & fugere vellet, non iam ampliùs benignum illum & familiarem vidit ductorem: sed ab aliis quibusdam adspectu terribilibus propulsus, reliqua spectauit. Eorum qui apertè mali fuerant, aut in vita pœnas dederant, animadvertit vmbram non ita iam difficilem esse neque atteri similiter imperfectam, aut laborare de

Supplicia mortuorum.

bruta & adfectibus obnoxia parte. Qui verò sub prætextu & opinione virtutis vitam latente improbitate exegissent, hos alij adstantes cogebāt magno cum labore & dolore interiora animæ foras obvertere, contra naturam torquentes sese & flectentes, quomodo marinæ scolopendræ hamo vorato sese voluentes invertunt. quosdam cute derepta explicantes, ostendebant intus vitiosos, & qui nequiciam in ratione animæ partis principe tectam gessissent. Alias quoque se vidisse animas perhibebat, quæ viperarum instar binæ, ternę, aut etiam plures complicatæ, invicem se manderēt, ob memoriam iniuriarum & mœsticiam de rebus in vita actis aut toleratis. Esse etiam lacus iuxta se pósitos, vnum feruentis auri, alium frigidissimi plumbi, tertium asperi ferri. his adstare quosdam genios, qui fabrorum ærariorum in morē instrumentis suis animas eorum qui ob auariciam & habendi inexpletam cupiditatem malefici fuissent lacubus quà demitterent, & extraherent. nam in aureo lacu cùm candentes ac vi ignis perspicuæ essent redditæ, in plumbeo iniectæ congelabant: & grandinis ritu duratæ, in ferreo nigerrimæ fiebant ac confringebantur conterebantúrque ob duriciem, formáque mutata rursum ad aureum lacum reiiciebantur, atroces (vt aiebat) hisce in mutationibus cruciatus perferentes. Omnium autem miserrimè excruciari eas, quæ iam missæ factæ cum viderentur, ad supplicium retrahebantur. hæ autem erant, quarum pœnæ in posteros redvndarent. cùm enim harum aliqua eodem pervenit, irata incidit, & clamore obtundit, signa ostendens eorum quæ passa est, exprobrátq; & insequitur fugere & se subducere frustra conantem. celeriter enim tortores accurrunt ad supplicium, & denuo compellunt eiulantes ob prænotionē pœnæ. nonnullas quoque & multas posterorum animas ferebat à se invicem pendere, & apum aut vespertilionum modo maiorum animā insectari ac stridere ob memoriam eorū, quæ ipsis propter eos eveniunt. Extremo loco vidit animas quæ ad secūdum ortum conversæ in varia animalia vi flecterentur atque transformarentur instrumentis ac verberibus, ab iis quibus illud opificium cōmissum est. qui integra mēbra aut cōtundunt, aut avertūt, aut etiā omnino dedolāt atq; abolent, vt alij vitæ congruere possint. In his conspexit etiā Neronis animam, malè iam cùm aliàs affectam, tum clauis confixam aureis. Hîc cum iam opifices formam viperæ Pindaricæ præberent, in qua gestata in vterò & matre peresa viueret, subitò (vt narrabat) magnum effulsit lumen, & vox ex eo edita iussit in aliud mansuetius animal mutari, quod circum paludes & lacus caneret. dedisse enim pœnas stagitiorum, & aliquod ei à diis deberi beneficium, quòd subditorum optimam piissimamq; gentem Græcos liberasset. Atq; hactenus fuit spectator. Reversurus autem præ metu in extremum mali venit. quædā enim mulier mirabili forma ac magnitudine eum arripiens, Huc, ait, ades, vt singula rectiùs memoria complectaris, & bacillum quoddam, quali pictores vtuntur, candēs ingessit. alia autem prohibuit. Ipse autem tanquam à fistula subitò vento vehemēti impulsus in corpus incidit, & oculos aperuit, tantum non iam in sepulcrum conditus.

PLVTARCHI,

Virtutem doceri posse.



DE virtute consultamus ac disputamus, docerine possit prudentia, iusticia, vitæ rectitudo. Ergo rhetorum pręclara opera, & gubernatorum, & architectorum, & rusticorum admiramur: (sunt enim sexcenta) viri autem boni nominantur tantum eo pacto, quo hippocentauri, gigantes, & cyclopes: opus autem repręhensioni non obnoxium virtutis atque sincerum nullum est, neque mores malarum perturbationum vacui? sed si quid spōte sua natura producit boni, id multo alieno obscuratur, tāquam fructus syluestri & immūda permixtus materia? Fidibus canere discunt homines, & saltare, & legere litteras, & agros colere, & equitare: calceis se & vestibus induere discunt, vinum infundere, cibos parare: atque hæc omnia nisi discantur, rectè non fiunt. bene autem viuere, cuius rei gratia isthæc sunt omnia, disciplina, ratione, atq; arte caret, & fortuitū est, ô mortales? Cur virtutem non doceri dum affirmamus, virtutem esse vllam negamus? Si enim discendo ea nascitur, qui disci eam vetat, is ne exsistat ea impedit. Atqui, vt est apud Platonem, ob pedis ad lyram

lyram incōcinnitatem neq; frater fratri bellū facit, neq; amicus cum amico litigat, neque ciuitates ciuitatibus orta contentione extrema mala vicissim inferunt. neque seditionem ortam dicere possis in ciuitate propter accentum, & quomodo pronunciandum sit Telchines: neque in familia iurgium inter maritum & vxorem de stamine aut subtegmine. Et tamen telam, librum, aut lyram non tractabit qui nō didicit, quāquam nullum inde magnum damnum accepturus: sed ridiculus fieri veretur. nam, vt Heracletus ait, præstat inscitiam celare. Domum autem, coniugium, rempublicā, magistratum putat rectè tractari * Pueri obsoniis edendis deditì pædagogo Diogenes pugnum incussit, rectè non ei qui nō didicisset, sed qui non docuisset culpam imputans. Iam participare patinam aut calicem dextrè non potest qui non statim à puero didicerit, vt Aristophanes ait, Nebulis

Non obsonia, non turdos auere, non pedes
Alternos ponere: ——

familiæ autem, ciuitatis, coniugij, vitæ, magistratus societas iniri inculpata potest ab his, qui non didicerunt quomodo se invicem gerere homines debeāt? Aristippus interrogatus à quodam, Ergo vbiq; tu es? ridens, Nónne, inquit, ego naulū perdo, si vbiq; sum? Cur ergo non ipse quoq; dicis, si homines discendo nō fiunt meliores, perit merces pædagogis data? Hi enim primùm accipientes ab ipso lacte puerum, sicvt nutrices corpus manibus formant, ita ipsi animū fingunt, consuetudine ad prima virtutis vestigia adducētes. Et Laco interrogatus quid vtilitatis adferret pueris quos instituebat: facio, respondit, vt honesta eis fiant suauia. Atque ipsi pædagogi docēt in via ambulare capite demisso, vno digito salsamentum, duobus tangere piscem, panem, carnem, sic scabere, sic vestem gerere. Quid, dicens vitiliginis esse & reduuię medicinam, non esse pleuritidis, febris, phrenitidis, differtne ab eo qui rerum puerilīū affirmet rectè scholas esse, doctrinam, præcepta, magnarum & perfectarum vsum rationis expertem atq; fortuitum? Sicvt enim ridiculus est qui remum agitari ait ab eo qui didicerit, ita qui aliarū artium disciplinam ponens, virtutis tollens, contrariū videtur eius facere quod Scythæ solent. Hi enim, vt Herodotus ait, seruis oculos eruunt, vt ipsis adsistāt. Initio Melpom. hic ancillis & inseruientibus artibus rationem velvti oculū tribuens, virtuti eum adimit. Atqui Iphicrates imperator Calliæ Chabriæ F. interroganti, Quid es, sagittarius, cetratus, eques, grauis armaturę miles? nihil, inquit, horū, sed qui his omnib. præcipio. Ridiculus proinde sit, qui dicat artem sagittandi, arma tractandi, funda iaciendi, equitandi posse doceri, ducendi exercitus rationem esse fortuitam. Nónne magis etiā ridiculus ille, qui solam prudentiam doceri posse neget, sine qua reliquarum artium vsus est nullus, nullum emolumentum. Quod si ea princeps est, ornatúsq; & ordo omniū, quodvis ad vtilitatem componens: iamprimùm quæ gratia est cœnæ, pueris ita institutis vt coquere, assare, & vinum infundere possint, si nulla sit dispositio, nulla ordinatio administrantium?

*

PLVTARCHI

Libellus, docens Qua quis ratione seipsum citra invidiam laudare possit.

NEmo est, Herculane, qui non dicat molestum atque illiberale esse, de seipso ad alios loquendo aliquam sibi dignitatem aut potentiā vindicare. sed re ipsa pauci, eorum etiam qui rem istam vituperant, nigratam eius importunitatem evitauerunt. Euripides quidem insolentissima vsus est iactantia, hæc canens:

Venalis oratio si esset mortalibus,
Laudes nemo sui ipsius vellet dicere.
Nunc (ex profundo nanq; gratis aëre

Sumere licet) nemo non gaudet dicere
Tam falsa quàm vera: hoc impunè quia licet.

Olymp. oda 9.

adde, quòd orationem de seipso inseruit casibus & rebus in tragœdia propositis, nihil ad eas pertinentem. Similiter Pindarus quoq;, qui intempestiuam iactantiam insaniæ succinere dixit, nullum facit finem magnificè loquẽdi de sua facultate. digna quidem laude: quis hoc negaret? Sed tamen & eorum qui in certaminibus coronantur, alij victoriam proclamant, vt molestam de seipso loquendi ansam præcidant. & Timotheo in victoriam de Phrynide partam scribenti, Beatus eras Timothee, quando præco dixit, Vincit Timotheus Milesius Carbonis filium Ionocamptam: nõ iniuria succensemus, qui indoctè & iniustè suam ipsius prædicauerit victoriam. Vnicuiq; enim, vt ait Xenophon, laus ab aliis profecta suauissima est auditu: aliis autem ea molestissima, quam sibi quis ipse tribuit. Primùm enim impudentes eos arbitramur, qui seipsos laudant: quia decebat eos pudor, etiam si ab aliis laudarentur. Secundò, iniustos: sibi sumentes scilicet, quod tribui ab aliis debuit. Tertiò, aut silentes videbimur molestè ferre & invidere: aut hoc dum vitamus, cogemur præter animi nostri sententiã ipsi quoq; nos ad laudandum conferre, & ipsos testimonium dicendo in faciem laudare: hoc est, rem in nos recipere, quæ magis illiberali adulationi, quàm honoris exhibitioni convenit. Verùm enimverò quanquam hæc ita habent, vsu venire tamen potest, vt audendum sit viro ciuili aliquid de seipso dicere, non gloriæ vllius aut gratiæ captandæ causa: sed quia occasio & res ita postulent, vt sicvt alia vera, ita de seipso etiã proferat: maximè cùm ad pręsens institutum commodè cadit, vt liberaliter profiteatur tale aliquid abs se fuisse gestum aut confectum. Huiusmodi enim laus bonum producit fructum, ex ea tanquam semine pluribus & auctioribus pullulantibus laudibus. Quippe gloriam ciuilis vir non vt præmium aut solatium virtutis exigit, aut amplectitur suis actionibus comitantem: sed quod credi & haberi pro probo, causam & occasionem ipsi plurium pulcriorúmq; parit facinorum. dicto enim audientibus & amantibus facilius & suauius licet prodesse: qui suspecti sunt aut calumniis onerati, virtute sua non possunt vti, & vim facere beneficium ipsorum fugientibus. Si verò alias etiam ob causas ciuilis vir seipsum laudare debeat, considerandum est quales eæ sint: vt vanitatem & importunitatem evitantes, quod vtile est, interim non pręteremittamus. Proinde vana est laus eorum qui seipsos propterea videntur laudare, vt laudentur, ac maximè cõtemnitur, ab ambitione intempestiuæ glorię proficisci credita. Sicvt enim qui cibi penuria laborant, contra naturam ex suis ipsorum corporibus ali coguntur, isq; finis est famis: sic qui laudes esuriunt, nisi obtingant alij laudatores, decorum violant, dum ob arrogantiam ipsi sibi aliquid tribuere ac conferre videntur. Quando autem non simpliciter & pro se laudari cupiunt, sed certamine adversus aliorum laudes suscepto, res suas gestas iis opponunt, tanquam oblitteraturi: ad vanitatem facinus invidum atque malignum adiiciunt. Nam qui in alieno choro pedem ponat, eũ proverbio curiosum atque ridiculum demonstrant. sed de seipso inter aliorum laudes in medium ab invidia & obtrectatione extrusum sermonem, cauere diligenter debemus: ac ne alios quidem ferre qui tum nos laudent, sed meritis laudem suam cõcedere. aut si eo honore indigni ac vitiosi videantur, non nobis laudandis hunc ipsis adimere, sed palàm arguere atque ostendere, non competere in eos qui habetur honorem. Hæc cauenda esse, liquet. Seipsum autẽ absq; culpa repræhensionis laudare aliquis potest, primùm si calumniæ aut accusationis depellendæ gratia hoc faciat. vt Pericles: Ac mihi quidem vos irascimini, ei viro, qui nemini vestrûm cedo vel peritia rerum, vel elocutione intellectarum, vel amore patriæ, vel pecuniæ despicientia. Non enim crimen modò arrogantiæ, vanitatis, & ambitionis effugit tunc de se magnificè loquendo: sed & altitudinem animi, & virtutis declarauit magnitudinem, eo ipso invidiam opprimentis, quòd deiici se & frangi non est passa. Et non iam ferre de talibus suffragia volunt ciues: sed extolluntur, lætantur, & instinctu quodam animi prosequuntur talem iactantiam, si vera sit & constans. Testimonio sunt historiæ. Pelopidam à principibus reip. accusatum, quòd exacto Bœotarchiæ tempore non statim domum rediisset, sed in Laconicam irrupisset, ac Messenam instaurauisset, submittentem se & deprecantem Thebani ægrè absoluerunt. At contra Epaminondam, qui eius tum fuerat collega, multa de rebus suis gestis magnificè prædicantem, eúmq; orationi finem imponentem, vt diceret, Paratum se esse mori, si fateri velint ciues, ipsum iis inuitis Laconicam vastasse, Messenem

Propria laus cur sordeat.

Gloria.

Vanæ laudes sui.

I. occasio seipsum laudandi, defensio.

Messenem condidisse, & Arcades in vnum corpus conduxisse: non sustinuerũt iidem ire in suffragia, sed admiratione viri gaudio simul risuq; oborto discesserunt. Itaque ne Homericus quidem Sthenelus planè damnandus nobis est, cùm diceret,

Nos nostris multo meliores patribus esse — Iliad. Δ, 405.
Iactamus:—

siquidem horum meminimus etiam verborum,

Eheu Tydide, tam forti nate parente, — Ibid. 370.
Quid trepidas, timidúsq; acies circumspicis amplas?

ipse enim nullo impetitus maledicto, amicum ignominiosè compellatũ defendit, ipsa causa veniam de se dicenti conciliante. Et quidem Romani ægrè tulerunt Ciceronem crebrò res suas contra Catilinam gestas prædicantem. iidem tamen Scipionem dicentem, Non debere eos sententiam de Scipione ferre, quibus ipse potestatem decernendi de omnibus hominibus parauisset, coronati in Capitolium deduxerũt, sacrificióq; eius interfuerunt. ille enim nulla vrgente necessitate, tantùm gloriæ cupiditate impulsus laudibus suis vtebatur: hunc periculum invidia liberauit. Non autem reis dũtaxat, & in periculo constitutis, sed etiã iis qui in aliquã inciderunt calamitatem iactantia & fastus convenit, magis quàm cùm rebus vtuntur secundis. hi enim velvti arripere gloriam, & ambitioni suæ indulgere videntur: illi procul ab arrogãtia ob temporis rationem deiuncti, emergere adversus opprimentem fortunam, ac magnitudinem animi fulcire, omninóq; fugere adversarũ rerũ miserationem deplorationémq; existimãtur. Quemadmodum ergo eos qui inter ambulandum sese erigunt, ceruicémq; sublimem attollunt, stolidos vanósq; putamus: qui in pugillatione vel pugna seipsos excitãt, eos laudamus. sic vir fortuna iniqua vbi se rectum statuit atq; reluctatur, — II. Adversæ res sui laudationem excusant.

Tanquam pugilq; conferens manum — Soph. Trachin.

de abiecto & miserabili gloriositate sua elatum se & altũ redigens: non molestus aut ferox, sed magnus esse videtur atq; invictus. Hoc scilicet modo Homerus Patroclum moderatum & invidiæ expertem in re præclarè gerenda, gloriosum in morte facit:

Si mihi viginti tales equidẽ occurrissent. — Iliad. π, 847.

Et Phocio, mansuetus aliàs, postquam damnatus fuit, cum multis aliis indiciis suã detexit magnanimitatem, tum cuidam vnà moriturorũ eiulanti & grauiter casum suũ ferenti, Quid? inquit, Non tibi gratum est cum Phocione mori. Non minor, sed maior etiam ciuili homini iniuria affecto licentia datur de se verba faciendi ad ingratos. Sic Achilles aliàs diis gloriam concedens, & moderatè loquens,

—Si Iuppiter olim — Iliad. α, 128.
Concedet nobis euertere Pergama Troiæ.

indignè autem adfectus contumelia & circumscriptus, iræ iactantiam permittit:

Cepi bis senas comitatus nauibus vrbes. &: — Iliad. ι, 328.
Non etenim galeæ fulgorem cernere nostræ — Iliad. π, 70.
Comminus audebunt. —

admittit enim libertas, quæ excusationis sui pars est, magniloquentiã. Sic nimirum etiam Themistocles, cùm in actionibus suis nullũ dictũ aut factũ molestũ adhibuisset, ab Atheniensibus se ob satietatem fastidiri ac despici animadvertens, nõ abstinuit dicere, Quid, ô felices, defatigamini sæpenumero beneficiis ab eodem accipiendis? & tempestate oborta sub arborem hanc confugitis, serenitate reddita inter digrediendũ frondes eius stringitis? Hi ergo iniuriis lacessiti, adversum ingratos memoriã rerũ abs se præclarè gestarũ intulerunt. Iam cuius rectè facta culpant, is ea si laudat, omnino veniã meretur, & repræhensione vacat. videtur enim non exprobrare, sed defendere. Hæc res splendidã Demostheni parauit libertatem, laudúmq; amolita est fastidium, quas ferè per totam pro Corona orationem vsurpauit, iactans suas quæ culpabantur de bello legationes & decreta. His admodũ vicina est venustas oppositionũ, cùm quæ cui res vitio datur, eius contrariũ turpe ostendit esse atq; vitiosum. Ita Lycurgus Athenis, cum ei exprobraretur, quòd argẽto dato calumniatorẽ placasset, Et qualis tandẽ, inquit, vobis videor ciuis, qui apud vos tanto tẽpore rem gerens publicã, dare potius quam accipere iniustè depræhensus sim? Et Cicero Metello obiicienti, plures ipso testimonium cõtra eos dicente damnatos, quàm defendente absolutos esse, Quis verò, inquit, non hoc dicit, plus in me fidei esse quàm eloquentiæ. Talia sunt etiam isthæc Demosthenis: Quis verò me non iure occidisset, si quid eorum quæ vrbi pulcra sunt, — III. Defensio rei bene gestæ.

verbo saltem ausus fuissem dedecorare? Et. Quid existimatis dicturos fuisse impuros istos homines, si tunc me his de rebus subtiliter rationes subducente abiuissent ciuitates? Omnino autem oratio illa de Corona ingeniosissimè oppositionibus & solutionibus causarum laudes superinducit. Verùm hoc quoque vtile est illa ex oratione discere, quòd de se dictis accuratissimè admiscens auditorū laudes, invidiā & amorem sui à se remouit. vt cùm refert quales se Euboeensibus prębuerint Atheniēses, quales Thebanis, quæ in Byzantios & Cherronesitas beneficia contulerint: quorū se administrum duntaxat ait. Ita enim occultè propriis laudibus auditori se insinuat, cū voluptate admittenti quæ dicuntur, & gaudenti suis pulcris facinoribus: cui gaudio statim comitatur admiratio & amor eius, cuius opera res ita bene gesta fuit. Eò respiciens Epaminondas, Meneclida ipsum aliquando traducente, vt qui de se quàm Agamemnone ampliùs sentiret: Facio, inquit, hoc propter vos, Thebani, quorū solorū opera Lacedæmonium imperium vnica die everti.

IV. Se per alium laudare.

Sed quoniā qui seipsos laudant, iis plerisque admodum adversantur & succensent, non itē alios laudantibus, sed frequenter gaudent alacritérque adstipulantur suis testimoniis: solent nonnulli iis, quibus idem studiū fuit, eædem actiones, iidem denique mores, tempestiuè laudandis conciliare sibi & in se convertere auditorem: qui statim intelligit dicentem, etiamsi de alio loquatur, ob virtutis similitudinem dignū eadem esse laude. Sicvt enim qui alteri exprobrat ea quibus ipse obnoxius est, facilè sentitur non tam aliū quàm sese vituperare: sic boni dū bonos honorant, sui ipsorū memoriā renouant apud eos qui virtutis ipsorū sunt cōscij, vt statim acclament, Quasi verò tu non sis talis? Sic Alexāder Herculem venerans, & rursus Alexandrū Androcottus, effecerunt vt ipsi quoque à similibus honorarentur. Dionysius autem Gelonem subsannando, & gelota, id est risum, Siciliæ nominando, imprudens per invidiā suæ potentiæ magnitudinē auctoritatémque infregit. Atque hæc quidem etiā aliàs scire & obseruare ciuilem hominem cōvenit.

V. Translatio suæ laudis in alium.

Qui verò coguntur sese laudare, eos tolerabiliores facit si nō omnia sibi arrogent: sed gloriam molestam aliis sentientes, alia fortunæ, alia deo accepta ferant. Itaque præclarè Achilles:

Iliad. χ, 379.

Hunc postquam superi nobis superare dederunt.

Præclarè etiam Timoleo, qui Syracusis fanum Fortuitorum casuum ob res à se gestas posuit, domúmque suam bono genio consecrauit. Optimè Pytho Aenius, qui cùm Cotyn interfecisset, ac deinde Athenas venisset, certatim oratoribus ipsum ad populū laudantibus, cùm invidere sibi quosdā & indignè ferre hoc sentiret, progressus: Hæc, inquit, Athenienses deorum aliquis fecit, nos manus ei vtendas prębuimus. Sylla quoque invidiā amolitus est, identidem Fortunæ mentionem faciens, & ad extremū Venusti cognomen sibi sumens. Malunt enim homines fortunæ quàm virtutis laudem aliis cōcedere: quòd illius dona bonū alienū, huius defectū à seipsis proficisci existimāt. Quare Zaleucus maximè suas leges Locrensibus commendauit, Mineruā identidem sibi in conspectū venire, legésque dictare & exponere dicens, nihil eorū quæ promulgaret abs se excogitatū aut consultatum esse. Verùm hæc quidem remedia, hásque excusationes fortassis necesse est adversus planè morosos invidósque præparare.

VI. Correctio tributæ laudis.

Apud moderatos non est absurdū etiā correctionib. laudū vti. Verbi gratia, Laudauit aliquis te à doctrina, aut diuitiis, aut potentia. hunc tu iubebis non ista de te cōmemorare, verùm hoc potiùs dicere, si bonus sis, si innocuus, si vtilis. Hoc qui facit, non infert, sed trāsfert laudem: neque videtur gaudere laudatoribus, sed succensere quòd non cōvenienter laudauerint, aut ob eas res quas oportuit, ac deteriora melioribus occultare: vt qui nō velit laudari, sed doceat laudare ita vt decet. Tale aliquid spectare videntur ista Demosthenis. Non enim lapidibus ego, non latere cocto vrbē muniui: sed si meas munitiones considerare velis, arma invenies, equos, atque socios. Ac multo magis illud Periclis. Cùm enim iā morientem necessarij mœsti deplorarēt, ac præturas cōmemorarent, potentiā, & quæ trophæa, quas victorias vrbésque Atheniensibus partas relinqueret: paululum sese erigens, repræhendit eos, quòd cōmunes multorū, & fortunæ magis quàm virtuti debitas laudes retulissent, pulcerrima, & maxima ipsique propria hac laude prætermissa, Quòd propter ipsum nemo Atheniensium nigrā vestem vnquam sumsisset. Hoc exemplum & oratorem docet, si quidem vir bonus sit, laudatum ob facundiam, laudem in vitā & mores avocare: & imperatorē, si ob peritiā rei militaris aut felicitatē sit in admiratione, de mansuetudine sua & iusticia liberè loqui. Et cōtrà vbi nimiæ laudationes proferuntur, vt vulgo per adulationem solent invidiosa tribuere, dicere:

Non

Non deus ipse ego sum, quid me immortalibus æquas? Odyss. π, 187.

si me rectè nosti, integritatem meam lauda, aut temperantiã, aut æquanimitatem, aut humanitatem. Invidia enim citra molestiam ei qui maiora recusat, minora concedit: veráq; laus iis non adimitur, qui falsas & vanas non admittũt. Itaq; reges quoq;, qui nõ deos se, aut deorũ filios, sed fratrũ, aut matris amatores, aut beneficos, aut diis charos appellauerũt, haud grauatè pulcris quidẽ istis, sed humanis tñ cognomẽtis honorauerunt. Sicvt rursum de his qui scribunt aut docent, eos molestè ferũt, qui sapientũ nomẽ sibi adscribunt, amplectuntur autem se philosophię studere, aut proficere, aliúdve aliquid tale moderatũ & invidiæ expers dicẽtes. At oratores & sophistæ dũ declamãtes patiunt sibi acclamari, Diuinitus, moderatorũ & humanorũ laudẽ amittunt. Porrò sicvt qui oculorũ debilitate affectis cauent ne molestiã exhibeant, ij nimiũ splendidis vmbræ aliquid admiscent: ita sunt qui suas laudes nõ omnino splẽdidas ac puras proferunt: sed defectus quosdã & errata aut leuia peccata iniiciendo, importunitatẽ & invidiam declinant. Ita Epeus non mediocriter se de pugillatione iactãs atq; ferociens,

VII. Vitiorum inter laudes cõfessio.

Comminus huic corpus rumpam:—— Iliad. ψ, 670.

simul & hoc dicit:

Non satis est aliis me pugnando esse minorem?

Quanquam hic quidem fortasse ridiculus est, athleticam arrogantiam timiditatis & ignauiæ confessione excusans. Is accuratus & elegãs, qui obliuionem de se aliquã, aut ignorantiam, aut ambitionem, aut auditionem alicuius disciplinæ vel sermonis prodit. Sic Vlisses, *

Ast ego Sirenum voces audire cupiui, Odyss. μ, 192.
Soluere me socios nutúq; oculisq; iubebam. Et:
Nec mihi persuasum est: (melius parere fuisset Odyss. ι, 228.
Multo equidem) volui lustrare, & munera ab illo
Sperabam.—

atq; omnino quæcunq; non planè turpia & indecora peccata laudibus admixta, invidiam avertunt. Multi paupertatem, imperitiam, atque adeò ignobilitatem inter suas laudes dum confitentur, invidiam retundunt. Sic Agathocles aurea pocula & cęlata præbibens adolescentibus, iussit etiã fictilia proferri: &, Talis, inquit, res est adsiduitas laboris ac tolerantia & fortitudo. nos olim lutea, nunc aurea facimus pocula. etenim Agathocles, qui ob obscuritatem generis & egestatẽ credebatur in figuli officina educatus, postmodò regnũ totius propè Siciliæ obtinuit. Atq; hæc quidem remedia extrinsecus adsciscuntur orationi quã de se quis habet. Quædã alia in ipsis quodammodo insunt, qui seipsos laudant. His Cato vsus est, Invideri sibi dicens, quod suis rebus neglectis noctes patriæ causa vigilaret. tale & istud:

IIX. Fiducia se laudantis.

Iactóne me? qui poteram sine negocio,
Numeratus in vulgari censu exercitus,
Fortuna eadem cum primo sapientiis
Frui.— Item:
Vereor laborum gratiam profunderè
Quos pertuli: neq; nunc hos detrecto nouos.

Vt enim domũ aut prædiũ, ita gloriã quoq; & virtutis laudem vulgò, iis qui gratis & nullo negocio, nõ qui redemerint multis laborib. & periculis, invidet. Quoniã autẽ nõ modo citra dolorem aliorũ & invidiam, sed etiã cum eorũ vtilitate vsurpãdę nobis sunt nostræ laudes, ne hoc agere, vt nos laudemus, sed eo ipso aliud aliquid moliri videamur: primùm hoc considera, an excitandi studij æmulationísq; virtutũ gratia apud auditores aliquis seipsum laudare possit. Hoc sanè modo Nestor suas pugnas & præclara facinora narrando, & Patroclum ad pugnã instigauit, & nouem Græcos heroës ad singulare cum Hectore prœlium excitauit. Exhortatio enim quæ factũ verbis con iunctum habet, exemplúmq; propriũ ad imitationem invitans, animata est & mouet atq; exstimulat, & cum impetu ac proposito animi spem etiã consequendi & potiundi eius, ad quod impellimur, certã iniicit. Hinc est, quod Lacedęmone chorus senũ cãtat,

IX. Laus propria ad vtilitatẽ auditoris referenda.

Iliad. λ, 669. Iliad. η, 132.

Nos fuimus olim iuuenes valdè strenui:
puerorum,
Nos erimus olim fortiores plurimò:
iuuenum,
Fortes sumus nos: fac, si vis, periculum.

legislatore præclare & ciuili rationi convenienter vicina & domestica exempla adolescentibus eorum qui rem gessissent proponente. Enimverò interdum etiã ad reprimendum, ac humiliandum & cicurandum hominem insolentem ac ferocem conducit de se ipso aliquid tumidiùs iactare. vt rursum Nestor,

Iliad.α,260.

Certè, ego cum, quàm vos sitis, melioribus olim
Consueui, vixiq; viris: neq; me tamen illi
Spreuerunt. ——

Sic etiam Alexandro Aristoteles scripsit, Non his tantum, qui magnum tenerent imperium, permissum esse magnificè de se sentire: sed his etiam, qui rectè de diis statuerent. Vtilia sunt etiam adversus hostes & inimicos isthæc:

Iliad.ζ,127.

Occurrunt nati miserorum viribu' nostris.

Et de Persarum rege, qui Magnus vsurpabatur, Agesilaus: Qui, inquit, maior me est, si non etiam iustior? Et adversum Lacedæmonios, cùm ij Thebanos accusarent, Epaminondas: Sanè, ait, nos breuiloquentiæ vestræ finem imposuimus. Atq; hæc quidem in hostes & inimicos. De amicis porrò & ciuibus, tempestiuè nos iactando non modò ferocientes retundere possumus & humiliores reddere: sed & timidos atq; attonitos animare. Sic & Cyrus in periculis & prœliis magnificè de se loquebatur, non aliàs. & Antigonus secundus, cętera fastu vacuus & moderatus, in nauali ad Côn prœlio amicorum quodam dicente, Non vides quanto plures sint hostiũ naues? Me verò ipsum, inquit, quot nauibus opponis? Apparet hoc perspectum fuisse Homero. Facit enim Vlissem sociis ad fluctus & strepitũ circa Charybdin animos despondentibus, in memoriam iis redigentem calliditatem suam & fortitudinem:

Odyss.μ,209.

Non tamen hocce malum nunc grandius ingruit illo,
Cùm nos vi tenuit vasto Polyphemus in antro.
Et tamen hinc virtute mea nos consilióq;
Fugimus. ——

Non est enim popularem captantis auram, aut sophisticę ostentationis ista laudatio, neq; strepitum & applausum quærentis: sed eius, qui confidendi pignus virtutẽ scientiámq; suã amicis exhibeat. Nam in periculis ad salutẽ permultũ cõducit auctoritas & existimatio viri imperatoria peritia ac facultate præditi. Cæterùm suprà docuimus, nequaquam ciuile esse laudi & gloriæ alienæ seipsum opponere. Tamen vbi falsæ laudes nocent ac corrumpunt, studiúmq; rerum malarum & prauũ de rebus magnis cõsilium animi generant, non invtile est eas refutare, aut potiùs indicato discrimine auditorem ad meliorem avertere sententiam. Etenim quis non gratũ habeat, si plerosq; vltrò videat abstinere à vitio quod maledictis ac repræhensionibus sit exagitatum? Quod si autem malicia honestam opinionem nacta fuerit, cuiúsq; ad voluptatem auariciámve illecebris honor & gloria accedat: nulla iã ita felix, ita valida est natura, quæ his non vincatur. Itaq; oportet non hominum laudibus, sed ipsarum rerũ, si prauę sint, adversari ciuilem hominem. hæ enim laudes pervertunt, secúmq; trahũt imitationem turpium pro honestis habitorum. Maximè autẽ refelluntur, veris iuxtà oppositis. Hoc modo Theodorus actor tragœdiarum fertur aliquãdo ad Satyrum histrionem comicum dixisse, Non spectatoribus risum mouere, sed lacrymas elicere admirabilitatem habet. Quod si huic ipsi Theodoro philosophus aliquis diceret, Atqui, mi homo, nõ id præclarum est fletum mouere, sed fletu & mœsticia liberare: is seipsum prædicando auditorem iuuaret, eiúsq; iudicium corrigeret. Sic Zeno de multitudine discipulorũ Theophrasti, Chorus, inquit, eius maior, meus est concinnior. Et Phocio Leosthene adhuc rem feliciter gerente interrogatus ab oratoribus quidnam beneficij in Vrbem contulisset? Nihil, inquit, quàm quòd me prætore vos orationem funebrem nullã habuistis, sed quotquot mortui sunt, in sepulcris maiorum sunt humati. Admodum venustè etiam Crates his versibus,

X. Quãdo aliorum laus impugnanda.

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit: —— opposuit hos.:
Hæc habeo, didici studio quæ pulcra, Camœnæ
Me quibus instruxere. ——

Pulcra enim est hęc laus & vtilis, docens vtilia & cõmoda mirari atq; amplecti, vanis & ociosis rebus posthabitis. Itaq; hoc cũ dictis ad quęstionem explicandã coniungat.

Restat

Restat vt ipsa iam disputatione hoc flagitante porrò explicemus, qua quis ratione intempestiuam sui laudationem cauere possit. Etenim amorem sui arcem habens de seipso dicendi studium munitam, etiam his qui admodum mediocriter erga gloriam affecti videntur, depræhenditur sæpenumerò insidians. Sicvt enim de præceptis bonæ valetudinis tuendæ vnum est, omnino cauere sibi à locis insalubribus, aut maiori cura valetudinis vti in illis versantem: sic de seipso loquendi studium quasdam habet occasiones & rationes lubricas, & quovis prætextu propriam laudem elicientes. Primùm vbi laudantur alij, ibi (vt diximus) ambitio sermonem de seipso facilè extrudit, animúmq; morsum aliena laude ac titillatum pruritus instar occupat quædam gloriæ cupiditas & ad eam parandam incitatio: idq; cùm aliàs, tum adprimè si alius æqualis aut inferior etiam nobis sit in ea re ob quam laudatur. Quemadmodum enim esurientium appetitio aliis coràm edentibus magis acuitur & irritatur: ita laus in proximum collata intemperanter erga gloriam affectos quasi riualitate quadam accendit. Secundo loco narrationes rerum feliciter & ex animi sententia gestarum, multos præ lætitia in iactantiam ampullásq; verborum efferunt. incidentes enim in commemorationem victoriæ suæ alicuius, aut rei in rep. præclarè gestæ, aut actiones vel orationes principibus probatas, non se tenent, neq; modum seruant. quo genere sui prædicandi maximè videas homines nauticos & militares decipi. Accidit etiã his qui è provinciis à se gubernatis, aut magnis negociis revertuntur hoc frequenter. mẽtione enim facta illustrium & regiorũ hominũ, annectunt collaudationes sui ab iis profectas: arbitrantes non se à seipsis laudari, sed aliorum laudes ipsis tributas referri. sunt qui planè rem ab auditoribus non animadverti putant, cùm regum aut imperatorum erga ipsos in dextra danda, alloquendo & amicè tractando referunt comitatem, non vt suas hæc laudes, sed illorum humanitatis atq; benignitatis documenta narrantes. Qua in re attendere se quisq; diligẽter debet, vt cum alios laudat, laudatio ea suspicione amoris sui ipsius, ac studij de se verba faciundi careat: ac ne videatur

Patroclum prætendendo — *Iliad.τ,301.*

seipsum laudandis aliis laudare. Proinde id dicendi genus, quo alios vituperamus aut culpamus, periculosum est, & ambitiosis multas præbet ad excurrendũ in sui laudationem occasiones. In hoc vitij cum primis incidunt senes, vbi ad castigandũ alios & culpandum malos mores ac malè facta conversi, eò progrediunt, vt seipsos laudibus vehant, qui mirabilem in tali re virtutẽ ostenderint suam. His quidem, si non ætate tantùm, sed gloria etiam & virtute sint præditi, danda est venia. tantum enim abest vt invtilis sit horum iactãtia, vt qui hoc modo castigantur, magna simul virtutis æmulatione & pulcritudinis studio incendantur. Nos alij cauere diligenter & metuere etiam istas debemus digressiones. Nam cùm alioqui molesta sit & pœnè intolerabilis proximi repræhensio, multámq; requirat cautionem: qui alterius reprehensioni suam immiscet laudem, sibiq; gloriã ex alterius dedecore venatur, molestissimus planè importunissimúsq; est: quippe qui ex aliorum culpa laudem sibi videatur velle quærere. Addamus hoc. Qui facilè in risum soluuntur, ij maximè cauere debent & fugere titillationes atq; contrectationes, in quibus læuissimæ corporis particulæ delabentes & confluentes, excitant impellúntq; eam adfectionem. Et qui effusiùs ad gloriæ cupiditatem feruntur, iis vel maximè hoc consulendum est, vt cùm laudantur ab aliis, sese laudando abstineant. Eum enim qui laudatur, erubescere convenit, abiicere verecundiam non convenit: & inhibere eos, qui magnum aliquid de ipsis dixerint, nõ repræhendere tanquam intra modum laudes ipsorũ prosecutos. qua in re peccant multi, admonentes præterea de aliis quibusdam suis actionibus & egregiis facinoribus, eáq; dictis inculcantes, donec simul & à se, & ab aliis tributam ipsis laudem corrumpant. Nonnulli dum sibi ipsis blandiuntur, quasi titillant se atq; inflant. Sunt qui aliquam laudem quasi escam submittẽtes malignè, provocent eos, qui suorum ipsorum prædicandorũ vitio correpti sunt. Alij percunctant eo modo q̃ illi apud Menandrũ,

Vt rideant. Hoc vulnus vnde tibi accidit?
Sum læsus hastili. qui prò deûm! gradus
Muris admotos conscendens. promtè simul
Ostendo vulnus. rursum me sannis premunt.

In omnibus his quàm potest fieri maximè cauendum est, ne laudibus præcipites agi nos patiamur, néve interrogati nosmet prodamus. Ad quam rem perfectissima est

Quomodo vitanda sit importuna sui laudatio.

hæc cautio atq; custodia, vt animadvertamus alios qui seipsos laudant, quàm ij rem omnibus ingratam molestámq; agant, vtq; nulla alia oratio sit perinde invisa & grauis. Quippe vt nullam aliam iniuriam in nos eorum qui seipsos laudāt allegare possimus: tamen tanquam naturæ instinctu moleste ferentes eam rem & aversantes, dimitti ab eis & respirare properamus. Cùm quidem adulatori & mensarū assectæ atq; indigenti intolerabilis sit etiam tum cùm eius est vsus, diues aliquis, aut satrapa, aut præbitor. atq; has symbolas aiunt conviuiorum se dare maximas. vt ille apud Menandrum:

Hic me enecat, fio macer conuiuiis,
Sapientia audiens, & militaria
Dicteria ista. gloriosus est nimis,
Nimisq; impurus ac scelestus. ——

Hæc etenim non ad milites duntaxat, atq; recens ditatas, prætextatis illis & comtis suis narratiunculis alios detinētes, sed & de sophistis, philosophis, imperatoribus sua nimium extollentes atq; cum fastu iactantes adsueuerimus dicere: si quidem memoria teneamus propriis laudibus aliorum comitari vituperium, ac vanam hanc gloriæ cupiditatem desinere in ignominiam: idq; ad extremum nos consequi, (quod Demosthenes dixit) vt offensis auditoribus existimemur tales non esse, quales nos ipsi prædicauimus. his (inquam) cōsideratis, ipsi de nobis loqui omittemus, nisi magna id vel cum nostra, vel cum auditorum vtilitate futurum speremus.

PLVTARCHI
De cohibenda ira dialogus.



YLLA. Rectè mihi, Fundane, facere videntur pictores, qui opera sua, priusquàm ea absoluant, per intervalla temporis contemplantur. ita enim abducto ab iis paulisper visu, sępius iudicium revocantes, etiam exigua discrimina obseruando attingunt, quæ continenti inspectione & consuetudine quotidiana occultarentur. Nobis autem quandoquidem non licet vt aliquandiu à nobis ipsi digrediamur, nostri ve sentiēdi faciamus aliquam intercapedinē: (quod ipsum efficit potissimùm vt sui quisq; peior sit quàm aliorū iudex) proximum est, vt interdū amicos conveniamus, iisq; nos præbeamus considerandos. non an celeriter consenuerimus, aut corpus meliùs peiúsve sit affectū: sed an moribus nostris tēpus boni aliquid addiderit, aut vitij ademerit. Ego itaq; anno reversus Romam secundo, ac quintū hunc tecū degens mensem, felicitate naturæ tuæ reputata non admodum mirabile duxi tantum virtutū tuarum esse factum incremētum. sed mihi animadvertenti vehementiam illam tuam, & ad irascendū efferuescentiam ita placatam, & rationi obedientem atq; mansuetam redactam, subiit ad animum dicere:

Iliad. x, 373. *Proh superi, verè quàm multo mollior hic est?*

Atq; hæc mollitudo non ignauiam, non dissolutionem, sed instar subactæ cultura terræ læuitatem quandā & profunditatem ad agendū efficacē habet, loco pristinæ illius incitationis ac celeritatis. Vnde liquet, iracundiā non ob decedentē ætatis vigorem, neq; fortuitò elanguisse, sed rationibus quibusdā bonis procuratā fuisse. Sanè (vt verum tibi dicā) cùm Eros socius nobis hæc nunciaret, suspicabar eum nō quæ adessent, sed quæ decerent præclaros homines benevolentia adductū suo testimonio tibi tribuere. tametsi, vt nosti, aliàs persuaderi sibi nequaquā sineret, vt in gratiam alicuius de sententia sua decederet. Nunc aūt & illum crimine falsò dicti testimonij absolui: & tu, profectione ociū præbente, expone nobis tuam quasi medicā curationem, qua vsus animū ita probè frænatum, simplicem, rationiq; obtemperantem reddideris. FVNDANVS. Caue amicissime Sylla, ne ipse quoq; amore nostri in aliqua rerum nostrarum allucineris. Eroti enim, cui ipsi quoq; non raro animus suo loco non manet, neq;
Odyss. v, 23. Homericā illam seruat obedientiā, sed odio malorū asperiùs effert, par est nos mansuetiores fuisse visos. quomodo in musicis descriptionibus quædā de infimis fides aliarū respectu summæ habentur. SYL. Neutrum horum factum est Fundane. Sed age, in gratiam

gratiam nostram fac quod petij. FUND. Equidem præclarè dictorum Musonij, quæ memoria tenemus, vnũ hoc est Sylla, Eos qui salui esse velint, ita viuere debere vt perpetuò curentur. Non enim, puto, ratio curationi morbi ita est adhibenda, vt vsurpatur elleborus: sed animo percepta doctrina inhærere debet, iudiciáq; cõtinere & custodire. Quippe vis rationis non medicamenti est, sed salubris alimenti similis, quæ nobili indoli familiaris vsu facta probum inducit habitum. Cæterùm admonitiones & castigationes, quæ vigentibus animi turgentibúsq; accommodantur motibus, ægrè & vix efficiũt quicquã: nihilo vtiliores odoratis rebus, quæ prostratos comitiali morbo excitant quidẽ, non tamẽ morbo liberant. Quanquã aliæ quidem animi perturbationes etiam quo tempore vigent, vtcunq; concedunt, & admittunt rationem extrinsecus in animam opitulandi causa venientem. Excandescentia non, vt ait Melanthius,

Adversus iram habitu esse animum obfirmandum.

Migrare coacta ratione malas res agit:

sed eiecta prorsus, & exclusa. & perinde ac qui se vna cũ domo incendunt, omnia quæ intus sunt tumultus, fumi, & strepitus plena facit, nihil vt eorum quæ cõducunt videri audirive possit. itaq; facilius in tempestate & alto mari nauis vacua aliũde gubernatorem recipiet, quàm homo ira feruens atq; fluctuans alienam admittat orationem, si suam intus rationem non habeat præparatam. Sed quemadmodum qui obsidionem exspectant, desperatis externis auxiliis intrò necessaria congerunt atq; deponunt: ita maximè oportet quæ adversus iram faciũt eminus è philosophia desumta in animum comportare. Quippe non facilè facultas dabitur ea inferendi cùm eorum vsum tẽpus postulabit. Non enim audit ob tumultum tunc anima quæ foris sunt, nisi intus suã rationem habeat quasi moderatorem, quæ celeriter accipiat & intelligat singulas exhortationes: ac si audiat etiam, placidè dicta contemnit: asperiùs si quis instet, iritatur. Etenim animus superbus, contumax, omninóq; ab alio difficulter se moueri sinens, velvti munita tyrãnis, necesse est vt in se habeat, domesticúmq; sit id, quo debet opprimi. Proinde continentes iræ, & crebræ offensæ, habitum animo ingenerant malum, qui iracundia dicitur, ac in leuitatem stomachandi, acerbitatem, morositatémq; desinit: quando exulceratus animus minimas ob res dolorem concipit, & quævis etiam vilia culpat, ab iis ferri instar tenuis atq; mollis lancinatus. At iudicium illicò iras inhibẽs atq; reprimens, non in præsentia tantùm medetur, sed in posterum quoq; firmum facit animum & affectionum securum. Mihi quidem bis térve iram continenti id vsu venit quod olim Thebanis: qui cùm primùm Lacedæmonios antè invictos creditos pulissent, nullo vnquam deinde ab iis victi sunt prœlio. Sic & ipse fiduciam animo concepi, posse iram ratione superari. Vidi autem non modò frigida affusa iram sedari, vt Aristoteles narrauit: sed & metu oblato exstinctam, & subito etiam me hercle gaudio delinitum (vt est apud Homerum) multis pacatúmq; animum. Itaq; in hanc veni sententiam, iis qui operã nauare velint, iram non esse incurabilem. Nam ne initia quidem semper habet magna ac valida. cùm & dicterium, & iocus, & risus, & nutus, & multa id genus alia multis iræ causa fuerint. vt Helena consobrinam suam compellans

Iram posse cohiberi.

Iliad. 4,600.

Electra longo sanè virgo tempore, *Eurip. Orest.*

ita iritauit, vt ea responderet:

Serò sapis, olim turpiter ædes deserens.

& Alexandrum Callisthenes, cùm diceret magno circumlato calice, Nolo poculo Alexandri hausto Aesculapio opus habere. Sicvt ergo flammã pilis leporis, ellychnio, aut paleis accẽsam facile est inhibere: vbi verò solidas ac crassas res corripuit, celeriter absumit

Sublime fabrorum se subiiciens opus,

vt ait Aeschylus. ita qui iram ab initio animadvertit, sensimq; intelligit eam à sermone aliquo aut promiscua scurrilitate incensam fumare, is non magno opus habet labore, sed plerunq; ipso silentio & contemtu oppressit. vt enim ignem exstinguit qui materiam ei non suggerit: ita iram præcauet & arcet, qui eam initiò non alit, neq; sese inflat. Quare tametsi multa alia vtiliter dixerit atq; docuerit Hieronymus, mihi tamen hoc eius dictum non probatur, quòd iræ non nascentis, sed iam natæ atq; exsistentis ait ob celeritatem esse sensum. cùm nulla animi perturbatio alia collecta & exagitata tam conspicuum habeat ortum atq; incrementum. Atq; hoc peritè docuit Homerus, Achillem audito sermone subitò corripi dolore faciens:

Iræ initio resistendum.

Ira nascens sentitur.

Dixit. at hunc nubes circumdedit atra doloris.

lentè autem irascentem Agamemnonem, ac multis verbis inflammatum. quæ si quis ab initio intercepisset, non in tantam magnitudinem excreuisset iurgium. Itaq; Socrates quoties sentiret se vehementiùs commotum adversus amicorum aliquem,

Antè fluctum subiens maritimum aliquod promontorium

vocem remittere solebat, vultu renidere, & mansuetius obtueri: vergẽdo in diuersam partem, & contrarios perturbationi motus instituendo invictum erectúmque seruãs. Est enim, amice, prima quædam excandescentiæ, tanquam tyranni, opprimendæ ratio, non parére, neq; obtemperare ei iubenti vociferari, toruum tueri, cædere seipsum: sed quiescere, neq; affectum morbi in morem intentiorem iactatione & clamore facere. Nam amatoriæ quidem actiones, vt comesatum ire, cantare, sertis ianuam ornare, habent vtcunq; alleuationem aliquam neq; inelegantem neq; rudem

Nil clamans quis vel cuius veniam, oscula amica
Fixi. ni licet hoc, flagitiosus ego.

& permissi in luctu fletus atq; eiulatus, multum doloris vnà cum lacrymis educũt. Ira autem magis etiam accenditur iis quæ irati agunt ac dicunt. Ergo optimum est vt placidè nos contineamus, aut fugiamus, occultemúsve nos, & in quietem tanquam portum confugiamus, vbi iræ quasi morbi comitialis accessionem præsensimus: ne cadamus, aut in alios potiùs incidamus. Incidimus autem potissimùm & sæpissimè in amicos. Non enim omnes amamus, non omnibus invidemus, non omnes metuimus. Soli iræ nihil intactum, nihil inaccessum est. irascimur & hostibus, & amicis, liberis, parentibus, atq; adeò etiam diis, bestiis, anima carentibus instrumentis, vt Thamyris

Ira qualis affectus.

Auro illigatum cornu rumpens,
Rumpens harmoniam tendisidis lyræ.

& Pandarus sese exsecrans, nisi arcum combvreret

Iliad. 1, 216.

Confractum manibus.—— Xerxes autem & mari stigmata ac verbera ingessit, & ad montẽ epistolã misit: Atho diuine, cœlũ tangens verticẽ. noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles. alioq; te excisum in mare deturbabo. Sunt enim iræ multa terribilia, multa ridicula. itaq; nullus animi motus perinde & in odio est & contemnitˢ. Expedit aũt ambo isthæc cõsiderari. Ego itaq;, nescio an rectè, medicinæ adversus id malũ hoc initium cepi, vt in aliis (quomodo Lacones in helotibus ebrietatem) obseruarem iram, qualisnam ea res esset. Ac principio, sicvt Hippocrates eum morbum periculosissimũ ait esse, in quo ægrotantis facies sui dissimillima fiat: ita sentiẽs iratos maximè mutare faciẽ, colorem, incessum, vocẽ, velvti imaginem quandam eius affectionis animo mihi conformaui. admodũ indignam rem existimãs, si ita terribilis & abalienatus aliquando conspicerer ab amicis & vxore & filiabus, non visu modò ferus & insolens, sed & vocẽ edens immanẽ atq; asperã: sicvt ipse in quosdam familiariũ incidissem, qui præ ira neq; mores, neq; formam, neq; sermonis elegantiam, neq; in colloquio comitatẽ seruare poterãt. C. quidem Graccho oratori, qui & moribus esset austerioribus, & in dicendo vehementior, fistula fuit cõcinnata, quali Musici vocẽ paulatim in vtranq; partem per tonos deducunt. hanc eo orante seruus tenens à tergo adstabat, tonúmq; lenẽ suggerebat, itaq; herũ à vociferatione revocabat, asperitatémq; & iracundiam vocis auferebat, ita is iram dicentis demulcebat atq; sedabat:

Coicis prænotionibus.

Vt pastoralis cera iuncta fistula,
Quando soporiferos sonitu ciet modos.

At mihi si quis elegans & accuratus comitetur famulus, ægrè non tulerim si mihi irascenti speculũ offerret: sicvt nõnullis vbi lauerint nulla vtilitate exhibetur. Etenim videre seipsum contra naturam affecto & conturbato vultu, non parũ facit ad damnandam iram. Iocus fertur, Mineruam cùm fistula caneret, Satyro his verbis castiganti

Non te decet forma isthæc, pone fistulas,
Et arma capesse componens rectè genas,

non obtemperasse: cùm autem in flumine faciem suam esset contuita, indignatam fuisse, ac missas fecisse fistulas. quanquam ars deformitatem cantus suauitate hîc quidem compensabat. Et Marsyas, vt aiunt, capistro quodam atq; orificio violentiam flatus intercepit, ac faciei inæqualitatem occultauit atq; composuit:

Aurum tunc splendens malus circumdedit hirtis,

Os

Os patulum loris strinxit retroq; ligatis.

Ira verò fœdè inflãs atq; intendens faciem, etiam turpiorem & ingratã vocem emittit

Mentis fides mouens immotas anteà.

Mare quidem purgari tradunt, quando ventis exagitatũ muscum algámq; eiicit. Quę verò excandescentia animo cõturbato evomit impudica, amara, & futilia verba, ea primùm dicentes conspurcãt, infamiáq; obruunt, quod semper eorũ pleni, tum per iram detegere videnť. itáq; irati sermonis (quod apud Platonem est) rei leuissimæ grauissimas dant pœnas, inimici, maledici, & maligni crediti esse. Hæc mihi videnti & obseruanti vsu venit nimirum vt mecum sic cogitarem, & memoriæ mãdarem, Bonum esse in febri, melius autem in ira, linguam habere teneram, atq; læuem. Nam febricitãtium lingua si non sit naturæ convenienter affecta, signum est malũ, non causa. at iratorum lingua exasperata & inquinata, cùm in absurda dicta erũpit, inimiciciæ implacabilis effectricem iniuriam effert, & malevolentiæ occultæ delatricem. Vinum sanè nihil æquè intemperans & invisum, vt ira edit. & à vino quæ veniunt, risui & ioco debentur: hæc felle mixta sunt. Atq; inter pocula qui tacet, molestus est compotoribus atq; insolens. In ira nihil magis decet quàm quies, vt Sappho præcipit: *Lingua.*

Ira cum pectus rapida occupauit,
Futiles linguæ iubeo cauere
Vana latratus iaculantis. —

Non hæc duntaxat monent vt ira capti nosmet attendamus, sed & reliquam iræ naturam perspiciendam proponunt. scilicet non esse eam ingenuam, non virilẽ, neq; à magni elatione animi proficisci. Videntur quidẽ plerisq; eius tumultus efficacitatẽ, comminationes audaciã, contumacia vim habere. sicvt & crudelitatem nonnulli magnificentiæ, implacabilitatem constantiæ, morositatem odij malorũ nomine falsò afficiũt. Sed facta, motus, formę iratorũ magnam pusillanimitatem imbecillitatémq; declarãt. non tum modò, cum pueros laniãt, acerbè cum mulieribus expostulãt, canésq;, equos, & mulos putant puniendos, vt Ctesipho pancratiasta mulam calce referiendã sibi existimans: sed & in tyrannorum sceleratis homicidiis in sæuicia animi humilitas, & in actionibus perpessiones eorũ conspectæ, morsus serpentũ referunt, quæ inflammationis & doloris impatientia æstũ in ea, à quibus læsa sunt, emittunt. Sicvt enim œdema nasciť in carne à magno ictu: sic in mollissimis animis ad lædendũ facta inclinatio maiorẽ excandescentiam à maiore profert imbecillitate. Itaq; & mulieres magis iracũdæ sunt quàm viri, & ægroti quàm sani, & senes iuuenibus, rebus adversis vtẽtes prosperam habẽtibus fortunã. maximè irascitur auarus dispẽsatori, gulę deditus coquo, zelotypus vxori, ambitiosus malè dicẽti. omniũ morosissimi sunt qui honores in ciuitatibus petũt, aut factionẽ, dolorẽ, (vt ait Pindarus) manifestũ. Itaq; ergo maximè passo aliquid & dolore affecto animo, ob eius imbecillitatẽ exsurgit ira, nõ (quod quidã dixit) neruis animi similis, sed intẽtionibus & cõvulsionibus in vlciscẽdi cupiditatibus vehemẽtiùs se efferẽtis. Vitiosa porrò exẽpla cõsideratione habebãt nõ iucundã, sed necessariã duntaxat. Nunc eorũ qui placidè & leniter se gesserunt adversus irã, pulcerrimas voces, pulcerrima facta ad contemplandum proponam: spretis istis qui dicunt, *Iræ natura.* *Dolor iræ principium.*

Virum læsisti, sunt toleranda isthæc viro. &:
Pedibus preme ceruicem, atq; allide solo,

aliáq; id genus ad iritandũ facientia, quibus vsi nonnulli iram è muliebri coclaui perperam in virile traduxerunt. Enimverò fortitudo aliis in rebus optimè cum iusticia congruens, de sola videtur mihi certare mansuetudine, eámq; sibi vindicare. Etenim imperium in homines, etiam deterioribus in meliores obtigit. at in animo trophæum de ira statuere (cui pugnare difficile esse, Heraclitus dixit: quod quidquid concupiscit, id anima pro precio data emit) magnæ est victricisque potentiæ, quæ velvti neruis ac tendinibus motus animi rectis iudiciis dirigat. Quamobrem semper conor colligere & legere non philosophorum tantùm ista facta, quos rectè sentientes felle carere dicunt: sed magis ea, quæ regum sunt & tyrannorum. Quale est illud Antigoni, qui militibus ipsi prope suũ tabernaculum tanquã non audiẽti maledicẽtibus, exserto scipione, Papæ, inquit, non longiùs hinc digressi nobis obloquemini? Arcadio Achiuus Philippũ nunquã non insectabať verbis, aliisq; solebat dicere, fuge hinc *Exẽpla eorum qui iram continuerunt.* *Allusum ad Odyss. λ, 122.*

Donec ad hos venias qui non nouere Philippum.

hunc aliquando in Macedonia conspectum cùm amici non omittendum, sed supplicio afficiendum dicerent, Philippus humanè compellatum donis muneribúsq; hospitalib. affecit. iussit deinde inquirere, quos de se ille apud Græcos spargeret sermones. omnibúsq; testantibus mirabilẽ eum Philippi laudatorẽ factũ: Ego itaq;, inquit, melior vobis sum medicus. Idem cùm in festiuitate Olympica dictum in se esset aliquid, & essent, qui Græcos debere infortunium habere censerent, quòd à Philippo beneficiis acceptis malè ei diceret: Quid ergo, ait, faciet, si malè ipsis fecero? Præclarè etiam Pisistratus se erga Thrasybulum, & Porsena adversus Mucium gessit. Magas à Philemone publicè in theatro comica scurrilitate exagitatus his verbis erat:

A rege litteræ veniunt tibi Maga.
Infortunate litteras nescis Maga.

hunc Philemonem Magas tempestate ad Parętonium eiectũ cùm cepisset, militi mandauit vt eius ceruicẽ nudo gladio tantùm attingeret, ac comiter discederet. misit deinde pilam ei ac talos vt puerulo mentis inopi, ac dimisit. Ptolemæus grammaticũ ob inscitiam subsannans, interrogabat quis Pelei fuisset pater. respõdit ille; Tu prius dic, quis Lai fuerit pater. id dicterium obscuritatem generis regi exprobabat, videbatúrq; indignantibus omnibus non esse impunè ferendũ. at Ptolemæus: Si non regium est, inquit, salse in se dicta ferre, ne salse dicta quidẽ in alium iacere, regium est. Alexander in Callisthenem & Clitum fuit sæuior. itaq; & Porus captus, petiit vt ab ipso tractaretur regaliter: & interrogatus an præterea aliquid peteret, in regali tractatione omnia inesse respondit. Itaq; etiam deorum regem Melichium, quasi mitẽ & blandum, Athenienses Mæmacten, puto vocãt. At supplicia exigendi vis non diuina, non cœlestis est, sed Furiis & geniis convenit. Quo igitur modo de Philippo, cùm is Olinthũ excidisset, quidã dixit, At certè tantã is vrbem condere non posset: ita etiã iræ dicere liceat, Evertere potes, perdere, deiicere: at erigere, seruare, parcere, tolerare, mansuetudinis est, indulgẽtiæ, moderationis, & Camilli opus, Metelli, Aristidæ, Socratis. inhærere autem & mordere, formicarũ est & muscarũ. Verùm enimverò re probè cõsiderata, eam quæ ab ira depẽdet vlciscẽdi sui rationẽ invenio plerunq; inefficacem, vt quæ ferè in morsum labiorũ, frendendũ dentibus, vanas incursiones, maledicta stultas habentia minas insumat, ac deinde ridiculè ante quàm ad finem ad quẽ festinabat perveniat, vltrò concidentem: sicut pueris in cursu ob viriũ exilitatem vsu venit. Itaq; non ineptè Rodius ille ad lictorem prætoris Romani clamantẽ & ferocientem, Non curo, inquit, tu quid clames, sed iste quid taceat. & Sophocles Neoptolemũ Eurypylúmq; armans, ait eos sine conviciis sese iactasse. Ferrum quidẽ nonnulli barbarorum veneno inficiunt. at fortitudini bile nihil opus est, rationẽ pro tinctura habẽti. furiosi autem impetus iræ, putridi sunt ac facilè retunduntur. Itaq; Lacedæmonij tibiarũ cantu pugnantium animos iracundia soluunt: & ante pugnam Musis sacrificant, vt ratio sibi constet: hostésq; fusos non persequuntur, sed revocant animum, instar pugionis modici facilem receptu. Ira innumeros peremit antè quàm sese vlciscerentur. de quibus est etiam Cyrus, & Pelopidas Thebanus. Agathocles verò ab obsessis conviciis impetitus, æquo animo tulit. & quodam dicente, Figule, vnde mercenariis persolues stipendia? respondit, Vbi hanc vrbem cepero. Antigonus quoq; de muro quibusdam ei deformitatẽ exprobrantibus, Atqui, inquit, videbar mihi facie esse honesta. capta deinde vrbe, irrisores istos vendidit, protestatus si denuo conviciarent, apud dominos ipsorũ se actũrũ. Video autem & venatores & oratores per irã grauiter lapsos. Aristoteles ait Satyro amicos causam in iudicio dicturo, aures cera obthurasse, ne inimicorũ iritatus maledictis ob animi feruorẽ à proposito dilaberet. Quid? nõnne nobis ipsis sæpe evenit vt seruus delinquens non det pœnas? aufugiũt enim minarum & verborũ ob metum. Quod ergo nutrices pueris dicunt, Si nõ plores, accipies: id non incõmodè animo efferuescenti dicemus, Noli festinare, nõ clama, non vrge, eo magis & rectiùs fiet quod volebas. Etenim puerũ pater vidẽs aliquid ferro conantẽ diuidere aut scindere, ipse ferro accepto id facit: & iræ vindictã aliquis adimẽs, ipse tutò & sine damno atq; vtiliter suppliciũ digno intulit, nõ sibi ipsi, vt ira sæpenumerò facit. Iã cùm omnes animi motus assuefactionẽ desideret, qua bruta & cõtumax animi facultas domet, rationíq; subiiciatur: erga seruos nullus alius exercitationẽ requirit perinde atq; ira. Non enim invidemus seruis, nõ metuimus eos, neq; contentionẽ de honore cũ iis suscipimus: iræ, & quidẽ continentes oboriunt, & multis delictis atq; offensis causam præbent,

[illegible]am vltioni & fortitudini non convenire.

Serui vt puniendi.

prębet, in potestate, tanq̃ lubrico loco, cōstitutis, ideóq; obstante aut ꝓhibente nemine facilè labentibus. Non enim libertas nulli cognitioni aut pœnę subiecta abstineri à peccando potest, nisi quis magna eam muniat mansuetudine, multáſq; possit perferre voces mulieris & amicorum molliciem & socordiam vitio dantium: quibus ego etiā vocibus maximè iritatus adversum seruos fui, tāquam impunitate deteriores futuros. Serò tamen hoc primùm perspexi, quòd præstaret eos indulgentia peiores fieri quàm sæuicia & furore aliorum corrigendorum causa meipsum perverti. Secundò hoc etiā videns, multos impunitate eò adduci, vt mali esse vereantur, & mutandorum morum initium veniam potiùs quàm pœnā iis prębuisse: aliísq; eos tacitè ad nutum promtiùs, q̃ aliis verberantibus & flagellantibus seruire: persuasi mihi, ad imperandum plus cōducere rationem ira. Non enim, vt poëta dixit, — *Vbi sit pudor, hec pudor exstat:* sed contrà verecundia affectus innascitur modestiæ magister metus. Tertiò identidem memoria revoluens atque cogitans, quòd neque qui sagittas iácere nos docuit, prohibuit iácere, sed nō aberrare: neq; punitionem impedit doctrina rectè id faciendi, & tempestiuè, vtiliter atq; cōvenienter: eo maximè conor iram amoliri, quòd defensione puniendos non priuo, sed audio. nam & tempus moram perturbationi animi iniicit, & cunctationem quæ motum mitiget: & iudicio invenitur ratio cōveniens, modúsq; pœnæ iustus. ad hæc ei qui plectitur non datur præscriptio correctioni sese opponendi, quando non ob iram, sed convictus pœnas dat. &, quod turpiùs sit, non videbitur seruus iustiora quàm dominus dicere. Itaq; sicut Phocio Athenienses audita Alexandri morte non sinebat præmaturè insurgere, neq; celeriter credere, sed aiebat: si hodie, Athenienses, mortuus est Alexander, etiam cras ac perendie erit mortuus. sic arbitror eum, qui ad capiendū supplicium properat iratus, debere sibi subiicere, si hodie iste meruit pœnā, etiā cras erit, & perendie in noxa: neq; in eo mali quicquam est, si seriùs luit flagitium, sed si celeriter punitus perpetuò videatur insons. quod quidem sæpenumerò accidit. Quis enim nostrûm ita sæuus est, vt cruciet aut flagellet seruum, propterea quòd quinto antè aut decimo die adussit cibum, vel mēsam evertit, vel tardiùs dicto fuit audiens. at ob hæc ipsa, statim atq; fiunt & dum sunt recentia, turbamur, & implacabiles sæuiq; sumus. vt enim per nebulam corpora, sic per iram res videntur maiores. Itaque oportere illicò similia in memoriam revocare, & vbi animus perturbatione vacat, tum si factum rationi puræ ac sinceræ videatur pœna dignum, in id animadvertere, neq; tum omittere vindictam: quo modo qui appetitu carent, cibum prætereunt. Nihil enim perinde in causa est quod ira correpti punimus, atque hoc ipsum, quod ira finita nō punimus, sed languemus. cùm quidem id nobis evenit, quod ignauis nautis, qui tranquillo tempore in statione tenent naues, vento orto nauigant cum periculo. etenim nos rationi in puniēdo languorem & molliciem tribuentes, festinamus ad pœnam ira tanq̃ subito vento impellente. Qui esurit, is cibo secundū naturam vtit. qui punit, is nulla ad hoc debet impelli cupiditate, neq; ad eam rem ira velvti condimento indiget: sed quando longissimè ab ea abest, tunc necessariā rem ratione adhibita peragit. Narrat Aristoteles suo tempore seruos in Etruria ad tibiæ cantū solitos flagris cædi. Non profectò item voluptatis perfruendæ gratia exsaturare animum sumendis suppliciis debemus, eáq; re gaudere, postmodò pœnitentia duci. quorum illud belluinum, hoc muliebre est. sed ita exercenda est punitio, vt absq; vllo dolore, absq; vlla voluptate pœnæ exigenda, nulláq; iræ ansa reliqua fiat. Atque hæc q̃dem fortassis non iræ videbitur sanatio. sed amolitio & cautio qua evitentur quæ alias per iram peccantnr. Sed tamen lienis tumor febris est accidens, qui quidem sedatus, etiam febrim facit leuiorem, vt ait Hieronymus. Cæterùm ipsius iræ originem ego contemplans, animadverti alios aliis de causis in irā incidere, quibus tamen ferè omnibus opinio contemni ac negligi se adfuit. Quare qui iram deprecant, iis hoc auxilio est, vt factum quàm longissimè à contemtu & ferocia avocantes, dementiæ, necessitati, perturbationi, infortunióve alicui imputent. Tale est illud apud Sophoclem: *Contemtus irā parit.*

O rex, prior mens, vegeta quantum vis siet, *Antigonæ*
Aduersis rebus haud manet, sed excidit.

Et Briseidis raptum Agamemno Atæ adscribens, ait deinde:

Te placare volo, & tibi maxima munera ferre. *Iliad. τ, 138.*

Deprecari enim non est contemnentis: & qui iniuriam fecit, vbi humilē sese exhibet, opinionē fastus diluit. Quanq̃ irascenti hæc non sunt exspectanda. sed q̃d Diogenes

dicentibus Hi te rident, respōdit, Ego autem non rideor: id sibi sumere, atq; existimare debet, non se contemni, sed potius eum sibi cōtemnendum esse, à quo læsus est. qppe cuius peccatum ab imbecillitate, errore, temeritate, incuria, illiberalitate, ætate vel provectiore iam, vel admodum tenera fuerit profectum. Famulis autem & amicis hoc omnino largiendū est. non enim vt impotentes aut ignaui, sed ob æquanimitatem nostram & benevolentiam vel vt benigni, vel vt amantes spernimur. Nunc verò nō modò adversus vxorem, seruos, amicos, tanquam despecti ab iis, exasperamur: sed & cum cauponibus, & nautis, & agasonibus ebriis sæpe per iram nos committimus, contemni putantes: & canibus latrantibus, aut asinis occurrentibus indignamur. vt ille, qui cùm agasonem vellet ferire, & is exclamasset Atheniensem se esse, ad asinum conversus, ac fatus, Tu verò Atheniensis non es, multis verberibus bestiam obruit. Equidem cōtinentes, & crebras, ac paulatim apud animum collectas iras, præcipuè sui amor & morositas cum luxu mollicieq; iuncta nobis veluti apum aut vesparum examen ingenerat. Itaq; ad mãsuetudinem & erga vxorem & amicos non est quicquam plus emolumenti adferens, quàm facilitas & simplicitas: si discamus præsentibus esse contenti, neq; multa & ociosa requiramus. qualis ille apud Poetam:

Luxuriosi iracundi.

Est laude dignus hic. quia nec assis nimis,
Neq; gaudet elixis: sus deq; fert, cibus
Quo condiatur pacto.

Qui autem nisi niue præsente non bibit, neq; panem in foro emtum edit, neq; obsoniū gustat vili aut figlina allatum in patina, neq; nisi turgenti instar maris è profundo exagitati lecto indormit, qui baculis & verberibus famulos ad mensam ministrãtes vrget cum clamore cursu & sudore vt accelerent, perinde ac si irent inflammato vlceri cataplasmata allatum: hic imbecillæ & morosæ atq; ad culpanda quævis inseruiens victus rationi, non sentit se tanquam tussi continente aut crebris offensis, affectionem quandam vlceribus & destillationibus obnoxiam, quibus iracundia augeatur, parare. Proinde corpus frugalitate ad facilitatem est adsuefaciendum, vt contentum quovis victu esse possit. Nam qui pauca requirunt, non multis excidunt. Neq; ita ardua res est, facto ab alimentis initio, tacitè iis quæ oblata sunt vti: non stomachando & quiritando sibi amicisq; obsonium longè invisissimum inferre iram. nam

Facilitatis & frugalitatis laus.

Dicere quid cœna posses ingratius ista,

vbi quia advstum sit aliquid, aut fumum oleat, aut sal desit, aut frigidior sit panis, serui cæduntur, & vxori fit convicium? Arcesilaus cùm peregrinos quosdam, cùmq; his amicos conviuio accepisset, cibo apposito panes deerãt, quòd eos emere pueri neglexissent. quis hic nostrûm parietes vociferando non rupisset. at ille subridens: qualis, inquit, res est, sapientem esse conviuiis aptum? Socrates à palæstra secum duxerat ad cœnam Euthydemum. ibi cùm Xanthippe irata accurrisset, ac factis cōviciis, mensam ad extremum subvertisset: surgens Euthydemus magno concepto dolore abitum parabat. tum Socrates: nonne, inquit, nuper apud te gallina quędam involans idem hoc fecit, nihil me indignante? Amici enim cum facilitate quadam, risu, & blanditiis sunt excipiendi, non superciliis contractis, aut horrore ac tremore famulis incusso. Condocefaciamus etiam nos, vt vasis facilè quibusvis, nō vno aliquo præ reliquis vtamur. sicvt nonnulli multis ad manum propositis, vnum deligentes cantharum, vt Marius, aut certæ formæ poculum, ex alio nolunt bibere. similiter etiam de trullis oleariis sentientes, & strigilibus, de omnibus vnam deligunt: ac confractum aut amissum vbi tale aliquid est, grauiter ferunt & plectunt. Procliui ergo ad iram cauendum etiam est à rebus raris & curiosè elaboratis, qualia sunt pocula, sigilla, & preciosi lapides. hæc enim perdita, magis furorem cient quàm partu facilia & quotidiana. Neronem, cum is octangulam scenam, ob sumtus magnitudinem pulcritudinemq; spectaculum admirabile, confici curasset, Seneca repræhendit dicens: nunc te pauperem esse demonstrauisti: hac enim scena amissa, similem aliam nullam adipisceris. & quidem contigit, vt ea scena naui submersa periret. & Senecæ verborum recordatus Nero casum eum animo æquiore tulit. Facilitas porrò quam rebus adhibemus, etiam erga seruos mansuetum facilémq; reddit: ac proinde absq; dubio etiam adversus amicos & subditos. Videmus etiam seruos nuper emtos, non quærere an superstitiosum vel invidum, sed an iracundum nacti sint dominum. deniq; cernimus vbi iræ locus est, ibi neq; pudiciciam mu-

mulierum viris, neq; mulieribus maritorum amorem, neq; cōsuetudinem amicorum, neq; cōiugium, neq; societatem esse tolerabilem. Atqui absq; ira sit, etiam ebrietas molesta non est. ferula enim dei istius sufficit ad puniendum ebrium, nisi vbi ira accedēte pro Lyæo & Choreo, id est animum laxante & choreas suadente, Crudelem & Furiosum Bacchum facimus. tum insaniam ipsa pro se sanat Anticyra: iræ cōiuncta, tragœdias & fabulas exhibet. Proinde iræ neq; inter iocos dandus est locus: amiciciam enim in odium mutat. neq; in disputatione: nam studium cognoscendi in libidinem contendendi vertit. neq; in iudicio: potestati enim insolentiam addit. neq; in institutione liberali: animo enim mœsticiam ingerit, odiúmq; disciplinæ gignit. neq; in rebus secūdis, quia invidiam auget. neq; adversis: nam misericordia se priuāt, qui miserantibus infensi sunt & cum iis litigant, vt Priamus: *Ira vbiq; damnosa.*

Ite malam hunc in rem probrosa & pessima turba: *Iliad. ω, 239.*
Nilne domi vestræ quod deploretis habetis,
Quod nostro vultus solatia promere luctu?

Facilitas contrà quibusdam rebus opitulatur, alias ornat, quibusdam suauitatem conciliat: & mansuetudine iram morositatémq; omnem abolet. Sic Euclides fratri dicenti in quodam iurgio, Peream, nisi te vlciscar, respondens, Ego verò peream, nisi te in meam traduxero sententiam, cōfestim pudorem homini incussit, & mutauit. Polemo maledictis incessitus à quodam homine lapidum preciosorum studioso, & qui vitio conquirendi sigilla magno emta laboraret, nihil respondit, sed sigillorum vni animum advertit, idq; perspexit. quo facto delectatus ille, Non sic, inquit Polemo, sed expositum luci contemplare: longè enim pulcrius tibi videbitur. Aristippus, ira adversus Aeschinem aliquando oborta, interrogatus à quodam, Vbi nunc vestra illa Aristippe amicicia? dormire eam respondit, sed se in eo esse, vt eam resuscitet. & Aeschinem conveniens, Itáne, inquit, prorsum ego tibi infelix & insanabilis videor, vt me castigatione indignum putes? Tum Aeschines, Nihil, ait, miri est, si in aliis rebus omnibus me ingeniosior, etiam hîc prior sensisti quid facto opus esset.

Non tantùm enim mulier caprum horrentem iuba,
Tenera puellus sed quoq; pruriens manu
Quouis palæstra faciliùs prostrauerit.

At enim nos qui feras cicuramus, & luporum demulcemus, ac leonum catulos in vlnis circumgestamus: iidem iræ concedentes, liberis, amicis, familiaribúsq; eiectis, seruis nostris ciuibúsq; excandescentiam animi nostri quasi feram immittimus. non profectò odij malorum nomine hoc vitium, vt molliori, probè velantes: sed quia (nisi fallor) reliquis animi perturbationibus atq; vitiis huic prudentiæ, alij liberalitatis, alteri pietatis nomen affingentes, aliud in isto numero invenire non possumus. Et tamen, sicvt Zeno dicebat semen esse mixturam atq; temperaturam ab omnibus avulsam animæ facultatibus: sic omnium animi perturbationum semina videntur in iram confluxisse. nam & doloris particulam sibi sumsit, & voluptatis, & insolentiæ. habet hoc ab invidentia, quòd aliorum è malis gaudiū percipit: deterior est homicidij affectatione. non enim in hoc elaborat, vt nihil patiatur ipse, sed cupit malè sibi esse, dummodò alterum perdat: deniq; concupiscentiæ id quod est minimè iucundum, in se habet ira. si quidem dicenda est appetitio, quando alteri quis vult ægrè facere. Hinc adeò fit, vt cùm ad intemperātia diffluentium domos accedimus, tibicinam audiamus matutinā, & argillam (vt quidam aiebat) terra vino rigata factam, & divulsorum fragmenta sertorum, & famulos in foribus ebrios: indicia autem amarulentorum & morosorum hominum possis conspicere in faciebus seruorum, stigmatis, compedibus: *Ira mixtum ex omnibus malis affectionibus animi aliquid.*

Semperq; solus iracundi in ædibus
Auditur eiulatus cantor:——

dum intus dispensator flagellatur, torquentur ancillæ: ita quidem, vt qui isthæc tam tristia ab animi excandescētia pfecta vident, etiā inter voluptates miseratione tāgant. Tamen quibus àccidit vt malorum odio vero aliquoties ab ira vincātur, ij nimiam vehementiā simul, & persuasionem de fide eorum quibus cum degunt nimiam debēt deponere. non est enim alia causa, quæ vehementiùs animum inflammet, quàm cùm pro pbo aliqs habitus, prauus esse depræhēdit, aut cum eo iurgiū vel discordia incidit, qui amare videbat. Meum qdem nosti ingenium, quantis momētis scilicet id impellat ad

complectendos benevolentia homines, iisque adhibendam fidem. ac mihi id vsu venit, quod descendentibus per inane. quanto magis innitor alicui, eum amando, tanto magis fallor, & deceptum me esse indignor. Et nimiam quidem ad amandum propensionem abiicere, iam nunc mihi non est amplius integrum. Nimiae credulitati fortasse hoc iniiciam frænum, quo sibi Plato cauit. qui neque Heliconem mathematicum abs se laudatum dicebat, vt natura mutabile animal: et metuere se ne qui in ciuitate essent bene educati, vtpote homines & semen hominum, alicubi naturæ imbecillitatem demonstrarent. Sophocles autem nimis videtur nobis insultare, nósque premere, hæc dicens:

Credulitatis remedium.

Mortalium res perscrutans, intelliges
Pleraque turpes. ——

Et tamen morosum hoc atque conquerẽdi de omnibus nimio studio editum iudicium, facit vt leuiùs irascamur. Subita enim & improvisa facilè de statu rationis deiiciunt. Oportet autem, vt Panætius alicubi docuit, Anaxagoram imitari. vtque is narrata filij morte respondit, Sciebam me genuisse mortalem: ita iritantibus identidem nos delictis hoc accinere, Sciebam me cùm emerem seruum, non emisse sapientem: Sciebam me parasse amicum, cuius animus motibus esset obnoxius: Sciebam mulierem mihi esse, cum acciperem mulierem. Quod si quis Platonicum istud, Númnam & ego talis sum, subinde insusurrans intrò rationem avertat, ac aliorum repræhensionibus de cauendo peccato cautionem sibi inserat: næ is non magno vitiorum in aliis odio indulserit, seipsum venia plurima indigere sentiens. Nunc quivis nostrum iratus & puniens Aristidis & Catonis voces ingerit, Noli furari, mentiri, socors esse: & quod est omnium turpissimum, iratos irati ipsi obiurgamus, & quæ per iram sunt peccata, in ea per iram vindicamus. non sicvt medici, qui

Amaram amaro bilem pharmaco eluunt:

sed perturbationem animi augentes ac vehementiorem reddentes. Ac quando in has perventum à me est sententias, simul etiam de curiositate aliquid deminuere conabor. Accuratè consectari & scrutari inquirendo omnia, atque in medium protrahere omnia serui negocia, omnes amici actiones, omnia filij studia, omnes vxoris susurros: ea verò res iras gignit multas atque continuas & quotidianas, quarum summa eò redit, vt morosi intractabilésque reddamur. Euripidis est, deum res magnas curare, exiguas fortunæ dimissas sinere. Ego hominem cordatum non censeo quicquam fortunæ mandare aut negligere debere: sed tamẽ quædam operæ vxoris, alia amicorum, nonnulla seruorum committere. ita vt his vtens procuratoribus, ratiocinatoribus, atque dispensatoribus, ipse principis instar rationis vsu maxima & præcipua queque conficiat. Sicvt enim exiles litteræ visum, ita leuiusculæ res animũ magis intendentes offendunt atque turbant, malámque consuetudinem ingenerant etiam de maioribus procliuiùs irascendi. Præter hæc omnia, magnum & diuinum mihi illud Empedoclis visum est,

Curiositas iræ præbet materiam.

—— *Esse velis abstemius improbitatis.*

Vota. quin & ista pacta siue vota, vt non inelegantia, neque aliena à philosopho probaui, cùm per annum pollicebantur se velle re Venerea & vino abstinere, deúmque continentia sua venerari. itémque per certum tempus mendacio vacare, vt animadvertere possent, quomodo & in iocis, & in seriis omnibus veritatem tenerent. His ego animis meam comparans, pietate illis nihilo inferiorem, sacros quosdam initio dies, quibus ira vacarem, paucos institui, tanquam vini & ebrietatis vacuas, ac si Nephalia (id est sobria) sacra, & libationes mellis agerem. deinde mensem, mox duos eandem tenui rationem. atque hoc pacto me ipsum expertus, successu temporis magnos feci ad patientiam progressus, temperãter meipsum attendens atque custodiens cum boni ominis comprecationibus, immunem iræ, & purũ omnis praui sermonis, absurdæque actionis, ac perturbationis, quæ propter voluptatem exiguã atque ingratã, turbas magnas, turpissimámque adferret pœnitentiam. Atque hinc, nisi fallor, deo etiam nonnihil adiuuante, comprobauit experientia iudicium hoc: Placidos, mansuetos, atque humanos mores, nemini eorum quibus cum viuitur ita gratos, iucundósque esse, vt ei ipsi, qui iis est præditus.

Plu-

PLVTARCHI
De Curiositate commentariolus.



OMVM, quæ non perflatur, aut tenebricosa sit, vel hyemi tempestatibúsq; obnoxiam, deserere fortassis optimum est. si quis tamen ob consuetudinem loco eo delectetur, potest ea fenestris transpositis, scalis mutatis, ac ianuis aliquibus apertis, aliis clausis, splendidior, perspicabilior, ac salubrior redigi. quo genere mutationis quidam vrbibus magnam vtilitatem conciliauerunt. sicvt meam patriam ad Fauonium ventum inclinatam, Solísq; radios sub vesperã Parnaso incumbentis excipientem, versus ortum conversam à Chærone ferunt. Empedocles verò physicus quodam montis hiatu, vnde grauis & insalubris in planiciem exhalabat auster, obthurato, creditus est pestem ea regione exclusisse. Quando igitur sunt affectiones quædam morbosæ ac damnosæ, & quę tempestatem tenebrásq; animo inferant, optimum quidem fuerit eas expellere & solo prosternere, animóq; hac ratione serenitatem, lucem, purúmq; spiritum parare. at si fieri hoc nequit, saltem circumagendo & vertendo ita mutandæ sunt, vt cõmodiores nobis aptioréśq; fiant. Talis est, quæ se nobis offert, curiositas, cupiditas quædam cognoscendi aliorum mala, morbus neq; invidiæ, vt apparet, neq; malignitatis vacuus.

Mutationes ædificiorum.

Aliena quorsum acutè peruides mala,
In propriis cæcus, hominum inuidißime?

transfer extrinsecus, & intrò cõverte curiositatem, si quidem delectaris malorum tractanda historia, domi tibi copiosa est materia.

Quantum ad Alizona aquæ est, folia aut quot germinat ilex:

tantam multitudinem invenies peccatorum in vita, & perturbationum in animo, & delictorum in officio. Xenophon ait iis qui familiam probè administrant, suum esse reponendis sacrificiorum vasis, suum cœnæ, suum rusticorum, suum bellicorum instrumentorum locum. tu quoq; itidem habes reposita mala quę ab invidia, quæ ab obtrectatione, quæ à timiditate, quæ à sordibus illiberalitatis proficiscantur. hæc recense, hæc ordine considera. fenestras quibus in viciniam prospicis, & diverticula curiositatis occlude: alia aperi quæ in conclaue tuum, quæ in gynæceum, quæ in familiæ ducant cellas. ibi negocium inveniet non invtile, nõ malignum, sed conducibile & salutare cupiditas ista sciscitandi & agendi, quovis se ita compellante,

Quà prætergreßus, quid feci, quid ve reliqui
Infectum, facto quod opus fuit? ——

Nũc, quemadmodum in fabulis est Lamiam domi dormire cæcam, oculis in quodam vasculo repositis, foràs autem egressam inserere oculos & videre: ita quisque nostrum foris & adversum alios malignitati curiositatẽ quasi oculos aptat, in sua ipsius peccata & mala impingens sæpenumerò ob ignorationem, visum iis & lumen non adhibẽs. Quo fit vt inimicis quàm sibi vtilior sit homo curiosus. eorum enim res arguit & in lucem protrahit, ostenditq; ipsis quid cauere, quid corrigere debeant: suas autem maiori ex parte præterit & non videt, attonitus studio aliena noscendi. Equidem Vlisses ne cum matre quidem colloqui sustinuit antè, quàm è vate audiuisset ea, quorum gratia ad inferos venerat. his cognitis, & ad matrem se convertit, & in reliquas mulieres inquisiuit, quæ Tyro esset, quæ formosa Chloris, & cur mortua fuerit Epicasta

Sublimis funem tecti de culmine nectens. *Odyss. λ, 277.*

Sed nos cum nostrarum rerum socordia, ignoratione, & neglectu summo, in aliorum natales inquirimus. scilicet vicini nostri auum fuisse Syrum, auiam Thressam. illum tria debere talenta, neque persoluisse vsuras. quin & talia indagamus, vnde vxor huius redeat, qd iste & iste in angulo inter se sint locuti. At Socrates circumibat perscrutans, quibus dictis Pythagoras fidem sibi parasset. & Aristippus in Ischomachum ludis Olympicis incidens, quæsiuit quibúsnam disputationibus Socrates ita animos adolescentum afficeret: acceptísque exiguis sermonum eius seminibus atque documentis,

ita vehementem sensit animi ardorem, vt & corpus marcesceret, & planè pallidus gracilisq; redderet. donec sitibundus & flagrãs Athenas nauigauit, ac ipso de fonte hausit, Socratémq; & doctrinam eius atq; philosophiam cognouit: cuius philosophiæ finis est, perspicere sua mala, iisq; liberari. Verùm quidam suam ipsorum vitam, tanquã iniucundissimum spectaculum, inspicere, ac rationem velvti lumen in sese reflectere non sustinent: quippe anima omnigenûm vitiorum plena horrens & metuens ea quæ intus sunt exsilit foras, & vagatur circum aliena, pascẽs & saginans suam vitiositatem. Sicvt enim gallina proposito sępe alimento in angulum aliquem sese subducit, vbi vel in sterquilinio vnicum apparet hordei granum: ita curiosi in medio sitos sermones & historias, & de quibus nemo prohibet aut indignatur quæri prætereuntes, occultata & latentia cuiusq; familiæ mala colligunt. Et quidem scitum est illud Aegyptij, qui interrogatus quidnam id esset, quod velatum gerebat, ideò, inquit, velatum est, vt ignoretur. Tu quoq;, dicerem curioso, quid inquiris in rem absconditam? non celaretur, si non esset malum. Nisi pulsato priùs ostio ingredi in alienam domum non est moris: & nunc eius rei gratia ianitores habẽtur. antiquitus mallei ianuis appensi signum dabant. ne scilicet alienus matremfamiliâs in medio offenderet, aut virginem, aut seruũ vapulantem, aut vociferantes ancillas. Curiosus in hæc ipsa se insinuat, familiæ quidem bene constitutæ haud libenter, etiam si rogaretur, futurus spectator: quorum verò causa clauis, vectis, & fores inventæ sunt, ea detegens aliisq; enuncians. Ventorũ, aiebat Aristo, molestissimi sunt ij, qui amictum nobis retegunt. Curiosus non vestes proximorum, non tunicas, sed ipsos parietes detrahit, fores pandit, atq; adeò venti instar etiam teneram virginem pervadit, bacchationes, choreas, & per noctem ductas hilaritates examinans atque calumnians. & quemadmodum in comœdia exagitati Cleonis,

Manus in Aetolis, animus in Clopidis

erant: ita curiosi animus simul & in diuitum ædibus est, & casis pauperum, in aulis regum, in cubilibus recens nuptiis iunctorum, omnes res indagat, peregrinorum, principum: has quidem non sine periculo. Nam sicvt aconitum aliquis gustans qualitatem eius scrutandi causa priùs perit quàm saporem sentiat: ita qui maiorum mala rimantur, sæpe priùs seipsos pessundant, quàm cognouerint quod quærebant. nam & hos qui præterito copiosissimo hoc Solis, & omnibus circumfuso splendore radiorum, ipsum eius orbem liberè intueri, introq; penetrare suo visu conant, luminibus capi videmus. Ideò præclarè Philippides comicus poëta, cùm ei Lysimachus rex quodam tempore dixisset, Quánam mearum rerum te impertiam? respondit, Modò ne arcano vllo. Quę enim suauissima & pulcerrima habẽt reges, ea cõspectui sunt exposita, cœnæ, opes, festiuitates solennes, beneficia. si verò arcani quid est, caue accesseris aut moueris. non occultatur gaudium regis fortuna vtentis secunda, non risus iocantis, nõ beneficij apparatus. terribile est quod celatur, tetricum, risu & accessu periculosum: iræ puta alicuius latẽtis reseruatio, aut supplicij atrocis meditatio, aut riualitas adversus vxorem, aut sinistra de filio suspicio, aut de amico diffidentia. fuge atram illam, & se condensantem nubem: non latebit te id quod nunc occultatur, vbi cum tonitru & fulgure eruperit. Quomodo ergo fugiam, inquis? curiositatem avellendo, & avertendo, vt dixi: maximè animo ad meliora & iucundiora traducto. Considera quæ in cœlo, terra, mari, aëre sunt. Aut enim magnarum, aut paruarum rerum contemplatione duceris. Si magnarum, de Sole inquire, quæ eius ortuum & obituum sit ratio. examina Lunæ tanquam hominis mutationes, quò tantum luminis insumserit, atq; vnde id recuperet:

Primum recens cur ex obscuro prodeat,
Fulgore pleno faciem collustrans suam:
Rursúmq;, postquam visa fuit pulcerrima,
Spoliata sensim luce in nihilum diffluat.

Sunt quidem hæc naturæ arcana: sed ei molesta est eorum indagatio. At magnarum rerum de cognitione desperasti? minora scrutare. cur stirpium aliæ semper floreant, vireant, vigeant, suásq; opes omni tempore ostentent: aliæ nunc his similes, paulo pòst, velvti rei familiaris administrandæ ignarus homo, profusis confertim suis copiis, nudæ atque inopes relinquantur. cur aliæ oblongos, aliæ angulos habentes, aliæ

teretes

Philosophiæ finis.

Aristoph.

Arcana principum indagare periculosum.

Curiositas rerũ cognitione saturanda.

teretes & rotundos edant fructus. Sed fortasse hæc tu noles perquirere, quia nihil iis est mali. Proinde si omnino curiositas in malis, tanquam serpens in lethali materia, versari iisq; pasci debet, eam in historias traducamus, malorúmq; copiam immensam fruendam præbeamus. In historiis enim inveniuntur casus & subitæ mortes virorum, mulierum corruptelæ, insidiæ seruorum, calumniæ amicorum, veneni apparatus, invidiæ, obtrectationes, familiarum naufragia, princip\u0169 de suo statu deturbatio. Implere his, & oblecta teipsum, nulli molestiã, nulli dolorem tuor\u0169 exhibens. Sed apparet curiositatem non gaudere obsoletis, verùm rec\u0113tibus malis: & nouas tragœdias c\u0169 voluptate spectare, comicis & lætis actionibus nõ admod\u0169 libenter interesse. itaq; ergo nuptias aliquo, aut sacrifici\u0169, aut solennem pompã narrãte, socors est negligénsq; auditor homo curiosus, & pleraq; se iã antè audiuisse ait, iubétq; ista preteriri, & ration\u0113 contrahi. si verò quis assid\u0113s viti\u0169 virgini oblat\u0169, matronæ adulteri\u0169, litis intentationem, discordiam fratr\u0169 referat: nõ iam dormitat aut aliis occupatus est rebus,

Curiosi quibus malis delectentur.

Verùm aures præbet tum, verbáq; plura requirit.

& profectò dictum illud, Heu, quòd mala magis quàm res prosperæ ad aures mortalium feruntur, verissimè in curiosos competit. Sicvt enim cucurbitulę pessim\u0169 è carne humorem educ\u0169t, sic aures curiosorum pessimos sermones ad se trahunt. Immò, sicvt quibusdã in vrbibus sunt portæ quædam nefastæ & tristes, per quas educuntur qui à carnifice necandi sunt, & sordes atq; piacula, nihil autem castum & sacr\u0169 per eas intrat vel exit: sic etiam curiosorum aures bonum nihil aut elegans, sed tantùm de cædibus sermones, ac piaculares & impuræ narrationes personant atq; atterunt:

Sempérq; solus curiosi in ædibus
Auditur eiulatus. ——

hæc est vnica id genus hominum Syren, hæc Musa, hæc illi omnium auditionum est suauissima. Quippe curiositas, studi\u0169 est audiendi quæ occultata sunt & latent. at bonum nemo nactus celat: atq; adeò etiam quæ non habent bona, solent sibi affingere homines. Ergo malorum cognitionem curiosus affectans, eo tenetur morbo, quòd gaudium ex aliorum adversis rebus captat. quod vitium est invid\u0113tiæ germanum. invidentia enim est dolor cõceptus ob res alterius prosperas. gaudium seu voluptatem qua afficimur ob aliena mala, epichærecaciam vno verbo Græci dicunt. vtrunq; horum nascitur è malignitate, sæuo & belluino animi affectu. Ita verò molesta vnicuivis suorum malor\u0169 est patefactio, vt multi inventi sint qui mori maluer\u0169t, quàm secretos morbos suos medicis ostendere. ac mihi finge Herophilum vel Erasistrat\u0169, vel ipsum (dum homo fuit) Aesculapium medicamentis & instrumentis suis præditum domos singulatim obire, & scitari, An aliquis fistulam habeat iuxta podicem, aut mulier cancrum in vtero: quanquam salutaris esset hæc artis curiositas, tamen quivis (puto) medicum talem repelleret, quòd is non exspectato dum ipsius imploraretur opera, vltrò ad inquisitionem alienorum malorum se cõtulisset. Curiosi verò hæc ipsa, hísq; adhuc peiora quærunt: neq; hoc medendi, sed tãtùm patefaciendi causa. Iure itaque invisi & exosi sunt. Nam & publicanis succensemus & ægrè ferimus, non quãdo merces apertas inspectant, sed cùm abscondita vestigantes in alienis vasis atq; sarcinis versantur. & tamen illis hoc lex concedit, & nisi faciant, damnum accipiunt. Curiosus autem sua perdens atq; dimitt\u0113s, circa aliena occupatur. Id genus homines raró rus abe\u0169t, quòd tranquillitatem & silentium solitudinis ferre non possunt. Quod si eò interdum accedunt, magis tum vicinorum quàm suas inspiciunt vites, & interrogant quot boues vicino mors abstulerit, aut quantum vini acorem contraxerit. atque his mox impleti, cursu se proripiunt. Etenim verus rusticus, ne casu quidem allatum ex vrbe rumorem lubens inaudit, sed in hanc loquitur sententiam:

Malorum patefactio nostror\u0169 nobis molestissima.

Rus curiosis invisum.

Nunc ille mi rastris exercenti solum
Fuerit quibus pax facta conditionibus
Narrabit. hæc enim scelestus obambulans
Nunc curiosè quærit ille. ——

Sed curiosi rus, vt rem obsoletam, frigidam, & tragœdiis carentem fugientes, in tribunal, forum, portúsque se intrudunt, quærentes Nouine aliquid? Atqui manè fueras in

foro: aut putas trium horarum spacio vrbis statum esse immutatum? At enim si in aliquem incidit qui habet quod narret, huic ab equo delapsus dextrã iniicit, amplexúsq; hominem & exosculatus, audit. Si verò occurrens aliquis dicat nihil esse noui, indignabundo similis, Quid ais, inquit? non fuisti in foro? non prætergressus es curiam? non compellasti eos qui ex Italia venêre? Egregiè Locrorum principes, qui peregrè venientem, & quærentem ecquid noui, multauerunt. Nam sicvt coqui pecudum, piscatores piscium vberem proventum, ita curiosi multorum malorum exoptant exortum, multorúmq; negociorum, & res nouas ac mutationes: vt semper venari aliquid & mactare possit. Rectè etiam Charondas, qui vetuit ne quis ciuium in comœdia traduceretur, præter adulteros & curiosos. videtur enim adulteriũ curiosa in alterius voluptatem esse inquisitio, eorúmq; indagatio quæ abscondunt & plerosq; latent. & curiositas corruptela est ac denudatio arcanorum. Iam necesse est, vt multarum rerũ cognitioni loquacitas comitetur. itaq; Pythagoras etiam adolescẽtibus silentium quinquennium durans iniunxit, echemythian à sermone cohibendo dictũ. Curiositatem autem non potest non subsequi maledicentia. quę enim libenter audiunt, libenter etiã loquuntur: & quæ ab aliis studiosè colligunt, apud alios cum gaudio efferũt. Quo fit, vt cum aliis malis hic morbus etiam cupiditati ipsorũ sit impedimento. Omnes enim à curioso sibi cauent, & sua eum celant, & neq; agunt libenter curioso inspectante, neque loquuntur audiente: sed & consultationes in aliud tempus reiiciunt, & deliberationès, donec is homo sese amoueat. quod si arcano alicui proposito, aut rei seriæ tractationi supervenìat curiosus, velvti cibum accurrente fele tollunt è medio & occultant id de quo agebatur. vt plerunq; ea quæ aliis dicenda spectandáq; committuntur, solis curiosis neq; videre neq; dicere contingat. Eadem de causa etiam omnis fides curioso derogatur. nam seruis & peregrinis facilius credimus epistolas atq; litteras & sigilla, quàm amicis & familiaribus curiosis. At Bellerophontes ille litteras, quas in seipsum scriptas ferebat, non aperuit: sed sua vsus cõtinentia, tam litteris quàm vxore regis abstinuit. Incontinentiæ enim est curiositas, vt & adulterium: accedente ad incontinentiam atroci stulticia atq; insania. Tot enim præteritis communibus & publicatis mulieribus impetu ferri ad inclusam vnam atq; sumtuosam, sæpenumero etiã deformem, extremæ est dementiæ. Atqui eadem est ratio curiosorum. Omissis namq; pulcris multis spectaculis, auditionibus, scholis, disputationibus, aliorũ litteras resignãt, aures parietibus vicinorũ applicant, & cum seruis eorũ atq; mulierculis susurros miscent. plerunq; id nõ sine periculo, semper cum turpitudine. Proinde vt quàm fieri potest maximè à vitio suo abducantur curiosi, vtile erit ipsis, si præterita in memoriã sibi revocent. Nã quo pacto Simonides dicebat se duas suas cistas temporis certi decursu aperientem, invenire eã quæ præmiorũ est semper plenã, quæ beneficiorũ, semper vacuã reperire: ita si quis interposito tẽporis spacio penũ suæ curiositatis inspiceret, inveniens eã multis invtilibus, vanis, atq; iniucũdis plenã rebus: nimirũ ipsa re offensum iri arbitror, quæ se ita planè molestã futilémq; declararet. Nónne.n. si quis veterũ scripta evoluens, pessima quęq; ex iis excerperet, librúmq; cõderet, in quo capite carẽtes Homeri versus, tragicos solœcismos, & Archilochi in mulieres indecenter ac fœdè dicta, quibus is sese ostẽtui prębuit, cõplecteret': is dignus videret' tragica ista imprecatione,

Pereas hominum calamitates malè colligens?

ac exsecratione etiã demta turpis & invtilis esset iste alienorũ peccatorũ thesaurus: similisq; eius vrbis, quam Philippus pessimis & cõtumacissimis à se frequentatã hominibus, Poneropolin, id est vrbẽ malorũ, nominauit. At verò curiosi nõ carminũ, non poëmatũ, sed vitarũ lapsus, mendas, & solœcismos colligẽtes, archiuũ à Musis & Gratiis alienissimum, memoriam suã circumferunt. Sunt Romæ, qui picturis, statuis, pulcritudine adeò puerorum vænalium & mulierum spreta, in foro monstrorum obversantur, & quærunt si qui sint vitiosis tibiis aut cubitis, tribus oculis, aut struthionis capite præditi, denique an sit aliquod natum è

Mixtis naturis monstrum abominabile.

quos tamen si frequenter ad hæc adducerent' spectacula, mox satietas & nausea invaderet. Eodem modo qui vitæ infortunia, turpitudinésq; gentiũ & corruptelas ac peccata alienarum familiarum curiosè colligunt, recordentur primò loco obseruatorum, sentiántque nihil ea sibi gratiæ, nihil vtilitatis attulisse. Maximum ad huius vitij propulsationem momentum adfert adsuefactio, si eminus orsi condocefaciamus nos &

Curiosi sunt garruli.

Iliad. ς.

Curiositatis remedium.

paremus ad hanc continentiam. quando consuetudine etiam id morbi augetur, ac sensim vlterius progreditur. Modum huius adsuefactionis exponere placet. Ergo initiũ faciamus à vilissimis & minimis rebus. Quid enim mali est, in via non legere inscriptiones monumentorũ, aut in ambulationibus litteras parietibus inscriptas visu prætercurrere? si nobiscum cogitemus nihil hinc ad nos commodi oblectationísq; rediturum, sed certos homines certorum hominum memoriam honorificã fecisse, ac scripsisse, Amicorum iste fuit optimus, ac quæ multæ aliæ istius generis sunt nugæ. quæ lectæ nihil videntur afferre damni, nocent tamen occultè, dum curam quærendi nihil ad nos pertinentia ingenerant. Et quemadmodum venatores non sinunt canes evagari aut quemvis odorem sectari, verùm loris capita eorum sursum trahunt atq; cohibent eos, sensúmq; ipsorum purum sincerúmque ad rem sibi destinatam seruãt: nimirum vt vestigiis possint eo acriùs inhærere, quando

Naribus indagant miserarum lustra ferarum.

sic oportet curiosi ad quęvis spectacula & quasvis auditiones vagabundam excursionem inhibere, & ad vtilia cautè retrahere. Sicvt enim aquilæ & leones inter ambulandum vngues intrò avertunt, ne eorum aciem atterant: ita curiositatis acumen, quod habere videtur in studio cognoscendi, non debemus in vilissimis rebus retundere & hebetare. Secundum est proinde, vt adsuescamus ianuam prætereuntes alienam non intrò adspicere, neq; ob curiositatem oculis, tanquam manu, quæ intus sunt appræhẽdere. habeamúsq; potiùs in promtu illud Xenocratis dictum, Nihil interesse, pedésne quisquam an oculos in aliena domo ponat. Nam neque iusta, neque honesta, neque suauis adeò est ista inspectio.

Sunt intus, hospes, sanè visu turpia.

cernuntur quippe plerunq; vasa iacentia, ancillæ sedentes, nihil seriũ aut adspectu iucundum. verùm obtutus iste & eiaculatio oculorum animum simul convertens, turpis est, morísq; praui. Diogenes cùm videret Dioxippũ Olympico certamine victorem curru invehentem, à muliercula formosa, quæ pompã spectabat, oculos nõ posse avellere, sed reiecto retrò vultu eam intueri, Videte, inquit, athletam, cui puella ceruicem intorquet. At curiosorum videas collum quovis spectaculo circumagi, quando ob studium & consuetudinem vsquequaq; eorum se oculi obvertunt. Debet autem, puto, sensus non instar petulantis ancillæ foras evagari, sed cùm à mente emittitur ad res, celeriter eas percipere & renunciare, deinde rursum modestè intus cum ratione esse, eiq; parere. Nunc Sophocleum illud vsu venit:

Adsuefactio adversus curiositatem.

Sensuum officium.

Hinc Aenianis effrænis pulli viri
Feruntur indomito ore. —

Electra.

scilicet sensus non rectè instituti atq; condocefacti, frequenter excurrere occupant, animúmq; vnà trahunt in res nihil attinentes. Equidem falsum est, quod dicitur Democritum sponte sua oculos exstinxisse, in ignitum speculum eos defigentem luminísq; reflexionem accipientem: nimirum ne obturbarent, animum sæpe foràs evocãdo, sed velvti fenestræ prospectus in viam obthuratæ, intus eum manere sinerent, ac immorari rebus sola mente cernendis. Id tamen verissimum est, qui mente plurimum vtuntur, eos sensuum motu perparco vti. Nam & Musea longissimè ab vrbibus ędificabãt, & noctem Euphronam dixerunt Græci à bene intelligendo: ad considerationem & inventionem eorum quæ quæruntur, admodum conducere quietem & interventorũ aut aliò abstrahentium vacuitatem rati. Porrò nec hoc quoq; difficile aut arduum est. hominibus in foro mutuis conviciis se proscindentibus, non accedere: aut vbi cõcursus multorum aliquam ad rem fit, sede se sua continere, aut si hoc ob incontinentiã nequeas, surgere & domum abire. nihil enim boni consequeris permiscendo te curiosis: magnam verò vtilitatem percipies, curiositate per vim aversa & compressa, rationíq; obtemperare adsuefacta. Exinde magis intendens exercitationem rectè facies, si theatrum in quo aliquid cum applausu auditur prætereas, & amicos ad saltatoris aut comœdi alicuius spectaculum trahentes submoueas, ac vociferatione in stadio aut circo sublata, non mouearis. Vt enim Socrates aiebat cauendos esse cibos, qui non esurientes ad edendum alliciunt, & potus qui faciunt vt non sitiens bibas: ita nobis fugienda sunt spectacula ista & auditiones, quæ nullo vsu exigente nos ad se trahũt. Cyrus quidem Pantheam videre noluit. & Araspe dicente mulieri formã esse spectatu dignam, respondit: Tanto magis ergo abstinendum. si enim nunc tibi parens ad eam veniam,

fortassis ipsa rursum mihi persuaserit etiam cùm ociosus non ero ad se ventitare, spectare, & assidere, multis rebus seriis neglectis. Et Alexander Darij vxorem, quia formosissima dicebatur, noluit in suum venire conspectum: sed ad matrem eius anum accedens, videre iuuenem & pulcram non sustinuit. Nos lecticis mulierum oculos subiicientes, & eos à fenestris suspendentes, nihil peccare nobis videmur, adeò lubricam & ad omnia fluentem curiositatem facientes. Proinde etiam ad iustitiæ exercitationem facit, aliquando capturam honestam omittere, vt longè abesse ab inhonestis adsuescas. & ad temperantiam conducit, interdum propria abstinere vxore, ne vnquam in aliena commoueare. Hunc morem in curiositatem introducens, conare etiam tuorum quædam aliquando surda aure prætermittere ac clausis oculis: & volentem aliquid de rebus domesticis nunciare, differre, & quæ de te dicta videbuntur, nõ admittere. Etenim Oedipum quidem curiositas in extremas coniecit calamitates. Quærens enim seipsum, vt qui non Corinthius esset, sed peregrinus, Laio occurrit, eóq; necato, matrem cum dote regni vxorem duxit. cúmq; videretur felix, rursum seipsum quærebat, & prohibente vxore tanto magis examinauit senem totius rei cõscium, omni necessitate vrgens. tandem re iam ei suspicionem iniiciente, & sene exclamante

Damnosæ curiositatis exemplum.

Sophocl. Oed. tyr.

Heu, restat hoc nunc, dicere quod grauissimum est:

tamen affectu inflammatus atque tremiscens ait,

Mihiq; dirum auditu. sed tamen audiam.

Ita pruritus quidam est curiositatis dulcedini amarorem habens permixtum & effrænis, tãquam vulnus sibi ipsi sanguinem eliciens vbi sauciatur. Qui verò liberatus hoc morbo est, & natura placidus, is vbi aliquid mali ignorauit, dicet secum,

Eurip. Orest.

Veneranda malorum obliuio, quantum sapis?

Quare ad hoc etiam adsuescendum est, vt allatam epistolam non statim neq; festinanter soluas, quod multi faciunt, manibus cunctantibus dentes vinculis iniicientes, eáq; morsu rumpentes. nuncio alicunde veniente non accurras neq; assurgas. amico aliquo dicente, Habeo noui aliquid quod tibi dicam, respondeas, Malim vtile aliquid & conducibile. Ego cùm aliquando Romæ dissererem, Rustico (quem postea Domitianus invidia gloriæ eius impulsus interfecit) me audienti interveniens miles epistolã à Cæsare missam tradidit. hic ego intermittere cùm vellem orationem, ipsiq; spacium legendi litteras concedere, renuit ille, neq; ante epistolam soluit, quàm ego perorassem & missa esset schola: omnibus viri grauitatem admirantibus. At verò vbi aliquis potentia & licentia præditus vitium curiositatis alit, idq; vires & violentiã acquisiuit: is iam non facilè abstinere ab his, quibus ipsi interdictum est, potest. nam qui hoc modo sunt affecti, ij & epistolas resignant, & consiliis amicorum arcanis sese ingerunt, sacra quæ cerni ab ipsis est nefas intuentur, loca inaccessa calcant, res & sermones regũ scrutantur. Sanè tyrannos, quibus omnia cognoscere est necesse, invisissimos reddit hoc genus hominum, qui auscultatores & delatores appellantur. Primus Darius minor auscultatores vsurpauit, sibi ipsi non credens, omnésq; habens suspectos atq; metuens. Delatores, quos ipsi Prosagogidas nominabant, Dionysij inter Syracusanos sparserunt. quos quidem delatores cõversione rerum facta primos arripuere Syracusani, & exquisito tympani supplicio affecerunt. Calumniatorum enim genus, è tribu & curia curiosorum est. quanquam calumniatores tantùm id scrutantur, an malũ aliquis consilium ceperit, an aliquid flagitij perpetrauerit: curiosi etiam calamitates quæ nolentibus acciderunt, exquirunt inq; medium proferũt. Quin & aliterium, id est scelerosum, à curiositate principiò aiunt invenisse. narrant enim penuria frumenti Athenis oborta, ita vt quibus esset triticum, ij id non in publicum promerent, sed domi suæ per noctem molerent: quosdam obambulasse qui molarum obseruarent strepitum, atq; inde hoc nomen reportarent, quasi molarios si diceres. est enim alen Græcis molere. Similis est origo vocabuli Sycophanta: quem Latini delatorem, puto, dicerent. Eos enim sic appellabant, qui, cùm prohibitum esset ficus exteris vendere, indicium de iis deferebant, qui foràs ficus vendidissent. Atq; hoc non invtile est considerari à curiosis, vt studij sui pudore afficiant, quod ipsis cum invisissimis atq; molestissimis hominibus ob similitudinem & cognationem rei est commune.

PLVTARCHI

De tranquillitate animi, libellus.



PLVTARCHVS Paccio S. Serò tuas accepi litteras, in quibus me hortabaris, vt aliquid de animi tranquillitate tibi scriberem, & de his quæ in Timæo scripta accuratiorem desiderant interpretationem. Sub idem tempus Eroti sodali nostro incidit Romã nauigandi necessitas, accepta à Fundano optimo viro epistola, more suo festinare iubente. Ita cùm neq; tempus haberem iis quæ institueram vacandi, neq; pati vellem istum planè vacuis manibus ad te abs me venire: ex commentariis, quos mihi feceram, isthęc de animi trãquillitate collegi. cùm & te existimarem non auditionis elegantem venantis orationem gratia, sed ob vsum commodantem ea requirere: tibiq; gratuler, qui & principum vsus amiciciis, & gloriam, quantam in foro dicentium nemo, consecutus, non itidem vt Merops ille tragicus passus es vocibus te beatum prædicantium percelli, & vltra quàm naturales animi motus sint attonitum reddi. quippe qui memoria teneas id quod sæpius audiuisti, neq; calceum podagra, neq; annulum preciosum reduuia, neq; diadema dolore capitis liberare. Etenim, vnde ad vacuitatem molestiæ animo, vitæq; constantiam parandam diuitiis, aut gloriæ, aut potentiæ aulicæ facultas sit, nisi eas res vel præsentes vsus venustus, vel absentes nullum desiderium perpetuò comitetur? hoc autem quid est aliud, quàm ratio condocefacta motibus obnoxiam & brutam animæ partem sæpe de potestate exeuntem celeriter repræhendere, neq; permittere vt præsentibus citata rebus diffluat atq; invertatur. Itaq; sicvt Xenophon præcipiebat, debere nos deorũ maximè meminisse, iisq; honorem habere, cùm secundæ essent res: vt vsu flagitante invocare eos cum fiducia possemus, iam scilicet propicios atq; amicos. ita eas quoq; rationes, quæ adversus animi perturbationes auxilio sunt, cordati ante quàm perturbent meditari debent, vt multo antè præparatæ tanto plus habeant virium. Quemadmodũ enim feri canes cùm ad omnem vocem exasperẽtur, sola ea cui adsueuere demulcentur: sic & animi motus sæuientes nemo facilè deliniuerit, nisi rationes familiares & cõsuetæ animo perturbato præstò sint eúmq; inhibeat. Cæterùm is qui dixit, Animi tranquillitatẽ affectãti neq; priuatim multa neq; publicè debere agere: primùm magno nobis emẽdam facit rem, venalem nimirum inertia: tanquã vnicuiq; infirmo præcipiens,

Animus adversus perturbationes muniendus.

Ocio animũ nõ reddi tranquillum.

Quietus instratis mane tuis miser. — *Eurip. Orest.*

et quidem vacatio laboris adversus sensuum stuporem malum est corpori remedium: neq; melior est medicus animo socordia, & mollicies amicorũ, familiariũ, patriæq; neglectu perturbationes eius amoliens. Deinde id quoq; falsum est, animo trãquillo esse eos qui non agant multa. Oportebat enim mulieres viris esse animo quietiore, plerunq; domi in re familiari curanda desidentes. Nunc Aquilo quidem

Virginis intactæ nunquam per membra penetrat, — *Oper. 517.*

vt ait Hesiodus: sed dolores, tumultus, ægritudines ob riualitatem, superstitionem, ambitionem, & vanas opiniones innumerę in gynæceum cõfluunt. Et Laerta per viginti annos seorsim in agro degens

Cum famula vetula, quæ mensam & pocula soli — *Odyss. α, 190.*
Poneret, ——

patriam quidem, & domum, regnúmq; fugit, dolorem autem cũ ocio & mœsticia perpetuò secum habuit. Sunt quos ipsum ocium in animi coniicit ægritudinem. qualis

Ille sedens iuxta naues diuinus Achilles — *Iliad. α, 488.*
Pascebat rabidas animus feruentibus iras.
Non ille aut sociùm cœtus veniebat in vllos,
Ad pugnam sumtis aut procedebat in armis.
Sed desiderio belli pugnæq; suum cor
Conficiebat, in inuisa scenáq; manebat.

atque ipse hoc de se grauissima affectus molestia dicit:

Nauibus assideo telluris inutile pondus. — *Iliad. σ, 104.*

Hinc adeò etiam Epicurus cupidos honorũ & gloriæ non vult quiescere, sed obsequi naturæ suæ remp. tractando iubet: quòd faciliùs ocio perturbatũ iri eos & lædi putaret, si non consequerentur quæ appetiissent. Verùm absurdè is non qui possint ad remp. gerendam adhortatur, sed qui nequeant quiescere. Enimverò non multitudine aut paucitate actionum, sed pulcritudine ac turpitudine animi vel tranquillitas definienda est vel perturbatio. nam, vt dixi, non minus pulcrorũ omissio, quàm actio turpium molesta est. Eos enim, qui vnum aliquod certũ vitæ genus molestia putant vacare, vt agricolarum quidam, alij cœlibum, alij regum, eos Menãder satis clarè erroris sui admonet his verbis:

Existimabam diuites ego, Phania,
Fenore quibus non est sumenda pecunia,
Non gemere noctu, nec sus déq; voluier,
Eheu mihi dicentes: sed placidum magis
Carpere soporem suauiter. ——

deinde postquam narrando explicauit, animadvertisse se diuitibus idem quòd pauperibus evenire, inquit:

Est ergo vitæ consanguinea molestia.
Vita hæc adest molli, claræ vitæq; adest,
Inopiq; consenescit vitæ. ——

Sed velvti timidi inter nauigandum nausea correpti meliùs se habituros putant si in lintrem è lembo, rursùmq; inde in triremem conscendãt, nihil agentes ij, quia bilem & metum secum transferunt: ita vitæ mutationes non tollunt ex animo id quod ęgrè facit ac perturbat. id autem est imperitia rerum, inopia iudicij, & impotentia atq; inscitia rectè vtendi statu præsenti. Hæc sanè tam diuites iactant quàm pauperes, tam cœlibes quàm coniuges. ob hæc forum fugitur, & rursus molestum est ocium, ob hæc produci in aulis volunt, & producti statim ægrè ferunt:

Eur. Orest. *Ob inopiam morosi sunt quibus est malè.*

ægrotis & vxor molesta est, & medicum incusant, & lectulus displicet, & de amicis

Grauis est qui venit: abiens parit molestiam,

vt Ion ait. morbo autem fugato, aliáq; facta temperie, sanitas redit omnia grata redigens atque iucunda. qui enim heri oua, amylum, panem è cribrata farina respuebat, hodie cibarium panem cum oliua & nasturtio comedit alacriter ac suauiter. Eodem modo recta ratio quodvis vitæ genus, quamvis mutationem facit facilem. Alexander cùm infinitos mundos esse ex Anaxarcho audiuisset, fleuit: ac rogãtibus amicis quid accidisset, Non dignũ, inquit, fletu vobis videtur, si cùm sint infiniti mũdi, nos ne vno quidem etiamnum potiti sumus? At Crates pera & palliolo instructus, vitam tanquã festiuitatem quandam per iocum & risum exigebat. Et quidem Agamemnoni molestiam attulit imperium in multos:

Recta ratio est fons tranquillitatis animi.

Iliad. α, 88.
Atridem cernes Agamemnona, Iuppiter vnum
Præ reliquis tot inexhaustos tolerare labores
Quem iubet assiduè. ——

Contrà Diogenes cùm venderetur, sedens surgere noluit, subsannauítq; venditorem surgere iubentem, cum ioco & risu dicens: Quid faceres si piscem venderes? Socrates in carcere philosophans cum amicis colloquebatur. Phaëthon conscenso cœlo plorabat, quòd nemo ei patris equos & currum traderet. Sicvt igitur calceus vnà cum pede, non in diversam partem convertitur: sic animi affectio vitam sibi conformem reddit. Non enim consuetudo, vt quidam dixit, vitæ optimum modum electum facit iucundum: sed prudentia simul & optimam & suauissimam parat vitæ rationem. Ergo fontem tranquillitatis animi in nobis insitum expurgemus: vt externa etiã tanquam familiaria non cum molestia nobis accidant atque vsurpentur.

Nihil est quod irascare rebus scilicet:
Non ira curæ illis tua est. bene huic erit,
Qui rebus obtingentibus rectè vtitur.

Ludo enim tesserarum Plato vitam comparabat: vbi & faciendũ est quod sit commodum, & iactu quod cécidit rectè vsurpandum. ac iacere quidem in nostra non est potestate:

testate: si verò rectè sapimus, penes nos est quod fortuna obtulit convenienter accipere, & suo quodque disponere loco, vbi & propria maximè conducant & quæ præter voluntatem eveniunt minimè offendant. Alioqui eos qui vitam nulla arte adhibita, nulla prudentia degunt, quo modo morbis obnoxios videmus neque calorem ferre, neque frigus posse, cùm res secundæ supra suam extollunt sortem, tum adversæ deiiciunt. vtraque autem fortuna turbantur, aut potiùs ipsi vtroque fortunæ statu turbas sibi cient, magisque adeò bono (vt vsurpatur) rerum successu. Theodorus, qui Atheos, quòd deos esse videret negare, dictus est, aiebat se suas rationes dextra manu porrigente, ab auditoribus eas sinistra excipi. Rudes autē homines, sæpenumerò fortunā ad dextrā adsistente, turpiter manu sinistra excipiunt. Ab altera parte homines cordati, sicvt apibus mel præbet thymus, acerrima & aridissima herba, ita è rebus adversissimis sæpenumerò cōveniens aliquid & commodū decerpunt. Id ergo est primò omniū exercitatione perdiscendū, vt quo pacto is qui canē lapide ferire cùm voluisset, icta nouerca dixit Ne sic quidē iactum lapidis malè cecidisse: ita nos quoque ea, quæ nolentibus nobis fortuna obtulit, aliò trāsferre sciamus. Actus est in exsiliū Diogenes. ne hoc quidē malè: namque factus extorris, philosophari cepit. Zeno Citiensis, audito naui oneraria, quā vnicā reliquā habebat, vnà cum mercibus esse vi fluctuū obrutā atque demersam, Laudo, inquit, tuū factū ô fortuna, quæ nos in palliolū & porticum redigis. Quid obstat, quo minùs ista imiteris? Obeundo aliquo magistratu impegisti? viues pòstmodò ruri, rerū tuarū satagens. Ambiens principis alicuius amiciciam, passus es repulsam? viues periculorum & negociorum liber. Rursum res gessisti curarum & occupationum plenas? atqui ne calida quidem aqua ita fouebit mollia membra, vt est apud Pindarum, sicvt gloria & honor coniuncta potentiæ alicui laborem facient dulcem, molestiámque molestiæ expertem. Accidit per calumniam vel invidiam exsibilatio aliqua & infelix successus? secundo vento ad Musas & Academiam nauigare licet. quod fecit Plato, postquā naufragiū amiciciæ cum Dionysio fecit. Ac profectò ad parandam animi tranquillitatem multum conducit, illustres viros considerare, qui eadem qua nos fortuna æquo sunt animo vsi. Molestū tibi est quòd prole cares? at Romanorum vide reges, quorum nullus filio regnū reliquit. Paupertas tibi grauis est? quis verò Bœotorum esse malles quàm Epaminondas, aut Romanorum quàm Fabricius. Adulterata est mulier? nònne legisti inscriptionem apud Delphos, *Correctio fortuitorum.* *Exempla.*

Agis me posuit terræ rex & maris idem?

& audiuisti vxorem eius Timæam fuisse ab Alcibiade vitiatā, & ancillis insusurrasse, Alcibiadem esse quem peperit infantem? Verùm id Agidi non obstitit, quo minùs Græcorum fieret clarissimus atque maximus. Neque Stilponem prohibuit iucundissimè omnium suæ ætatis philosophorum viuere intemperās filia. quin etiam Metrocli id exprobranti, Meúmne, inquit, hoc est peccatum, an filiæ? ac dicente Metrocle, Filiæ peccatum est, tuum infortunium: Quid ais? respōdit. nònne peccata etiam sunt lapsus? Omnino, aiebat Metrocles. Quid, inquit? nònne lapsus sunt earum rerum lapsus, quibus assequendis excidimus? Assensit. Nònne verò, inquit, istæ à rebus appetitis aberrationes eorum sunt infortunia, qui eas non assequuntur. Sic ille placido & philosophico sermone ostendit vanum latratum esse cynicam calumniam. At multos non amicorum modò & familiarium, sed inimicorum etiam perturbant atque iritant mala. Nam maledicta, iræ, invidiæ, malevolentiæ, obtrectationes cum malignitate coniunctæ, pestes sunt eorum quibus insunt: stolidos autem turbant atque exasperant. sicvt etiam vicinorum iurgia, familiarium morositas, & administrorum rebus agendis adhibitorum improbitas. Qua quidem re tu mihi non minimum videris iritatus, quemadmodum apud Sophoclem medici

Amaro amaram pharmaco bilem eluunt,

ita eorū peccatis acerbū te sæuúmque vicissim exhibere. non quidē hoc rationi convenieter. Quas .n. tu res tibi demādatas agis, earū ministeria non simplicia aut bona ingenia, tanquam cōmoda instrumēta, sed plerunque aspera & distorta obeūt. Quorū tu pse qui delicta, nō debes existimare muneris tui esse, aut rē cōfectu facilē. Quòd si iis talibus vtēs, sicvt medicus forcipib. ad evellēdos dētes & hamulis ad cōstringēda vulnera vtit, placido animo mediocriter quæ cōtingūt feras, magis tua te affectione animi *Adversus morositatem.*

oblectabis, quàm aliorum prauitate & malicia perturbabis: neque instar canis, qui vbi allatrauerit suo se defunctum officio putat, singula persequendo imprudēs eò rem deduces, vt multa molestiam afferentia in hanc animi tui paruitatem atque imbecillitatem, tanquam locum cauum & humilem confluentia cōtrahas, eámque alienis oppleas malis. Quando enim philosophorum nonnulli misericordiam, qua afficimur ob aliorum calamitates, vituperant: (quòd debere nos opitulari aliis, non vnà dolere & animum demittere statuant) & quando, quod sanè maius est, delicta nos nostra aut morbos animi vbi sentimus, non sinunt mœstos esse & ægrè ferre, sed absque dolore mederi vitio iubent: quî non sit rationi adversum hoc in nos per negligētiam admittere, vt ægri indignabundíque simus propterea, quòd non omnes quibus cum nobis res est, probi sunt atque sciti? Verùm hoc vide mi Pacci, ne nosmetipsos non satis attendentes, non in vniuersum improbitatem eorum quibus vtimur, sed nostram affectionem à sui amore non malorum odio proficiscentem, prætendamus atque metuamus. Nimiæ enim animi ad res incitationes, & vehemētiores iusto appetitiones, aut contrà aversationes & vituperationes, eæ suspiciones & morositatē adversus homines nobis ingenerant, quorū culpa vel non adeptos quod cupiebamus, vel in ea quæ nollemus incidisse nos putamns. qui verò in rebus cum facilitate animi & moderatione versari adsueuit, is cum hominibus agere facilimè ac mansuetissimè potest. Itaque sermonem de rebus ceptum repetamus. Febricitantibus, quidquid gustent, amarum & insuaue videtur. sed tamen vbi alios videmus eadem citra molestiam gustare, non iam cibum potúmve, sed morbum & ægrotantes in causa esse dicimus. Eodem modo culpare res & iniquè ferre desinemus, si videamus iisdem alios absque dolore & cum hilaritate vti. Iam id quoque multum ad animi tranquillitatem confert, si in his quæ nobis inuitis evenerunt, non negligamus in hæc intueri quæ nobis grata & venusta adsunt: sed mixtione vtrorumque instituta, meliorum momentis deteriora aboleamus. Sed nos, qui oculos nimio splendore offensos ad florida & viridia avertentes reficimus: iidem cogitationem rebus dolorem afferentibus intēdimus, eámq; recensioni molestiarum immorari cogimus, tantùm non vi abstractam à melioribus. Atqui huc non ineptè transferri potest, quod scitè dictum est in curiosum:

Mala bonis cōpensanda.

Aliena quorsum acutè peruides mala,
In propriis cæcus, hominum inuidissime?

Quid enim mala tua mi homo, nimis subtili visu perspiciens, semper conspicua facis ac renouas? bonis autem præsentibus animum nō adhibes? sed quemadmodum cucurbitulæ deterrimum è carne sanguinem eliciunt: ita de rebus tuis pessima quæq; adversum te colligis? nihil sanè Chio illi præstans, qui multo boni vini aliis divendito, acidum sibi ad cœnam gustando exquirebat: servus autem quidam ab alio interrogatus, quidnam rei agentem herum reliquisset, Bonis, respondit, præsentibus mala quærentem. Plerique enim bonis & suauibus rebus præteritis, ad difficilia & grauia toleratu currunt. Ex horum numero non fuit Aristippus, gnarus quasi in trutina meliorum rerum momentis adversus incommoda sese subleuare atq; efferre. itaque prædio amisso quodam egregio, ex aliquo eorum qui maiorem in modum se casum eius dolere & iniquè ferre simulabant, quæsiuit, Nónne tu vnicum possides agellum, mihi tres fundi sunt reliqui? Assenso, Cur itaque non tuam potiùs vicem doleam, inquit? est enim insani, ob amissa dolore affici, non gaudere relictis. ac sicvt pueruli si quis ludicrarum rerum vnam ipsis auferat, reliquis etiam omnibus proiectis plorant ac vociferantur: ita vna aliqua in re fortuna nobis obturbante, iniquè ferendo & lamentando cætera omnia nobis reddere invtilia. Diceres, quid habemus? Immo autem, quid non habemus? huic gloria, illi familia, alij coniugium, alij bonus amicus contigit. & Antipater Tarsensis, cùm iam moriturus bona quæ ipsi cōtigissent recenseret, ne prosperam quidem nauigationem præteriit, qua è Cilicia Athenas vsus fuerat. Communia quoque negligenda non sunt, sed eorum habenda ratio est, & gaudendum quòd viuimus, valemus, Solem videmus, bellum nullum, nulla est seditio, terra cultui, mare nauigationi liberè prostat, licet nobis loqui, tacere, res agere, ocio frui. Hæc præsentia maiorem nobis animi parabunt tranquillitatem, si absentium imagines nobis fingamus, sæpiùs nobiscum memoria repetentes, quàm desiderabilis sit ægrotanti sanitas, in bello constitutis pax, gloriæ in tanta vrbe & amicorū copia peregrino & ignoto:

Bonorū nostrorum consideratio.

to:

to:& quàm sit molestum priuari partis iis. Sic fiet, vt non tum demum magna ac præclara singula ista deputemus, quando amittimus: antè autem, & dum potimur, pro nihilo ducamus. non enim precium rebus istis interitus addit, neque eas debemus tanquam magnas comparare, sempérq; trepidare & metuere ne tantis rebus spoliemur, dum verò possidemus, tãquam nullius precij res cõtemnere & negligere: sed ita maximè frui, vt voluptatem ex iis gaudiúmq; capiamus: vt etiam amissionem eorum, sicubi accidat, æquiore animo feramus. Sed plerìq; poëmata (vt aiebat Arcesilaus) aliena, & picturas, & statuas putant sibi exactè singulis partibus animo oculísque perlustratis contemplanda: vitam autẽ suam multa habentem consideratu non iniucunda prætereunt, foràs semper prospicientes, aliorúmq; famam & fortunam admirãtes: sicvt adulteri alienas spectant mulieres, suas despiciunt. Cæterùm id quoq; ad animi tranquillitatem magnopere conducit, maximè quidem se & suas res intueri: sin verò id non possit locum habere, non cum præstantioribus se comparare: quo vitio vulgò laboratur. nam, verbi gratia, qui vincti sunt, solutorum laudãt fortunam, soluti liberorum, liberi ciuium, ciues diuitum, diuites satraparum, satrapæ regum, reges deorum, tantùm non tonare & fulgurare cupientes.

Comparatio cũ infelicioribus.

Non res mihi sunt cordi Gygæ diuitis,
Neq; cepit æmulatio me, superûm neq;
Magna obstupesco facta, nec tyrannidem
Magnam appeto, procul ab oculis sita est meis.

At verò Thasius aliquis, Chius, Galata, vel Bythinus, non contentus se aliquo inter suos ciues loco, in honore & cum potentia esse, plorat se non gestare vestem patriciã: & si ferat, quòd non sit prætor Romanorum: & hoc adeptus, quòd nõ consul: & consul, q; nõ prior, sed posterior fuerit renunciatus. Hoc autem quid est aliud, quàm occasiones ingrato animo fortunam accusandi conquirentem, à seipso sumere supplicium? At qui sana mente præditus salubriter sapit, is Sole infinita millia hominum intuente,

Amplæ quicunq; fruuntur terræ frugibus,

non si quem de his gloria sibi & opibus præstare videt, ideò deplorans sortem suam abiecto animo sedet: sed in publicum procedit, fortunam suam & vitam prædicans, quæ sibi in tanta multitudine aliis beatior obtigit. In Olympiaco quidem certamine non ita permittere vincere, vt ipse tibi quî cum certes deligas. At in vita licet, ac res humanæ concedunt vt cùm multis præstes felicitate, magno sis animo alijsque potiùs æmulandus, quàm aliorum admirator. si quidem te non cum Briareo aut Hercule componas. Ergo vbi magna te ceperit admiratio eius qui lectica gestatur, oculis paululum demissis etiam baiulos contemplare. & cùm Xerxem illum rati mare transeuntem cum Hellespontio illo beatum prædicabis, inspice etiam eos qui flagellis vrgentibus Atho montem perforant, & quibus ob ruptum fluctibus pontem aures narésque amputantur, simúlque eorum sensum cõsidera, quòd vitam & res tuas ij felices existimant. Socrates quendam amicorum audiens dicere, Quàm sumtuosa est Vrbs? mina venditur vinum Chium, purpura tribus, mellis hemina quinque denariis: adduxit ad farinas, Hæc, dicens, semisextarius venditur obolo: frugaliter in Vrbe viuitur. tum ad oliuas, Duobus æreis chœnix, deinde ad exomides, Hæc decem drachmis venditur vestis: viles sunt res in vrbe. Ita & nos, cum audiemus aliquem pronunciantem tenues res nostras esse & afflictas, qui consules aut procuratores non simus: esse nos in lauta atque splendida re dicemus, vt qui neque mendicemus, neque oneribus baiulandis aut adulando viuamus. Enimverò quando ea est nostra stulticia, vt magis aliorum quàm nostri respectu viuere adsuescamus, ingeniúmque ita est obtrectatione ac inuidentia corruptum, vt non tam gaudeamus nostris, quàm ob aliorum bona doleamus: eorum quos æmularis atque admiraris, non tantùm vide splendida illa & nobilia bona, sed aperiens ea, & gloriæ ac speciei tanquam florido aliquo conopeo reducto, intus penetra. cernes multa molesta & minimè iucunda iis inesse. Pittacus ille, cui magnam fortitudo, magnam sapientia & iusticia parauerunt gloriam, cum hospites conviuio excepisset, vxorque irata supervenisset, & mensam subvertisset, hospitibus perturbatis, Vnicuique, inquit, vestrum est mali aliquid: felicissimus hic, cui hoc tantum:

Mala bonis admixta alienis obseruanda.

Hic in foro beatus esse creditur,
Cùm foribus apertis sit suis miserrimus:
Imperat mulier, iubet omnia, semper litigat.
Multa adferunt illi dolorem, nil mihi.

Talia multa opibus, gloriæ, regno inhærent, ignota vulgo. officit.n. luminibus fastus.

Iliad. γ,182. *O felix, fatisq; Atrida beantibus orte:*

extrinsecus illa beatitatis laudatio ducta, ob circumfusam armorum, equorum, militum copiam. at intus voces perturbationum animi vanæ huic gloriæ reclamant:

Iliad. β,111. *Iuppiter implicuit noxæ me prorsus acerbæ.*

Item hæc:

Eurip. Iphig. Aulid.

Suspicio te ô senex,
Et quicunq; virorum
Sine periclo vitam exegit
Inglorius, ignotúsq;.

Ergo id genus ratiocinationes valent ad carpendum exhauriendúmque hunc animi morbum, quo de fortuna nostra queruli, ob vicinorum admirationem res nostras extenuamus ac deprimimus. Id quoque non leuiter tranquillitati mētis obest, quòd non mediocribus & ad facultates nostras accommodatis appetitionibus, tanquam velis, vtimur: sed spe maiorum rerum concepta, postmodo frustrante conatu genium fortunamq; incusamus, non nostram (quod erat rectius) stulticiā. Etenim nōn is infortunatus est, qui iaculari aratro, aut boue leporem venari voluit: neq; ei qui frustra verriculo aut funda captauit ceruum, vllus malus adversatur genius: sed stulticia & perversitas eum ad tentanda impossibilia adigunt. In culpa est sui amor, studium ingenerans primas sibi in omnibus rebus contentiosè arrogandi, & inexsaturabili cupiditate omnia aggrediundi. non enim diuites modò simul, & docti, & robusti, & ad compotādum idonei, & comes esse atq; amici regum & vrbium principes volūt: sed malè secum agi putant, nisi canes etiam, & equos, & conturnices, & gallos aliis habeant præstantiores. Dionysius maior non contentus omnium ea tempestate tyrannorum quòd esset maximus, irritato atque exasperato animo quòd Philoxenum poëtam canendo, Platonem differendo non superaret, alterum in lapicidinas coniecit, alterum in Æginam vendidit. Non hoc modo egit Alexander. qui cùm Criso stadij cursor cum ipso de velocitate certans dedita opera visus fuisset succumbere, vehementer est indignatus. Probè etiam Homericus Achilles, cùm dixisset,

(Margin: Mediocritas appetitionum.)

Iliad. σ,105. *Non me inter Danaos cum sit præstantior alter:*

subiecit,

Pugnando. mea namq; aliis facundia cedat.

Megabyzo Persæ cùm in officinam Apellis pictoris descendisset, & nescio quid de arte dicere cepisset, silentium imposuit Apelles his verbis: quādiu tacebas, existimabare aliquid esse ob auri & purpuræ ornamenta: at nunc te nugantem etiam pueruli isti ochram terentes derident. Sed nonnulli Stoicos ludere putant, quando ab iis audiunt sapientem non modò prudentem, iustum, fortem, sed rhetorem quoq;, imperatorem, poëtam, diuitem, regémq; cognominari. cùm interim hos sibi titulos ipsi arrogent omnes, & nisi obtinent, indignent. Atqui deorū alius alia virtute præditus, hic bellicosus, ille fatidicus, rursum alius lucri præses nominat. & Venerē Iupiter, quòd ad eam res bellicæ nihil pertinerent, ad nuptias & cubilia ablegat. Et verò sunt quæ simul locum habere non possunt, sed invicem pugnant studia. puta, ocio opus habet dicendi exercitatio, & mathematū tractatio, atque aliarum vacatione occupationū. facultas ciuilis, & amiciciæ regum, non sine negociis & occupationibus parari possunt. tū vini & carniū vsus largior, corpus validum ac robustum facit, animum imbecillum. assidua rei faciundæ cura & conseruatio diuitias auget, contemtus opum ad philosophiam est perquàm vtile viaticum. Hinc equidem constat non omnia esse omnium: sed oportere Pythicæ obtemperantem inscriptioni, Seipsum nosse: deinde vti suo ingenio ad ea, ad quæ natura factus est: neque id ad alius vitæ studium trahendo, huic vim facere.

(Margins: Iliad. ε,429. — Nō omnia possumus omnes.)

Equus est ad currum idoneus.
Ad aratra bos. propter ratem

Delphis

Delphin celerrimè incitatur.
Apro si quis necem struit,
Canem inueniat laboriosum.

Qui autem indignè fert, quòd non simul est

Robore confidens leo, montibus innutritus:

& catellus Melitæus in sinu viduæ mulieris educatus: stupidus est, neque eo melior, qui simul vult & Empedocles, Plato, aut Democritus esse de mundo scribens, & cum vetula diuite dormire, vt Euphorion, aut cũ comesatoribus Alexandri potare, vt Medius. & qui iniquo animo toleret, non simul & ob diuitias, vt Ismeniam, & ob virtutem, vt Epaminondam, se in admiratione haberi. Nam neque cursores animo sunt ægro, quia non auferunt coronas luctatorum: sed suis gaudent atque exultant. Spartam es nactus, hanc orna. sic & Solon,

At nos virtutis non permutabimus horum,
Pulcrãq; virtutis munia diuitiis:
Cùm stet virtutis stabilis possessio semper,
Incertæ varia sorte ferantur opes.

Et Strato physicus audito Menedemũ multis modis plures habere discipulos, Quid mirum est, aiebat, si plures sunt qui lauare, quàm qui vngi volunt? Aristoteles quoque ad Antipatrum scribens, Non solum Alexandrum debere multum sibi tribuere ob imperium in tot homines pronunciat: nihilo minus id licere iis, qui rectè de deo sentiant. Etenim eos qui hoc modo sua extollunt bona, minùs aliorum perturbabãt. Nunc nos, qui a vite ficus, aut ab olea vuas non requirimus, nisi prærogatiuas simul omnes diuitum, doctorum, bellatorum, philosophantium, adulantium, liberè dicentium, parcorum, sumtus facientium habeamus, calumniamur, ingratique adversum nosmetipsos sumus, ac vitam nostram vt inopem mutilámq; spernimus. Præter hæc verò, ab ipsa nos natura admoneri videmus. vt enim brutorum animalium aliis aliunde nutrimentum suggerit, neque omnibus carnem edendi, semina legendi, radices effodiendi facultatem indidit ea: sic homini quoque varias ad vitam tolerandam opportunitates præbuit. opilioni suas; suas aratori, aucupi, & quem mare alit. Quo æquius est nos id genus vitæ, quod nobis est commodum, amplexos, in eo elaborare, reliqua omittere, neque ostendere Hesiodum intra modum substitisse, cum diceret:

Succenset figulo figulus, fabrum faber odit. *Operibus 26.*

non enim eandem modò artem, eandem vitæ rationem exercentes dum æmulantur, sed & doctos opulenti, & opulentos fama clari, & causidici sophistas, atque adeò comœdos in theatris pulcrè stantes, histrionésque & seruos regum aulicos liberi homines ac patricij cum stupore admirantes beatósque dicentes, non mediocrem sibi ipsis dolorem perturbationémque afferunt. Iam quòd hominum vnusquisque penum vel tranquillitatis animi, vel ægritudinis in sese habeat, & dolia bonorum ac malorum non in Iouis limine, sed in animo suo reposita, affectionum diuersitates demonstrant. *Iliad. ω, 527.* Stolidi enim bona etiam præsentia non cernunt, neque curãt: quòd cogitationes suas semper futuris habent intentas. prudentes ea quoque, quæ esse desierunt, memoriæ perspicacitate sibi præsentia faciunt. Quippe stultis id quod præsens est, & exiguissimo temporis puncto se tangendum præbens, deinde sensum effugit, non iam ampliùs ad ipsos pertinere videtur. *Memoria bonorum.* sed quemadmodum apud Manes pingitur quidam funẽ torquens, & id q̃d cõtexuit asino vorandũ permittens: ita multorũ stupida quædã & ingrata obliuio omnẽ actionẽ, omnes res præclarè gestas, omne iucundũ ociũ, omnẽ conuiuiorũ & voluptatũ fruitionẽ abolens, non sinit vitã esse continuam, præsentibus ad præterita adiunctis: sed hesternã ab hodierna, hanc à crastina diuidens, quidquid evenit obterens tanquam non factum redigit. Nã qui in scholis incrementa corporũ negant, ob continuatã substantiæ fluxionẽ: ij verbo faciũt nos subinde alios. qui autem priora nõ complectunt̃ memoria, neq; revocant, sed effluere sinunt, ij re ipsa faciunt se quotidie indigos inanésq;, & à crastino pendentes: tanquam ea quæ superiore anno, dudũ adeóq; heri obtigerunt, planè ad ipsos nihil pertineant, neque omnino ipsis evenerint. quæ res animi tranquillitatem non leuiter impedit. Grauiùs etiam huic officitur, quando homines muscarum in morem in speculis de læui superficie delabentium, ac asperitatibus & fissuris inhærentium, à iucundarum rerum me-

moria defluentes recordationi molestarum implicantur. immò, sicvt Olynthi cantharos ferunt in locũ quendã qui ab exitio eius insecti Cantharolethrum dicitur iniectos, quòd exire inde nequeat, perpetua circumversione enecari: ita ipsi quoq; in malorum commemorationẽ vbi incidere, inde se revocare & recreare nolunt. Oportet autem sicvt in tabula colorum, ita in animo rerũ eas quæ maximẽ nitent ac splendent proponere, iisque tetrica obscurare & opprimere, quandoquidem omnino deleri & amoueri non possunt. Vt enim lyræ aut arcus nerui, ita mundi quoque concentus vicissitudine quadam intẽditur ac remittitur: & in rebus humanis nihil sinceri, nihil puri est. Sed quemadmodum in musica soni sunt & graues & acuti, & in grammatica litteræ cùm vocales, tum mutæ: musicus autem & grammaticus est non qui alterum genus molestè fert atque fugit, sed qui omnia vsurpare & permiscere arte sua potest. ita in rebus quoque humanis cum sint oppositi invicem ordines (quando, vt est apud Euripidem,

Rerũ humanarum varietas.

Seiungier non possunt à bonis mala:
Sed est eorum, vt res habeant satis bene,
Commixtio quædam)

non debemus in altero animum ob dolorem despondere: verùm harmonicos imitari, & melioribus deteriora obscurando, ac mala bonis occupando, concinnum vitæ, nobisque conveniens temperamentum conficere. Non enim verum est quod dixit Menander:

Vnicuiq;, in lucem cùm primò editur,
Genius bonus vitæ magister totius
Adsistit. — sed Empedoclis probanda potiùs est sententia, qui vnumquenque nostrûm, postquam est natus, arripi gubernarique à duplicibus fatis geniisque docet.

Hîc inerant Chthonia, & cernens procul Heliopea,
Et vario Harmonie vultu, Derisq; cruenta,
Turpis Callistóq;, Thoosáq;, Denæéq;,
Nemertes & amœna, nigro fructuq; Asapheia.

quorũ geniorũ nominibus variæ animi perturbationes exprimuntur, quarum omniũ semina cùm ortus noster secũ tulerit, ideoq; vitę magna sit inæqualitas: meliora quidẽ optat, qui sana est mẽte, sed tamẽ altera quoq; exspectat, & vtrisq; vtiť ita, Vt ne quid nimis. Non.n. tantùm qui minimè desiderat crastinã diẽ, sicvt Epicurus aiebat, suauissimè procedit in crastinã diem: sed & diuitiæ, & gloria, potentia, honores eos maximè delectant, qui contraria horũ minimè metuunt. Nam nimia istarũ rerũ appetitio, acerrimum amittendi metũ ingenerans, gratiã carũ fruendarum infirmã reddit atq; instabilem, instar flammæ vento agitatæ. Cui verò ratio hoc parauit, vt ad fortunam intrepidè dicere possit,

Suaue est, si quid das: paruus dolor, hoc vbi tollis:

hunc fiducia & vacuitas metus amissionis, tanquã intolerabilis, docet suauissimè vti rebus præsentibus. Ac licet Anaxagoræ affectũ animi, à quo profectũ est vt de morte filij hanc vocẽ ederet, Sciebã mortalem esse quem genueram, non admirantes modò, sed & imitantes, ad singulos fortunæ casus dicere: noueram diuitias me possidere in diem durantes & instabiles. noueram magistratũ ab iis adimi posse, qui eo me ornauerant. noueram mihi esse probam mulierem, sed tamen mulierem. noueram amicum esse hominem, facilè (vt ait Plato) mutabile animal. Huiusmodi enim præparatio animiq; informatio, si quid eorum quę nollemus quidem, posse tamẽ evenire cogitabamus, accidat non admittentes voces istas, Non putâram, Multa speraui, Hæc non exspectabam, saltum cordis & trepidationem avertunt, ac celeriter furiosam & perturbatam facultatem sedant. Carneades de magnis rebus admonebat omnem dolorem mœrorémq; ab hac vna causa nasci, quòd inexspectatò nobis accidit quippiam. Equidem Macedonum regnum cum Romano comparatum imperio, vix aliquãta huius pars erat. & tamen Perseus amissa Macedonia, cùm ipse suam deplorabat fortunã, tum ab omnibus miserrimus infelicissimúsq; homo iudicabatur. at qui hunc devicerat Aemilius, tradito alteri terræ marisq; imperio coronabať ac sacrificabat, nõ iniuria beatus habitus. norat enim se magistratũ occepisse, quem esset depositurus: Perseus autem

Animi ad res adversas præparatio.

autem suo regno præter exspectationẽ suam erat exutus. Pulchrè etiam Poëta docuit, quid rei sit id, quod inexspectatò contingit. Vlisses enim cane mortuo cùm non continuisset lacrymas, vxori adsidens flenti nihil tale passus est. huc enim venerat, animo ratione iam antè confirmato, & adversus motum munito: in illum autem fletum subita res & inexspectata eum coniecerat. In vniuersum verò quæ nolentibus nobis áccidunt, partim suapte natura molestiam ea afferunt, partim opinio nos adsuefacit vt ægrè feramus. & adversum hæc vtile est in promtu habere isthuc Menandri: Odyss. ρ, 30. Odyss. τ, 210.

Nisi ipse feras præ te, nihil es passus mali.
Quid enim, inquit, ad te pertinet id,
Quo neq; animus, neq; corpus tangitur tuum?

cuius generis sunt ignobilitas patris, adulterium vxoris, coronæ aut primarij in consessu loci priuatio: quibus etiam absentibus nihil obstat quin & animo & corpore optimè valeas. Ad ea autem, quæ natura suapte dolorem videntur excitare, vt sunt morbi, ærumnæ, obitus amicorum & liberorum, accomodari debet Euripideum illud:

Heu mihi. qui heu mihi? more hominum sanè accidit.

Non est enim alia ratio quæ facultatem animi affectionibus obnoxiam labascentem magis revocet & confirmet, quàm quæ communis naturæ & necessitatis memoriam renouat: cui necessitati homo propter corpus expositus, hac tantùm fortunæ ansam præbet, in potissimis maximisq; rebus tutus ac securus. Demetrius cùm Megara cepisset, quæsiuit è Stilpone, Ecquid in ista direptione ipsi periisset? cui Stilpo, Neminem, respondit, vidi, qui meas res ferret. Proinde fortuna vbi reliqua deprædatur omnia, atq; adimit, habemus aliquid in nobismetipsis tale,

Quod ferre aut agere immitis non possit Achiuus. Iliad. ι, 484.

Itaq; consequens est, non ita planè extenuare aut deprimere naturam, ac si nihil ea supra fortunam posset, nihil stabile aut proprium haberet. sed hoc cognitum habere, quod exigua est pars hominis putrida illa & morbosa, quæ fortunam admittit. meliorem in partem esse penes nos dominium, in qua bonorum maxima collocata sunt: bonæ, inquam, opiniones, disciplinæ, rationes in virtutem desinentes, quæ aboleri & corrumpi nequeunt. proinde invicti quod ad futura attinet atque animosi, fortunæ his verbis responsabimus, quæ Socrates visus in Anytum & Melitum dicere, in ipsos torsit iudices: Interficere me Anytus & Melitus possunt, nocere mihi non possunt. Potest enim fortuna me morbo aliquo grauare, opes auferre, in odium populi aut tyranni vocare. malum, timidum, animi abiecti, degenerem, invidum, non potest eum efficere, qui sit bonus, fortis, magnanimus, neque animi habitum auferre eum, cuius ad vitam rectè degendam vsus maior est, perpetuò in promtu siti, quàm gubernatoris adversus mare. Quippe gubernator neque fluctus demitigare potest asperos & violentum ventum, neque in portum subire quoties opus est, neque audacter & intrepidè tempestatem subsistere. sed quamdiu arte sua vtitur, rebus nondum desperatis fugit, Magnum (vt poëtæ verbis vtar) velum demittens, dum malus inferior supra tartareum mare emergat, tremens ipse & titubans. At enim affectio animi prudentis, cùm ipsi corpori plerunque tranquillitatem conciliat, morborum occasiones continentia, victu moderato, ac mediocribus laboribus avertens: tùm si quod extrinsecus mali principium ostenditur, velut cum præter cautes aliquas in mari latẽtes est nauigandum, contractis facilè antennis prætervehitur, vt ait Asclepiades. quod si verò inopinata aliqua & vehementior procella occupet, in propinquo est portus, licetq; enatare è corpore, tanquam scapha aquam admittente. Insipientem enim mortis metus, non vitę desiderium iubet à corpore dependere, id amplexum, quomodo Vlisses caprificum tenuit metu subiectæ Charybdis: Plat. apolog. Mortis contemtus.

Manere vbi ventus, nauigare & vbi vetat, Odyss. μ, 432.

& hoc iniquè ferentem, & illud metuentem. At qui animæ naturam vtcunque didicit, reputátque eam morte vel in meliorem, vel saltem nihilo peiorem statum abire: is vacuitatem metus adversus mortem, non exiguum habet ad tranquillitatem animi in vita viaticum. Nam cui licet virtute ac præstantiore parte sui prævalente suauiter viuere, alienis autem & naturæ adversa quæ sint superantibus intrepidè abire, fato hæc,

moria defluentes recordationi molestarum implicantur. immò, sicvt Olynthi cantharos ferunt in locũ quendã qui ab exitio eius insecti Cantharolethrum dicitur iniectos, quòd exire inde nequeãt, perpetua circumversione enecari: ita ipsi quoq; in malorum commemorationẽ vbi incidére, inde se revocare & recreare nolunt. Oportet autem sicvt in tabula colorum, ita in animo rerũ eas quæ maximè nitent ac splendent proponere, iisque tetrica obscurare & opprimere, quandoquidem omnino deleri & amoueri non possunt. Vt enim lyræ aut arcus nerui, ita mundi quoque concentus vicissitudine quadam intéditur ac remittitur: & in rebus humanis nihil sinceri, nihil puri est. Sed quemadmodum in musica soni sunt & graues & acuti, & in grammatica litteræ cùm vocales, tum mutæ: musicus autem & grammaticus est non qui alterum genus molestè fert atque fugit, sed qui omnia vsurpare & permiscere arte sua potest. ita in rebus quoque humanis cum sint oppositi invicem ordines (quando, vt est apud Euripidem,

Rerũ humanarum varietas.

Seiungier non possunt à bonis mala:
Sed est eorum, vt res habeant satis bene,
Commixtio quædam)

non debemus in altero animum ob dolorem despondere: verùm harmonicos imitari, & melioribus deteriora obscurando, ac mala bonis occupando, concinnum vitæ, nobísque conveniens temperamentum conficere. Non enim verum est quod dixit Menander:

Vnicuiq; in lucem cùm primò editur,
Genius bonus vitæ magister totius
Adsistit. — sed Empedoclis probanda potiùs est sententia, qui vnumquenque nostrûm, postquam est natus, arripi gubernarique à duplicibus fatis geniísque docet.

Hîc inerant Chthonia, & cernens procul Heliopea,
Et vario Harmonie vultu, Derísq; cruenta,
Turpis Callistóq;, Thoosáq;, Denæéq;,
Nemertes & amœna, nigro fructuq; Asapheia.

quorũ geniorũ nominibus variæ animi perturbationes exprimuntur, quarum omniũ semina cùm ortus noster secũ tulerit, ideoq; vitę magna sit inæqualitas: meliora quidẽ optat, qui sana est mẽte, sed tamẽ altera quoq; exspectat, & vtrisq; vtit̃ ita, Vt ne quid nimis. Non.n. tantùm qui minimè desiderat crastinã diẽ, sicvt Epicurus aiebat, suauissimè procedit in crastinã diem: sed & diuitiæ, & gloria, potentia, honores eos maximè delectant, qui contraria horũ minimè metuunt. Nam nimia istarũ rerũ appetitio, acerrimum amittendi metũ ingenerans, gratiã carũ fruendarum infirmã reddit atq; instabilem, instar flammæ vento agitatæ. Cui verò ratio hoc parauit, vt ad fortunam intrepidè dicere possit,

Suaue est, si quid das: paruus dolor, hoc vbi tollis:

hunc fiducia & vacuitas metus amissionis, tanquã intolerabilis, docẽt suauissimè vti rebus præsentibus. Ac licet Anaxagoræ affectũ animi, à quo profectũ est vt de morte filij hanc vocẽ ederet, Sciebã mortalem esse quem genueram, non admirantes modò, sed & imitantes, ad singulos fortunæ casus dicere: noueram diuitias me possidere in diem durantes & instabiles. noueram magistratũ ab iis adimi posse, qui eo me ornauerant. noueram mihi esse probam mulierem, sed tamen mulierem. noueram amicum esse hominem, facilè (vt ait Plato) mutabile animal. Huiusmodi enim præparatio animíq; informatio, si quid eorum quę nollemus quidem, posse tamẽ evenire cogitabamus, áccidat non admittentes voces istas, Non putâram, Multa speraui, Hæc non exspectabam, saltum cordis & trepidationem avertunt, ac celeriter furiosam & perturbatam facultatem sedant. Carneades de magnis rebus admonebat omnem dolorem mœrorémq; ab hac vna causa nasci, quòd inexspectatò nobis áccidit quippiam. Equidem Macedonum regnum cum Romano comparatum imperio, vix aliquãta huius pars erat. & tamen Perseus amissa Macedonia, cùm ipse suam deplorabat fortunã, tum ab omnibus miserrimus infelicissimúsq; homo iudicabatur. at qui hunc devicerat Aemilius, tradito alteri terræ marísq; imperio coronabat̃ ac sacrificabat, nõ iniuria beatus habitus. norat enim se magistratũ occepisse, quem esset depositurus: Perseus autem

Animi ad res adversas præparatio.

autem suo regno præter exspectationẽ suam erat exutus. Pulcrè etiam Poëta docuit, quid rei sit id, quod inexspectatò contingit. Vlisses enim cane mortuo cùm non continuisset lacrymas, vxori adsidens flenti nihil tale passus est. huc enim venerat, animo ratione iam antè confirmato, & adversus motum munito: in illum autem fletum subita res & inexspectata eum coniecerat. In vniuersum verò quæ nolentibus nobis accidunt, partim suapte natura molestiam ea afferunt, partim opinio nos adsuefacit vt ægrè feramus. & adversum hæc vtile est in promtu habere isthuc Menandri:

Odyss. ρ, 30.
Odyss. τ, 210.

Nisi ipse feras præ te, nihil es passus mali.
Quid enim, inquit, ad te pertinet id,
Quo neq; animus, neq; corpus tangitur tuum?

cuius generis sunt ignobilitas patris, adulterium vxoris, coronæ aut primarij in consessu loci priuatio: quibus etiam absentibus nihil obstat quin & animo & corpore optimè valeas. Ad ea autem, quæ natura suapte dolorem videntur excitare, vt sunt morbi, ærumnæ, obitus amicorum & liberorum, accomodari debet Euripideum illud:

Heu mihi. qui heu mihi? more hominum sanè accidit.

Non est enim alia ratio quæ facultatem animi affectionibus obnoxiam labascentem magis revocet & confirmet, quàm quæ communis naturæ & necessitatis memoriam renouat: cui necessitati homo propter corpus expositus, hac tantùm fortunæ ansam præbet, in potissimis maximisq; rebus tutus ac securus. Demetrius cùm Megara cepisset, quæsiuit è Stilpone, Ecquid in ista direptione ipsi periisset? cui Stilpo, Neminem, respondit, vidi, qui meas res ferret. Proinde fortuna vbi reliqua deprædatur omnia, atq; adimit, habemus aliquid in nobismetipsis tale,

Quod ferre aut agere inimicus non possit Achiuus.

Iliad. ι, 484.

Itaq; consequens est, non ita planè extenuare aut deprimere naturam, ac si nihil ea supra fortunam posset, nihil stabile aut proprium haberet. sed hoc cognitum habere, quod exigua est pars hominis putrida illa & morbosa, quæ fortunam admittit. meliorem in partem esse penes nos dominium, in qua bonorum maxima collocata sunt: bonæ, inquam, opiniones, disciplinæ, rationes in virtutem desinentes, quæ aboleri & corrumpi nequeunt. proinde invicti quod ad futura attinet atque animosi, fortunæ his verbis responsabimus, quæ Socrates visus in Anytum & Melitum dicere, in ipsos torsit iudices: Interficere me Anytus & Melitus possunt, nocere mihi non possunt. Potest enim fortuna me morbo aliquo grauare, opes auferre, in odium populi aut tyranni vocare. malum, timidum, animi abiecti, degenerem, invidum, non potest eum efficere, qui sit bonus, fortis, magnanimus, neque animi habitum auferre eum, cuius ad vitam rectè degendam vsus maior est, perpetuò in promtu siti, quàm gubernatoris adversus mare. Quippe gubernator neque fluctus demitigare potest asperos & violentum ventum, neque in portum subire quoties opus est, neque audacter & intrepidè tempestatem subsistere. sed quamdiu arte sua vtitur, rebus nondum desperatis fugit, Magnum (vt poëtæ verbis vtar) velum demittens, dum malus inferior supra tartareum mare emergat, tremens ipse & titubans. At enim affectio animi prudentis, cùm ipsi corpori plerunque tranquillitatem conciliat, morborum occasiones continentia, victu moderato, ac mediocribus laboribus avertens: tùm si quod extrinsecus mali principium ostenditur, velvti cum præter cautes aliquas in mari latẽtes est nauigandum, contractis facilè antennis prætervehitur, vt ait Asclepiades. quod si verò inopinata aliqua & vehementior procella occupet, in propinquo est portus, licetq; enatare è corpore, tanquam scapha aquam admittente. Insipientem enim mortis metus, non vitæ desiderium iubet à corpore dependere, id amplexum, quomodo Vlisses caprificum tenuit metu subiectæ Charybdis:

Plat. apolog.

Mortis contemtus.

Manere vbi ventus, nauigare & vbi vetat,

Odyss. μ, 432.

& hoc iniquè ferentem, & illud metuentem. At qui animæ naturam vtcunque didicit, reputátque eam morte vel in meliorem, vel saltem nihilo peiorem statum abire: is vacuitatem metus adversus mortem, non exiguum habet ad tranquillitatem animi in vita viaticum. Nam cui licet virtute ac præstantiore parte sui prævalente suauiter viuere, alienis autem & naturæ adversa quæ sint superantibus intrepidè abire, fato hæc,

N

Eurip. Bacchis.

Ipse Deus, simul atque volam, me soluet:——

quid excogitari potest quæso, quod huic graue, molestum, aut tumultum adferēs possit accidere? Certè qui dixit, Anteverti te ô fortuna, omnésque tibi ad me aditus obstruxi: non is vectibus, clauibus, aut muris fidens hoc dixit, sed doctrinæ & rationibus. quarum sanè qui volunt, participes fieri possunt. Neque de vllo talium dictorum desperandum aut diffidendum est: sed admiratione horum atque æmulatione, & quasi diuini cuiusdam instinctus societate impulsi periculum de nobis facere in minoribus rebus demum, quomodo simus ad maiora affecti: non fugere aut aversari hanc animi accurationem. Mihi quidem videtur hoc studium non vsque adeò difficile. Etenim animi oblectatio subducens se à rerum adversarum cogitatione, & circa facilima & suauissima identidem versans, fatuitatem quandam & imperitam molliciem ingenerat. qui verò morbi etiam, doloris, exsulij speciem meditatur, ac rationis imperio se ad ista sustinenda componit animus, multa is inveniet falsa, inania, & putrida esse in his, quæ grauia vulgo ac terribilia videntur. id quod de singulis initæ rationes demonstrant. At multi etiam ad hoc Menandreum expauescunt:

Dicere haud viuus potest quisquam, Hoc non obtinget mihi.——

scilicet ignorantes quantùm sit ad vacuitatem doloris bonum, meditari ac posse adversus fortunam apertis oculis respicere, neque in seipso imaginationes concipere delicatas, neque in vmbra educatum imbibere spes multas subinde cedentes, nullique reluctantes adversitati. Menandro quidem sic possumus respondere:

Dicere haud viuus potest quisquam, Hoc non obtinget mihi:

atqui hoc licet dicere, Viuus nunquam in me isthuc admittam, nō mentiar, non agam subdolè, non defraudabo, non insidiabor. Hoc enim in nostra situm est potestate, non paruum, sed ingens ad animi tranquillitatem adiumentum. Contrà male factorum conscientia, velvti vlcus in carne, in animo pœnitentiam relinquit, pungentem subinde atque saucientem. Alios enim dolores ratio tollens, pœnitentiam solam efficit, à sese ob pudorem morsibus crebris vexatam & pœnas dantem. Ac quemadmodum qui rigent, aut epialis febribúsve æstuant, grauiorem sentiunt molestiam, ac deteriùs afficiuntur, quàm quibus eadem extrinsecus ab æstu aut gelu accidunt: ita fortuita leuiores inferunt dolores, tanquam ab externis illatos. at verò hoc,

Conscientia. Pœnitentia.

Horum non alius, mihi sum causa ipse, malorum,

qui suis delictis intùs cum luctu accinit, is dolorem turpitudine aggrauat. Quo fit, vt neque preciosa domus, neque auri copia, neque generis dignitas, neque magistratus amplitudo, neque facundia aut eloquentia tantam vitæ serenitatem tranquillitatémque præstet, quantam animus actionum consiliorúmque prauorum purus, ingeniúmque (vitæ actionum hic est fons) perturbationis expers, intaminatúmque. vnde promanant honestæ actiones, efficacitatémque quasi diuino instinctu exagitatam hilarémque, & cum animi honesta elatione coniunctam habent, memoriámque dulciorem & stabiliorem Pindarica illa spe, quam is alumnam senum dixit. Non enim roris quidem marini frutices (vt Carneades testatur) etiam excisi diu fragrantiam suam servant: in anima autem viri prudentis actiones pulcræ non semper gratam recentémque sui relinquunt memoriam: quibus læticia rigatur, florétque, & contemnit eos qui deplorant vituperántque hanc vitam, velvti quandam malorum regionem, aut locum exsulij animis in hoc mundo designatum. Perquàm mihi placet illud Diogenis dictum, qui hospitem Lacedæmone videns parare se magno studio ad quandam festiuitatem, Quid, aiebat? an non vir probus quenvis diem festum censet? Et quidem, si sobriè viuimus, admodum illustrem. Est enim sanctissimum templum ac diuinissimum hic mundus. in hunc inducitur homo cùm nascitur, non manu factorum & immobilium spectator futurus simulacrorum, sed earum, quas mens diuina sensiles mente sola cernendorum effigies, in se insitam vitę motúsque habentes facultatem fabricata est. Solem inquam, Lunam, sidera, fluuios nouam subinde aquam edentes, terram stirpibus animalibúsque alimēta submittentem. quorum sacrorum initiatio atque institutio perfectissima cùm sit vita, profectò par est eam tranquillitatis animi ac læticiæ esse plenam. Nam vulgus hominum imitari minimè debemus, qui Saturnalia, Liberalia, ac Panathenæa aliásque harum similes præstolantur festiuitates, vt ibi oblectentur, séque emticio risu recreent, persoluta mimis & histrionibus mercede. Quid? Sedemus ibi silentes & compositi (nemo enim lamentatur dum sacris initiatur, neque

Bonorum perpetuæ feriæ.

neq; spectans Pythia luget, aut Saturnalibus potans) quas verò nobis deus ferias suppeditat, & ad quæ nos sacra deducit, fœdant homines vulgò, maiorem vitæ partem in lamentis, mœrore, ac laboriosis solicitudinibus exigentes. Delectantur instrumentis sonitum bellè ac suauiter reddentibus, cantu auicularum itidem, & non sine voluptate spectant bestias ludentes atq; exsultantes: contrà rugitibus earum, fremitibus ac adspectu tetrico offenduntur. Suam verò ipsorum vitam risus expertem, mœstam, iniucundissimísq; affectibus, rebus, & curis nullum exitum habentibus atteri atq; elidi videntes, non ipsi tantùm nullam sibi respirationem aut alleuationem alicvnde quærere negligunt: sed ne sociorum quidem admonentium orationes admittunt. quas nisi repudiarent, & præsentiá citra vituperationem ferre possent vtiq;, & præterita grato animo recolere, & in posterum spe bona ac benigna vsi, absq; metu & sinistra de vitæ suæ conditionibus suspicione viuere.

PLVTARCHI

De Vitioso pudore, commentariolus.



VAEDAM eorum quæ è terra enascuntur, cùm sint ipsa per se syluestria, sterilia, & incremento suo noceant hortensibus seminibus atq; stirpibus, agricolæ tamen pro certo indicio soli non mali, sed egregij atq; pinguis habent. Eodem modo animi etiam quædam sunt affectiones non bonæ, sed quasi germina è bono pullulantia ingenio, & quod culturæ se satis exhibiturum sit tractabile. In his etiam vitiosum censeo pudorem. qui vt signum est non malum, ita causam prauitati præbet. Etenim sæpenumerò in eadem cum impudentibus peccata incidunt verecundi: nisi quòd his sua errata dolorem incutiunt, non, vt illis, voluptatem afferunt. nullo enim ob turpitudinem dolore impudens afficitur: in quem facilè etiam specie tantùm turpitudinis oblata prolabitur is qui ineptè verecundus est. Hoc vitij dysopiam Græci dixerunt, in quo pudoris modus exceditur: quòd vultus quodãmodo cum anima deiiciatur. Sicvt enim Katephean (hoc est mœsticiam) vocant dolorem oculos in terram deiicientem: sic verecundiam, præ qua intueri in alios non audemus, dysopiam dixerunt. Orator quidem impudentem in oculis non koras, (quæ vox & virgines significat, & luminum pupillas) sed meretrices habere pronunciauit. At qui ad nimium propensus est pudorem, animum nimis effeminatum ac delicatum ipso prodit visu, verecundiæ honesto nomine prætexens molliciem suam, qua impudentibus succumbit. Sanè Cato dicebat adolescentes se eos magis probare qui erubescerent quàm qui pallescerent: rectè condocefaciens probrum magis quàm repræhensionem timere, & suspicionem, quàm periculum. Veruntamen & nimius vituperationis metus, ac ad quemvis strepitum trepidatio, coërceri debet: quando sæpe non minore malè audiendi, quàm mala patiendi metu ducti, honestatem prodiderũt nonnulli ob impatientiam infamiæ. Ergo neq; horum negligenda est imbecillitas: & nequaquam laudanda animi pertinax illa & rigida affectio,

Qualis Anaxarchi vis, quò se cunq; canina
Verteret indomita, & pertendens prorsus, & audax.

sed concinna quædam vtrinq; temperanda est ratio, quæ & nimiæ pertinaciæ impudentiam, & modum excedenti lenitati imbecillitatem auferat. quæ quidem correctio difficilis est, neq; periculo vacat huiusmodi excessuum coërcitio. Sicvt enim colonus syluestrem plantam & invtilem exscindens, ligone viribus adacto nihil parcens radicitus etiam proruit, aut igne adhibito cremat: ad vitem autem, malum, vel oleam putandi gratia accedens, cautè manum admouet, metuens ne quid vtile lædat. sic philosophus ex animo adolescentis invidiam tollens, degener germen & intractabile, aut auariciam intempestiuam aut studium voluptatis intemperans, sauciat, premit, vulnus altè adigit, cicatricémque ducit magnam. quando autem delicatæ ac teneræ parti animæ orationem correctricem applicat, qualis est quæ nimio pudore subvertitur, sum-

mo studio cauet, ne imprudens simul cum vitio verecundiam eiiciat. nam nutrices etiam puerorum sordes dum detergunt, interdum carnem sauciant atque adfligunt. Itaque oportet adolescentibus non ita penitus vitiosum pudorem eximere, vt securi fiant nimísque inverecundi. Sed sicvt qui domos demoliuntur templis vicinas, ij saltem continuas his partes sinunt atque suffulciũt: sic nimius pudor subruendus est, vt tamen caueamus ne simul cum eo confinia verecundiæ, æquanimitatis, & mansuetudinis eiiciantur: quibus rebus se insinuat ille in animum ad hoc vitij propensum, eúmque occupat, dum sibi is humanus, ciuilis, communi sensu præditus, non durus aut obstinatus videtur. Itaque iam inde à principio Stoici ipsis verbis pudorem à verecundia distinxerunt, ne ambiguitas vocabuli occasionem vitij habens relinqueretur. Ij tamen nobis hoc relinquant, vt vocabulis citra calumniam vtamur, atq; adeo Homeri imitatione. Is enim dicit,

Iliad.ω,45.

Sæpe verecundis sua fert affectio damnum
Grande, verecundis sua sæpe affectio prodest.

& non malè priore loco eam dixit nocere. vtilis enim ratione demum fit verecundia, quæ sublato excessu mediocritatem relinquit. Primo omnium persuasum esse debet ei, quem nimius pudor vrget, affectu se damnoso teneri. nihil autem eorum quæ damnosa sunt, pulcrum est. neque debet laudibus delinitus gaudere, vbi comis & hilaris loco grauis, magnanimi, & iusti dicitur: neque sicvt Euripideus Pegasus,

Pauens, magis quàm vellet ille, subdidit

se Bellerophonti, ita ipse iis qui volunt se dedere ac submittere, metuentem ne durus & immitis audiat. Aegyptio Bocchoridi, homini ingenio intractabili, ferunt ab Iside aspidem missam, quæ superne capiti circumvoluta obvmbraret, vt iudicaret iustè. At pudor vitiosus languidis & mollibus incumbens, & nihil renuere, nihil dicendo refellere sinens, cùm disceptatores à iustè dicenda sententia abigit, tum consulentium ora occludit: multáque cogit præter animi sententiam dicere atque facere. & quanto quisque est animo iniquiore, tanto is crebriùs in talem hominem imperium obtinet, impudentia sua eum ad pudorem cogens. Vnde fit, vt dysopia tanquam locus humilis & mollis, quia nullum congressum aversari, aut detrectare potest, turpissimis quibusque rebus & vitiis occupandam se præbeat. Pessima sanè custos ea puerilis ætatis: sicvt & Brutus dicebat malè sibi videri eum florem ætatis collocasse, qui nihil negare auderet. eadem pessima thalami est & gynæcei administra: sicvt apud Sophoclem adultero quædam corrupta ab eo dicit,

Tu blandiendo persuasisti mihi. ——

hoc adeò vitium intemperans ingenium corrumpere occupans, insidiantibus omnia expugnatu facilia, reclusa, atque prona reddit. dando eas capiunt, quæ impurissima sunt indole, persuadendo & pudorem ineptum iniiciendo sæpe etiam probas subigunt. Mitto quæ damna is pudor adfert. quando eo ducti mutuum damus quorum suspecta est fides: spondemus inviti, ac laudantes illud, Sponde, præsto noxa est, vti eo in rebus nequimus. Quàm multis exitio fuerit hoc vitium, non est enumeratu facile. Etenim Creo hæc ad Medeam dicens,

Euripid. Med.

Præstat iam nunc inuisum me fieri tibi,
Ob molliciem quàm postmodo gemere meam,

aliis præclaram subiecit sententiam: ipse vitioso victus pudore, vnicam diem petenti dum assentitur, familiam suam perdidit. Nonnullos etiam cædem sibi aut venenum parari suspicantes, pudor ineptus à tuenda salute deterruit. Sic periit Dio, non ignorans sibi abs Callippo strui insidias, sed ab amico & hospite sibi cauere pudori ducens. Sic Antipater Casandri F. cùm cœna excepisset Demetrium, vocatus postridie ab eo, q; puderet fidem nõ habere sibi habitã, iuit & à cœna est interfectus. Herculẽ Alexandri Magni è Barsina F. Casandro Polysperchon promisit acceptis C talentis se interfecturũ, atq; ad cœnã inuitauit. adolescẽs, cui suspecta res metũ iniiciebat, minùs integra se valetudine prescripta excusauit. vt aũt Polysperchon venit, & ô adolescẽtule, dixit, primò omniũ facilitatẽ patris, atq; erga amicos comitatẽ imitare, nisi me hercle nos vt insidiatores times: ductus pudore vnà ad cœnã iuit, éstq; ab accũbentib. strangulatus.

Non

Non ergo ridiculum est, vt nonnulli esse dixerunt, neque stolidum, sed sapiens Hesiodi præceptum,

Qui te amat, hic conuiua inimico sit tibi omisso. Operibus 340.

noli eius qui te odit pudore moueri, neque ideò, quòd tibi is videtur fidem habere, cauere ab eo desine. nam vocaberis si vocaueris, & cœna præbenti præbebitur, incredulitatem tanquam aciem cautionis pudore emollitam vbi dimiseris. Enimverò hoc vitium, vtpote multorum causam malorum, primùm conabimur amoliri ab adsuefactione petito, ad res (vt solemus in aliis quæ meditamur) exiguas initiò, & non admodum difficultet in quibus huic malo resistatur. Verbi gratia, In cœna tibi saturo aliquis præbibit: noli verecundia inepta ductus vim tibi facere, sed depone poculum. Alius inter pocula poscit vt tesseris secum ludas: abiice inanem pudorem, neque metue dicteria: & Xenophanem imitare, qui timidus dictus à Laso Hermionense quòd ludere cũ eo tesseris nollet, fassus est ad res inhonestas se timidissimũ etiam esse. Incidisti in garrulum qui tibi inhæret ac te detinet: noli vereri, sed præciso colloquio propera & age quod cepisti. Huiusmodi fugæ & repulsiones, quibus vili repræhensione comitante fatui pudoris vacuitatem meditamur, ad maiora nos præparant. Atque hoc loco tempestiuum est Demosthenicum illud commemorare. is cùm Athenienses ad ferendam Harpalo opem se, & adversus Alexandrum arma capessenda incitarent, ac subitò adveniente Philoxeno copiarum Alexandri maritimarum præfecto populus perterritus metu conticuisset: Quid, inquit, facient Sole conspecto, qui adversus lucernam oculos attollere non audent? Quid enim facies in magnis rebus, rege aut populo pudorem tibi incutiente, si non audes poculum præbibente familiari repudiare, aut garruli præhensionem effugere? Sed nugatorem tibi insultare pateris, non tantum animi habens, vt dicas, Aliàs te videbo, nunc non vacat? Vtilis est etiam in paruis & vilibus rebus exercitatio vacuitatis pudoris inepti, quod ad laudandum attinet. Puta, In conviuio citharœdus amici male canit, aut magno emtus histrio Menandrum agendo flagellat, plerisque laudantibus & applaudentibus: non est equidem ita arduum, audire cum silentio, neque illiberaliter contra animi sententiam laudare. nam in hoc genus re si compos tui non sis, quid facies amico poëma ineptum recitante, aut orationem ostendente ridiculè fatuéque scriptam? scilicet laudabis, & adulatorum obturbantium cateruæ te socium addes. quomodo ergo in rebus eum gerendis peccantem inhibebis? quomodo in magistratu, coniugio, aut republica delinquentem castigabis? Ego enim ne Periclem quidem probo, qui amico postulanti vt falsum pro ipso testimonium, idque iuratus, diceret, respondit, Se vsque ad aras amicum esse. nimis enim propè accesserat. At qui eminus se adsuefecit, vt neque dicentem laudet diuersum sentiens, neque canenti applaudat, neque scurrilibus dictis arrideat: is rem eovsque deduci non patietur, vt ipsi istis in rebus inepti pudoris vacuo dicat aliquis, Iura pro me, falsum perhibe testimonium, pronuncia iniustè. Eodem modo adsuescere debemus, vt pecuniam petentibus reluctemur in rebus neque magnis neque recusatu difficilibus. Etenim Archelaus Macedonum rex in cœna aureum poculum poscente quodam, cui nihil pulcrum videbatur nisi accipere, puerum id Euripidi dare iussit: & in alterum illum intuens, Tu quidem, inquit, ad petendum idoneus es, non ad accipiendum: ille autem ad accipiendum, etiam non petens. rectissimè dandi ac donandi arbitrium iudicio, non inepto pudori deferens. At verò nos sæpenumerò hominibus probis, familiaribus, & indigentibus præteritis, aliis continenter ac proteruè petentibus damus: non studio dandi, sed quia negare non possumus. Ita Antigonus senex à Biante crebrò interpellatus, Date, dixit, Bianti & necessitati talentum. quanquam is quidem aliàs ita vt quisquam regum in huiusmodi petitoribus repellendis accuratus fuit atque argutus. cynico enim cuidam drachmam postulanti, Non est, ait, hoc donum regium. & subiiciente illo, Da ergo talentum, respondit, Hoc accipere non est cynicum. Sanè Diogenes in Ceramico statuas circumibat, ab iisque stipem exigebat, mirantibúsque hoc dicebat, Meditari se repulsas. Nobis autem primùm in vilibus adsuescendum est & paruis rebus, vt denegare possimus quæ petuntur inconvenienter: vt maioribus in rebus nobis non desit copia opitulandi iis, quibus recusatio adhiberi nõ debet. Rectè enim Demosthenes, Nemo, inquit, præsentibus in quæ non debuit insumtis, absentium copiam ad vsus necessarios consequetur. multiplicatur autem nobis turpitudo, si abvndãtes in ociosis rebus,

inopes simus in pulcris. Enimverò vitiosus pudor non in pecunia modò dispensanda prauos nos & iniquos, sed etiam in maioribus rebus facit vt respuamus quod recta ratio vtiliter suggerebat. quippe ægrotantes, nõ peritum accersimus medicum, pudore nobis familiaris moti: & liberis magistros loco bonorum præficimus eos qui nobis operam suam obtrudunt: & litis nostræ patrocinium non vtili & in foro versato committimus alicui, sed gratificandi studio amici alicuius aut cognati filio eam ostentãdi sui materiã offerimus: deniq; invenias, qui philosophantium nomen gerentes, Epicurei aut Stoici fiunt nõ iudicio aliquo, sed ob pudorẽ ineptum vrgentibus familiaribus & amicis se addentes. Quæ cùm sint, age dum in vilibus ac quotidianis rebus eminùs nos cõdocefaciamus, vt neq; tonsore neq; pictore pudore inepto impulsi vtamur, neque in diversorio incõmodo divertamus, omisso cõmodiore quod ad manum est, quia caupo nos sæpe salutauerit: sed adsuescendi gratia vtamur eo q̃d melius est, etiamsi leue sit discrimen. quomodo Pythagorei obseruabant, ne vnq̃ dextro femori sinistrum imponerent, néve parem numerum pro impari acciperent, cùm reliqua æqualiter haberent. Adsuescendum est etiam, vt ad sacrificium, nuptias aut conviuium inuitemus non eum potiùs qui nos salutauit aut accurrit, quàm benevolum & vtilem. Qui enim sic fuerit exercitatus, is in maioribus non modò non capiet̃, sed ne tentabit̃ q̃dem à vitio. Atq; hæc de exercitatione dicta sufficiant. De ratiocinationibus aũt vtilibus prima hæc est, qua docemur & admonemur: Cùm omnibus aliis affectibus ac morbis animi ea comitari ipsa mala, quę illorum opera evitare volueramus: vt ambitioni infamiã, cupiditati voluptatum dolores, mollicieì labores, cõtentendi studio damnationes & partes inferiores: tum verò inepto pudori hoc planè vsuvenire, vt qui eum secuti fumũ fugiunt, in ignem incidant. dum enim verent̃ cõtradicere iniquè vrgentibus, postmodò pudore turpi afficiuntur in iustas illapsi accusationes, & ob metum exiguæ repræhensionis, plerunq; apertum dedecus sustinent. Etenim amico pecuniam flagitãti, denegare ob ineptum pudorem non ausi, carentes ea ipsi, paulo pòst turpiter stant re patefacta. eodémque modo polliciti se patrocinaturos alicui in iudicio, pudore alterius partis ducti vadimonium deserunt. Multos etiam pudor vitiosus in stipulationem nuptiarum filiæ sororísve invtilem coniectos, mentiri mutata sententia coëgit. Dixit q̃dam, non seriò tamen, sed iocans, omnes Asiæ incolas vni seruire homini, ideò quòd vnicam syllabam NON pronunciare nequirent. at qui improbè vrgentur ad peccandum pudoris metu, ij etiam si nihil dicant, saltem sublato supercilio, oculísve in terram defixis, multa possunt adversa ipsis & absurda evitare ministeria. Etenim silentium Euripides sapientibus esse dixit responsum. videmur autem magis eo adversus iniquos opus habere. Nam verbis quidem possumus placare vrbanos homines. ad quam rem in promtu sunt habenda multa illustrium ac bonorum virorum dicta. quale est Phocionis ad Antipatrum, Non potes me simul & amicum habere & adultorem. & Atheniensibus quadam in festiuitate iubentibus eum stipem conferre ac plaudentibus, Pudeat verò me, inquit, si vobis contribuam, huic non retribuam, Callicle creditore suo monstrato. paupertatem enim nõ fateri turpe est, vt ait Thucydides, sed turpius re ipsa non effugere. At qui ob fatuitatem & molliciem passus sibi incuti pudorem, petenti dicere metuens,

Quæ ineptum pudorem comitentur mala.

> *Non est in antris argentum, hospes, candidum,*

ac quasi pignus deinde promissionem emittit:

> *Non ære fabricatis hunc pudor illigat*
> *Compedibus.——*

Persæus cuidam sociorum argentum mutuò dans, in foro & apud mensarium contractum confecit, scilicet memor Hesiodei præcepti:

Operibus 368.

> *Quin etiam fratri testem ridens adhibeto.*

cúmque alter admiraretur, ac diceret, Adeóne Persæ omnia secundum ius? Omnino, respondit, vt amicè recipiam, neque iure experiar in repetendo. Multi enim initiò ob pudorem vitiosum omissa cautione, deinde lege agere suscepta inimicicia opus habuerunt. Rursum Plato Heliconi Cyziceno epistolam ad Dionysium tradens, à probitate hominem & moderatione animi laudauit: sed epistolam his verbis clausit: Hęc ad te scribo de homine, q̃d animal natura est mutabile. Xenocratem verò, quanvis austeris hominẽ moribus, pudor tamẽ ineptus flexit, vt Polysperchõti cõmẽdaret

daret

daret hominem, vt res docuit, non probum. comiter enim exceptus à Macedone, & interrogatus ecqua re opus haberet, talentum petiit. dedit hoc Polysperchō: sed Xenocratem monuit per litteras, vt accuratiùs posthac examinaret quos commendare vellet. Atq; hoc quidem Xenocrati ignoratione vsu venit. Nos autem sæpe cùm optimè nouimus malos, litteras tamen & pecuniam largimur, nobísq; ipsis nocemus. neq; id cū voluptate aliqua, vt qui scortis adulatoribúsve donant: sed indignè interim molestéq; ferentes impudentiam hominum, nostram rationē quæ vi facta subvertat. Quòd si aliàs, maximè ad eos qui nobis pudorem incutere volunt, dicere licet:

Intelligo bene quid facturus sim mali,

falsum dicturus testimonium, iniustè iudicaturus, invtilē legem probaturus, alienum æs contrahēs eius causa qui non reddet. Neque verò vllus est animi morbus, vbi pœnitentia non iam consequat, sed statim in ipsa actione præstò sit: vt fit cùm inepto pudori indulgemus. nam dantes molestiam percipimus, & testimoniū ferentes pudore suffundimur, & adiuuamus cum infamia, & promissa non implentes convincimur. Quod enim ad contradicendum sumus imbecilli, fit vt multa recipiamus iis quibus cum viuimus, quæ præstare non possumus, vt cōmendationes in aulam, & ad principes: quia scilicet nolumus & non audemus etiā dicere, Non nouit nos rex, alios magis respicit. Lysander quidem, cùm à se animum Agesilai abalienasset, & ob gloriam tamen putaretur apud eum plurimum posse, non veritus est commendationē à se petentes ad illum reiicere, iubens ad alios ire, ac per eos rem tentare, qui largiùs ipso apud regem possent. Non enim turpe est non omnia posse: sed quod non possis, & ad quod factus non sis, id in te recipere & vi velle consequi, præter quàm quòd turpe, etiam molestissimum est. Rursum ab alio principio ordiamur. Oportet mediocria & convenientia officia petentibus præstare alacriter, non victos incusso ab iis pudore, sed vltrò concedētes. in damnosis autem & absurdis semper Zenonis illud habere in promtu, qui cùm obviam esset factus adolescenti cuidā familiari suo iuxta murum sensim ambulanti, & audiret eum fuga se subducere amico postulanti vt falsum pro ipso diceret testimoniū: Quid ais, inquit, stulte. iste improbè iniustéq; agens te non fugit, neq; veretur: tu eum in iusta re subsistere non audes? Qui enim dixit nequiciā adversus hominem nequā non esse malam armaturam, is malè adsuefacere voluit nos vt imitando vlcisceremur maliciam. At impudenter nobis molestos, & ad vitiosum vrgentes pudorē, vacuitate pudoris amoliri, neq; ob verecundiā hominibus perfrictæ frontis gratificari, opus est iustum ac rectū, & quidem hominis cordati. Iam obscuris, abiectis, & nullius precij hominibus, cum ij nos improbè incessunt, resistere nō est magni laboris: sed quidam cum risu & sanna tales reiiciunt. vt Theocritus: qui cùm in balneo duo strigilem ab ipso vtendam peterent, alter peregrinus, alter notus furtorum, iocosè vtrunq; remouit, dicens, Te non noui, te verò noui. Et Lysimache Athenis Mineruæ Poliadis antistita, cùm agasones sacra adportantes infundere iuberent: Vereor, inquit, ne hoc quoq; in consuetudinem trahatur. Et Antigonus adolescenti cuidam egregij centurionis filio timido atq; molli, cùm is ornari & produci ad honores postularet: Apud me, inquit, ô adolescens, propriæ, non patriæ virtutis sunt præmia. Verùm vbi is qui instat nobis, in honore est, & cum potentia (quod genus hominum difficilimè possunt averti & excusationibus flecti, cùm in iudiciis aut comitiis sententias nostras expetunt) fortassis neq; facile, neq; necessarium facto videatur id, quod egit Cato iuuenis etiamnum adversus Catulum. Is Catulus inter Romanos dignitate princeps, quo tempore censuram gerebat, ad Catonem accessit, tunc quæstorem, deprecaturus pro quodam, cui Cato multam dixerat. cúmque vrgeret precando, tandem impatientia impulsus Cato: Turpe est, inquit, Catule te censorem hinc discedere nolentem à lictoribus trahi. ita Catulus pudore perfusus, iratus abiit. Moderationis & æquitatis plus habent dicta Agesilai & Themistoclis. Agesilaus in quodam iudicio iussus à patre sententiam à legibus alienam ferre: à te, inquit, mi pater iam inde ab initio edoctus sum legibus parere. itaque etiam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando. Themistocles Simonidi postulanti rem iniustam, Neque tu, inquit, poëta esses bonus, si contra carminis legem caneres: neque ego bonus magistratus, si iudicarem secus quàm est iustum. Et verò non ob pedis ad lyram inconcinnitatem, vt Plato dicebat, vrbes vrbibus, amici amicis infesti redditi extrema inferunt accipiúntque damna; sed ob iuris & legum violationem. & tamen

sunt qui cùm accuratam in cantilenis, litteris, versibúsque seruent rationem, alios volunt in magistratu, iudiciis, actionibúsque id quod rectum est negligere. quibus maximè hoc modo occurrendum est. Flagitat aliquid à te ius dicente orator, aut consulente in publicum? dic te morem ei gesturum, si in exordio solœcismum, aut in narratione barbarismum admittere velit. nolet enim, ob turpitudinis speciem: cùm videamus quosdam etiam vocalem cum vocali concurrentem in dicendo non ferre. Rursum aliquem illustrium virorum improbi aliquid abs te contendentem, iube saltando per forum exire, aut perverso vultu. si neget hoc, iam tuum est quærere, Vtrum sit turpius solœcismum facere, & vultum pervertere, an legem violare, periurij se obligare, iniustè malo quàm bono plus tribuere? Nicostratus Argiuus, Archidamum petentem vt Cromnum sibi traderet, ac promittentem eo nomine magnam vim pecuniæ, & Lacænæ mulieris quamcumq; vellet matrimonium, negauit ab Hercule genus ducere. nam Herculem circumiuisse terras, vt malos interficeret: Archidamum conari de bonis malos facere. Ita nos quoq; homini, qui vir bonus atq; præclarus haberi velit, postulanti aliquid improbius & vim facienti dicemus, Indigna eum sua nobilitate & virtute agere. In vitiosis autem hoc considerabis, an auarus tua importunitate possit eò adigi, vt talentum det mutuum absq; syngrapha, aut ambitiosus, vt primo loco cedat, aut magistratus gerendi cupidus, vt petitionem dignitatis omittat spe proposita potiundi. Indignum quippe fuerit revera, cùm videamus hos in vitiosis istis affectionibus rigidos, invictos, immutabiléśq; pertendere: nos, qui profitemur honesti & iusticiæ studium, nõ esse nostrûm ipsorum compotes, sed subverti & prodere virtutem. Etenim si qui poscendo pudorem nobis volunt incutere, id faciunt gloriæ ac potentiæ parãdæ gratia: absurdum est nos ornandis augendísq; aliis, nobis ipsis dedecus & infamiam conficere. sicvt qui in certaminibus præmia iniustè tribuunt, & in designãdis magistratibus suffragia ad gratiam ferũt: ij dum aliis perperam honores, coronas, & gloriam conciliant, se ipsos bona opinione & honestate spoliant. Sin id pecuniæ causa faciunt, quî non videatur flagitium, nostram nos gloriam & virtutem prodigere, vt crumena alterius fiat onustior? Atqui hæc plerisq; ad animum accidunt, neque fallit ipsos peccare se. sicvt qui magna pocula ebibere coguntur, ægrè & gementes vultúmq; distorquentes perficiunt mandatum. Sed imbecillitas ista animi similis est temperamento corporis quod neq; calorem possit ferre, neq; frigus. Nam & laudati ab iis, qui petendo pudorem denegandi incutere volunt, protinus franguntur atque emolliuntur: & ad omnem repræhẽsionis strepitum, omnémque suspicionem repulsam petentium tremunt atq; expauescunt. Oportet autem animo adversus vtrunq; obfirmato, neque terrentibus neque adulantibus cedere. Equidem Thucydides docet, quandoquidem necessariò potentiam sequatur invidia, rectè eum sibi consulere, qui ob maximas res invidiam subeat. Nos autem invidiam haud difficulter vitari putantes, in repræhensiones autem vt non incidamus eorum, quibus cum viuimus, vtq; nunquam eos offendamus, fieri non posse videntes: ita bene rem instituemus, si iniquorũ potiùs odia in nos suscipiamus, quàm accusationes iustas, vbi illis iniustè operam nauauerimus. Enimverò à laudibus, quas importuni isti in nos conferunt, prorsum adulterinas, cauendum est summo studio, ne porcorum in morem pruritu & titillatione deliniti patiamur nos tractari ex istorum animi sententia, deiicique vltrò inclinantes. Nihil enim differunt ab his qui crura prosternere volẽtibus porrigunt, qui aures adulatoribus præbent. nisi quòd turpiùs subvertuntur atq; cadunt, vel inimicicias ac malorum supplicia hominum dimittentes, vt misericordes, humaniq; videantur: vel contra inimicicias & accusationes non necessarias non sine periculo in se recipientes suasu laudantium, ac solos eos viros, solos adulationis vacuos, adeòque solos qui vocem & ora habeant appellantium. Tales Bio similes esse dicebat amphorarum, quæ auribus apprehensæ facilè circumferuntur. Quo modo Alexinum ferũt sophistam inter deambulandum multa mala dixisse de Stilpone Megarensi: cúmque eorum qui aderãt quidam diceret, Atqui Stilpo te nuper laudauit: intulisse, Optimus namque vir est & generosissimus. Contrà Menedemus, audito se ab Alexino sæpe laudari, Ego autem, inquit, semper vitupero Alexinum. malus proinde homo est, vel qui malum laudat, vel quem bonus vituperat. Adeò is talibus rebus se mutari aut capi non sinebat: tenens nimirum Antisthenei illius Herculis præceptum, qui pueros iubebat nemini ipsos laudanti gratiam habere. quod nihil aliud erat, quàm ne inepta vere-

Laudes suspectæ.

verecundia capti, laudãtibus vicissim adularentur. Ac sufficit, puto, illud Pindari, qui diceñti, Ego te vbiq; & apud omnes laudo, Respondit: & ego tibi gratiam refero: facio enim vt verax sis. Quod itaq; adversus omnes animi prauas affectiones vtile est, eo maximè indigent, qui facilè sibi vitiosum pudorem incuti patiuntur. vt quando victi eo vitio præter animi propositum peccauerunt atq; subversi sunt, arctè memoria complectantur, eiq; penitus infigant signa morsus atq; pœnitẽtiæ, ac plurimum temporis iis recordandis & obseruandis tribuant. Sicvt enim viatores vbi in saxum impegerunt, & nautæ apud promontorium aliquod nauim sicvbi alliserunt, memores sui casus non ista modò ad quæ offenderunt, sed & similia horum perpetuò horrent atq; vitant: ita qui vitiosi pudoris turpitudinem & damna continenter pœnitentiæ morsum sentiente animo revoluunt, in simili re cohibebunt se ipsos, neq; facilè rursus in peccatum prolabentur.

PLVTARCHI
De fraterno amore, libellus.

VETVSTA Castorum simulacra Spartani Dokana, quasi trabalia, appellant. sunt autem duo ligna æqualiter invicẽ distantia, duobus aliis transversis coniuncta. ac videt̃ communitas indiuidua eius sigilli admodũ convenire fraterno deorũ istorum inter se amori. Horum ego imitatione vobis, Nigrine & Quinte, scriptũ hoc dedico, dignũ vobis donum. nam ad quæ libellus cohortatur, ea vos iam agentes, testimonio potiùs ornari, quàm officij admoneri videbimini. gaudiúmq; è rectis perceptum actionibus iudicio permansionem faciet stabiliorem, cùm probare vos facta vestra bonis & honesti studiosis spectatoribus cernatis.

Aristarchus Theodectæ pater in sophistarum multitudinem illudẽs, olim ægrè septem sophistas inventos dicebat, nunc autem vix totidẽ reperiri, qui se non profiteantur litteratos. Ego autem nostra ætate non minùs raram fratrũ amiciciam video esse, quàm fuerunt quondam odia fratrum. quorum exempla ob absurditatem tragœdiis ac theatris sunt publicata. omnes adeò homines hodie si in fratres incidãt probos, haud aliter eos admirantur, atq; Molionidas illos, quorum corpora in vnũ coaluisse existimatum fuit. vsúmq; communẽ opum, amicorum, & seruorum à parentibus acceptorum, non minùs incredibilẽ & monstrosum putant, quàm si vna anima duorũ corporum manus, pedes, oculósq; regeret. Atqui exemplũ vsus fraterni natura non longè à conspectu remouit: sed in ipso corpore pleraq; necessaria fecit duplicia, germana, & gemella, manus, pedes, oculos, aures, nares. eo significans, omnia hæc salutis & mutui auxilij, non dissidij causa & pugnæ sic esse diuisa. ipsásq; manus in multos atq; inæquales scissas digitos omnium instrumentorum accuratissimè & artificiosissimè parauit. adeò vt Anaxagoras ille priscus humanæ sapientiæ causam manibus imputauerit. falsò quidem hoc. Non enim propter manus homo est sapientissimus: sed quia natura cum ratione & arte prędiderat, instrumenta quoque talia est nactus. Id verò omnibus est manifestum, naturam ex vno semine ac principio duos, tres, aut etiam plures fratres gignere, non discordiæ ac repugnantiæ causa, sed vt separati faciliùs sese mutuò adiuuarent. Quippe tricorpores illi & centimani, si quidẽ exstiterunt omnibus inter se mẽbris concreti, nihil foris aut seorsim agere potuerunt. cùm fratres & manere, & peregrinari, & simul remp. gerere, atq; agros colere mutuis operis possint: siquidem principiũ benevolentiæ ac concordiæ à natura inditũ conseruent. quod si nõ faciunt, nihil differũt à pedibus invicẽ se supplantantibus, opinor, aut digitis contra naturam mutuò se implicãtibus ac distorquentibus. Immò sicvt in vno eodémq; corpore vnius cõmunicatione naturæ atq; alimẽti humida & sicca, frigida & calida, cõcentu consensúq; suo temperiẽ corpori optimã suauissimámq; conciliant, sine qua neq; diuitiæ (vt dicitur) neq; regnum quod homines diis æquat, vllam habent gratiam aut vtilitatem: si autem inter ista oboriatur seditio, altero alterum opprimente, fœdissimè animal corrumpitur atq; perditur. Sic ob fratrum cõcordiam, & genus floret, & viget familia,

Fraternũ amorem naturæ cõvenire.

molionid.

& amici familiarésque instar chori scitè instituti, nihil neque dicunt, neque sentiunt aut faciunt.

At per dissidium vel pessimus est in honore,

scilicet obrepente aut calumniatore seruo, aut adulatore extrinseco, aut ciue invido. Sicvt enim morbi corporibus suum aversantibus alimentum multorum absurdorum ac damnosorum ingenerant appetitionem: sic sinistræ de cognatis suspiciones, consuetudinem malorum hominum adsciscunt, extrinsecus in locum eius quod deest affluētem. Sanè Arcadicus ille apud Herodotum vates, suo pede spoliatus necesse habuit ligneum assumere. frater autem ob dissidium cum fratre alienum è foro aut palæstra sibi socium accersens, nihil videtur agere aliud, quàm carneam & secum natā partem corporis vltrò amputans alienam apponere sibi. Ipse enim vsus amiciciam consuetudinémque admittens ac desiderans, docet cognatos esse honorandos, colendos, atque conseruandos. cùm neque possimus, neque natura nos nostra sinat viuere sine amicis, atque commerciis solitarios. Itaque rectè ille apud Menandrum:

Non pocula & quotidianus luxus, pater,
Nostras parant queis res possimus credere.
Ingens profectò se inuenisse putat bonum,
Adeptus vmbram amici nostrûm quisquis est.

Re vera enim pleræque amiciciæ nihil aliud sunt quàm vmbræ & imagines illius primæ, quam natura liberis erga parentes, fratribúsque adversum fratres ingenuit. quam qui non veneratur & colit, an is fidem facit vllam se aliis esse benevolum? aut qualis tibi videtur, qui socio in salutatione ac litteris nomen fratris tribuens, ne eadem quidem via cum fratre sibi ambulandum putat? vt enim furiosum est, simulacrum ornare fratris, corpus eius pulsare & mutilare: sic nomen fratris in aliis venerari & colere, ipsum fratrem odisse & fugere, parum sani est, ac eius qui nondum in animum induxerit naturam sanctissimum esse ac maximum sacrum. Memini me cùm Romæ essem, arbitrium inter duos fratres suscepisse, quorum alter videbatur sapientiæ studio operam nauare. erat autem, vt res docuit, non fratris modò, sed etiam philosophi falso titulo ornatus. me enim petente, vt cum fratre & indocto ita ageret, sicvt philosophum deceret: hæc, aiebat, tu verè ad rudem litterarum hominem diceres: ego autē nihil puto præclari esse in eo, quòd eodem ex vtero nati sumus. Tu verò, dicebam ego, satis ostendis, ne id quidem magni abs te fieri, quòd ex genitalibus natus es. At verò reliqui omnes, etiam si secus sentiant, tamen hoc dicunt atque canunt, primum secundum deos honorem ac præcipuum parentibus naturam, & legem naturæ destinasse: neque diis quicquam gratius homines facere, quàm si parentibus alumnísque suis veteres super nouis feneratas gratias benignè & alacriter persoluant. neque contrà maius est argumentum impietatis, quàm parentū despicatus & in eos iniuriæ. Itaque interdictum est nobis, ne aliis malè faciamus: matri autem & patri non ita se dare, vt semper ea dicas atque agas quibus lætentur, etiam si molestiam præterea nullam afferas, impium iniustúmque habetur. Quæ autem liberorum actio, quod officiū, quæ affectio maiorem parentibus afferat læticiam, quàm constans fratrum inter se benevolentia atque amor? Quid? nonne id facilè è contrario potest perspici? vbi enim vernam pater & mater à se in honore habitum filiis ignominia afficientibus, aut plantas & agros quibus ipsi gaudebant aliquando negligentibus molestiam capiunt, domíque natus canis aliquis aut equus non curatus sæuum humanorum atque liberalium animos tangit, & ægre ferunt à liberis cantus, spectacula, aut athletas quos probauerant ipsi, despici aut exsibilari: æquóne iidem ferre animo possint filios inter se discordias alere, odia gerere, maledictis mutuis incessere, in omnibus rebus & actionibus invicem se opponere, denique vnum ab altero everti? non, puto, quisquam hoc dixerit. Ergo contrà amantes ac diligentes mutuò fratres, & quantum natura corporibus deiunxit eos, tantum animi affectionibus & actionibus in vnum coëuntes, & studia, orationes, denique seria & ioca omnia inter se communia habentes, suauem & beatum senectutis parentum alumnum mutuum amorem parant. Nemo vnquam pater ita dicendi, honorum, pecuniæ studiosus fuit, vt liberorum. itaque neque dicentes, neque magistratum gerentes, neque rem augentes filios tam suauiter vident, quàm mutuò amātes. Apollonidem Cyzicenam, Eumenis regis matrem ac trium prȩterea filiorum Attali, Philetæri, & Atheneȩi, præ-

Pietas in parentes.

prædicasse subinde se beatam, diisq; egisse aiunt gratias, non propter diuitias vel imperium: sed quòd tres filios videret natu maximi esse satellites, eúmq; in medio ipsorum gladios hastásq; ferentium absq; metu versari. Contrà Xerxes Ochum filium insidias fratribus struxisse cùm comperisset, mœrore est exstinctus. Inimicitiæ enim fratrum cùm sint, vt dixit Euripides, graues, parentibus ipsis sunt grauissimæ. quippe qui fratrem suũ odit, eúmq; fert molestè, non potest non & patrem eius & matrẽ incusare. Equidem Pisistratus filiis iam adultis aliã ducens vxorem, dicebat quia hos bonos præclarósq; esse putaret, velle se plurium his similiũ patrem fieri. Boni aũt & iusti filij, non modò gratia parentum magis se invicem diligent: sed parentes quoq; ipsos vnus propter alterum: itáq; & sentient & dicent, se his cùm ob multa alia bona debere gratiam, tum maximè ob fratres: scilicet hos à parentibus consecutos, rem omnium quę habentur preciosissimam ac suauissimam. Pulcrè etiam Homerus facit Telemachum calamitatis loco deputare, quòd fratre careret:

Vsq; adeò nostram gentem Saturnius orbam
Reddidit, vt me stirps dependeat omnis ab vno. Odyss.π,117.

Hesiodus autem non bene præcipit, vnicum filium debere paternorum esse hæredem bonorũ: & quidem Musarum discipulus, quæ quia ob benevolentiam & amorem sororium simul semper degerent, Musæ quasi homũ vsæ dicunt. Ergo parẽtum respectu fraternus amor talis res est, vt qui fratrem diligit, is simul demonstret parentes quoq; à se amari. Liberis autem eadem res exemplum mutuò amandi præbet, quo efficacius nullum inveniri possit. sicvt ab altera parte pessimum mutuò odia gerendi studium iidem specimen parentum secuti suscipiunt. Qui enim filios ad concordiam cohortatur, cum ipse in litibus, rixis, & certaminibus fraternis consenuerit, is Oper.374.

Aliis mederi vult, ipse vlceribus scatens:

factísq; suis orationi vires adimit. Quis verò non despiceret Eteoclem illum Thebanum, si hæc adversus fratrem fatus,

Ad solis ortum sita sidera scandere velim, & Eurip. Phœniss.
Subire terras, hoc si possim consequi,
Deorum maxima vt potiar tyrannide:

suis liberis præciperet

Aequalitatem colere, quæ vrbes vrbibus,
Sociósq; sociis, iunctos iunctis fœdere
Deuincit, obligátq;, soliq; omnium
In rebus humanis huic est permansio?

Aut quis tibi videretur Atreus, si tali prandio fratri exhibito, filios suos hac sententia institueret?

Vsus equidem cognato iunctis sanguine
In rebus aduersis opem fert vnicus.

Expurgandum est ergo odium fratrum, quod & parentum senectutẽ malè alit, & pessimè liberos educat. Adde, quòd etiam apud ciues criminibus obiicit. existimãt enim ex tãta necessitudine, cõvictu, & familiaritate fratres ad inimicicias delabi nunquam potuisse, nisi multorũ & atrocium sibi invicẽ essent flagitiorũ conscij. quippe magnas oportet esse causas, quæ magnã benevolentiam amiciciámq; dissipẽt: vnde fit, vt non facilè locus sit reconciliationi. Nam sicvt quæ compacta sunt, etiam glutine soluto rursus colligari ac coire possunt: corpus autẽ quod natura vniuit si rumpatur aut scindatur, difficulter glutinari aut rursum potest coalescere. ita quas vsus cõtraxit amicicias, eæ discidio accidente nullo negocio redintegrant. fratres vbi naturali amore exciderunt, neq; in gratiam facilè redeunt, & recõciliatio semper cicatricem sordidam ac latente malo infectam retinet. Enimverò omnis homini adversus hominem inimicicia cum maximè molestis animi subiens affectionibus, studio inquã contendendi, ira, invidia, memoria iniuriarum, dolorem animo perturbationémq; adfert. Sed adversus fratrẽ suscepta, cum quo sacrificia sunt, & sacra parentũ, sepulcrúmq; communia, communis etiã, aut saltem vicina domus, ante oculos expositã habet molestiam: quotidie in memoriã redigens væcordiam, qua factũ est vt iucundissimus vultus adspectu iam sit invisissimus, & terrori summo vox à puero grata ac familiaris. multos quoq; alios fratres videntes eadẽ domo ac mẽsa & non diuisis inter se prædiis ac mãcipiis vti, ipsi Odium fratrum quale.

amicos etiã hospitésq; diuersos habet, inimica omnia ducẽtes quæ fratri sint accepta. cùm quidem omnibus hoc facilimum sit ratiocinari, Amicos & compotores, affines & familiares parari alios posse, prioribus armorũ instar aut instrumentorum perditis: fratrẽ recuperari non magis posse quàm manũ abscissam, aut erutũ oculum. Præclarè etenim mulier illa Persica dixit, cùm fratris salutẽ saluti liberûm antetulisset, Posse aliam se prolem nancisci, fratrem autem, amissis parentibus, nullum. Quid ergo agendum est, diceres, si cui malus obtigerit frater? Primò omnium tenendũ hoc est, vitium omni amiciciæ generi se insinuare: &, vt est apud Sophoclem,

Malus frater vt tractandus.

Mortalium res si cunctas examines,
Inuenies in plerisq; turpitudinem.

nam neq; cognatorum, neq; sodaliũ, neq; venereus amor sincerus, purus, nullóq; vitio suffusus reperietur. Equidem Laco quidam cùm pusillã duxisset vxorem, dicebat de malis minimum esse deligẽdum. Fratribus autem modestè hoc suaseris, vt familiarissima potiùs sustineant mala, quàm aliena experiantur. illud enim quia necessitas imponit, culpa & crimine vacat: hoc quia sponte suscipitur, repræhensioni est obnoxium. Non enim compotori nos, non æquali, non hospiti

Sine ære factus compedibus pudor obligat:

sed consanguineo, simul educato, eundem patrem, eandem matrem habenti. huius & peccatis quibusdam ignoscendum est, & dicendum fratri aliquando,

Odyss. ν, 331.

Non ego deserere, aut miserum te linquere possum,

vitiosúmq; vel insipientem, ne imprudens odio in te meo vitium aliquod à paterno maternóve semine tibi ingenitum in te acerbiùs puniam. Etenim alienos, vt aiebat Theophrastus, non amando iudicare debemus, sed iudiciũ amori præmittere. vbi autem natura iudicio ad contrahendam benevolentiam non concedit prærogatiuam, neq; præstolari sinit sermone tritum illum salis modium, sed amiciciæ principium inseuit: ibi nõ morosi, neq; accurati debemus esse delictorum censores. Nunc quid his faceres, qui peregrinorum & alienorum hominum, cum quibus vitiosam amiciciam in conuiuio, lusus, aut palæstra coiuerunt, facilè tolerantes peccata, & cum voluptate, fratribus se acerbos & implacabiles exhibent? cúmque & canes iracundos, & equos, quinetiã lynces, feles, simias, leones alant atq; ament, iras fratrũ, aut inscitias, aut ambitiones non sustinent? alij cum pellicibus aut scortis domos agrósq; perscripserunt, de area domus atq; angulo cum fratre duello decertant: deinde malorũ odium suo in fratrẽ odio præscribentes, obambulant fratri maliciã obiicientes, quam in aliis etiã magnã tolerant eáq; vtunt. Atq; hoc quidẽ sit totius exordiũ disputationis. Principium autem doctrinæ sumemus non, vt alij à diuisione bonorũ paternorum, sed à vitando vitioso demerendorũ adhuc viuentiũ parentum certamine atq; obtrectatione. Agesilaum Ephori multauerunt, quòd is vnicuilibet senum designato bouẽ præmium virtutis dono mitteret, eámq; attulerunt rationẽ facti, quòd publicos largiẽdo priuatim sibi conciliaret suósq; faceret. Filio autem rectè hoc suaseris, vt parentibus colendis non sibi soli eorum benevolentiam captet, inq; se vnum eam deriuet. quomodo multi fratres astu supplantant, iniusticiæ huius specioso, sed iniusto vsi prætextu. maximum enim & præstantissimũ bonorum paternorũ, benevolentiam parentum iis adimunt, illiberaliter & veteratoriè capta occasione ipsis occupatis occurrẽtes, & ignorationibus germanorũ insidiantes, inq; his maximè cõpositos se, dictóq; parentũ audientes, ac modestos gerentes, in quibus peccare fratres, aut delicti suspectos vident. Atqui contrà fratris est opus vbi irascunt fratri parentes, partẽ iræ subire atq; in se recipere, eámq; velvti labore adiuuãdo faciliorẽ reddere. ministerij & captatæ gratiæ in societatem quocunq; modo eundem admittere atq; adoptare: & vbi is occasionẽ aliquam neglexit, eum excusare vel aliam occupationem eius præscribendo, vel naturam ad alias res aptiorem. Rectè etiam Agamemnon de fratre:

Fratrũ officiũ, viuis parentibus.

Iliad. κ, 122.

Non hunc desidia, aut væcordia vana moratur,
In me respiciens sed enim, nostrósq; subinde
Expectans cessat conatus,——

sibi hoc muneris à Menelao relictum dicens. Libenter etiam nominum permutationem admittunt parentes, fidémq; adhibent filiis, cùm socordiam fratris simplicitatis, prauitatem dexteritatis, pertinaciam animi contemtũ non ferentis nomine velãt.

vt

vt qui sic fratrem in gratiam reponit, simul & iram adversus eum conceptam minuat, & patris erga se augeat benevolētiam. Purgato ad hunc modum fratre, iam is ipse arripiendus est, ob peccatúmq; seriò obiurgandus, & liberè ostēdendū vbi officiū prodiderit. Nam neq; negligendus est frater peccans, neq; insultandum peccanti: quorū hoc est gaudium ex alterius malo capientis, illud peccandi societatē ineuntis. sed curam se fratris gerere, & dolorem ex ipsius incommodo sentire ostendet qui castigat. Vehementissimè autem fratrē coràm incusare potest, is qui ei studiosissimè apud parentes fuit patrocinatus. Quòd si frater iniuria culpetur, in aliis quidem rebus iras parentum ferre atque indignationes, iisque in omnibus ministeriis, operam nauare æquum est: patrocinium autem & excusatio fratris absque culpa male audientis apud parentes, res sunt nullam merentes repræhensionem, atque pulcræ. neque in hoc genere metuendum est illud Sophocleum,

O pessime fili, cum patre disceptans tuo:

cùm tu libera voce vtaris pro fratre quem iniquiùs tractari arbitraris. ipsis enim parentibus, vbi convincuntur iniuriæ, in hoc litis genere cadere causa quàm vincere est iucundius. Cæterùm vbi mortuus est pater, rectū est fratres magis etiam quàm priùs benevolentiæ mutuæ esse tenaces. ita vt primùm in deplorādo ac mœrendo societas quædam cernatur: deinde suspiciones ac calumniæ seruorum atq; aliorū quorum alij huic fratrum, alij alij sese accōmodant, repellant. credántq; fratres cùm alia esse vera, quæ de Castorū fraterno amore fabulis sunt prodita, tū quòd Pollux quendā de fratre nescio quid rumusculi sibi insusurrantem pugno impacto trucidauit. Deinde ad herciscundam familiam non ita se conferent, vt priùs bellum sibi invicem indicant. sicvt vulgò solent exclamare,

Fratrum officium, mortuis parentibus.

O tumultuatio, belli filia,—

& parati ad fraudē rixámq; adire. Sed illi diei maximè est adhibenda cautio, quæ aut discordiæ inimiciciæq; implacabilis, aut cōcordiæ amiciciæq; erit principiū. Itaq; pro se maximè, si verò id fieri non possit, cōmuni amico & omnibus fauēte adhibito teste, iusticiæ suffragiis, vt Plato ait, quæ amicè ac cōvenienter possunt dātes accipientésq;, ita sentient, curā rerū ac dispensationē inter ipsos esse diuisam, vsum & possessionē in medio positā omnibus integrámq; relinqui. Qui verò nutrices, pueròsq; vnà educatos & familiares in auctione superato fratri avellunt, discedūt mancipio vno re aucta, cùm interim id vendiderint, quod de bonis paternis maximū est atq; honoratissimū: amiciciā fratris inquā, & fidem. Nouimus porrò quosdā nullo proposito lucro, contendendi tantùm studio hęreditatē à parētibus relictā nihilo creuisse æquiore animo, quàm si ad spolia ex hoste diripienda venissent. quorum è numero Charicles erant & Antiochus Opuntij: qui argenteo poculo in duas discisso partes, itémq; veste, ita discesserunt, ac si imprecatione aliqua tragica coacti fuissent

Hæreditatem acuto ferro herciscere. *Eurip. Phœniss.*

Sunt qui etiam iactāter aliis prædicent, q; in diuisione versutia, vehemētia, & impostura vsi plus fratribus abstulerint. cùm eo se deberet iactare, si æquitate, gratia, & cōcedendo superiores fuissent. Proinde dignum est memoria factum Athenodori: quod quidē omnes nostrates cōmemorant. Habuit hic fratrē Xenonem natu maiorē: qui in tutelæ administratione cùm multa prodegisset, tandē ob raptum mulieris damnatus est in iudicio, bonáq; ipsius in fiscum Cæsaris sunt redacta. Erat tū adolescens Athenodorus, imberbis etiamnum. cui cùm esset pars opum reddita, non neglexit fratrem, sed omnibus in medium expositis, denuò cum eo partitus est: cúmq; inter diuidendum multis à Xenone afficeretur iniuriis, neq; indignatus est, neq; mutauit factū: sed mansueto hilaríq; animo tulit fratris sui væcordiam, in tota Græcia nobilitatam. Solon quidem effatus de republica, Ab æqualitate nullā proficisci seditionē, visus fuit nimis gratificari vulgo, & arithmeticam proportionem, qua populo ciuitatis gubernatio traderetur, loco pulcræ istius geometricæ introducere. Qui autē in re familiari fratres hortat̃, maximè quidem vt quod ciuibus præcipiebat Plato Meum & tuum exterminent: si verò id fieri nequeat, saltem vt æqualitatem colant atque teneant: is egregium concordiæ & pacis fundamentum iaciens, identidem etiam illustribus hoc exemplis confirmet. Quale est Pittaci, qui à rege Lydorum interrogatus an pecunias possideret: Duplas respōdit se potuisse habere, siquidem voluisset fratre mortuo. Sed quoniam non tantùm in pecuniæ possessione ac defectu id quod minus est, inimicum

O

exstat ei quod habet amplius: sed in vniuersum, vt Plato ait, inęqualitatē motus, ęqualitatem status ac permansio sequitur: fit vt omnis quidem inæqualitas cum periculo discordiarũ inter fratres sit coniuncta: & tamen iidem in omnibus pares esse nõ possint rebus. quædam enim ipsa statim natura inæqualiter distribuit, alia fortuna vitę insequentis. discordiæ porrò invidiam ingenerãt, & obtrectationem, turpissimos morbos, ac non familiarium modò, sed & vrbium pestes. Huic itaque etiam incommodo est quantum res patitur obviam eundum. Ergo ei qui fratres præstat hoc consuluerim, primùm vt quibus rebus videtur excellere, eas communicet cum fratribus, amicéque eos in suæ gloriæ partem adoptet. (eloquentia, verbi gratia, antecedis fratrem: vtendam ei tuam facultatem, tanquam cum ipso cõmunem, præbe.) Deinde non fastum aut superbiam vsurpando, sed demittendo se placidè, præstantiam suam invidiæ securam reddat, ac fortunæ inæqualitatem compenset quantum eius fieri potest moderatione animi. Sic Lucullus noluit prior fratre minore natu magistratum gerere, sed suo anno prætermisso, fratris annum præstolatus est. Pollux ne deus quidem solus, sed semideus vnà cũ fratre esse voluit, ac in partem mortalitatis venire, vt immortalitate eum sua impertiret. Tibi verò, dixerit aliquis, mi homo licet nihil tuorum bonorum deminuenti æquare vnáque exornare fratrem tuum, concedenti tanquam vsumfructum ei gloriæ virtutísque tuæ, aut prosperitatis. sicvt Plato fratribus suis celebritatem nominis parauit, cùm eos in pulcerrimos suorum librorum inseruit, Glauconem & Adimantum in Rempublicam, Antiphontem natu minimum in Parmenidem. Præterea sicvt ingeniis & fortunis fratrum inæqualitates insunt, ita fieri nequit vt alter in omnibus omnino rebus altero potiores ferat. Elementa quidem aiunt ex vna eademque materia orta esse, cùm diuersissimæ tamen eorum sint facultates. Nemo autem vnquam vidit duos fratres eodem patre ac eadem matre natos, quorum alter esset Stoicus, simul sapiens, pulcer, gratiosus, liberalis, honoratus, diues, facundus, disciplinis honestis deditus, humanus: alter turpis, invenustus, ignobilis, illiberalis, pauper, infans, illitteratus, inhumanus. sed inest etiam obscurioribus & abiectioribus quædam tamen vtcunque portio gratiæ, aut facultatis, aut ad præclarum aliquid aptitudinis à natura insita.

Inæqualitati fratrum vt medendum.

Inter echinopodes velut, asperam & inter Ononin
Nascuntur passim mollia leucoia.

Ergo isthæc, qui in aliis præstare videtur si non deprimat neque occultet, neque tanquam in certamine omnem palmã præripere fratri laboret, sed concedat ei, inq; multis rebus eum quàm se plus valere fateatur, identidem invidiam occasione, velvt materia igni subtracta exstinguet. immò ne exsistere quidem & conflari invidiam sinet. Qui autem his ipsis in rebus, quibus se anteire nouit, fratris operam cõsiliúmq; adsciscit, vt rhetoricæ peritus in agenda causa, ciuilis rationis gnarus in rep. gerenda aut actionibus ad amiciciam pertinentibus, denique, vt verbo dicam, qui nulla in re memorabili & honorem conciliante fratrem suum omittit, sed omnium pulcrorum eum socium facit, præsenti vtitur, absentem expectat, planéque id significat, se non minus illo ad agendum idoneum, gloria tamen & facultate concedenda vincere: is nihil sibi adimens, fratri magna addit ornamenta. Atque hæc præcepta sunto præstantiori. Rursum qui inferior est, cogitet non vnum ac solum fratrem ipso locupletiorem, aut doctiorem, aut gloria splendidiorem esse: sed in multis se à multis superari atque adeò innumeris,

Telluris amplæ qui fruuntur frugibus.

Quod si aut omnibus invidens obambulat, aut de tam multis beatis solus eum vrit is, qui vt sanguine proximus, esse debuit carissimus: certè hoc infelicior nemo quispiam alius possit dici. Proinde sicvt Metellus censebat debere Romanos diis gratias agere, q; Scipio, cùm talis esset, nõ alia in vrbe exstitisset: ita vnusquisque in votis habere hoc præcipuè debet, vt ipse aliis possit felicitate anteire. sin verò, fratri id optare excellẽtiæ, q̃d ipse expetebat. Invenias autẽ ita infelices in rebus pulcris æstimãdis quosdam, vt cùm ob amicos illustres gaudio efferantur, multúmq; sibi tribuant quod hospitio virorum principum ac diuitum vtantur: splendore fratrum suis offici luminibus

nibus iidem opinentur. cúmq; ob parentum res bene gestas, proauorúmve præturas, vnde ad ipsos nullus redit fructus, sese iactēt, propter fratrū hæreditates, magistratus, illustres nuptias animo concidant & sint in mœsticia. Atqui cōveniebat omni prorsum vacare invidentia: aut si hoc fieri non posset, foràs eam convertere & in alios deriuare, imitaríque eos, qui seditionem è ciuitate in hostes transferunt.

Nam mihi sunt multi Troës, sociiq; vocati, — Iliad. β,227.
Inq; vicem multi tibi sunt de gente Pelasga,

quibus invideas, cum quibus æmulationem exerceas. Non debent autē fratres lanciū instar in trutina alter altero elato deprimi, humiliato extolli. sed alter alterius bonis vnà augeri ac vicissim ad crescendū aliquid momēti adferre. quo pacto exigui numeri magnis vltro citróque multiplicando simul excrescunt. Quippe etiam inter digitos is qui scribere aut psallere nescit, id sciente non est deteriore cōditione, sed mouetur vnà, & omnes quodammodò mutuas tradunt operas: tāquam dedita opera facti inæquales, itáque oppositi, vt parui maioribus adiumēto essent. Sic Craterus Antigono fratre regnāte, & Casandro Perilaus, ad munera legati obeūda, & administrationem rei familiaris sese contulerunt. Contrà Antiochi, Seleuci, Grypi, Cyziceni, cùm non didicissent secundo à fratribus esse loco, sed purpuras ac diademata appeterent, seipsos invicem, ipsámq; adeò Græciam multis calamitatibus oppleuerunt. Cæterùm quandoquidem ambitiosis præsertim ingeniis invidia atque obtrectatio incidit adversus honore aut gloria præstantes, vtilissimū hoc loco fratribus est, ne ab iisdem honores dignitatésque petant, sed alij ab aliis. nam feræ quoque inter se pugnāt, quę alimentum iisdem ex rebus captant: & adversarij invicem sunt athletę, qui eidem certamini student. cùm interim pugiles pancratiastis, & stadium currentes luctatoribus faueant, studióque & opera adsint. Ita etiam Tyndaridarum alter Pollux pugillatione, Castor alter cursu vincebat. Rectè etiam Homerus Teucrum fecit arte sagittandi inclytum, Aiace fratre inter grauis armaturæ pedites principe,

Illum qui clypeo splendente subinde tegebat. — Iliad. θ,272.

Sic & in repub. prætores oratoribus popularibus raró invident, & de oratoria artem tractantibus causidici sophistis, & de medicis ij qui victus rationem præscribunt chirurgis: sed mutuò se adiuuant atque commēdant. At gloriam velle & admirationem captare eadem ex arte aut facultate, inter prauos perinde est, ac si duo aliqui eandem amantes mulierem, vterque plus altero placere laboret. Sanè qui diuersis incedunt itineribus, nihil sibi mutuò prosunt. Qui autē vitæ genera sectant̄ diuersa, ij & invidiam declinant, & faciliùs alter alteri est adiumento. quales fuerunt Demosthenes & Chares, rursúmq; Aeschines & Eubulus, itē Hyperides & Leosthenes: cùm alteri ad populū orarent & referrent, alteri exercitum ducerent ac res gererēt. Itaq; fratres, vbi citra invidiam cōmunicare gloriam & potentiā nequeunt, quàm longissimè debent alter ab alterius studiis & ambitione animū divertere: vt decore parto exhilarare mutuò, non molestia afficere possint. Enimverò præter hæc omnia cauendū est ab affinium, domesticorū, mulierúmq; prauis sermonibus, qui nonnunq; ambitioni nostræ succenturiati feruntur: Frater tuus, aiunt, omnia est, omnes eū admirant̄ & colunt, ad te nemo accedit, nullo es in honore. Ego verò, diceret homo sanæ mētis, fratrē habeo laude florentē, cuius ad me gloriæ maxima pars pertinet. Dixit quidē Socrates, malle se Darium habere amicum, q; Daricum. Sed fratri rectè sentienti non minori bono cedit frater magistratū gerens, diues, aut facundia clarus, quàm si hæc ipsi obtigissent. Atq; hoc potissimùm modo istę inęqualitates debent excusari. Verùm ætatis ratione aliæ inter non rectè institutos fratres incidūt statim discordiæ. Etenim natu maiores iunioribus dum volunt imperare ac pręesse, omniáq; in re eos gloria & potentia anteire, molesti sunt & iniucundi. cōtráq; minores frænū aversando & ferociēdo ad despectum & contemptum maiorū se adsuefaciunt. hinc fit, vt & iuniores fugiant, ægréq; ferant admonitiones maiorum, invideri sibi, séq; opprimi ab iis putantes: & natu maiores excellentiam vndiquaque affectantes, minorum incrementa timeant, tanquam ipsos deiectura. Enimverò sicvt in beneficio volunt gratiam ab hoc qui eam init minorem, ab eo in quem confertur maiorem æstimari: ita si quis præcipiat maiori vt ne magnum aliquid putet esse ætatem, minori vt ne paruum, vtrumque despectu, neglectu, contemtúq; alterius liberauerit. Et quoniam maiori curam gerere, præire, castigare convenit: minori honorare, imitari, sequi: procuratio socialis magis esto quàm

Aetatis discrimina, & decorum.

paterna, plúsq; persuadẽdo q̃ imperando agat, multóq; & alacrior & humanior sit in gratulatione & collaudatione rectè factorũ, q̃ in culpãdis plectẽdísq; delictis. & minoris æmulationi adesto nõ cõcertatio, sed imitatio. hæc.n.est admirãtis, illa invidentis. vnde est, quòd amantur, qui similes fieri student: ęgrè tolerantur & reprimunť, qui æquari contendunt. Inter multa, quæ honoris gratia deferre minores natu maioribus debent, maximè laudatur obedientia: quæ cũ reverentia validam gignit benevolentiam, gratiámq; vicissim obsequentem. Hac ratione Cato Capionem ætate priorem à puero demerens obedientia, mansuetudine, & silentio, tãdem in virili ætate ita suum fecit, tãtámq; sui in eius animo excitauit reverentiã, vt ipso ignorante nihil egerit Capio, nihil dixerit. Memoriæ mandatũ est, cùm tabellas testimonij quodam tẽpore obsignasset Capio, Catonẽ qui posteà supervenisset, addere suũ sigillũ noluisse. tũ Capionẽ repetiisse tabellas, ac sigillum abstulisse suũ, priusq; intelligeret qua de causa frater nõ credidisset, & testimoniũ suspectũ habuisset. Conspicua est etiã magna fratrũ erga Epicurũ reverentia, ipsius procuratione & benevolentia parta, cùm aliis in rebus, tũ quòd philosophandi rationẽ eius quasi diuino quodã perciti furore sectati sunt. nam tametsi opinionis errore decepti sunt, statim à teneris vnguiculis pro certo hoc habẽtes & profitentes, Neminem exstitisse Epicuro sapientiorẽ: tamen dignum est mirari & eum qui ipsos sic animauit, & ipsos ita affectos. Sed & de recẽtioribus philosophis Apollonius peripateticus refutauit eum, qui gloriam communicari posse negauerat, cùm Sotioni fratri suo natu minori decus honorémq; cõciliasset. Mihi quidem ipsi ad reliqua, ob quæ Fortunę gratias agere debeo, accessisse Timonis fratris & cõstare benevolentiã, nemo eorum ignorat, qui quovis modo mecũ rem habuit: minimè omniũ vos familiares mei. Sunt porrò fratribus ætate propinquis etiã alia quædã cauenda, exigua quidẽ hæc, sed continentia & crebra, prauúmq; invicem offendendi irritandíq; studium ingenerãtia, q̃d in immedicabile odiũ, extremámq; abit malevolentiã. Orsi enim à contentionibus de rebus ludicris, puta de alendis animalibus, & eorũ pugnis, vt coturnicũ & gallorum, deinde certaminibus puerorũ in palæstra, canũ in venatione & equorũ: continere se in maioribus rebus postmodo, & cupiditatẽ contendendi ambitiosam reprimere non possunt. Ita Græcorum nostra ætate potentissimi studiis histrionum, mox citharœdorũ diuersis in discordiam prolapsi, deinde de lauacris Aedepsiis, cœnaculis, ac conclauibus altercantes identidẽ atq; de locis pugnantes, & aquæductus incidentes atq; aliò avertentes, ita ad extremũ efferati sunt atq; perditi, vt omnibus bonis à tyranno spoliati, ac pauperes & exsules, adeóq; tantũ non alij q̃ fuerant antè facti, pristina duntaxat invicẽ odia retinuerint. Ergo æmulationi & contentioni cum fratribus in rebus vilibus & primò occurrentibus se insinuanti, non leui opera est resistendũ, meditandúmq; est vt cõcedere & vinci discamus, gaudeamúsq; gratificãdo iis potiùs, q̃ superando. non.n. Cadmeam victoriã prisci aliã, quàm fratrũ apud Thebas, vt turpissimã & pessimã, appellauerunt. Quid? inquies. nónne etiã his qui placido & moderato sunt animo, ipsæ res sæpenumerò ansam præbẽt dissensionis & contradicendi? Omnino quidẽ. Sed hìc quoq; curandũ est, vt cõtentio sit causarũ, neq; ab ira aut cõtendẽdi studio iis quidã velvti vncus inserať. Ius velvti pro bilance adhibendũ est, & cõmuni cura eius momentũ considerandũ: ac controversia iudicio statim arbitrísq; permissa, ex animo eluenda priùs est, q̃ neuum aliquem aut maculam inhærentem & expurgatu difficilem imprimat. Imitandíq; sunt hoc loco Pythagorei, qui non generis, sed doctrinæ duntaxat societate iuncti, si quando per irã ad maledicta prorupissent, ante Solis occubitũ dextris mutuò datis & salutatione facta gratiã redintegrauerunt. Nam sicvt buboni febris superveniẽs nihil habet mali: bubone autem sublato remanens, morbus videť esse, & profundius habere principiũ. sic discordia fratrum re confecta desinens, ipsius est rei: post rem manentis tãtùm præscriptio fuit res ipsa, alia praua & occulta causa. Operæ est preciũ in præsentia disceptationẽ audire barbarorũ fratrum, non de particula eam agelli, aut mancipiis, vel pecore, sed de regno Persiæ. Mortuo Dario, alij regnum Ariameni, vt de filiis eius natu maximo deferebant, alij Xerxi, qui ex Atossa filia Cyri, Dario iam regnum gerente natus erat. Descendit itaque Ariamenes è Media, non bellico apparatu, sed placidè ad iudicium. Xerxes, qui præsens ea agebat quæ erant regis, veniẽte fratre, deposito diademate, & deiecta tiara quam erectam ferunt reges, occurrit fratri eúmq; salutauit. ac dona mittẽs, dicere eos qui portabant iussit: His te nunc honorat Xerxes frater tuus, qui si rex iudicio

Offensæ leues vitandæ.

Pulcerrima exẽpla fraternæ benevolentiæ.

iudicio & suffragio Persarũ declarabitur, proximũ tibi à se locũ tribuit. Respondit Ariamenes: Ego dona quidem accipio, regnum autem in Persas mihi cẽseo deberi, honorem tamen fratribus meis minoribus seruabo suum, & primo inter fratres Xerxi. Instante porrò iudicij die, Persæ communi sententia Artabanum iudicem designauerunt. Hîc Xerxi, quòd multitudini fideret, iudicem recusanti Atossa obiurgãs, Quid fugis, inquit, Artabanum patruum & Persarum optimum, fili? idq; certamen metuis, in quo præclarum est, si vincare, fratrem regis Persarum secundo te loco vocari? Xerxe obtemperante, & causa cognita Artabanus pronunciauit Xerxi regnum convenire. Ariamenes autem statim prosiliens fratrem adorauit, dextráq; appræhensum in solium regium collocauit. Exinde primo apud eum loco habitus, benevolum se præbuit: ita quidem, vt pro gloria fratris nauali apud Salaminam prœlio præclarè pugnãs ceciderit. Atque hoc tanquam purum & inculpabile exemplar benevolentiæ & magnanimitatis propositum esto. Antiochi verò vt cupiditatem regnandi iure vituperaueris, ita amorem erga fratrem nõ planè ea obrutũ mirari decet. Bellum Antiochus regni causa faciebat Seleuco fratri, minor ipse ætate, matre auxilium ferente. Vigente eo bello, pugna cum Galatis congressus Seleucus & victus, nusquam apparebat, credebatúrq; periisse, toto exercitu à barbaris occidione occiso. Antiochus hoc nuncio allato, purpuram deposuit, pulláq; sumta veste, & clausa regia fratrẽ luxit. paulo pòst audito eum viuere & alium exercitũ colligere, progressus diis sacrificauit, vrbibúsq; sibi subiectis imperauit vt sacrificarent & serta gererent. Athenienses, quanquam fabulã de deorum contentione absurdè finxerunt, inseruerunt tamen istius absurditatis correctionẽ minimè ineptã. secundã enim diẽ mensis Boëdromionis semper eximũt: quòd ea die cũ Minerua Neptuno fuerit contentio. Quid ergo obstat, quo minus & nos aliquando cum domesticis, cognatisq; altercati, istũ diem obliuioni cõsecremus, ac pro atro censeamus? nisi si malumus multorũ ac lætorum dierũ, quibus vnà educati sumus & viximus, memoriã abiicere? Nã aut frustra & nullius rei gratia nobis largita est natura mansuetudinẽ, & moderationis animi progeniẽ tolerantiã malorũ: aut maximè his vtendũ est adversus cognatos & familiares. Iã petere gratiã delicti nõ minorem demonstrat benevolentiam atq; amorem, quàm eam facere peccanti. ergo neq; negligere debemus ira commotos, & deprecantibus nequaquã repugnare: sed & ipsi vbi quid offendimus, antevertere deprecatione iram: & ipsam, vbi nos sumus læsi, deprecationem danda venia. Celebris est in scholis fama Euclidis Socratici, quòd audita iniqua & belluina voce fratris, qui diceret, Peream nisi te vlciscar, respondit: Ego verò peream, nisi tibi persuasero, vt posita ira nos ames sicvt olim. At regis Eumenis non dictum, sed factum, tale est quo nullum inveniri possit magis mansuetum. Huic Eumeni Perseus Macedoniæ rex inimicus, submiserat qui interficerent. hi cùm sentirent à mari terra proficiscentem Eumenem ad oraculum, ex insidiis retro hominem adorti, ingentes lapides in caput & collum coniecerunt, ita vt vertigine circumactus corrueret, mortuúsq; putaretur. atque fama hæc latè sparsa fuit, ita vt amici quidam & famuli Pergamum veniẽtes, nuncium rei abs se visæ adferre crederentur. Proinde Attalus fratrum Eumenis natu maximus, moderatus homo, & qui erga fratrẽ se gessisset optimè, non modò rex creatus, & diademate ornatus fuit: sed & vxorem fratris Stratonicam duxit, cúmq; ea concubuit. Sed postquã narratum est viuere Eumenem, & adventare, posito Attalus diademate, sumto hastili pro more ei obviam cum reliquis iuit stipatoribus. Quem Eumenes & amicè amplexus est, & reginam honorificè ac splendidè salutauit. cúmq; non multum temporis supervixisset, absq; vlla repræhensione aut suspicione extremum vitæ diem morte cõfecit, Attalo & regnũ & vxorem suam cùm legasset. Quid autem Attalus? multis ex vxore sibi natis liberis, nullũ sustulit: sed Eumenis filium educauit, eiq; virilem ætatem adepto viuus diadema imposuit, regisq; nomen detulit. At Cambyses somnio territus, fratrẽ suum, quem regem Asiæ futurum erat imaginatus, nulla interposita quæstione, nulla demonstratione, interfecit. quo factũ est vt ipso mortuo regnum à stirpe Cyri in Darium transferretur eiúsq; posteritatẽ, qui non fratres modò, sed amicos etiam admittere in societatem rerum & potentiæ nouerat. Præterea memoria est hoc etiam tenendũ in fraternis dissidiis, vt tunc maximè amicos fratris accedas, inimicósq; vites, neque admittas. eáq; in re par est imitari Cretenses, qui crebris seditionibus bellísque ciuilibus exagitati, extrinsecus adventantibus hostibus pacem ac societatem coiuerunt. Is enim erat, quem

ipsi appellabant Syncretismum. Nam sunt, qui aquæ instar rebus luxatis & hiantibus affluentes, familiaritates & amicicias euertunt, vtrisque inimici, & ei insidiantes, quem ob imbecillitatem vident magis expositum iniuriæ. quippe amantem adiuuāt recentes & simpliciores amici: irato autem & cum fratre dissidenti apparet malignissimos inimicorum se indignationis iræq; socium præbere. Quare sicut gallina illa apud Aesopum feli percontanti ficta benevolentia ex ægrotante ipsa, Quomodo valeret, respondit: Bene, si tu discedas. ita tali homini sermonem iniicienti de discordia, & arcana eruere molienti quædam dicendum est: Nihil mihi cum fratre est litis, si vterque nostrum calumniatoribus aures non præbeamus. Nunc nescio qui fit, vt oculis vitio aliquo laborantibus arbitremur visum avertendum esse à coloribus & corporibus radium recellentibus: tamen ira, repræhensione, aut suspicione adversus fratrem oborta, iis gaudeamus ac nos implicemus, qui magis nos exagitāt. quo quidem tempore oportebat nos evitatis inimicis, maximè cum affinibus & familiaribus amicisq; eorū versari, & ad vxores eorū intrare, ac libero ore conqueri. Atqui fratres aiunt vna ambulantes non debere lapidem in medio admittere: quin & canem per medios discurrere ominis sinistri habetur, ac multa talia metuunt, quorū tamen nihil fraternā discindit concordiā. cæcutiunt interim, homines caninos & calumniatores in mediū adhibentes, & in vitiū ab his cōpulsi. Proinde (ipsa disputatione id quod continuò subsequitur suggerēte) quod rectè dixit Theophrastus, Si omnia amicorū sint communia, maximè debere amicorum communes esse amicos: id non vltimo loco fratribus est præcipiendum. Dum enim seorsim ac pro se alij cum aliis consuetudinem vitæ societatémq; colūt, ipsi invicem divelluntur. quia dum amant diuersos, sequitur vt gaudeāt etiā diuersis, diuersos æmulentur, à diuersis ducant̃. Etenim amiciciis mores fingunt̃: & nullum est diuersitatis ingeniorū certius argumentū, quàm vbi amici diuersi deliguntur. Ergo cibi, potus, ludorum, cōtubernij societas non perinde cōtinet fratrū concordiam, atq; eorundem hominū amor & odium, vt eorundem consuetudinem & gratam habeant, & eorundem fugiant atque abominentur. Neq; verò communes amiciciæ admittunt calumnias, aut offensiones. sed etiam si quid iræ aut obiurgationis inciderit, eluunt id in medio interpositi amici, atq; exceptum dissipāt: si quidem ambobus ex æquo faueāt. Nam quo modo stanno æs ruptum cōmittitur atq; ferruminatur, vtranq; tangente extremitatē, & ad naturā vtriusq; contemperato. sic amicum decet aptū & accommodatum esse vtriq; fratrum, suáq; communitate eorum stipare benevolentiam mutuam. inæquales, & non attemperati, instar inconcinnorū in modis musicis sonorū, non coniunctionem, sed disiunctionem efficiunt. Idcirco dubitari potest, rectène an contrà Hesiodus dixerit:

Operib. 705. *Aequalem fratri caueas fecisse sodalem.*

Equidē æquo præditus animo amicus, & ambobus cōmunis fratribus, vinculū quoddam est mutui inter eos amoris. Hesiodū verò apparet respexisse ad plerosq;, & quidē malos: à quibus ob sinistrum sui ipsorū amorem & procliuitatē ad riualitatē fratribus metueret. Hoc mali vbi caueris, nihil impedit quin amicum eadē qua fratrem cōplectare benevolentia: dum modò huic primæ partes semper deferātur in magistratibus & rep. gerendis, in inuitationibus ad conviuia, in contrahenda cum principibus viris noticia. deniq; si quæ in vulgus vident̃ ad gloriā dignitatémq; cōducere, & illustrare, in iis ætati convenientem honorem concedas. neq; enim adeò amicum hac in parte ista prærogatiua ornat, quàm de existimatione fratris posthabiti ignominia detrahit. Sed de hac quidem sententia plures perscripserunt, quid sentirent. Tamen illud Menandri verum est:

Nemo sui contemtum æquo animo fert amans.

quæ vox monet vt curā fratrū geramus, neq; naturæ fiducia eos negligamus. Nam & equus natura hominū, & canis domini amās animal est: sed nisi probè curent̃ atq; tractentur, infensa fiunt & aliena. & corpus animæ cognatissimū, si ab ea non colatur, aut neglectim habeat̃, adiuuare actiones ipsius recusat, iisq; officit & deserit. Ratio autē curandi cùm ipsis fratribus admodū conveniēs, tum eorū soceros atque affines maximè decēs est, vt in omnib. rebus semper benevolos se alacrésq; præbeāt, seruos dominorū studiosos salutēt comitérq; demereant̃, medicis gratias agāt qui fratri sanitatem restituerūt, itémq; fidelibus amicis, atq; promtā in vnā cōficiēda expeditione & peregrinatione operā nauent. Vxorē porrò fratris, vt omniū sacrorū sanctissimum, frater suspi-

suspiciat atq; veneretur, itáq; fratrem honoret eiq; gratuletur, neglectæ rationem habeat, iritatam demitiget. si mediocre aliquid peccauit, in placando & deprecando viro adsit. si quid cum fratre sibi seorsim exstiterit iurgij, apud eam hunc accuset & litem componat. Maximè autem cœlibatũ & orbitatem fratris ægrè ferat frater, eúmq; hortando & exprobrando quovis modo ad matrimoniũ contrahendũ adigat, legitimísq; includat nuptiis. Vbi is liberos fuerit nactus, evidentiùs porrò sua in eum benevolentia, & adversum vxorem eius reverẽtia vtatur. Liberis se tanquã suis benevolũ, sed benigniorem tamen & indulgentiorem exhibeat: ne pro ætate aliquid delinquentes, ob metum patris & matris profugiant, ac cũ vitiosis & socordibus hominibus cõsuescant: sed habeant quò se convertentes castigentur officiiq; admoneantur. Sic Plato sororis suæ filium Speusippũ è magna negligentia & intemperantia revocauit, nulla voce, nullo facto ei molestus. nam fugienti parentes criminũ eum convincentes & maledictis incessentes, placidũ se & iræ vacuum dans, magnũ homini pudorem, suiq; & philosophiæ admiratione incussit. cúmq; à multis amicorũ repræhenderetur, quòd non castigaret adolescentem: Ego verò, inquit, castigo, vitę meæ ratione ipsi demonstrans quod sit honestorum & turpium discrimen. Aleuam Thessalum pater, vt ferocem hominem & iniuriosum, deprimebat, erátq; ei infensus: patruus ad se recipiebat & amplectebatur. Mittentibus autem Thessalis fabas ad oraculum Delphicũ, quibus deum de rege futuro consulebant, clam patre patruus his vnam de Aleua quærentem inseruit. Cúmq; Pythias Aleuam regem designasset, & ipse pater professus est se nullã de hoc fabam misisse, & omnes existimauerunt errorem aliquem in nominũ descriptione commissum esse. itaque denuò missi sunt scitatum. Pythia autem velvti confirmans primam designationem, respondit:

Archedice peperit quem rufum, nomine dico.

Atque hoc modo Aleuas ab Apolline rex studio patrui creatus, cùm ipse priores longo post se reliquit intervallo, tum gentem ad gloriã potentiámq; magnam evexit. Enimverò fratris filios frater, eorum rectè factis, honoribus ac dignitatibus gaudendo gratulãdóq; debet augere, & impetus ad res honestas eorũ promouere, ac largiter laudare vbi rem præclarè gerunt. suum enim filium laudare, odiosum videtur: fratris, pulcrum est, & nõ sui, sed honestatis diuino cuidam planè amori adscribendum. Atque ipsum nomen fratris Adelphus videtur rectè commonere de benevolẽtia & dilectione. Quin & eos imitari decet, qui humana præstantiores natura fuerũt. Hercules, cum duodeseptuaginta filios genuisset, nullo eorum parciùs amauit fratris filium. atque etiamnum multis in locis eadem cum Hercule ara colitur Iolaus, atque vnà ei vota nuncupantur, & adstes Herculis nominatur. Iphiclo autem fratre in pugna apud Lacedęmonem interfecto Hercules ingenti dolore perculsus, totã deseruit Peloponnesum. Et Leucothea infantẽ defunctæ vita sororis educauit, sécúmq; inter deos retulit. Hinc matronæ Romanæ in feriis Leucotheæ, quam Matutam nominant, non suos sed sororum filios in vlnas accipiunt & honorem iis habent.

PLTARCHI
De Garrulitate, libellus.



SAnè difficilem curatu morbũ philosophia garrulitatẽ suscipit, mederíq; ei conatur. nam oratio, quæ adversus eum morbũ valet medicina, audientium est: garruli verò neminem audiunt, semper loquuntur. ídq; adeò primum mali iis qui tacere nesciũt adest, quòd nihil audiunt. Est enim ista impotentia quasi vltrò accita quædam surditas, hominum, vt apparet, vitium naturam culpantium, quòd vnicam ea linguam, duas aures dedit. Ergo si Euripides rectè dixit in auditorem stupidum,

Implere te nequeo capientem ego nihil,
Sapientia dicta infundens in fatuum virum:

meliori iure hoc in garrulum, aut potiùs de garrulo dixerit aliquis:

Implere te nihil admittentem ego nequeo,
Sapientia dicta infundens in fatuum virum:

aut veriùs circumfundens sermones homini loquenti ad non audientes, non audienti loquentes. quippe vt exiguum aliquid inaudiuerit, id arreptum garrulitas velvti æstus affluentis maris illicò multiplicatum reddit. Porticum Olympiæ, quæ vnà vocem multis reflexionibus resonat, Heptaphonum vocant, id est Septivocem. at garrulitas vel minima voce si tangitur, statim sonitus reddit varios,

Immotas antè mentis commouens fides.

Proinde in eam venire possis cogitationem, auditus foramina garrulis nō in animum, sed in linguam desinere. cùm aliis perdurent auditæ voces, garrulis autem effluant, ac vasa tanquam mente vacua, sono plena obambulent. Si tamen videbitur nihil intentatum esse relinquendum, hoc dicamus ad garrulum,

Sile puer, bona multa habet silentium:

duo autem hæc & prima & maxima, Audire, & Audiri: quorum neutrum contingit garrulis, sed & eo ipso quod appetunt, infeliciter, ac cum animi molestia excidunt. Nā reliqua quidem animi morbis, auariciæ puta, ambitioni, voluptatū nimio studio, hoc saltem contingit, vt potiantur iis quæ appetiuerunt. garrulis hoc molestissimum accidit, quòd auditores ab iis frustra expetuntur. quippe nemo nō eos effusè fugit. ac siue in semicirculo sedentes, siue vnà ambulantes vbi vident garrulum accedere, illico migrationem sibi ipsis indicunt. Et quemadmodū orto silentio in collocutione aliqua, Mercurium aiunt subintrasse: ita cùm in consessum aut conuiuium notorum garrulus aliquis se infert, omnes obticent, quia ansam præbere loquendi ei nolunt. & si ipse vltro hiscit, illico vniuersi digrediuntur, ęstum & nauseam velvti Borea circa maritrimū promontorium frémente pręvidentes. Quo fit, vt neq; in conviuio vnà adesse quisquā velit, neq; nisi coactus contubernio eorum comitatúq; in itinere aut nauigatione vtatur. adeò vsquequaq; vrgēt vestes præhendendo, & barbam, ac manu latus fodiendo. Qua in re summus honor pedibus debetur, secundum Archilochum: immò autem de sapientissimi Aristotelis sententia. Hic enim à garrulo quodā vexatus & absurdis quibusdam narrationibus exagitatus, subinde dicenti, Nónne hoc mirum est Aristoteles? respondit: Non profectò hoc est mirū, sed si quis pedibus præditus te sustinet. Alíúq; cuidam id genus homini post multa verba dicenti, Molestus tibi mea loquacitate fui philosophe: Non me hercle, inquit: non enim adverti animum. Etenim garrulis cùm vi obtinuerunt vt dicant, natura hoc concessit, vt alienas aures extrà circumfundant vocibus. animus interim audientis alias intus secum explicat atq; persequitur curas. vt neque attentorum, neq; credulorum auditorum copia loquacibus fiat. Qui in Venerem sunt procliues, eorum semen aiunt esse sterile. ita & garrulorum sermo imperfectus est atque invtilis. At verò nullum nostrorum membrorum natura perinde atq; linguam vallo coërcuit, positis ante eam pręsidij loco dentibus: vt si ratione intus

—— Resonantia fræna premente

obedire nolens prosiliret, morsibus eam lancinantes, eius cōpesceremus intemperantiam. Non enim serta obiicibúsve carentium penuum aut conclauium, sed oris effrænis finem esse calamitatem dixit Euripides. Qui verò existimant ædes foribus carentes, & crumenā quæ claudi non possit, nullo vsui esse: ore interim semper aperto semper foras diffluentes, quo modo Pontus per suum ostium semper in Propontidem effluit, ij videntur sermonem pro re omnium abiectissima ducere. Vnde est, quòd fides iis non habetur: quam quidem omnis oratio expetit. Est enim suus orationis finis, fidem facere audientibus: loquacibus, ne si vera quidem dicāt, fides habetur. Nam sicvt triticum vasi inclusum, mensura amplius reperitur, vsu deterius: sic loquacis hominis sermo additamentum mendacij largum habet, quod fidem vero derogat. Iam ebrietatem verecundus quisq; & modestus vitat. nam, quod fert quorundam opinio, insaniæ comes est ira, contubernalis ebrietas. immò vt insanię cedit duratione, ita eam hoc superat, quod vltrò adsciscitur. At nullo tantopere culpatur nomine ebrietas, atq; intemperantia & infinitate loquendi.

Bacchis.

Ebrietas.

Odyss. ξ, 465.

Nam vinum vel prudentem cantare coegit,
Et tenerum ridere, pedésq; inferre choreis,
Atq; tacenda loqui, nec idonea dicere dictu.

de his verò postremum demum noxium est & cum periculo: cantus, risus, saltatio non eò vsq; se proferunt. Quid autem, si hoc sit à poeta propositum ad id quod apud philosophos quæritur soluendum de vinolentiæ & ebrietatis discrimine? vt vinolentiæ

animi

animi quandam remissionem & leuitatem, ebrietati futilitatem tribuerit. Quod enim est in corde sobrij, id est in lingua ebrij, vt proverbio fertur. hinc Bias in quodam conviuio cùm sibi tacenti à garrulo quodam stoliditas obiiceretur, Quis verò, dixit, stultus inter pocula posset tacere? Athenis autem quidam conviuium regiis legatis præbens, operam dedit vt iis hoc cupientibus philosophos eòdem conduceret. ibi cum reliqui colloquio instituto vltro citròq; pro sua quisque persona disseruissent, Zenonem, qui tacitus se continebat, comiter allocuti hospites cùm salutassent poculo, De te verò, aiebant, quid dicemus regi? Respõdit Zeno: aliud nihil, quàm esse senem Athenis, qui inter pocula silere sciet. adeò profundum quiddam, & arcani sacri simile, ac sobrium est silentium. at ebrietas loquax est. mente enim & prudentia vacat, ideóque vocalis est. Philosophi porrò ebrietatem definientes, vaniloquentiam in vino aiunt esse. ita potatio non culpatur, si coniunctũ ei sit silentium. sed stulta loquela de vinolentia redigit ebrietatem. Enimverò ebrius in vino nugatur: garrulus vbiq;, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, noctu. ægrotum curans ipso morbo molestior est, vnà nauigans, quàm nausea, laudans repræhendente. Malunt etiam colloqui cum prauis hominibus linguæ potentibus, quàm cum bonis garrulis. Nestor Sophocleus Aiacem exasperatum verbis demitigans, moratè hoc dixit:

Non culpo te: maledicis enim, faciens bene.

Adversus garrulum verò non sic sumus affecti: sed omnem factis initam gratiam dictorum importunitas corrumpit atque disperdit. Reo cuidam Lysias orationem à se conscriptam dederat. eam cùm ille sæpius relegisset, venit ad Lysiam, mœstúsq; significauit, sibi primùm eam cognoscenti mirabilem visam fuisse: cùm autem denuò atq; tertiùm repetiisset, prorsum eneruatam & languidam. Lysias verò ridens: Quid, inquit? Nonne semel tantùm apud iudices eras recitaturus. Ac mihi Lysiæ vim ad persuadendum venustatémq; considera. nam & hunc ego affirmo

A Musis quæ violis caput
Redimunt probè ornatum fuisse.

Inter ea autem quæ de Homero dicta sunt, hoc omnium est verissimum, solum hunc poëtam fastidia hominum evitasse, nouum semper & ad captandum gratiam florentem. & tamen hoc de sese pronuncians,

——Scilicet odi Odyss. μ, fine.
Res clarè dictas, verbosa iterare loquela:

fugit atque aversatur insidiantem cuivis sermoni satietatem, auditorem ad alias ex aliis narrationes trahens, ac nouitate fastidium amoliens. At garruli aures palimpsestorum in morem iterationibus molestis eorundem sermonum obtundunt. Primùm ergo id eius in mentem revocemus, quòd sicvt nonnulli vinum voluptatis blandæq; consuetudinis gratia inventum nimium alios & merum bibere cogentes quosdam in tristiciam ac temulentiam coniiciunt: ita sermonem, cuius suauissimum est & humanissimum commercium, qui malè eo ac temere vtuntur, inhumanum, ac insociabilem reddunt: molestiáque afficiunt eos quibus se putant gratificari, & deridentur ab iis quibus se miros videri volunt, invisiq; eorum causa fiunt ob quæ se amari cupiunt. Itaque sicvt à Venere alienus sit, qui cesto avertat atq; abigat consuescentes: ita Musarum expers inscitúsque est, qui verbis molestiam exhibet ac se invisum reddit. Iam reliquorum vitia quædam cum periculo coniuncta sint, alia odiosa, partim ridicula: omnia hæc garrulitati congruunt. subsannantur enim cùm narrant communia: in odium incurrunt mala annunciantes: in periculum veniunt arcanorum incontinentes. Non abs re Anacharsis à Solone conviuio exceptus, cùm postea obdormiuisset, conspectus est læua manu pudendis, dextra ori imposita. censuit namq;, rectéq; censuit linguam validiori coërcendam fræno. Non enim facilè tot viros numerare possis qui ob Veneream libidinem perierint, quot vrbes & imperia secretum proditum evertit. Obsidebat Athenas Sylla, neque ei vacabat trahere obsidionem, alio vrgente negocio: cùm & Asiam subitò cepisset Mithridates, & Mariana factio rursum Romæ obtineret. Sed cùm senes quidam in tonstrina disputarent, Heptachalcum non teneri præsidio, ac periculum esse ne ea parte vrbs caperetur: exploratores eum sermonem exceptum ad Syllam retulerunt. Sylla statim exercitum adduxit,

Mala comitantia garrulitatis

ac circa mediam noctem in vrbem perduxit. ac parum sanè abfuit, quin Athenas solo æquaret: cædibus quidem & cadaueribus ita oppleuit, vt Ceramicus sanguine fluxerit. Iratus autem Atheniẽsibus Sylla magis ob dicta quàm ob facta erat. maledictis enim impetebant ipsum & Metellam, exsilientes in muros, & conuicia iactantes,

Morum farina conspersum Syllas sonat,

& multa alia id genus nugantes, rei, vt Plato ait, leuissimæ sermonis pœnam grauissimam sibi acciuerunt. Ne Roma Nerone exonerata libertatem consequeretur, vnius factum est hominis futilitate. Vnica restabat nox, post quam pereundum fuerat tyranno, omnibus iam ad hoc instructis rebus. Qui autem eum erat interfecturus, in theatrum vadens, conspicatus in foribus quendam vinctum qui ad Neronem ducendus suam lamentabatur fortunam, propè accedens in aurem homini insusurrauit: Precare tantùm vt hæc dies abeat, cras mihi ages gratias. Is verò hoc obliquè dictum arripuit, ac nimirum intelligens esse

Stultum qui quærit certis incerta relictis:

certiorem salutem iustiori prætulit, Neroniq; vocem istam renunciauit. Ille ergo statim arreptus est, & tormenta homini, ignes, ac flagella adhibita: negāti necessitate imposita dicendi, quæ antè nulla re cogente prodiderat. At Zeno philosophus, ne corpus necessitate expugnatum arcanum animi vllum posset efferre, linguam dentibus abscissam in tyrannum exspuit. Præclarum etiam Leæna habet suæ taciturnitatis præmium, amica Harmodij & Aristogitonis, &, vt mulier, in partem spei coniuratione in tyrannos conceptæ venerat. nam & ipsa pulcro illo Amoris cratere ebria bacchabatur, & propter deum illum arcanis his orgiis erat initiata. Postquam ergo illi frustrante ipsos conatu sunt interfecti, quæstioni subiecta, ac iussa indicium facere de adhuc ignoratis sociis, nihil dixit, sed tormenta continenter pertulit: demonstrans nihil illos viros seipsis indignum admisisse, qui talem amassent mulierem. Athenienses autem æneam leænam lingua carentem fecerunt, inq; foribus arcis dedicauerunt: iracundia animalis peruicacitatem feminæ, linguæ absentia taciturnitatem & arcani continentiam significantes. Etenim nulla vna ita oratio dicta profuit, vt multæ silentio pressæ. quippe quod tacitum est, aliquando tamen dici potest: non item quod dictum est, taceri, cùm iam effusum ac ditum sit. Vnde, puto, est, quòd loquendi magistros habemus homines, tacendi deos: adhibito ad sacrificia & arcanos ritus silentio. Homerus porrò Vlissi facundissimo homini summam adscripsit taciturnitatem: itémque filio eius, & vxori, & nutrici. Audis enim dicentem hanc,

Taciturnitas.

Odyss.τ, 494. *Hæc tacita vt ferrum vel quercus dura tenebo.*

Ipse autem Penelopæ adsidens,

Ibid. 210. *Vxoris lacrymas miseratus mente pudica,*
Intra palpebras ceu cornu immota tenebat
Lumina, vel ferrum. —

adeò totum corpus plenum gerens continentiæ, omniáque rationi habens parentia & subiecta, oculis imperauit fletu, linguæ verbis, cordi tremore & latratu abstinere.

Odyss.υ, 23. *Paruit extemplò menti cor plurima passum:*

vsque ad brutos motus penetrante ratione, spiritúmque & sanguinem sibi obedientem domando adepto. Tales etiam plerique sociorum Vlissis fuerunt. quot enim raptati, soloq; allisi à Cyclope Vlissem non prodiderunt, neque ignitum illud, & ad oculum eruendum adornatum instrumentum indicauerunt, sed crudi vorari quàm arcanum quicquam efferre maluerunt: maioris fuit quàm quæ excedi posset continentiæ ac fidei. Proinde Pittacus rectè, cùm ei hostiam misisset rex Aegypti, iussissétq; optimam & pessimam carnem eximere, exemtam linguam ei misit: vt cùm bonorum, tum malorum maximorum instrumentum. Ino autem Euripidea liberè sese prædicans, ait se scire

Tacereq; in loco: & cùm tutum est, eloqui:

qui enim generosè, & re vera regio more instituuntur, primùm tacere, deinde loqui discunt. Antigonus ille rex, filio quærenti quando castra essent moturi: Quid, inquit:

inquit? metuis ne solus tu non audias tubam? Ergo vocem ei arcanam non credidit, quem erat regni hæredem habiturus? immò autem docuit eum in talibus rebus continenter se & cautè gerere. Metellus senex militiæ simile aliquid interrogatus: Si, inquit, scirem tunicam meam arcani mihi consciam, exutam profectò in ignem abiicerem. Eumenes cùm audiuisset Craterum adversus se cum copiis venire, nemini amicorum rem aperuit, sed Neoptolemum esse finxit. hunc enim milites Eumenis contemnebant: illius & gloriam admirabantur, & virtutem diligebant, rem ipsam excepto Eumene norat nemo. Commissa igitur pugna vicerunt, Craterúmque ignari interfecerunt, mortuúmque demum agnouerunt. Ita taciturnitas callidè certamen hoc gessit, tantúmque adversarium occultauit. atque adeò amici magis admirati sunt Eumenem qui non prædixisset, quàm repræhenderunt. Tametsi vt maximè culperis in tali casu, præstat saluis rebus ob non habitam fidem incusari, quàm eos accusare, quorum fidem secutus perieris. Omnino autem quo ore obiurgabis eum qui non tacuit id, quod tu ei dixisti? Si enim tacitum & ignoratum oportuit, malè alteri fuit indicatum. si verò rem arcanam ex te dimittens in alio continere vis, iam tua prodita in alius confugisti fidem. qui si tui similis est, iure peris: si melior, præter rationem seruaris, invento qui tibi sit quàm tu ipse fidelior. Inquies, At meus est amicus iste. Sanè. Sed & hic amicum habuerit, cui tantundem credat, isque rursum alij. ita deinceps incrementum facit multiplicatúrque continuata incontinentia oratio. Quemadmodum enim vnitas non egreditur suum terminum, sed (quod & nominis ratio docet) simpliciter vnum manet: binarius autem principium infinitum est diversitatis, qui statim duplicando suam mutat naturam, & ad multitudinem vergit. sic sermo in primo manens, verè arcanus est: si ad alterum efferatur, iam famæ locum obtinet. verba enim alata vocat Homerus. Nam neque auem è manibus dimissam facile est denuò compræhendere, neque potest sermo ex ore emissus rursum capi & teneri: sed ab aliis ad alios diditus, Odyss.α,122.

Fertur rotans volucres alas impete.

Quippe nauim à vento correptam funibus & anchoris inhibent, eiúsque velocitatem frangunt. orationi tanquam è portu semel egressæ nulla statio, nullus anchoræ iactus est reliquus: sed magno cum sonitu & fragore vecta autorem in graue magnúmque aliquod coniicit ac demergit periculum.

Namque exigua de lampade Idæum nemus
Succendere possis. atque vni quod dixeris,
Facilè hoc per ciuium aures ierit omnium.

Romanus senatus occultum quoddam consilium per aliquot dies intra se agitauerat. cúmque res ea multum obscuritatis haberet, variásque excitaret suspiciones, quendam senatorum vxor, mulier aliàs pudica, sed tamen mulier, maiorem in modum precibus instando vrgebat, vt arcanum sibi aperiret: deierans interim se silentio rem tecturam, & ni faceret, diris sese devouens exsecrationibus, flénsque & quiritans fidem sibi non haberi. Ille vt stulticiæ eam suæ coargueret, Vincis, ait, mea vxor: proinde audi terribilem rem atque prodigiosam. relatum ad nos est à sacerdotibus, cassitam visam esse volantem cum galea aurea & hasta. de eo ostento vnà cum auguribus deliberamus, ac anxiè disquirimus, bonine an mali aliquid denunciet. tu verò tace. hæc locutus, in forum processit. At verò mulier ancillam, quæ primùm intrauerat, arripiens, pectus suum plangens & crines scindens, Eheu, inquit, mi vir, mea patria, quid nobis fiet? volens docénsque ancillam quærere, Quidnam igitur evenit? Ancilla, postquam interroganti mulier rem narrauit, addidítque communem omnis loquacitatis clausulā, Caue ne cui hæc dixeris, & tace: vix dum à domina vt est digressa, vnà seruienti alteri, quam maximè videbat ociosam, narrationē iniicit. illa amatori suo ad se veniēti exponit. Hoc modo fabula in forum devoluta, ita vt præcurreret autorem, quidam ad eum notus accurrit, & an recens domo adveniat quærit. Ait ille. Nihil ergo, inquit, noui inaudiuisti? Quid, ait ille? an noui aliquid evenit? Tum alter: Cassita, inquit, cōspecta est volās, hastata, aurea casside: ac de eo principes senatum habebunt ostento. Ibi ridens iste, Laudo, ait, mulier celeritatem tuam, qua factum est vt me in forum euntem sermo

hic anteverteret. Proinde ad magistratū accessit, eósque trepidatione liberauit. Vt autem mulierem vlcisceretur, domū reversus, Perdidisti me, inquit, mulier: compertum est enim è domo mea in publicum elatum esse arcanum: itaque ob tuam incōtinentiam solum mutare cogor. Euntique inficias, & dicenti, Quasi verò tu non trecentesimus ipse hæc audiueris? Quomodo, inquit, trecentesimus, qui te vrgente vt periculum facerem possésne audita reticere isthuc confinxerim? Atque hic quidem mulieris suæ continentiam tutò & cautè probauit, velvti in vas fathiscens non vinum aut oleum, sed aquam infundens. Fuluius autem amicus Augusti Cæsaris, cùm hunc deplorare audiuisset domus suæ solitudinem, cùm & duo è filia nepotes morte sublati essent, & qui restabat vnicus Postumius propter calumniam in exsulio viueret, cogeretúrque priuignum imperij successorem relinquere, quanquam miseraretur, cuperétque ex exsulio nepotem revocare. hæc cùm audiuisset Fuluius, narrauit vxori: vxor porrò Liuiæ indicauit: Liuia acerbè cum Augusto expostulauit, quòd iampridem hoc decreto, nepotem non revocaret, sed ipsam invisam imperij successori redderet. Manè cùm pro more ad Augustum venisset Fuluius, eúmque salutasset, Augustus contrà: Sanam mentem Fului. Sensit rem Fuluius, rectàque domum reversus vxorem acciuit, &: Animadvertit, inquit, Augustus arcanum me non reticuisse, ideóque statui mortem mihi consciscere. meritò, respondit vxor, qui cùm tandiu mecum vixeris, non senseris, neque vitaueris meam futilitatem. sed me sine tibi præcedere. simúlque arrepto gladio se ante maritum occidit. Rectè itaque Philippides comœdiarum scriptor, amicè eum compellanti Lysimacho regi, ac quærenti, Quánam mearum rerum vis te impertiam? respondit, Quacunque volueris ô rex, dum modò nullo arcano. Præterea garrulitati malum hoc ipso non minus malo adest curiositas. Multa enim audire volunt garruli, vt multa habeant quæ dicant. ac maximè arcana & abscondita scrutantur atque investigant, futilitati tanquam materiem quandam obsoletam sarcinarum apponentes. Deinde sunt instar puerorum, qui glaciem neque tenere volunt neque dimittere: immò velvti serpentibus in sinum collectis, non continent, sed ab iis perroduntur. Belonas pisces, & viperas partu rumpi aiunt. Arcana autem eos qui non continent, foràs elapsa perdunt. Seleucus Callinicus in pugna adversus Galatas omni exercitu, omnibus copiis amissis, abiecto diademate eques tribus vel quatuor comitantibus profugit: & per avia longum iter vagatus, ac iam animum ob inopiam despondens, ad casam quandam pervenit, ac cùm forte fortuna in dominum eius incidisset, panem & aquam petiit. is non ista modò, sed & quæ alia ruri aderant liberaliter comitérque præbuit. cúmque faciem regis agnouisset, non continuit se præ gaudio istius casus, neque cupientis latére regis dissimulationem adiuuit: sed cùm ad viam vsque deduxisset, & iam discederet, Salue, dixit, ô rex Seleuce. Tum rex porrecta dextra, eum ad se trahens velvti osculaturus, vni comitum innuit vt ceruicem homini præcideret:

Curiositatis mala.

Iliad. κ, 457. *Sic caput ésteque loquentis adhuc cum puluere mistum.*

qui si tacuisset, & se aliquantulum repressisset, paulo pòst à rege rursum florente & opibus aucto maiorem puto pro silentio quàm pro hospitalitate gratiam retulisset. Quanquam hic quidem vtcunque suæ incontinentiæ excusationem habuit spem, & exhibitum officium. Plerique autem garrulorum etiam sine causa seipsos perdunt. In tonstrina quadam (vt exemplis res pateat) orto sermone de tyrānide Dionysij, quòd ea adamantina & inexpugnabilis esset: tonsor ridens, Hæccine, inquit, vos de Dionysio dicere? cuius ego ceruici paucis itidem interpositis diebus nouaculam adhibeo. Hæc cùm ad Dionysium essent allata, hominem in crucem sustulit. Non autem est abs re tonsores esse loquaces. nam loquacissimi ad eos confluunt iísque adsident: ita vt consuetudinem garriendi inde parent. Itaque eleganter Archelaus rex garrulo tonsori, qui iam tectis linteo humeris quærebat, Quomodo te tondebo rex? respondit, Tacens. Sed & Atheniensium magnam in Sicilia acceptam cladem tonsor primus annunciauit. qui cùm de ea inaudiuisset in Peræeo ex inde fuga elapsorum cuiusdam seruo, statim officina relicta contento cursu in Astu se proripuit,

Tonsores.

Iliad. χ, 207. *Ne quis præriperet decus hoc,—*

famam in vrbem apportans,

—Post

—*post ipse veniret.* Ibi orto, vt solet, tumultu, populus in concionē collectus, autorem rumoris quęsiuit. adducit ergo tonsor ille, examinatur: qui sane etiam nomen indicis ignorabat, & principium rumoris sparsi in ignotam ac nomine carentem personam referebat. Exinde fremitus & clamor in theatro, Torque & excrucia scelestum, qui isthæc finxit atq; composuit: quis enim alius audiuit, quis credidit. Adfertur rota, intenditur tonsor. sub hoc ipsum adsunt nuncij calamitatis, qui ex ipsa clade profugerant. itaq; omnes dissipati singuli ad suos sunt luctus, miserum tonsorem rotæ illigatum relinquentes. Atq; is serò & iam sub vesperam solutus, è lictore quæsiuit, Audiuissentne etiam de Nicia duce exercitus, quo is modo perierit. Adeò inexpugnabile & inemendabile malum fit consuetudine garrulitas. Et verò sicvt qui amara & malè olentia medicamenta biberunt, ipsa etiam oderunt pocula: sic qui mala annunciant, auditoribus invisi sunt. Sanè Sophocles venustè istam dubitationem proposuit:

In mente numnam, vel morderis in auribus?
Cur tu dolorem mi imputas, vbi tuæ
Facti autor ægrè menti facit, ego auribus?

nam molestia afficiunt vt ij qui lædunt, ita etiam qui factum narrant. Sed tamen nulla est linguæ fluentis inhibitio, nulla coërcitio. Lacedæmone Mineruæ Chalciœci templum repertum est compilatum, intúsq; iacens inanis lagena. ea de re cùm inter multos qui accurrerant disquireretur: quidam è corona hominum, Si vultis audire, inquit, ego vobis exponam quid mihi in mentem venerit de hac lagena. existimo sacrilegos rem aggressos ita periculosam, priùs cicutam bibisse, ac vinum secum attulisse: vt si fallerent, epoto mero vim veneni diluerent, incolumésq; discederent: si verò deprælienderentur, ante tormenta facili & doloris vacua morte decederent. Hæc illo fato, res tam intricata ac perplexa, visa fuit non suspicantis aliquid tale, sed scientis. Itaq; circumfusi homini, alius alivnde ceperunt interrogare, quisnam esset, cuive notus, & vnde ista haberet cognita. denique hoc modo examinatus, confessus est se vnum de istis esse sacrilegis. Quid? qui Ibycum interfecerant, nónne eodem modo sunt deprælienfi? Hi cùm sederent in theatro, ac fortè tum grues essent conspectæ, cum risu invicem sibi insusurrauerunt, Ibyci vindices adesse. Hanc vocem qui propiùs assidebant, quòd iam multo tempore nusquam apparens Ibycus desideraretur, exceperunt, indiciúmque de ea ad magistratum detulerunt. ita illi facinoris comperti, ad supplicium abducti sunt, non à gruibus eo iniuncto, sed à sua ipsorum linguæ impotentia tãquam Erinny quadam & vltrice Dira coacti cædem prodere. Sicvt enim in corpore ad malè affectas & dolore correptas partes feruntur atque vergunt quæ sunt in vicinia: sic loquacium lingua perpetuò inflammatione laborans atq; palpitatione, trahit & adducit ad se aliquid arcanorum & absconditorum. Oportet igitur eam obthuratam habere: & ratione velvti obiice linguæ opposito identidem fluxum eius lapsúsq; cohibere. ne stultiores anseribus videamur esse, quos aiunt cùm è Cilicia transvolãt Taurum montem aquilarum plenum, singulos recepto in os iustæ magnitudinis lapide, quo tanquam fræno aut claustro vocem compescant, ita noctu latẽtes tacitè traiicere. Iam si quis quærat quisnam hominum pessimus atq; perditissimus sit, nemo vtiq; proditore omisso alium quenquam responderet. At enim Euthycrates domui suæ è Macedonicis lignis fastigium imposuit, vt ait Demosthenes: Philocrates multo accepto argẽto scorta piscésq; emit: Euphorbo & Philagro, qui Eretriam prodiderunt, agrum rex adsignauit. Garrulus autem proditor est nullo conductus precio, vltróq; suam offert operam. non equos prodens, aut munitiones: sed arcana publicans dicta in iudiciis, in seditionibus, in certaminibus de republica: nemine ipsi agente gratias, quas ipse vltrò debet si audiatur. Ergo quod dictum est in eum qui temere & absq; iudicio sua profundebat ac donando prodigebat:

Suo iudicio per euntes.

Garruli proditores.

Non tu humanus es, vitio laboras, nam gaudes dare.

id etiam in garrulum competit. non amicus es, non benevolus qui ista indicas: morbo hoc laboras, quòd gaudes loquendo & nugãdo. Verùm hæc non accusandæ, sed curandæ sanandæq; garrulitatis gratia dici intelligendum est. Vitia enim iudicio & exercitatione cùm vincantur, iudicium præcedat oportet. nemo enim se adsuefacit ad vitandum & ex animo evellendũ ea, quæ molesta ei non sunt. invisa autem nobis fiunt vitia, cùm ratione perspicimus quæ damna ea dent, quam adferant turpitudinẽ. Quo

Vitia vt curentur.

modo nunc cernimus, garrulos dum volunt amari, in odia incurrere: dum gratificari, molestiam adferre: dum in admiratione esse, rideri: nullo cum lucro sumtus facere: iniuria amicos afficere, inimicis prodesse, semetipsos pessundare. Itaque primum huius morbi remedium est, ratiocinatio turpium atq; noxiarum quæ ab eo proficiscuntur. Secundo loco rationes sunt subducendæ eorum, quæ à contraria virtute veniunt, bonorum. sempérque audiendæ, memoritérque tenendæ & in promtu habendæ sunt taciturnitatis ac silentij laudes, eorúmq; maiestas, sanctimonia, ac cum sacris arcanis similitudo: & quòd maiori sunt in admiratione, magis cari sapiétésq; habentur quàm effrænes isti & concitati, ij qui rotundi sunt ac breuiloquentes, & quorum in exigua dictione multus inest sensus. Nam & Plato hos laudat, similes esse dicens peritorum iaculatorum, dum crispa, ac densa, inter séque convoluta verba emittunt. Et Lycurgus ciues statim à puero suos silentio compescens, ad huiusmodi contractè ac pressè loquendi peritiam condocefecit. Etenim sicvt Celtiberes ferro aciem soliditatémque parant, eo in terram defosso crassas terrestrésque partes expurgando: ita Laconica oratio cortice carebat, & supervacaneorum remotione in efficacitatem coacta acuebatur. quippe illa scitè dicendi breuitas, & versatile in responsionibus acumen, multi erat silentij fructus. Atque id genus dicta maximè sunt loquacibus obiicienda, vt sentiant quantum ea gratiæ habeant atq; virium. Quale est, quod Philippo Lacedæmonij dixerũt: Dionysius Corinthi. & rursum cùm Philippus scripsisset, Si in Laconicam impressionem fecero, extorres vos agam: rescripserunt, Si. Demetrio regi indignanti & clamitanti, Vnum ad me legatum misére Spartani? nihil territus legatus respondit, Vnum ad vnum. In admiratione etiam de priscis sunt breuiloquentes. & templo Apollinis Pythij non Iliadem aut Vlisseam, neq; Pindari Pæanes inscripsére Amphictyones: sed Nosce teipsum, Ne quid nimis, Sponde, præstò noxa: admirati grauitatem tenuis sermonis, in tanta breuitate sensum quasi malleo ductum concludentis. An non ipse ille deus in oraculis breuitati ac compendio studet? & Loxias ideò vocatur, quòd loquacitatem magis fugit quàm obscuritatem? Nónne qui absq; verbis aliquid per tesseram quandam significant, in admiratione sunt, magnísque vehuntur laudibus? vt Heracletus. qui ciuibus postulantibus vt aliquam de concordia sententiam diceret, conscenso suggesto calicem aqua plenum sumsit, farinámque ei inspersam cùm pulegio agitasset, ea epota abiit. cùm demonstrasset ciuibus, in pace & concordia conseruari ciuitates, si contenti esse quibusvis, & nõ requirere sumtuosa ciues nollent. Scilurus Scytharum rex octoginta filios iam moriturus adferre fasciculum hastilium iussit, eúmq; singulis ita vt erat colligatus confringendum dedit. cùm autem quisq; pro se id se præstare posse negaret: ipse vno post alterum extracto hastili, omnia nullo negocio confregit. ostendens concordiam ipsos firmos & insuperabiles cõseruaturam: dissidio imbecilles & instabiles eorum res redditum iri. Si quis ergo hæc & similia horum continenter recitet atq; repetat, opinor nugis gaudendi finem eum facturum. Mihi quidem etiam seruus, de quo dicam, pudorem admodum incutit, consideranti quid rei sit rationi animũ advertere, et institutum animi tenere. P. Piso orator, ne interturbaretur, seruis mandauerat vt tantùm ad interrogata responderent, nihil præterea dicerent. Evenit, vt Clodium, qui tum magistratum gerebat, amiciciæ gratia ad conviuium, quod (vt moris erat) splendidum instruxerat, vocari iuberet. Vt hora cœnæ appetiit, cùm iam adessent reliqui conviuæ, exspectabatur Clodius: ac seruum qui solebat conviuas inuitare, aliquoties misit Piso visum an veniret. vespere iam facto, cum advẽtus eius desperaretur, Quid, inquit Piso seruo, an non inuitauisti Clodium? etiam, respondit. Cur ergo non venit? quia venturum se negauit. Cur id non statim dixisti? quia de eo abs te non fui interrogatus. Hic est seruus Romanus. at Atticus domino fodiens interim narrabit quibus conditionibus pax sit facta. Tanta est in omnibus rebus vis consuetudinis. Ac de hac quidem iam nunc dicemus. Non enim fræno iniecto cohiberi garrulitas: sed adsuefaciendo morbo illo obstari potest. Primùm itaque vbi ex iis qui vnà sunt aliquid quæritur, tacere adsuescito, donec omnes respondere abnuerint.

Silentij & breuiloquentiæ laus.

In Protagora.

Frugalitas.

Concordia

Adsuefactione garrulitas vitãda.

Cursus enim non finis idem, & consilij,

ait Sophocles: neq; vocis & responsi. quippe in cursu victoria est alios antevertentis. hic, si rectè respondit aliquis, satis est collaudando & adstipulando candidi hominis opinio-

opinionem reportasse: sin verò, tum & docere quod fuit ignoratum, & implere quod deerat citra invidiam & importunitatem licet. Maximè autem attendamus nosmetipsos, ne alio quodam interrogato, ipsi occupemus respōdere. Fortasse enim ne alias quidem convenit, vbi quid ab alio petitur, nos illo dimoto à nobis hoc promittere. vtrique enim videbimur exprobrare, alteri quòd non possit præstare quod poscitur, alteri quòd nesciat postulare inde, vnde possit accipere. Maximè autem in responsionibus huiusmodi temeritas & audacia cum iniuria coniuncta est. Nam qui respondendo præcurrit eum qui fuit interrogatus, simul isthæc innuit: Quid attinebat ex isto quæri? Quid ille nouit? Me præsente non debet alius de hisce rebus interrogari. Atqui sæpenumero interrogamus, non quòd responso nobis sit opus, sed quòd vocem aliquam, & comitatem elicere, & ad colloquium adducere interrogatum volumus. vt Socrates Theætetū & Charmidem. Ergo quale est accurrere & osculari eum, qui volebat osculū alius, aut intuentis in alium oculos in se avertere: tale est occupare respōsionem, auresq; & cogitationes ab alio in se traducere. vbi etiam si is qui interrogatus est, respondere detrectet, pulcrum est se continere, & ad voluntatem interrogātis accommodato, tanquā in provocatione aliena, responso modestè atq; verecundè occurrere. Etenim interrogatus aliquis si non satis commodè respondeat, veniam meret ac consequitur. qui vltro in se respondendi munus alteri præreptū suscipit, is cùm bene se gerens molestiā exhibet, tum aberrans gaudio & risu omniū excipit. Proxima cōdocefactio est, quæ ad nostras vbi interrogati sumus pertinet responsiones: vbi maximè cauere debemus futilitatem. primùm quidem, ne per imprudentiam seriò respondeamus iis qui risus aut contumeliæ causa nos ad dicendū provocant. Quidam enim nullo vsu exigente, ioci tantùm & fallendi temporis gratia cōpositas ab sese quæstiones ad garrulitatem procliuibus proponunt, vt eos ad nugandū pertrahant. Adhibenda est hîc cautio, ne celeriter ad dicendum, ac velvti gratiam agentes ob oblatā verba faciendi ansam prosiliamus. sed & mores interrogantis consideremus, & vsum loquēdi. Quòd si videat re vera voluisse aliquid cognoscere: tum cōtinere nos discamus, & inter interrogationem atq; responsionem aliquid interiicere intervalli: vt & adiicere, si quid libeat, possit is qui interrogat: & interrogatus quid respondendum sit dispicere, ne raptim antevertat interrogantem etiamnum ac (vt sæpe fit) festinando diuersum ab eo quod quærebatur respondeat. Sanè Pythia etiam priusquam interrogaretur aliquando, oracula edebat. deus enim, cui inseruit,

Mente videt muti sensa, exauditq; tacentem.

Qui verò concinnè respondere vult, ei accuratè sententia & institutum interrogantis est percipiendum: ne id eveniat, quod est in proverbio:

Ego postulabam rutra, sarcula hi negant.

Alioquin etiam effusa illa ad dicendum tanquam ab acri fame proficiscens festinatio inhibenda est: ne videatur interrogatione quasi fluxus quidam linguam occupās nobis volentibus eductus. Etenim Socrates ita sitim reprimebat, non permittens sibi ipsi vti à gymnasio biberet antè, quàm primam vrnam haustam effudisset: vt condocefaceret brutam animæ partem ad exspectandam loquendi opportunitatem. Proinde tria sunt genera respondendi ad interrogata: necessarium, come, superfluum. Ponamus exemplum. Interrogatus aliquis, intúsne Socrates? tanquam inuitus & nihil quicquam alacris respondebit, Non est intus. aut si placuerit Spartanos imitari, tantùm hoc referet, Non. quomodo illi Philippo per epistolam sciscitanti an se in vrbem admitterent, epistolam NON litteris magnis inscriptis miserunt. Alius humanius respondebit, Non est intus, sed in mensa. additamenti quoque, si videbitur, loco, adiiciet, Ad mensas eum esse, & ibi hospites quosdam præstolari. Supervacaneus autem ille & loquax, siquidem etiam fortè Antimachum legerit Colophonium, sic respōdebit: Non est intus, sed ad mensas, hospites expectans Iones, pro quibus ad ipsum scripsit Alcibiades, apud Miletum degens cum Tisapherne satrapā regis Persiæ, qui antè Lacedæmoniis, nunc propter Alcibiadem Atheniensibus opitulatur. nam Alcibiades conficiendi in patriam reditus gratia Tisaphernem suis conciliat. Deniq; cōtenta oratione totū octauum Thucydidis librū recitabit, eóq; auditorem proluet, donec & Miletus capiatur, & Alcibiades denuò in exsuliū agatur. Hoc loco maximè inhibēda est garrulitas, vt interrogationis velvti vestigia respondēdo sequaris, responsionémq; interrogātis vsu tanquā centro & circino circumscribas. Carneadem, cùm in gymna-

Respondēdi genera.

ſio diſſereret, neqꝫ dum magnam ſibi paraſſet gloriam, præfectus gymnaſij, miſſo quid id nunciaret iuſſit de vocis magnitudine (erat autem vocaliſſimus) aliquid remittere. cúmqꝫ is peteret, vt ſibi modus vocis ab eo daretur, non inepte ſubiecit præfectus, Do tibi modi loco eum, qui cum diſputas. Reſpondenti itidem modus ſit voluntas interrogantis. Porrò autem ſicvt Socrates maximè ab iis abſtinendũ cibis aiebat, qui non eſurientes ad edendũ, & potibus, qui non ſitientes ad bibendum pelliciunt: ſic & eos ſermones ad garrulitatem procliuis maximè vitet, ad quos cum voluptate aliqua fertur, inqꝫ iis ſolet eſſe nimius: eóſqꝫ occurrentes ſibi averſetur. Puta, bellicoſi multi ſunt in bellis narrandis: talémqꝫ facit Homerus Neſtorem, ſæpenumerò ſua præclara recenſentem facinora. eodémqꝫ modo iis qui in iudicio cauſas obtinuerunt, aut præter exſpectationem apud reges vel principes viros gratioſi fuerunt, velvti morbus quidam incidit atqꝫ comitatur, quod ſæpenumerò memorant narrántque, quo modo ingreſſi, adducti ſint, certauerint, diſſeruerint, actores aut adverſarios aliquos redarguerint, laudem retulerint. Eſt enim gaudium longè comica illa vigilia loquacius, ſubinde ſeipſum exſuſcitans, & narrando innouans. itaque procliues ad huiuſmodi ſermones quavis data anſa feruntur. Non enim tantummodò

Iliad. α, ι, λ, ψ, etc.

Vbi dolor vrget aliquem, ibi manum tenet.

ſed & delectatio vocem in ſe habet, ſecúmqꝫ linguã circumducit, ſemper cupiens memoriam ea fulcire. Ita & amantes pleruncqꝫ in eo occupatos videas, vt ſermone aliquo memoriam eorum quæ amant repræſentent. de quibus ſi non cum hominibus, ſaltem cum rebus animæ expertibus colloquuntur. vt,

O ſponda mi cariſsima. —— Et,
Lucerna beata, Bacchis te deum putat,
Eiqꝫ ſi videre, deorum es maximus.

Nimirum autem garrulus eſt vbi ad verba venitur alba (quod dicit̃ proverbio) amuſſis. & tamen alius ad aliud ſermonis genus cùm ſit propenſior, id ipſum potiſſimũ vitare, ab eóqꝫ ſe abſtinere & revellere debet: quia hoc eum quàm lõgiſſimè provehere, & ob voluptatem prolixum in loquendo facere poſſit. Eodem modo affici ſolent ſermonibus de eo rerum genere, in quo ob peritiam habitúmve aliquem aliis ſe præſtare cenſent. ſui enim, & gloriæ ſtudioſi tales homines, quiſqꝫ

Partem diei tribuit maximam huic rei,
In qua præſtare nouit ipſus ſe ſibi.

ſic qui multæ lectionis eſt, hiſtorias, grãmaticus artificia ſermonis, peregrinas res qui multum terræ pervagatus eſt, ſolent inculcare. Itaqꝫ hîc quoqꝫ adhibenda eſt cautio. ineſcata enim garrulitas iis rebus tanquã animal ad vſitata ſibi paſcua fertur. Dignus admiratione Cyrus, qui cum æqualibus contentiones ſuſceperit, non earum rerum in quibus pręſtabat, ſed quarũ erat imperitior: ad has provocans, vt neqꝫ contriſtaret eos vincens, & diſcendo vtilitatẽ perciperet. Contrà garrulus, ſi ſermo incidat de re aliqua, vnde diſcere & cognoſcere aliquid ſibi ignotũ queat: eum profligat, neſcius tacẽdo ei exiguã dare mercedem. orationem verò in obſoletos iam & vſu protritos cẽtones in orbem redigit. Ita quidam apud nos, cùm forte fortuna duos aut tres legiſſet Ephori libros, omnes obtũdebat homines, & omnia cõviuia devaſtabat, ſemper Leuctricam pugnã & quæ ſequuntur narrans. vnde Epaminondę cognomentũ ei factum fuit. Enimverò hoc quidem omnium eſt malorum minimum, eóqꝫ avertenda eſt loquacitas. minus enim eſt moleſta, quando rerum ad humanitatẽ pertinentium cõmemoratione nimia peccat. Quin & adſuefaciẽdi ſunt qui vitio huic ſunt obnoxij, vt ſcribant aliquid, & ſeorſim diſſerant. Stoicus quidem Antipater, vt fert̃, cùm neqꝫ poſſet neqꝫ vellet congredi cũ Carneade, magno cum impetu in Stoicos invehente, interim ſcribẽs libróſqꝫ implens cõtradictionibus adverſus eum, Calamoboas appellatus eſt, ꝙ calamo ſcilicet vociferaret̃. garrulum aũt vmbratilis illa ſcribendi cõcertatio & vociferatio à multitudine abducens, fortaſſis paulatim tolerabiliorem conſueſcentibus præbuerit. ſicvt canes vbi in ligna aut lapides deſæuierunt, minus adverſum homines ferociunt. Congruet illis etiam admodum perpetua cum præſtantioribus & ſenioribus conſuetudo. vt verecundia illorum exiſtimationis ducti ad tacendũ adſueſcant. Atqꝫ his quidem adſuefactionibus ſemper debet adhiberi & implicari hęc obſeruatio & ratiocinatio, vbi aliquid ſumus dicturi, & verba ad os procurrunt: Quiſnam eſt hic ſermo

sermo qui instat & vrget? quorsum tendit lingua? quid boni dicendo, quid mali tacendo sum consecuturus? Neq; enim oratio vrgens deponenda est oneris in morem, cùm etiã emissa permaneat nihilo minus. Sed aut suæ alicuius necessitatis causa loquuntur homines, aut vt prosint auditoribus, aut gratiæ inuicẽ alicuius cõciliandæ causa conversationẽ actionémve susceptam sermone tanquã sale condiunt. vbi verò neq; dicenti vtile, neq; audienti necessarium est quod dicit̃, neq; voluptatẽ aut gratiã parit: quorsum dicitur? vanitas enim & frustra esse, non minus in verbis quàm in rebus locum habet. Præter hęc omnia postremo loco in promtu habeat̃ & memoriæ inhæreat Simonidis illud, qui dixit sępe pœnitentia se ductũ quòd locutus esset, nunquã quòd tacuisset. Tum hoc, adsuefactionis magnã esse in omnibus rebus vim. quãdo singultũ etiam & tussim homines attendendo profligantes, cùm labore & dolore expulerunt. Silentium autem non siti modò, vt Hippocrates ait, sed molestia etiam ac dolore vacat.

PLVTARCHI
De cupiditate diuitiarum libellus.

HIPPOMACHVS alipta, quibusdam hominem procerum longísq; manibus præditum laudantibus, tanquam ad pugillationẽ aptum: Sanè, inquit, si corona in sublimi suspensa foret detrahenda. Idem hoc vsurpare licet qui pulcros fundos, & amplas domos, argentíq; copiam cum stupore admirantur, ínq; his felicitatem ponunt: rectè scilicet iudicare eos, siquidem vænalem beatitatem emere oporteret. Et verò multos videas, qui diuites iuxtáque miseri esse malint, quàm pecunia impensa felices fieri. Atqui non est vænalis argento vacuitas doloris, magnanimitas, constantia, confidentia, vita tota ex sese apta. diuitiæ in se non habent contemtum opum, neq; supervacanearum possessio rerum hoc præstat vt eas non requiras. Quo autem alio malo diuitiæ liberent, si ne cupiditatem quidem diuitiarum tollunt? Sanè potu bibendi appetitus exstinguitur, & cibus cibi desiderio medetur: & is qui dicit,

Da pallium Hipponacti, nam valdè algeo,

si quis plures ingerat vestes, non ferat sed reiiciat. At auariciam neq; argentum neq; aurũ exsaturat, neq; auctis opibus aboletur. sed dici potest de diuitiis, id quod in medicum gloriosum dictum est,

Tuum remedium morbum grauiorem facit.

quippe nos qui pane opus habebamus, domóq; & operculo modico, ac qualicunque obsonio nactus, impleuit concupiscentia auri, argenti, eboris, smaragdorum, canum, equorũ: appetitu à rebus necessariis ad difficilia, rara, magno labore parãda, & inutilia averso. Etenim rerum ad vitam tolerandam sufficientium nemo est pauper, neq; vnquam fenore argẽtum sumsit homo vt emeret caseum, panem, oliuas. sed aliũ sumtuosa domus debitorem fecit, alium oliuetum finitimum, alium granaria, vineę, alium mulæ Galaticæ, alios iugales equi

Pulsantes vanos currus —— Iliad. ι, 453.

præcipitauerunt in voraginem contractuũ, fenorum, pignorũ. pòst, sicvt qui post exstinctam sitim bibunt, & edunt postquã fames sublata fuit, vnà evomunt quæ esurientes & sitientes ingesserant: ita qui invtilia appetunt atq; ociosa, ne necessaria quidem retinent. Hi quidem tales sunt. Qui verò nihil amittunt, sed cùm habeant multa, plura semper desiderant, eos magis adhuc miretur aliquis, Aristippi memor. Solebat enim is dicere, Si quis multa edens, multa bibens, nunquam saturaretur, eum ad medicos iturum, & interrogaturum, qualis hic morbus, quæ affectio, quis sanandi modus esset. Si quis autem quinq; habens culcitras, decem requireret, & decem mensas possidens, alias totidem coëmeret, multísq; prædiis, multo argento parto non expleret̃, sed ad alia paranda se intenderet, vigilaret, neq; vllis rebus ei satisfieret: eum nõ putare sibi medico opus esse, qui causam huius affectionis ostenderet. Atqui sitientẽ qui nondum biberit, spes est potu sitim aboliturũ: qui verò continenter bibens sitire nõ desi-

nat, non impletione sed purgatione censemus opus habere: & vomere iubemus, quia non indigentia eum vexet, sed acrimonia aut calor aliquis contra naturã inhęrẽs. Eodem ergo modo de his qui in rebus cõparandis sunt, pauperem & indigum apparet finem facturũ, si domum nactus fuerit, aut thesaurũ invenerit, aut amico opitulãte debitum persoluerit creditoriq; satisfecerit. Qui verò plura necessariis possidens plura expetit, eum non aurum & argẽtum, non equi, oues, boues sanare possunt, sed iactura opus habet ac purgatione. nõ enim pauperie laborat, sed inexplebili auaricia, ob prauam & rationis expertem opinionem inhærentem animo. quam nisi quis evellat, tanquam obliquum nodum, nunquam desinet appetere supervacanea: hoc est concupiscere quæ nihil attinent. Medicus si intret ad hominem in grabato iacentem, gementem, & cibum aversantẽ, si tetigerit ac inquisiuerit omnia, & febre eum vacare depræhenderit, fatus animi esse morbum discedet. Nos quoq; cùm videbimus hominem rei faciendæ prorsus deditum, gementem cùm sumtus facit, nulla re turpi, nulla molesta abstinentem quæ ad lucrum conducat, possidentem domos, prædia, greges, seruos, vestes: quo alio morbo laborare dicemus, quàm paupertate animi? Nam pecuniariam paupertatem, vt ait Menander, vnus aliquis amicus beneficus sanauerit: animo inhærentem illam non exsaturauerint omnes & viui & mortui. Rectè adeò in hos Solon dixit:

Diuitiarum homini finis non vlla statuta est.

quippe qui sana sunt mente, iis naturæ diuitiæ definitæ sunt, terminúsq; adest vsu tanquam centro & circino circumscriptus. Peculiare hoc est amori diuitiarum, quòd hæc cupiditas pugnat cõtra sui impletionem, ad quam reliquæ momentum afferunt. nemo enim obsoniorum cupidus, propterea obsonio abstinet, neque vino quia vinosus: pecunia auari ob amorem pecuniæ abstinent. At quî non sit hæc insana & miserabilis animi affectio, propter frigus veste, propter famem pane, propter auariciam pecunia non vti? Est hoc de Thrasonidæ malis. Apud me (inquit) intus est, licet vti, & volo vt qui insanissimè amant: non facio autem. Ergo cùm concluserim omnia, & obsignauerim, & numerauerim feneratoribus ac negociatoribus, alia colligo, & sector, & certo cum seruis, cum colonis, cum debitoribus. Apollo, an vnquam vidisti hominem infeliciorem, aut qui miseriùs amaret? Sophocles interrogatus vteretúrne rebus venereis, Bona verba, inquit, homo. libenter verò isthinc à furioso & agresti domino profugi. Est enim scitum simul cum voluptatibus etiam concupiscentias dimittere, quas Alceus ait neq; virum subterfugere neq; mulierem. Hoc verò in auaricia locum non habet. quæ velvti molesta & morosa hera parare cogit, frui prohibet: & concupiscentiam cùm excitet, voluptatem adimit. Stratonicus Rodiorum luxum subsannans, ædificare eos aiebat tanquam immortales, & obsonari vt breue tempus victuros. Auari autem in parandis rebus sumtuosorum similes, partis vtuntur vt sordidi. ac labores quidem sustinent, voluptates autem non percipiunt. Demades cùm aliquando prandenti Phocioni supervenisset, videretq; mensam eius tetricam & parcam, Miror, inquit, te, qui sic prandere possis, remp. tractare. Ipse enim ventrem suis actionibus in rep. procurabat suum: &, quòd Athenas exiguum putaret suæ luxuriæ viaticũ, è Macedonia præterea commeatũ petebat. Itaq; Antipater cùm eum vidisset iam senẽ, dicebat Demadis tanquã confectæ victimæ nihil superesse præter ventrem & linguam. Te verò, ô miser, quis non miretur? qui cùm possis viuere tam illiberaliter, inhumaniter, qui neminem vlla re impertias, & erga amicos tam sis durus, neq; vllam in ciuitatem exerceas munificentiam: tamen te affictes, vigiles, conducas opera, hæreditates cernas, omnibus te rebus submittas, tantam habens ad viuendũ absq; negociis occasionem illiberalitatẽ. Byzantium ferunt, cùm adulterũ cum vxore sua deformi cõpræhendisset, dixisse: ô miser, quæ necessitas te huc adegit? * tu quæ contur bas succendis *. Heus improbe, reges necesse habent opes parare, & regij procuratores, ac qui in ciuitatibus principem tenere locum atq; imperare volunt. his opus est parto, dum ambitione, iactantia, & inani ostentatione impulsi conviuia præbent splendida, largiuntur, stipant, dona mittunt, milites alunt, gladiatores emunt. Tu verò, tot tantáque possidens, angis versásque teipsum co chleæ vitam ob sordes viuens, ac difficilia omnia perferens, nunquam consequeris vt bene sit tibi. & planè asinum balneatoris refers, qui ligna & malleolos identidem adportans, fumo semper & fauilla oppletus, in nullam lauacri, caloris, mundiciæq; partem venit. Atque hæc dicta

cta mihi sunt in asininam istam & fornicariam diuitiarum cupiditatem. Alia porrò est belluina ac fera, quæ calumnias struit, hæreditates invadit, in fraudem inducit, solicitè inquirit ac numerat amicorum quot adhuc viuant: deinde ad nullã rem vtitur bonis vndiq; conquisitis. (Belluina auaricia.) Ergo sicvt viperas, cantharides, & phalangia magis vituperamus atq; odimus quàm leones & vrsos: quòd illæ bestiæ homines interficiunt, neq; interfectorum vllus iis est vsus. ita maiore digni sunt odio qui propter illiberalitatem & sordes mali sunt, quàm qui propter intemperantiam. auferunt enim aliis ea illi, quibus vtendi nullam habent facultatem. Itaq; hi quidem copia rerum parta ferias agunt, suppeditante luxuriȩ materia. quomodo Demosthenes iis dixit, qui Demadem improbitati finem fecisse putabant, Nunc eum plenum videri instar leonis. Qui verò nulla voluptate, nullo vsu proposito opibus inhiant, eorum auaricia nullas admittit inducias, nullum ocium, cùm semper inanes sint & omnia desiderent. Dicat fortassis aliquis, liberis eos & hæredibus thesauros congerere. Quî verò? quibus viuẽtes nihil dant? vt similes sint muribus qui in metallis chrysitidem (ea est terra glebulas auri pmixtas habens) vorantes, aurũ non reddunt nisi mortui & dissecti. Cur ergo liberis & hȩredibus volunt multũ pecuniæ & rem auctã relinquere? scilicet vt hi quoq; aliis hæc, rursúmq; ij aliis seruent, instar figlinorũ canaliũ, qui nihil in se retinent aquæ, sed vnusquisq; proximo à se eam tradit. nempe donec extrinsecus sycophãta aliquis aut tyrannus custode sublato, fractóq; tubulo aliò deriuet avertátq; diuitias. aut, quod dici solet, vnus in ea stirpe pessimus exsistat, qui bona reliquorum omnia devoret. Non enim seruorum modò, quod Euripides aiebat, sed & auarorum filij fiunt intemperantes. Indicauit hoc salsè Diogenes, præstare inquiens arietem esse Megarensis viri quàm filium. Etenim auari dum hæredes suos instituere & informare moribus volunt, pervertunt eos atque perdunt, (Auarorum filij.) auariciam eis & sordes implantantes, eámq; quasi arcem & castellum tutandæ hæreditati aptum in animis eorum exædificantes. Hæc enim sunt quæ docent ac præcipiunt: Lucrare, & parce, ac tanti te crede esse, quantum est quod possides. Hoc verò non est erudire, sed stipare & consuere tanquam crumenam, vt continere ac seruare possit quod iniicitur. quanquam crumena quidẽ iniecto demum argento fit sordida & fœtida: auarorum filij antè quàm accipiant diuitias, implentur paterna auaricia. Et quidem dignam disciplinæ suæ mercedem hi parentibus persoluunt, non amãtes quòd multa sint accepturi, sed infensi iis, quòd non iam nunc accipiunt. Cùm enim didicerint nihil aliud admirari quàm diuitias, neque alium finem propositum vitæ habere quàm multa possidere: parentum vitam suæ impedimento esse existimant, & quantum iis accedit temporis, tantum sibi decedere. Itaq; viuis etiamnum parentibus vtcunq; occultè aliquid voluptatis & fruitionis suffurantur, tanquam de alieno amicis aliquid largientes, & in suas cupiditates insumentes, si quid furtim potuerunt auferre. Vbi verò mortuis parẽtibus claues sunt & sigilla adepti, ibi iam aliud vitæ initur genus, vultúsq; tristis & austerus, & non affabilis. non iam Colophon, non pila, non lucta, non Academia, non Lyceum: sed seruorum examen, tabularum consideratio, cum dispensatoribus aut debitoribus collocutio, occupatio, solicitudo prandium subtrahens, & noctu in balneum agens. exercitationes autem à puero familiares, Dircésq; aqua prætereuntur. quod si quis dicat, Non audies philosophum? Quî possim? dicet: non mihi vacat à morte patris. ô te miserum. quid tantum tibi ille reliquit, quantum est quod tibi abstulit? ocium inquam, & libertatem. immò autem non ille hæc ademit, sed diuitiæ circumfusæ & imperium in te nactæ, velvti Hesiodea illa mulier,

Vrunt absq; face, in crudam trudúntq; senectam. (Operib. 704.)

tanquam rugas intempestiuas, aut canos animo inducentes solicitudines, cupiditates, occupationes, ob quæ elatio animi, eiúsque liberales conatus & humanitatis studium concidunt atque tabescunt. Quid ergo? diceret aliquis. nonne vides quosdam suis opibus largiter vti? Tu autem, respondebimus, non audis quid dicat Aristoteles? alios iis non vti, alios abvti, neutros rectè. nam neque illis sua vsui ornamentóve sunt, & his damnum præterea ac dedecus adferunt. Agedum prius illud consideremus. Vsus ille, ob quem diuitias admirantur, quarum tandem est rerum? an sufficientium ad vitam tolerandam? At hoc modo nihil amplius habent diuites, quàm mediocris fortunæ homines. & cæcæ re vera sunt, vt aiebat Theophrastus, inque nulla admiratione diuitiæ, si Callias Atheniensium, & Ismenias Thebanorum ditissimi iisdem vtebanť rebus, quibus Socrates & Epaminondas. Sic-

vt enim Agatho fistulam è conuiuio ad mulieres emisit, sufficere ratus sermones conuiuarum: ita repudiauerim etiam stragula purpurea, mensas sumtuosas, & supervacanea omnia, videns diuites iisdem vti rebus quibus pauperes. neque verò sic

Hesiod. 45. *Ilicet & temo iam suspendetur ad ignem,*

Iámque boum labor & mulorum cura peribit:

sed præclaro ac sobrio instituto profligatis rebus invtilibus, aurificum, tornatorum, vnguentariorum, cocorum opera cessabit. Quod si res necessariæ diuiti sunt cum pauperibus communes, iactant se autem diuites possessione rerum supervacanearum: & probatur tibi Scopa Thessalus, qui petenti aliquid de eius supellectile, quòd id diceret supervacaneum ac proinde invtile esse, respondit: At his rebus nos sumus beati & felices, supervacaneis, non necessariis istis. vide sis, ne pompam potiùs aliquam & solennem apparatum, quàm vitam laudaueris. Accepta à maioribus Bacchanalium festiuitas antiquitus plebeio more & hilari agebatur. amphora vini, & palmitis sarmētum, tum aliquis caprum trahebat, sequebatur alius calathum ficis plenum gestans. vltimo loco phallus. nunc ea negliguntur & obsoleta sunt, dum interim gestantur aurea pocula, vestes preciosæ, bigæ agitantur, personatíque incedunt. Sic quæ necessaria & vtilia habent diuitiæ, ea supervacaneis & invtilibus obruuntur. Plerisque autem id accidit, quod Telemacho. Is enim ob imperitiam, aut ruditatem potiùs, cùm vidisset domum Nestoris culcitris, mensis, stragulis, vestibus, vinóque dulci instructam, nō laudauit fortunam necessariarum vtiliúmque rerum copia præditi, apud Menelaum autem conspicatus ebur, aurum, & electrum, attonitus dixit:

Odyss. γ.

Odyss. δ, 74. *Talem intus Iupiter, nisi fallor, Olympius aulam*

Possidet. Vt multis hæc ornatissima rebus

Resplendet: me cernentem Veneratio tentat.

Socrates verò aut etiam Diogenes dixisset,

—— Vt miseris, vanis oppletáque rebus

hæc est, & invtilibus:

—— Mihi cernenti ridere subibat.

Quid ais fatue? cum adimere vxori deberes purpuram & mundum muliebrem, vt luxuriandi & hospites depereundi finem faceret: tu interim domum exornas vt theatrū aut thymela intrantibus videatur? Talem habent diuitiæ felicitatem, à spectatoribus & testibus pendentem, quibus omnibus tanquam ad pompam adornatus ostentare se opus habet diues: alioquin ea felicitas, nulla est. Nō ita temperantia, philosophia, deorum recta noticia. nam hæc vt omnes homines lateant, in animo suum habent proprium splendorem, suam lucem magnam: animúsque bonum summum amplectēs gaudium sibi contubernale adsciscit: siue videatur virtus, siue sit diis hominibúsque ignota. Talis res est virtus, veritas mathematum, pulcritudo rerum geometricarum & astrologicarum. cui indignum est istas diuitiarum phaleras, & bullas ac puellaria spectacula comparari. Quippe hæc si nemo videat, nemo spectet, verè cæcæ fiunt & obscuræ diuitiæ. Nam si solus aut cum familiaribus cœnat diues, non ille magnificis mensis aut aureis poculis negocium facessit, sed quibusvis vtitur, mulierque ei sine auro & purpura habitu simplici adest. vbi verò conuiuium, hoc est pompa & spectaculum, paratur, & fabula diuitiarum agitur: ibi demum

Nauibus exportant tripodes simulatque lebetes,

tum lychni curantur, tum occupantur circa calices, mutant pincernas, omnia vestiūt, omne aurum, omne argentum, omnia gemmata promunt, simplices diuitias suas profitentes. At verò temperantia diuiti & animi hilaritate opus est, etiam si solus cœnet.

PLVTARCHI,
Animine an corporis affectiones sint peiores.



HOMERVS mortalia animalium genera contemplatus, facta vitae institutorum atque rationum comparatione exclamauit:

Nil homine in terra spirat miserum magis alma, Iliad. ρ,445.

Nil repit. — primas homini minime felices tribuens, dum mala omnium maxima ei assignat. Nos autem hominem, vt iam infelicitate superantem, omniumque animalium miserrimum proclamatum, ipsum secum comparabimus, instituta peculiarium corporis cum peculiaribus animi malis contentione. quae distributio inutilis non est, sed admodum conveniens: vt discamus propter animumne, an propter nosmetipsos plus miseriae nobis eveniat. Morbus quidem in corpore exsistit à natura. prauitas autem & malicia quae in animo est, primò eius opus, deinde etiam morbus est. Non paruum autem ad animi tranquillitatem momentum adfert, si sanabile sit malum, alleuarique & aboleri tandem possit. Apud Aesopum vulpes de varietate cum panthera disceptans, cùm haec superficiem corporis variegatam maculisque nitentibus compunctam ostentasset, ipsa autem rufum colorem squallidum gereret & ingratum aspectu, Quin tu, inquit, ô iudex, mea quae intus sunt inspiciens, magis me quàm est panthera variam cernes. ingenij ostendens volubilitatē, variè prout vsus incideret versatilis. Ita nobis quoque dicamus. Multos tibi, ô homo, morbos, multos affectus corpus cùm ex se ob naturam effert, tum extrinsecus recipit. quòd si verò intus teipsum aperias, varium aliquod & multis affectū modis penu malorum invenies: atque, vt ait Democritus, thesaurum: non extrinsecus affluentium, sed insitos & indigenas fontes habentium, quos prauitas aperit copiosè largiterque varias fundens affectiones. Quòd si corporis morbi pulsibus & rubore cutis, calore, ac subitis doloribus indicantur: animi autem morbi plerosque fallunt non animadvertentes se in malo esse: hi tanto sunt deteriores, quod sic affecto sui sensum auferunt. nam ratio sana morbos corporis sentit: de animi morbis, simul ipsa laborans, iudicium ferre non potest, affecto eo ipso, cuius erat iudicare. Proinde inter morbos animi primus maximusque est censendus dementia: quae facit vt multis prauitas insanabilis per omnem vitam inhaereat atque commoriatur. Principium enim profligandi morbi est sensus eius: qui malè affectum ducit ad vsum eius quod opitulatur. qui aegrotare se non credit, ideóque nescit qua re indigeat, is remedium etiam si adsit, repudiat. Nam & corporis morbi ij sunt peiores, qui stuporem sensuum habent adiunctum, vt veternus, vt dolor capitis, vt morbus comitialis, vt febres. ipsaeque illae febres, quae vehementi inflammatione animum abalienant, sensum tanquam in instrumento quodam conturbantes

Non antè motas mentis commouent fides.

Itaque medici hoc volunt, vt ne ęgrotet homo: si aegrotet, ne hoc nesciat. At ignoratio ferè omnibus animi morbis accidit. nā neque insaniētes, neque libidinosè, neque iniustè agētes peccare se putant: quidam etiam rem à se praeclarè tum geri censent. Nemo quidem febrem sanitatis, aut tabem firmae corporis affectionis, aut podagram velocitatis pedū, aut pallorem ruboris nomine afficit. animi excandescentiam multi fortitudinis, amorem amicitiae, invidiam certaminis, metum cautionis tutae titulo donant. Inde fit, quod corpore malè affecto medicos vocant, sentientes quo remedio adversus quem morbū indigeant. Animo vitiato, fugiunt philosophos: quòd quibus in rebus peccant, eas se rectè gerere opinantur. Quam nos secuti rationem dicimus, lippitudinem insania leuius esse malum, & podagram phrenitide. Corpore enim ęgrotans, sentit, & medicum invocat, eique oculum invngendum, venam secandam, caput curandum praebet. At insanientem Agauen audis ob animi morbum etiam carissima non agnoscere:

Ferimus è monte capreolum Eurip. Bacchis.
Recens laniatum,
Praedam felicem.

Etenim qui morbo corporis infestatur, is statim concedit seque in lectulum demittit, ibique quietè curationes sustinet. & sicubi inflāmatione accidente nonnihil corpus se commoueat & exsiliat, aliquis eorum qui adsident, placidè fatus,

Idem Orest.

Mane tuis instratis tranquillè miser,

inhibuerit atque detinuerit. Qui verò in morbis animi sunt, tunc maximè agunt, tunc minimè quiescunt. incitationes enim animi, principia sunt agendi. morbi autem animi, sunt vehementiores eius incitationes. itaque quiescere eum non sinunt, sed quando maximè patientia, silentio, & quiete opus est homini, tunc eum sub dium protrahunt & detegunt irę, studium contendendi, amores, offensæ: coguntque pro re nata multa facere iniquè & loqui inconvenienter. Sicvt ergo periculosior est tempestas quæ nauim ad portum appellere non sinit, quàm quæ nauigare prohibet: ita difficiliores sunt animi tempestates, cohibere se hominem, & perturbatam rationem placare ac sedare non sinentes. itaque gubernatore & retinaculis carens homo per tumultum vagúmque errorem cursibus perniciosis & incertis quasi obtorto collo raptus, tandem in terribilem aliquem scopulum impingens naufragium facit, vitámque suam disperdit. Quapropter eò quoque præstat corpore quàm animo ægrotare: quòd corpus tantùm afficitur malè: animus & afficitur malè, & afficit. Et quid attinet multos animi morbos recensere. ipsum temporis punctum nos de re admonet. Videtis ingentem istam et promiscuā turbam hominum, quæ huc in forum & ad tribunal confluxit? Non hi convenerunt vt diis more maiorum colendis rem sacram facerent, non vt gentilibus sacrificiis communicarent, nō vt Ioui Ascræo Lydiorum fructuū primitias offerrent, non vt Baccho communibus per sacras noctes orgiis atque bacchationibus & comesationibus consecrarent libū. sed tanquam anniversariis circuitionibus vigor morbi exasperans Asiam huc eos coëgit, vt iudicia & contentiones, quibus certus dies est constitutus, hîc peragant. multitudo autem causarum tanquam fluminum magnorum confertim in vnum incidit forum, feruétque res, & cōmissa sunt certamina perdentium & pereuntium. Quæ febres, qui epiali tale aliquid efficiāt, quæ instantia aut illapsus aut mala temperies caloris, quæ abvndantia humoris? Si vt homines, ita causam quoque & litem vnamquāque examines, vnde orta, vnde profecta sit: invenies aliam à contumaci ira, aliam à furioso contendendi studio, aliam ab iniusta cupiditate originem traxisse.

PLVTARCHI

De Fortuna Romanorum commentariolus.



Irtvti & Fortunæ, quæ multa sæpenumerò & magna invicem certamina sustinuerūt, maximum in præsentia certamen est de Romanorū imperio, vtra eius autor fuerit, vtra tantam ei imperio potentiam pepererit. Vtra vicerit, ea magnū suæ præstantiæ testimonium, atque adeò magnum depellendi criminis, quod ei intentatur, argumentum reportabit. Accusatur enim virtus, vt pulcra quidem, cæterùm invtilis quæ sit: fortuna, vt bona quidem, sed instabilis. & illius labores fructu, huius dona fide carere aiunt. Quis verò neget virtutem, si ei res Romana addicatur, longè vtilissimam esse, quæ bonis tot bona parauerit? vel fortunam, si penes hanc victoria stet, stabilissimam, cùm quæ dedit, tanto iam tempore conseruauerit? Ion poëta in his quæ soluta oratione scripsit, Fortunam ait, & sapientiam, cùm sint inter se dissimilimæ, similimarum rerum effectrices esse. augent ambæ & ornant viros, ad gloriam, potentiam, imperium evehunt. Quorsum attinet longam enumerationem instituere? ipsam quæ nobis omnia gignit atque profert naturam alij Fortunam esse arbitrantur, alij sapientiam. Itaque præsens disputatio Romæ magnam suspiciendámque conciliabit dignitatem, si de ea id quod de terra, mari, cœlo, sideribus solet fieri, disquirimus Fortunámne an providentiam autorem habeat. Equidem hoc me rectè opinor censere, Fortunam & Virtutem, tametsi maxima & continentia inter se gerunt bella, tamē ad tanti compagē imperij atque potentiæ tantæ structuram pace cōposita coiuisse, humanorúmque operum pulcerrimum communicatis operis absoluisse. Plato affirmat ex igni et terra, vt necessariis primisque, vniuersum mundum coaluisse, ita

Virtutis & fortunæ consensus.

vt

vt & videri posset & tangi. terra grauitatem & stabilitatem conferente, igni autem colorem, formam, motum: reliquis in medio interpositis naturis aqua & aere mollientibus & restinguentibus, itaq; extremorum dissimilitudinem compingentibus, atque materiam temperantibus. Sic vtiq; quod fundamenta Romę iecit Tempus cum Deo, Fortunam & Virtutem coniunxit atq; commiscuit, vt vtriusq; proprias facultates adhibens, omnibus hominibus conficeret Vestam re vera sacram & beneficam, ac stabile retinaculum, & elementum sempiternum, & quod rebus fluctuantibus atq; sublabentibus anchora esset, vt cum Democrito loquar. Sicvt enim physici tradunt, mundum non fuisse mundum, neq; corpora voluisse coëuntia & cōmixta cōmunem ex omnibus formam naturæ præbere: sed aliis paruis etiamnū ac sparsim agitatis, subterlabentibúsq; & comprąhensionem nexúmq; effugientibus, grandioribus aūt & compactis iam atrocia invicem certamina exercentibus, turbásq; dantibus, cū fragore fluctuasse omnia: antè q̄ terra suam nacta ex compactis & agitatis magnitudinē ac stabilita esset: eam firmatā, etiam reliquis in ipsa aut circū ipsam subsistendi opportunitatē exhibuisse. ita maximis hominū potentiis atq; imperiis fortuitis casibus iactatis & inter se collisis, q̄ nemo vnus imperaret reliquis, vellēt omnes, inexplicabilis fuit clades & error ac mutatio cōtinua omniū: donec Roma vires nacta & aucta, & in se cōstringente cùm gentes & populos, tum peregrina etiam atq; trāsmarina regna & dominia, maximę res fundamentum cui inniterent & firmitatem adeptæ sunt, imperio in pacatum statum, circulúmq; immobilē redacto. quem qui machinati sunt, eos & omni virtute instructos, & à fortuna plurimis in rebus adiutos fuisse, progressu orationis licebit demonstrare. Iam verò tanquam è specula quæstionis positæ prospicere mihi videor, & cernere ad collationem accedentes Virtutem & Fortunam. Sed Virtutis quidem placidus est ingressus, & vultus constans, & in facie ruboris nonnihil ob vincendi in hoc certamine & honoris studium concepti apparet. Longo hanc post se intervallo relinquit Fortuna. Ducunt autem Virtutem ac stipant *Virtutis pictura.*

Arma caterua gerens conspersa cruore virorum
Magnanimûm, sæua quos strauit cæde Gradiuus:

hi adversorum vulnerum pleni, stillantes sanguine permixtum sudorem, semifractis innituntur spoliis hostium. Libétne scitari qui sint? Fabricij sumus, aiunt, & Camilli, & Lucij, & Cincinnati, & Maximi Fabij, & Claudij Marcelli, & Scipiones. C. quoq; Marium conspicio Fortunæ iratum, & Mucius ibi Scæuola ardentem ostētat manum vociferans, Num & hanc Fortunæ largiris? & M. Horatius qui rem pulcerrimè ad flumen gessit, Etruscis grauatus telis, & pedem claudum trahens è profundo gurgite obloquitur, Num & ego fortuito casu mutilatus sum? Talis est Virtutis chorus ad contentionem proficiscens,

Terror casuris hostibus armipotens.

Fortunæ autem incitatus est gressus, ferox gestus, spes arrogans, & post se relicta Virtute propè adest. Non ea vel leuibus alis sese librans, neque qualis vestigiis summis globo impositis præceps & ambigua fertur accedere, & abitu mox evanescere suo. sed sicvt Spartani Venerem perhibent vbi Eurotam transiit, speculis, ornatu, cestóque depositis, in Lycurgi gratiam sumta hasta & scuto se ornare: ita Fortuna Persis & Assyriis desertis, cùm leuiter pervolasset Macedoniam, celeriterq; abiecisset Alexandrum, Aegyptúmque deinde & Syriam peragrando regna distulisset, & sæpe conversa Carthaginienses tulisset, postquam transmisso Tiberi ad Palatium appropinquauit, alas deposuit, talaria exuit, ac infideli & versatili illo globo misso facto, ita Romam intrauit, vt mansura. ac talis iam adest ad iudicium. non enim incerta est, qualis apud Pindarum, neque geminum versat gubernaculum. sed rectiùs dicitur Iusticiæ & Suadæ soror, ac Providentiæ (siquidem ea est Promethea) filia: quomodo genus eius Alcman describit. Illud verò omnium sermonibus celebratum copiæ cornu in manu habet, non frugibus semper florentibus refertum: sed largissimè omnia profundens, quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla, portúsque ferunt. Illustres autem & præclari viri haud pauci eam comitantes videntur. Pompilius Numa à Sabinis, & Priscus à Tarquiniis, quos Fortuna advenas & peregrinos in solio Romuli collocauit. item Aemilius Paulus à Perseo & Macedonibus exercitum nullo vulnere læsum, victoriámq; nullo partam fletu reportans, *Fortunæ descriptio.*

triumphum ducens Fortunam magnopere prędicat. Idem & Cæcilius Metellus facit, Macedonicus ille senex, à quatuor filiis consularibus elatus: Q. Balearico, L. Diademato, seu Vittato, M. Metello, & C. Caprario: nec non duobus generis consularibus, & nepotibus, qui rebus gestis, ac magistratibus in republica obitis erant illustres. Tū Aemilius Scaurus, qui ex abiecta vita & ignobili familia nouus homo eleuatus à Fortuna eò est, vt princeps Senatus legeretur. Eadem Cornelium Syllam è gremio Nicopolis scorti sublatum, supra Cimbricos Mariȷ triumphos & septem eius cōsulatus extollens, vnius in rempublicam potestate ac dictaturis affecit. qui sanè palàm se & res à se gestas Fortunæ in adoptionem dedit, clamans cum Oedipo Sophocleo,

Ego meipsum puto Fortunæ filium.

& Romana quidem voce Felix appellabatur. ad Gręcos autem sic scribebat: L. CORNELIVS SVLLA VENVSTVS. ac trophæa cùm quæ apud nos sunt Chæroneæ, tum Mithridatica, sic inscripta sunt. Neq; id abs re. nam Veneris maximam partem nō, vt visum Menandro, nox, sed Fortuna capit. Proinde ab hoc orsurus aliquis initio patrocinium Fortunæ opportunum, ipsos in testimonium vocauerit Romanos: vt qui plus Fortunæ quàm Virtuti detulerint. Virtutis enim apud eos serò, & longo ab vrbe condita tempore fanum posuit Scipio Numantinus. deinde Marcellus Virtutis & Honoris. ac Mentis dedicauit Aemilius Scaurus, qui belli Cimbrici tempore vixit: cùm iam Sophistis & oratorum argutiis in vrbem illapsis istas res magnis ferre laudibus cepissent. Sapientiæ in hunc vsq; diem templū non est, neq; Temperātiæ, aut Tolerantiæ, aut Magnanimitatis, aut Cōtinentiæ. Fortunæ verò templa sunt splendida & antiqua, ac tantùm non cum primis Romę fundamentis posita. Primus Fortunæ templum dedicauit Ancus Marcius sorore Numæ natus, quartus à Romulo rex. videtúrq; Fortunam cognominem fecisse fortitudini, cui ad obtinēdam victoriam fortuna plurimum confert. Muliebris Fortunæ templum ante Camillum Romani fecerunt, quo tempore Marcium Coriolanum Volscos adversus vrbem adducentem mulierum opera averterūt. nam mulieres vnà cum matre eius & vxore legationem obeuntes, exorauerunt hominem, impetrauerúntq; vt vrbi parceret, & exercitum barbarorum abduceret. Ferunt simulacrum Fortunæ, dum dedicaretur, hanc vocem emisisse: Piè me ô matronæ ciues lege vrbis dedicauistis. Quin & Furius Camillus, postquam Gallicum exstinxit ignem, Romámq; ad auri pondus in trutina examinatam de lance & libra detraxit, neque Prudentiæ neque Fortitudinis, sed Famæ & Ominis templum locauit ad Nouam viam eo in loco, vbi aiunt ante bellum M. Cædicio ambulanti noctu vocem oblatam, quæ iuberet breui pòst tempore bellum Gallicum exspectare. Quæ verò ad Tiberim dedicata est Fortuna Fortis, scilicet vi omnia vincendi prædita, & generosa, ei fanum in hortis populo à Cæsare legatis ædificauerunt, quòd hunc quoq; fauore Fortunæ ad summam potentiam evectum iudicarent. quod & ipse testatus est. (alioquin enim puduisset me isthuc de eo pronunciare.) Nam cùm à Brundusio Pompeȷ persequendi causa soluisset pridie Nonas Ianuarȷ, hyeme iam vertente: tutò traiecit pelagus, Fortuna tempestatem superante. Pompeium autem cum reperisset omnibus cum copiis ibi desidentem, ac terræ marisq; potentem, ipse vix parti alicui earum par, quòd exercitus quem Antonius & Sabinus ducebant moraretur, ausus est paruo lembo conscenso, cùm neq; à domino nauis neq; à gubernatore agnosceretur, pro seruo alicuius habitus, avehi. cùm autem ad ostium fluminis acriter repugnātibus nauigationi fluctibus consilium mutare gubernatorem videret, detracto à capite tegmine, seipsum ostēdit, inquiens: Perge vir fortis, aude, neq; quicquam metue, sed vela Fortunæ da, ventúmq; excipe confidens, quia Cæsarem vehis & Cæsaris fortunam. adeò certus animi erat Cæsar, Fortunam sibi nauiganti, peregrinanti, belligeranti, aciem instruenti adesse: cuius essent partes mari tranquillitatem imponere, æstatem hyemi, celeritatem tardissimis, vires segnissimis, & (quod his est incredibilius) fugam Pompeio, Ptolemæo cædem hospitis: vt & caderet Pompeius, neque pollueretur Cæsar. Quid? Filius huius, is qui primus Augusti cognomentum tulit, & annos LIV imperauit, nónne cùm nepotem ad gerendum bellum emittens fortitudinem ei Scipionis, gratiam Pompeȷ, suam fortunam optaret, sui tanquam insignis operis opificem Fortunam professus est? hæc scilicet eum Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hirtio, M. Antonio imposuit, eorúmq; victoriis, manibus, rebus præclarè gestis, classibus, bellis, exercitibus in sublime extulit, istisque deiectis vnum iis superstitem fecit eum, qui

Fortunæ templa.

opera

opera eorum ad hoc fastigium conscenderat. Augusto enim & Cicero remp. consiliis gubernauit, & Lepidus militauit, & Pansa vicit, & Hirtius cecidit, & Antonius libidines exercuit. ipsámque ego Cleopatram Cæsaris fortunæ imputo, ad quam veluti ad crepidinem tantus imperator naufragium fecit atque elisus est, vt solus esset Cæsar. Memoria proditum est, cùm inter se familiarissimè viuerent, adsiduáque vterentur consuetudine Antonius & Cæsar, qui deinde Augustus fuit, & per ocium sæpenumerò certamen pilæ, tesserarum, atque etiam animalium, vt coturnicū vel gallorum, instituerent, semper victū Antonium discessisse. & quendam amicorū, qui vaticinandi arte gloriaretur, liberè dixisse Antonio, & monuisse: Quid tibi, mi homo, rei est cum isto adolescente? quin tu eum fugis? gloria ei anteis, maior es natu, pluribus imperas, certamina bellica obiuisti, præstas experientia. sed tuus genius genium istius metuit: & tua fortuna seorsim magna, eius fortunæ adulatur, ad eúmque, nisi procul te subducis, transibit. Atque his quidem hominum testimoniis Fortunę causa nititur. Alia nunc ab ipsis rebus petemus, sumto initio ab ipso Vrbis primordio. Iam primùm negari nō potest Romuli partum, salutem, educationem, incrementa, summæ virtutis fundamenta fuisse iacta, sed exstructa tamen à Fortuna. Principiò generatio autoris vrbis Romæ, admirādæ cuiusdam felicitatis fuit. mater enim eorū cum deo corpus miscuisse perhibet. Et quemadmodum Herculem ferunt in longa nocte satum, die præter naturam inhibita, & Sole morante: ita quo tempore Romulus est creatus, narrant Solem defecisse, cùm quidē verè cū Luna coiret, sicut Mars deus cū mortali Syluia. Idémque evenisse etiā sub finē vitæ Romulo. nā eū Nonis Capratinis (quē diē hodiéque festiuitate insigni celebrāt) Sole deficiēte inter mortales haberi desiisse. Deinde cùm in lucē editos Romulū & Remū tyrannus interfici vellet, Fortunæ ductu traditi sunt nō barbaro aut sęuo, sed misericordi humanóque seruo: qui eos nō interfecit, sed in ripa fluuij, vbi is viride pratū alluebat, locúsque humilib. obumbrabatur arboribus, deposuit pone caprificū, cui Ruminali posteà nomen est factum. Exin lupa, quæ recens pepererat catulósque amiserat, turgentib. lacte vberibus grauata, leuationísque indiga, superveniens infantes fouit, & vbera præbuit, quasi alterum partū lac deponēs. Marti autem sacra auis picus subinde ad eos ventitans, summísque insidens vnguibus alternis infantiū ora rostro suo aperuit, suíque alimēti bolos inseruit. Ac ficū quidem Ruminalem appellant à ruma, id est vbere, quam lupa ibi sese demittens infantibus præbuit. Diu autem loci istius accolæ hunc morem tenuerunt, vt nihil natum exponerent, sed omnia tollerent atque educarent, Romuli casum & similitudinem venerantes. Enimverò quòd tum fefellerunt occultè Gabiis educati, ignoratúmque est eos Syluiæ filios, Numitoris regísque nepotes esse, astu & furto Fortunæ videtur evenisse: ne ante rem gerendam generis causa perirent, sed in ipsis præclaris agnoscerentur facinoribus, virtute indiciū nobilitatis præbente. Hoc loco mihi occurrit dictum magni & prudentis imperatoris Themistoclis in quosdam Atheniensium duces, qui ipsum secuti & rebus vsi secundis præferri ei cupiebant. aiebat enim diem, qui festum subsequitur, festo diei dixisse in quadam cōtentione, Tu tumultus multos habes & occupationes: ego quæ parata sunt fruendi quietem exhibeo. ac festum diem respondisse: Vera dicis. sed ego nisi fuissem, vbi tu esses? Et ego, dicebat Themistocles, si Medico bello non fuissem, quis nunc vestrûm esset vsus? Eodem mihi modo Fortuna videtur Romuli virtutem compellare: Illustria sunt sanè & magna tua facta, & re vera docuisti te sanguinem & genus deorum esse. sed viden' quāto me subsequaris spacio? nam nisi ego tum benignitate & humanitate mea adfuissem, sed deseruissem ac prodidissem infantes, quî tu exsistere & elucescere potuisses? si tum non femina bestia supervenisset, inflammata lactis copia & impetu, magísque requirens quod aleret ipsa, quàm quo aleretur, sed fera aliqua planè fera & esuriens: non iam pulcræ istæ essent regiæ, templa, theatra, ambulationes, fora, archiua: pastores essent, casæ, stabula, Albanum, aut Etruscum, aut Latinum virū dominū agnoscentia. Sanè principiū vt in omnibus rebus maximi est momenti, ita præsertim in cōdenda vrbe. atqui id præbuit Fortuna, quæ conditorem vrbis salute donauit & conseruauit. nam virtus Romulum magnū fecit: Fortuna eò vsque custodiuit, dum magnus fieret. Enimverò ipsum quoque Numæ regnū, quod durauit diutissimè, constat admirabili gubernatū fuisse Fortunæ prosperitate. Quòd enim Egeria, vna de Dryadibus nymphis, dea docta, ob amorem cum Numa consueuerit, eúmque in instituenda & conformanda rep. adiuuerit, fabulosius fortassis est. nam & alij qui deas habuisse vxores, ab

Romuli fortuna.

Numæ regnū.

iisve dilecti fuisse dicuntur, Peleus, Anchises, Orion, Emathion, vitã non admodũ ex animi sentẽtia & citra molestiã exegerunt. Sed Numa videtur revera bonã fortunam habuisse contubernalem, & collegam, quæ tanquam in turbulento æstu, cõturbatóq; mari, in vicinorum ac finitimorũ odiis atq; inimiciciis vrbem exagitatã & inflammatã innumeris laboribus ac dissidiis amplexa, iras & invidias adversariorũ tanquã ventos sedauit, & sicvt mare dicitur alcyonũ partus in tempestate excipere, conseruare, ac fouere: ita rerum tranquillitatem Romæ circumdans, statúmq; bellorum, morborum, periculorum, & terrorum expertem, recẽs collecto populo & variè concusso occasionem præbuit radices agendi, ciuitatémq; constituendi per ocium tutò atq; citra impedimẽtum. Quemadmodũ enim nauis oneraria aut triremis ictibus & vi multa cõpingitur, malleis, clauis, cuneis, serra, securibus adhibitis: compactã autem stare ad certũ tempus necesse est, & coalescere, dum vincula roborentur, & claui firmentur: quòd si recenti adhuc & lubrica compage in mare deduceres, omnia concussu fatiscerent, & aquam admissura essent. ita Romã primus conditor & opifex ex agrestibus hominibus & pastoribus cõponens tanquã ex validis roboribus, haud exiguos tolerauit labores, neq; leuia bella & pericula sustinuit, necessitate cõpulsus obsistentes origini ac institutioni eius propulsare. Secũdus autẽ tẽpus nactus, benignitate Fortunæ, spaciũ Vrbi coalescẽdi & se confirmãdi largitus est, multũ pacis adeptus, multũ ocij. Si verò tũ tẽporis Porsena aliquis Etrusca castra exercitúmq; muris admouisset, aut bellicosus aliquis defectione facta Marsus, invidúsve & contentiosus Lucanus, quales posterioribus temporibus exstiterũt Mulius, aut ferox ille Silo, aut vltima Syllæ ærumna Telesinus, qui quasi vna data tessera totam armauit Italiam, philosophum Numam tubis circumsonasset immolantem & deos comprecantem: nullo modo principia vrbis resistere tanto potuissent æstui atque motui, neque ad tantam hominum multitudinem ac virtutem incremẽta facere. nunc istius temporis pax videtur Romanis quasi commeatus fuisse ad bella quæ postmodò inciderunt sustinenda: & athletæ instar populus è certaminibus sub Romulo obitis in pace XLIII annorũ corpore exercitato vires sufficientes adversus hostes futuros parauisse. Nam neque famem, neque pestem, neque sterilitatem terræ, neque alienam æstate hyemève tempestatem illis annis Romæ ferunt incubuisse: nimirum non humana prudentia, sed diuina fortuna illud tempus gubernante. Ergo tunc Iani quoque bifores portæ, quam Belli portam vocant, clausæ sunt. aperiebantur enim cùm esset bellum, pace facta claudebantur. Numa mortuo apertæ sunt, bello cum Albanis commisso. sexcentis deinde aliis bellis continenter subsecutis, quadringentis pòst & octoginta annis iterum clausus est Ianus, post Punicum primum bellum pace parta, C. Atilio, & T. Manlio COSS. Ab illo anno rursum apertus fuit, durauerúntq; bella vsque ad victoriam Augusti Actiacam. tunc arma Romanorum exiguo tempore conquieuerunt, Cantabricis tumultibus, bellísque Gallicis & Germanicis irruentibus, pacémq; conturbantibus. Atque hæc adiecta sunt fortunati Numę testimonium exponentia. Sed & qui eum secuti sunt reges, Fortunam admirati sunt, vt principem alumnámque Romæ, & (quod Pindarus dixit) revera vrbem ferret. Id sic considerare licet. Templum Virtutis est Romæ, sed serò conditum multis ab Vrbis initio annis, à Marcello qui Syracusas cepit. Est etiam Mentis: sed id dedicauit Scaurus Aemilij qui bello Cimbrico vixit: cùm iam oratoria ars, & argutiæ sophistarum in vrbem se insinuassent. Sapientiæ in hunc vsque diem templum non habent, neque Temperantiæ, neque Tolerantiæ, neque Magnanimitatis. Fortunæ verò templa permulta antiqua & splendida omnis generis ferè honoribus posita sunt, & permixta partibus ac locis Romę potissimis. Virilis Fortunæ templum ab Anco Marcio quarto rege est ædificatum: noménq; inde petitũ, quòd ad victoriã parandam fortitudini fortuna plurimum adfert adiumenti. Muliebris Fortunæ templum dedicauerũt matronæ, cùm Marciũ Coriolanũ hostes adversus Romam ducentem avertissent: quod nemo ignorat. Ser. porrò Tullius, qui omniũ regum maximè & potentiã auxit populi, & remp. ornauit, ordinémq; census, ordinẽ militię instituit, primúsq; censor & inspector vitæ ac modestiæ ciuiũ fuit, creditúsq; est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus: ipse seipsum ad fortunam reiecit, eiq; regnum suũ acceptum tulit: ita vt etiam cum eo consuescere Fortuna putaretur, per fenestellam in domũ eius descẽdens. Is ergo Fortunæ tẽpla posuit, Primigeniæ in Capitolio, & Obsequẽtis. Est & Priuatæ Fortunę tẽplũ in Capitolio, & Viscosæ. q̃d etsi ridiculũ est cognomẽ, tamẽ

Iani templum.

Fortunæ tẽpla.

tralatio-

tralatione contemplandam Fortunæ naturam exhibet, eminus ad ſe trahentis, & tangentia retinentis. Ad fontem, qui Muſcoſus dicitur, Virginis adhuc Fortunæ fanum eſt, in Abeſcymis verſantis. In Longo angiportu Fortunę bonæ Spei eſt ara. Eſt & ſacellũ Maſculæ Fortunæ ſacellũ apud aram Veneris Epitalariæ. aliæꝗ ſexcentæ appellationes & honores Veneris ſunt, quorũ pleraꝗ Seruius inſtituit, gnarus magnũ momentum, immò ſummã in rebus humanis vim eſſe penes Fortunã: maximè cùm ipſe eſſet fortunæ fauore de captiuo & hoſtili gente nato rex factus. Nam Corniculo à Romanis capto, Ocreſia virgo captiua, cuius neꝗ formam neꝗ mores obſcurauit Fortuna, Tanaquilidi Tarquinij regis vxori data ſeruiuit, nupta cuidam clientum. ex his natus fuit Seruius. *Ser. Tullij regnum.* Alij rem ſic narrant. Ocreſiam virginem identidem primitias & libationes à regia menſa accipere, & ea ad focum perferre conſueuiſſe. quæ, cùm aliquando pro more ea in ignem iniiceret, ſubitò collapſa flamma, genitale viri membrũ è foco exſtitiſſe. virginem perterritam eo oſtẽto, rem Tanaquilidi expoſuiſſe. hanc, vt erat cordata ac ſapiens mulier, diuinã eam rem cenſuiſſe, virginémꝗ ſponſæ in morem ornatam cum ſpectro illo concluſiſſe. amorem hunc alij Lari, alij Vulcano adſcribũt. inde ergo natum Seruium: & infantis etiamnum caput fulgorem fulguris æmulum ediditſſe. Antias non ita, ſed Seruio vxorem Geganiam morte fuiſſe ſublatã, ipſúmꝗ præſente matre præ mœrore in ſomnũ prolapſum, ac caput dormientis viſum fuiſſe mulieribus igni circùm illuſtrari. quod erat teſtimonium, ipſum ex igni natum, bonúmꝗ indicium inſperati regni, quod à morte Tarquinij ſtudio Tanaquilidis obtinuit. Nam omnium alioqui regum hic ad imperium abſꝗ vllo collega gerendũ fuit ingenio ineptiſſimo, animóꝗ minimè alacri. qui etiam deponere volens regnum, prohibitus eſt. moritura enim, vt apparet, Tanaquil iureiurandum ab eo exegit, non dimiſſurũ ſe eſſe formam reip. à maioribus acceptam, regémꝗ permanſurũ. Ita Seruij regnũ planè Fortunæ debetur, quod ille & præter exſpectationem ſuã occepit, & præter ſuam voluntatẽ retinuit. Sed ne videamur ex illuſtribus & evidentibus argumentis ad priſca tempora, tanquam obſcurum in locum confugere & recedere: agedũ omiſſis regibus ad notiſſimas actiones & celebratiſſima bella oratio noſtra ſe convertat. Quis verò non fateatur ad bellum requiri multũ audaciæ ac fortitudinis, quæ virtuti haſtiferæ, vt Timotheus ait, auxilium & opem ferat? & tamen qui rectè ratiocinari volet, is ſecundã rerum proſperarum affluentiam, impetúmꝗ ad tantam potentiam & incrementa, non hominum manibus aut conſiliis, ſed diuina quadam incitatione & accelerantis Fortunæ vẽto ad tantam Romani imperij molem perveniſſe intelliget. Etenim trophæa alia ſuper alia erigunt, triumphi triumphis occurrunt, priórꝗ in armis ſanguis adhuc calidus ſecundo occupatus eluitur. *Fortuna Romani imperij.* victorias autem non interfectorum & ſpoliorum multitudine numerant: ſed captis regnis, ſubactis gentibus, inſuliſꝗ & continentibus ad magnitudinem imperij accedentibus. Vna pugna Philippus Macedoniam amiſit. vna accepta plaga Antiochus Aſia exceſſit. ſemel victi Carthaginienſes Libyam perdiderunt. vnus vir, vnius expeditionis impetu, in poteſtatem P. R. redegit Armeniam, Pontum, Syriam, Arabiam, Albanos, Iberos, & quæ vſꝗ ad Caucaſum ſunt atꝗ Hyrcanos, térꝗ eum orbi terrarũ circumfuſus Oceanus victorem vidit. nam & Numidas in Africa vſꝗ ad meridionalia litora repreſſit: & Hiſpaniam, quæ Sertorij à partibus ſteterat, vſꝗ ad Atlanticum ſubegit mare: & Albanorũ reges inſequens ad Caſpium conſtitit mare. Hæc ille omnia confecit, publica adiutus fortuna: deinde à ſuo ſubverſus eſt fato. Nimirum magnus ille Romanorum genius, non ad diem vnum ſpirãs, aut exiguo tempore vigens, vt Macedonum: neꝗ in terra tantùm potens, vt Laconũ: aut mari, vt Athenienſium: neꝗ ſerò commotus, vt Perſarum: neꝗ ſubitò ſopitus, vt Colophoniorum: ſed iã inde à principio cum Vrbe adoleſcens, vnáꝗ creſcens & augens rempublicã, conſtanter adfuit terra mariꝗ, in bellis & pace, adverſus barbaros & Græcos. Is genius Annibalem Carthaginienſem, cùm ob invidiã & ciuiles concertationes populus ei nulla mitteret ſubſidia, torrentis inſtar effudit & conſumſit circa Italiam. Is Cimbrorum & Teutonũ exercitus magnis locorũ temporúmꝗ intervallis diſiunxit, vt ſufficere Marius poſſet cũ vtriſꝗ ſeorſim confligens: ne inter ſe coniunctæ ter centum millia hominũ invictorum & inſuperabilium confertim quaſi proluuie Italiã invndarent. Eadem cauſa fuit, quòd & Antiochus cùm Philippus bello peteretur occupationibus fuit diſtẽtus: & Philippus Antiocho in diſcrimine verſante iã antè proſtratus iacuit. Et Mithridatem Marſico bello Romam vrgente, Sarmatica ac Baſtarnica

bella detinuerunt. Tigranem à Mithridate, cùm hic rebus prosperis clareret, suspicio & invidia avellerunt: victo socium fortuna fecit, vt communi ruina periret. Quid verò? an non extrema mala passam Vrbem restituit Fortuna? Gallis castra circa Capitolium metatis & arcem oppugnantibus

Iliad. α, initio.

Immisit castrísq; luem, multósq; necauit.

& nocturnam ipsorū aggressionem, quę omnes homines fefellerat, Fortuna & Casus prodiderūt. Qua de re fortasse intempestiuū non est paulò prolixiùs disserere.

Galli Roma potiti, profligantur.

Victis ad Aliam, maximáq; clade affectis Romanis, alij superstitū Romā præcipiti fuga perlati, populū terrore & tumultu exagitauerunt, cùm quidē pauci cōvasatis rebus in Capitolium se contulerūt, ibiq; eventū præstolari sustinuerūt: alij rectà à clade Veios confluentes, dictatorem dixerunt Furiū Camillum. & quem antè rebus vtens secūdis atq; cristas erigens populus abiecerat atq; oppresserat peculatus reum factū: eum consternatus & fractus à clade repetiit, tradens magistratū nullis obnoxiū legibus. Cæterùm Camillus ne temporis gratia, sed legitimè sibi is delatus magistratus videri posset, néve tanquam Vrbe deplorata armis dissipati & vagi exercitus comitia cōficeret, oportuit senatores qui in Capitolio erant militū sententiam, certiores de ea factos, approbare. Erat tum C. quidā Pontius in exercitu, vir strenuus: qui in se recipiēs nūcium se decreti iis qui in Capitolio erant allaturū, ingens adiit periculum: cùm eundū esset per hostes, qui in orbem excubiis & vallo arcem cinxerāt. Vt ergo noctu ad amnem pervenit, iniecto suberibus latis pectore, & corpore vehiculi leuitati commisso, secundo Tiberi defluxit, atq; ab eo leni lentè devectus, tutò in vlteriorem ripā traiecit, indéque per loca hominū vacua (è tenebris autē & silentio solitudinem colligebat) ad rupem Capitolinā pervenit: curuaturísq; se & asperis processibus eius, quę conscendi & teneri se patiebantur cōmittens, ac sursum enitens ad Capitoliū evasit: vbi receptus ab excubitoribus iis qui intus erāt sententiā suorū renunciauit, decretóq; accepto rursus ad Camillū contendit. Postridie quidā barbarorū temere locū illū circumiens, vt vidit partim vestigia pedū summis impressa digitis, ac lapsus, partim detritas ac confractas herbas quæ terrestribus innasci solent partibus, tū corporis tractus, & obliquos nisus: cæteris significauit. Ij verò viam sibi ab hostibus ipsis commonstratā putantes, conati sunt cōtendere: obseruatáq; ea noctis parte, sub quam maxima est solitudo, evaserunt ad arcem, non vigilibus modò non animadvertentibus, sed ne canibus quidem vigilū sociis & excubitoribus. ita omnes sopor oppresserat. Neq; tamē defuit Romanorum

Anseres Romā seruant.

fortunæ vox, quæ tantum malū indicare & prodere posset. Anseres sacri circa fanum Iunonis alebanť ad cultum deæ. Id animal & natura ea est facilè vt perturbetur, atque ad omnem strepitū expauescat: & tum ob magnā in arce difficultatem rerū quia negligebantur, leui & famelico somno iacebant. itaq; statim sensum perceperunt hostium iam supra muros apparentium, editáq; alta voce proteruè advolauerūt: magísq; deinde armorū conspectu territi, clangorem sonorū ad modum & asperū ediderunt. quo excitati Romani, re intellecta repulerūt & per præcipitia hostes deiecerunt. Etiamnū solenni in pompa gestatur canis in crucem actus, & anser splendidè admodū in lectica & veste stragula preciosa sedens. Quis non verè obstupescat, animóq; cōmoto miretur, complexus animo & quæ tū erat Vrbis miseria, & quæ hodie cernitur eiusdem felicitas, splendorem intuens donariorum ac diuitias, artium certamina, vrbiū largitiones, missas à regibus coronas, atq; omnium quæ terra, mare, insulæ, continentes, fluuij, arbores, animalia, campi, mōtes, metalla ferunt primitias certatim pulcritudine & elegantia ornantes istum locū: tam parum abfuisse quin neque fierent ista omnia, neq; essent? igni autem, & tenebris horrendis, caligine, gladiis barbaricis, ac cædem spirantibus animis cùm omnia opplerentur, viles & brutas timidásq; altiles principium salutis attulisse: magnósque illos duces & factis præstantissimos viros, Manlios inquam, Seruios, Postumios, Papyrios, qui familias postmodò illustres propagauerunt, in extremo iam de salute periculo constitutos, ab anseribus fuisse excitatos, vt pro diis patriis patriáq; propugnarent? Quòd si verum est, quod Polybius libro secundo de Gallis qui tum occupauerant Romā scribit, eos accepto nuncio suas res agi ferríq; à finitimis barbaris, qui ipsorum ditionem facta impressione occupassent, pacta cum Camillo pace discessisse: iam ne controversia quidem Fortunæ moueri potest, quin ea salutis causam præbuerit, aliò hostes trahens, aut potiùs à Roma præter omnium exspectationem avellens. Sed quid in his refert immorari, quæ certi nihil habent,

habent, nihil definitiuè cùm & res Romanorum perierint, & confusi sint commentarij: vt Liuius narrat. Quæ enim posterioribus temporibus euenerũt, magis aperta & conspicua, Fortunæ demonstrant benignitatem. Ego verò etiam Alexandri Magni mortem in parte felicitatis Romanæ pono, viri magnis successibus & rebus clarissimè gestis insuperabili confidentia & elatione animi, qui stellæ instar ab ortu Solis in occasum transiliebat: ac iam in Italiam fulgorem armorum iaciebat. Erat ei præscriptio expeditionis suscipiendæ Alexander Molossus, apud Pandosiam à Brutiis & Lucanis occisus: re autem ipsa gloriæ amor eum (qui adversus omnes homines instigabat) & æmulatio de imperio stimulabat, cupientem expeditione vltra terminos Bacchi & Herculis progredi. Porrò autem Italiæ audiuerat Romanam potentiã atq; robur tanquam aciem prępositam esse. nam Romanorũ nomen & gloriam clarissimorum ad eũ fama pertulerat tanquam athletarum innumeris bellis exercitatorum. Initio sexti.

Non equidem poterat dirimi sine sanguine pugna,

si conflixissent inter se armis inuicti, & animis nullo metui obnoxiis præditi. Quippe hi erant numero CXXX millibus non inferiores, bellicosi omnes, fortésq;, &

Gnari cornipedes agitare in prœlia duros,
Et gnari pugna quoq; decertare pedestri.

PLVTARCHI

De Alexandri Magni siue Fortuna, siue virtute, oratio prior.



HAEC ergo Fortunæ oratio est, Alexandrum sibi soli totum vindicantis. Contrà autem pro philosophia differendũ est: aut pro ipso potiùs Alexandro indignante & ægrè ferente, si imperium gratis & à Fortuna accepisse videatur, quod multo sanguine vęnale assiduis consecutus vulneribus,

Insomnes noctes permultas peruigil egit, Iliad.ι,325.
Atq; dies, dum bella gerit, pugnatq; cruenta

adversus inuictos exercitus, & innumeras gentes, & flumina nunquam transmissa, & saxa sagittis inaccessa: consilio, tolerantia, fortitudine, ac temperantia stipantibus. Arbitror autem ipsum Fortunæ res ab eo gestas sibi adscribentem dicturum: Noli meæ virtuti detrahere, noli meam gloriam deprimere: tuum opus est Darius, quem ex seruo & astanda regis dominum Persarum fecisti: tuum Sardanapalus, cui purpuram pectenti diadema regium circumposuisti. Ego autem victor ab Arbelis ad Susa perrexi, & Cilicia mihi latam aperuit Aegyptum, Ciliciam Granicus, quem cadaueribus Mithridatis & Spithridatis pro ponte vsus transiui. Orna teipsam & iacta regibus vulnerum & cruorum expertibus. illi enim fortunati erant, Ochi & Artaxerxæ, quos statim à partu in solio Cyri collocasti. Meum quidem corpus multa signa, certáq; ea fert, Fortunæ non adiuuantis, sed rępugnantis. Primùm apud Illyrios caput mihi saxo, ceruix vecte est cõtusa. deinde ad Granicum caput mihi gladio barbarico est comminutum, femur ad Issum ense. ad Gazam malleolum sagitta sum ictus, graui autem de sella lapsu luxaui humerum. ad Maracatarda os tibiæ mihi sagittis est perruptum. subsecuta sunt ab Indis vulnera, & vbique violentia, vbi sagitta mihi ictus fuit humerus. apud Gandridas crus vulneratum. apud Mallotas arcu actum telum pectori meo infixum ferrum reliquit, & vecte sunt ceruices verberatæ cùm quidem appositæ muris scalæ ruptæ sunt, & Fortuna me vnicum inclusit, ne illustribus quidem adversariis, sed ignotis barbaris tantam rem gratificata. quòd nisi Ptolemæus parma texisset me, & Limnæus ante me innumeris occurrens telis cecidisset, ac animis efferuescentibus vim adhibentes Macedones muros subvertissent: oportebat Alexandri sepulcrũ fieri barbarum illum & nullius nominis pagum. Atque hæc quidem ipsius sunt expeditionis, tempestates, siccitates, fluminum profunditates, altitudines saxorum ad quæ evolare aues nequeant (Aorna saxa) ferarum cõspectus naturam excedentium, agrestis & inhumana victus ratio, mutationes regulorum, rursúmq; proditiones. Ante illam verò

Alexandri ad Fortunam.

*

expeditionem à Philippicis bellis recalcitrabat Græcia, & Thebæ Chæronensem puluerem ab armis decutiebant, è ruina resurgentes: adiuuantibus, auxiliaréſꝗ porrigentibus manus Atheniensibus. adhæc tota nouas occulte res meditabatur Macedonia, ad Amyntam & Aëropi filios animis inclinans. erumpebāt Illyrij, & Scythicæ res fluctuabant vicinis turbas molientibus. aurum quoque Persicum per omnium locorum oratores diffusum, exagitabat Peloponnesum. ad hæc exhausti erant Philippi thesauri, & debebat rex præterea, vt autor est Onesicritus, ducenta talenta. In tanta inopia, ac rerum perturbatione, ausus est adolescens, qui vix dum ex ephebis excesserat, Babylonem sperare & Susa, immò vel imperium in vniuersos homines animo concipere? fretus (putatis) XXX peditum, & quatuor equitum millibus? tot enim fuisse Aristobulus affirmat. rex Ptolemæus equitum quinque millia ponit: Anaximenes XLIIII millia peditum, equites IↃↃIↃ. Præclarum verò, quod ei Fortuna parauerat, viaticũ, LXX erant talenta, si Aristobulo credimus: si Duris audiendus est, XXX duntaxat dierum commeatus. Inconsultus igitur fuit & temerarius Alexander, qui ita tenui cũ re adversus tantam potentiam ausus est bellum suscipere? Nequaquam verò. Quis enim vnquam maioribus pulcrioribúsve instructus rei gerendæ occasionibus ad bellum profectus est? magnanimitate inquam, prudentia, temperātia, fortitudine. quibus eum viaticis philosophia ad expeditionem instruxit. vt maiorem à præceptore Aristotele, quàm Philippo patre commeatum ad rem gerendam cõsecutus, in Persas mouerit. Nos autem credimus iis, qui scribunt Alexandrũ aliquando dixisse Iliadem se & Vlisseam habuisse secum expeditionis suæ viaticum: atque Homerũ eo nomine prædicamus. Si quis verò affirmet eum libros istos animi reficiendi, laboríſꝗ consolandi, & ocio suauitatem conciliandi gratia secum tulisse: viaticum re vera ei fuisse doctrinā è philosophia perceptam, ac commentationes de vacuitate metus, fortitudine, temperantia, magnanimitate: contemnimus. scilicet quia nihil de syllogismis aut pronũciatis scripsit, neꝗ ambulationem in Lyceo occupauit, neꝗ de propositis in Academia disputauit. His enim rebus philosophiam definiunt, qui eam verba, nõ res putant. Atqui neꝗ Pythagoras quicquā scripsit, neꝗ Socrates, neꝗ Arcesilaus, neꝗ Carneades, nobilissimi philosophi. neꝗ illos tanta occupabāt bella, neꝗ barbaros reges cicurando, & Græcanicas vrbes in feris condendo nationibus, & iniustas contumacéſꝗ gentes pacem legéſꝗ docendo terras peragrabant: sed quantumvis in ocio vitā agentes, scribendi munus sophistis relinquebant. Vnde ergo creditum est eos philosophari? è dictis, è factis, ex iis quæ docuerũt. Ex his itaꝗ de Alexandro iudicetur. quæ dixit, quę egit, quæ docuit, philosophum fuisse ostendent. Ac primò id, quod ab opinione vulgi est alienissimũ, considera, comparationem discipulorũ Alexandri cum discipulis Platonis & Socratis. Ingeniosos hi, & eadem lingua vtentes instituerũt, si nihil aliud, saltem Græci sermonis intelligentes. & multis horum sua non persuaserunt: cum Critiæ, Alcibiades, Clitophontes pręcepta tāquam frænũ exspuentes aliò deflecterent. Alexandri doctrinā si inspicias, Hyrcanos docuit cõiugiis vti, Arachosios agriculturam: Sogdianis persuasit vt alerent, non interficerent patres, Persas vt venerarentur, non vxorum loco haberēt matres. O admirabilem philosophiā, quæ fecit vt Indi deos Gręcorũ colerent, & Scythæ mortuos humarent, non (vt ante) comederent. Admiramur Carneadis vim, qui Clitomachũ domo Carthaginiensem prius Asdrubalem vocatũ, Græcos mores institutáque amplecti docuit. & Zenonis, quòd Diogeni Babylonio persuasit vt operam philosophiæ daret. At verò Asia ab Alexādro pacata Homerum passim legebat: & Persarum, Susianorum, Gedrosiorúmꝗ filij Euripidis ac Sophoclis cantabant tragœdias. Et Socrates quidem nouos introducens genios, pœnas Atheniensibus calumniatoribus dedit: Alexandri opera factum est, vt Bactra & Caucasus Græcorum deos adorarent. Plato vnicam reip. formam scripsit, neꝗ cuiquam persuasit vt ea vteretur, quòd erat austera: Alexāder amplius LXX vrbibus in barbaris condidit gētibus, disseminatíſꝗ per Asiam Græcis institutis, à fera & belluina vitæ ratione homines detraxit. Ac Platonis sanè leges pauci legimus: Alexandri legibus multa hominũ millia vsa sunt & vtuntur: victíꝗ ab eo feliciores iis sunt qui ipsum subterfugerunt: cùm his nemo miserè viuendi finem imposuerit, illos victor coëgerit feliciter viuere. Itaque quod Themistocles dixit, quo tempore à patria profugum rex Persiæ magnis affecit donis, tréſꝗ ei vrbes stipendiarias fecit, vnam ad frumentum, alteram ad vinum, tertiam ad obsonium suppeditandum: ô pueri, perieramus nisi periiſ-

Alexandrũ fuisse philosophũ.

periissemus. id rectiùs de his dici potest, quos Alexander subegit. Nunquam enim mansueuissent, si domiti non fuissent. non haberet Alexandream Aegyptus, neque Seleuciam Mesopotamia, neque Sogdiani Prophthasiam, neque Bucephaleam Indi, neque Caucasus circumpositas Græcanicas vrbes. quibus barbara feritas repressa paulatim est, moresq; de malis in bonos consuetudine redacti. Proinde si rectè maximã sibi laudẽ philosophi inde petunt quòd dura & inculta ingenia emolliunt atque componunt: meritò pro summo philosopho Alexander habendus est, qui innumeras efferas gentes atq; indoles cicurauerit. Iam illa reip. forma à Zenone Stoicæ sectæ autore tradita, quæ tantopere laudatur, ad vnũ hoc caput tendit, vt non per vrbes ac pagos habitemus, singuli ꝓprio nobis iure ab aliis distincti: sed vniuersos homines populares ciuesq; nostros censeamus esse, vna omniũ vitæ ratio, vnus ordo sit, tanquam gregis alicuius quæ communibus vtitur æquali lege pascuis. Atq; hoc quidẽ scriptũ reliquit Zeno, tanquam somnium aut imaginẽ æquitatis & reip. philosophicæ informans. Alexander re ipsa doctrinam eam expressit. Neq; enim secutus est Aristotelis consilium, qui eum iubebat Græcis se tanquam principem, barbaris vt dominũ præbere: & illorum quidem vt amicorum & domesticorum curam gerere, his tanquam brutis aut stirpibus vti. quod si fecisset, regnum suum bellis, exiliis, seditionibus, simultatibusq; impleuisset. Sed ita statuens, diuinitus se communem omnium nationum moderatorem atque arbitrum esse missum, quos verbis non poterat, armis ad communitatem adigens, omnes vndique gentes in vnum corpus conduxit, tãquam in amicitiæ cratera commiscens vitas, mores, nuptias, victus rationes: mandauitque vt vniuersi mundum pro patria agnoscerent, castra pro arce & præsidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis. inter Gręcũ & barbaricũ nõ chlamyde, pelta, acinace, candya distinguerent: sed Græcum virtute, barbaricũ vitiositate ęstimarent. communes autem ducerent vestes, mensas, coniugia, victus rationes, cùm hæc omnia sanguine & prole inuicem essent contemperata. Demaratus Corinthius, vnus de hospitibus & amicis Philippi, cùm Alexandrum Susis videret, magno correptus gaudio, effusis lacrymis, Magno dixit gaudio priuatos esse Græcos ante id tempus vita defunctos, quòd Alexandrum non vidissent in solio Darij sedentem. Ego autem me hercle eos, quibus id spectare contigit, isto nomine beatos non censeo: cùm Fortunæ id fuerit munus, & multorum commune regum. Illam verò videre voluissem præclaram sacrámq; sponsalium procurationem, cùm Alexander vno tentorio, quod auro erat ornatum, complexus centum Persidas sponsas, totidémq; Macedones & Græcos sponsos, communibus penatibus mensæq; eidem adhibuit: primúsque ipse serto redimitus hymenæum orsus, tanquam cantilenam amoris mutui testem accinens, maximas & potentissimas gentes in communitatem conduxit centum copulatis cõiugio paribus, vnius ipse sponsus, reliquis omnibus auspex simul, & pater, & moderator. Cum voluptate enim aliqua dixissem: O barbare & fatue Xerxa, & frustra tanto conatu pontem Hellesponticum molite: sic prudentes reges Asiam Europæ coniungunt. non lignis, non ratibus, non animæ & consensionis expertibus vinculis: sed legitimo amore, castisque nuptiis, & prolis communione gentes vniendo. Ad hunc respiciens ornatum Alexander, non Medicum adsciuit vestitum, sed Persicum, multo quàm est Medicus viliorem. nam aliena ista & invsitata ac tragica barbarici ornatus recusans, vt tiaram & candyn & anaxyrides, vestem gestauit ex habitu Macedonico & Persico compositã, vt Eratosthenes narrat. vt philosophus, indifferentibus vtens: vt autem princeps communis, & rex humanus, vestis honore superatorum sibi parãs benevolentiam, vt constantes permanerent, Macedonésque non vt hostes odio, sed vt principes amore prosequerentur. Contrà enim insipientis erat & inflati animi, chlamydem vnicolorem admirari, tunicam punica prætextam odisse. vel à diuersa parte ista contemnere, ad hæc obstupescere: ac in morem infantis eum conseruare vestitum, quem maiorum vsus tanquam nutrix circumdedisset. Qui feras venantur homines, ij pellibus ceruorum se amiciunt: & alatis tuniculis vtuntur, qui aucupantur volucres. cauéntque tauris se ostentare in punicea veste, aut in alba elephantis: quia his coloribus ista animalia efferantur & in rabiem aguntur. Si autem rex magnus gentes intractabiles & imperio reluctantes, tanquam bestias cicurans, vestitu iis consueto demitigauit, victúsque vsitata ratione compescuit, mœrorem animi eorum & tristiciam deliniens: id reprahendunt? ac non potiùs admiran-

Alexander omnes gentes in vnam rep. conduxit.

Macedonum & Persidum coniugia.

Vestitus Alexandri.

tur sapientiam eius? qui leui admodum habitus mutatione Asiam demulserit? vtq; corpora armis debellauit, ita veste animos sibi devinxerit? Enimverò Aristippum Socraticum admirantur, qui & vili pallio, & læna Milesia ita vsus est, vt vtrobique decorum seruauerit. Alexandro autem vitio dant, quòd patrio habitu exornato non contemsit vestem bello domitorum: cùm quidem ille magnarum iaceret rerum fundamenta. Non enim latrocinio Asiam incursare, aut insperatæ fortunæ dono prædas & spolia rapere meditatus: (quomodo postea temporis Italiam Annibal, & priscis temporibus Treres Ioniam, ac Scythæ Mediam populati sunt) sed omnes terræ populos vni subiicere imperio ac reip. formæ omnes homines in vnũ populũ conducere cupiẽs, hoc modo sese composuit. ac nisi tam celeriter genius qui animũ Alexãdri huc demiserat, eundem ad se revocasset: vna vtique lex omnibus hominibus proposita fuisset: mortalésque vniuersi ad vnicum ius tanquam communem lucem respexissent. nunc ea pars terræ quasi Solis radiorum expers mansit, quæ Alexandrum non vidit. Ergo primùm ipse expeditionis scopus hominem à philosophia commendat: vt qui non sibi luxum & opes ac splendorem, sed omnibus hominibus concordiam, pacem, mutuámq; communicationem parare instituerit. Secundo loco dicta eius consideremus: quando aliorum etiam regum atque principum mores & ingenia vocibus potissimùm animi patefaciunt. Antigonus senex sophistæ cuidam, libros ei de iusticia scriptos occinẽti: Stultus es, inquit, qui mihi, quem vides alienas vrbes vexare, de iusticia loquaris. Dionysius tyrannus dicebat pueros talis, viros iureiurando esse fallendos. Sardanapali monimento inscriptum fuit:

Dicta, ingenij argumenta.

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit.——

Quis ex his dictis non pronunciet primo iniusticiam & alienorum appetentiam, secundo impietatem, tertio luxuriam tribui. Alexandri autem dicta, si diadema iis, & Ammonem, & nobilitatem generis adimas, Socratis tibi, aut Platonis, vel Pythagoræ videbuntur. Non enim cõsideremus eas voces, quas poëtæ imaginibus & statuis eius magniloquentes subscripserunt, non ad moderationem animi, sed ad potẽtiam Alexandri respicientes.

Aereus inspiciens diuósq; hominésq; regentem
Velle mihi est visus talia verba loqui:
Magne tene Iupiter, neq; enim prohibemus, Olympum,
Dum tellus toto pareat orbe mihi.

Et, Alexander ego Iouis quidem F. Hæc, vt dixi, poëtarum sunt fortunam eius adulantium. De genuinis autem Alexandri dictis primùm perpẽdamus puerilia. Adolescens cùm æquales velocitate pedum superaret, & socij ad Olympicum cursus certamen incitarent, quæsiuit, Regésne cursu essent certaturi. negantibus, Inique comparatum fore certamen dixit, vbi priuatos victurus esset, victus autem rex priuatis palmam cessurus. Patri Philippo hasta femur in Triballis transfixo, cùm is evitato mortis periculo claudicationẽ iniquiùs ferret, Bono animo es pater mi, inquit, ac palàm progredere, vt ad singulos gressus virtutis tuæ recorderis. Nónne hæc animi sunt philosophici, & qui ob diuinum instinctum quo ad honesta fertur, adversus corporis vitia se erigat? Quomodo putas eum exsultasse propria vulnera commemorantem, ad singula gentem domitam aliquam, aut victoriam partam, vrbémve captam, aut regem se dedentem dum referret: neque tegeret cicatrices, sed velut impressas virtutis & fortitudinis suæ notas circumferret? Porrò si quando in scholis Homeri versuum instituebatur comparatio, aut in conviuiis, alio alium præferente, ipse hunc omnibus aliis præstare dixit:

Iliad.γ,179. *Rex idem bonus, & fortis bellator in armis.*

quam alius laudem tempore præceperat, eam sibi legem positam existimans: vt dicere liceat, Homerum vno versu & ornasse præstantiam Agamemnonis, & de Achillis virtute oraculum edidisse. Cùm in Hellespontum traiecisset, Troiam est contemplatus, & formam heroicarum actionum cum animo suo commentatus. ibi cùm quidam se Paridis lyram ei daturum, si vellet, polliceretur: Nihil, inquit, ea mihi opus est: habeo enim Achillis, qua is animum solatus est,

Iliad.ι,189. *Magnorum cantans illustria facta virorum.*

nam

nam Paridis omnino mollem ac muliebrem cantum edidit amatoriis cantilenis. Animi est philosophici sapientiam amare, & sapientes apprimè admirari. qua in re Alexandrum nemo regum æquauit. Dictum est quo modo erga Aristotelem fuerit adfecto animo. Idem Anaxarchum musicum inter amicos in summo habuit honore. Pyrrhoni Eleo ad primum congressum CCIↃↃ aureos dono dedit. Xenocrati Platonis familiari quinquaginta talenta dono misit. Onesicritum Diogenis Cynici discipulum ab eo fuisse magistrum gubernatorum factum multi memoriæ prodiderunt. Cum ipso Diogene apud Corinthum collocutus, ita obstupuit & attonitus est viri vita & grauitate, vt sæpenumerò eius mentionem faciens dixerit, Nisi essem Alexãder, Diogenes vellem esse. hoc est, operam dedissem & ocium impendissem disputationibus, nisi rebus gerendis philosopharer. Non hoc dixit, Nisi rex essem, Diogenes esse vellem: neque si non diues, etiam Argeades. non enim fortunam sapientiæ præferebat, neque purpuram & diadema pallio ac peræ. sed hoc dicebat, Nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. hoc est, Nisi instituissem gentes barbaricas cum Græcis commiscere, omnésq; terras obeundo cicurare, scrutatúsque continentis fines Macedoniam ad Oceanum propagare, Græciámq; serere, & omnis generis iusticiam atq; pacem disseminare: non equidem in ocio desidens potentiam meam ad luxuriãdum contulissem, sed frugalitatem Diogenis æmulatus fuissem. Nunc ignosce nobis Diogenes, Herculem imitor, Perseum æmulor, Bacchíq;, qui deus autor mei est generis, inhærens vestigiis, rursus in India vincentium Græcorũ chorũ volo ponere, & apud mõtanas agrestésq; trans Caucasum gentes Bacchi comesationũ memoriã renouare. sunt & ibi quidam duræ philosophiæ nudato corpore adsueti, viri sancti & suo iure viuentes, deo operam dantes, Diogenẽ vilitate rerum suarũ superantes, nulla pera indigentes. non enim recondunt alimentũ, q̃d iis terra subinde recẽs suggerit, potum fluuij, folia ab arboribus defluentia, & herba è terra enascens lectum. per me & hi Diogenem cognoscent & ipsos Diogenes. oportet etiam me nomisma cudere, & barbarica è materia factum Græcanicæ forma reip. signare. Agedum actiones Alexandri num fortuitum casum, & vim bellicam ac manuum robur præ se ferunt? an verò multum fortitudinis & iusticiæ, multũ temperantiæ ac mãsuetudinis, cum decoro & prudentia, sobria ac sapienti ratione omnia agentis? Non enim me hercle distinguere inter facta eius, & hoc fortitudini, illud humanitati, aliud continentiæ adscribere possum. sed quodvis ex omnibus videtur contemperatum virtutibus: confirmante Alexandro Stoicorum illud decretum, Quidquid agit sapiens, omnibus eum virtutibus agere; Vnámque virtutem aliquam primas obire partes, reliquas autem omnes socias sibi perficiendæ rei adsciscere. Ita in Alexandro videre licet bellicam virtutem humanitate temperatam, mansuetudinem fortem, liberalitatem in donando rei familiaris rationibus accommodatam, iram placatu facilem, amorem temperantem, remissionem non ociosam, tolerantiam laborum non vacantem solatio. Quis miscuit bello festiuitates, quis comesationibus expeditiones, quis obsidionibus & rebus difficilibus gerendis bacchationes, nuptias, hymenæos? quis peccantibus se magis infensum, adversas res passis humaniorem præbuit? quis pugnantibus grauior, veniam petentibus benignior fuit? Subit mihi hîc Pori dictum referre. Is enim vt captiuus est ad Alexandrum perductus, interrogatúsque ab eo quomodo se tractari vellet, Regiò more ô Alexander, respondit. rursúmque interrogatus, an aliquid præterea aliud vellet, respondit, Nihil. nam in regio more insunt omnia. Et mihi lubet singulis Alexandri actionibus acclamare, Philosophicè. nam in hoc quoque omnia insunt. Captus amore Roxanes, Oxyathris filiæ, quæ in cœtu captiuarum erat, non libidinosè eam violauit, sed vxorem philosophicè duxit. Darium videns iaculis confixum, non sacrificauit, non pæanem cecinit, vt qui ad finem longi belli pervenisset: sed chlamydem corpori suo detractam cadaueri iniecit, philosophicè hoc exemplum regiæ fortunæ tegens. Cùm aliquando epistolam à matre missam arcanam legeret, & Hephæstio, vt tum fortè assidebat, simpliciter vnà eam percurreret, non prohibuit. sed annulũ ori eius imposuit, silentiũ amica fide philosophicè obsignans. Hæc.n. si nõ sunt philosophica, quænam sunt alia? Apponamus eorũ exẽpla, quos philosophos fuisse est in confesso. Socrates secũ cubare Alcibiadẽ passus est. Alexander Philoxenũ oræ maritimæ præfectũ, cùm is scripsisset Alexãdro, esse in Ionia puerum ætate florentem, pulcritudine summa, quæreretq; per epistolam

an hunc emi & ad se mitti vellet: acerbè increpauit, in hanc sententiam rescribens: Pessime hominum, cuius mihi talis flagitij conscius es, vt huiusmodi voluptates mihi obiiciendo blandiaris? Xenocratem laudamus, quòd dono missa ab Alexandro sibi quinquaginta talenta non accepit: dantem non laudamus? an quia non tam à largiente quàm à non accipiente contemni pecuniam credimus? Philosophia fecit ne pecunia opus haberet Xenocrates. atqui eadem fecit vt ea opus haberet Alexander, * vt largiri talibus posset. Hoc quoties dixit Alexander ictus, vi pulsus? Et sanè iudicia recta omnibus hominibus putamus inesse: quòd natura vltrò ad honestatem ducat. Philosophi autem in eo præstant vulgo, quòd iudicia habent rebus adversis incidentibus firma & roborata. non enim tum his vtuntur anticipatis sententiis,

Iliad. μ, 243. *Est hoc augurium cunctis præstantius vnum:*

&: Finis omnibus hominibus est mors. Sed rationes periculo imminente franguntur, ac imaginationibus iudicium expellitur, vbi propè adsunt res terribiles. Metus enim non solam memoriam cõsternat, vt ait Thucydides: sed & institutum animi omne, & laudabilem conatum atque incitationem. * Funiculos philosophia circumposuit. * *

PLVTARCHI

De Fortuna, vel virtute Alexandri, oratio posterior.



IN hesterna disputatione obliti sumus, vt apparet, dicere, bona quadam fortuna factũ fuisse, vt ætas Alexãdri multas etiam artes, multa præclara ingenia produceret. quanquam id fortasse non tam Alexandri fortunæ imputandum, quàm istorum felicitati adscribendum est, eum suæ præstãtiæ spectatorem testémque nactis, qui & optimè iudicare egregia opera, & liberalissimè compensare posset. Sanè posterioribus temporibus perhibent Archestrato poëtæ eleganti, sed qui in paupertate inglorius viueret, quendam dixisse: Si tu Alexandri ætate vixisses, is tibi pro quovis versu Cyprum aut Phœnicen dedisset. Existimo autem eos quoque, qui tum fuerunt, artifices primos, non tam ætate Alexandri, quàm propter Alexandrum extitisse. Vt enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit: ita artium & bonorum ingeniorum incrementa benignitas, honor, & humanitas regis efficit. & contrà principum invidia, sordes, aut studium contendendi omnia ista exstinguit atque perdit. Dionysius tyrannus, vt fertur, citharœdum quendam egregium audiens, pollicitus est se talentum ei dono daturum. cúmque homo postridie promissum flagitaret, Heri, inquit, exhilaratus abs te eo quo cecinisti tempore, te quoque spe iniecta exhilaraui: habes ergo mercedẽ, pro eo quòd me delectauisti vicissim delectatus. Alexander Pheræorum tyrannus (tyrannum duntaxat appellari par erat, neque Alexandri nomen ab eo pollui) is ergo tyrannus cùm spectaret tragœdiam, præ voluptate animi vehementiore motu est ad misericordiam prolapsus. exsiliens itaque è theatro concitatiore gressu discessit, Rem indignam fore inquiens, si qui tot interficeret ciues, conspiceretur Hecubæ & Polyxenæ calamitatibus illacrymans. parúmque adeò abfuit, quin pœnas à tragœdo exigeret, quòd is ferreum ipsius animum emolliuisset. Archelaum, quòd in donando restrictior videbatur, Timotheus canens sæpe hoc pupugit cauillo:

Tu terrigenæ argento faues.

& Archelaus non inconcinnè hoc ei reposuit:

Tu terra genitum argentum aues.

Scytharum rex Ateas captiuum adeptus Ismeniam tibicinem iussit inter pocula canere. cúmque cantum eius reliqui plausu & admiratione prosequerentur, iurauit se suauiùs audire hinnitũ equi. adeò procul is aures suas à Musis abduxerat, animúmque

in

In præsepibus habebat, non equos, sed asinos qui audiret dignum. Quid putas apud tales reges incrementi aut honoris artibus & Musicæ futurum? Quinetiam non ferũt, si quis aliqua arte superet, ideóque veros artifices per invidentiam infenso animo deiiciunt. qualis rursum fuit Dionysius, qui Philoxenum poëtam in lapicidinas iniecit, quòd scriptam à tyranno tragœdiam corrigere iussus, ab initio totam vsque ad coronidem deleuerat. Sed & Philippus, quia seriùs ad discendum se contulerat, fuit in hoc genere seipso inferior, & adolescentuli in morem arrogans. itaque psalten quendam, cùm rex de sonis quibusdam disputaret, ac coargui à se musicum putaret, hunc leni voce subridentémque aiunt dixisse, Absit verò, rex, isthuc abs te miseriæ, vt hæc tu quàm ego meliùs intelligas. Sed Alexander gnarus cùm quæ spectanda ipsi & audiẽda essent, tum in quibus sibi esset elaborandum atque certandum, in armis sese adsiduò exercebat, vt fieret secundum Aeschylum

Terror casuris hostibus armipotens.

hanc enim artem à maioribus suis Aeacidis & Hercule ad se transmissam colebat, reliquis autem artibus honorem absque æmulatione tribuebat, gloriámque & elegantiam: sed delectatione ad imitandum se duci non sinebat. Fuerunt ætate Alexandri Thessalus & Athenodorus tragœdi, quibus inter se certantibus sumtus scenicos fecerunt Cypriorum reges, iudicium tulerunt ducum laudatissimi. cum autem victor esset renunciatus Athenodorus, dixit Alexander, se maluisse partem regni amittere, quàm videre Thessalum vinci. neque tamen vel intercessit apud iudices, vel iudiciũ repræhendit: sentiens debere se omnibus aliis superiorem, iusticiæ tamen subditum esse. Comicus tum fuit Lyco Scarphensis. Huic, cùm in quandam comœdiam versum inseruisset quo donum petebat, ridens decem talenta dedit. Citharœdi cùm alij, tum Aristonicus, qui in pugna quadam cùm ad auxilium ferẽdum accurrisset, strenuè prœliatus cecidit. Huic æream statuam fieri & Pythiis collocari iussit Alexander, cythara & hasta proiecta conspicuam. non virum modò honorans, sed musicam etiam, vt quæ fortes faciat, ac rectè educatos apprimè impleat diuino quodam instinctu & impetu. Etenim ipse aliquando Antigenida modum qui Harmateos dicitur canente tibia, ita fuit cantu illo concitatus atque inflammatus animum, vt dato impetu arma, quæ propè iacebant, corriperet. testimoniúmque ferret Spartanis cantantibus

Ferrum capessere instigat citharæ melos.

Vixêre tunc etiam Apelles pictor, & Lysippus fictor. horum Apelles fulminigerum Alexandrum pinxit ita perspicuè & attemperatè, vt diceret duos esse Alexandros, vnum Philippi F. insuperabilem, alterum Apellis inimitabilem. Lysippus autem cùm finxisset primum Alexandrum facie sursum conversa in cœlum intuentem, sicvt solebat suspicere Alexãder leniter inflexo collo: subscripsit quidã non absurdè:

Aereus inspiciens diuósque hominésque regentem,
Velle mihi est visus talia verba loqui:
Magne tene Iupiter, neque enim prohibemus, Olympum,
Dum toto tellus pareat orbe mihi.

Itaque etiam solum Lysippũ Alexander fabricari suas iussit imagines. quod nimirum is solus ære ingenium ipsius exprimeret, simúlque cum forma etiam virtutem proponeret. reliqui inclinationem ceruicis, oculorúmque renidentem volubilitatem imitari volentes, masculum eius leoninúmque vultum non seruabant. Inter alios artifices fuit tunc etiam Stasicrates architectus, nullum opus moliens quod varium iucundúmque adspectu esset, sed & manu magnifica, & dispositione operum vtens quæ sumtus à rege suppeditari opus haberet. Is cùm adscendisset ad Alexandrum, pictas eius, & sculptas atque fictas imagines culpauit, vt timidorum & humilium opera artificum. Ego, aiebat, statui corporis ô rex tui similitudinem in viuam & interitus expertem æternísque firmatam radicibus materiam, & immota præditam grauitate introducere. Thraciæ enim mons Athos, vbi maximus & planè conspicuus assurgit, latitudines & altitudines habens proportione toti congruẽtes, tum membra & artus atque interstitia quæ conformari queant, potest artificio ita tractari, vt imago Alexandri & sit & dicat: fundamentis suis mare attingens, manuũ autẽ alte-

ra gestans vrbem ccIↃↃ ciuium capacem, dextra perennem fluuium è patera in mare libans. proinde aurum, æs, ebur, ligna, tincturas, simulacra exigua, vænalia, & furtis exposita abiiciamus. Hoc vt audiuit Alexander, audaciam sanè artificis & fiduciam admiratus laudauit. Tu tamen, dixit, Atho montem intactum relinque. satis est eum esse monimentum petulantiæ quam vnus in eum rex exercuerit. me Caucasus monstrabit, & Emodi montes, & Tanais, & Caspium mare. hæ sunt meorũ factorum imagines. Enimverò ponamus obsecro, fuisse confectum istud opus: erátne futurus aliquis qui illud videns, fortuitò hanc formam, figuram, dispositionémq; obtigisse putaret? non equidem arbitror. Idem de fulminigero, de hastato eius simulacro sentiendum. Iam statuæ magnitudo absque arte à fortuna effici non potest: vtcunq; multum auri, æris, eboris, aliúsq; preciosæ materiæ suggerente. vir autem magnus, immò omniũ qui vnquã exstiterũt maximus absolui potuit absq; virtute opera Fortunæ, arma, opes, vrbes, equos ei largientis? quæ ipsa vti his nescienti, nõ potentia sunt, non ornatus, sed periculũ, imbecillitatísq; & impotẽtiæ suę argumentũ. Rectè .n. Antisthenes dixit, hostibus omnia bona nos optare debere excepta fortitudine. ea enim sic fiunt non possidentium, sed vincentium. Atque hanc ob causam creditur naturam ceruo ignauissimo animali cornua mirandæ magnitudinis atque asperitatis ad sui defensionem dedisse: docentem nihil vires & arma prodesse iis, qui subsistere non audent. Sic etiam Fortuna sæpenumerò timidis & stultis potentiam & imperia tribuens, in quibus turpiter se gerant, ornat atque commendat virtutem, vt quæ sola virum magnum præclarúmque reddat. Probè dictum est ab Epicharmo, Mentem videre, mentem audire, reliqua cæca & surda, rationis indigere. nam sensus suas habent proprias opportunitates. Mentem autem prodesse, mentem ornare, hanc esse quæ vincat, superet, regnet, reliqua omnia cæca, surda, exanima possessores deiicere, grauare, & dedecorare vbi virtus abest, licet ex ipsis rebus discere. Nam eadem potentia, eodem regno proposito, Semiramis cùm esset mulier, classes instruebat, legiones armabat, Babylonas condebat, rubrum mare circumvecta Aethiopes & Arabes subigebat. Sardanapalus virili natus sexu, domi purpurã carpebat, inter pellices desidẽs sursum erectis pedibus. cui mortuo lapideum posuerunt simulacrum, barbarico more sibi saltantis, digitísq; supra caput complosis crepitum edentis: inscripserúntq; Ede, bibe, Veneri da operam, reliqua nihil sunt. Equidem Crates cum videret auream imaginem Phrynes meretricis apud Delphos stantem, exclamauit Esse eam trophæũ de Græcorũ intemperantia erectũ. at Sardanapali siue vitam, siue sepulcrum (nihil enim puto interesse) inspiciens, diceres trophæum esse de Fortunæ bonis positum. Ergóne patiemur eam post Sardanapalum etiam Alexandrũ attingere, eiúsq; magnitudinem & potẽtiam sibi vindicare? Quid verò huic amplius dedit, quàm aliis etiam regibus? arma, equos, iacula, pecuniam, satellites? His Fortuna magnum, si potest, faciat Arridæum, Amasin, Ochum, Oarsen, Tigranem Armenium, aut Nicomedem Bithynum. quorum ille diademate pedibus Pompeij subiecto turpiter regnum amisit, prædæ id cedens: hic raso capite & sumto pileo, libertum se populi Romani est professus. Dicamus potius, Fortunam paruos, timidos, abiectos facere. iniustum verò esse, qui vel vitium infortunio, vel fortitudinem & prudentiam prosperæ fortunæ accepta ferat. Multum verò Fortuna debet imperio Alexandri. in eo enim conspecta est illustris, inuicta, magnanima, modesta, humana. Statim autem mortuo Alexandro exercitum eius vagantem, & in seipsum impingentem Leosthenes similem dixit Cyclopi esse qui amisso oculo vsquequaque manus intendebat nullum ad certum scopum directas. ita sublato duce magnitudo exercitus incertis motibus agitabatur. Atque adeò sicvt anima deserente cadauera non consistunt, non cohærent, sed dissipantur & dissoluuntur: ita exercitus Alexandro amoto palpitabat, concutiebatur, atque æstuabat, Perdiccis, Meleagris, Seleucis, & Antigonis tanquam spiritibus etiamnum calidis ac pulsibus in corpore discurrentibus: tandem planè flaccescens & putrescens, vermium instar ex sese pullulauit degeneres reges atque principes semianimes. Hócque ipse etiam Alexander indicauit, cùm Hephæstionem, qui cum Cratero in rixam inciderat, obiurgans dixit: Quæ verò tua res gesta est, si quis tibi Alexandrum auferat? Quod ego intrepidè ad eius temporis Fortunam dixero: Quæ tua magnitudo, quæ gloria, quæ potentia, vbi vis illa est insuperabilis, si quis Alexandrum tibi detrahat? id est, si quis tibi adimat armorum peritiam, diuitiarum magni-

Alexandrũ non fuisse Fortunæ opus.

magnificum vsum, continentiam in tanta luxus materia, audaciam in certaminibus, mansuetudinem erga subditos. Alium fac, si potes, magnum, qui pecuniam non elargiatur, non ante exercitum periculis se offerat, nõ honoret amicos, non misereretur captiuos, voluptates non sobriè percipiat, non in tempore excubias agat, victor nõ placabilis & humanus sit. Quis magnus est in potentia constitutus, prauitate & stulticia eum tenentibus? aufer virtutem à fortunato, prorsum humilem cernes: in gratia paranda ob illiberalitatem, in laboribus ob molliciem, erga deos ob superstitionem, erga bonos ob invidiam, inter viros ob timiditatem, inter mulieres ob libidinem. Sicvt enim inepti opifices dum magnas bases paruis donariis supponunt, eorum paruitatem hoc ipso arguunt: sic Fortuna cùm ingenium vile magnis ac splendidis rebus extollit, id eò magis demonstrat atq; infamiæ exponit, cùm præ leuitate labascit atq; impingit. Non ergo in possessione, sed in vsu bonorum id invenies, quod laudem meretur. quando etiam infantes regna & imperia paterna hæreditatis iure consequuntur: vt Charilaus, quem Lycurgus cum ipsis incunabulis in phiditium attulit, ac suo loco regem Spartanorum renũciauit. & sanè nihil laudis infans merebatur, Lycurgus plurimum, qui infanti paternam dignitatem redderet, non ad se eam traheret. Quis verò magni fecit Arridæum? quem nihil infanti præstantem, tantùm purpura velvti cunabulis involuens Meleager in Alexandri solio collocauit. rectè is, vt conspicuum fieret intra paucos dies, quomodo virtute homines, quomodo fortuna regerentur. Nam post imperij verum administratorem, histrionẽ introduxit: aut potiùs tanquam in scena diadema orbis terrarum imperij tacitum traduxit.

Imponente viro molem mulier quoq; perfert,

inquit ille. Contrà verò hoc rectius est dicere: potentiam, diuitias, imperium vel mulier, vel puer potest alicui imponere. Oarsæ & Dario Bagoas diadema arreptum, cúmque eo regnum Persicum imposuit. Vt autem is, qui magnam est adeptus potentiam, tolerare eam, & administrare possit, neq; mole rerum conteratur aut subvertatur, viri est virtute, mente, altóque animo præditi. qualis fuit Alexander, cui à nonnullis ebrietas & temulentia obiiciuntur. Ille verò magnus fuit vir, sobriúsque in tanta rerum mole, neque passus à potentia & imperio se inebriari aut ad bacchandum incitari. cuius gustum alij exiguum cùm percepissent, sui compotes esse nequiuerunt.

Etenim mali, saturati vel pecunia,
In ciuitate vel potiti honoribus,
Luxuriant insperatam ob fortunam domus.

Clitus, cùm apud Amorgum tres vel quatuor Græcas triremes subvertisset, Neptuni cognomen accepit, & tridentem gestauit. Demetrius, cui Alexandreæ potentiæ paruam Fortuna portiunculam contulerat, passus est se Catæbatem (tanquam deum qui in terras descendisset) appellari, & ab vrbibus ad eum non legati sed consultores numinis mittebantur, responsáq; ipsius oracula dicebanť. Lysimachus Thraciam, quasi extremos regni Alexandrei fines, adeptus, eò superbiæ & ferociæ processit, vt diceret: Nunc ad me veniunt Byzãtij, cùm hasta cœlum tango. cùm quidem Pasiądes Byzãtius, tunc præsens, Abeamus hinc, inquit, ne cuspide cœlum perforet. Et quid de iis dicam, quibus licuit propter Alexandrum altos ducere spiritus? quando Clearchus etiam occupata Heracleæ tyrannide sceptrum gessit, & filiorum vnum Ceraunі (quæ vox fulmen significat) nomine affecit. Dionysius verò iunior Apollinis se filium prædicauit hac inscriptione:

Superbè dicta & facta quorundam.

Dorica quem genuit Phœbeo semine mater.

Pater huius, cum ciuium CCIↃↃ aut amplius interfecisset, fratrem ob invidiam hostibus prodidisset, matrem vetulã, paucis pòst diebus morituræ exitum pręstolari nõ sustinens, suffocasset, atq; in tragœdia ipse scripsisset,

Tyrannis iniusticiæ mater est enim:

tamen filiabus Virtutis, Pudicicię, Iusticiæ nomina imposuit. Alij Euergetas, id est benefactores, alij Callinicos, id est pulcras victorias consecutos, alij Soteres, hoc est seruatores, alij Magnos se denominauerunt. Alias autem supra alias eorũ nuptias equo-

rum instar in armentis mulierum promiscuè versantium, filiorum cædes, exoletorum excarnificationes, ludos tesserarū quotidianos, tibiæ cantus in theatris, noctes in cœnis, dies in prandiis consumtos, enarrare nemo queat. At enim Alexander prima luce sedens prandebat, tenebris noctis iā ingruentibus cœnabat, bibebat diis sacrificans, cum Medio tesseris certabat febricitās, ludebat iter faciens interimq; arcu iaculari discens, & de curru descēdere. Roxanem sibi soli duxit, amore eius captus. Darij autem Statiram regno & rebus: proderat enim gentium commixtio. Reliquis Persidibus tātum superior fuit pudicicia, quantum fortitudine Persis. nullam enim inuitam vidit, & quas vidit, magis præteriit quàm non visas. vt cùm aliàs fuerit humanissimus, adversus pulcritudinem formæ dūtaxat superbè se gesserit. De vxore Darij longè formosissima, ne vocem quidem audire voluit formę eius commendatricem. mortuam verò ita regiè ornauit, itàq; misericorditer defleuit, vt pudicicia eius in tanta humanitate fidem non invenerit, iniuriæq; crimen ei bonitas conflauerit. Sinistram enim de eo suspicionem Darius concepit, ad potentiam & ætatem respiciens: quòd ipse quoq; erat eorum è numero, qui putabant à Fortuna Alexandri esse victoriam. Postquam autem veritatem diligentissima inquisitione comperit, Proinde, dixit, non planè res Persica periit: neq; nos quisquam prorsum ignauos mollésq; dixerit, à tali victos hoste. Equidē deos bonū successum, victoriámq; belli huius flagito, vt beneficiis Alexandrum possim superare: ac me studium quoddam æmulatióq; tenet benignitate eum vincendi. Sin actum est de rebus meis, patrie Persarum Iupiter, diique regij, nemo precor alius quàm Alexander in Cyri solio sedeat. Ita diis testibus vocatis ille Alexandrum adoptauit. sic vincitur virtute. Si lubet, Fortunæ accepta fer Arbela, & Ciliciam, & alia vi gesta ac peracta. Fortunæ beneficio bellicæ quassata fuerit Tyrus, & aperta Aegyptus. huius opera ceciderit Halicarnassus, & capta sit Miletus, & Euphratem vacuum reliquerit Mazæus, ac Babylonius campus cadaueribus fuerit oppletus. Non quidem temperantem eum Fortuna reddidit, neque continentem, neque invictum à voluptate, & nulla cupiditate violabilem animum conseruauit. Atqui ea sunt quibus Darium vicit Alexander: reliqua, armorum erant & equorum clądes, pugnæ, cædes, fugæq; virorum. illa priora sunt quibus magnam & in confesso positam victoriam ille de Dario reportauit, concedente virtuti, magnanimitati iusticiæq; eius, mirantique eius in voluptate, laboribus, & officiis invictum animum. Quippe inter scuta, sarissas, conclamationem acierum, & armorū conflictus Tarrias quoq; Dinomenis F., & Antigenes Pellenæus, & Philotas Parmenionis F. invicti erant. iidem verò ad voluptates, mulieres, aurúmque & argentum nihilo meliùs affecti quàm quivis captiuorum. Nam Tarrias, cùm Alexander Macedonas ære alieno exsolueret, creditoribúsque pro omnibus satisfaceret, mentitus se debere quendā, qui se ei credidisse simularet, ad mensam adduxit. deinde facinoris compertus, erat seipsum interfecturus, nisi Alexander eum absoluisset crimine & argentum habere siuisset: recordatus eum Philippo Perinthum oppugnante iaculo oculum ictum, non passum antè sibi fuisse telum extrahi, quàm hostes fudisset. Antigenes iis qui ob morbū aut mutilationem in Macedoniam remittebantur se immiscuit. inque eorum numerum adscriptus, cùm depræhenderetur nihil habere mali, sed finxisse morbum vir bellicosus & cicatricum corpus plenum habens, molestiam Alexandro exhibuit. interrogatúsque ab eo causam, confessus est Telesippæ amore se teneri, & quòd ab ea divelli non pateretur, ideò comitem ad mare ei se præbuisse. quæsiuit Alexander, cuius ea mulier esset, & quis eius gratia compellandus: liberámque esse Antigeni respondenti, Muneribus ergo, inquit, & pollicitis ei persuadeamus vt nobiscum maneat. Adeò cuivis amanti Alexander faciliùs quàm sibi ignouit. Philotas Parmenionis F. vitio incontinentiæ laborauit. Antigona fuit Pellæa muliercula inter eas quæ apud Damascum captæ erant, quondam capta ab Autophradate, cùm ipsa in Samothraciam traiiceret, forma satis egregia. Hæc Philotam, cùm amare eam cepisset, planè tenebat sibi devinctum. Et verò ferreus ille emollitus, in voluptate cogitationes suas non continuit, sed aperuit, & multa arcana mulierculæ enunciauit. Quid enim, dicebat, erat Philippus iste sine Parmenione? quid esset, si Philotam non haberet, Alexander? vbi Ammon, vbi angues, si nos nolimus? Ea verba ad quandam familiarium mulierum extulit Antigona, hæc Cratero indicauit: Craterus Antigonam occultè ad Alexandrum adduxit.

Is

Is corpore quidem mulieris abstinuit, sed opera eius Craterum totũ excussit, tacitéq; omnia consilia eius expiscatus est. Et quidem annis amplius septem ex inde elapsis, neq; in vino vnquam simultatem Alexander ebrius vllam indicauit, neq; per iram iracundus, neq; amico vlli aperuit rem, omnia solitus Hephæstioni credere atq; communicare. Ferunt enim Alexandro epistolam matris arcanam tacitè secum legente, Hephæstionem leniter admoto capite vnà eam pellegisse: neq; Alexandrum ꝓhibere sustinuisse, sed detracto annulo sigillum ori eius admouisse. Enimverò defatigari dicendo oporteret, qui omnia ea vellet cõmemorare, quibus demonstrat̃ pulcerrimè & vt regem maximè decebat sua vsum fuisse Alexandrum potentia. vt si Fortuna magnum eum fecerit, maius hoc sit quòd ea rectè vsus est: & quanto magis fortunam eius laudes, tanto magis virtutem ipsius extollas, quæ dignum fortuna sua eum fecit. Sed iam nunc ad principia incrementorum, ac initia potentiæ Alexandri venio, consideraturus quódnam Fortunæ opus in iis sit, propter quod Alexander à Fortuna evectus & auctus dicatur. Quid ni enim, dij boni? Scilicet illæsum, incruentatum, nulla obita expeditione, equi hinnitu eum in solium Cyri extulit, vt antè Darium Hystaspis F.? aut muliebri adulatione inductus vir hoc ei cõtulit? quomodo Darius Atossa impellente Xerxi ad fores diadema regni attulit? aut sicvt Parysatis filio per Bagoam? vt stolam exuens astãdę, regiam erectámq; tiaram sibi circumposuit? aut subitò & prętẽr exspectationem sorte electus imperium orbis terrarum suscepit? sicvt Athenis thesmothetæ & archontes sorte leguntur. Discere vis, quomodo homines Fortunæ fauore reges creentur. Apud Argiuos aliquãdo defecit Heraclidarum genus, è quo regem eos deligere patria consuetudo iubebat. quærentibus ac sciscitantibus oràculum datũ est, regem ab aquila demonstratum iri. ac post paucos dies aquila in domum Aegonis devolare conspecta fecit, vt Aegon rex designaret̃. Rursum in Papho cùm rex improbè iniustéq; se gereret, Alexander eo eiecto alium quærebat è stirpe natum Cinyræ: cùm ea gens iam deficere & perire putaret̃. vnum ergo dicebant inde superesse hominem pauperem & obscurum, qui in horto quodam neglectus ab aliis aleret̃. ad hunc missi à rege venerunt. éstq; inventus aquam areolis olerum in horto infundens, ac perturbatus est, cùm milites eum arriperent, & ire iuberent. cęterùm adductus ad Alexandrum in vili sindone, rex est factus, purpuráq; ornatus, & in numerum eorum receptus qui Socij appellabant̃. nomen ei fuit Alynomus. Hoc modo fortuita eventa reges faciunt, vestitum mutantes, ac celeri mutatione alia nomina imponentes nihil tale exspectantibus aut sperantibus. Alexandro aũt q̃d præclari obtigit præter meritum, q̃d sine sudore, sine sanguine, q̃d gratis, quid absq; labore? Sãguine mixtos fluuios bibit, per cadauera velvti pontem amnes transiit, herbã edit famè vrgente quam primam conspexit, gentes altis niuibus obrutas, & vrbes infra terram desidentes penetrauit, mare hostile nauigauit, tumulósq; arenarum in Gedrosiis et Arachosiis pervadẽs, antè in mari q̃ in terra vidit stirpem. Quòd si libero ore adversus Fortunam tanq̃ cõtra hominem loqui liceret pro Alexandro, equidem eam sic compellarem. Quando tandem, ô Fortuna, Alexandri actionibus tu, & vbi viam aperuisti? quódnam saxũ tua ope adiutus cepit sine sanguine? quam vrbem ei præsidio nudatam tradidisti? quem exercitum inermem? in quem regem incidit socordem? in quem ducẽ negligentẽ? in quem ianitorem dormientem? quem fluuium traiectu facilem, quam hyemem temperatam, quam æstatem molestiæ expertẽ præbuisti? Ad Antiochum Seleuci F., ad Artaxerxem Cyri fratrem, ad Ptolemæum Philadelphum abi. eos viui etiamnum patres regio titulo dignati sunt: ij prœlia nullis lacrymis constantia vicerunt, ij inter festos dies ac pompas & spectacula vitam exegerunt, ij ob felicitatem in regia dignitate consenuerunt. Alexandri si nihil aliud, saltem totum corpus considera à summo capite vsq; ad imos pedes hostilibus vulneribus contusum atq; dissecatum, *Fortunam Alexandro fuisse adversam.*

Hastis, & gladiis, saxísq; ingentibus ictum. Iliad. λ, 265.

Ad Granicum galea eius gladio fuit dissecata, ictu vsq; ad capillos penetrante. Gazæ iaculo humerum est vulneratus. in Maragandis sagitta crus, ita vt os radij fractum eo ictu eminuerit. apud Hyrcaniam lapide ceruicem ictus est. qua ex plaga visus ita fuit hebetatus, vt per non paucos dies in periculo amittendi vsus oculorum fuerit. Ad Assacana Indico telo sauciatus talum est. quo quidem tempore adulatoribus subridens dixit: Hic quidem sanguis est, Iliad. ε, 340.

Non ichor, qualis stillat de sanguine diuũm,

Apud Issum gladio femur ei vulneratum est à Dario manum cum ipso conserente, vt Chares scribit. ipse simpliciter & verissimè scribẽs ad Antipatrum, Mihi quoq;, inquit, vsu venit vt pugione femur sauciarer: sed neq; tum, neq; postmodò quicquam mali ex eo vulnere evenit. In Mallis sagitta bicubitalis per thoracem in pectus & sursum vsque ad ceruicem fuit adacta. autor Aristobulus. Tanaim transgressus Scythas fudit, & equo ad CL stadia insecutus est, cùm quidem alui profluuio vexaretur. Euge Fortuna, Alexandrum auges scilicet atq; magnum facis, vndique perfodiens, vndique lædens, omnia corporis membra vulneribus aperiens: non quo modo Minerua sagittam in Menelaum coniectam in validissima armorum avertit, ac thorace, mitra, & cingulo ictus vim ita retudit, vt leuiter perstricto corpore duntaxat sanguis flueret: sed nuda membra vulneribus exponens periculosis, ictúsq; per ossa dirigens, corpúsq; in orbem ambiens, oculósq; & pedes oppugnans, impediens persequentem hostes, victorias subtrahens, spes subruens. Mihi profectò nullus rex videtur Fortunam expertus iniquiorem. In multos quidem ea incidit grauis atq; invida. sed alios fulminis in morem succidit atque perdidit: ira eius & odium in Alexandrum pertinax fuit, & cum invicto contendendi studio coniunctum, quale adversus Herculem. Quos enim Typhones aut vastissimos Gigantes non in eum excitauit? quos hostes non muniuit armorum multitudine, aut fluminum profunditate, aut rupium asperitate, aut peregrinarum belluarum robore? Quòd nisi magna fuisset Alexandri altitudo animi, & à magna virtute suscepti conatus contra virtutem eniti pertendissent: quomodo nõ despondisset animum, toties signa cõferens, exercitum armans, oppugnans, persequẽs? innumeras defectiones, aversiones, insultus gentium perferens? qd reges iugum abiicientes, Bactra, Maracãda, Sogdiani? deniq; inter gentes infidas & insidiosas hydram secans semper nouis bellis pullulãtem? Absurdum videbit̃ qd dicam: sed dicam tamẽ quia verum est. Parum abfuit quin Fortunæ culpa Alexander desineret Ammonis filius haberi. Quis enim diuina stirpe natus tot laboriosas exantlauit ærumnas, Hercule demto? Verùm huic vnus vir improbus iniunxit vt leones caperet, apros insequeret̃, aues abigeret, ne maiores res obeundi, Antæúmq; puniendi, & Busiridis homicidiis finem imponendi ocium haberet. Alexandro autem virtus imposuit regium ac diuinum certamen, cuius finis esset non aurum ab innumeris circumferendum camelis, non luxus Medicus, mensę & mulieres, neq; vinum Calydonium aut Hyrcanici pisces: sed vt omnes homines in vnam reipublicæ constitutionem redigens, omnes vni principatui subditos, vni vitæ rationi adsuefaceret. Hunc amorem à puero gerens insitum, vnáque cum corpore auctum & adultum, vt legati venerunt à rege Persarum ad Philippũ, qui tum peregrè aberat, ipse eos comiter hospitio exceptos, nihil puerile (vt alij) interrogauit, de aurea illa arbori maritata vite, aut hortis pensilibus, aut ornatu regis. sed totus in iis erat, quæ imperij summã & vim continebãt: sciscitans quantus esset Persarũ exercitus, quo loco rex in prœliis pugnaret. exemplo nimirũ Vlissis, rogãtis:

Iliad. κ,407. *Arma vbi sunt illi, stabulum quod quadrupedantum?*

quæ itinera breuissima sursum à mari tendentibus? ita vt attoniti hospites dixerint: Iste puer magnus est rex, noster autem diues. Posteaquàm verò mortuo Philippo ad traiiciendũ in Asiam appulit animũ, iámq; & spe et apparatu totus ea fuit in expeditione: iniecit manũ Fortuna, avertítq; eum & retrò abstraxit, innumerásq; occupationes ei & moras circumdedit. Initiò vicinis barbaris conturbatis, Illyricum & Triballicum bellum ei immisit. quibus ab Asiatica re vsq; ad Scythiam Istro adiacentem avulso, & circũcursitando magnisq; periculis ac certaminibus obeundis defuncto, cùm debellatis hostibus rursum expeditioni incũberet, eadẽ denuò Thebas incussit, Græcúmq; bellũ, & atrocẽ adversus cognatos & populares per cædes, ferrũ, ignémq; vindictã, cuius fuit tristissimus finis. His peractis reb. traiecit in Asiã, viatico instructus, vt Phylarchus ꝓdidit, XXX dierũ. Aristobulus scripsit, LXX eũ habuisse talenta. Interim rẽ familiarẽ & reditus regios maxima ex parte inter amicos diuisit. Solus Perdiccas nihil accepit, quanq; offerente rege. sed interrogauit, Tibi verò, Alexander, qd facis reliquum? isq; vbi respõdit, Spes. nos ergo etiam, inquit, in earũ parte acquiescemus. rectum quippe est nos Darij potiùs exspectare opes, quàm tuas accipere. Et quænam tandẽ erant illæ spes, quibus fretus Alexander in Asiam transmisit? non copiæ ex vrbibus, quarum quanvis multa ciuium millia inhabitarent, certo numero conductæ: non classis quæ per montes nauigaret: non flagella, non compedes, barbaricæ insaniæ supplicia mari

mari imponẽda. Verùm extra ipsum in exiguo exercitu vigebat magnum laudis studiũ, & æmulatio ætate æqualiũ, certãenque de gloria & virtute cum sociis susceptum. Ipse autem magnas in se spes continebat. pietatem adversum deos, fidem erga amicos, frugalitatem, continentiã, peritiam, mortis contemtum, magnanimitatem, humanitatem, comitatem, candorem, constantiam in consiliis, celeritatem in actionibus, principatum in gloria, institutum animi in rebus gerendis efficax. Nam Homerus quidem neq; convenienter neq; probabiliter Agamemnonis pulcritudinem è tribus cõpegit similitudinibus:

Alexandri cum aliis imperatoribus comparatio.

Iliad. β, 478.

Ille caput magno similis, oculósq; Tonanti,
Neptuno pectúsq;, truci zonámq; Gradiuo.

Alexandri autem naturam si genitor deus ex multis concinnauit composuítq; virtutibus, quid obstat quo minus dicamus fuisse in eo magnanimitatem Cyri, modestiã Agesilai, prudentiam Themistoclis, peritiam Philippi, audaciam Brasidæ, vim & reipublicæ gerendæ calliditatem Periclis? Quinimmò si eum velis cum vetustioribus componere, temperantior fuit Agamemnone. hic enim captiuã prætulit vxori quam primam virginem duxerat: Alexander etiamnum coniugij exsors captiuis abstinuit. Maiore etiam fuit ꝙ Achilles animo. hic enim Hectoris cadauer exiguo precio redemtũ reddidit: noster grandi sumtu funus Dario fecit. atq; ille cum amicis in gratiã rediens, veniã donis ac præmio vendidit: Alexander victor hostes ditauit. Pietate porrò Diomedem superauit. is enim paratus fuit adversum deos pugnare: noster omnem successum prosperũ diis acceptum tulit. Acceptior quoq; necessariis fuit quàm Vlisses. huius enim mater ob luctum & desiderium vita excessit: mortẽ Alexandri mater hostis ob benevolentiam est comitata. Deniq;, vt verbo dicam, si Solon rempublicam fortuitò constituit, si Miltiades fortunæ munere exercitũ duxit, si Aristides casu fuit iustus: nullum iam virtutis erit opus. sed nomen hoc & oratio esto, quæ aliqua cum gloria homines pervaget, ficta à sophistis & legum latoribus. Sin aũt eorum, quos recensui, virorum, vnusquisq; pauper ꝗdem aut diues, imbecillis vel robustus, deformis siue pulcer fuit, ac vel in senectute felici mortem obiit, vel preproperè vitam reliquit, Fortunę nutu: magnum verò imperatorem, magnum legum cõditorem, magnũ reipublicę & magistratus administratorem virtute seipsum quivis & doctrina adiutus præstitit: agedũ cum singulis Alexandrum cõparemus. Solon Athenis nouas tabulas confecit, eámq; rem blando nomine Sisachtheam, id est oneris excussionẽ, appellauit. Alexander nominum loco pecuniam debitam creditoribus de suo dissoluit. Pericles tributo à Græcis exacto, templis ea è pecunia exstructis arcem ornauit: Alexander barbarica potitus pecunia, in Græciam CCIↃↃ talenta misit, mandans vt ædes diis inde ædificarentur. Magnam nominis celebritatem per Græciam Brasidæ peperit, ꝙ hostium ad Methonam castra percurrit ad mare posita. Alexãdri aũt in Oxydracis saltum illum atrocem, incredibilem audientibus, & spectantibus terribilẽ, cùm de muro seipsum in hostes demisit hastis, & iaculis, & strictis ensibus eum excipientes, cuinam alij rei similẽ dicas, quàm fulminis igni cum impetu prorípientis se & vento? tale tum spectrum in terras se deiecit ille, ardentibus circum fulgens armis. Et barbari initiò perterriti, non sine horrore dissipati recesserunt. deinde cùm viderent vnũ hominem in multos irruere, restiterunt. Enimverò ibi loci Fortuna suæ erga Alexandrum benevolẽtiæ præclara & evidentia opera edidit, quando ipso in locum obscurũ & barbarum abiecto, murísq; incluso, eos qui auxilium ferre summo studio contẽdebant, murósq; foris invadebant, cõfractis scalis prostrauit atq; præcipitauit. de tribus verò, qui soli in muros evaserant ac seipsos demiserant vt iuxta regem cõsisterent, vnum statim rapuit atq; interfecit, alter multis confixus iaculis tantum abfuit à morte, ꝙ sentire adhuc & quid ageretur cernere potuit. interim foris inanes incursiones atq; conclamationes erant Macedonum, cùm machina ad oppugnandum nulla, nullum in promtu esset instrumentum: sed muros præ opitulãdi studio gladiis percuterent, nudísq; manibus rumpere ac tantùm non mordicus cõminuere niterent. At enim fortunatus ille rex, vtpote quem perpetuò stiparet custodirétq; Fortuna, feræ in modum cassibus implicatę, desertus & auxilij inops agebat: non eò redactus, vt Susis, Babylone, vel Bactris poteret, aut pręclaram de Poro illam victoriam reportaret. nam qui arduas ac gloriosas res gerendas suscipiunt, ab illorum infortunio, si ꝗd habent, saltem dedecus abest. Sed ita pertinax & invidiosa fuit Fortuna, ita barbaris fauit, Alexãdro malè voluit: vt (quantum in ipsa

Iliad. α.
Iliad. ω.
Iliad. τ.
Iliad. ε.
Odyss. λ, 201.

quidem fuit) non corpus modò tunc eius atq; vitam, sed & gloriam decúsq; aboleuerit. Neq; enim adeò indignum erat vel turpe Alexandrum ad Euphraten vel Hydaspẽ occumbere, aut manu cum Dario conserta equis, gladiis, & securibus Persarũ pro rege suo propugnantiũ interfici, aut conscensis Babylonis mœnibus, ruere & à magna spe decidere. Sic Pelopidas & Epaminondas exstincti sunt: quorum in tantis conatibus mors virtuti, non calamitati est imputanda. Sed quódnam fuit facinus Fortunæ, in quam nunc inquirimus? Vt in extremo angulo barbaricæ fluuij ripæ, intra muros ignobilis oppiduli inclusus atque occultatus orbis terrarum rex atque dominus periret, armis inhonestis & instrumentis temerè oblatis percussus atque contusus. Nam securi per galeam caput vulneratum eius est, & sagitta aliquis arcu emissa thoracem perrupit, cuius ad mammã infixæ ossibus & inhærentis, colis eminuit aggrauans, cuspis autem ferrea IV digitos fuit lata, longitudo quinque. Extremum mali hoc fuit. dum ipse adversos hostes defendit, & eum qui coniecerat telum, ac gladio armatus accedere audebat, pugione præventum deiicit atq; necat: interea quidam è pistrino accurrens à tergo ictum ceruicibus Alexãdri ingerit, quo in vertiginem acti sensus sunt hebetati. Veruntamen præstò adfuit virtus, fiduciam ipsi, sociis robur festinationémque inserens. Limnæus enim, Ptolemæus, Leonnatus, atque alij, qui vel superato vel perrupto muro ante regem constiterant, murus erant virtutis, ob benevolentiam & amiciciam, qua Alexandro erant iuncti, corpora, facies, animásq; suas pro eo opponentes. Non enim Fortunæ casu fit, quòd alij vltrò pericula pro regibus adeunt, & mortem oppetunt: sed ob virtutis amorem, sicvt ob illex aliquod medicamentum apes solent, principi se adiungunt & adhærent. Quis autem qui tunc extra periculum constitutus spectator adfuisset, non hoc erat dicturus? Conspicere se magnum Fortunæ adversus virtutem certamen: & barbaros indignè superiore esse loco, Fortuna fauente: Græcos autẽ resistere vltra vires, virtutis præsidio. ac si barbari vincant, Fortunæ hoc & invidi genij ac Nemesis fore opus: si Græci, victoriam virtuti, audaciæ, amiciciæ, ac fidelitati deberi. Etenim hæc sola aderant tum Alexandro: reliquis copiis, apparatui, classibus, exercitibus, equitatui murum obiecerat. Tamen barbaros fuderunt Macedones, eósq; stratos ruinis oppidi texerunt. Verùm hoc Alexandro nihil tulit opis. Raptus enim inde est vt erat telo onustus, & bellum in visceribus cõtinebat, tanquam vinculo aut clauo thoracem sagitta corpori adstringẽte. Quam cùm vi evellere è vulnere tanquam è radice essent aggressi, ferramentum manus non est secutum, pectoris ossa quæ cor muniunt pro firmamento nactum. Neque calami prominentem partem serra abscindere sunt ausi: metuentes ne vehementiore agitatione fissum os, nimios excitaret dolores, & sanguinis è profundo proruptioni causam præberet. Ipse Alexander cùm magnam videret perplexitatem difficultatémque & moram rei, sagittam conatus est ad ipsam thoracis superficiem pugione abscindere: sed manus torpens præ inflammatione vulneris, conatum non pertulit. Iussit ergo eos rem tentare, ac nihil metuere, vltrò animos addens non vulneratis. aliisque exprobrauit lacrymas & nimium mœrorem, alios desertores appellauit, qui opem ipsi ferre non auderent. altaque voce testatus est ad socios, Neminem pro ipso debere timidũ esse. nã si vos, aiebat, pro me trepidatis, non credetur me nullo mortis metu teneri.

PLVTARCHI

De esu carnium, oratio prior.



TV verò quæris, qua ratione inductus Pythagoras esu carniũ abstinuerit. At ego miror quomodo affectus, quo animo, qua ratione impulsus homo ille fuerit, qui primus ore suo tangere cadauer, & mortui animalis carnes gustare aggressus, mortuorũ corporum ac simulacrorum mensas proposuit, ac pro obsonio & alimẽto habuit membra, quæ modò mugiebant, vocem edebant, mouebantur, & videbant. Quomodo oculi sustinuere conspectum cædis, cùm animal iugularet, pelle spoliaret, in frusta secaret? quomodo odorem nares tulerunt? quî gusta-

gustatum non avertit inquinatio, aliena tangentem vlcera, lethaliúmque vulnerum succos & saniem haurientem? Figmentum est hoc & fabula:

Vellera repebant: carnes verubus quoq; in ipsis Odyss. μ, 395.
Mugitum edebant assæ, crudæq; boabant.

Atqui cœna hæc verè est monstrosa. esurire aliquem adhuc mugientia animalia, & docere iis vesci, quæ viuunt adhuc, & vocem edunt, ac disponere condiendi, assandi, apponendíq; modos. Is quærendus fuit, qui primus ista cepisset, non qui serò tãdem ab iis destitisset. Enimverò primi isti, qui carnibus vesci sunt aggressi, omnem fortasse culpam in inopiam reiecerint. non enim cupiditatibus iniustis capti, & inter copiam omnium rerum libidine elati ad voluptates quæ à natura & societate animantium essent alienæ provecti eò se contulerunt. Quibus si in præsentia sensus & sermo daretur, haud dubiè sic nos compellarent: O beati, qui hodie viuitis, & diis cari, quale vobis contigit æuum, qui omnium rerum abvndantia sorte oblata perfruimini? quàm multa vobis nascuntur, quàm locuples rerum vobis vindemia? quantum è campis diuitiarum, quantas è stirpibus voluptates percipitis? ita quidem vt potiri illis & luxuriare vobis absq; vlla pollutione detur? Nos autem tristissima excepit & apprimè terribilis ætas, cùm in immensam atque difficilimam primi ortus incidissemus inopiam. Adhuc cœlum occultabat aër ac stellas, turbido & penetratu difficili humore confusas, ignís q;, & ventorum æstibus. nondum suo loco Sol fixus hæserat, nondum certum conficiebat cursum, nõdum ortus eius occasúsq; definitis distinguebantur limitibus: neq; suis statis conversionibus frugifera tempestatum anni intervalla discernebantur. Tum terra fluminum incõpositis eluuiis vastata erat: multa ob plaudes informia, cœno alto, saltubus infrugiferis & syluis erant inculta. Immò ad producendos mites fructus, ad artem culturæ nullum suppetebat instrumentum, nulla sapientiæ machina. neq; fames moram patiebatur, neq; anniversarium tempus semens facta exspectabat. Quid ergo mirum, si animalium carnibus vsi sumus præter naturam eo tempore, quo cœnum edebatur, & cortex vorabatur ligni, & gramen invenire virens, aut radicem alicuius herbę fortunatum putabatur? qui verò glandem gustassent atq; comedissent, præ voluptate choros circa quercum aliquam aut fagum duxerunt, vitæ datricẽ eam, matrem, nutricémq; appellantes? hanc enim eius sæculi festiuitatem vnicam nouerãt homines, reliqua omnia perturbationis ac tristiciæ plena erant. Vos autem quomodo nunc rabies quædam & œstrus agit ad cædes sceleratas, in tanta rerum necessariarum abvndantia? Cur terram mendacio grauatis, tanquam alere vos quæ nequeat? cur legiferam Cererem impiè offenditis, cur Mansuetum & Comem hac contumelia afficitis, vt non satis vos ab illis accipere præ vobis geratis? Non pudet mites fructus cum sanguine & cæde miscere? Dracones, pantheras, leones, dum sæuiciæ accusatis, ipsi interim improbis cædibus eorum feritati nihil ceditis. quippe iis ea animalia alimentum, vos obsonium vobis paratis. Non enim leones & lupos, eorum vlti iniurias, voramus: sed his omissis, innocua, mansueta, & stimulis dentibúsq; ad lædẽdum carentia interficimus. quæ me Hercle pulcritudinis, venustatísq; gratia videtur natura produxisse. Ac perinde facimus, ac si quis exvndantem cernens Nilum, à quo terra impleatur genitabili ac frugifero fluore, non admiretur eius vim, fecundam mitissimarum ac vitæ vtilissimarum frugum. sed sicvbi crocodilũ innatare, aut aspidem devolui, muscarúmq; videat feram & impuram natione: has vituperationis causas proferat. Aut si quis solum hoc tellurémq; cernens mansuetis frugibus refertam, fetámque spicis, dispiciens deinde in segete ista lolij aristam aut orobanches, frugum omissa lectione, isthæc incuset. Quid, si quis orationem rhetoris in iudicio ac patrocinio sentiat ferri ad depulsionem periculi, aut demonstrationem & coargutionem facinorum, quæ non simpliciter, neq; tenuiter incitata fluat, multis simul motibus variorum animorum instructa, & ingeniorum, quæ diuersis sunt auditoribus, aut iudicibus, aut excitandis aut mutandis, aut etiam placandis atq; sedandis: omissis istis, neq; reputãs aut metiens operam impensam, atq; contentionis magnitudinem, aliqua vocabula non rectè prolata excerpat, quæ inter orationis impetum elapsa sunt: eóque nomine oratorem ipsum vituperet? * Sed nihil nobis verecundiam incutit, non color floribus certans, non vocis concinna suauitas, non solertia, nõ puritas in victu, non summa prudentia miserorum animalium: exiguæ carunculæ gratia spoliamus ea Sole, luce, & vitæ tempore iis dum nascerentur destinato. Deinde quas emittunt ea voces, *

Primorum hominum victus.

putamus indistinctas esse, non deprecationes singulorum, non obtestationes, quovis eorum dicente: Non deprecor si necessitas te cogit, iniuriam deprecor: interfice vt cibum habeas, noli interficere vt suauius edas. Proh crudelitatem. Atrox quidem est res, videre appositam homini diuiti mensam, qui coquis vtatur sua obsonia de cadaueribus qui conficiant. Atrocior, videre sublatam. plura enim reliqua sunt quàm quæ sint vorata. ergo reliqua frustra sunt interfecta. & cùm appositis abstinuerint, non sinunt alios carnes recusatas scindere, cùm non pepercerint viuis. Verùm enimverò accepimus istos homines hoc dicere, esum carnium habere à natura initium. At non à natura hominem hoc habere vt carnes edat, primùm ipsa corporis humani demonstrat constitutio. Non oris vncus, non vnguis acumen adest, non dentium asperitas, non ventris robur, non calor spiritus, quo subigere & mutare possit carneam molem. Sed iam tum ipsa dentium læuitate, oris exiguitate, linguæ mollicie, & spiritus ad concoctionem imbecillitate, esum carnium eiurat. Quòd si contendis te natum esse ad hoc cibi genus sumendum, primùm id quod vis edere, ipse interfice, idqꝫ tua solius opera, non secespita vtens, non malleo, non securi. sed sicvt lupi, vrsi, & leones ipsi necant quæ vorare volunt, ita tu morsu bouem, aut ore suem neca, ouémqꝫ aut leporem irruens in viuum etiamnum diripe, sicvt istæ feræ. Sin exspectas dum moriatur, vererisqꝫ præsentem animam è carne expellere: cur contra naturam edis id quod anima est præditum? Immò nemo anima cassum & mortuum animal ita edit sic vt est. elixant, assant, ignis & condimentorum ope mutãt, cædémqꝫ medicamentis innumeris amoliuntur, vt gustatus deceptus alienum alimentum admittat. Et verò scitum est illud Laconis, qui cùm in caupona emisset pisciculum, idqꝫ cauponi coquendum tradidisset, atqꝫ caseum, & acetum, oleúmqꝫ ab eo postularetur: Quid, inquit? an si isthæc haberem, piscem emissem? Nos autem ita flagitiosas inter cædes istas luxuriamus, vt carnem obsonij nomine dignemur. deinde obsoniis indigemus ad ipsam condiẽdam carnem, admiscentes oleum, mel, vinum, garum, acetum, aromata Syriaca & Arabica, haud aliter, ac si re vera cadauer humi condendum condiremus. Etenim carnes, quas edimus, hoc modo diffluentes, emollitas, ac quodam modo putrefactas difficile est à concoctione subigi. Quinetiam superatæ vi concoctionis carnes, cruditates tamen molestas gignunt. Diogenes verò crudum polypum vorare sustinuit, vt amoliretur confectionem, qua ignis obsonia conficit. & sacerdotibus multisqꝫ aliis circumstantibus, caput pallio velans, polypúmqꝫ ori admouens, Pro vobis, inquit, ego me periculo obiicio. præclarum me hercle periculum, scilicet vt Pelopidas pro Thebanorum, Aristogiton pro Atheniensium libertate, ita philosophus adversus crudum polypum decertauit, vt vitam humanam efferaret. Porrò carnis esus non modò præter naturam corporibus nostris accidũt, sed satietatem etiam crassiciémqꝫ ingenerant. Vinum enim & carnium esus, corpus quidem robustum validúmqꝫ faciũt, animos autem hebetant. Ac ne athletas adducendo offendam, vtar cognatis exemplis. Bœotos nos Attici crassos, stupidos, stolidos maximè ob voracitatem appellauerunt, atque adeò sues, & Menander

Contra naturā esse carnium esum. (margin, beside "nunt alios carnes…")

Damna ex esu carnium. (margin, beside "decertauit…")

* ——*mandibulas habent.*

& Pindarus. Notum verò est, secundum Heracletum animam siccam esse optimam atqꝫ sapientissimam. Id quoqꝫ cõstat, vasa vacua cùm pulsantur sonitum reddere, impleta obmutescere. ærea vasa icta vocem in orbem didunt, nisi quis iniecta manu obthuret atqꝫ inhibeat. Oculus etiam humore occupatus abvndante hebescit, & officium suum facere nequit. Solem per aërem humidum, vaporúmqꝫ multitudinẽ crudorum intuentes, non purum aut splendidum, sed obscurum & caliginosum dubióqꝫ lumine conspicimus. Ita profectò etiam in corpore repleto & turbido, alienísqꝫ cibis grauato, omnino necesse est splendorem animi lucémqꝫ retũdi, atqꝫ conturbari, vagariqꝫ & ad viles res cernendas se conferre, cùm ad consideranda ea quæ aliquid habent difficultatis, nihil ei sit acuminis atqꝫ virium. Iam absqꝫ hæc essent, quis non maximi faciat adsuefactionem ad humanitatem? quis enim lædere vellet hominem, ita benignè & humaniter affectum animò ad aliena & non cognatorum sibi mala? Nudiustertius differẽs, mentionem feci Xenocratis: & quòd Athenienses pœnam ab eo exegerunt, qui viuo arieti pellem detraxerunt. non est autem, puto, viuum torquens deterior eo qui interficit. Sed nimirum magis ea sentimus quæ consuetudini, quàm quæ naturæ repugnant. Initium autem nostræ opinionis, magnum illud & sacri my-

sterij

sterij germanum, ignauisq; (vt ait Plato) & mortalia sapientibus incredibile, equidem vix audeo verbis attingere: tanquam cum nauim in tempestate gubernator torquet, aut in theatro scena labante, machinam tollit poëta. Tamen nihil obstat quo minus Empedocleam sententiam procemij loco præcinam. Quòd enim nostræ animæ mortalibus corporibus sunt illigatæ, id ita interpretatur, quòd pœnas eæ cædium & esus carnium pendant. Quanquam hæc quidem oratio videtur esse antiquior. Quæ enim fabulæ feruntur de Baccho membratim discerpto, & quæ adversus eum conati sint Titanes, vtq; gustauerint cæsi cadauer, punitiq; & fulminibus icti perierint: sermo est qui ad nouos refertur natales, secundúmq; ortum. Brutam enim in nobis animæ facultatem, incompositam eam & violẽtam, non diuinam, sed à genio profectam, veteres Titanas appellauerunt: eáq; est quæ dat pœnas.

PLVTARCHI

De carnium esu, oratio posterior.



RATIO nos hortatur, vt recentibus alacribúsq; cogitationibus ad disputationem de carnium esu pridianam revertamur. Est verò, vt aiebat Cato, difficile verba facere ad ventres auribus carentes: haustúsq; est à plerisque consuetudinis ille è variis mixtus ac confusus potus, Circæi cyceonis instar pariens

Fraudes, & gemitus, cruciatus, atq; dolores. Odyss. κ, 235.

neq; facilè hamus eximi potest esus carnium, voluptatis cupiditate occupatis ac tanquam transfixis. Equidem conveniebat, vt quo more hominis mortui ventrem exsecant, atq; adverso Sole conscissum abiiciunt, eum innuentes fuisse causam omnium quæ in vita peccauit homo: ita nos gulæ cædisq; studio evulso, reliquum vitæ tempus castè exigere. quando ipse venter non ad cædes impellit, sed intemperantiæ nostræ culpa iis polluitur. Veruntamen si fieri nequit vt planè vitemus esum carnium, & consuetudo facit vt nos pudeat isto peccato abstinere: saltem cum ratione peccemus. Edamus, inquam, carnes, sed fame, non luxuria impulsi: interficiamus animal, sed miserantes & dolentes, non insultantes & excruciantes. qualia nunc multi multa perpetrant. alij verubus ignitis porcos iugulant, vt ferri tinctura sanguis exstinctus atq; diffusus carnem molliat delicatámq; reddat. alij vberibus suũ fetarum instante iam partu insiliunt eáq; calcant, vt sanguinem & lac & tabum fetus simul interfecti inter matris dolores eximentes, (proh Piacularis Iupiter) maximè inflammatam animalis partem vorent. alij grues & olores oculis consutis inclusos in tenebris saginant, alienis temperamentis atq; condimentis gustum nouum obsonio suo conciliantes. Vnde apprimè manifestum fit, non alimenti aut vsus necessitatisve gratia, sed ob satietatem, luxum & prodigalitatem nefas hoc ad voluptatem parandam fuisse conversum. Proinde sicvt libidinem in mulieribus suis non explentes, omnia tentando ac incestis cupiditatibus vagando tandem ad infanda prolabuntur: sic circa nutrimentum intemperantia naturalem & necessarium transgressa finem crudelitate ac flagitio cupiditatem variauit. Etenim sensus contagio quodam vitiantur, vnúsq; alterius vitio & libidini socium se præbet, vbi modum à natura præscriptum excedunt. Sic auditus vitio laborãs, Musicam corrupit, vt molles quidam effeminatiq; modi turpes palpationes, muliebrésq; titillationes ederent. Ita visus didicit nõ pyrrichio saltu gaudere, non gesticulationibus manuum, non saltationibus elegantibus videndis: sed cædes & mortes hominum, vulneráq; & pugnas spectaculum sumtuosissimum sibi parare. Ita iniustæ mensæ comitatur coitus intemperans: coitui turpi auditiones à musica alienæ, cãtibus & auditionibus impudẽtibus theatra absurda, spectaculis inhumanis immanitas & adversum homines crudelitas. Itaq; diuinus ille Lycurgus in tribus suis legum tabulis, quas retras appellant, serra & securi solis ianuas domorum ac fastigia fabricari iussit, nullo alio instrumento adhibito. nõ profectò quòd asciis, terebris, aliísq; ad subtile opus faciendum vtilibus bellum indixisset: sed sciens, te talibus ædificiis non illaturum lecticam auro ornatam, mensas argenteas, purpureos tapetes, lapi-

Variæ delitiæ.

des preciosos: ac domum talem, culcitram, mensam, calicémq; trahere secum cœnam tenuem, prandiúmq; vulgare. Initio verò prauæ viuendi rationis succedit

(Lactens equam propter ceu pullus cursitat)

omnis luxuria & profusio. Quæ enim non est sumtuosa cœna, ad quam aliquod necatur animal? An paruum impendium videtur nobis anima? nondum dicam, fortasse patris, matris, filij aut amici anima, vt Empedocles: sed tamen sensu, visu, auditu, vi imaginandi, intelligendíq; prædita? quam ad sui appetitum & consecutionem, alieníq; fugam vnumquodq; animal à natura accepit. Iam hoc considera, vtri nos meliùs cicures humanósq; faciant philosophorum: ííne qui liberos, amicos, parentes, vxores à nobis manducari volunt, vt morte verè exstinctos: an Pythagoras & Empedocles, qui nos cōdocefaciunt etiam erga alius generis animalia iusticiam exercere? Tu quidem rides eum, qui ab ouis esu abstinet. Is tamen dicet: cùm vos videmus mortui patris aut matris portiones abscindere, amicísq; eas absentibus mittere, præsentes verò inuitare, carnésq; illis larga manu apponere, non rideam? Quanquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus, manibus, oculis, pedibus, & auribus non priùs lustratis. nisi profectò hęc ipsa lustratio est, cùm de hisce differentes oratione liquida (vt ait Plato) salsum auditum proluimus. Tamen si quis librorum disputationúmq; instituat comparationem: deprǣhẽdet istorum philosophiam ad Scythas pertinere, Sogdianos & Melanchlænos, de quibus scribenti Herodoto non habetur fides: Pythagoræ autem & Empedoclis decreta, leges fuisse priscorum Græcorum, hósq; eorum in- * stitutis in vita degenda stetisse, neq; eos vllam in bruta vim fecisse. Qui ergo sunt, qui postea temporis decreuerunt cædes animalium?

Qui primùm gladios duxere ex ære malignos,
Primi & aratoris gustarunt viscera tauri.

Hoc sanè modo etiam tyranni homicidiorum initia iaciunt. vt Athenis principiò in- * terfecerũt pessimum sycophantam, qui Epitedeus appellabatur: itémq; secundum & tertium. deinde cædibus adsueti Niceratum Niciæ F. interfici viderunt, & imperatorem Theramenem, atq; Polemarchum philosophum. Sic ab initio ferum aliquod & noxium animal devoratum fuit: deinde auis aliqua aut piscis. donec his condocefacta & gustui adsueta libido ad bouem operarium progressa est, & ouem quæ nos ornat, custodémq; domus gallum. itáq; paulatim inexpletam roborantes auiditatem, in cædes hominum & bella sunt delapsi. Verùm nisi quis præterea demonstret, animas dum renascuntur, promiscuè vti corporibus hominum & brutorum, & quod nunc est brutum, pòst fieri hominem, ac per vices ferum ac mansuetum, naturámq; omnia mutare & transferre alieno carnis velantem amictu: hæc non avertunt eum qui gulæ se dedidit: quòd gulæ studium & corpori morbos grauedinémq; ingenerat, & animam ad bellum traductam iniustius vitiat: vbi nos adsuefecimus, vt absq; cæde & sanguine neq; hospitẽ excipere, neq; nuptias celebrare, neq; cum amicis viuere velimus. Quòd si illa quæ de animarum per vicissitudinem quandam in corpora illapsu disputantur, non faciunt fidem: attamen dubitatio ipsa magnam nos cautionem, magnum iubet adhibere metum. Verbi gratia: si in nocturno aliquis prœlio in virum, qui collapsus armis corpus cooperiat, irruat stricto gladio, audiátq; interim quendam dicere, Non certò sibi constare, putare tamẽ eum qui iacet imminentis esse filium, fratrem, patrem, aut contubernalem: præstátne opinioni ei falsæ subscribentem dimittere hostem amici loco: aut contemta ea, quòd ad fidem faciendam firma satis non sit, domesticum pro hoste interficere? hoc sanè omnes dicetis indignum fore facinus. Considera mihi etiam Meropen illam, quæ sublata securi filium, quem percussorem filij putat esse, ferire iam volens dicit,

Penetrabili te mactabo ictu nunc ego hoc:

quantum in theatro excitat motum intentorum cædi, ac metuentium ne senem antevertat inhibentem, adolescentémq; feriat. At enim si tum alius aliquis senex adstitisset, dixissétq;, Feri, hostis est: alius, Ne ferias, filius est. quęro vtrum sit flagitium maius, Filij gratia hostem impunitum dimittere, an ob iram adversus inimicum, incidere in cædem filij? Quapropter, quandoquidem non odium nos, non ira, non vlciscendi cupiditas in brutorum cædem agit, sed ad partem aliquam voluptatis parandam adstat reducta ceruice victima, neci destinata. si iam philosophorum alius dicat, Perime, brutum

tum

tum est animal: alius, Inhibe necem. quid enim, si in hoc corpus cognati alicuius aut dei anima concesserit? proh deûm fidem, in eodémne versor periculo, siue hoc credēs abstineo carnis esu: siue fidem derogans interficio filium aut aliquem alium necessariorum? Impar verò huic disputationi est Stoicorum pro esu carnium decertatio? Quis enim est iste, cui tam multa in ventrem & culinam ora patent? Cur voluptatem effeminatam dicentes, & neq; inter bona, neq; inter ea, quæ præcipua vocant, neq; inter naturæ convenientia numerantes, tanto studio pro iis laborant, quæ ad voluptatem conducunt? Certè consequens hoc erat, vt cùm è conviuiis vnguentū & placentas exegissent, multo magis carnem & sanguinem aversarentur. Nunc velvti si suam philosophādi rationem ad diarias redituum instituissent annotationes, sumtum in res invtiles atq; ociosas faciendum amputāt: inhumanitatem luxus atq; crudelitatem non aversantur. Quid tum postea? dicent. nulla nobis cum brutis est familiaritas. Ne cum vnguentis quidem, inquam, & exoticis condimentis. & tamen hæc, tanquam invtilia & supervacanea, solíq; voluptati inseruientia, vndiq; expellitis. Verùm enimverò hoc ipsum iam nunc dispiciamus, an nullo nobis iure natura brutum animātium genus devinxerit: non artificiosè hoc aut sophistarum more disputantes: sed in ipsas nostrorum animorum affectiones intuiti, humanitérq; nobiscum ista meditantes atque perpendentes.

* * *

PLVTARCHI libellus,

Maximè cum principibus viris philosopho esse disputandum.



VOD instituisti te in amiciciam Sorani insinuare, eámq; amplecti & colere, quæ multis priuatim, multis etiam publicè sit vtilis, atq; frugifera futura: rem facis honestatis, reip. humanitatísq; studioso homini convenientem: non, vt nōnulli opinantur, ambitioso. Etenim hoc potiùs verū est, ambitiosum esse, & meticulosum eum, qui fugit veretúrq; dici adhærere iis qui in aliqua potestate sunt cōstituti, & eos demereri. Nónne enim homo ingenij culturæ patiens, & philosophiæ indigens diceret: vtinam Simo fierem cerdo, aut Dionysius litterator de Pericle vel Catone, vt mihi sicvt illis adsideret ac colloqueretur Socrates? Aristo sanè Chius à sophistis impetitus maledictis, ꝙ cum omnibus qui hoc vellent differeret: Optare se dixit, vt etiā bruta animalia intelligere possent verba ad virtutē incitantia. Nos verò potentum & principum virorum consuetudinē, tanquam agrestiū & ferorū animalium, vitabimus? Non statuarij morē seruat philosophiæ oratio, vt simulacra (ꝙd est apud Pindarū) faciat in sua perpetuò hærētia basi. sed quidquid attingit, id industriū vult reddere, efficax atq; animatū, impetúsq; ingenerat, & iudicia quibus id ad vtilia incitet, consilia honestatem respicientia, altitudinémq; animi cū mansuetudine & cautione coniuncta. Atq; hæc causa est, cur libentiùs cū eminentibus ac potentia præstantibus consuescant viri ciuiles. Quippe & medicus honestatis studiosus malit oculū sanare qui pro multis videat, multósq; custodiat: & philosophus promtior erit ad curandū animū quē pro multis procurare videt, & qui debeat multis sapere, philosophari, ac iusticiā colere. Nam qui peritus esset aquæ inveniendæ & conducendæ, (quod de Hercule & multis veteribus narratur) is profectò nō oblectaret se in aliqua agri extremitate aperiendo fonte, qualis illa subulci est ad Corui saxum Arethusa: sed *Odyss. ν, 408.* fluminis alicuius perennes fontes propagando ad vrbes, castra, agros regum cultos atque lucos. Homerum audimus, qui Minoēm Iouis oaristam appellat: hoc est, *Odyss. τ, 179.* Platone interprete, familiarem atque discipulum. non enim priuatos homines, aut domi desidentes, ociosósve deorum esse voluerunt discipulos: sed reges, qui prudentiam, iusticiam, bonitatem ac magnanimitatem consecuti, ea ad omnium essent vtilitatem conversuri. Eryngium herbam aiunt si vna capella in os sumat, ipsam primùm, mox totum gregem subsistere, donec accedens pastor ori eam eximat. tantam

vim celeritatis odor eius habet, qui ignis in morem in proxima quæq; dissipetur atq; ea occupet. At enim philosophica doctrina, si in priuatum aliquem incidat, qui ocio gaudens, & corporis sui vsibus se tanquam circulo ducto circumscribat, non propagatur ad alios, sed in eo solo tranquillitate ac quiete facta evanescit. Si verò in principem virum ac in rep. versantẽ rebúsq; gerendis deditũ illabatur, eúmq; studio virtutis impleat: multis per vnũ prodest. Tales fuerũt Pericles Anaxagora, & Platone Dio præceptore vsus, ac Pythagora principes Italorum. Cato quidem ipse ab expeditione ad Athenodorum nauigauit. & Scipio Panætium accersiuit, cùm esset legatus à Senatu, vt quemadmodum Possidonius ait,

Inspiceret mores hominum prauósq;, bonósq;.

Quid, putas, fuit dicẽdum Panætio? si esses Cato, aut Pollux, aut alius quidam idiota, qui è medio vrbis te subducens per ociũ in aliquo angulo syllogismos resolueret, ac de elenchis philosopharetur, libenter me tibi darem, tecúmq; essem: nunc quia Aemilij Pauli filius es, eius qui duos gessit consulatus, nepos Scipionis Africani à quo Annibal Carthaginiensis victus est, nolo tecum philosophari. Quod autem dicitur, orationem esse duplicem, vnam intus contentam, Mercurij munus principis, alteram quę enunciatur, Diactoro, hoc est administram & instrumenti vices gerentem: friuolum est, ac subiiciatur huic dicto, Noueram hoc antequàm Theognis exsisteret. Id autem nihil molestiæ adferat, quòd & intùs insitæ orationis, & enunciatæ finem esse amiciciam, illius cum seipso, huius cum alio. Quem enim philosophia ad virtutem perducit, is homo redditur sibi ipsi concinens, nunquam seipsum culpans, pacéq; secum & amore perpetuo fruens,

Non est seditio in membris, contentio nulla est:

non rationi refragans animi motus, non cupiditatum inter se concertatio, nõ cogitationi contraria cogitatio, non tanquã in confinio concupiscentię & pœnitentię asperum ac tumultuosum gaudiũ. Sed pacata omnia & amica, ac plurimorũ bonorum fertilia, efficientiáq; vt seipso quis gaudeat. Musam verò enũciatiuæ orationis præsidem neq; antè Pindarus dixit lucri cupidam esse atq; operariã, neq; (puto) nunc diceret: sed ob inscitiã atq; imperitiã honesti communẽ Mercurium factum fuisse mercenarium atq; vænalem. Non enim Venus quidem administri sui filiabus succensuit

Quòd primæ iuuenes in fraudem inducere turpi
Instituere dolo: —

Vrania autem, Calliope & Cleo gaudeant iis, qui pecunię gratia doctrinam profiterentur. Sed mihi videntur Musarum opera & dona magis etiam quàm Veneris philotesia, id est amiciciæ ergò data ac gratuita, esse. Etenim gloria quę nonnulli finem orationis faciunt, tanquam semen & initiũ amiciciæ in precio fuit. immò autẽ omnino pleriq; gloriam pro benevolentia tribuunt: putantes eos duntaxat à nobis laudari, quos diligimus. Verùm hi quidem, quo modo Ixion Iunonem persequens in nubem delapsus est, ita loco amiciciæ simulacrũ fallax, & ad pompam compositum, atq; instabile amplectuntur. Sana mente præditus autem, si in rep. ac rebus gerendis versetur, tantã captabit existimationẽ, quãta ob fidem quæ ei habetur, potentiã ipsius actionibus conciliet. Nam neq; iucundũ est neq; facile nolentibus prodesse: vt velint, fides faciet. Sicvt enim lumẽ melius est videtibus, quàm non videntibus: ita gloria magis cõducit sentientibus quàm neglectis. Qui verò omissa reip. tractatione secum viuit, felicitatem in ocio & quiete ponens, is eam quidem gloriã, quæ in hominum turba, theatrísq; publica prostat, ita vt Hippolytus Venerem eminus, ipse castus, salutabit: bonorum tamen ac celebriũ virorum de se opinionem nequaquã negliget. diuitias autem, & principe dignam gloriã ac potentiã in amiciciis neq; sectabitur neque si modicè affluat, auersabitur. Nam neq; formosos adolescentes sectatur, sed modestos, compositos, & discendi cupidos: neq; quibus forma, flos ætatísq; & venustas adest, reformidat: neq; culturæ dignos ob pulcritudinem reiicit. Ita dignitate & potentia principe digna præditus homo ciuilis ac moderatus, non abstinebit amãdo & diligendo: nec verebitur aulicus appellari & qui principem colat.

Nam qui Venerem fugiunt nimis mortalium,
Aegrotant. —

& qui bona sectantur, itidem errant gloriã & gratiam apud principes fugiendo. Philosophus ergo rebus gerẽdis abstinens tales non fugiet. Ciuilis etiã amplectetur eos, auidéq; audiet, nihil obturbãs, neq; aures intempestiuis atq; sophisticis collocutionibus

bus interpellans: sed volentibus illis disserere gaudens, colloquens, vacans, & conversans.

Bis sex dierum consero viam, solum
Berecynthiam regionem.—

Is si non tantùm agriculturæ studiosus, sed etiam humanitatis fuisset, maluisset profectò conserere agrum tot alendis sufficientẽ, quàm Antisthenis illum agellum, quem ægrè ipsi rursus exemisti. quòd si te interrogarem, orbem terrarum obire totum recuso. At verò Epicurus bonum in altissima quiete, tanquam in portu ab vndis tuto ac silente collocans, beneficium dare non modò pulcrius, sed etiam iucundius esse ait quàm accipere. Nil enim tam est ferax gaudij, atque gratia. & sapuit, qui Gratiis nomina imposuit, Aglaiæ, Euphrosynes, & Thaliæ. Maior enim & purior est lætitia dantis. Itaque sæpe pudet accipere beneficium: semper cum gaudio gratificamur aliis. Bene autem multis faciunt, qui eos bonos reddunt, quorum opera multi indigent, sicvt contrà qui principes, reges, tyrannósque solent corrumpere sycophantæ, calumniatores, atque adulatores, ab omnibus profligantur atque puniuntur: vt qui lethale venenum non in vnum aliquem iniecerint calicem, sed in fontem publicum, & quo vniuersos vti norint. Sicvt igitũ Calliæ illos in comœdia traductos adulatores Eupolis ait, non igni, non ære, nõ ferro arceri posse ne ad cœnam commeent: Apollodori autem tyranni, & Phalaridis, & Dionysij amicos atque familiares exquisitis suppliciis peremerunt, dirísque devouerunt: quòd illis vnum iniuria afficientibus, hi per vnum principem multos læderent. ita qui cum priuato consuescit philosophus, efficit vt is seipsum nulla molestia, nullo damno afficiat, placidéque viuat: qui verò principis alicuius malos mores corrigit, animúmque ad officium dirigit, is quodammodo publicè philosophatur, optimúmque publicum emendat quo omnes gubernantur. Sacerdotibus ciuitates honorem habent, eósque venerantur, quòd bona ij à diis non sibi tantùm, suísque amicis & familiaribus, sed in commune omnibus ciuibus precantur. & verò ij deos non faciunt bonorum largitores: sed cùm tales suapte sint natura, eos obsecrant. Principes philosophi cum iis versantes iustiores faciunt, moderatiores, & ad beneficentiam propensiores: vt par sit eos etiam magis gaudere. Mihi quidem faber lyram quoque eo libentiùs videtur alacriúsque fabricaturus, si sciret eum, qui habiturus eam esset, canendo Thebas muris circundaturum, vt fecit Amphion, aut Lacedæmoniorum seditionem pacaturum, vt fecit Thales. itémque gubernaculum conficiens, si gubernatorem eo intelligeret vsurum ad regẽdam Themistoclis prætoriam nauim propugnantem pro Græcia, Pompeiive prædones maritimos exscindentis. Nónne hoc etiã de sua doctrina statuet philosophus: ea imbutum ciuilem atque principem virum, in publicũ vtilem futurum, ius dicendo, leges condendo, malos puniendo, bonos augendo? Equidem nauium opificem bonum aliqua cum voluptate arbitror clauum fabricaturum, si audiat eo gubernãdam Argo nauim illam ab omnibus celebratam: neq; tam alacriter carpentarius aratrũ currúmve construet, vt axones in quos Solon suas sit leges inscripturus. Et quidẽ doctrina philosophica vbi in animum principis ac ciuilis viri inscripta hæsit, vim legis adipiscitur. atq; eo nomine in Siciliam nauigauit Plato, sperans se id consecuturum, vt Dionysius in agendo decretis philosophiæ tanquam legibus vteretur, eáque factis repræsentaret. sed Dionysium invenit instar libri, in quo quę scripta sunt, rursum expungi solẽt, iam sordibus & maculis refertum, neque tyrannidis tincturam dimittentem, quam temporis longinquitas penetrabilem iam & indelebilem reddiderat. Oportet autem tales, dum in cursu adhuc & motu sunt vitia, bonas amplecti disputationes.

Ad principem ineruditum.

LATO à Cyrenæis rogatus, vt leges ipsis scriptas relinqueret, rempublicámque constitueret, recusauit: ꝗ diceret difficulter Cyrenæis leges posse poni, rebus eorum ita lętis: ac nihil ita esse petulans, ferox, atque imperio reluctans, atque est homo rebus, vt videtur, secundis fruens. Itaque difficile est imperantibus consilium de imperio dare. verentur enim doctrinam, vtpote imperaturam ipsis, admittere, ne potentiæ ipsorum præstantiam ea rationibus officij subiugans minuat. Quippe ignorant isti Theopompi Spartanorũ regis consilium, qui cùm primus Spartæ regibus ephoros adiunxisset, exprobranti vxori quòd filiis regnum minus quàm accepisset ipse relicturus esset: respondit, Tanto id maius esse relicturum, quanto firmius. nimia enim vehementia ac immoderata regni potentia remissa, simul cum invidia periculum declinauit. Et tamen Theopompus imperio tanquam magno fluuio ad alios deriuato, quantum iis dedit, tantum sibi ipse ademit. Doctrina autem philosophica in principe habitans, eiúsque custos & tanquam consiliarius, potentiæ velvti nimis habiti corporis maiorem iusto vim detrahens, id relinquit quod est sanum. Sed plerique principum atque regum ob amentiam imitantur imperitos statuarios, qui putãt magnos ac validos visum iri colossos, si eos admodum divaricatis cruribus, distentósque & hiantes fingant. Sic enim & ipsi vocis grauitate, & vultus toruitate, morúmque importunitate, & aversatione convictus videntur maiestatem imperij præ se ferre: nihil omnino differentes à colossicis istis statuis, quæ foris heroica aut diuina ornatæ forma, intus terra, lapidibus, & plumbo sunt repleti. Hoc interest, quòd statuarum istarum moles rectitudinem seruat perpetuam absque inclinatione. inerudíti autem principes ab interna sua inscitia sæpenumerò labefactantur atque subvertuntur. basi enim non sitæ ad lineam & angulos rectos potestatem superstruentes excelsam, vnà vergunt. Enimvero sicut necesse est primò omniũ ipsam regulam rectam & firmam esse, atq; ita deinde ea quibus applicatur, ipsa quoque sui similia facere atque ad rectitudinem perducere: ita oportet principem priùs in se ipso imperium morésque rectè constituere atque dirigere, postea ei subditos accommodare. nam neque cadentis est erigere, neque componere incompositi, neque ordinare inordinati, neque imperare nulli imperio subditi. Sed plerique inepta decepti sententia, primum hoc putant esse in imperio bonum, nulli subesse imperio. atque adeò rex Persarum omnes pro seruis habuit, excepta sua vxore: cuius maximè debuit esse dominus. Quis ergo imperabit principi? Lex, omnium rex mortalium atq; immortalium, vt ait Pindarus. non ea foris scripta in libris, aut lignis insculpta: sed viua in ipsius corde ratio, semper vnà habitans atque excubans, & animum nunquam sinens esse principatus vacuum. Sanè Persarum rex vnum de cubiculariis ad hoc habebat constitutum, vt manè ad regem ingrediẽs diceret: Surge ô rex, & curam rerum gere, quas te curare Oromasdes voluit. eruditus & cordatus princeps intus habet qui hoc identidem occinat & admoneat. Etenim Polemo deorum administrum esse dicebat Amorem, ad adolescentium procurationem destinatum. Veriùs autem hoc dixeris, principes dei esse administros ad tutandam hominum salutem: vt quæ dij bona hominibus largiuntur, ea partim distribuant, partim conseruent.

Vides sublime fusum immoderatum ætherem,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur?

Is quidem principia demittit seminum convenientium, terra autem ea vegetat: augentur alia imbribus, alia ventis, alia calore siderum lunæq; fouente. omnia autem ea Sol ornat, & illum quem ferunt amoris illicem indit. & tamen istis tot tantísque donis quæ dij largiuntur, absque lege, iusticia, & principe frui non est permissum. Etenim iusticia legis est finis, lex principis opus: princeps dei imago omnia digerentis. neque is opus habet Phidia qui fingat, aut Polycleto, vel Myrone: sed virtutis opera seipsum deo quàm simillimum facit, iucundissimúmque spectatu opus, & diis charissimum.

mum. Quale verò elegantissimum in cœlo simulacrum sui deus Solem atque Lunam infixit: tale in ciuitatibus eius exemplum est atque lumen princeps,

Iura Dei similis qui dat mortalibus æqua. Odyss.τ,111.

scilicet recta præditus ratione, idque habens diuinum, non sceptrum, nō fulmen, non tridentem. quomodo nonnulli se pingi ac fingi iubentes, stulticiam suam invidiæ exposuerunt, dum affectant ea quæ consequi nequeunt. Succenset enim deus tonitrua & fulmina radiorúmque proiectus imitantibus. qui verò virtutem ipsius æmulantur, & honestate humanitatéque ipsum referre conantur, hos studio eorum delectatus auget, suáque eos æquitate, iusticia, veritate, ac mansuetudine impertit. quibus nihil est diuinius: non ignis, non lumen, non Solis cursus, non siderum ortus atque obitus, non ipsa perpetuitas atque æternitas. non enim ob tempus vitæ beatus est deus, sed virtutis principatu. id enim diuinum est: & pulcrum idipsum, quod ab ea regitur. Sanè Anaxarchus Alexandrum consolans ob Cliti cædem animi se angētem, An ignoras, aiebat, Ius & Fas Ioui assidere, vt quidquid rex agat, id fas iustúmq; putetur? non rectè ille pœnitentiam delicti animo ad alia audendum similia exhortādo eius amoliens. Quod si coniecturis hæc sunt examinanda, non profectò Ioui Iusticia adsidet, sed ipse ius & fas est ac omnium legum antiquissima & perfectissima. atq; propterea veteres isthæc finxerunt docuerúntq;, vt ostenderent sine iusticia ne Ioue quidem rectè potuisse imperare. Illa autem virgo est, vt ait Hesiodus, incorrupta, verecundiæ, pudiciciæ, & veritatis contubernalis. Atque hinc reges venerandi vocantur. maximè enim venerationem merentur, qui minimè metuunt. Debet autem princeps magis metuere ne quid faciat mali quàm ne quid patiatur: illud enim huius est causa. Atque hic metus humanus est principis, & nō degener, timere subditis, ne quo d imprudentibus accidat malum. Oper.254.

Qualis propter oues canibus metus acris in aula Iliad.κ,183.
Incidit, audita est vbi fors fera:—

non pro se, sed pro custodiæ suæ commissis. Epaminodas quidē, cùm festo quodā die Thebani effusiùs se cōpotationi dedissent, solus circumiens arma & muros lustrabat, sobrium se esse ac vigilare dicens, vt aliis ebriis esse ac dormire liceret. Et Cato Vticæ cum reliquos à clade vniuersos per præconē ad mare convocasset, inq; naues imposuisset, felicem iis precatus nauigationem, seipsum interfecit. docens, pro quibus princeps metum gerere, quæ debeat contemnere. At Clearchus Ponticus tyrannus, in cistam irrepens anguis in morem dormiebat. Et Aristodemus Argiuorum tyrannus sponda in sublimi conclaui posita, supra ianuam pensilem, cum amica dormiebat: & amicæ mater vbi adscendissent, scalas remouebat, rursúmq; luce facta apponebat. Quomodo, putas, hic archiuū, theatrū, curiā, cōviuiū metuebat, qui de cubili suo carcerem redegerat? Re .n. vera principes subditis, tyranni subditos metuunt. itaq; horū cum potētia crescit metus, & quo pluribus imperant, eo plures timent. Nō .n. probabile est, neq; convenit, (quod nonnulli philosophorū putant) deū permixtū esse materiæ omnia sustinenti, & infinitas rerum necessitates, casus, mutationésq; perpetiēti. sed nobis suprà alicvbi apud naturam sempiternam, eodémq; semper modo affectam collocatus supra sacra (vt ait Plato) fundamenta, rectà secundum naturā proficiscens ad finem pergit. Sicvt autem in cœlo pulcerrimum sui documentum posuit, in quo tanquam speculo gnaris se cernendum præbet. ita in ciuitatibus iusticiæ splendor quandam diuinæ sapientiæ imaginem reddit, quam beati & prudentes è philosophia describunt, ad rem pulcerrimam studium suum adiungentes. Cæterum hanc animi affectionem nihil aliud efficit quàm doctrina philosophica: ne idem nobis vsu veniat, quod Alexandro. qui cùm esset Diogenem Corinthi contemplatus, miratus amplexúsque hominis ingenium magnanimitatémque dixit, Nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. tantum non oneratus felicitate, splendore ac potentia sua tanquam impedimentis virtutis atque ocij, æmulánsque pallium & peram: quibus invictum se præstabat Diogenes, vt armis Alexander, & equis ac sarissis. Atqui licebat ei philosophanti & animo fieri Diogenem, & fortuna manere Alexandrum, eóque magis fieri poterat Diogenes, quia erat Alexander, cui ad magnam fortunam multísque ventis & fluctibus agitatam opus erat validum firmamentum atque gubernator. Apud humiles enim & plebeios imbecillitati admixta stulticia peccādi occasione destituitur: & stulticia tanquam somniis vitiosis animus exagitatur, cùm non ha-

beat tantum virium vt cupiditatibus obſequatur. At potentiæ vbi prauitas acceſſit, demẽtia motibus animi additur. & verum eſt illud Dionyſij, qui tũ maximè ſe frui imperio aiebat, cùm celeriter faceret quæ vellet. Valdè autem magnum periculum eſt, ne cui licet facere quod vult, is velit quod non debet.

Iliad. τ, 242. *Nam ſimul ac dictum verbum eſt, factum ilicet exſtat.*

Prauitas à potentia celerem nacta curſum, omnes animi motus in facta expellit. de ira cædem, de amore adulterium, de auaricia publicationem alienorum bonorum facit.

Nam ſimul ac dictum eſt,—

periit qui offenderat: ſimul ac ſuſpicio incidit, interficitur qui delatus fuit. Ac ſicvt phyſici dicũt fulgur tonitru poſterius erumpere, vt ſanguis vulnus ſequitur, prius tamen videri, auditu ſonum expectante, viſu lumini occurrente: ſic in imperiis ſupplicia accuſationibus antevertunt, & damnatio criminis demonſtrationem

Impellit: ira namq; ſtatim, reſiſtere
Vt curuus fluctibus vncus anchoræ haud valet:

niſi grauitate præpedita ratio cõpeſcat reprimátq; potentiam. vt ſcilicet Solem imitetur princeps, qui ad ſummam evectus altitudinem in partibus ſeptentrionalibus, lentiſſimè mouetur, tarditate curſum tutum reddens. Nam ne latére quidem vitia potentum poſſunt. Sed ſicvt morbo comitiali laborantes ſi in frigore verſentur, vertigine corripiuntur & agitatione morbum eorum arguente: ita Fortuna vbi ineruditos ac ineptos homines aliquantulũ opibus, gloria aut principatu extulit, ſtatim eorum ruinam demonſtrat. Atq; adeò ſicvt inter vacua vaſa non facilè diſcernere poſſis, q̃d eorum integrũ, quod ſit vitioſum: vbi aliquid infuderis, ſtatim apparet quod perfluat. ita animæ rimis fathiſcentes infuſam potentiam non continent, ſed foràs diffluunt cupiditatibus, iris, arrogantiis, ineptiis. Et quid attinet iſthæc dicere? quando etiam minima vitia illuſtrium ac celebrium virorum calumniis impetuntur. Cimoni vinum vitio dabatur. Scipioni ſomnus. Lucullus malè audiebat quòd cœnaret ſumtuoſiùs.

PLVTARCHI

De virtute morali, commentarius.



E virtute, quæ cùm appellatur tum videtur ad mores pertinere, eóque præcipuè à contemplatiua differt, quia pro materia animi motus, pro forma rationem rectam habet, propoſitum nobis eſt diſſerere: quænam ſit eius natura, quomodo ſubſiſtat, an quæ eius capax eſt animi pars peculiari ſit ratione ornata, an alienæ particeps: mixtáne ea pars cum meliore ſit, aut potiùs ea tanquam magiſtra & principe vtens, particeps dicatur imperantis facultatis. Quod enim poſſit virtus etiam exſiſtere atque permanere omnis materiæ expers, omniſque mixtionis, exiſtimo manifeſtum eſſe. Expedit autem breuiter aliorum ſententias percurrere, non tam recenſionis gratia, quàm vt iis priùs expoſitis noſtra & evidentiæ plus habeant & firmitatis. Menedemus, cui patria fuit Eretria, virtutum & multitudinem ſuſtulit, & differentias: quòd vnam eſſe arbitraretur, quæ diuerſis vteretur nominibus. idem enim dici temperantiam, fortitudinem, iuſticiam, quomodo idem ſunt gladius & enſis. Ariſto autem Chius, vnicam & ipſe quod ad ſubſtantiam attinet virtutem fecit ac ſanitatem appellauit: certarum autem reſpectu rerum, plures. vt ſi quis vellet viſum noſtrum, quando res albas intuetur, leucotheam, id eſt alborum, quando nigra, melantheam, id eſt nigrorum ſpectatorem, aut alia ſimili ratione appellare. Etenim virtus dum conſiderat quid agendum ſit aut non agendum, prudentiæ nomen gerit: dum moderatur cupiditatibus, modúmq; & legitimum voluptatibus tempus definit, temperãtiæ: dum cõmercia contractúſq; hominum invicẽ temperat, iuſticiæ. ſicvt culter vnus quidem eſt, aliàs autẽ aliud ſcindit. & ignis vnica ſua natura vtens in varias agit materias. Sublabi in hanc ſententiam Zeno etiã quodammodo videt Citieus, qui prudentiã definiens in tribuendis rebus iuſti-

Variæ de virtute ſententiæ.

iuſticiam, in ſequendis aut fugiendis temperantiam, in ſuſtinendis fortitudinem nuncupat. Tamen qui id negant, volunt prudentiæ vocem à Zenone pro ſcientia fuiſſe vſurpatam. Chryſippus autem dum ſecundum qualitatem, quamvis peculiarem aliquam virtutem putat debere conſtitui, imprudens totum (vt eſt apud Platonem)examen virtutum excitauit incognitum atque inſolens. nam ſicvt à forti fortitudinem,à manſueto manſuetudinem,à iuſto iuſticiã:ſic à gratioſo gratioſitatem, à bono bonitudinem, à magno magnitatem, ab honeſto honeſtitudinem, aliáſque id genus dexteritates, compellabilitates, verſabilitates virtutum in numero cenſens, multis & abſurdis nominibus nihil tale deſiderantem impleuit philoſophiam. In eo omnes conveniunt, quòd virtutem partis animæ principis affectionem quandam & facultatem ratione partam, aut ipſam potiùs eſſe rationem ſibi cõſentientem, firmam, atque inexpugnabilem ponunt. ſentiúntque partem animi motibus obnoxiam ſubitis atque brutam, non differentia naturæ quadam à ratione diſcretam eſſe: ſed ipſam illã animi partem, quam rationem & principem vocant, totam prorſus converſam ac mutatam ſub motus animi ſubitos,mutationéſque habitum aut affectionem efficientes aliquam,fieri vitium vel virtutem, nihílque habere in ſe brutum. ſed brutum dici, quando vi incitatæ appetitionis prævalente & obtinente, ad abſurdum aliquid contra rationis conſilium effertur. motum enim illum rationem eſſe prauam & intemperantem, à vitioſo & falſo iudicio vehementiam viréſque conſecutam. Cæterùm omnes hos videtur latuiſſe quo modo vnuſquiſque noſtrum revera duplex ſit atque compoſitus. Non enim perſpexerunt vtranque duplicitatem noſtri: ſed eam duntaxat, quæ evidentior eſt, ex anima & corpore compoſitionem. Atqui ipſam animam è duabus ac diſſimilibus iis naturis eſſe conflatam, bruta parte inſtar alterius corporis cum ratione naturæ quadam neceſſitate commixta atque concinnata, ne Pythagorã quidẽ(puto) fefellit. idq; coniicio ex eius ſtudio muſicæ, quam ille animæ demulcendæ atque pacandæ cauſa induxit, vt quæ non omnia haberet doctrinæ ac diſciplinis obedientia, aut quæ de vitio ad virtutẽ orationẽ traduci poſſent:ſed quippiã alius generis ſuadelam,formationem,atq; cicurationem præterea deſiderans, ne planè philoſophiæ intractabile ſe atq; refractarium præbeat. Plato quidem apertè, firmiter, atq; citra vllam controverſiam ſenſit huius mundi animam non eſſe ſimplicem, non compoſitionis expertem, non vniformem:ſed quæ ex Eiuſdem & Diuerſi vi contemperata, aliàs vno ordine vi prædito vtens eodẽ modo ſemper regatur atq; obverſetur: aliàs in motus ſciſſa, orbéſq; vagos & invicem contrarios, rerũ differẽtiis atq; ortibus principium exhibeat. Tum hominis animam, quæ animæ Vniuerſi portio rationibus ac numeris huic congruentibus ſit concinnata, non ſimplicẽ eſſe aut eodem per omnia modo affectam:ſed aliam eius partẽ intelligentẽ eſſe ac ratiocinatricẽ, qua hominem regi naturæ ſit conveniens:aliã quæ variis motibus obnoxia, bruta, vaga & incõpoſita ſuapte natura, gubernante opus habeat. atq; hãc rurſum in duas ſcindi partes: quarum altera ſemper appelletur & ſit corporea:altera nonnunquam huic ſe accommodet, aliquando rationi obtemperare. quam vim atque facultatem Thymoides appellat ipſe, quòd in ea irarum exſiſtat ardor. diſcrimẽ autem maximè demonſtrat mentis ac rationis adverſus concupiſcentiam & iracundiam pugna, quæ oſtendit multa alia eſſe, quæ optimæ adverſentur parti. His principiis plurimum vſus eſt Ariſtoteles, quod ex eius ſcriptis eſt manifeſtum. Poſteà tamen iraſcentem partem concupiſcenti adiunxit, quòd excandeſcentia animi appetitus quidam ſit viciſſim lædendi. tamen partem brutam & ſubitis affectionibus obnoxiam ſemper & ad extremum vſq; ita vt diuerſam à ratiocinatrice vſurpauit. non quòd ea prorſum bruta ſit ſicvt ea animæ vis qua ſentimus, alimur, vegetamur:ſed cùm hæc rationi nihil quicquam omnino obedientia, ac ſurda quodammodo è carne edita ſit, omninóque corpori inhæreſcat:illa altera motuum ſubitorum capax propriæ expers rationis, ea tamen eſt natura, vt mentem ac rationem audire, ad eam ſe convertere, parére, & conformari ab ea poſſit, niſi inſcita voluptate & intemperante vitę ratione planè ſit peſſundata. Qui verò non aſſequuntur, quomodo brutum quod eſt, rationi obtemperare poſſit: ij mihi non videntur vim rationis perſpicere, quãta ſit ea, quò penetret imperando ac ducendo:non duris hoc & refractariis ductibus, ſed conformantibus & obedientia ac concedẽdo plus quavis neceſſitate ac vi cõficientibus. Etenim ſpiritus, nerui & oſſa, reliquæq; corporis partes vtique rationis vacua ſunt. tamen dato impetu, vbi ratio

Hominis quomodo duplex anima.

quasi concussit habenas, omnia suum ordinem seruant, congruunt, & parent. ac pedes, vbi visum fuerit animo vt curratur, intendunt se cursui, manus operi, si quid iacere aut appræhendere voluit. Optimè autem poëta his verbis expressit, quomodo cum ratione consentiant, ad eámque se accommodent brutæ partes:

Odyss.τ,208.

Huius per teneras lacrymarum flumina malas
Manabant, socium thalami deflentis. Vlysses
Vxoris fletum miseratus mente pudicæ,
Intra palpebras ceu cornu immota tenebat
Lumina, vel ferrum: lacrymas astúq; premebat.

ita spiritũ, sanguinẽ, & lacrymas habuit rationis dicto audiẽtes. Hoc etiã demonstrãt apud formosos aut formosas, vbi tãgere ratio & lex vetat, pudẽdorũ recessio, se demittentiũ ac quiescentiũ: q̃d maximè vsu venit amore correptis, qui simul atq; audiuerũt se per errorẽ sororis aut filię amore captos fuisse, statim cõcupiscẽtia ratione eam tangẽte subsidet, & corpus mẽbra iudicio honestè conformata præbet. Sępe etiã cibos & obsonia cũ magna voluptate edentes, vbi sentiunt aut discũt se aliquid impurũ aut illicitũ sumsissę, nõ tãtùm iudicio assentiẽtes animi morsus & molestiã percipiũt, sed & ipsum corpus opinione ista exagitatũ vomitus & alterationes cũ nausea cõiunctæ inuadũt. Ac vereor ne planè ad alliciẽdum in hanc sententiam cõposita, audaciúsq; adscita orationi videar inserere, si barbita cõmemorẽ, lyras, fistulas, tibias, & quę alia canẽdi ars ad animorũ humanorũ motus accõmodata excogitauit instrumẽta: quæ animæ exsortia, tamen se animorũ nostrorũ iudiciis, vtẽtiúmq; volũtatibus applicãt, vnà lugentia, cantantia, lasciuientia. Et tamen ipsum Zenonẽ ferunt, cùm cithara caneret alternis cantare solitus musicus adscendisse ad theatrũ, ac dixisse discipulis: Eamus, vt discamus qualẽ viscera, nerui, ligna, & ossa numero atq; ordine instituta vocẽ ac subtilitatẽ habeant. Verùm istis omissis, audire ex ipsis velim, An cùm videant canes & equos atq; aues domi educata animalia, adsuefactione, alimento, & doctrina eò redigi, vt voces edant sensum aliquẽ habentes, motibúsq;, gestibus, & actionibus se rationis

Iliad.τ,399. iussui parentes exhibeant, nostrísq; vsibus applicent: cúmq; Homeri Achillẽ audiant ad pugnã equos virósq; instruere: adhuc mirentur, & dubitent, si facultas animi nostri qua irascimur, appetimus, gaudemus, dolemus, ea sit natura, vt obedire mẽti, affici ab ea, eíq; consentire possit. cùm quidem ista facultas non alibi habitet, non extra limites circunscripta sit, non foris vagetur, neque necessitate aut verberibus subigatur: sed ab eadem dependeat natura, vnà versetur, vnà educetur, impleatúrque mentis consuetudine. Itaque moribus Græci nomen ethos fecerunt percommodè. sunt enim, vt descriptionem informem, mores (de quibus nobis sermo est) qualitas quædam in bruta animi parte, ac nomen inde habent, quòd hanc siue differentiam siue qualitatem efficta à ratione pars bruta in se recipit consuetudinis (quæ illis est ethos) interuentu, Non enim ratio omnem prorsus euellere perturbationem animi conatur: cùm neq; fieri id possit, neque expediat: sed finem ei, quendámq; imponit ordinem, ingenerátq; virtutes morales, quæ non sint vacuitates motuum seu affectuum animi, sed eorum mediocritates & concinnitates. ingenerat autem, prudentiæ opera facultatem istam mobilẽ in habitu probo cõstituens. Tria enim hæc aiunt esse in animo hominis, facultatẽ, perturbationẽ seu mobilẽ affectionẽ, habitũ. Est autẽ facultas principium & materies talis qualẽ dixi perturbationis. vt sunt iracundia, ad pudorẽ, ad confidentiam propẽsio. Ipsa perturbatio isthæc, motus iã est facultatis, vt ira, vt confidẽtia, vt pudor. Habitus robur iam est & conformatio brutæ facultati consuetudine parta: isq; aut vitium, vbi malè, aut virtus est, siquidẽ probè condocefacti fuerint motus. Porrò autem, quando non omnem virtutem mediocritatẽ faciunt, moralémve appellant: altiùs repetita re disserendũ hoc de discrimine videt̃. Rerũ aliæ pro se ipsæ sunt, aliæ certa ratione ad nos referuntur. Pro se ipsæ sunt, terra, cœlũ, sidera, mare. Ad nos certo modo respiciunt siue referuntur, Bonum, malũ, expetendũ, fugiendũ, iucundũ, molestum. Horum vtrunq; cum consideret doctrina, ea quæ rebus duntaxat suo modo habentibus intenta est, contẽplatiua dicitur ac scientiis compræhendit̃: quæ in certa cõditione ad nos affectis, cõsultatrix est & actionibus destinata. huius virtus prudentia, illius sapientia dicit̃. Inter prudentiã ac sapientiã hoc interest, quòd vbi cõtemplatrix philosophia ad actiuam & motus animi temperantẽ comparatur, rationi consentaneum est ei prudentiã cedere. Nã prudentiæ Fortuna opus est: quam, vt & consultationẽ, ad

Ethicæ & contẽplatricis philosophiæ discrimen.

suum finem sapientia non desiderat. versatur enim in iis considerãdis, quæ semper eodem sunt modo. Atque vt geometra non deliberat de triangulo, an tres eius anguli duos rectos æquent nécne, quippe qui certus sit rem ita habere: (cõsilia enim ineuntur de rebus aliàs aliter habentibus, non de perpetuis & immutabilibus) ita contemplatrix veri mens, prima, stabilia, vnámq; semper naturam seruãtia, nullam admittentia mutationem tractans, vacationem habet deliberandi. Prudentiam autem quę se in res demittit plenas erroris atque tumultus, necesse est sæpenumerò cum fortuitis casibus rem habere, & deliberatione vti de rebus incertioribus atque obscurioribus: ac deinde consilium agendo exequi, bruta etiam parte præsente & vnà ad iudicandum tracta. Impetu enim appetitionis actiones indigent, quem mores motu aliquo & affectione animi non perpetua incitant, rationis opus habentem opera, modum describentis, ne vel nimius sit, vel occasionem & officiũ prodat. nam subitis affectionibus obnoxia & bruta isthæc animi facultas motibus cietur, nonnullis vehemẽtioribus ac celerioribus, quibusdam etiam remissioribus & quàm cõveniat segnioribus. Itaq; ergo eorũ quæ agimus vnumquodq; vnico tantùm modo rectè consistit: multipliciter errari in eo potest. sicvt scopum attingere, vnicũ est & simplex: ab eo autem variè excedendo deficiendóq; aberratur. Proinde hoc rationis actiones ad præscriptum naturæ dirigentis opus est, affectus animi vbi vltra citráve modum se incitando ij peccant, ad mediocritatem revocare. Vbi enim ob imbecillitatẽ, molliciem, metũ, aut trepidationem appetitionis impetus remittit, ac antequã perveniatur ad bonũ propositum desinit: ibi ratio adest excitans atq; resuscitans. Idem si quãdo nimius fertur atq; incompositus, vehementiã eius ratio reprimit & cohibet. Ad hunc modũ itaq; ratio motus appetitionis definiens, morales in homine virtutes gignit, quæ sunt mediocritates inter nimium & parũ à bruta animi parte proficiscens. Neq; enim dicendũ est quamvis virtutem in mediocritate consistere: cùm sapientia, nihil indigens brutæ partis, ínq; sincera mente & perturbationum vacua locum habens, rationis quædam sit excellentia in se ipsa perfectionem habens: qua vi scientiam consequimur, rem diuinissimam atque beatissimam. Ea autem virtus, quę propter corpus necessaria nobis est, eiúsq; gratia appetitus tanquam instrumenti ministerio opus habet, non internecio brutæ partis animi, sed ordinatio ac moderatio, facultate quidem ac qualitatis suæ ratione excellentia ipsa quoque est: quãtitate autem mediocritas fit, quod nimium est auferens, & quod deest implens. Iam cùm multis modis medium intelligatur: nam & contemperatum inter sincera est medium, vt pullus color inter album & nigrum: & inter continens ac contentum, id quod & continet & continetur, vt IIX inter XII & IV: & quod neutrius extremorum est particeps, vt inter bonum & malum ea quæ vocantur indifferentia: nullo horum modo virtus est medium. Nam neq; mixtum aliquid è vitiis est: neque id quod non satis est continens, ab eo quod nimium est continetur: neq; omnino vacat perturbationibus & impetibus cõcupiscentiæ, in quibus plus minúsve æquo locum habet. sed est dicitúrq; mediocritas, maximè quomodo in sonis harmonica spectatur. Sicvt enim ibi concinna est vox, quæ mese (id est media) dicitur, netes & hypates, hoc est imæ & summæ, illius acumini nimio, huius grauitati interiecta: ita virtus cùm sit motus & facultas circa brutam versans animæ partem, remissiones & intentiones, atq; adeò id quod vltra vel citra modum est appetitionis auferẽs, vnumquemq; animi motum ad mediocritatem rectitudinémq; perducit. Iam primùm fortitudinem medium faciunt inter timiditatem & audaciam: quarum in hac exsuperat, in illa deficit ea animi vis, ob quam animosi dicimur. ita liberalitatem inter sordidam parcitatem ac prodigalitatem: mansuetudinem inter indolentiam & sæuiciam. ipsámque adeò temperantiam & iusticiam, hanc quidem quæ in contractibus neque plus iusto tribuat, neque minus: illam quæ appetitus subinde in medium inter stuporem animi nullo sensũ voluptatum affecti, & luxuriam profusam dirigit. Atque hæc quidem in re, quam vltimo loco dixi, maximè se præbet sentiendã differentia quæ inter brutam animi facultatem est & rationem, evidénsq; fit planè diversam à ratione esse rem perturbationes istas affectionésque animi vagas. Non enim à temperantia discerneremus continentiam, & ab intemperantia incontinentiam circa voluptates & cupiditates, si eadem esset animi vis qua appetimus, & qua iudicamus. Nunc, ea dicitur temperantia, vbi concupiscentem partem velvti placidum & obsequens pecus ratio gubernat atque tractat, sibi in appetendo parentem. continen-

Medium multiplex.

Continentiæ & temperantiæ discrimen.

tia autem ea est, vbi obtinet quidem & imperat ratio concupiscentiæ, non tamen sine molestia, aut vltro obtemperanti: sed reluctãtem & obliquè incedẽtem verbere quasi & fræno cogit atque compescit, animo certaminum ac turbarum pleno. quod similitudine explicans Plato, iumenta animi ait inter se contendere, cùm deterius meliori renitatur simul & aurigam perturbet, coactum summa ope habenas premere & ea inhibere, ne (quod est apud Simonidem) punicea de manibus ei excidant lora. Itaq; etiã continentiam non dignantur perfectæ virtutis nomine, sed minus aliquid virtute statuunt esse. non enim facta est mediocritas consensu inferioris partis cum præstantiore, neque amputatum est quod erat nimium affectionis, neque paret consentitve rationi appetitus: sed molestiam afferens vicissimq; molestiam percipiens, ac necessitate cohibitus velvti in seditione, infensus atq; hostis intus habitat. denique continentis animus ob inæqualitatem & dissidium est velvt vrbs illa,

Sophoc. tyr.

Simul frequens referta quæ suffitibus,
Pæanibus simúlq;, gemitibúsq; sit.

Eandem secuti rationem incõtinentiam quoq; minus aliquid vitio esse censent. perfectum autem vitium intemperantiam, in qua & affectus animi prauus est, & vitiata ratio: quorum ille appetitum ad turpia ducit, hæc malè iudicando turpibus cupiditatibus adsentitur, sensúmq; peccati perdit. At verò incontinentia rectum rationis iudicium seruat: sed perturbationibus contra iudicium mouetur, maiore quàm sit ratio vi præditis. itaq; eo differt ab intemperantia, quòd incontinentis vincitur ratio à perturbatione, intemperantis ne pugnat quidem: ille cupiditates sequitur, interim iis cõtradicens, hic eas ducit consentiens: hic gaudet suis peccatis, ille ægrè fert: hic volens ac sponte ad turpia fertur, ille inuitus honestatem prodit. vt & in verbis, & in factis manifesta eorum appareant discrimina. Intemperantium enim hæ sunt voces:

Gratia quænam sit sine Cypride, quæve voluptas?
Hæc mihi cùm curæ non erit, emoriar.

Item:

Vesci cibis, potaréq;, & Venere frui:
Namq; additamenta omnia sunt mihi cætera.

quippe hominis toto animo ad voluptates vergentis atq; prolabentis. neq; minus ille etiam, qui dicit

Sine me perire, namq; id est in rem meam:

tam iudicio malè affecto, quàm vitiosa perturbatione. Alia sunt incõtinentium dicta:

At enim mihi natura, sentienti rectè, vim facit.

& alius:

Eheu, diuinitus hoc malum mortalibus
Accidit, bonum vt videns, non vtaris tamen.

& alius:

Impellit ira: nec porrò resistere
Litoreus vt vncus anchoræ queo fluctibus:

hamum anchoræ litoreum non ineptè appellans rationem non peruicacem, neq; constantem, sed quæ ob vanitatem animi ac mollitiem iudicium deserit. neq; ab hac similitudine abludit isthuc:

Nam nostra nauis à terra rudentibus
Suspensa perstat: spirat aura, sed tamen
Hæremus nostris firmiter retinaculis.

retinacula vocat iudicium turpitudini repugnans: quæ aliquando à perturbatione, tãquam valido vento, rumpuntur. Revera enim plenis cupiditatum velis ad voluptates incitatur intemperans, deditq; seipsum eò & dirigit. incontinens obliquè, dũ eniti conatur adversus motum vitiosum, sublabitur & in turpitudinem décidit. quo modo Anaxarchum in Sillis traducit Timo:

Hic & Anaxarchi vis illa canina videtur,
Se quocunq; dedisset, eò pertendere sueta.
Is tamen, vt perhibent, miserè prudénsq; sciénsq;
Vixit: namq; voluptates amplexa stupénsq;

Natura

Natura (haud paucis ea formidata sophistis)
Retrorsum ad vitium recto de tramite agebat.

Nam neq; sapiens qui sit, continens est: sed temperans. neq; stultus incõtinens est, sed intemperans. & alter honestis delectatur, alteri turpia non sunt molesta. Est itaque incontinentia animæ sophisticæ, tali ratione præditæ quæ in rectè decretis perstare non possit. Exposuimus incontinentiæ & intemperantiæ discrimen. At cõtinentia à temperantia differt rationibus proportione iam dictis & ab altera parte respondentibus. Morsus enim animi, & molestia, & indignatio nondum deserit continentiam. At si in temperantis animo vndiquaq; æquabili quietem & sanitatem, qua bruta pars devincitur rationi ac contemperatur, mirabili exornata obedientia ac tranquillitate, intueri posses: vtique diceres,

Tum venti posuere, quies tranquilla per alta Odyss. ι, 391.
Incubuit latè, sopiuit cœrula numen:

ita vehementes, furiosos, rabidósq; motus ratio exstinxit. quæ verò à natura necessariò requiruntur, hæc consentientia, parentia, amica, & operam nauantia redegit consiliis propositisque ad agendum susceptis: ita vt nunquam rationem prçcurrant, nunquam eam deserant, nunquam inordinatè se gerant, nunquam imperium detrectent: ita vt omnis appetitio dicto rationis audiens, eam subsequatur:

Lactens equum propter ceu pullus cursitat.

Atque hoc pacto Xenocratis illud confirmatur dictum, qui pronunciauit de verè philosophantibus, Solos eos vltrò facere ea, quæ legibus coacti alij faciunt, tanquã canis morsu aut felis metu à voluptatibus deterriti, & ad periculum respicientes. Obscurum verò non est, in animo huiusmodi roboris & adversus cupiditates quasi concertationis atq; contradictionis sensum percipi. Non desunt tamen qui rationẽ, & eã quę perturbationibus cietur partẽ negẽt esse res diuersas: neq; in animo duarũ facultatum existere seditionem aut discordiã. sed vnius eiusdémq; rationis cõversionem in vtranq; partem, quæ nos mutationis celeritate fallat, non animadvertentes quòd eadẽ animi facultas à natura facta est ad concupiscendũ, irascendũ & metuendũ, voluptatis causa ad turpitudinem inclinandũ, & rursus istã incitationem inhibendũ. nam & cupiditatem, & metum, & quæ id genus reliqua sunt omnia, opiniones esse & sententias prauas, non in vna aliqua animæ parte obortas: sed motus ac momẽta totius principis animæ partis, assensiones, atq; impetus, deniq; actus quosdã qui facillimè aliò recidant: sicvt puerorum impetus vehementiã imbecillitatis causa lubricã habent & inconstantem. Horum sententia primùm evidentiæ sensuiq; non cõgruit. Nemo enim vnquam sensit cupiditatem suã in iudicium, aut iudiciũ in cupiditatem commutari. neq; desinit amare is, qui iudicat reprimendũ esse amorem, eiq; reluctandũ: aut à ratiocinãdo & iudicando tunc desistit, cùm victus mollicie cupiditati herbã porrigit. Sed & tunc, cùm ratione affectui it obviam, perturbatio ipsum tentat: & rursum ab hac superatus, ratione peccatũ dispicit. & neq; perturbationibus obnoxiã partem abolet, neq; ratiocinando ab ea liberatur: sed in vtranq; partem agitatus, medius cõmunisq; amborũ est. Qui autem modò principẽ partem in cupiditatem, modò cupiditatem in rationem cõverti opinantur: perinde faciunt, ac si venatorem & feram non duo, sed vnũ putarent esse corpus, quod sui mutatione iã venator, mox fera fieret. nam & sic in re manifesta cæcutirent: & isthic contra sensum ferũt testimoniũ, cùm non vnius alicuius mutationem, sed dissidiũ ac pugnam in seipsis sentiant. Obiiciunt, Ipsam etiam nostri animi eã vim quæ consultat, sæpenumerò in diuersas trahi sententias de eo quod expediat, & momenta opinãdi in vtramq; facere partem: cum quidem & ipsa sit vnica. Fatemur sanè. sed similitudo non cõgruit. Non enim ratio sibi ipsi repugnat: sed vna eadémq; vtens facultate, diuersas tractat cogitationes. immò, vna est ratio, diuersis in rebus tanquam materiis occupata. Itaq; neq; dolor ratiocinationib. quę sine affectu instituuntur vllus comitatur, neq; tanquã vi compulsi contra animi sententiã, deflectimus in alterã partem. nisi sicubi, tanquã in trutina, in altera lance affectio aliqua adversus rationem appensa examinetur. Hoc enim sæpenumero contingit, vt rationi nõ ratio, sed ambitio, vel contendendi, gratiæ, obtrectationisve studiũ aut metus aliquis adversetur: ac tum duæ sibi invicem repugnare videantur rationes. cuius generis ista sunt:

In Stoicos. an affectus sint opiniones.

Consultatio.

Turpe recusatu hæc fuit illis: & metuebant Iliad. η, 93.

Accipere oblatam interea quoq; conditionem. Item:
Miserum trucidari est, sed iunctum gloriæ:
Subterfugere mortem timidi est, suaue est tamen.

Sed & in disceptandis contractibus animo motũ adferentes affectus, plurimum iniiciunt moræ. Et qui regibus consulentes gratiam captant, non de duabus sententiis alteri patrocinantur: sed affectui alicui se accommodant cõtra vtilitatis rationem. itaq; optimatibus remp. administrantibus, non permittitur oratoribus vt in animis motus excitent. Quippe recto momento vacua perturbationis ratio ad iustũ inclinat: perturbatione oborta, pugna ac dissidiũ inter partem voluptatis aut doloris capacem, & inter consultantem iudicantémq; exsistit. Nam aliâs quî fit, vt in philosophicis commentationib. absq; vllo dolore nos ab aliis patiamur duci, & à sentẽtia discedamus nostra? sicvt cùm ipse Aristoteles, tum Democritus & Chrysippus nõnulla priùs sibi probata decreta, absq; tumultu, doloréq;, & quidem libenter dimiserũt? nimirũ quia parti animi quæ in contemplando ac scientiis tractandis versatur, nullus obnititur affectus: atq; in hoc genere sese continet, neq; curiosiùs se effert bruta facultas. quo fit, vt ratio verum conspiciens, ad id omisso falso perquàm libenter se conferat: eò quòd in se ipsa vim eam habet, quæ & assentiri, & sententiam mutare facit. At quæ actionũ gratia suscipiuntur consultationes, & iudicia, & arbitria, quia perturbationes his admiscentur, rationi quandam adferunt discrepãtiam atq; difficultatem: cui rationi nimirum in tali re obstat atq; obturbat bruta pars, voluptatem ei aliquam obiiciens, aut metũ, aut dolorem, aut cupiditatem. Iudiciũ hac in disputatione est penes sensum, qui vtrãq; attingit partem. altera enim vincens, alterã non perimit: sed affectatur vim moliens & renitens. Scilicet qui seipsum amore captũ castigat, is ita ratione adversus affectũ vtitur, vt vtrunq; in animo habens insitum: duo inter se pugnare sentiens, & eorũ alterum tanquam inflammatione exagitatũ iniecta manu comprimẽs. Contrà in illis deliberationibus, ad quas motus brutæ partis isti non pertingunt, & quales omnino sunt cõtemplatricis philosophiæ: vbi æqualia in vtranq; partem sentiendi sunt momenta, ibi non iudiciũ interponitur, sed dubitatio relinquitur: quasi institio quædã cogitationis adversus vtrãq; partẽ affectæ. quòd si in alterã partem aliquid decernat, superior inferiorem iã sustulerit, ita vt sententiæ conceptæ nihil adversetur: neq; molesta porrò sit. Vt autẽ vniuersè dicã, quoties ratio rationi videt opponi, sensus non duarũ diuersarũ rerum repugnantiã arguit, sed vnius cuiusdã in diuersis visis quod versetur examinãdis. Quando autẽ bruta pars contra rationẽ cõtendit, vbi ita natura comparatũ est, vt neq; vincere, neq; vinci citra molestiã possit: statim animus quasi in duas partes dirimitur, & manifesta fit discordia. Cæterùm non tantùm è pugna, sed & ab iis quæ subsequunt non minùs expeditũ est videre principiũ affectuũ aliud esse à ratione. Cùm enim fieri possit, vt amet aliquis ingeniosum & bona ad virtutem indole puerũ, possit etiã malũ & impudicum: itémq; vti ira improbè in liberos & parentes suos, iustè pro iisdem adversus tyrannos & hostes: sicvt ibi sentitur pugna perturbationis contra rationem & discordia: ita hæc obsequij & tanquam affluentis atq; adiuuãtis motus accursus. Equidem vir probus, vbi legibus convenienter vxorem duxit, in eã cogitationem incumbit, quomodo possit cum ea rectè & pudicè viuere. temporis autem successu vbi consuetudo amorem ingenerauit, sentit ratione dilectionem augescere. Et adolescentes vbi scitis præceptoribus se dederũt, principiò eos vsus gratia sectantur atq; æmulant, postmodò autem eos diligunt, ac de familiaribus discipulisq; amatores & fiunt & dicuntur. Idémq; in ciuitatibus vsu venit hominibus erga magistratum, vicinos, necessarios. postquam enim ceperunt necessitatis causa invicem pro officij ratione cõsuescere, paulatim deinde in amorem delabuntur, ratione secum trahente & parere sibi docente eam partem, quæ affectuum est sedes. Qui verò dixit:

De affectibus.

Et Verecundia duplex est ista. quædam non mala est:
Altera autem familiarum onus est, labésque. ——

nónne præ se fert, quòd sentiat sibi affectum istum sæpe contra rationem cunctando tergiversandóq; occasionem rerum gerendarũ perdidisse? Deniq; ipsi nobis evidentia convicti hoc largimur, vt pudorem verecundiæ nomine afficiamus, voluptatem gaudij, metum cautionis: nemine profectò hanc honestorum pro odiosis vocabulorũ vsurpationem culpaturo, siquidem easdem affectiones rationi se dedentes honestis, ei repu-

repugnantes & vim facientes odiosis appellemus nominibus. Quando autem lacrymis convicti, & tremoribus, colorisque mutationibus, loco doloris aut metus morsus quosdam & conturbationes nominant, cupiditatésque studij voce velant: videntur non philosophicis, sed sophisticis effugiis vti, dum moliuntur nominum ope res ipsas evitare. Et sanè rursum ipsi dum gaudia ista, & voluntates, & cautiones, non vacationes affectionum, sed bonas affectiones appellant: vocabulis rectè vtuntur. Bona enim affectio fit, cùm ratio non abolet affectum, sed componit atque constituit in animo temperantis. Quid vitiosi & incontinentes? Vbi decreuerunt se patrem ac matrem loco amasij aut amasiæ diligere velle, nequeunt hoc præstare: si amicam aut adulatorem statuerunt amare, illicò etiam amant. At si idem essent iudicium & affectus, oportuit decreto amandi aut odiendi statim amorem aut odium comitari. nunc contrarium evenit, affectu quibusdam iudiciis obsequente, quibusdam refragante. Hinc est quòd ipsi rebus cogentibus pronunciant, non omne iudicium esse perturbationem, sed id demum, quod excitet appetitum violentum atque nimium: fatentes scilicet aliud esse in nobis quod iudicat, aliud quod afficitur: sicut aliud est quod mouet, aliud quod mouetur. Ac ipse Chrysippus multis locis definiens tolerantiam & continentiam habitus qui obsequantur rationi deligenti: prodit se rebus ipsis eò adactum fuisse, vt fateretur aliud in nobis esse id quod obsequitur, ab eo cui vel obsequitur dicto audiẽs, vel repugnat non parens. Porrò cum omnia peccata paria, omnia delicta æqualia faciũt, an etiam aliâs à veritate discrepent, arguere in præsentia non est tempestiuum. certè in plerisque videntur admodum cõtra evidentiam ratiocinari. Sunt enim ex ipsorum sententia omnes perturbationes siue affectus, peccata: & quicunque dolet, metuit, concupiscit, is peccat. At verò magna sunt affectuum, pro eo atque magis minúsve afficimur, discrimina. Quis enim dixerit metui Dolonis parem fuisse Aiacis metũ, retrò pedem referentis, & pedetentim ex hostibus recedentis, sensimque genu genui præponentis? Aut dolorem quem morte Socratis cępit Plato, ei quem Alexander, vbi propter Cliti necem manus sibi ipsi inferre est aggressus? Intenduntur enim dolores non mediocriter eo quòd nec opinantibus contingit: insperatíque casus acerbiores iis sunt, quos suspicari aliquis eventuros potuit. verbi gratia, si quis eum, quem lætis rebus florentem ac in admiratione hominum viuentem sperabat se visurum, excarnificatũ esse audiat, vt Philotam Parmenio. Quis autem affirmet eadem ira in Philemonem à Maga, qua in Anaxarchum à Nicocreonte desæuitum fuisse, eadem quidem in causa, quòd essent ab iis convicio proscissi? nam Anaxarchum pistillis ferreis contudit Nicocreon: Magas Philemonis ceruicibus nudum imponi à lictore gladium iussit, deinde eum dimitti. Itaque iram Plato neruos animi cognominauit: qui & intenderentur acerbitate, & laxarentur mansuetudine. Hæc & alia id genus illi vt amoliantur, contentiones & vehementiam affectuum negant fieri secundum iudicium, quod errori sit obnoxium: exitus, & contractiones, & diffusiones aiunt esse, quæ ratione maiores minorésve fiant. Enimverò differentiæ iudiciorum satis apparent. Paupertatem enim alij malum non esse censent, alij magnum: sunt qui maximum, vt eius evitandæ gratia de saxis & in mare se præcipitare homo debeat. Et mortem alij bonorum duntaxat amissione, quidam æternis porrò infra terram pœnis, horrendísque suppliciis malum esse arguunt. Bonam valetudinem corporis sunt qui vt naturæ convenientem vtilémque rem amplectuntur: aliis omnium rerum optima videtur, vtpote sine qua nihil iuuent diuitiæ, nihil liberi, nihil regia, quæ diis (vt ille ait) æquat potestas. ad extremum ipsam quoque virtutem ea absente invtilem esse pronunciant. vt appareat in iudicando alios magis, alios minus peccare. Sed de hoc nunc non est locus differendi. Hoc autem sumendum est, ipsos etiam concedere aliud quàm iudicium esse brutum illud, quo affectus fiat vehementior ac maior: ac dum de vocabulo litigant, rem ipsam dare iis qui affectibus obnoxiam ac rationis expertem partem differre affirmant à ratiocinante & iudicante. Iam Chrysippus in iis quæ de * Anomologia scripsit, postquam iram esse cæcam pronunciauit, quæ sæpenumerò res conspicuas videre non sinat, sæpe ea quæ iam appræhendimus obscuret: paulo pòst: Oborti enim, inquit, affectus rationes explodunt, & ea quæ iudicium ab iis diversa statuit, vique ad contrarias his actiones propellunt. Deinde Menandri vtitur testimonio, sic loquentis:

Me miserum. Vbi mea mens in nostro corpore

Affectuum inæqualitas.

Iliad. κ, 375.

Iliad. λ, 543.

Theognis 175.

*dissensione partium animi, puto.

« « «

Fuit isto tempore? non equidem hoc decreueram,
Sed ab hoc aliud longè diuersum. ——

" Progressúsq; lōgiùs, Ea, inquit, natura est animalis ratione præditi, vt in singulis rebus " ratione vti, ab eáq; gubernari possit: sæpe tamē eam aspernatur, aliò motione violen" ta impellente. nimirum fatens id, quod fit ex dissensione affectus cum ratione. Etenim ridiculum fuerit quod Plato ait, vnumquenq; seipso aliâs meliorem, aliâs deteriorem esse, & modò vincere seipsum, modò à seipso vinci. quomodo enim fieri hoc potest, nisi vnusquisque duplex quodammodo sit, & in sese aliquid præstantius, aliquid de- 1. de legibus. terius habeat? ita enim sui potens ac præstantior seipso erit, si deteriorem partem meliori habeat obedientem. qui verò intemperanti ac brutæ parti patitur obsequi & inseruire principem facultatem, is seipso inferior, incontinens, & secus quàm natura postulat affectus dicitur. Natura enim vult, vt ratio, quæ diuina est, imperet brutæ parti quæ ex ipso corpore ortum habet, ideóq; in illud demersa & contemperata similis eius fit, corporeísq; referta affectibus. Demonstrant hoc impetus concupiscentiæ, qui pro modo corporis incitantur, ac secundum eius mutationes vel cōcitatiores vel languidiores fiunt. & hæc est causa quòd adolescentum cupiditates ob copiam & calorem sanguinis celeres, feroces, ardentes, atque rabidæ sunt. senibus quia principium concupiscentiæ circa iecur restinctum est ac debilitatum, magis viget ratio, elanguescente vnà cum corpore affectuum capace parte. Hoc ipsum scilicet est, quod brutorum animalium mores & affectus format. Non enim opinionum alia bonitate, alia prauitate robur & audaciam, vel contrà metum trepidationémq; ingentem sortiuntur: sed facultates sanguinis, spiritus, & corporis, discrimina faciunt affectuū: quia pars eorum capax è carne tanquam radice enascens, qualitatem propensionémq; talem secum effert. Hominis autem impetibus ab affectu ortis etiam corpus vnà affici atque cieri, conuincunt pallores, rubores, tremores, saltatio cordis, rursúmq; diffusio in expectatione voluptatum. At verò cùm ipsa per se mens absque vllo affectu mouetur, tum corpus quiescit ac consistit placidè: nihil commune nimirū cum ea mentis actione habens. quæ si mathematicam considerationem suscipit, non adsciscit brutam partem sibi. Quo ipso ostenditur duas animi partes esse, facultatibus differentes. In vniuersum autem quidquid est, id constat, ac ne ipsi quidem negant, vel habitu aliquo gubernari, vel natura, vel bruta anima, vel rationem habēte. quorum simul omnium particeps est homo, omnibúsq; istis subiectus est differentiis. nam & habitu continetur, & natura nutritur, & ratione vtitur. itaq; etiam brutum aliquid in se, & principiū innatum habet perturbationum, non extrinsecus subiens, sed necessariū: & quod non exscindendum omnino sit, sed cultura atq; disciplina indigeat. Itaq; nō Thracico aut Lycurgeo Iliad. ζ. 130. modo agit ratio, vt affectuum vtilia simul cum damnosis exscindat: sed vt Pythalmius & Hemerides, id est prosper frugum atq; de syluestribus satiua redigēs deus, tantùm immoderatam auferat feritatem: ac deinde quod reliquum est cicurare & ad vitæ commoda convertere. Quo enim pacto ij qui ab ebrietate sibi metuūt, non effundunt vinum, sed diluunt: ita affectus non abolent qui perturbationes timent, sed iis moderantur. Ita boum etiam, equorúmq; non mōtus, nōn opera, sed petulātiores saltus frænísq; reiectionem auferunt. & affectibus subactis ac cicuribus vtitur ratio, non planè eneruans aut evellens ex animo partem ministeriis eius destinatam. Pindari est, sub curru equum, ad aratrum bouem prodesse: aprum autem qui velit venari, ei laboris tolerantem canem esse inveniendum. Multo autē his vtiliores sunt affectuū fetus, rationi prę stò vbi sunt, eíq; ad virtutem enitenti opem ferunt. Sic moderata ira fortitudini adiumēto est, odium in malos iustitię, ac iusta indignatio adversus nullo suo merito rebus secundis elatos, quando hi dementia simul atq; petulantia inflammatis animis coercitione opus habent. iam ab amicicia naturalem ad diligendum propensionem, ab humanitate misericordiam, à vera benevolentia gaudere vnà atq; dolere, ne si velis quidem, avellere vllo possis modo. Præterea si peccant qui vnà cū insano amore omnem tollunt amorem: equidem non rectè agunt, qui propter auariciam omnes etiam alias damnāt appetitiones. sed perinde agunt ac si quis currendū, quòd aliquādo impingatur, aut iaciendū neget, quia nonnunquam à scopo aberretur, aut canendum, quòd interdum inscitè canatur. Enimverò sicvt musica in sonis concentum non acutorum ac grauium vocum exstirpatione, in corporibus medicina sanitatem non internecione caloris aut frigoris, sed proportione contemperationis quærunt atq; conficiunt. ita in animo

animo etiam rationi victoria paratur, cùm ea perturbationibus modum mediocritatémque imposuit. Animus enim nimio dolore aut gaudio correptus, similis est corpori affluxu humoris alicuius supervacanei tumenti atque inflammato: non ipsum gaudium aut dolor. Et præclarè Homerus his verbis, Iliad. ν, 284.

Semper at est forti color idem: nec grauis illum
Pertentat metus: ——

non metum ademit, sed nimium metum: vt fortitudo non in væcordiam, aut fiducia in temeritatem abeat. Sic etiam circa voluptatem nimiæ cupiditates, & in vindicandis flagitiis nimium in malos odium tollantur: & habebis temperantem, qui tamen non omnis sensus voluptatum sit expers, iustúmque citra sæuiciam & acerbitatem. Adde, quòd si omnino evelli ex animis affectus possint multorum: eorum ratio hebetior fieret atque ociosior. sicvt gubernator vento cessante non admodum habet quod agat. Atque hæc, vt apparet, obseruantes legum conditores, in ciuitate ambitionem æmulationémque excitant: adversus hostes autem tubis etiam ac tibiis instigant augéntque irarum ardores & pugnandi cupiditatem. Non enim in poësi duntaxat, sicvt est apud Platonem, artifex & accuratissimè formatus, ridiculus esse ostenditur ab eo qui furit diuino Musarum instinctu impulsus: sed in prœliis etiam animo concitati ac furore correpti subsisti superaríque nequeunt. qualem instinctum Homerus ait à diis homini inseri.

Sic ait, atque duci permagnas flamine vires
Inseruit. —— & rursum:
Non absque instinctu furit hic ita numinis. ——

nimirum quòd dij quasi incitamentum & vehiculum quoddam rationi affectum apponant. Ipsos adeò illos, contra quos nobis est sermo, videmus in eo esse, vt sæpenumerò & laudando adolescentes excitent atque propellant, & castigando coërceant: quorum alterum delectatio, alterum dolor subsequitur. correctio enim & repræhensio pœnitentiam pudorémque incutit: quorum prius dolorem, posterius metum genus habet: iísque maximè ad castigandum vtuntur. Vnde etiam Diogenes Platonem laudantibus quibusdam dixit: Et quidnam ille habet tantopere prædicandum, qui tanto philosophatus tempore, neminem dolore affecit? Non enim tam rectè cum Xenocrate dixeris, mathematicas disciplinas esse ansas philosophiæ: quàm hoc, affectus istos, verecundiam, cupiditatem, pœnitentiam, voluptatem, dolorem, ansas esse adolescentium: quas salutari atque concinna opportunitate ratio & lex appræhendentes, eos cum profectu in rectam perducant viam vt non malè professus fuerit Laco ille pædagogus, effecturum se, vt puer gaudeat honestis, ac molestè ferat turpia. quo liberalis institutionis fine neque maior potest vllus, neque pulcrior nuncupari.

PLVTARCHI

Commentarius, An seni gerenda sit respublica.



NOVIMVS te, mi Euphanes, Pindari, cuius laudator es, dictum illud tanquan probabiliter ac rectè enunciatum in ore frequenter habere:

Instituto certamine
Prætextus aliquis virtutem
In altas tenebras deiecerit.

Quando autem cũctatio & mollicies à certaminibus nos avocans ciuilibus cùm plurimas alias præscriptiones vsurpant, tum vltimam hanc quasi à sacra (quod dicitur) linea adducunt senectutis excusationem, eáque cumprimis honestos nostros cona-

tus retundere atque deterrêre nituntur, dum persuadere volunt quendam esse convenientem nõ athletici tantùm, sed etiam ciuilis decursus terminum atq; conclusionem: quæ mecum identidem de senili reipublicę administratione ratiocinor, ea tecum quoque mihi communicanda sum arbitratus. vt neuter nostrûm quem hactenus vnà longum tenuimus cursum deserat: néve ciuilem vitam, quasi æqualem & consuetudine nobis devinctum amicum, omittat, ad aliámque transeat invsitatam, & cuius consuetudini ac familiaritati parandæ tempus non suppetat: sed in eo persistamus q̃d à principio institueramus, eundémque viuendi & honestè viuendi finem faciamus: nisi velimus in exiguo quod superest vitæ spacio ostendere, longam, quam exegimus, ætatem à nobis fuisse nulla præclara in re consumtam. Non rectè is, qui Dionysio dixit tyrannidem pulcrum esse sepulcrum. sed hæc illi tanto perfectiorem parauit miseriam. & Diogenes meliùs, qui cùm postea temporis filium eius Corinthi videret priuatum de tyranno factum: Quàm indignam, aiebat, teipso vitam agis. non enim hîc te liberè ac tutò viuere conveniebat, sed in patria arci tyrannicæ inclusum exemplo patris tui consenescere. At respublica popularis ac legitima viro, qui ita eam gerit, vt non minus pareat vtiliter quàm imperet, pulcrum re vera ornamentum gloriam viuẽdo partam morti ac funeri parit. Ea enim, vt Simonides ait, vltima subit terræ. nisi si qui sunt quorum ante corpus emoritur humanitatis honestatísque studium, priúsque elanguescit pulcri æmulatio, quàm necessariarum rerum appetitio. quorum animi facultatem ad agendum destinatam ac diuinam corporea & affectibus obnoxia habent imbecilliorem. Neque verò nobis audiendi sunt, qui omnibus aliis rebus, solo lucro faciundo nos non defatigari aiunt. sed & Thucydidis sententia in meliorem partem accipienda est: itáque statuendum, non modò honoris studium non consenescere, sed multo minus communitatis atque reipublicæ: quod apes etiam & formicæ conseruant vsque ad finem. Nemo enim vnquam vidit apem senectute in fucum degenerasse: quod à ciuilibus quidam viris exigunt, vt vigore ætatis præterlapso domi desideant, cibúmque conquirant & reponant, ocióque patiantur virtutem agendi, tanquam rubigine ferrum absumi. Cato quidem dicebat senectuti, quæ ex sese multa haberet incommoda, non debere turpitudinem vitiis superaddi. Atqui cùm multa sint vitia, nullo minus est ocium, ignauia, & mollicies, quæ viro seni dedecus adferũt, è curia se in muliebrem domus curationem includẽti, aut in agro messores & lectrices stipularum inspicienti:

Ast Oedipus vbi, nobiliáq; ænigmata?

Etenim qui in senectute ad rempublicam se conferat, nunquam antè in ea versatus, (sicvt Epimenidem dicunt, cùm adolescens obdormiuisset, post L annos evigilasse iam senem) & tam longinquo secúmque aucto ocio relicto, in certamina se ac occupationes coniiciat insuetum atque inexercitatum, & neque in rebus ciuilibus, neque inter homines versatum, repræhensurus aliquis Pythiæ illud obiicere possit: Serò ad me venisti, magistratum & populi gubernationem quærens: intempestiuè pulsas prętorij ianuam (velvt inscitior aliquis noctu per comesationem accedens aut hospes) nõ locum aut regionem mutare, sed vitam cuius es imperitus, inire cupiens. Quod enim Simonides dixit, Ciuitas virum docet, verum est de his, quibus adhuc tempus est dediscendi sua, & addiscendi scientiam, quæ multis certaminibus atque rebus ægrè elaboratꝰ, vbi tempestiuè ingenium appræhendit, q̃d labores difficultatésq; facilè ferre possit. Hæc videnꝰ non malè in eum dici, qui in senectute incipiat remp. gerere. Atqui cõtrà videmus à prudentib. adolescentes & iuuenes à tractãdis publicis negociis arceri: testantúrq; hoc leges, vbi præco in concione non Alcibiadas aut Pytheas ad suggestũ progredi iubet, sed qui annum ætatis quinquagesimum excesserint, ad dicendum & consulendum exhortatur. Non enim insolentia audaciæ & imperitia & impulsio vnicuique militum * * At Cato octogenario maior cùm diceret causam, Difficile, inquit, est eum qui cum aliis vixisset, aliorum subire iudicia. Cæsaris verò Augusti actiones sub finem vitæ, nihilo reliquis minùs imperatore dignas, aut in publicum vtiles fuisse in confesso est. & ipse cùm iuuenes moribus legibúsque austeris corrigeret, iique tumultuarentur: Audite, aiebat, iuuenes senem, quem senes iuuenem audiuerunt. Periclis quoque administratio reipublicæ plurimum in senectute virium habuit, cùm & bellum vt susciperent persuasit Atheniensibus: & cùm alieno tẽpore cõfligere cum LX millib. armaturæ grauis militum vellent, obstitit ac prohibuit,

Exempla senilium actionum.

tantùm

tantùm non arma populi & claues portarum sigillo suo muniens. Quæ autem Xenophon de Agesilaô scripsit, par est ipsius verbis referri. Qua, inquit, iuuentute non fuit præstantior eius senectus? Quis enim ætate vigens tanto terrori hostibus fuit, quanto Agesilaus prope finem vitę? Quo sublato magis gauisi sunt hostes, quàm Agesilao, quanquam grauis annis decessit? Quis sociis animos addidit, nisi Agesilaus, quanquam ei iam mors immineret? Quem iuuenem amici maiore sunt prosecuti desiderio, quàm Agesilaum senem mortuum? Ergo illos à tantis rebus gerendis ætas nõ abstinuit: nos in republica luxuriantes, nullam tyrannidem, nullum bellum, nullam obsidionem sustinentes, certamina duntaxat & contentiones quæ legibus plerunque, orationibus, ac iudicio finiantur, ob ignauiam actiones subterfugimus? scilicet non prætoribus modò & oratoribus priscis, sed & poëtis, & sophistis, & histrionibus fatentes nos esse deteriores. Siquidem senex Simonides choris victoriam reportauit: idq; inscriptio testatur his extremis versibus: In fine lib. de Agesilao.

Octoginta annos Simonida iam tibi nato
Gloria doctrina est parta Leoprepidæ.

Sophocles fertur, cùm vt desipiens esset à filiis in iudicium vocatus, recitasse de Oedipo Coloneo chori in scenam progredientis carmen, quod incipit:

Equorum feracis huius, hospes regionis
Venisti ad optimum agrum
Albicantem Colonum.
Vbi frequens philomela suaue cantillat virentibus in vallibus.

quod cùm perplacuisset, è foro tanquam è theatro cum plausu & clamore eorum qui aderant deductus est. Hanc quidem constat Sophoclis esse inscriptionem.

Carmen hoc Herodoto composuit Sophocles, annos natus LV.

Philemonem quoq; comicum, & Alexidem in scena certantes mors occupauit. Paulum tragœdum Eratosthenes & Philochorus scripserũt annos XXC natum, octo tragœdias quatriduo decertasse paucis ante obitum diebus. Nonne autem turpe est senibus scenicis concionales senes videri turpiores, & desertores sacrorum re vera certaminum, deposita ciuili persona, nescio quam eius loco induere. nam de rege agricolam fieri, nimis est humile. Quando enim Demosthenes ait iniuriam Paralo naui fieri (quæ sacra erat triremis) quòd ligna, vallos, & pecudes cogeret Mediæ vehere: nónne vir ciuilis post præmiorum in certaminibus tribuendorum, & Bœotarchiæ, ac inter Amphictyones primi in consessu loci obitam functionem, si his relictis videat occupatus farinarum aut fracium dimensione, vel lanæ ouillæ negociatione, videbitur planè id quod proverbio iactatur equi senium sibi nulla coactus necessitate inducere? Equidem illiberale opificium & forum sectari ab administratione reipublicæ, non est aliud, quàm si matronæ liberali & pudicæ vestibus suis detractis cincturam illiberalem circundes, eámq; in caupona colloces. eodem quippe modo ciuilis virtutis maiestas atq; dignitas pessundatur, vbi ad rei familiaris procurationem, & quæstum faciendum pertrahitur. Quod si (id quod restat) oblectationes & saginationes istas, nomine quietis atq; fruitionis commodorum velantes, in his paulatim tabescentem con senescere iubent ciuilem virum: nescio de duabus turpibus imaginibus vtri similior sit futura eius vita. Voluntne eum Veneris sacra per omnem vitam colere, & nauim nondum portui subeuntem, sed adhuc in alto vehentem deserere? Aut quemadmodum nonnulli ioci causa Herculem ineptè pingunt apud Omphalem in veste crocota sedentem, séque verberandum & comendum ancillis præbentem: ita ciuilem virum posito leonis exuuio ad mensam reclinabimus, vt semper epuletur, ac tibias barbitáque audiat? Nec pudorem nobis vox ista Pompeij Magni incutiet? qui à Lucullo ob intempestiuam tanto natu ambitionem honorum ac magistratus gerendi repræhensus, post rem domi militiæq; gestam balneis, cœnis, ac quotidianis conuiuiis, ocio dissoluto, ac splendidissimis ædificiis dedito, respondit: Magis esse intempestiuum luxuriare senem, quàm rempublicam gubernare. Idem Pompeius, cùm ægrotanti sibi medicus turdi esum mandasset, & tunc is per anni tempus haberi vix posset, ac quidam multos turdos apud Lucullum ali significaret: non misit petitum, Quid, inqui- Voluptatum studium dedecet senes.

ens? niſi Lucullus luxuriaret, non viueret Pompeius? Nam vt maximè natura voluptatem & delectationem deſideret: tamen ſenum corpora ferè ad omnes voluptates, paucis, iiſque neceſſariis exceptis, facta iam ſunt inepta. Non modò enim

Aetate prouectos auerſatur Venus,

vt ait Euripides: ſed etiam ciborum ac potus ſuauitas iis hebes & quaſi edentula eſt, exiguúmque ſui guſtum exhibet. In animo itaque parare ſibi voluptates debent, non indignas eas ipſis aut illiberales, vt Simonides, qui eum ob auariciam culpantibus reſpondit, ſe per ſenectutem reliquis ſpoliatum voluptatibus, vnica lucrãdi oblectatione grauem recreare ætatẽ. Sed reipublicæ adminiſtratio pulcerrimas habet maximáſque voluptates, quibus aut ſolis aut præcipuis frui deos probabile eſt. eæ autem ſunt quæ à bonis actionibus, honeſtiſque factis proficiſcuntur. Si enim Nicias pictor ita artis ſuæ operibus gauiſus eſt, vt ſæpenumero è ſeruis quæſiuerit, Lauine, pranſúſne ſum? & Archimedem vi à tabula cui inhærebat avellentes atque veſtibus exuentes vnxerunt famuli, ille autem in vncto corpore figuras geometricas pinxit: Canus quoque tibicen quem tu etiam noſti, dicebat, Neſcire quãto ſeipſum magis quàm alios delectaret canens, alioquin audire volentes mercedem non daturos ipſi, ſed exacturos: non intelligimus quantas virtus honeſtis, & ad ſocietatem humanitatémque facientibus actionibus voluptates ea vtentibus conciliet? non titillantes illas aut emollientes, ſicvt in carne faciunt lenes ac ſuaues motiones, quæ pruritum habent furioſum & inſtabilem ac magna cum exagitatione coniunctum: ſed præclara facta, quorum quaſi opifex eſt qui rectè rempublicam tractat, non aureis Euripidis, ſed Platonicis ac diuinis alis animum elatione & gaudio præditum evehunt. In memoriam tibi redige, quæ ſæpe audiuiſti. Epaminondas interrogatus quid ipſi iucundiſſimum accidiſſet, reſpõdit: Quod patre ac matre viuentibus Leuctricam victoriam reportaſſet. Sylla cùm liberata ciuilibus bellis Italia Romam pervenit, prima nocte ne tãtillum quidem dormiuit, præ lætitia ingentíque gaudio, tanquam vento animum incitante. atque hoc ipſe de ſe in commentariis ſcripſit. Eſto enim, vt Xenophon ait, nulla ſuauior auditio laude. ſpectaculum quidem & recordatio atque cõſideratio nullius rei tam eſt grata, quàm propriarum actionum in magiſtratu & republica tanquam illuſtribus & publicis locis contemplatio. Enimverò gratia benigna, factis teſtimonium perhibens, ac laus cum virtute certans, dux & autor iuſtæ benevolentiæ, tanquam lumen & nitorem aliquem gaudio de virtute concepto adiiciunt. Neque eſt gloria, velvti corona athletica, negligenda, committendúmve vt in ſenectute exareſcat: ſed ſemper noui aliquid ac recens proferẽdum, quo veterum gratia excitetur, augeatur, ſtabiliatur. quomodo Deliacam nauim, lignis quæ vitium concepiſſent identidem ſubmotis, aliiſque eorum loco inſertis, crediti ſunt homines ab antiquiſſimo tempore in hanc vſq; ætatem pertuliſſe, & quaſi æternitati aſſeruiſſe. Cæterùm vt flamma, ita etiam gloria non difficulter conſeruatur, ſed alimentum ſeu fomitem haud magnum requirit. exſtinctam neutram facilè & ſine labore rurſum incenderis atque excitaueris. Lampis nauicularius interrogatus, quo modo diuitias conſecutus eſſet, reſpondit: Magnas non difficulter, paruas cum ærumna & tardè. Sic ab initio gloriam in republica & potentiam ſibi parare, non eſt facile: augere partam & conſeruare quibuſvis creſcentem actionibus in promtu eſt. Nam neque qui amicus factus eſt, multa aut magna deſiderat miniſteria, vt retineatur: ſed aſſiduitas etiam exiguorum ſignorum benevolentiam conſeruat. & populi amicicia ac fides non ſemper requirit ſumtus publicè facientem: * ſed ipſius magiſtratum gerentis alacritate retinetur, dum is reipublicæ curam non deſerit neq; defatigatur. quando ne bellum quidem ſemper cõflictus, prœlia, & obſidiones habet: ſed ſacrificia nonnunquam intercedunt, & induciæ, & ioci ac ludi. Vnde aũt ſit, ꝙ reip. adminiſtratio pro triſti & tetrica, laborioſa, ac difficili debeat haberi? cùm & theatra, & pompę, & diribitiones, & chori, & muſica, & lætitia, ſemper honor aliquis alicui deo habitus frontem exporrigant in archiuis & conſeſſibus, multóque ampliorem moleſtiis delectationem & gratiam adferant. Iam invidia, quod maximum habet reipublicæ adminiſtratio malum, minimè in ſenes incumbit. Canes quidem, vt aiebat Heracletus, quem non agnoſcunt, latratu excipiunt obſcuro. & ſubditi etiam quodammodo tanquam præ foribus acceſſuro ad ſuggeſtum repugnant, aditúmque negant. conſuetam autem & familiarem gloriam non ægrè ferunt, ſed

Voluptates animi ob virtutem.

Invidia in rep.

sed placidè tolerant. Ideò invidiam nonnulli fumo comparauerunt. qui cùm initio adeuntibus ad rempublicam quasi incensis largus efferatur, postquam hi effulsere, euanescit. Ac reliquis quidem excellentiis, vt virtutis, nobilitatis, ambitionis, solent repugnare ac de iis litem mouere: quòd quãtum in his concedimus aliis, tantum nobis videmur detrahere. Sed honor senectutis, quod presbeon Græci ab ea ætate deflexò verbo dicunt, obtrectationis securus est & conceditur vltrò. nullus enim alius honor ita eum qui habet magis quàm cui habetur cohonestatus, vt qui senibus defertur. Ad hæc, honorem diuitiis, eloquentia, aut sapientia partum non quivis se quoque sperat consecuturum. ad quam autem senectus producit reverentiam & gloriam, eam quilibet in republica agentium exspectat. Planè igitur similis est nautæ qui vbi adversò fluctu & vento periculosè nauigauit, tranquillitate & bona aëris constitutione oborta nauim in stationem velit subducere: qui cùm diu adversus invidiam depugnauerit, ea desinente & pacata se è republica recipiat, simúlque cum actionibus communitates societatésque deserat. Quanto enim diutius in republica aliquis fuit versatus, tanto plures etiam amicos ac conatuum & certaminum socios sibi parauerit: quos neque educere secum omnes vt chorum magister potest, & relinquere iniustum est. Sed sicvt vetustæ arbores, ita antiqua reipublicæ tractatio difficulter evelli potest, cùm multas egerit radices, sitq; negociis implicata, quæ abeuntibus quàm manentibus plus exhibeant turbarum ac occupationum. Tum si quæ omnino reliquiæ supersunt invidiæ in senes ob ciuilia certamina susceptæ: magis eæ opprimendæ potentia parta sunt, quàm dandum tergum, si nudi inermésque discedamus. non enim tam certantibus invidi instant, quàm ob contemtum insultant animum despondentibus. Testatur hoc illud magni Epaminondæ ad Thebanos dictum, cùm hyeme Arcades ab ipsis peterẽt, vt vrbem ipsorum ingressi in ædibus vnà habitarent. prohibuit enim ac dixit: Nunc Arcadibus nos sumus admirationi, cùm nos spectant in armis corpora exercentes atque luctantes: si autem videant nos ad ignem desidere & fabas tundere, nihilo ipsis præstantiores nos putabunt. Ita præclarum sanè est spectaculum senex orans, agens aliquid rei, & honore affectus. qui verò dies ad mensam exigit, aut in angulo porticus desidens nugatur, is facilè contemnitur. Nimirum autem Homerus hoc quoq; docet eos, qui ipsum rectè intelligunt. Etenim Nestor in bello versans Troiano, suspiciebatur, inq; summo erat honore. Peleus autem & Laërtes domi desidentes, abiecti erant ac spreti. Neque enim habitus prudentiæ qualis fuerat manet in iis, qui sese ocio dederunt: sed ignauia eum paulatim dissipat. cùm ad hoc requiratur subinde cura aliqua & meditatio, quæ ratiocinatricem & actiones gubernantem animi facultatem excitet atq; repurget. etenim vsu ratio splendescit, quo pacto

Aes vsibus nitescit.——

Cæterùm imbecillitas corporis non tantùm adfert incommodi iis qui confecta iam propè ætate ad tribunal & prætorium se conferunt, quantum vtilitatis eorum ipsorum cautio atq; prudentia secum trahit. Vsu enim rerum instructi, non vana ambitione impulsi rempublicam capessunt. neq; populum vi secum rapiunt tanquam mare ventis exagitatum: sed placidè ac moderatè cum iis agunt, cum quibus res est. Itaq; ciuitates vbi aliqua adversitas aut metus incidit, gubernari à senibus cupiũt: & sæpe ex agro senẽ aliquem nihil tale desiderantem inuitúmq; ad clauũ reipublicę pertrahunt, eiq; reipublicæ constituendæ munus dant: repudiatis prætoribus & oratoribus qui magnum clamare, & vno spiritu perorare, immò etiam per medios hostes penetrare pulcrè pugnando calleant. In locum Timothei & Iphicratis oratores Athenienses Charetem Theocharis F. subornantes, valido & vigenti viribus corpore virum, talem autumabant debere esse ducem Atheniensium. Ibi Timotheus, Non me hercle, inquit, ducem talem oportet esse: sed eum, qui ducis stragula sit portaturus. imperatorem autem eum esse necesse est, qui rem antegressa & consecutura animò videns, nulla perturbatione sibi rationes eorum quæ sint in rem futura excuti sinat. Sophocles quidem dixit, lubenter se à re Venerea profugisse tanquam à fero & rabioso domino. At in republica non vnus tantùm dominus fugiendus est amor mulierum aut puerorum, sed hoc multo insaniores, studium contentionis, ambitio, primi loci appetentia, qui morbus invidiæ est & obtrectationis ac dissidiorum feracissimus. Horum vitiorum alia senectus retundit atq; deminuit, alia omnino abolet atq; restinguit: non tantum de incitationibus animi ad agendum detrahens, quantum ab impotẽtibus ac feruidis revellens mo-

atibus, vt sobria ac composita ratione cogitationes possint suscipi. Veruntamē habeat, videatúrque habere momentum hęc oratio ad mouendum cohibendúmque eum, qui iam canescens ad rempublicam se iuuenili conatu conferre incipit, inhibeátq; à longa rei domesticę procuratione velvti diuturno morbo exsurgentem senem, & ad præturam se aut negociationem efferentem:

Miser, tuis te in stratis placidè contine.

ea quidem certè iniqua est, nihilq; cum illa simile habet, quæ eū qui in administratione reipublicę ac certaminibus ciuilibus vitam exegerit, non sinit ad facem ac coronidem vitæ progredi, sed revocat, iubétque tanquam è longo itinere aliò se convertere. Sicvt enim qui senem nuptias meditantem, coronatúmq; & vnctum dehortans, & ea occinens quæ in Philoctetam dicta sunt,

Quæ te puella, quæ virgo iuuencula
Te recipiet? quas nuptias paras miser?

nihil facit absurdi: (quando ipsi quoq; in seipsos multa ludunt talia,

Duco vxorem, probè scio, vicinis quoque.)

qui verò per longum tempus cum vxore vixerit commodè, eum iubens hac dimissa propter senectutem solum viuere, aut pellice adscita in vxoris locum, nihil is ad extremam perversitatem sibi fecerit reliquum. sic ratione non caret, si quis accedentem ad populi gubernationem senem, aut Chlidonem agricolam, aut Lamponem nauicularium, aut aliquem ex Horto philosophum, redhibeat inque ocio vsitato contineat. Phocionem autem vel Periclem vel Catonem ita compellans, Heus hospes Atheniēsis aut Romane, arida confecte senectute, missam iam nunc rempublicam fac, ac versari circa tribunal & procurare prætorium desinens rus propera, ibi cum vetula ancilla agriculturæ vacaturus, aut in rei familiaris administratione reliquum vitæ consumturus, is iniqua suadet, & iniuria virum ciuilem afficit. Quid verò? dices. nónne audimus militem in comœdia dicentem?

Odyss.ω,190.

Albus capillus iam me donauit rude.

Omnino, amice. nam famulos Martis vigere viribus ætatéque convenit, vtpote qui tractent

Bella manu, belliq; opera ardua.——

in quibus vt etiam canos senis galea occultet,

Robore membra tamen paulatim destituuntur,

alacritatémque vires produnt. At à Consiliarij, Forensis, Vrbaníque Iouis ministris, non pedum manuúmve opera exigimus, sed consilij, providentiæ, rationis: non tumultum & strepitum in turba excitantis, sed prudenter ac tutò consulentis: vnde elucescat canicies & ruga rideri solita, testis peritiæ, auxilium ad persuadendum adferens, gloriámque ingenij concilians. Nam ad parendum iuuenilis, ad imperandum senilis ætas accommodata est. ac maximè salua est ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum arma obtinent. laudatúrq; maiorem in modum isthuc:

Iliad.β,53.

Primùm ætate graues, & forti pectore claros
Nestoream ad nauim conductos dicere iussit,
Consiliúmq; dare.——

atq; ideò optimatū magistratum Spartanę ciuitatis regibus adiunctū Apollo presbygeneas, id est magno natu prędìtos, Lycurgus disertè Gerōtes, id est senes nominauit. Et Romanorum Senatus in hunc vsque diem à senio nomen gerit. atque vt lex coronam ac diadema, ita canos natura venerabile dignitatis & principatus signum fecit. Et geras, quod eximium honorem, ac geraeren, quod venerari significat, à senectute eiúsq; præstantia Græcis retinentur. quæ sanè non in eo cōsistit, quòd calida lauantur, & mollius dormiunt: sed quòd ob prudentiam in ciuitatibus regio sunt in honore, quę instar serò fructum reddentis plantę suum & perfectum bonum in senectute demum, ita natura comparante, profert. Certè regem illum regum à diis hoc petentem,

Iliad.β,372.
Iliad.γ,8.

O consultores mihi sint bis quinq; Pelasgi,
Tales consilio, qualis Nelida senex es:

nemo de bellicosis istis, & robur spirantibus Achiuis reprehendit, sed concesserunt hoc vniuersi, non in pace modò, sed in bello etiam magnum esse senectutis momentum.

Sapiens

Sapiens enim consilium plurimas manus
Superat vel vnum:—— & vnica sententia ad persuadendum apta atq; ratione nitens, pulcerrima ac summa reip. negocia potest conficere. Enimverò regium imperiũ, quæ est perfectissima & amplissima reipub. forma, plurimis curis, laboribus, occupationibus distinetur. Seleucum quidem perhibent identidem dixisse, si pleriq; hoc saltem scirent quantũ haberet molestiæ, tot scribere & legere epistolas, abiectum diadema non esse accepturos. Et Philippũ, cùm castra oportuno positurus loco audiuisset pabulũ ibi iumẽtis defuturũ: Qualis, dij boni, vita nostra est, qui cogimur eam vel asinorũ commoditatibus adaptare. Tempus ergo est, vt regi quoq; grãdæuo suadeamus, vt deposito diademate ac purpura, tunicã pedúmq; sumat, & ruri degat, ne canus regnans, res supervacaneas & intempestiuas videatur agere. Quod si hoc indignum est Agesilaum, Numam, aut Dariũ iuberi: ex Areopagitico concilio Solonem, è Senatu Catonẽ itidẽ non expellemus: neq; Pericli suadebimus, vt popularẽ reip. formã deserat. nam aliàs quoq; absurdũ est, vt qui iuuenis ad tribunal per lasciuiã prosiluerit, is postquã furiosas suas ambitiones atq; impetus in publicũ profuderit, vbi ętas peritiã ac prudentiã attulit, remp. omittat atq; destituat, quasi mulierculã qua ad suam libidinem explendã fuerit abvsus. Equidem Aesopi illa vulpecula à vicinis infestata, abigere eos volentẽ echinũ nõ sinebat, quòd diceret his qui iam essent saturi remotis, alios esuriẽtes successuros. Ita rempub. quoq; quæ subinde senes dimittat, necesse est occupari à iuuenibus gloriæ & potentiæ cupidis, prudentiæq; ciuilis imperitis. vnde enim parauerint, qui nullius senis remp. gerentis discipuli ac spectatores fuerint? Nisi forte nauis rectorẽ de arte gubernandi scriptus liber facere nõ potest eum, qui nõ sæpe in puppi spectauerit certamina adversus tempestatẽ, fluctus & ventos ac noctem,

Regni molestiæ.

Iuuenes à senibus docendi.

Quando in profundo Tyndaridas mari
Votis nauta vocat:—

ciuitatem autem regere, populúmq; aut senatũ suadẽdo ducere poterit iuuenis, lecto libro aut schola in Lyceo de rep. scripta, qui non sæpenumerò fræna moderãtibus clauúmq; tenentibus adstiterit oratoribus atq; ducibus peritia simul fortunáq; certantibus adiutrice, & cum iis in vtranq; partem inclinando non sine periculis & negociis gerere didicerit rempublicã? Nequaquam hoc concessero. Immò si nulla alia seni sit causa, docendorũ formandorúmq; iuuenũ causa gerere rempublicam debet. Sicvt enim qui litteras & Musicam docent, ipsi prælegunt ac præeunt canendo discipulis: ita vir ciuilis non dicens modò dictánsve foris, sed agens ac publica administrans iuuenem instituit, simul & verbis & factis animum eius intus formãs atq; fingens. Et qui hoc modo fuerit exercitatus, non in palæstra aut ceromate sine periculo inter artifices versabitur: sed re vera in quasi Olympicis & Pythicis certaminibus

Lactens equum ceu pullus propter cursitat,

vt ait Simonides. Ita sectatus est Clisthenẽ Aristides, hunc Cimon, Chabriam Phocio, Cato Fabium Maximũ, Syllam Pompeius, Philopœmenẽ Polybius. qui cùm adolescentes se senibus adiunxissent, deinceps tanquã efflorescẽtes & crescentes eorũ reip. administratione atq; factis, peritiã reip. gerẽdæ cum gloria & potentia sibi parauerũt. Aeschines Academicus sophistis quibusdã dicentibus eum fingere se Carneadis fuisse, cùm nõ fuerit, discipulũ: Ego verò, inquit, Carneadẽ tunc audiui, cùm oratio ipsius contentione & strepitu ob senectutẽ omissis in vtilia & cõmunicationi idonea se contraxit. Senilis aũt reip. administratio non verbis duntaxat, sed ipsis etiã iam ab ambitione & ostentatione abstinens (sicvt Ibin aiunt cum vetus est facta, exhalatis virosis & turbidis partibus odoratiorem habere aromaticã virtutem) nullũ iam senile decretum, nullũ tumultuosum habet consiliũ, sed grauia omnia & firma. Quapropter, vt diximus, iuuenũ gratia senibus est in rep. versandũ. vt quomodo Plato de vino aqua diluto ait insanum deũ alio sobrio coërceri atq; temperari: ita cautio senilis cum feruẽte in populo iuuenũ ac bacchante gloriæ & honorũ studio cõmixta, insaniã & nimiam vehementiam eorũ reprimat. Iam præter hæc peccant, qui vt nauigandi & militandi, ita etiam remp. tractandi finem aliquem statuunt, ad quem vbi perventum sit, actio ipsa desinat, ad aliud relata. non enim reip. tractatio ministerium est aliquod, cuius terminus & finis sit vtilitas: sed vita est mansueti, ciuilis, & ad societatem facti animalis, quod à natura habet, vt omne tempus vitæ ciuiliter, honestatisque & humanitatis studiosè viuat. Itaque convenit non gessisse, sed gerere rempublicam:

Actiones sine fine.

sicut esse, non fuisse veracem: colere, non coluisse iusticiam: non amauisse, sed amare patriam ac ciues. Huc enim natura ducit, ac tales suggerit voces iis, qui non planè ignauia molliciéque sunt corrupti.

Magno æstimandum te pater mortalibus
Creauit.—— &:
Nec desinamus benefacere mortalibus.

Senes validi. Qui verò imbecillitatem corporis excusationi prætendunt, ij non tam senectutem, quàm morbum & mutilationem corporis accusant. Quippe multi valetudinarij adolescentes, multi robusti senes inueniuntur. vt par sit à rep. non senes, sed viribus destitutos arcere: ad eámque capessendam non iuuenes cohortari, sed qui præesse valeant. Etenim adolescens fuit Arridæus, senex Antigonus. & tamen hic vniuersam pœnè Asiam subegit: ille velut in scena stipatus mutam regis personam gerebat, semper eorum qui plus valerent expositus ludibriis. Ergo sicut stultus sit, qui Prodicum sophistam, aut Philetam poëtam iubeat remp. gubernare, integra quidem ætate, verùm graciles & ob infirmitatem valetudinis crebrò decumbentes: ita is quoque, qui magistratum bellúmve gerere vetet tales senes, quales fuerunt Phocio, Masinissa Afer, Cato Romanus. De his Phocio, cùm Athenienses intempestiuè ad bellum suscipiendum ruerẽt, ad sexagenarios vsque arma capere omnes ciues iussit, & se sequi. cúmque rem indignam putarent: Nihil, inquit, est iniuriæ, cùm ego imperator sim vobiscum futurus, octogenario maior. Masinissam verò Polybius scribit è vita discessisse annos natum XC, relicto quem ipse genuerat quatuor annorum filiolo. paulóque ante obitum, cùm prœlio vicisset Carthaginienses, postridie conspectum fuisse pane vescẽtem sordido: idque mirantibus dixisse, Facere se hoc *

Namque æs velut decorum splendet vsibus:
Cùm non habitata tempore concidat domus.

vt ait Sophocles. quod nos rectè dicimus de luce & splendore animi, eiúsque vi ratiocinãte, memoria, ac mente. Itaque reges etiam meliores fuisse tradunt in bellis & expeditionibus, quàm in ocio. Ocium. Attalum sanè Eumenis fratrem longo ocio & pace dissolutum Philopœmen amicorum vnus saginabat pinguem ignauia redditum. ita vt Romani subinde per iocum quærerent ex his qui ex Asia nauigabant, Réxne apud Philopœmenem aliquid posset. Inter Romanos non inuenies multos Lucullo meliores imperatores, dum is rebus gerendis curam impendit. vbi verò sese in vitam ociosam domi delitescens & curis vacuus demisit, spongiæ instar trãquillitate enecatus & contabescens, ac Callistheni libertorum vni se alendum, suámque senectutem cicurandam tradens, creditus fuit ab eo veneficiis & amatoriis poculis corruptus: donec Marcus frater hoc remoto, ipse reliquam fratris vitam (non multam illam) pœdagogi in morem curauit. At verò Darius Xerxis pater dicebat, se sibi ipsi in rebus arduis prudentia præstare. Et Ateas Scytha, se nihilo equisonibus meliorem si ociaretur. Dionysius maior interroganti an esset ociosus, respondit: Absit vt hoc mihi vnquam contingat. Nimirum arcus, vt fertur, nimium si intendatur, rumpitur: anima laxando perit. Etenim musici si concentus audiendi, Geometræ demonstrationes resoluendi, arithmetici ratiocinandi adsiduitatem si omittant, vnà cum exercitatione etiam ipsos habitus progressu ætatis deminuunt, quanquam non in agendo, sed in considerando positos. At ciuilium habitus virorum, consilij facultas, prudentia, & iusticia, tum peritia coniecturam faciendi, & ad persuadendum aptè dicendi, semper aliquid loquendo, agendo, ratiocinando, ac iudicando continetur: vt indignum sit facinus, eum hæc subterfugiendo committere, vt tot tantæque virtutes ex animo effluant, simul etiam humanitatis, societatis, & beneficentiæ studio elanguescentibus, quarum nullus finis, nullus terminus debuit esse. Quòd si pater tibi esset Tithonus, immortalis quidem, sed qui tamen senectutis causa multa identidem indigeret curatione: non puto te detrectaturum aut grauatè subiturum esse laborem eius curandi, compellandi, & adiuuandi, qui tam longo tibi inseruiuisset tempore. At enim patria & (Cretensium more vt loquar) matria plus in te quàm parentes tui ius habet, diuturna quidem, non tamen à senectute immunis aut sibi ipsa sufficiens. itaque semper procurationis & opitulationis indiga ad se trahit & reuocat ciuilem virum,

Iliad. π, 9. *Iniectáque manu vesti tenet, ire volentem.*

Equi-

Equidem nouisti me Apollini Pythio multis iam Pythicis solennitatibus operam nauasse. neq; tamen hoc mihi diceres, satis abs te, ô Plutarche, sacrificatum est, & pompę choreæq; ductæ: iam tempus est vt provectæ ætatis rationem habẽs coronã deponas, atq; oraculum relinquas. Proinde tu quoq; existimare noli tibi sacrorũ ciuilium principi atq; interpreti deserendos esse Forensis atq; Vrbium protectoris Iouis honores, quibus curandis iampridẽ es consecratus. Sed, si ita videtur, repudiata ea disputatione, quæ à publicis munerum functionibus senem abstrahit, id nunc deliberemus, quo modo nullũ indecorum aut graue senectuti iniungamus certamen: cùm quidem respublica multas habeat partes senibus convenientes. Nam quemadmodũ si decuisset nos ad extremũ vsq; vitæ diem canere, cùm multæ sint vocis contentiones, modi multi in promtu, quas musici vocant harmonias, oportebat iã ætate ingrauescẽte non acutũ nos & arduum consectari tonum, sed eum qui decorã haberet facilitatẽ. ita cùm hominis naturæ magis consentaneum sit vt ad mortem vsq; agat & dicat, quàm oloris vt canat: non actiones lyræ in morem contentæ semper debent tractari, sed remittendæ sunt, & ad faciliora, moderata, senibúsq; congruentia reipub. argumẽta accommodandæ. Neq; enim patimur corpora omni prorsus motu atq; exercitatione vacare, propterea q; non possumus ligonibus aut ponderum librationibus vti, vel discũ iácere, & in armis depugnare, vt quondã: sed gestationibus & ambulationibus, nõnulli pilæ lusu aut disserẽdo spiritũ mouemus, calorémq; refocillamus. Itaq; neq; refrigerari omnino nos atq; congelare sinamus: neq; omni magistratu, omni publico negocio capessendo, cogamus senium imbecillitatis convictum in huiusmodi delabi voces:

O dextra quàm gestis tenere hastam manus:
Sed imbecillitas desiderium opprimit.

quando ne vigens quidem ætate & viribus probatur vir, qui omnia in vniuersum publica in se recipit munia, & nihil aliis volens relinquere, omnibus se rebus (q̃d Iouem facere Stoici autumant) ingerẽs, siue inexsaturabili gloriæ cupiditate actus, siue invidia adversum eos, qui vtcunq; in ciuitate in partẽ gloriæ aut potentiæ venerunt. Atqui seni, vt absit infamia rei, vsquequaque laboriosa & misera est ad quævis comitia prænsatio ob principatus appetentiã & omnibus insidians tribunalis occasionibus ambitio, curiosa in omne consiliũ insinuatio, omnẽ legationem, omne patrociniũ ad se rapiens arrogantia. Hæc enim agere fauentibus aliis aliena iam ætate, difficile est. quin contrà in iuuenũ odia incurrunt, vtpote quibus nullas relinquant rẽ gerendi occasiones, neq; eos in mediũ progredi sinãt. & apud alios nõ minùs malè audit eorum primi loci ac principatus, quàm aliorũ senum diuitiarũ & voluptatũ appetitio. Ergo sicvt Alexander bucephalũ iam annis grauiorẽ nolẽs premere, ante pugnã aliis vehebat̃ equis, obiens exercitũ & ordines instruens: deinde illũ data tessera cõscendebat, in hostes ducebat, ac decertabat. ita vir ciuilis, siquidem sapit, senectutẽ assecutus moderabit̃ sibi ipsi, ac nõ necessariis negociis abstinebit, iunioribúsq; vti ciuitatem in rebus minoribus sinens, ipse in grauioribus alacriter elaborabit. Athletę quidem corpora sua à laboribus necessariis immunia atq; integra seruant, vt invtiles sustineant. nos cõtrà exiguis & leuibus negociis omissis, feriis nosmet seruemus. Fortasse enim iuuenem, vt est apud Homerũ, decent omnia: ciuésq; eum probant vbiq; & amplectuntur, ob exiguas & crebras actiones popularẽ ac ad labores impigrũ, ob splendidas & magnificas generosum & alto animo prędirũ appellantes. interdũ etiam contentio & temeritas eorũ tempestiua & grata videt̃. Senex aũt in rep. ministri officia sustinens, vt vectigaliũ locationes, portuũ procurationes, ac fori, itẽ legationes & profectiones ad principes & regulos obiens, in quibus necessariũ aut splendidũ inest nihil, tantùm ministeriũ & captatio gratiæ: mihi quidẽ, mi Euphanes, miser & æmulatione indignus, aliis fortassis etiã insolens importunúsq; videt̃. Senem enim ne cũ magistratu quidem esse tempestiuũ est, nisi qui amplitudine & dignitate præstet. qualis est quã tu nunc geris Areopagitici cõsilij præfecturã, & me hercle Amphictyonici muneris excellẽtia, quod tibi patria per totã vitam administrandũ tribuit, cum grato & felici labore coniunctũ. Sed & hos honores non affectare debet senex, verùm recusans suscipere, non petens, neq; eos tam sumere sibi, q̃ seipsum isti officio largiri. Non rectè Ti. Cæsar dixit turpe esse ei qui sexagesimũ ætatis annũ excesserit, manũ medico porrigere. immò hoc eum magis dedecet, manum ad populum intẽdere in comitiis suffragium petentem. Est enim hoc animi degeneris & abiecti: sicvt contrà decus maiestatémque

Senum officia in republica.

aliquam conciliat, patria deligente, vocante, & exspectante descendere cum honore & gratia, grauémq; ætatem re vera grauem & suspiciendam salutandam amplectendámq; præbere. Hoc modo etiã in concione senex oratione vtetur, non identidem ad suggestum prosiliens, neq; galli in morem loquentibus reclamans, neq; colluctando & irritando verecundiam ipsi à iunioribus debitam effrænans, neq; iis studium ingenerans & consuetudinem refragandi: sed nonnunquam iis suam sententiam impugnandi facultatem concedens, absens ipse & nihil curiosè inquirẽs, vbi id de quo disputatur non habet magnum momentum ad communẽ salutem vel honestatem & decorum. Sin verò, iam etiam nemine vocante præter vires cursu in publicum se proripere, aut manu se eò ducendum vel humeris gestãdum præbere debet. quale est quod de Appio narratur Claudio. Is cùm audiuisset senatum, quòd Romani à Pyrrho magna erant pugna victi, de conditionibus pacis ineundæ consultare, impatientia compulsus, quãquam vtrunq; amiserat oculũ, per forum in curiã delatus venit. ingressúsq;, & in medio adsistens, Antè se ægrè tulisse dixit, ꝙ captus esset luminibus: nũc optare, vt audire etiam nequiret senatum tam turpia & indigna consultare & agere. porrò autem quâ reprȩhendendis patribus, quâ docendis & excitandis, persuasit vt rectà arma caperent, & de Italia cum Pyrrho decertarent. Et Solon, vbi depræhensum fuit Pisistratum gratiam popularem captando tyrannidem moliri, nemine resistere, nemine libertatem defendere audente, ipse sua arma extulit, & ante domum proposuit, auxiliúmq; ciues poposcit. cúmq; ad eum mitteret Pisistratus qui interrogarent, Cuiúsnam fiducia rei ista faceret, respondit Senectute se esse fretum. Verùm tantæ necessitates etiam confectos planè senio viros, modò spiritus supersit, accendunt & erigũt. Aliis autem in rebus, interdum (vt dixi) eam adhibebit accurationem, vt recuset vilia & seruilia munera, quæ obeunti plus molestiarum, quàm iis quorum gratia fiunt vtilitatis atque commodi afferunt. aliquando exspectando dum desideratus ad ea vocetur, è domo deinde ad ciues descendet rogatus, eóque fidem sibi augebit. Sed pleraque etiam præsens iunioribus dicenda relinquet, tanquam arbiter ciuilis de honore certaminis. & vbi aliquid vltra modum fuerit actum, benignè repræhendet, ac comiter contentiones, maledicta, & iras auferet: si quid in sententia erratum fuerit, corriget absque vituperatione, & docebit: bene autem dicentem laudabit liberè: quin & victoriam interdum vltrò concedet, ac se in diuersam perduci sententiam sinet, vt animos iuuenibus addat. quibusdam etiam cum collaudatione implebit id, in quo defecerãt. vt Nestor Diomedi.

Oratio senum in rep.

Iliad. ι, 55.

Sanè hunc sermonem nemo culpabit Achiuũm,
Nec dicet contrà: sed non oratio fine
Est abs te conclusa suo, non omnia dixti.
Es iuuenis tamen, & posses mihi filius esse.

Illud verò adhuc ciuilius est, non modò apertè & publicè repræhendere absq; morsu qui animos nimium reprimat atq; deiiciat: sed multo magis priuatim iis qui ad remp. gerendam apto sunt ingenio subiicere comiter bona præcepta & consilia: & excitare ad res pulcras, animísq; eorum alacritatem addere, ac (quod solent facere qui docent equitare) populum illis ita parare, vt ad primum accessum eorum mansuetum is se facilémq; præbeat. tum si quis iuuenum initiò impegerit, non pati vt animo is concidat, sed consolari & erigere. Sic Aristides Cimonem, & Mnesiphilus Themistoclem initiò à ciuibus malè exceptos, & proteruitatis atque intemperantiȩ nomine eorum sermonibus vapulantes, confirmauerunt. Demosthenem quoq;, cùm exactus à populo in graui esset mœrore, accessisse dicitur quidam senex, qui Periclem olim audiuerat, & monuisse, Iniustè ipsum agere, qui indole Pericli similis, ita de seipso desperaret. Sic etiam Timotheum exsibilatum ob nouitatem artificij, & peccasse in leges musicæ creditum, bono esse animo iussit, vt qui paulo pòst sub se habiturus esset theatra. Denique, sicvt Romȩ Vestalibus tempus distinctum fuit, ita vt prima eius parte sacra discerent, secunda facerent, tertia alias docerent: vtq; sacerdotes Dianæ apud Ephesum primùm Mellieren, id est futuram sacerdotem, deinde Hieren, vt iam sacerdotem, postremò parieren vocant, quasi defunctam sacerdotio. sic vir perfectè ciuilis primùm initiabitur reipub., eámque gerere discet: deinde geret: vltimo loco alios initiabit atque docebit. Equidem qui præest aliis certantibus, is ipse interim certare non potest. Qui verò iuuenem in negociis communibus & certaminibus publicis

instituit,

instituit, patriæq; eum ita format, vt possit

Ore loqui docto, & rebus clarere gerendis: Iliad. 1, 443.

is ad non exiguam aut vilē reip. partem conducit: sed ad eam, ad quā potissimum Lycurgus contendens, adsuefecit adolescentes, vt cuivis seni tanquam legislatori constanter obtemperarent. Nam quô putas Lysandrum respexisse, cùm diceret homines Spartæ pulcerrimè senescere? an quia senibus ibi maximè licet agros colere, fenerari, talis ludere, potare vna? non profectò. sed quia quivis senex quodammodo vices magistratus alicuius, aut tutoris, aut pædagogi gerens, non remp. modò inspectant, sed singula etiam singulorum adolescētum facta, exercitationes, ludos, victum. idq; non obiter, sed ita vt & peccantibus sint terrori, & probi eos revereantur ac desiderent: colunt enim eos & sectantur adolescentes, quorum elegantia & generosa indoles ab iis provehitur & alacritate imbuitur absq; vlla invidia. Hoc enim vitium quāquam nulli ætati convenit, tamen apud adolescentes speciosis nominibus certaminis, æmulationis, & honorum studij velatur. sed in sene omnino est intempestiuum, ferum, & indecorum. Oportet itaq; ciuilem senem quàm longissimè ab invidentia abesse. neq; instar veterum truncorum fascino quodam iuxtà virētia & succrescentia succo priuare, eorúmq; impedire incrementa: sed benignè recipere ad se eos qui se adiungunt atque sectantur, eósq; dirigere, manu ducere, & educare. non præceptis modò & cōsiliis bonis: sed & concedenda iis facultate res ad publicum pertinentes gerendi, vnde honor aliquis & gloria ad eos possit redire: aut ministeriorum obeundorum, quæ nullo cum reip. damno, gratę multitudini sint futuræ, ipsísq; gratiam conciliaturæ. Quæ verò adversarios habent causæ, & sunt arduæ, ac medicamentorum instar morsum principiò molestiámq; inferunt, bonum & vtilitatem postmodò suo tempore allaturæ: ad has iuuenem tractandas nequaquam producet, neq; eum rerum imperitum in turbas hominum coniiciet malè sentientium, vt ex eventu in ipsum odia redvndent. Hoc pacto iuuenum erga se benevolētiam augebit, eósq; ad alia ministeria reddet alacriores. Præter hæc, quæ diximus, omnia, illud memoria tenēdum est, reip. administrationem non in hoc solo consistere vt imperes, legationes obeas, in concione vehementer vocifereris, & ad suggestū baccheris, dicendóq; & scribēdo grasseris. quibus rebus nonnulli reip. administrationem definiunt: sicvt & philosophari hos duntaxat putant, qui in exhedra disserunt, aut libris conscriptis scholas suas complectunt. Interim eos non fallit, quæ quotidie in factis actionibúsq; continuatur atq; conspicua est philosophia, atq; ciuilis ratio. nam, sicvt Dicæarchus refert, eos aiebant ambulare, qui in porticibus spacia sursum deorsúmq; conficerent, non qui in agrum aut ad amicos irent. At enim eadem est philosophandi ratio, quæ remp. tractandi. Nam Socrates, cùm neq; posuisset subsellia, neq; cathedrā conscendisset, neq; discipulis scholæ aut deambulationis vllam certā constituisset horā: cum aliis ludens, cum aliis (vt res dabat) bibens, militans, in foro versans, ad extremū etiā vnà in carcere vinctus, & venenū bibēs, philosophabatur. primúsq; ostendit vitę omne tempus, partem, casum, negocium omnino aptum esse studio sapientiæ. Quod cogitandū mehercle est etiam de gubernatione ciuitatis. Scilicet stolidos, siue ij prætores sint, siue scribæ, siue oratores, nunquā gerere rempublicam: sed vel popularē captare laudem, vel sese conventui ostentare, vel moliri dissidia, vel necessitati in obeūdo aliquo ministerio inseruire. Eum verò, qui ciuilis societatis, humanitatis, reipublicęq; seriò sit studiosus ac verè horū curam gerat, etiāsi nunquā chlamydē induat, semper tamen remp. gerere, dū eos excitat qui duces autorésq; iis esse possunt, quib. opus est: dū consultantib. adest, pudorē incutit maleagentibus, confirmat eos qui rectè sentiunt. vt constet eum non obiter animum reip. advertere, aut tum demū, cùm hoc agitur vel requiritur, vt principe loco in theatrum curiámve ambulet, alioquin animi gratia tanquam ad spectaculum aut auditionem solitus vbi ita libuerit in senatum venire. sed absentem etiam corpore, sua coràm esse sentētia: inaudiendóq; alia eorum quæ aguntur probare, alia improbare. Profectò enim neq; apud Athenienses Aristides, neq; apud Romanos Cato sæpe magistratum summum gessit. sed tota tamen eorū vita semper patriæ efficacitatē industriámq; suā nauauit. Et Epaminondæ vbi exercitum duxit, multę ac magnæ memorantur res præclarè gestæ. id tñ eius facinus, q̄d absq; omni prorsus cùm esset magistratu, fecit, cuivis earum potest æquari. Apud Thessaliam, cum duces exercitum in loca iniqua ac difficilia coniecissent & tumultuarentur, vrgentibus, ac telis impetentibus hostibus: ipse de grauis armaturæ militib. evocatus, primùm verbis animos suorum confirmando pertur-

Invidia.

bationem & metum depulit: deinde phalangem conturbatam in ordinem componens, non magno negocio è difficultate locorum eduxit, hostibúsq; adversam constituit: ita quidem vt ij mutata sententia retrò cederent. Cùm Agis Spartanorum rex in Arcadia instructum iam ad pugnã exercitum in hostes duceret, quidã de senioribus Spartanis inclamauit, velle eum malo aliud malũ remedij loco adhibere: quasi diceret, Agidẽ temerariæ ex Argis discessioni, in præsentia alacritate ad pugnandũ intempestiua mederi velle: vt ait Thucydides. (Lib. V.) Agis hoc audito, obtẽperauit, & receptui cecinit. Vicit tamen, & quotidie ei sella ante archiui fores posita est. ac sæpenumerò de concilio surgentes Ephori ad ipsum exiuerunt, de maximis rebus consiliũ eius sciscitantes. vir enim fuisse cordatus & prudens perhibetur. Itaq; ille ipse Agis iam planè exhaustis corporis viribus, cùm plerũq; in lecto decũberet, in forum ab Ephoris evocatus, conatus est lecto relicto ire. cúmq; ægrè incederet, inque pueros in via incideret, quæsiuit ex iis, scirèntne aliquid magis necessariũ, quàm obedientiã domino prę standam. qui vbi responderunt ab imbecillitate maiorẽ imponi necessitatẽ: hunc ratus sui ministerij finẽ esse, domũ rediit. Voluntatẽ scilicet nõ oportet deponere viribus suppetentibus: viribus deficientibus vis non est inferenda corpori. Sanè Scipio etiam in bello ac pace gerẽdis rebus consiliariũ adhibuit C. Lælium. ita quidẽ, vt nõ defuerint, qui poetã actionum eius Læliũ, Scipionem actorẽ dicerent. Cicero aũt ipse confessus est se in pulcerrimis ac maximis suis consiliis, quibus suo consulatu præclarè fungens patriã seruauit, opera auxilióq; P. Nigidij philosophi vsum concipiendis. (4. Famil. vlt.) Vsq; adeò multis modis expeditũ est senibus remp. adiuuare, optima vtentib. re: ratione, inquã, sententia, libertate dicendi, & prudentia. Non enim manus nostræ aut pedes aut robur corporis tantummodò à ciuitate possidentur: sed ipse in primis animus, eiúsq; ornamenta, iusticia videlicet, temperantia, prudentia. quæ cum tardè seróq; ita comparentur, vt suo respondeant nomini: absurdum est domo & agro reliquísq; opibus & pecunia nos frui per ætatem: per eandem verò publicè, patriæ, ciuibúsq; nihil nos prodesse. cùm quidem de facultate obeundorum ministrorum non tantum nobis detraxerit senectus, quantũ ciuili & gubernatrici peritiæ adiecit. Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus, rigente fascino fingunt. hoc ænigmate indicantes, minimè hoc à senibus requiri, vt corpore seruicia obeant: modò iis ratio (vt convenit) efficax sit & fecunda.

PLVTARCHI

Præcepta gerendæ reipublicæ.



VOD apud Homerum ille dicit, (Iliad. ι, 55.)

Sanè hunc sermonem nemo culpabit Achiuum,
Nec dicet contrà: sed non oratio fine
Est abs te conclusa suo, non omnia dixti.

id sicubi aliâs rectè vsurpari, equidẽ cõmodè in eos philosophos verti potest, qui adhortantur quidem, nihil tamen docẽt, neq; prę ceptis instruũt. Similes videlicet eorum, qui lucernas cũm emungant, oleum non affundunt. Itaq; te, mi Menemache, cernens doctrina ad capessendam rempublicam concitatum, cupere nobilitati tuæ convenienter in patria

(Iliad. ι, 443.) *Ore loqui docto, & virtutem ostendere factis:*

quando tibi nõ vacat philosophi viri vitam sub dio versantis ex actionibus ciuilibus, publicísq; certaminibus perspicere, contemplaríq; exempla factis non verbis repræsentata: petis autẽ præcepta tibi tradi ciuilia. detrectationẽ quidẽ planè me indignam iudico: quod aũt sum aggressus, id vt & studio tuo & meæ animi promtitudini satisfaciat opto. Vsus sum autem, quod postulaueras, exemplorum varietate aliquantò maiore. (Voluntas reip. gerendæ.) Iam primùm administrationi reipublicæ soli instar firmi ac validi substratum sit institutum animi, à iudicio & ratione profectum, non à leui quodam animi impulsu, vanæ gloriæ aut contendendi studio, vel aliarum actionũ penuria excitati. Quemadmodũ enim quibus domi nihil est boni, ij in foro maximã tẽporis partẽ nulla etiam de causa exigunt: ita nonnulli quia nihil habẽt quod agere sit operæpreciũ, in publica

ca sese ingerunt negocia, ac reip. tractatione animi ludicq; gratia vsurpant. Multi cum forte fortuna rempub. attigissent: saturi earum rerum, discedere inde nõ facilè possunt. quibus idem vsu venit quod iis qui vectationis causa nauigium ingressi, deinde à terra avulsi in altum abripiuntur, ac foras prospiciunt nauseantes atque conturbati, interim necesse habentes manere ac præsentem ferre fortunam. Hi maximè reipub. administrationem in odium adducunt sua pœnitentia, atque indignatione animi: cum vel gloriæ spe inducti in ignominiam inciderunt, aut ob potentiam se aliis terrori futuros rati, in res periculis ac turbis obnoxias devenerunt. Qui verò, vt maximè se dignum est, rempublicam gerere (quod est præstantissimum facinus) ratione consilióq; ductus aggreditur, eum nihil istorum percellit aut de sententia deturbat. Nam neque capturæ quæstúsve gratia accedendum est ad rempublicam: quomodo Stratocles & Dromoclidas ad auream messem (sic enim tribunal per iocum nominabant) se invicem sunt cohortati, neque subito quodam animi motu perculsi ac quasi furore correpti conferre nos eò debemus. quod C. Graccho contigit, qui cùm recente adhuc fratris exitio longissimè à reipub. cura vitæ suæ institutum abduxisset, deinde iniuria ac contumeliis quorundam iritatus, cõiecit sese in reip. administrationem: móxq; rerum gestarum & gloriæ satur, desistere cupiens, mutationémq; & ocium quærens, potentiam suam præ magnitudine quomodo deponeret non reperit, sed suo eam interitu deleuit. Iam qui contentione vel ambitione ducti se velvti histriones ad theatrum fingunt, eos necesse est consilij pœnitere sui, cum vel seruiunt his quibus volebant imperare, vel offendunt eos, quibus placere studebant. Enimverò sic statuo, sicvt qui in puteum, ita etiam qui in rempublicam fortuito & de improviso incidunt, eos perturbari ac pœnitudine capi: qui verò eò sensim descendunt præmeditati ac præparati, eos & mediocriter ferre quæ eveniunt, & nulla re grauiter affici. quippe quibus actionum finis præter ipsam honestatem nullus sit propositus. Hoc pacto animi institutum vbi firmatum fuerit, penitúsque fixum ac immobile redditum, conferendus est ad contemplandum ciuium ingenium, quale ex tota multitudine maximè contemperatum apparet atque præcellit. Qui enim ipsi statim conantur fingere mores populi, eiúsq; indolem mutare, rem ij tentant neq; facilem neq; tutam, ad quam præterea & temporis multum, & magna requiratur potentia. Sed quemadmodum vinum initiò bibentis ingenio obsequitur, dum sensim calorem diffundens ac corporis temperiem occupans bibentem iam mutet, morésq; eius fingat: ita qui ad rempublicam se contulit, is donec gloria sua fidéque vim sibi ad ducendos populi animos sufficientem conciliet, interim se eorum quos subiectos habet moribus accommodare, eósque sibi ad sequendum propositos habere debet, gnarus eorum quibus ij gaudent, quibúsq; duci adsolent. Verbi gratia: Athenienses ad iram facilè provocãtur, & ad misericordiam non magno negocio traducuntur, malúntq; celeriter suspicari quippiam, quàm per ocium de re doceri: vtq; promtiùs obscuris & humilibus viris subveniunt, ita sermonis iocosum & facetum genus maximè amplectuntur: laudari se apprimè gaudent, æquissimo animo salsè in ipsos dicta ferunt: metuendi ipsis etiam magistratibus, ne hostes quidem sua humanitate dedignantur. Diuersum Carthaginiensis populi ingenium, morosum, tetricum, magistratibus obsequens, subditis graue, abiectissimum dum metuit, sæuissimum vbi irascitur, perstans in decretis, durum adversus iocos & blandicias. non illi Cleone concionem differri petente quòd sacrificasset ipse & excepturus conviuio esset hospites, risu sublato datóque plausu concionem soluissent. neque coturnicem, quæ Alcibiade concionante è veste eius avolârat, certatim venati reddidissent. quin immò eos interfecissent vt lasciuientes ac insultantes. quãdo Annoni exsulium ij indixerunt, affectari ab eo tyrannidem causati, quòd militiæ impedimentorum baiulo vteretur leone. Neque verò (nisi fallor) Thebani ab hostilium litterarum, si quæ in eorũ pervenissent manus, lectione abstinuissent: cum Athenienses captis Philippi tabellariis epistolam Olympiadi inscriptam ferentibus, non soluerint eam, neq; patefecerint mariti peregrè absentis vxori missam salutationem. Neque vicissim Athenienses fastum Epaminondæ æquo animo tolerassent, cùm is crimine oblato causam dicere nolens è theatro discessit, ac per mediam concionem in gymnasium abiit. Nullo verò pacto arbitror Spartanos toleraturos fuisse Stratoclis scurrilem insultationem. qui suis vt ob lætum partæ victoriæ nuncium acceptũ sacrificarent persuasit, cúmq; ij de accepta clade vero allato nũcio succenserent, populũ interrogauit, ecquid

Populi ingenium.

iniuriæ passi essent, qui ipsius opera triduum suauiùs vixissent. Enimverò adulatores aulici aucupum more vocem suam ad imitationem regum componunt, itáq; eos subeunt & decipiunt. Rempub. autem gerenti non convenit mores populi imitari: nosse eos, eáque se iis ratione accommodare, qua capi singulos posse cernit, operæ est. Morum enim ignoratio non minus impedit iritáque facit consilia in ciuilibus negociis quàm in amiciciis regum. Ergo ciuium mores potentia iam ac fide instructus formare conaberis, sensim eos ad meliora subducens, ac placidè tractans. operosa enim est multitudinis mutatio. Ipse autem ita vt deinceps in aperto victurus theatro, mores tuos compone atque orna. quod si non facile sit omnia arcere animo vitia, ea tamen amolire aut deminue, quæ maximè in promtu ac conspectu sunt. Audis enim Themistoclem, cum animum ad gerendam rempublicam appulisset, à potationibus se & comesationibus abstraxisse, vigilantémque iam & sobrium ac seriis deditum curis dixisse ad amicos, trophæum Miltiadis sibi somnũ adimere, & Periclem corporis quoq; gestum, ac vitæ rationem mutasse, vt & incederet tardiùs, & placidè colloqueret, vultúmque semper constantem gereret, & manum intra amiculum contineret, vnámque eam viam, qua ad tribunal & curiam itur, tereret. Non enim ita tractabilis est multitudo, vt cuiusvis sit salutare ei frænum iniicere: inq; aliqua felicitatis parte ponendum, si vt est bellua suspectiosa & inconstans, nullo visu auditúve cõsternata rectorem admittat. Itaque ne hæc quidem negligenter obseruanda sunt, etsi minus fortè de vita & moribus curæ videbitur gerendum, vt tamen ista omnis sint repræhensionis & criminis expertia. Non enim qui rempub. gerunt, iis tantùm de publicè dictis factisq; ratio est reddenda. sed & in cœnam eorum inquiritur, & cubile, & matrimonium, & quidquid serij iocive agunt. Quid enim attinet Alcibiadem dicere? qui cum in republica gerenda esset summa præditus efficacitate, & imperator invictus, vitæ ratione effræni atque ferocia sua periit, & vt nihil ex reliquis quæ in eo erant bonis vtilitatis percipere posset ciuitas, luxuria eius atque prodigalitas fecerunt: cum & vinum Cimonis Athenienses, & somnum, quia aliud nihil inveniebant, Scipionis Romani culpauerint: & Pompeio Magno inimici vitio verterint, quòd caput vno digito scaberet. Sicvt enim in facie lens & verruca molestiores sunt, quàm reliquæ corporis maculæ, mutilationes, & cicatrices: sic exigua peccata vbi in principis cernuntur vita, pro magnis habentur, propter opinionem eam, quam vulgo de principatu & repub. gerunt, rem eam esse magnam, & quæ vacare debeat omni errore atque vitio. Iccirco non iniuria celebri est laude Liuius Drusus tribunus plebis, qui cùm domus ipsius multæ partes vicinis essent perspicuæ, ac faber quidam polliceretur se eas impendio quinque modò talentorum aversurum & mutaturum: immò, ait, decem abs me aufer talenta lege hac, vt totam domum meam reddas omnium inspectui patentem, quò vniuersi ciues cernere possint qua vtar vitæ degendæ ratione. Erat enim vir temperans & modestus. Ac nihil quidem fortassis opus ei erat hac perspicuitate. Plerique enim mores ac consilia, actionésque & vitæ rationem rempublicam gerentium quæ vel maximè abdita putantur perspiciunt: neque minus ob priuata quàm ob publica studia alios amant ac admirantur, alios oderunt atque despiciunt. Quid ergo, inquies, non etiam iis, quorum impudica est & mollis vita, ciuitates vtuntur? Sanè. quo modo grauidæ cum pica vexantur lapides, & qui nauseant salsuginem aliósque id genus cibos appetunt sæpenumerò, paulo pòst exsputuri & aversaturi. Sic enim & populi ob luxuriam aut petulantiam, vel inopia meliorum ductorum, quibuscunque oblatis vtuntur, abominantes eos & contemnentes. deinde gratum ipsis est, cum in istos talia dicuntur, qualia Plato comicus ipsum populum dicere fingit:

Manu præhende me, præhende celeriter,
Qui principem iam designabo Agyrrium.

rursúmq; peluim poscentem & pennam vt vomat, ac dicentem,

Hîc ad tribunal mantile adsistit mihi.

&:

Alit caput fœtens, luem turpissimam.

Et populus Romanus Carbone aliquid promittente, ac deierante dirásq; devotiones addente, cõtrà vno ore iurauit se non crediturum. Spartæ cum Demosthenes quidam homo

homo intemperans sententiam commodam dixisset, eam populus reiecit: ephori autem sorte lecto cuidam senum eam dicendam dederunt, tanquam ex sordido vase in sincerum eam diffundentes, vt grata fieret multitudini. Tantum in vtranque partem in repub. momenti habet persuasio de ingenio hominis cōcepta. Neque tamen propterea ita negligenda est orationis elegantia ac facultas, vt omnia virtuti adscribantur. sed vt non opificem persuasionis censeamus esse rhetoricam; adiutricem tamen sentiamus, corrigamúsque illud Menandri, *Ars dicendi.*

Mores mouent dicentis, haud oratio.

Etenim & mores persuadent, & oratio. nisi quis ita intelligat, sicvt nauim agit non clauus sed gubernator, equésque equum versat, non frenum: ita à ciuili virtute vrbem duci non oratione sed moribus loco freni aut gubernaculi adhibitis, eámque velvti à prora dirigere vrbem, animal (vt Plato ait) maximè versatile. At verò magni illi reges & à Ioue, vt Homerus ait, prognati purpuris, sceptris, stipatoribus, deorúmque oraculis seipsos extollentes, vbi maiestate sua tanquam præstantioris ipsi naturæ vulgus sibi subiecerunt, voluerunt tamen oratores esse, neque dicendi elegantiam neglexerunt, sed curæ fuit eis

Concio, quâ decus eximium facundia gignit:

neque solum Iouem consiliarium, Martémve homicidam, & militarem Mineruam coluerunt, sed & Calliopen invocauerunt,

Quæ comes vsque solet venerandis regibus esse,

facundia sua demulcens & ad verecundiam redigens contumaciam violentiámque populi. Quod cùm ita sit, quónam pacto priuatus aliquis à toga & habitu plebeio ad regendam vrbem se conferens multitudinem in sua potestate habere queat, nisi oratione instructus in persuadendo & alliciendo administra. Qui naues gubernant, ij quidem munus remigum regendorum aliis mandant. at rempub. qui gerit, non gubernatrice modò mente præditus esse, sed in seipso habere debet facultatem orationis, qua imperia tradat, ne aliena opus habeat voce, néve id ei vsu veniat quod Iphicrati. qui cum Aristophon eum oratione premeret, adversarium histrionem meliorem, suā autem causam potiorem esse dixit. néve sæpius vti cogatur Euripideis istis:

Vtinam esset expers vocis humanum genus.

&:

Cur non, malum, data vox rebus mortalium est,
Nullo diserti vt essent in precio viri.

Hæc enim fortassis Alcameni, insulari, Ictino, aliísque illiberalibus & manu victū quærentibus, facundiámque eiurantibus concedantur effugia. cuius generis est quod Athenis aliquādo contigit, cùm duo architecti de cōducendo publico opere contenderēt, alter differendi copia & elegantia instructus cùm de apparatu operis oratione vsus meditata populum mouisset, alter arte præstantior, sed dicendi ignarus, in mediū progressus, Viri, inquit, Athenienses, quemadmodum iste dixit, ego efficiam. Nam Erganam, id est opificem, hi tantùm colunt Mineruam, vt ait Sophocles, qui ad incudem graui malleo & ictibus obedientem materiam inanimam fabricantur. At Mineruæ quæ quòd vrbibus præsit Polias dicitur, & consiliariæ Themidis (cui à iure nomen, & quæ

Conuentus hominum cogitque, eadémque resoluit)

interpres, vnico vtens orationis instrumento, atque alia fingens & concinnans, alia quæ operi impedimento sunt velvt nodos quosdā in ligno, aut abscessus in ferro molliens atque læuigans, vrbem exornat. Itaque administratio reipub. qua vsus fuit Pericles, verbo quidem (teste Thucydide) populi fuit, reipsa autem principis viri potestas. Nam & Cimon bonus erat, & Ephialtes, & Thucydides. verùm interrogatus hic ab Archidamo Spartæ rege, ipséne an Pericles meliùs luctaretur: incertum est, respondit. cum enim ego eum deiicio, negando se cecidisse vincit, idque spectatoribus persuadet. Atque ea quidem res non gloriam tantùm Pericli, sed & vrbi salutem attulit. dum enim ei paruit, felicitatem iam partam seruauit, abstinuitque ab exteris negociis. Sed Nicias cùm idem sequeretur propositum, neque tantum haberet ad persuadendum virium, atque oratione velvti fræno laxo vteretur in dehortando popu-

lum, non obtinuit neque pervicit: sed in Siciliam abiit vi actus, & obtorto quasi collo multitudinis impetu eò abreptus. Lupum quidem auribus teneri posse negant. Populum autem & ciuitatem vel maximè auribus ducere oportet. neq; sequi eos, qui exercitatione dicendi destituti, multitudinis ducendæ ansas quærunt elegantiæ artisque vacuas: & aut ventre trahunt epulis præbendis, vel marsupio largientes, aut saltationes aut gladiatorum spectacula crebra exhibentes populi fauorem captant, aut potiùs vim ei afferunt. Captant enim fauorem populi, eúmque ducunt, qui dicendo persuadent: at istiusmodi cicurationes, nihil à brutorum illectatione & captura habent diversi. Sit autem versantis in repub. viri oratio non iuuenilis aut ad theatrum conformata, velvti corollam ex delicatis ac floridis vocabulis vndequaque colligentis: neque rursum qualem Demosthenis dicebat Pytheas lucernam redolere & sophisticam diligentiæ abvndantiam, argumentis constantem acribus, & circuitionibus ad normam ac circinum accuratissimè exactis. Sed quemadmodum musici neruos pulsari volunt leniter, non impetu quodam concuti: ita oratio rempub. gerentis, consulentis, ac regentis præ se ferre non debet vim dicendi aut calliditatem, neque laudi sibi ducat si existimetur dixisse ex habitu, secundum artem, & scientiam diuidendi: sed plena esse debet ingenuitatis, & veræ animi magnitudinis, & paternæ libertatis, ac providentiæ & sapientiæ suorum curam gerentis, in bono proposito gratiosam adhibens & ad persuadendum aptam rationem, ex verborum maiestate, & sententiarum, proprietate ac probabilitate. Admittit autem ciuilis oratio faciliùs quàm iuridicialis sententias communes, historias, fabulas, & translationes, quibus maximè mouentur animi hominum, modicè & opportunè vsurpatis. quale fuit eius, qui dixit, Nolite Græciam altero oculo priuare. & Demadis, qui se naufragia rei publicę aiebat tractare. & Archilochi isthuc,

Né ve Tantali lapis
Huic immineat insulæ.

sic & Pericles lemam Peræei auferri iussit, & de Leosthenis victoria pronunciauit Phocio, Stadium decursum sibi probari, sed metuere quomodo eius belli dolichus absoluatur. In vniuersum autem maiestas quædam ciuili orationi magis congruit. exemplo sunt Philippicæ, & apud Thucydidem conciones Sthenelaidæ Ephori, Archidami regis ad Platæas & Periclis post pestem habita. Sed de Ephori, Theopompi, & Anaximenis oratiunculis ac comprætensionibus sententiarum, quibus vtuntur in armandis & in aciem educendis exercitibus, licet effari:

Quis inter arma locus sit his ineptiis?

Veruntamen & salsè dicta, & ridicula nonnunquã in partem orationis ciuilis admittuntur: cùm non petulanter aut scurriliter, sed ab eo qui vtiliter increpet aut subsannet proferuntur. Maximè autem probantur ista in responsionibus & obiectionibus. nam subsannare de industria, idque non provocatus qui volet, risum captare putabitur, neque sine suspicione malignitatis. quod vitium turpauit Ciceronis, Catonis maioris, Euxitheique sales, eius qui Aristotelis fuit familiaris. ij enim sępenumerò verbis mordebant, nulla lacessiti aliorum dicacitate. Qui se salibus defendit aut vlciscitur, ei opportunitas & veniam conciliat, & gratiam. quale est responsum Demosthenis, ei datum qui furti suspectus lucubrationes ipsius exagitabat: Noui me ægrè tibi facere, qui lucernam vram. & Demadi ab eodem, vociferanti, Corrigere me vult Demosthenes, sus Mineruam: illa quidem Minerua superiore anno est in adulterio deprætensa. Illud quoque Xenœneti venustum, qui ciuibus ei fugam tum factam ab ipso cum ductor esset exercitus exprobrantibus, Fugi, respondit, sed vobiscum, ô suauissimi homines. Verùm in ridiculis cauendũ est, ne quid vltra modũ sit. tum ne quid excidat, quod vel audientes offendat alieno tẽpore, vel dicti autorem ostẽdat esse ignobili aut abiecto animo. Exemplo sunt Democratis dicta. Nã is in cõcione dixit, Se itidẽ vt ipsam ciuitatem parũ posse, & magnos edere flatus. Et clade Chęronẽsi accepta ad populũ progressus: Nollem (inquit) hac fortuna vsam esse ciuitatẽ, vt ego quoq; cõsiliarius vobis essem audiendus. quorũ dictorũ hoc abiecti animi fuit, illud insani: ciuili homini neutrũ conveniens. Breuitas autẽ dictorũ Phocionis ipsa quoq; admirationi fuit. eã ob rẽ

Salse dicta.

Poly-

Polyeuctus pronunciauit maximum oratorem esse Demosthenem, Phocionem autem dicendi vi omnibus aliis antecellere, quòd huius oratio breuissimis verbis plurimum sententiæ complecteretur. Et Demosthenes reliquorum contemtor, dicere solebat Phocione vt diceret surgente, Meorum dictorum securis surgit. In primis autem danda est tibi opera, vt ad multitudinem oratione vtaris meditata cautè, non inani: cum scias etiam magnum illum Periclem antequam in publico verba faceret optare solitum ne vel vllum sibi verbum à re alienum incideret. Interim tamen oportet orationem ad ea quæ occurrunt versatilem exercitatámque habere. præcipites enim sunt occasiones, multáque feruntur in negociis publicis repentina. Itaque & Demosthenes multis fuit inferior vt aiunt, cùm vrgēte occasione tergiuersaretur: & Alcibiadem narrat Theophrastus cùm non tantùm quæ, sed & quo modo dicenda erant cuperet disserere, sæpe inter orandum verba conquirentem atque componentem hæsisse atque excidisse. Qui verò ab ipsis rebus & oblatis occasionibus excitatur ad dicendum, is maximè percellit multitudinem atque permouet. Sic Leo Byzantius, cum ad Athenienses seditione exagitatos verba facturus processisset, & ob staturæ breuitatem risu exciperetur: Quid, inquit, si meam videretis vxorem, quæ vix genu mihi attingit? maiore oborto risu, Atqui, inquit, nos ita paruos, vbi inuicem dissentimus, Byzantium non capit. Et Pytheas rhetor, cùm contra honores Alexandro decretos dissereret, dicente quodam, Túne, cùm adeò sis iuuenis, tantis de rebus audes dicere? & verò, respondit, Alexander, quem vos decreto vestro in deorum refertis numerum, me natu minor est. Oportet etiam bono vocis habitu ac robore spiritus exercitatam atque firmatam orationem adferre ad reipublicæ non vilia, sed acerrima certamina: ne aliquando defatigatum dicendo atque exstinctum superet aliquis

Rapax clamator, Cyclobori vocem gerens.

Cato, cum se gratia ac studiis præoccupato senatu populóve obtinere causam non posse videret, totam diem dicendo exegit, itáque occasionem aduersariis præripuit. Ac de orationis quidem apparatu vsque dicta hæc sufficiunt ei, qui porrò id, quod horum est consequens inueniendo addere potest. Cæterùm ad rempublicam duo sunt aditus & quasi viæ. altera breuis & ad gloriæ splendorem expedita, non tamen periculi expers: altera vt magis pedestris ac tardior, ita tutior. Sunt enim qui à splendido aliquo & magno facinore, quod non fiat sine audacia, velvti à promontorio quodam in altum procurrente soluentes, in remp. dant vela, existimātes rectè dictum à Pindaro: *Aditus ad rempublicam.*

Incipiente opere, primordium *Olymp. 6.*
In fronte ponendum est latè fulgens.

sic enim ordientem & plerique consuetorū satietate ac tædio promtiùs excipiūt, quemadmodum spectatores certatorem, inuidiámque absterret splendido ac celeri incremēto constans potentia. Nam, vt ait Aristo, neque fumum ignis gignit, neque inuidiam gloria, si subitò ac celeriter effulgeat. qui paulatim extolluntur & tardè, iis alij aliunde manus iniiciunt: vnde factum vt multi circa tribunal ante florem emarcuerint. Vbi autem (quemadmodum Ladam ferunt carcerum funiculo adhuc in auribus à laxatione sonante decurso stadio coronam reportasse) subitò aliquis legatione obita, triumpho ducto, aut summo potitus magistratu effloreścit: in eum neque inuidia, neque contemtus quicquam facilè possunt. Hac via Aratus ad gloriam contendit, initium gerendæ reipublicæ à Nicoclis tyranni excidio faciens. Sic Alcibiades, Mantinense contra Lacedæmonios bellum conflando. Pompeius etiam triumphum postulauit, nondum senator factus: & Sylla negante, Plures esse dixit qui orientem, quàm qui occidentem Solem adorent. quo audito concessit Sylla. Cornelium quoque Scipionem, cùm ædilitatem peteret, subitò consulem præter leges designauit populus Romanus, non sanè leuia secutus principia: sed quòd & victoriam eius quam adolescens etiamnum in Hispania singulari prœlio obtinuerat, & paulo pòst res ab eo tribuno militum ad Carthaginem gestas admirabatur. de quibus etiam Cato maior exclamauit:

Tanquam vmbræ volitant alij, solus sapit iste. *Odyss. x, 495.*

Nostra verò tempestate, cum ciuitates bellicis imperiis, tyrannorum excidiis, aut

confœderatis actionibus careant, quódnam principium illustris in repub. versationis possit sumi? Restant vtique iudicia publica, & ad Imperatorem legationes, quæ virum acrem, atque audacia simul & consilio instructum flagitant. Multa etiam in vrbibus præclara negliguntur, quibus restituendis multa cum dedecore damnóve vrbium ex praua consuetudine introducta sunt, quibus corrigendis animos multitudinis in te convertas. Quin & nonnullis magna in iudicio rectè disceptata controversia, aut fideli patrocinio impotentis contra adversarium potentem, & libera iusticiæ adversus principem iniustum defensio, primum in repub. locum cum splendore parauerunt. Alios inimiciciæ extulerunt, qui homines dominationem invisam atque formidolosam gerentes adorti sunt. statim enim potentia deiecti, cum meliore existimatione in eum qui deiecit, transit. Sanè ob invidiam se opponere viro bono & quem sua virtus ad summa evexit, (qualis fuit in Periclem Simmias, in Themistoclem Alcmæo, Clodius in Pompeium, Meneclides rhetor in Epaminondam) neque ad gloriam facit, neque omnino vtile est. cum enim populus aliquid in bonum virum commisit culpæ, vbi primùm (quod celeriter fit) iræ pœnituit, eam quæ iustissima est, expeditissimam sui excusandi delicti rationem arripit, vt autorem iniuriæ bono viro factæ ac suasorem pessundet. Qui verò contra improbum hominem, ac qui sua audacia & calliditate ciuitatem subegit (quales erant Athenis Cleo & Clitophon) insurgens, eum opprimit, is progressum tanquam in fabulis in scenam, in rempub. splendidum sibi conficit. Non sum nescius quosdam senatu molesto & paucis imperium vindicate deiecto potentiam & gloriam adeptos: vt Athenis Ephialten, apud Eleos Phormionem. verùm in hoc magnum est ei qui iam tum primùm se ad remp. confert, periculum. & meliore vsus est principio Solon, qui ciuitate in tres diuisa partes, Diacriorum, Pedieorum, Paralorum, nulli harũ se immiscens, sed communem omnibus præbens, omniáq; dicta ac facta sua ad concordiam dirigens, legumlator ad tollenda dissidia delectus rempub. constituit. Hæc tot ac talia sunt principia splendidioris ad capessendam rempublicam aditus. Tutum autem & tardum illum multi nobiles viri secuti sunt, Aristides, Phocio, Pammenes Thebanus, Lucullus, Cato, Agesilaus Spartanus. horum vnusquisque imitatus hederam quæ validam amplexa arborem simul attollitur, seni alicui iuuenis, & illustri obscurus se applicuit, eiúsque potentia paulatim sese subiiciens atque vnà augescens, radices in rempublicam egit. Nam Aristidem auxit Clisthenes, Phocionem Chabrias, Lucullum Sulla, Catonem Maximus, Epaminondam Pammenes, Lysander Agesilaum. Verùm hic intempestiuo contentionis studio & opinione æmulationis iritatus, contumeliosè suum agendi præceptorem abiecit. reliqui præclarè, & ciuiliter, ac ad finem vsque coluerunt suos & exornarunt, quemadmodum solent obiecta Soli corpora, ipsos vicissim augentes & illustrantes. Certè qui Scipioni invidebant, histrionem eum vocabant, actionum autorem esse Lælium ipsius socium. neque Lælium tamen quicquam istorum inflauit, sed perrexit suo studio virtutem & gloriam Scipionis amplificare. Afranius autem Pompeij amicus, quanquam planè humili loco ortus, tamen cum se consulem designatum iri certò crederet, vbi intellexit Pompeium aliis cupere, petitione destitit: quod diceret consulatum adepto sibi non tantum accessurum splendoris, quantum molestiæ ac difficultatis, si Pompeio neque volente neque adiuuante consul crearetur. itaque vno tantùm anno cum supersedisset, deinde neque repulsam est passus, & amiciciam conseruauit. Porrò qui hoc modo quasi manu ducuntur ab aliis ad gloriam, ij simul & vni & multitudini gratificantur, minúsque sunt in odio si quid incommodi accidit. Itaque & Philippus Alexandrum hortabatur, vt dum liceret alio regnante amicos sibi obsequiis ac officiis suis pararet. Deligendus autem est dux ad rempub. non simpliciter gloriosus & potens, sed & qui ob virtutem talis sit. Nam sicvt non quævis arbor patitur educitq; circumplicatã sibi vitem, sed quędã suffocant, & incrementis eius officiũt: ita in rebus publicis qui non sunt studiosi bonorũ, sed tãtùm honorũ & potentiæ cupidi, nullas concedunt iuuenibus actionũ occasiones, sed gloriam sibi eos quasi alimentum præripientes invidia premunt. sic Marius cùm in Africa, ac rursum in Galatia multa opera Syllę feliciter gessisset, progressus ad gloriã eius ęgrè ferens, vti ipso desiit, planéq; abiecit, sigilli vsus prescriptione. Etenim Sylla cũ esset Marij pretoris in Africa quæstor, missus ab eo ad Bocchũ, adduxit Iugurthã captiuũ. eúmq; successum vtpote ambitiosus iuuenis, & qui recens glorię gustũ percepisset, nõ tulit mediocriter: sed

Qualis ductor ad remp. deligendus.

sed imaginem rei in annulo insculpens Iugurtham sibi traditum, pro sigillo gestauit. idque ei vitio vertens Marius, hominem abiecit. at Sylla ad Catulum, Metellumq; viros bonos & Mario inimicos transiit, moxq; Marium exegit ac deiecit ciuili bello, cùm is pœnè Romã evertisset. Sanè Sylla Pompeiũ quoq; iam inde ab adolescentia extulit, assurgẽs accedẽti, capútq; detegẽs: reliquisq; iuuenib. actionũ principe dignarũ subministrans occasiones, quosdã etiã inuitos instigãs, gloriæ studio & æmulatione impleuit exercitus, omnésq; sub se habuit, vt qui non solus, sed primus & maximus esse inter multos & magnos cuperet. Tales ergo viri tenendi sunt, iisq; adhærendum. nec quomodo regulus Aesopi humeris aquilæ vectus subitò evolauit & anvertit, ita eorũ debemus suffurari gloriam: sed ab iis amicè & cum benevolẽtia accipere: quando qui non antè seruiuere, dominari rectè non possunt, vt ait Plato. Sequitur de amicis iudicium, quo neq; Themistoclis probamus, neq; Cleonis sententiam. Cleo enim ad rempub. se collaturus, conductis in vnũ amicis suis, amiciciæ eorum renunciauit, quòd ea in rep. persæpe à recta ac iusta voluntate animum averteret atq; emolliret. Rectiùs hic diuitiarum & contendendi cupiditatem animo eiecisset, eúmq; ab invidia & perversitate purgasset. non enim hominibus amicorum & sodalium exsortibus, sed bonis indiget resp. ac temperantibus. Nunc ille amicos quidẽ repudiauit, centum autem in orbem capita violentorum adulatorum lambebant, vt aiunt Comici. & qui asperum se præberet ac molestum bonis, rursum multitudini gratiæ captãdæ causa se submittebat, De amicitia.

Ductans senes, vtq;, pueros rursum educans,

plebísq; perditissimam ac vitiosissimam partem adversus optimates sibi adsciscens. Cõtrà Themistocles cuidam pronuncianti Optimè ipsum reip. præfuturũ, si se omnibus æqualem præberet, respondit: Absit vt ego tali insideam solio, vnde nõ plus à me ad amicos quàm ad alios perveniat. ne hic quidem rectè, qui ciuitatem amiciciæ addiceret, résque publicas priuato fauori ac studio submitteret. & quidem Simonidi abs se aliquid iniustum petenti idem respondit, Neq; poëtam probũ esse qui præter cantilenæ modũ cantet, neq; magistratũ probum, qui præter leges gratificetur. Indignum enim revera est ac miserandum, cùm nautas eligat gubernator, & gubernatorem nauis magister,

Qui rectè in puppi norit defigere clauum,
Et rectè antennas surgente intendere vento:

cúmq; architectus ministros & operarios conducat, non qui corrũpant opus, sed qui in eo quàm rectissimè absoluendo adiuuent: ciuilem virum, qui optimus sit, vt Pindarus loquitur, artis magister, opiféxq; iusticiæ & iuris, nõ statim ab initio deligere amicos eodem modo affectos, & ministros eodẽ ad honestatẽ animi instinctu excitatos: sed eos adhibere, qui ad alios subinde atque alios vsus eum iniustè ac violenter detorqucant. Nihil profectò is differet ab opifice, qui per imperitiam & inscitiam normis vtatur regulísq; & libellis iis, ob quas prauum fieri opus necesse sit. Etenim ciuiliũ virorum viua & intelligentia instrumenta sunt amici: neq; is peccantibus iis socium se lapsus præbere, immò operã dare debet, ne se inscio etiã ij delinquant. quæ res Soloni dedecus attulit, & calumniis ciuium fecit eum obnoxium. Cum enim in animũ induxisset æris alieni deminutionem, & sesachtææ (sic nouæ tabulæ mitiori voce ab oneribus excutiendis ducta appellabãtur) in rep. institutionem, rẽ cum amicis communicauit. ij autẽ indignissimũ fecerunt facinus. magnã enim præcepto tẽpore pecuniam sumserũt mutuã: ac paulo pòst prolata in lucẽ Solonis lege, apparuit eos mutuò sumta pecunia splẽdidas domos, multúmq; agri coëmisse: Solõ autẽ insimulatus fuit, tanquam iniustum id facinus, quo quidem facto ipsi fiebat iniuria, aliqua ex parte ipsi esset imputandum. Agesilaus autem nulla in re impotentior atq; animi demissioris fuit, quàm in studiis erga amicos: ac velvti Euripidis Pegasus,

Mage quàm volebat se submisit territus:

alacriúsque amicorum calamitatibus subveniens quàm officium ferebat, creditus est eorum flagitiis esse similis. nam & Phœbidam seruauit (in iudicio accusatum, quòd sine mãdato Cadmeam occupasset:) fatus id genus negocia iniussu esse conficienda. & Sphodriam iniusti atrocísq; facinoris reum, quòd in Atticam impressionem fecisset, sociis tum & confederatis Spartanorum Atheniensibus, damnationi subtraxit, amatoriis filij mollitus precibus. & fertur eius ad quendam potentem tale epistolium:

Niciam, si insons est, dimitte: sin verò, mei causa dimitte: omnino autem dimitte. At verò Phocion ne genero quidem suo Charillo, cum is de Harpalea pecunia reus esset factus, in iudicio adfuit: sed hoc fatus, se eum sibi generum ad omnia iusta allegisse, discessit. Et Timoleo Corinthius cum fratrem suum monendo & deprecando à tyrannide non deduceret, cædem eius consilio suo adiuuit. Oportet enim non modò vsque ad aram amicum esse, neque se periurij socium facere, vt aliquando Pericles dixit: sed & vsque ad omnem legem, ius, atque vtilitatem. quod neglectum, in magnum atque publicum exit damnum, quo & pertinuit Sphodriæ ac Phœbidæ impunitas, qui non minima causa fuerunt Spartanis, cur in Leuctricum coniicerentur bellum. Alioqui mediocribus amicorum delictis grauiter insultare ciuilis ratio non cogit: sed concedit maxima reipub. parte in tuto collocata, ex eo quod superest opitulari amicis, iisque adstare, & pro ipsis elaborare. Gratificari etiam licet amicis citra invidiam, eisque potissimùm ad magistratum consequendum adiumẽto esse, administrationem aliquam splendidam iis demãdando, aut plausibilem legationem, vt vbi legatus principis honore afficitur, aut cum aliqua repub. de pace & concordia agit. Cùm verò difficilis aliqua, sed eadem illustris ac magna impendet actio: eam ciuilis vir primùm ipse suscipiet, tum ad eius societatem amicum adsciscet. quemadmodum Diomedes:

Iliad. κ, 242.

Quod si me socium mihi vos adsciscere vultis:
Diuini quonam pacto obliuiscar Vlyßis?

Vicissimq; Vlisses ei convenienter laudem facinoris attribuit:

Ibidem 558.

Quæris equi, Nestor, modò quos adduximus, isti
Vnde adsint? Thraces bello adduxere feroces.
Rex quorum, & bis sex, fortißima corpora, iuxtà
Tydidæ manibus socij cecidere peremti.

Epist. ad Dionem.

Huius enim modi concessio qua amicis laudem deferimus, non minus laudantem exornat quàm laudatum. quando seipsum duntaxat probare, vitium est, vt ait Plato, solitudini habitandæ conveniens. Præterea verò honestorum humanitérque à nobis exhibitorum officiorum pars amicis est adscribenda, & quibus benefactum est, ij iubendi amicos nostros laudare atque diligere, vt qui causam ac consilium nostro officio in ipsos conferendo præbuerint. Quæ verò amicorum sunt ineptæ & absurdæ petitiones, eæ non acerbè, sed mãsuetè sunt reiiciendæ, dehortandiq; sunt & ostendẽdum istas virtute existimationéq; ipsorum non esse dignas. Optimè omniũ hominum Epaminondas, qui cùm cauponem è carcere ad deprecationem Pelopidæ dimittere abnuisset, paulo pòst eundem amasia precibus intercedente missum fecit: huiusmodi, inquiens, beneficia accipere meretriculas par est, non prætores. Morosè Cato & insolenter. qui cum Catulus censor summus eius amicus & familiaris deprecaretur pro quodam qui ab ipso tum quæsturam gerẽte iudicabatur: Turpe, ait, est te qui nobis adolescẽtes debes bene moratos reddere, à meis eiici famulis. licebat enim re ipsa officium hoc denegantem, asperã dicti acerbitatem prætermittere: vt videretur facti quoq; amico molesti causa nõ volũtas ipsius, sed legum & iusticiæ necessitas fuisse. Sũt & ad adiuuandos in parãda pecunia amicos in administratione reip. rationes nequaquã illiberales. vt Themistocles cũ à pugna videret cadauer aureis torquibus & monili insigne, præteriit ipse, & ad amicum conversus, Aufer, inquit, hæc: non enim tu quoque es Themistocles. Talia amicis præstandi res ipsæ versanti in rep. sæpenumerò occasionem præbent. Non enim omnes sunt Menemachi: proinde huic patrocinium iustæ causę cum pręmio coniunctum demanda, alteri diuitem cõmenda procuratione & defensione indigentem, alium in conductione aliqua quæstuosa adiuua. Epaminondas quidem amico cuidam suo mandauit, vt diuitem quempiam accederet, & ab eo talentum posceret, ita se imperasse dicens. cúmque diues accessisset causam sciscitans: Quia, inquit, hic vir bonus eget, tu diues es, qui multa ciuitatis bona in rem tuam vertisti. Et Agesilaum Xenophon scribit lætatum fuisse quoties amicum ditaret, cùm quidem ipse diuitias despiceret.

Inimiciciarum regula.

Cæterùm quoniam omnibus, vt ait Simonides, cassitis necesse est cristam innasci, itáq; nulla reip. administratio non fert inimicicias aliquas & dissensiones: non minimũ refert etiã hanc rem præmeditatum esse eum qui in rep. gerenda versari instituit. Laudant pleriq; Themistoclẽ & Aristidã, qui quoties ad obeundã legationem, aut ducẽdum exercitum proficiscerenť, inimiciciam in finibus patriæ deposuerunt, reversiq; domũ eam resumserunt. Nõnul-

lis

iis factum Cratinæ Magnetis maiorem in modum placet. Is cùm in reip. tractationẽ adversaretur Hermeæ viro non potenti quidem, sed honorum tamen percupido, animiq; elati, cernens sub initium belli Mithridatici ciuitatẽ in discrimine versari, optionem hanc Hermeæ detulit, vt vel is se in exsulium profecto vrbem gubernaret, vel (si ita videretur) ipse solum vertens sibi imperium relinqueret: ne sua contentione ciuitatem pessundarent. Placuit oblata conditio Hermeæ, fassúsq; bello gerendo præstare sibi Cratinam, cum liberis & vxore vrbe excessit. & Cratinas cùm eum deduxit de suo largitus quæ exsulantibus essent quàm obsessis cõmodiora, tum re optimè gesta vrbem contra omnium spem à præsente exitio conseruauit. Si enim nobilis est magnique animi vox ista,

Liberos amo meos, sed patriam magis meam:

cur non cuivis promtius sit dicere, Odi hunc & cupio lædere, sed maiore patriæ amore detineor? nolle enim cum inimico in gratiam redire eam ob causam, ob quam vel amicus sit dimittendus, nimis quàm immane est & efferati animi. Veruntamen rectiùs Phocio & Cato, qui nullas prorsus inimicicias cum reip. administratione priuatim coniunxerunt. sed cùm in publicis certaminibus pro vtilitate reip. acres se & propositi tenacissimos gererent, in rebus priuatis pacatè & humaniter iis vsi sunt, qui in publica dissentirent. Nullus enim ciuis pro inimico habendus est, nisi quis est Aristionis instar, aut Nabidis, aut Catilinæ, morbus & vomica velvti reipublicæ. Qui verò aliàs discrepant, eos instar musici debet reip. moderator vel relaxando placidè vel intendendo ad concentum reducere: neq; peccantes iracundè aut cõtumeliosè incessere, sed placidè obiurgare. cuius generis sunt Homerica ista:

Nugator, te plus aliis ego mente valere
Credideram.—— &:
Rectius his aliquid poteras depromere verbis. Iliad. 4, 358.

rursúmq; vbi rectè aliquid dixerint aut fecerint, neq; honori eorum invidere, neque faustis acclamationibus parcere. ita fiet, vt & reprehensioni sua sit in loco autoritas, & à vitio eos avertamus, virtutem augendo, & probè facta ac dicta, tanquam ipsis digniora, delictis comparando. Ego verò versantem in rep. virum & inimicis iusta in causa testimonium perhibere iubeo, & in iudicio eos contra calumniatorem tueri, alienísq; ab eorum animi instituto criminibus fidẽ denegare. quemadmodum Nero ille paulo antè quàm Thraseam interficeret, quẽ maximè oderat ac metuebat, quodam conquerente iniquã in sua causa à Thrasea latã fuisse sententiam: Vtinã verò, inquit, ita me amaret Thrasea, vt optimus est iudex. Non abs re est etiã, obiurgãdi causa eos qui vitio quodã naturæ ad peccandũ sunt procliuiores, proferre inimicũ eorum melioribus præditũ moribus, ac dicere: atqui hic nõ erat ita locuturus siue acturus. Nonnullis peccantibus parentũ præclarorum est obiicienda mentio. sic apud Homerum:

Haud similem natum tibi Tydeu magne dedisti. Iliad. 5, 800.

& Appius in comitiis cum Africano Scipione contendens, Quàm, inquit, ingemisceres Paule apud manes, si sentires filiũ tuum censuræ petẽdæ gratia in campum descendentem à Philonico publicano stipari. Huiusmodi enim dicta & peccãtes emendant, & correctores decent. Ciuiliter etiam Nestor apud Sophoclem respondet conviciant Aiaci:

Non culpo te: bene enim meritus, dicis malè.

Et Cato cùm Pompeio restitisset, Cæsari in vi reip. facienda sociũ se præbenti, exorto inter hos bello, Pompeium summæ rerum iussit præfici, eiusdẽ esse inquiens, magna mala ciere & amoliri. Permixta enim laudationi reprehensio, non contumeliã, sed libertatem in se habens, neq; iram, sed morsum & pœnitentiam excitãs, benigna videtur & ad corrigendum apta. Convicia ciuiles minimè decent. Tuum enim facio iudicium, an quæ Aeschines & Demosthenes alter in alterum scripserunt, aut quæ adversus Demadem Hyperides: Solõ, aut Pericles, aut Lycurgus Spartanus, aut Pittacus Lesbius fuissent vsurpaturi. quanq; Demosthenes in iuridiciali tantùm oratione vsus est maledictis: Philippicæ omnis & dicacitatis & scurrilitatis sunt puræ. Nã id quidẽ genus dicteria dicentibus q; in quos dicunt plus afferũt dedecoris: ac prẽterea

confusionem secum trahunt negociorum, conturbántq; deliberationes & cõciones. Optimè itaq; Phocio, qui cũ cessisset cõvitianti ac dicere destitisset, postquã ille tandẽ cõticuit, rursum in concionẽ progressus: Ergo, inquit, de equitibus & grauis armaturæ militibus audiuistis. reliquũ mihi est de leuis armaturę militibus & cetratis disserere. Verùm quia pleriq; in hoc negocio continere se non possunt, ac sæpenumerò non invtiliter maledicentiũ ora responsis obthurantur: esto responsio breuis, neq; irã præ se aut stomachum ferat, sed mansuetudinẽ cum ioco & gratia tamẽ vtrumq; mordentẽ. quales maximè sunt quæ dictũ retorquent. Sicvt enim tela in eũ qui misit redeuntia, vi quadã & soliditate iis impetiti retrò averti vident: ita maledictũ robore & calliditate eius in quem iactum fuit in autorẽ reverti apparet. Quale est, q̃d Epaminõdas Callistrato exprobranti Thebanis Oedipi qui patrẽ, & Argiuis Orestis q̃ matrẽ interfecit, facinora, respondit: Atqui vos hos ipsos à nobis eiectos recepistis. Et Antalcidæ Spartani ad Atheniẽsem dicentẽ, Vos sępe à nobis estis à Cephiso in fugã acti, respõsum: At vos à nobis nunq; estis ab Eurota fugati. Elegãter etiã Phocio Demade vociferãte, Atheniẽses te interficiẽt vbi ceperint insanire: Te verò, ait, vbi sapere ceperint. Et Crassus orator Domitio obiiciẽti, Nónne tu mortuã murænam, quã alueras in piscina, defleuisti? reddidit: nónne tu nullã lacrymam triũ vxorũ sepulturæ impẽdisti? Atq; hæc quidem etiã in reliqua vita suã habent vtilitatem. Sunt porrò qui nullam non partẽ publici muneris subeunt, vt Cato, existimantes bono ciui nullã curam aut industriam omittendã quæ ad potentiã conciliandam cõducat. Laudántq; hi Epaminondam q; cum eum Thebani invidia ducti & contumeliæ faciendæ causa Telearchã designassent, non detrectauit: sed fatus Non modò magistratu virum, sed etiam viro magistratum qualis sit demonstrari, Telearchiam ad magnam dignitatem ac maiestatem evexit: cùm antè is magistratus non fuisset nisi stercorum ex angiportis eiiciũdorum, ac aquarũ deriuandarũ procuratio quædam. Atq; ipse quoq; nimirũ peregrè huc advenientibus risum moueo, cùm talia videor frequenter in publico tractare. Sed tuetur me Antisthenis dictũ memoriæ proditum. qui miranti cuidam, quòd salsamẽtum per forum gestaret, respondit: Mihi quidem ipsi fero. Atque ego vicissim incusantibus quòd dimensioni testarum adsto, ac cæmenti & lapidum vecturæ responderim, Non mihi me, sed patriæ ista administrare. Vt enim sordidus haberi potest, qui multa id genus sibi ipsi tractat, suiq; causa administrat: ita cum publicè ista, & cõmodo ciuitatis tractant, nequaquam illiberalis est, sed magna etiã ad exigua hæc se demittens procuratio & officij promtitudo. Alij Periclis institutũ magnificentius ac splẽdidius iudicant, in quorum numero est Critolaus quoq; peripateticus. Volebat enim, quemadmodũ Athenis Salaminia nauis & Paralus non cuiusvis negocij, sed necessariorum tantùm ac magnorum deducerentur in mare: ita se quoq; non nisi ad summã rerum continentes maximásq; adhiberi actiones. exemplo regis Vniuersi, qui (vt est ab Euripide scriptum)

Quæ munera obeunda.

—summa procurat modò
Deus, ádq; fortunam minora reiicit.

Neque enim nimium honoris ac contendendi studium in Theagene probamus. qui cum non solùm conversionem vicisset, sed & multa certamina alia, non tantùm pancratio, sed & pugillatione, & lõga decursione, ad extremum cum funebribus quibusdam heroicis ludis cœnaret, proposita de more cuivis portione prosiluit, ac pancratio decertauit: perinde ac si nemini liceret vincere se præsente. vnde factũ est, vt coronas congesserit CIↃCC, quarũ plerasq; pro quisquiliis haberes. Nihil ab hoc diuersum faciunt, qui omnia subeunt ciuilia munera: nam repræhẽsionibus multorum sese exponunt, molestique fiunt, & cùm bene rem gerũt, invidia, cùm malè, gaudio excipiunt: deniq; quæ ab initio admirationi erat eorum industria, in ludibrium & risum excidit. Quale est: Metiochus prætor est, Metiochus viarum procurator, Metiochus panes, Metiochus farinam distribuit, Metiochus omnibus pręest, Metiochus habebit infortunium. Fuit hic vnus de sociis Periclis, & (vt apparet) potẽtia, qua propter hunc erat præditus, odiosè & cum fastidio ciuium abvsus. Oportet autem ciuilem virum ad populũ amore ipsius captũ accedere, suiq; etiam absentis desideriũ in animis ciuium relinquere. quod fecit Scipio Africanus, multum temporis ruri degens, vt & invidiæ minueret onus, & respirandi facultatem concederet iis, qui gloria ipsius premi videbantur.

Amor populi.

bantur. Contrà Timesias Clazomenius, vir alioqui de repub. bene meritus, non animadvertit se propterea ꝙ omnia solus ageret in invidia esse & odio apud suos, donec tale ei quippiam vsu venit. in via pueri talum è fossa excutiebant Timesia prætereunte. eorum alij dicebãt non excussum iri talum: qui verò eum excutiebat, Vtinam, inquit, ita Timesiæ cerebrum excutiam, vt hũc talum excussero. hoc audito Timesias, intelligénsque odium sui omnium animos pervagari, domum revertit, ac vxori re exposita mandauit, vt rebus convasatis se sequereẽ, rectáq; à foribus digressus vrbe exiuit. Apparet etiam Themistocli aliquid simile ab Atheniensibus evenisse, cum diceret: Quid defatigamini, ô felices, crebra accipiendo beneficia? Horum autem quædam rectè dicta sunt, quædam secus. Nam quod ad studium & procurationem attinet, nulla pars reip. ciuili viro deserenda, curandæ cognoscendęq; sunt omnes: neque debet velvti in naui sacra anchora, seipsum ad extremas ciuitatis necessitates ac casus reseruare. Sed quemadmodum gubernator nauis alia suis ipse peragit manibus, alia instrumentis ac manibus aliorum eminus ipse sedens versat, vtitúrq; nautis, proretis, & remigum magistris, quorum nonnullis interdum in puppim evocatis clauum tradit. sic ciuilis viri est officium, vt aliis quoq; imperium concedat, eósque benignè ad tribunal inuitet, neq; omnes ciuitatis res suis vnius orationibus, decretis, atque actionibus administret, sed fidos habeat bonósq; viros, quorum vnumquenque peculiari alicui negocio accommodet tractando. Sic Pericles Menippo vsus est ad gerenda bella, Ephialtis opera concilium Areopagiticum depressit, per Charinum legem contra Megarenses pertulit, Lamponem Thurios conditũ emisit. Non enim tantum minùs obnoxia est invidiæ ob magnitudinẽ potentia, quæ in multos distributa videtur: sed & rectiùs negocia conficiuntur. Sicvt enim manus in digitos diuisio, nõ imbecillũ eius reddidit, sed artificiosum & instrumentis expeditũ vsum: ita qui in rep. aliis munera publica cõmittit, actiones efficit ob societatẽ efficaciores. At qui insatiabili gloriæ potentiæ've studio totã sibi imponit remp., & ea quoq; aggreditur ad quæ vel à natura vel ab exercitatione est imparatus, (vt cum Cleo ad ducẽdum exercitum, Philopœmen ad regendam classem, Annibal ad concionandum se contulit) eius vbi quid peccatũ est non habet locum excusatio, sed occinitur præterea ei Euripideũ hoc:

Tractasti, qui faber esses, non fabrilia:

scilicet legationem obiuisti artis persuadendi rudis, annonam procurasti socors, quęsturam gessisti ignarus calculi, senex vel imbecillus exercitum duxisti. Pericles verò etiam cum Cimone potentiam diuisit, vt ipse in vrbe imperaret, Cimo classem in barbaros duceret: erat enim hic ad bellum, ad ciuiles res ille natura aptior. Laudatur etiã Eubulus Anaphlystius, qui cum fide esset summa atq; potentia, nihil rerum Græcarũ gessit, neq; ad præturam bellicam se contulit: sed administrationẽ pecuniæ amplexus, publicos auxit reditus, magnóq; fuit patriæ emolumẽto. Iphicrates cõtrà domi multis præsentibus declamans risui fuit. quia etsi fuisset, quod minimè erat, orator bellus, tamen contentus bellica gloria, decedere schola sophistis debebat. Præterea quoniam omnes populi ea laborant animorum perversitate, vt de iis malignè sentiãt qui remp. regũt, vtq; ansas eos culpandi captent, multáq; vtilia quę citra dissidium aut altercationem aguntur in suspicionẽ vocent tanquam per cõiurationem gesta, eáq; res maximè sodalicia & amicicias calumniis obiicit: nõ debet sanè vir ciuilis verã inimiciciam vllam aut dissensionem sibi facere reliquam. quãtumvis Onomademus Chiorum populi ductor cum in seditione victor extitisset, nõ passus fuerit omnes eiici adversarios, quòd vereri se diceret, ne inimicis omnino liberati cum amicis dissentire inciperent. hoc quidem fatuum est. Verum cùm multitudini suspecta est actio aliqua magna & salutaris, non expedit vniuersos tãquam ex composito ad vnam eandémq; dicendam sententiam venire. sed duo vel tres facta discessione placidè contra amicũ dicant, ac tandem velvti convicti à sua sententia discedant. sic enim vnà in sententiam propositam populus ab iis perducitur, dum eos vtilitate moueri existimat. In exiguis quidem causis & ad nullam magnam rem perducentibus nihil impedit quin re etiam vera sinas amicos dissentire, vnoquolibet suas secuto rationes: vt in negociis principalibus atq; maximis videantur optimi publici causa, non dedita in hoc priùs opera consentire. Enimverò ciuilis vir naturæ ratione semper princeps est ciuitatis, vt rex inter apes. idq; cogitantẽ oportet reip. gubernacula in manibus habere. reliquos minores magistratus neq; admodũ capessere, neq; sæpe: (nam magistratuum gerẽdo-

Dissensiones.

Minores magistratus.

rum cupiditati neq; cum maiestate, neq; cum populari gratia convenit) neq; rursum aversari eos deferente ac invitante populo, sed tametsi inferiores gloria ipsius sint, in iis capessendis studiū multitudinis cōprobare. æquū enim est vt ex superioribus magistratibus ornamenta adeptus, inferiores vicissim exornet: vtq; in maioribus illis dignitatibus, qualis est Athenis prætura, Rhodi prytanea, & apud nos Bœotarchia ea moderatione versatus, vt nonnihil de eorū maiestate vltrò remiserit, minoribus aliqd dignitatis atq; amplitudinis conciliet: atq; vt in his à contemtu se, sic in illis ab invidia tutū præstet. Porrò qualēcunq; magistratū occipienti, non eæ modò in promtu sunt habendæ rationes, quibus Pericles seipsum officij cōmonefaciebat quoties chlamydem sumeret, Animū adverte Pericles, liberis Græcis praes, praes ciuibus Atheniēsibus: sed & hæc secū cōmemoranda, Imperas subditus, vrbi præfectus quæ proconsulibus, aut procuratoribus Cæsaris est subiecta. nō hic lanceæ campi sunt, nec priscæ Sardes, neq; Lydorum illa potētia. gestanda est tibi chlamys vilior, & à prætorio oculi in tribunal cōvertendi, neq; multū fiduciæ in corona ponendū, cum supra caput tuum calceos cernas. sed imitandi sunt histriones, & suo modo actioni affectus, gestúsq; & ornamenta adhibenda, interim verba suggerenti aures præbendo, neq; extra modum & mensuram ab eo cuius summa est potestas præscriptam muneri concesso egrediendo. Hoc enim loco error non sibilos aut sannas excitat: sed multos arripuit

Vindex atrox securis ceruicem amputans:

quod evenit Pardalę nostro, finium oblito. alius in insulam relegatus, factus est iuxta illud Solonis,

——Pholegandrius, aut Sicinita
Extorris patriæ limine Cecropiæ.

Etenim cum videmus puerulos parentum crepidas conari subligare sibi, aut coronas eorū capitibus suis imponere, per iocū ridemus. at vrbani magistratus maiorū opera, arduos conatus, & facta præsentibus temporibus ac rebus non congruentia stultè iubentes imitari, multitudinē concitant: & cum ridicula sunt moliti, non risu iam digna patiuntur, nisi planè sint contemti. Sunt sanè multa priscorum Græcorū facta, quibus recensendis nostrorum possimus formare & corrigere mores. vt si quis Athenis non bello gestas res, sed (verbi gratia) decretū de conterendis obliuione iniuriis factum post deiectos XXX tyrannos referat: & quòd Phrynichum mulctauerūt qui tragœdiā de capta Mileto docuisset: quòd Casandro Thebas instaurante coronas gestauerūt: quòd audito Argiuos scytalismo facto CIↃ IↃ ciues interfecisse, concionem lustrare iusserunt: quòd ob Harpali pecunias domos perscrutantes, eam solā eximiā habuerunt, in qua nouus maritus agebat. His enim etiamnum imitandis licet maiorū similes fieri. Marathon autē, Eurymedon, Platææ, & quæ alia exempla animos multitudinis inflant, inaníq; ferocia extollunt, in rhetorū scholis sunt relinquenda. Non modò autem se & patriam ciuilis vir inculpatam apud principem præstare debet, sed præterea semper aliquem ex potentissimis habere amicum, velvti fulcrum reip. stabile. Eo enim sunt Romani ingenio, vt in officiis ciuilibus promtissimos se amicis exhibeant. Estq; vtile, exempla eorū proferre, qui magnas ex principum familiaritate vtilitates perceperunt. sicvt Polybius & Panætius Scipionis adiuti fauore, patriæ vtercq; suæ magnum ad felicitatē attulit adiumentū. & Cæsar cum Alexandreā cepisset, Areum manu tenens, cúmq; eo familiarium solo colloquens, in eam vrbem est invectus. metuentibúsq; extrema Alexandrinis ac deprecātibus, Veniam se dare respondit, cùm ob vrbis amplitudinem, tum ob conditorem eius Alexandrum, ac tertiò in Arei amici sui gratiam. Númnam huiusmodi beneficio comparari merentur procurationes illæ & administrationes provinciarum pecuniosissimæ, quas pleriq; sectantes, rebus domi relictis cōsenescunt ad alienas fores? aut potiùs Euripides corrigendus, itáq; canendum & dicendum:

Principiū amicitiæ.

Nam si peruigilandum est,—— & aula alterius frequentanda, submittendúmq; sese principis familiaritati, patriæ causa hæc rectissimè subeas, cæteroqui amicitiæ æquis & iustis conditionibus parandæ sunt. Interim qui patriam principibus obsequentem reddit, non debet ei opprimendæ socium se præbere, neq; ligato crure subiicere etiam ceruices. sicvt nonnulli omnia & parua & magna ad principes dum deferunt, patriæ seruitutem exprobrant, immò totam potius remp. abolent, pauidam eam & formidolosam, nulliúsq; rei compotem reddentes. Quo enim pacto qui sine

sine medico neque cœnare neque lauare sunt adsueti, ne tantum quidem quantum naturæ concessit, sanitate fruuntur: eodem qui cuivis decreto concilio, muneri, administrationi principis autoritatem inducunt, cogunt principes magis quàm ij vellent ipsorum dominos esse. In causa est præcipuè procerum auaricia & contendendi studium. nam aut in his quæ cum damno inferiorum agunt, operam dant vt ciuium iudicium subterfugiant: aut de quibus inter se altercantur, dum non ferũt se inter ciues posteriores ferre, ea vt consequantur, potentiores introducunt. inde fit, vt & senatus, & populus, & iudicia, & magistratus omnis autoritatem suam amittat. Est autem ciuilis viri plebeios æqualitate, potentes mutuis obsequiis demulcere, & negocia intra reip. fines hac ratione contenta transigere, iisq; ciuilem quandam, tanquã morbis arcanis, medicinam facere. vt & ipse potiùs inter ciues cadere causa dignetur, quàm cũ contumelia & corruptela patriæ legum victoriam consequi. reliquósq; singulos ad idem precibus cohortabitur, docendo quantum in peruicacia sit mali. Nunc verò vt ne domi ciuibus ac tribulibus, vicinis, ac collegis cum honore & gratia mutuò concedant: magno cum damno ac dedecore lites suas ad rhetorum fores & in causidicorum manus deferunt. Ac medici quidem morbos, quos planè abolere nõ possunt, foras in superficiem corporum avertunt. at ciuilis vir, si non potest efficere, vt omnibus litibus careat ciuitas: at saltem in ipsa ciuitate conabitur id quod turbas dat ac dissidia excitat occultatum sanare ac componere, vt quàm minimum externis medicis atque medicamentis habeat opus. Esto enim viri ciuilis institutum animi tenax eorũ *Ciuilis viri animus.* quæ tuta sunt, fugiatq; inanis gloriæ tumultuatricem istam, de qua verba fecimus, ac furiosam affectationem: interim isti affectioni insit elatio quædam animi, & confidentia

Intrepida, & qualis subeat fiducia ciuem *Iliad. ρ, 157.*

Pro patria — inimicis, ac rebus difficilibus, durisque tempestatibus renitens atq; decertans. Non enim oportet ipsum causam præbere tẽpestatibus: sed incidentibus iis non est reip. nauis deserenda. neq; exagitare vrbem periculosè ipsius est, sed quassatæ ac periclitanti subvenire, ac tanquam sacram anchorã iácere suam in agendo libertatem, vbi res in summũ fuerint discrimen adductæ, in quales difficultates incidit Pergamena ciuitas sub Nerone, & nuper Rhodij sub Domitiano, atque antea temporis Thessali sub Augusto, cùm Petræum viuum cremassent.

Non hîc horrentem videas, — nec formidantem verè ciuilem virum, *Iliad. δ, 223.* * dormitantem a cunctantem neque incusantem alios, dum ipse periculis sese eximat. sed & legationes obeuntem, & nauigantem, primúmque omnium dicentem, non hoc tantùm:

Auerte exitium Titan: namq; adsumus vltro

Interfectores: — sed etiam si culpæ multitudinis particeps non sit, tamen pro ea subeuntem pericula. Est enim hoc præclarum. acceditq; ad honestatem, quòd sæpenumerò vnius viri virtus atque magnanimitas admirationi habita irã quæ concepta fuerat in vniuersos demitigauit, comminationisq; terrorem & acerbitatem dissipauit. Id videtur Persarum regi vsu venisse, Buli & Sperthi Spartanis oblatis ei: & Pompeio cùm in Sthenonem incidisset. Cùm enim Mamertinos ob defectionem afficere supplicio Pompeius statuisset, Iniustè, aiebat Stheno, agis, qui ob vnum sontem multos innoxios decreuisti perdere. Ego enim ciuitati autor defectionis fui, amicis persuadendo, inimicis cogendo ad eam faciendam adactis. qua oratione ita fuit affectus Pompeius, vt & ciuitati veniam largiretur, & Sthenonem tractaret humaniter. At Syllæ hospes eadem virtute apud dissimilem vsus virum, nobili letho extremũ diem vitæ confecit. Cùm enim Præneste capta statuisset oppidanos omnes Sylla interficere, at soli isti ob hospitij vsum parcere, tantum fatus, Nolle se patriæ suæ interfectori salutis datæ gratiam agere, permiscuit se popularibus, atque vnà cum illis est trucidatus. Atque huiusmodi quidem tempora abominari par est, & meliora sperare. Proinde summopere in honore habere oportet omnem cùm magistratũ, tum qui eũ gerit, rem quippe sacrosanctam & excellentem. Honor autem is est vt cum collegis *Amor collegarum.* vnanimitas atque amicicia colatur, longè magis congruens quàm serta & vestis purpura oras prætexta. Qui verò pro amiciciæ initio habent vnà militiæ esse, vnà pubescere, iidémq; vnà magistratus gerere pro exordio inimiciciarum deputant: vnum ex his tribus malis non evitauerũt. aut enim collegas pro æqualibus habentes, ipsis obturbant: aut potiores iis partes sua opinione tribuentes, invident: aut vt humiliores

contemnunt. Atqui convenit & præstantiores colere, & inferiores ornare, & æquales in honore habere, vniuersos autem amplecti atq; amare: vt quos nō mensa, aut poculum, vel conviuium amicos conciliarit, sed respublica, quodammodo hæreditaria ob patriæ communitatem benevolentia iunctos. Propterea malè audiuit Romæ Scipio, quòd in dedicatione Herculei fani conviuium amicis præbens, Mummiū collegam ei non adhibuisset. vt enim aliis in rebus amiciciā non colerent, in hoc tamen genere collegæ ob magistratū erat honor habendus. Quando igitur Scipionem, virum alioqui admirabilem, tam exiguæ comitatis neglectio aliorū despicientiæ suspectum reddidit: is qui de dignitate collegæ detrahat, aut splendidis actionib. maliciosè officiat, aut præ fastu omnia sibi vni arroget adempta socio, æquus haberi & moderatus númnam poterit? Memini me, cùm iuuenis adhuc ad proconsulē essem legatus cum collega missus, hoc nescio qua de causa in itinere subsistente, solū rem confecisse. cùm autem reversus rationem obitæ legationis essem redditurus, seorsim mihi pater adsistens monuit, ne dicerē Profectus sum, sed Profecti sumus, & Diximus, non Dixi, eodémq; modo reliqua omnia cum socio inter referendum communicarem. hoc enim non modò benignū humanúmq;, sed & inuidię tutā gloriā præstat. Quamobrem etiā magni viri rebus pręclarè gestis geniū & fortunā secum vt autores inscribūt. sicvt Timoleon excisis in Sicilia tyrannidibus, Casui fanū dedicauit. & Pytho, cùm Atheniēses eū ob Cotys necem admirarentr̄ atq; venerarentr̄, Deum dixit hęc egisse, sua autem manu vsum. Cæterùm Theopompus Lacedæmoniorū rex dicenti Spartā seruari regū imperandi peritia: respondit magis ideo hoc fieri, quòd ciues imperio essent obsequentes. Atq; horū quidem duorū alterū ab altero proficiscitr̄. pleriq; tamen dicunt & sentiunt ciuilis institutionis opus esse, efficere vt ciues bene pareāt. plures enim in vnaquavis ciuitate sunt qui regantr̄, quàm qui regāt: & præest quivis exiguū tēporis, totā ætatem in reip. forma populari regitr̄ degens: itaq; pulcerrima est & vtilissima disciplina, parere magistratibus, etiā si minus instructi à potentia & gloria sint. Absurdū enim sit principē in tragœdia actorē Theodorū vel Polū sæpenumerò mercede cōducto histrioni tertiario obsequi, & humiliter cū eo colloqui, nimirū diadema & sceptrū gerenti: in rebus autē seriis ac publicis diuitē ac gloria insignem parui facere plebeiū aliquē & pauperē qui cum magistratu sit. cùm hac ratione diues suo splendore dignitatem vrbis cōtumelia afficiat atq; deprimat: vbi potiùs magistratū exornare suę gloriæ ac potentię accommodatione debeat, quomodo Spartę reges Ephoris de via decedebant, & reliquorū vt quisq; vocatus erat, non lento gradu, sed cursim per forū se proripiens obedientiā suam ciuibus ostentabant, exultātes ob habitū magistratib. honorem. Non ita honestatis rudes atq; barbari quidā, qui velvti comti suæ potētiæ abvndātia, in certaminibus arbitros ac præmiorū collatores circumscribūt, choragis in Liberalibus conviciantr̄, prætores ac gymnasiorū pręsides derident: neq; scientes neque discentes honorare esse interdū quàm honorari gloriosius. Viro enim in rep. largiter potenti plus ornamenti adfert stipatus ab eo magistratus ac comitatus, q̄ stipās & deducēs, immò hoc invidiā & molestiā, illud verā parat ac à benevolētia profectā gloriā. cúmq; fores eius visere aliquando, salutatúmq; prior venire cernitr̄, mediúmq; ei inter deambulandū cedere locū, nihil sibiipsi demēs, ciuitati ornamentū cōfert. Populare est etiā interdū cōviciū & irā magistratus ferre, vel Diomedis illud subiiciente:

Scilicet eius in hac re gloria vertitur: — aut illud Demosthenis, non ipsum nunc esse Demosthenem duntaxat, sed & legumlatorē & choragū, & coronā gestare. Defensionem autē tēpori commendabimus. ita aūt persequemur iniuriā nobis factā, vbi eius autor magistratu abierit, aut id lucri habebimus, quòd expectando iram dimisimus. Omni quidē studio ac providentia in curandis reip. cōmodis certandū est viro ciuili cum quovis magistratu, &, siquidē homo aptus est qui eū gerit, monere eū debet, & probè consultata rectè perficiendi occasiones suppeditare, & in reip. gloria ac vtilitate augēda adiuuare. vbi verò magistratū à re gerēda vel ignauia, vel cūctatio, vel malicia abstinet, ipse ad populū debet eo de negocio referre, neq; remp. eo nomine negligere aut destituere, quòd alio reip. præfecto ipsum non conveniat curiosum esse & in alienam se ingerere administrationem. Lex enim semper ei qui iusta facit, & vtilia cognoscit, primum in repub. locum tribuit. Erat, inquit Xenophon, quidam in exercitu, neque imperator neq; cohortis alicuiūs dux, sed qui quæ opus erat intelligendo audendóq; seipsum reliquis ducem creasset, itáq; Græcos seruaret. Atq; inter facinora Philopœmenis illustrissimū est illud, quòd cum Agis Messenam occupasset,

Ciuiū obedientia.

Iliad.Δ,415.

Magistratus adiuuandus.

& Achæorum prætor subvenire nollet præ formidine, ipse absque decreto adscitis promtissimo quocꝫ erupit, vrbẽmcꝫ eam liberauit. Neque tamen nouæ res leuibus aut qualibuscuncꝫ de causis tentandæ sunt: sed vel necessitate vrgente, vt Philopœmen fecit: vel præclaræ rei gratia, vt Epaminondas, qui prorogata sibi contra legem Bœotarchia in quatuor menses, eo tempore in Laconicam irrupit, & Messenam condidit. Ita fiet vt si propterea accusetur ac culpetur, necessitatis præscriptione crimen amoliri, aut consolationem periculi habere possit magnitudinem ac pulcritudinem facti. Memoratur Iasonis Thessalorum tyranni dictũ hoc, ab eo cùm multis vim faceret importunécꝫ molestus esset, pronunciatum, Necesse esse vt in minutis rebus iniustè agant, qui in magnis iustitiam velint seruare. Quam quidem vocem nemo nõ statim agnoscat eius esse, qui sibi potestatem omnem vsurpet. Ad rem ciuilem magis congruit hæc præceptio, vt quę leuia sunt, iis omittendis vulgo gratificere: in momẽti alicuius rebus eidem te opponas, necꝫ patiare eos delinquere. Qui enim omnibus in rebus nimis est accuratus & vehemens, nihilque concedit aut dissimulat, is dum se vbicꝫ asperũ & implacabilem gerit, multitudinem ad certamen mutuæ contentionis ac morositatis adsuefacit. Itacꝫ interdum debet (vt est apud poëtam) aliquantulũ* remittere clauum ob magnã fluctus vim: aliquando ipse veniam dans, ac ludendi se sociũ captandę gratiæ causa prębens, vt in sacrificiis, certaminibus, & spectaculis: nonnunquam velvti in familiis fit in puerorũ peccatis, simulans se non obseruare quę delinquunt, ac surda aure prætermittens. vt facultas castigandi & libera oratione increpandi, tanquam medicamentũ, non vsu iã debilitata & inefficax, sed viribus suis prædita atcꝫ autoritate in maiorib. negociis magis percellat atcꝫ mordeat multitudinem. Etenim Alexander cùm esset certior factus sororem suã cum formoso quodã iuuene rem habuisse, nõ est indignatus: sed dandũ hoc sorori esse dixit, vt regni aliquẽ & ipsa fructũ perciperet, nõ rectè ille, necꝫ sibi convenienter talia permittens. necꝫ enim petulantiã & imperij subversionẽ pro fructu eius duci par est. At ciuilis vir contumeliã in ciues nullã sinat, necꝫ publicationem alienorũ, aut distributionem publicorũ bonorum (quantũ omnino præstare potest) cõcedere debet: sed huiusmodi rerũ affectationes, suadendo, docendo, perterrendócꝫ debellare, quas Cleo nutriens atcꝫ augẽs, multos (vt ait Plato) aculeatos fucos in remp. introduxit. Si verò festiuitatem aliquã à maioribus institutã populus, aut Dei venerationem pro occasione arripiẽs ad spectaculũ aut diuisionem pecuniæ modicã animo feratur, aliámve appetat aliquã rem quam largiri sit humanitatis: hîc iis liceat & liberalitate & copia perfrui. Nam in Periclis & Demetrij administrationib. reip. multa insunt talia. & Cimon exornauit forũ platanorũ consitione ac deambulationibus. Cato etiã in Catilinaria actione populũ videns à Cæsare conturbatũ, ac ciuitatem in discrimen nouarũ rerũ adductã, senatui persuasit vt in pauperes largitionem decerneret. eácꝫ munificentia tumultũ sedauit, ac seditionem inhibuit. Sicvt enim medicus multũ corrupti sanguinis vbi subduxit, modicum innoxij alimẽti suggerit: sic vir ciuilis magna aliqua re, quæ ad dedecus aut damnum spectabat sublata, vicissim exiguo aliquo & accepto hominib. munere animos à repræhensionibus & quiritationibus avertit. Expedit etiã id, cui populus studet, ad vtilẽ aliquã rẽ traducere, sicvt fecit Demades, quo tẽpore vrbis reditus in sua habuit potestate. Cùm enim adiecissent animũ Athenienses ad mittendũ triremes quæ auxiliũ his ferrent qui ab Alexãdro defecerant, & ab ipso pecuniã poscerent: dixit in promtu ipsis esse pecuniã. se enim ita eã ad Choas (sacrificiũ id erat solẽne) cõparasse, vt ciuiũ quivis acciperet dimidiũ minæ. quòd si in classem id pecunię vellẽt impẽdi, ad Choas quiscꝫ de suo cõferret. Atcꝫ hoc modo illis, ne diuisione ista spoliarent, classis missionẽ omittẽtibus, effecit ne Alexãder haberet quo nomine populũ iustè culparet. Sunt enim multa invtilia, quæ rectà nõ possis amoliri, sed ad hoc requiritur aliquis vtcuncꝫ flexus & circumductio. Quali etiã Phociõ est vsus, qui cùm iuberet in Bœotiã facere alieno tẽpore impressionẽ, statim edixit vt omnes se à pubertate vscꝫ ad sexagenarios sequerent: ac tumultuantib. senioribus, Nullã esse rei indignitatẽ dixit, ipso præsente ac duce octogenario. Hoc pacto etiã intempestiuæ legationes sunt disiiciendæ, allectis in numerũ legatorũ iis qui ad eã rem non sunt parati: & apparatus invtiles impedies, mandando vt eorũ autores pecuniã eò conferãt: & iudicia indecora, iubens suasores vnà adesse: & profectiones parũ honestas, si imperes autorib. simul peregrinari. Maximè autem eos, qui primi talia suadent atcꝫ vrgent, oportet in societatem rei

Populo vt concedendum.

agendæ trahere. ita enim aut ipsi tergiversando irritam rem facere videbunt: aut partem molestiarũ vnà perferent. Cæterùm vbi res aliqua magna & vtilis cõficienda est, sed quæ magnũ certamen ac studiũ vehemens requirat: ibi conare aut optimos amicorũ, aut optimorũ placidissimos adsciscere. hi enim minimè in diuersum nitent, maximè adiutores negocij peragendi erunt, absq; contendendi cupiditate prudẽtia prędíti. Veruntamẽ te naturæ tuæ peritũ oportet ad ea, in quibus minus ipse à natura vales, non tui similes, sed qui præstare id quod tibi deest rectiùs possint, deligere. quemadmodũ Diomedes ad speculãdũ fortibus pręteritis prudẽtẽ sibi sociũ assumsit. Hoc enim modo & actionũ magis ęqualia diuidunt inter socios momẽta: & à diuersis virtutibus profecta gloriæ cupiditas contentionib. non est obnoxia. Ergo in obeundo iudicio aut legatione, si ipse nõ sis facundus, arte dicendi instructũ tibi adiunge, vt Epaminondam Pelopidas: & si ad persuadendum multitudini ineptus sis, atq; elatior, (qualis fuit Callicratidas) gratiosum aliquem & demerendi populi gnarum: si corpus imbecillũ & laboris impatiens sit, laborũ tolerantem ac robustum aliquem, vt Nicias Lamachum. Sic enim in admiratione fuit Geryones, habẽs crura multa, & manus, & oculos, quibus omnibus vnus præfuit animus. Datur autem ciuilibus hoc, vt nõ corpora tantùm & pecunias, sed & fortunas, & potentiã, & virtutem (siquidem concordes ipsi sint) in communẽ vsum conferre, ac maiore quàm vnus aliquis alius cũ gloria rẽ gerere possint. quod cõtrà Argonautis evenit, qui Hercule deserto coacti sunt ad gynæceũ confugere, magicisq; incantationibus & veneficiis subditi vitã suã seruare, vellúsq; furtim auferre. Aurum quidẽ, in quędã fana intrantes, foris relinquunt: ferrum autem, vt semel dicã, in nullũ importãt templũ. Quando igit tribunal commune quoddã est templũ Consultoris atq; Vrbitenentis Iouis, ac Themidis, & Iusticię: iam inde ab initio diuitiarũ & pecuniæ cupiditatem, tanq; ferrũ, & morbũ animi æruginis plenũ exuens, in cauponũ aut feneratorum fora abiice ——*longéq; avertere ab illis*: atq; sic habe, eũ qui quæstũ è publico captat, furari de sacris, de bustis, de amicis, proditione, falsi testimonij dictione, lucrũ quærere, infidũ esse consiliariũ, periurũ iudicẽ, magistratũ dona captantem, deniq; nullo nõ genere iniusticiæ obstrictũ. vt hac de re non sit multis opus verbis. Ambitio autem, quanquã sit cupiditate quæstus nitidior, tamen non pauciores in rep. gignit pestes. Magis enim ei adest audacia, quippe non ignauis aut abiectis, sed acribus maximè & præcipitibus animis inhærẽti: eámq; plerunq; popularis impetus evehens laudibus atq; incitans, effrænẽ reddit atq; intractabilem. Quemadmodũ igit Plato præcipit adolescentibus à tenera statim ætate inculcandũ, non esse eis fas foris aurũ appositũ gestare, neq; omnino possidere, cùm in animis suũ aurũ peculiare habeant admixtũ: (innuens nimirũ virtutem quæ à genere in ingenia eorũ propagat) sic ab ambitione etiam nos animũ abducemus, monendo habere nos in nobis aurũ corruptelæ expers, sincerũ, & illæsum ab inuidia & repræhensionibus honorem, qui simul cum ratiocinatione & contemplatione factorum & in rep. gestorũ à nobis auget: ideóq; nihil opus esse honoribus pictis, fictis, aut ex ære ductis, in quibus etiã id quod præclarum habet, alienum est. nõ enim cui, sed is à quo factus est tubicen aut stipator, laudat. Ac Cato, cùm iam tum statuis Roma oppleret, nullã sibi passus est poni, quòd diceret malle quæri cur non, quàm cur ipsi statua esset collocata. Sunt enim id genus res inuidiæ expositæ, ac plerìq; censent gratiã se iis debere, quibus tale dederint nihil: deberi autẽ sibi ab his qui acceperint, eósq; molestos esse, qui velvti mercede suã locent operã. Ergo sicvt qui Syrti evitata nauim ad fretũ subvertit, nihil præclarũ aut memorabile præstitit: sic qui ærario & redemturis publicis cùm abstinuisset, vincit prima in consessu dignitate aut prytaneo, is sublimi quidẽ impingit promõtorio, nihilo tamẽ minus mergit. Optimè itaq; cum eo agitur, cui nihil cum vlla tali re est negocij, sed fugit ac recusat omnia. Quòd si populi huc propendentis gratiam ac studium non facile sit repudiare: quia in reip. certaminibus non argentum aut munus pręmij loco petit, sed sacrũ est revera & coronariũ certamẽ. inscriptio aliqua sufficiet, & tabella, & decretũ, & germen, sicvt ex arce accepit Epimenides, cùm vrbẽ lustrasset. & Anaxagoras honorib. qui offerebant recusatis, postulauit vt ea qua decessisset è viuis die, pueris vacatio scholarum & discendi concederet. & septem Persis qui magos interfecerunt, eorúmq; posteris concessum est vt tiarã in anteriorem capitis partem obverterent: apparet enim eos cùm rem eam aggrederentur, hac fuisse vsos tessera. Habet etiam Pittaci honor ciuile quippiam. iussus enim de

agro,

Iliad. κ, 243.

In auariciam.

Honores.

agro, quem ciuibus acquisiuerat, sumere sibi quantam vellet portionem, tãtum accepit, quantum misso iaculo consequebatur: vt Cocles Romanus, quantũ vna die claudus ipse circumararet. Debet enim honor non merces facinoris esse, sed signum: vt & diu perduret, sicvti illi durauerunt. At de CCC statuis Demetrij Phalerei, nullam corrupit ærugo aut situs, sed omnes viuente ipso eversæ sunt: Demadis statuæ conflatæ sunt in matulas. Multáq; talia honoribus contigerunt, non tantùm ob eius cui decreti essent prauitatem, sed etiam ob molem suam in odium adducti. Itaque tenuitas sumtuum optimè ac firmissimè ad honorarij custodiam facit: magna & immodica, itidem vt statuæ non respondentes proportioni, subvertuntur. Voco autem nunc honores, quos (vt Empedocleo loquar more)

Sic vulgò dicunt, tamen haud assentior ipse.

Nam verum honorem, gratiámq; fundatam in benevolentia animíq; memorum affectione, non despiciet vir ciuilis, neque gloriam contemnet, fugiens proximis placere, vt volebat Democritus. Nam neque canum salutatio, neq; equorum benevolentia venatoribus & qui equos alunt videtur aspernanda: immò vtile est ac iucundum in animalibus familiaribus & vnà viuentibus huiusmodi affectionem erga se generasse, qualem Lysimachi canis demonstrauit, & de Achillis equis erga Patroclũ poëta refert. Existimo etiam cum apibus meliùs actum iri, si eos à quibus nutriuntur & curantur admittere potiùs & adblandiri, quàm abigere & pungere velint. nũc eas firmo puniunt: equos autem petulantes, & infidos canes inuitos numellis agunt ac frænis. At hominem homini obsequentem vltrò cicurémq; nihil aliud facit, quàm fides benevolentiæ, integritatísq; & iusticiæ opinio. quo nomine Demosthenes rectè pronunciauit, nullam ciuitatibus adversus tyrãnos meliorem esse ~~diffidentia cautionem~~. maximè enim ea pars animi, qua fidem adhibemus, capi potest. Sicvti ergo Casandræ vaticinium ciuibus invtile erat, quòd fides vati derogabatur: Iliad. ψ.

(Voluit enim, inquit, Deus me fari incredita:
Et à suum iam nactis infortunium,
Sapiens vocor, furere cùm dicerer antea.)

sic ciuium erga Archytam fides, & in Battum benevolentia, ob existimationem eorũ plurimum cõduxit his, qui opera ipsorum vterentur. Atq; hęc primus est & maximus ciuilium virorum existimationis vsus, quòd autoritas iis aditum ad res gerendas conficit. Altera est, quòd multitudinis benevolentia adversus inuidos ac malignos teli instar est bonis viris:

Vt cùm filioli, somno sua membra soluti, Iliad. Δ, 131.
A cute mordacem pellit matercula muscam

invidiam arcens, & æqualem superioribus potentia reddens ignobilem patriciis, pauperem diuitibus, & priuatum magistratibus. denique accedentibus veritate & virtute, existimatio secũdus est ad reipub. administrationem tendentibus ventus. Iam contrariam affectionem cõsideratis exemplis perpende. Dionysij liberos & vxorem, libidinosè corporibus tractatis Itali necauerunt, ac crematis cadaueribus cinerem è naui in mare dispersserunt. At Menandri cuiusdam, qui apud Bactra regnum moderatè gesserat, in castris mortui ciuitates funus cùm pro consuetudine procurassent, de reliquiis in certamen pervenerunt, ægréq; pax hac conditione coiit, vt singulę parte cinerum ablata æquali, monimentum ei viro apud se quæq; ponerent. Rursus Agrigentini Phalaride exonerati, decreto sanxerunt ne quis glauca veste vteretur: quia tyranni glaucis subligaculis fuissent vsi. At Persæ quia Cyrus advnco fuisset naso, etiamnũ tales amant, ac pro formosissimis habent. Adeò omnium amorum cùm validissimus est tum diuinissimus is quem ciuitates & populi erga vnum aliquem ob virtutem eius concipiunt. Falsò autem sic dicti honores, ac falsa testimonia, quæ propter spectacula, diribitiones ac ludos gladiatorios deferuntur à multitudine, similes sunt meretriciarum adulationum, plebe subinde ei qui dat ac gratificatur aliquid arridente, vniúsque diei & instabilem gloriolam blandiendo tribuente. Equidem rectè dixit, quicunque tandem dicti eius est autor, populum ab eo primùm fuisse eneruatum, qui eum largitione inescasset primus. intellexit enim multitudinem robur suum amittere, dum accipiendo fit imbecillior. Sed & hoc sentiendum est, largitores istos suam quoque ipsorum vim evertere, quando gloriam magnis impensis mercati, validam

ac ferocem reddunt plebem, quæ se magni alicuius & dandi & adimendi potestate præditam existimat. Neq; tamen interea sordidè agendum est in largitionibus secundum leges faciundis, vbi copia rerum suppeditat. etenim vulgo magis invisus est diues de suo nihil largiens, quàm pauper publica depeculans: hoc enim necessitati, illud superbiæ & contemtui sui imputant. Primùm ergo largitiones gratuitæ sint. Sic enim eos qui accipiunt faciliùs permouent atque devinciunt. Deinde per occasionem fiant, quæ prætextum habeat elegantem atque honestum, coniunctum cum cultu dei omnino ad pietatem ducente. sic enim simul in animis multorum excitatur & confirmatur opinio, numen esse magnum aliquid ac venerandum: cùm quos ipsi colũt ac in magnis viris censent, eos ita liberaliter atq; alacriter sumtus in venerationem deorũ facere cernunt. Quo igitur pacto ab adolescentibus qui liberali instituerentur doctrina prohibuit Plato Lydiam & Phrygiã harmoniã: quòd altera animi facultatem ad lugendũ & dolendũ procliuem excitaret, altera propensam ad voluptatem & libidines partem impelleret. sic tu eas largitiones, quę belluinũ & trucem, aut scurrilem seu intemperantem motum animorum efficiunt atq; fouent, omnino ex ciuitate profliga: sin verò, fuge & repugna multitudini huiusmodi spectacula deposcẽti, bona autem semper & modesta sumtuum argumenta facito, quæ ad finem honestum aut necessarium spectent, aut eam saltem voluptatem ac gratiam, à qua damnũ ac petulantia absit. Quòd si facultates sint mediocres, & ad vsus vitæ quasi circino circumscriptæ, nequaquam indecorum est neque abiecti animi confessum suã paupertatem eorum quibus res est liberalitati locum concedere, neque in publicis actionibus simul & miserabilem fieri & ridiculum. non enim ignorantur qui destituuntur, & vel amicis sunt molesti vel feneratores demerentur adulando: vt planè huiusmodi impensis non gloriam aut potentiam, sed dedecus potiùs & contemtum sibi parent. Itaque vtile semper est in tali re exemplorum Lamachi ac Phocionis meminisse. quorum hic in sacrificio quodam poscentibus Atheniensibus aliquid vt cõtribueret, sæpiúsque plausum dantibus, At verò, inquit, pudeat me vobis dare, & huic Callicli (simul feneratorẽ cui debebat ostendens) non reddere. at Lamachus in præturæ suæ militaris rationibus semper adscripsit argentum quod pro se in calceos & vestem impendisset. Hermoni quoque Thessalo magistratus administrationem paupertatis causa detrectanti, populares in mensem decreuerunt lagenam vini, & modiũ farinæ, in singula quatridua. Ita neq; seruile est paupertatem suam præ se ferre, neq; in ciuitatibus posteriores cœnas & ludos exhibentibus habentur pauperes, si sua sibi virtute libertatem dicendi fidémq; parauerint. Sanè oportet quammaximè in talibus rebus seipsum continere, vt ne pedester in campum descendat contra equitem pugnaturus: hoc est, ne pauper gloriæ potentiæ've causa cum diuitibus de stadiis, scenæ apparatu, aut epulis in contentionem sese det. sed vt conetur iis se æquare, qui virtute, prudentia, ac facundia vrbem volunt temperare. quibus reb. non modò honestas atq; maiestas, sed gratia etiam adest, & ad pelliciendum vis, Crœsi optabilior stateribus. Vir enim bonus non insolens, neque molestè odiosus est, neq; vir modestus sua tantùm probans,

Incedit inuiso omnibus ore ciuibus.

sed primùm facilem se compellatu præbet omnibus, neminémq; non admittit ad suũ colloquium, domum suam tanquam portum perfugij identidem omnibus habens apertam. suámq; humanitatem & pro ciuibus procurationem, non operam nauando tantùm & agendo, sed & adversa patientibus socium se doloris exhibendo, & gratulando iis qui successibus vtuntur bonis demonstrat. neque vspiam molestus est multitudine famulorum in balneo, aut occupatione locorum in theatro, neq; iis insignis quæ inuidiæ ob luxum & sumtuum magnitudinem sunt obnoxia: sed æqualis vestitu ac victus ratione & liberorum educatione ac muliebri familia reliquis, vt qui simul cum aliis vnam eandémq; popularem tenere rationem, vtq; alij homines degere velit. Deinde consiliarium se & advocatum nulla mercede conductum, benignúmque arbitrum præstat virorum vxoribus reconciliandorum, amicorúmque in gratiam reponendorum. neque ita aliquam diei partem tribunali aut concioni dans remp. tractat, vt non reliquo vitę tempore veluti Cęcias nubes, ad se itidem attrahat vndiquaq; vsus ciuiũ & procurationes. sed curis semper suis publico est intentus, & reip. administrationem vitã sibi opúsq;, non ociũ aut munus publicũ (vt faciũt multi) deputãs, his omni-

omnibus eorúmq; similibus in se convertit sibíq; conciliat multitudinem: quæ aliorum adulationes & illecebras cum huius procuratione & providentia comparatas animadvertat adulterina esse & fucata irritamenta. Etenim Demetrij adulatores reliquos nõ dignabantur nomine regis, sed Seleucum elephantorum magistrum, Lysimachum gazæ custodem, Ptolemæum classis præfectum, Agathoclem insulæ præsidem appellabant. At multitudo, etiamsi initiò bonum ac prudentem virum reiiciat, tamen postea temporis eius deprehendens veritatem atq; ingenium, hunc solum iudicat ciuilem, popularem, atq; principem esse: reliquos, alium choragum, alium epuli præbitorem, alium gymnasiarcham & putant & nominant. Ad hæc, sicuti in conviuiis Callia rege aut Alcibiade Socrates tamen auditur, in eúmq; sunt omnium oculi conversi: sic in rectè habentibus rebus publicis sumtus facit Ismenias, & Lichas cœnas præbet, chorum instruit Niceratus: Epaminondas autem, & Aristida, & Lysander imperant, remp. ac bella gerunt. In quæ intuentem convenit non submittere animum, neq; terreri ea existimatione, quę plebi ex theatris, cauponis, ac cœtibus hominum frequentibus adest: cùm ea perexiguo duret tẽpore, simúlq; cum gladiatoriis & scenicis ludis dissipetur, honore aut veneratione dignum habeat nihil. Qui apũ curæ atq; educationis periti sunt, eum alueum maximè sanas & feliciter agentes apes putant habere, ad quem strepitus est tumultúq; plurimum. At verò is, cui deus ratione donati ac ciuilis examinis curam imposuit, tranquillitate præcipuè & placiditate populi felicitatem æstimans, Solonis reliqua & probabit, & pro viribus imitabitur: id tamẽ in dubium vocabit, admirabitúrq;, quid in mentem illi venerit, vt legem ferret, qua qui seditione in ciuitate exorta neutri parti se adiunxisset, infamia notatur. Nam neque in corpore è morbo ad sanitatem redeundi initium fit ab vna correptis morbo membris, sed tum, cùm rectè valentium partium temperies prævalens id quod naturæ repugnabat depellit: & in populo non atroci neq; exitiosa seditione conturbato, sed quæ componatur, sub eius finem maximè necesse est vt quod incorruptum ac sanum mansit, multùm contemperetur, adsit, atq; vna habitet. ad hoc enim cõfluit quidquid sanorum hominum est idem sentiens, eorúmq; vis etiam per eos diffunditur qui viriati fuerant. At ciuitates in vniuersum seditionibus conturbatæ, funditus perierũt, nisi aliqua foris ingruente necessitate, malísq; castigatæ, vi ad sanitatem redigerẽtur. Neq; verò decet in seditione nullo mali sensu, nullo dolore perculsum sedere, ac suam perturbationis vacuitatem, vitámq; ociosam & beatam prædicare, interim aliorum erroribus delectari. Sed hîc maximè Theramenis induendus est cothurnus, itáque vtraq; cum parte conferendus sermo, vt neutri te aggreges. Existimaberis enim nõ eo, quòd nullius faciundæ iniuriæ socium te geras, alienus à ciuibus, sed ob auxilij lationem omnibus esse communis: neq; invidebitur tibi si non venias in partem calamitatis, cùm videare omnium ex æquo sortem dolere. Est autem præclarissimum, in id operam dare nulla vt vnquam oriatur seditio: idq; artis quasi ciuilis opus maximum est & pulcerrimum existimandum. Hoc enim considera cùm maxima quæ ciuitatibus contingere possunt bona sint pax, libertas, vbertas, hominum copia, & cõcordia: ad pacem quidem in præsentia nihil est quod operam ciuilium virorum requirant populi, omni & Græcanico & barbarico bello penitus sublato. libertatis quoq; tantum est ciuitatibus, quantum imperatores concedunt: neq; expediret fortasse amplius. tum ea est terræ vbertas, ac frugum copia abundans, anniq; temporũ constitutio salubris:

De seditionibus & dißidiis ciuium.

Nupta facit similiq; virum nunc prole parentem: *Hesiod.*

vt sani hominis sit, iis qui nascuntur suis ciuibus salutem à diis optare. Ergo ex officio ciuilis viri subiectis rebus hoc vnum ei restat, quod nulli alteri bono præstantia cedit, vt ciues suos concordia, mutuáq; amicicia inter sese vti doceat, lites, discordias, inimicitiásq; omnes aboleat. Qua in re idem aget, quod in amicorum dissensionibus. cum ea parte, quæ iniuria affici videbitur, ita colloquetur, vt ipse quoque particeps iniuriæ acceptæ indignationísq; videatur. deinde animum placare eius conabitur, ac docere eos qui iniurias dimittunt quibus sunt affecti, his qui contendere & vincere litigando instituerunt non æquitate modò & placiditate, sed & animi magnitudine potiores esse: & cùm de suo iure paulum remiserint, in pulcerrimis maximísque rebus victoriam reportare. pòst & singulos & vniuersos de imbecillitate rerum Græcarum edocebit, qua perfrui cordatus quisque satius arbitretur, & in pace ac concordia inter

Concordia ciuium.

suos vita defungi, quàm certamen, cuius nullum fortuna præmium fecerit reliquum, obire. Quis enim principatus, quæ gloria victorem, quæ manet potentia, quam non leue aliquod proconsulis edictum vel abolere possit, vel aliò transferre? nihil studio dignum habituram, ne si quidem perduraret. Quoniam autem sicvti incendium non sæpe à sacris & publicis exoritur locis, sed plerunq; neglecta in domo aliqua lucerna, aut inflammatæ quisquiliæ ingentem ediderunt ignem, ac publicam perniciē: sic non semper seditionem contentiones de publicis negociis excitant: sed sæpenumerò ex rebus & offensis priuatis in publicum propagatę lites totam exagitant ciuitatem. ciuili viro in hoc non minor, quàm vlla in alia re, ponenda est industria, vt his occurrat medeatúrq;, vt aliæ quidem lites omnino ne existant quidem, aliæ mox sopiantur, aliæ non faciant incrementum, neq; ad rempub. pertingant, sed penes ipsos maneant adversarios. & cùm ipse animum debet his rebus attendere, tum alios docere, priuata publicis, parua magnis causam præbere si negligantur, neq; ab initio iis medicina & correctio adhibeatur. Quo quidem modo Crates apud Delphos maximam periculosæ rerum mutationi occasionem suppeditauit. Erat filiam huius ducturus vxorem Orgilaus Phalidis F.: cúmq; in ipsis spōsalibus cratera media crepuisset, eo casu in omen tracto, derelicta sponsa cum patre discesserat. His paulo pòst sacrificantibus vas aureum eorum quæ sacra sunt subdidit, indictáq; causa Orgilaum cum fratre de saxo pręcipitauit: rursúmq; amicorum familiarium quosdam supplicantes in fano Providentiæ interfecit. Cùm multa talia essent perpetrata, Delphi Cratetem & seditionis socios necauerunt, & è pecuniis, quas nefastas appellabant, templa exædificarunt inferiora. Syracusis de duobus familiaribus adolescentibus, alter amasium alterius suæ custodiæ à peregrè proficiscente creditum absente illo vitiauit. reversus, vt vicem rependeret, adulterauit alterius vxorem. tum quidam seniorum in conciliū progressus, consuluit esse vtrunq; eiiciendum, priùs quàm sua inimicicia vrbem corrumpentes exitio essent. neq; tamē is persuasit, sed orta ex hac occasione seditio, maximis cum calamitatibus optimam reipub. formam pessundedit. Habes nimirū & ipse domestica exempla, Pardali cum Tyrrheno inimiciciam, quæ parum abfuit quin Sardes perderet ab exiguis & priuatis initiis defectione & bello conflatis. Non itaq; sunt negligendæ ciuium velvti vno in corpore offensæ, quæ discursus habent celeres: sed iniicienda manus, opprimendæq; sunt, & facienda medicina. nam (vt ait Cato) attentione & magna in parua, & parua in nihilum rediguntur. Ad hanc rem non alia maior est persuadendi efficacior machina, quàm seipsum præstare in propriis dissidiis placidum pacificatorem, absq; ira in primis causis persistentem, nulliq; adhibētem contendendi vehementiam, aut iram, aut alium affectum aliquem, qui necessariis disceptationibus asperitatem acerbitatémq; ingerat. Etenim eorum qui in palæstra decertant manibus globos quosdam præligant, ne certamen in plagam aliquam atrociorem & lethalem desinat. At in disceptationibus causarum & iudiciis præstat nudis purisque causæ fundamentis rem gerere, neq; res tanquam iacula acuendo conviciisque malignitate & minis velvti veneno, imbuendo, extremè perniciosas & in publicum erumpentes damnum redigerē. Qui enim quo dixi modo eos quibus cum ipsi res est tractat, alios quoq; sibi habebit obtemperantes. at contentiones de publicis negociis, vbi priuatæ inimiciciæ fuerint detractæ, viles fiunt, neq; magnum vllum aut atrox malum inferunt.

alika piaculares devotas ac sacras

PLVTARCHI
De vitando ære alieno, commentariolus.



PLATO in legibus vicinos alienæ aquæ participes fieri non sinit, nisi vbi domi solo vsq; ad terrā ceramitidem (ita argillam vocat) exhausto, aquæ id sterile deprehenderint. argilla enim cùm sit pingui ac densa natura, humorem acceptum cōtinet, neq; dimittit extra se. eos aūt vult alienorum in partem venire, qui propria parare nequeunt, lege inopiæ opitulante. Nónne evidens est eam legem ad rem pecuniariam pertinere, ne ab aliis mutuum sumāt, alie-

alienósq; fontes adeant, non antè domi suis copiis examinatis, & quasi guttatim collegerint quod vsibus & necessitati eorum suppeditet? Nunc luxu, mollicie, & prodigalitate adducti, non vtuntur suis, sed magno fenore ab aliis accipiunt nulla necessitate compulsi. magnúmq; est huius rei argumentũ, quòd egeno pecuniam nemo credit, sed iis qui sibi copiam aliquam parare volunt, testémq; & sponsorem habent esse se quibus tutò mutuum committatur, cùm debuerit cui res est mutuum nihil sumere. Quid mensarium aut negociatorem demereris? quin tu à tua mensa petis mutuum? pocula habes & paropsides & pelues argentea: hæc vsibus tuis adhibe. mensam Aulis aut Tenedus vicissim ornabunt figlinis, purioribus quàm sint argẽtea ista. non enim exhalant grauem istum ac molestum fenoris odorem tanquã æruginis quotidie contaminantis luxum, neque Kalendarum & nouilunij admonebunt: quam sacratissimam diem feneratores atram & abominandam faciunt. Equidem eos, qui potius quàm vendant, pignori sua opponũt, ne Iupiter quidem à possidendo Ctesius dictus seruare possit. pudet precium suarum rerum accipere, vsuras persoluere non pudet? At enim Pericles mundum Mineruæ, appendentẽ auri excocti talenta X L, ita composuit vt detrahi posset: hac de causa, vt aiebat, vt si eo auro Athenienses aliquãdo ad bellum vterentur, æquale postmodò restituerent. Ergo & nos tanquam in obsidione vsibus nostris inseruiẽtes, non patiamur nobis ab hoste feneratore præsidium imponi, neq; sustineamus res nostras mancipio duci: sed à mensa auferendo quorum vsus necessarius non est, à sponda, à vehiculis, de victus ratione detrahendo, libertatẽ nostrãm tueamur: ociosa ista reparaturi vbi res secundæ affluxerint. Sanè Romanæ mulieres mundum suum Apollini Pythio dederunt primitiarũ loco: ex quo aureus crater confectus Delphos venit. Carthaginienses autem mulieres capita totonderunt pro patria, vt crinibus earum machinę & instrumenta intenderentur. Nos, dum contentos esse nostris rebus pudet, dandis pignoribus contractibúsq; subeundis in seruitutem nosmet damus, vbi par erat contractis ad vtilia cupiditatibus invtilia nos & ociosa concidere aut divendere, itaq; nobis ac familiæ fanum libertatis exstruere. Diana quæ Ephesi colit, debitores qui ad ipsius templũ confugiunt, tutos à creditoribus & intactos præstat. At frugalitatis asylum vbiq; patet temperantibus, cum multo ocio amplitudinem parans hilarem atq; honorificam. Sicvt enim bello Medico Pythia Atheniẽsibus ligneum murum diuinitus dari cùm dixisset, illi regione, vrbe, opibus, & domibus relictis, libertatis seruandæ causa se in naues contulerunt: ita nobis concedit deus ligneam mensam, peluim figlinam, & vestem asperam, si liberi viuere volumus. Frugalitas.

Non tu cornipedes exspecta, —— non bigas cornutas atq; argento ornatas, quæ celeribus fenoribus anteverṫuntur: sed quovis asino aut caballo vtens, fuge hostem & tyrannum feneratorem. qui non terram & aquam Xerxis more poscit, sed libertatem invadit tuam, & dignitatem tuam prostituit: si nihil des, obturbat: si habes, non accipit: si quid vendis, precium diminuit: si nihil vendis, vt vendas cogit: si iudicia exerces, compellat: si iuras, imperat: si ad fores eius venis, excludit: si domi inclusus es, ostium seruat atq; pulsitat. Nam quid profuit Atheniensibus Solon, lege lata ne corpora debitorum obligarentur? Quasi verò non seruiant feneratoribus, qui debẽt iis? Immò ne ipsis quidem seruiunt: quid enim mali esset? sed seruis eorum contumeliosis, barbaris, sæuis, eorúmq; similibus, quos apud inferos Plato ait ignitos pœnarũ exactores sceleratis adsistere. Hi sunt qui miseris debitoribus de foro locum flagitiosorum pœnis destinatum redegerunt, vulturum instar eos edentes & laniantes, &

Altius inserto tundentes viscera rostro: Odyss. λ, 578.

aliis tanquam Tantalis adstãt, vetántq; eorum quicquam gustare quæ colligunt. Sicvt autem Darius Athenas misit Datin & Artaphernem, catenas & vincula manibus gestantes ad vinciendum captiuos: ita hi syngrapharum & tabularum tanquam compedum plena vasa Græciæ importantes, circum vrbes ambulant eásq; transeunt, non, vt Triptolemus, mitem frugem ferentes: sed debitorum radices laboriosas & fecundas atq; inextricabiles: quæ circumquaq; succrescentes & germina proferentes, premunt atq; suffocant ciuitates. Lepores ferunt simul eodémq; tempore & parere, & alere, & alios concipere fetus. At verberonum istorum & barbarorum debita, pariunt antè quàm concipiant. Nam simul atq; dederunt, reposcunt, ac ponendo tollunt, & in fenore collocant ipsum fenus. Fertur apud Messenios,

Est Pylus ante Pylum, Pylus atq; alius tamen exstat.

in feneratorem autem rectè sic torseris:

Fenus præcedit fenus, superest quoq; fenus.

Et rident proinde isti physicos, qui ex eo quod non sit existere quicquã posse negant. nam apud ipsos ex eo quod neq; est neq; subsistit, nascitur fenus. Et cùm publicanum esse pro dedecore ducant, quod tamen leges permittunt, ipsi contra leges fenerando sibi homines vectigales faciunt: aut potius, vt verum dicam, inter fenerandum defraudantes. qui enim minus accipit quàm in tabulas accepti retulit, is circumscribitur. Enimverò Persæ secundum locum inter peccata adsignant mendacio, primum æri alieno. Nam plerumq; mendacium comitatur debito. Magis autem mentiuntur qui dant quàm qui accipiũt. mala enim fraude in suis adversariis solent plus scribere quàm dederint. Cuius mendacij causam habent non necessitatem, non inopiam, sed insatiabilem auariciam, cuius finis ipsis non datur fruẽdus, neq; quicquam vtilitatis eis adfert, pernicie interim stat eorum quos illi premunt. Non enim agros eorum, quibus eos eximunt, colunt: neq; debitoribus eiectis domos eorum inhabitant: neq; mensas spoliatorum apponunt, aut vestes vsurpant. Sed statim vno pessundato, alium venantur atq; inescant. Serpit enim ignis instar malum cum pernicie & exitio eorum quos arripit, vnum post alium cõsumens. Ignem autem hunc qui exsuscitauit atq; aluit fenerator, nihil amplius habet, quàm vt interdum suas rationes relegens notet quàm multos ad auctionem bonorum faciendam adegerit, quàm multos domo exegerit, vnde ac vbi volutatum argentum creuerit. Neq; hoc me dicere putetis, quasi qui bellum feneratoribus indixerim:

Iliad. α, 154. *Nam nemo illorum de nostris bobus equisve*
Auertit prædam. ——

hoc specto, vt iis qui faciles sunt ad pecuniam fenore sumendam demonstrem, quantum ea res turpitudinis habeat, quantum illiberalitatis: deniq; quàm sit extremæ cùm dementię tũ mollicies. Habes: noli te ære alieno obstringere, cùm non indigeas. Non habes: ne sumito mutuum. non es enim soluendo. Verùm hæc singulatim perpendamus. Cato cuidam seni malè se gerenti, Heus homo, dixit: cur senectuti multis alioqui malis laboranti, maliciæ dedecus superimponis? Et tu, dicerem pauperi, noli paupertati multis alioquin onustæ incommodis difficultates mutuum petendi & ære alieno te obligandi accumulare: neq; id, quo vno diuitiis pręstat paupertas, ei aufer. vacuitatem inquam solicitudinum. Nam illud quidem ridiculum est, quod proverbio iactatur: Capram non possum portare, imponitis mihi bouem, paupertatem sufferre non potes, & feneratorem in ceruices tuas imponis, onus cui ferendo difficulter etiã diues sufficiat. Dices, At quomodo alar? Hoccine, inquam, te rogare æquum est, qui habeas manus, pedes, vocem? qui homo sis, qui & amare possis & amari, beneficium accipere, & agere gratias? ale te litteris docendis, pueros liberaliter formando, ianitoris munus obeundo, nauigando, propter nauim in lembo nauigando. nihil horum turpius est, nihil molestius, quàm audire hanc vocem, Persolue quod debes. Rutilius ille Romæ cùm accessisset ad Musonium: Musoni, inquit: Iupiter Seruator quem tu imitare atq; æmularis, non sumit pecuniam mutuam. respondit Musonius subridens: Idem neq; mutuò dat. Nam Rutilius fenus mutua danda pecunia quærens, ei exprobrabat quòd mutuã acciperet pecuniam. Insana me herclè fuit hæc Stoici fastus affectatio. Quid enim attinebat Iouem Seruatorem huc adduci, cùm ex iis quæ semper ante oculos sunt licuerit ita monere: Hirundines, formicęq; non mutuantur, quibus neq; rationem, neq; manus, neq; artem natura dedit. Atqui homines abvndantia quadam calliditatis, iuxta se alunt equos, canes, perdices, ceruos, graculos. Cur itaq; animum ita despondisti? dicerem. an minus ad persuadendum habes graculo virium? an mutior es perdice? an cane minùs generosus? ita vt à nullo homine speres posse te iuuari, si famuli, pædagogi, oblectatoris, custodis, propugnatoris munus obeas? Non vides quàm multas terra, multas mare occasiones & materias tibi tui alendi suggerat? Audi Cratetem:

Pauperi æs alienũ cauendũ.

Alluditur ad Necyæ, 581.

Micylon hîc etiam vidi mala magna ferentem,
Vellera carpentem vxore adiutante misella,
Euitare famem vt possent ita tempore duro.

Cleanthem Antigonus rex cùm longo interposito tempore vidisset Athenis, interrogauit:

rogauit: Etiamnúmne molis Cleanthe? Ego verò, (respondit ille) ò rex, idq; vitę tolerandæ gratia facio, facturus quidvis aliud, dum ne avellar à philosophia. En tibi ingentem viri animum, qui à pistrino & alueo pistorio digressus, ea ipsa manu, qua molam versauerat, aut farinam coquẽdo pani subegerat, de diis, Luna, Sole, sideribus scriberet? Atqui ista nobis videntur seruilia opera. Itaq; ergo libertatis retinendæ causa æs alienum contrahentes, adulamur vernas, stipamus, cœnas præbemus, dona pẽsionésq; damus: non hoc paupertate cogẽte, (nemo enim pauperi pecuniam credit) sed prodigalitate impellente. Nam si contenti voluissemus esse rebus ad vitam necessariis, tam non esset feneratorum genus, quàm non est Centaurorum aut Gorgonum. Cæterùm luxus vt aurarios argentariósq; fabros, & vnguentarios ac preciosorum colorum tinctores, ita feneratores etiam produxit. Non enim panis aut vini preciũ debemus: sed prædiorum, mancipiorum, mulorum, tricliniorum, mensarum, & ea quæ effusè in publicum faciendo sumtu, aut ambitiosè invtilitérq; magnificentiã affectando prodegimus. Iam qui semel involutus est debitis, is semper manet obęratus, alium ex alio sessorem frænati in modum equi suscipiens. Neque datur effugere in pascua illa & prata: sed vagantur sicvt illi Empedoclei dęmones siue genij, deorum ira impulsi ac cœlo deturbati:

Aetheris hos almi vis in maris abiicit vndas:
In terram eructat pontus: Titanis ad orbem
Subvectat tellus: in vasta volumina magni
Aetheris impellit Titan. ——

ita alius ex alio excipit fenerator aut negociator: iam Corinthius, modò Patrensis, mox Atheniensis: donec ab omnibus oppressus vi fenorum, tandem dissipetur, ac in minutias quasi discerpatur. Sicvt enim qui in cœnum lapsus est, aut surgere debet, aut manere: versans autem ac volutans se madefacto corpore maiorem in se contaminationem recipit. sic in versuris soluendis debitores alia super alia contrahentes debita, magis magísq; sensim grauantur, ac persimiles fiunt bile flaua laborantium: qui curationem nullam admittentes, tantummodo id quod erant iussi egerentes, deinceps amplius choleræ colligere pergũt. nam eodem modo hi quoque expurgare malum nolunt, sed singulis anni portionibus cum dolore & adflictatione fenus pendentes statim imminente soluendi alterius tempore, rursum nausea & capitis grauedine vexantur. cùm debuerint semel omnibus excussis id genus oneribus integros se ac liberos præstare. Iam enim ad locupletiores istos mea, & molliores se convertit oratio, qui dicerent: Ergóne seruis carebo, & ædibus domóque? quod perinde est, ac si infirmus & intercute aqua tumens medico diceret, Ergo gracilem me vis inanémq; fieri? responderit sanè medicus, Quid ni, vt sanitatem recuperes? Tu quoque, inquam, seruis care, ne seruias: & possessionibus, ne ab alio possidearis. Atque adeò fabulam de vulturibus audi. Vomente vno, & eiicere se intestina dicente, alter adstans, Quid, inquit, mali est? non enim tua egeris viscera, sed cadaueris quod recens laniauimus. Ita etiam æs habentium alienum quilibet non suam villam, non domum vẽdit suam: sed creditoris, quem sibi dominum iuxta leges ipse fecit. At dices mehercle, Agrum hũc mihi pater hæreditariò reliquit. Etiam libertatem is tibi & dignationẽ tradidit, quarũ rerũ maior est ducenda ratio. Idem pedem & manũ tibi fecit: sed si quid horũ computrescat, mercede cõducit qui abscindat. Vlissi verò Calypso circumdederat vestes fra- Odyss. ε,264.
grantes diuinum odorem, sui amoris monimentum. Verùm vbi de rate in profundũ præcipitatus ægrè emersit veste madente ac graui facta: exuit eam atque abiecit, nudúmque pectus vittæ cuidam insternens Ibid. 439.

In terram enauit. —— seruatúsq; è mari, neq; veste neq; cibo deinde caruit. Quid? an non etiam debitoribus tempestas oboritur, cùm interiecto temporis spacio fenerator invadens, Persolue inquit?

Sic fatus, nimbos conduxit cœrula turbans. Ibid. 291.
Vnà Eurúsq; Notúsq; ruunt, Zephyriq; tumultus:

fenora sup fenora illuuie obruẽtibus. et qui sic obruit, is reluctat quidẽ aggrauãtibus: sed cùm nõ possit enatare, in fundũ deprimit, atq; vnà cũ amicis qui suã pro eo obligauerũt fidẽ pessundat. Cõtrà Thebanus Crates, cùm nemo ab ipso exigeret, cùm nemini quicquã deberet, ipsam rei familiaris dispensationẽ, curásq; & occupationes aversatus, rẽ IIX talẽtũm deseruit, sumtúsq; palliolo et pera ad philosophiã et paupẽtatẽ cõ-

fugit. Anaxagoras agrũ ouibus pascendũ reliq̃t. Sed q̃d necesse est hos cõmemorare? qñ etiã Philoxenus odarũ cõditor in colonia Siciliẽsi hæreditatẽ, rẽ, domũq; adeptus, cùm videret luxuriam, luxum, & inscitiam vulgo obtinere, Me hercle, inquiens, bona hæc me non perdent, sed ego ista: relicta aliis hæreditate ex insula soluit. At qui debent, dum exiguntur, tributum postulant, seruiunt, adulterina moneta circumveniuntur, omnia ista perferunt, atque tolerant: instar Phinei harpias quasdã alatas nutrientes, diripientes suum victum alieno tempore, & frumentum ante messem vendentes, oleum antè quàm oliuæ decutiantur, vinum ante vindemiam. Emtor ait tanti se habere, & notari precium iubet, interim adhuc pendente vua, & viti adhærente, atque Arcturum exspectante.

PLVTARCHI

Quæstiones Platonicæ.

Socratis ratio philosophandi.



Vidnam rei hoc est, quòd Socratem deus aliis obstetricis ministerium præstare iussit, ipsum gignere prohibuit? Sic enim in Theæteto ipse loquitur, non vtique suo more ludens & iocans: neque enim adhibuisset dei nomen dicto non serio. Et alioqui Plato eo in libro multa arroganter ac per iactantiam dicta Socrati tribuit. de quibus etiam hoc est. Multi enim, ô lepidum caput, eo sunt erga me animo, vt parati sint illicò mordere, quoties aliquid delirij eis adimo: putántq; ductum benevolentia hoc me facere. admodum quippe ignorãt neminem deum malè velle hominibus, ac proinde me quoque nihil horum malevolentiæ impulsu facere: sed quia nefas ducam mendacio assentiri, aut veritatem obruere. Númnam igitur suam naturam, vt maiore iudicij vi ac fecunditate præditam, dei nomine affecit? sicvt Menander:

Nam mens nobis Deus est. ——

& Heracletus: Ingenium hominis numen. Aut diuina aliqua causa, geniúsque aliquis Socrati hunc philosophandi morem præcepit? vt semper alios examinans, fastu eos & errore atque arrogantia, quibus rebus primùm sibi ipsis, deinde etiam vnà agentibus erant molesti, liberaret. Ea enim tempestate quasi fortuna quadã sophistæ in Gręcia proveniebant frequentes, quibus adolescentes multum pendentes pecuniæ, implebantur doctrinæ ac sapientiæ opinione, studióq; disputandi certatim: quod genus disputationis invtilibus contentionibus ocium tempúsq; conterebat, neq; pulcri aut vtilitatis quicquam habebat. Socrates autem ratione disserendi ad redarguendum apposita instructus, eáq; tanquam purgante vtens medicamento, eo fidem sibi autoritatémq; comparabat, quòd alios refellens nihil ipse affirmabat: & admittebatur faciliùs, quia vnà quærere veritatem, non suam opinionem defendere videbatur. Nam iudicium, res pervtilis, impeditur familiaritate. amantem enim res amata cęcum facit: de his autem quæ nostra sunt, nihil perinde amamus atque opinionem & orationem à nobis fictam. Etenim quę iustissima dicitur liberûm diuisio, hîc fit iniustissima. isthic enim suam quisque prolem debet accipere: hîc teneri debet quod est optimum, etiam si alienum sit. quo fit, vt qui ipse gignit opiniones, eo deterior sit alienarum iudex. ac sicvt sophista ille dicebat Eleos optimos fore Olympicorum certaminum arbitros, si nemo Eleus certaret: ita qui de disputatione aliqua rectè volet pronunciare, par est ipsum non ambire coronam, neque adversari iis quæ sunt diiudicãda. quippe & Gręcorum duces suffragia ferentes de his qui rem optimè gessissent, seipsos singuli optimos pronunciarunt: neque vllus est philosophus qui non eodem egerit modo, extra eos qui Socratis exemplo professi sunt nihil se de suo dicere. atque hi soli puros se & incorruptos iudices veritatis præbent. Nam sicvt aër in auribus contentus si non trãquillus sit propriæq; vocis expers, sed sonitus ac fremitus plenus, non accuratè excipit voces: sic in philosophia iudicium, si intus sit quo commoueatur & quod obstrepat, rectè intelligere nequit ea quæ foris dicuntur. Domestica enim & nobiscum habitans opinio, si optimè cum ea agatur, à philosophia regitur atque constituitur: reliquæ omnes à veritate aberrant. Præterea si compræhendere homo ac pernoscere nihil

Iudicium de philosophia vt instituendum.

hil potest, haud iniuria deus Socrati interdixit procreatione falsorum ac instabilium sermonum, qui instar zephyriorum ouorum essent: aliis autem dicere eum coëgit, vanis eos duci opinionibus. Nam haud exigua, sed maxima vtilitas erat eius orationis, quæ hominem maximo malorum vanitate opinionis liberaret.

Non Asclepiadis hocce deus dederat.

non enim corpori medicinam faciebat Socrates, sed animum occulto vitio expurgabat. Quòd si veritatis aliqua est scientia, vnica autem est veritas: nõ minus fert eo qui eam invenit is qui ex inventore eam discit. is autem faciliùs assequitur veritatem, qui non persuadet sibi se habere: & ex omnibus optimum deligit, sicvt is qui nõ genuit, optimum adoptat. Quin & hoc cõsidera, reliqua omnia nullius fuisse momenti, poëmata, mathemata, orationes arte cõpositas, sophistarum decreta: quæ gignere Socratem numen prohibuit. quam verò solam is existimabat sapientiam, & amatoriam appellabat, dei & mente percipiendæ naturæ nimirum cognitionem, eam non gigni ab hominibus, nõ inveniri, sed in mentem revocari. Quapropter nihil docuit Socrates, sed principia dubitandi tanquam dolores partum præeuntes adolescentibus suggerens, exsuscitauit atq; vnà confirmauit insitas noticias. idq; artem obstetricãdi appellauit, quæ non (vt alij profitebantur) intelligentiam extrinsecus ingereret auditoribus, sed demonstraret eam in ipsis insitam, imperfectam tamen, atq; confusam, & alumni egentem esse.

CVR supremum Deum omnium patrem & opificem appellauit? An deorũ qui creati sunt & hominum pater est, vt Homerus vocat: brutorum autem & anima caretium opifex? Non enim agri pater, si Chrysippo credimus, is dicitur qui eum cõseuit, quanquam è semine deinde fruges nascantur. * sed vsus est translatione more suo, & autorem mundi patrem eius nominauit: sicvt in conuiuio Phædrum patrem amatoriæ disputationis, quam is introduxerat: & in Phædro Lyciam, quo initium præbente multa ac pręclara de philosophia erant disputata. Aut interest aliquid inter patrẽ ac opificem, procreationem & ortum? sicvt enim quod procreatum est, id omnino etiam ortum est, non vicissim: ita qui genuit, is etiam fecit. ortus enim animati, est procreatio. Tum opus ab opifice confectũ, vt ædificatore, textore, lyræ fabro, aut statuario, prorsus ab autore suo abscedit. vis autem & principium procreatis, insita est progeniei, eiúsq; continet naturam, portiuncula quædam à genitore avulsa. Quando itaque mundus non effictis aut compactis operibus similis est, sed magna ei inest pars vitæ atq; diuinitatis, quam à se deus materiæ inseruit atque admiscuit: haud iniuria iuxtà & pater mundi, qui viuens exstitit, & opifex appellatur. Hæc cùm maximè ad sententiam Platonis accedant, considera an & hæc probabiliter dici possint. Cùm mundus constet è duabus partibus, corpore & anima: corpus quidem non genuit deus, sed à materia exhibitum conformauit ac concinnauit, suis terminis ac figuris devinciens definiénsq; infinitum. anima autem mentis, rationis, cõcentúsq; particeps, non opus modò, sed & pars dei est, neq; ab ipso facta, sed de ipso & ex ipso exstitit. Itaq; in repub. vniuerso comparato lineæ in partes inæquales duas sectæ, vtranque rursum in duas eadem proportione partes diuidit, & cùm eorum quæ videntur, tum eorũ quæ mente sola percipiuntur genera constituit. eorum quæ mente cernuntur prius genus quod complectitur primas formas, alterum mathematicum: eorum quæ sentiuntur prius quod continet solida corpora, secundum quod visa & imagines eorũ. Vnicuiq; porrò horum generum suam vim qua perciperetur atque iudicaretur adsignauit. primo mentem, mathematico intellectum, sensilibus fidem, simulacris & visis coniecturam. Quid autem voluit sibi, cùm Vniuersum in partes inęquales diuideret? & vtra maior est, sensilis an menti exposita? ipse enim non explicauit hoc. statim autem apparet, quòd sit maior portio sensilis. Nam diuisionem non admittens, eodémq; semper modo habens natura rerum sub mentis adspectum cadentiũ in arctum contracta est & pura. ea quæ dissipari circum corpora potest & hinc inde vagari, sensilem partem præbuit. Iam quod corpore vacat, suo continetur termino. corpus materiæ ratione infinitum est atq; immensum: cùm sensile fit, participanda mente definitur. Præterea sicvt ipsarum rerum sensilium quævis complures habet imagines, vmbras, et simulacra, & vniuersè ab vno exemplari permulta exempla fieri natura atque arte possunt: ita necesse est quæ hîc sunt, multitudine iis quæ isthic sunt præstare de Platonis sententia, qui sensilium rerum tanquam formarum in materia expressarũ

II.

Deus qualis, è Plat. Timæo.

Fine libri sexti.

* species (ideas ipse vocat) & exemplaria esse notiones mente conceptas statuit. Cæterùm mens vnum genus idearum quod omissa corporis consideratione abstrahitur à materia cõcipit: quod ad mathemata pertinet. ea ab arithmetica ad geometriam, hinc ad astrologiam, deniq; ad musicam seu harmonicã deducit. nam geometricæ fiunt res magnitudine ad numerum accedente, solidæ accedente magnitudini crassicie, astrologicæ cùm mouentur solida, harmonicæ vbi motum sequitur sonus. Quo fit vt si vocem motis, motum solidis, crassiciem superficiebus, magnitudinem quantis adimamus, iam in ipsis simus menti expositis ideis, quæ invicem nulla differentia discernuntur ratione Vnius & Solius. Non enim numerum vnitas efficit, nisi infinitum si attingat binarium. sic facto numero, ad puncta, tum lineas, deinde superficies, crassicies, mox corpora, & qualitates corporum affectorum progredimur. Porrò autem quæ mente cernuntur, vnicum habent quo iudicentur, mentem. Intellectus enim mens est in mathematicis, sicvt in speculis ex apparentibus formis sola mente cernendis. Ad corporum verò cognitionem ob multitudinem quinq; nobis sensus natura dedit qui de iis iudicent. neq; tamen hi omnia depræhendunt, multis sensum ob sui exilitatem subterfugientibus. At enim quanquam quisq; nostrum animo & corpore constat, tamen vis princeps mẽtis exigua latet in magna corporis mole. Eodémq; modo in Vniuerso res habet cum formis menti & sensibus expositis. nam quas mẽs videt formas, eæ sensilibus præsunt. principio autem cuivis plus in eo est, & maius id, quod ex se habet. Contrà autem aliquis dicet, primùm nos sensilia mente percipiendis comparando, quodammodo mortalia diuinis exæquare. Deus enim est ex iis quæ mens considerat. Deinde vbiq; id quod continetur continente minus est. At Vniuersi natura eo quod mente videtur sensilia continet. deus enim animam in medio positã per omnia extendit, eiq; foris corpora circundedit. Videri autem non potest anima, neq; vllo alio sensu percipi, vt in Legibus dictum est. itaq; & vnusquisq; interitui obnoxius est, mundus nequaquam interibit. Nam quivis nostrum intus vitalem vim mortali ac dissolubili corpore continet. in mundo contrà à principe parte & semper eodem modo se habente, corporea perpetuò conseruatur natura in medio sita. Et verò diuersis modis sensile & sola mente perceptibile dicuntur indiuidua esse, nullámque admittere partitionem. illud ob exiguitatem, hoc ob simplicitatem ac sinceritatem, & quod omnis priuationis expers est atque differentiæ. Quin & alioqui stolidum est corporeis rebus iudicare de incorporeis velle. Nam nunc indiuiduum dicitur, & quod in partes scindi nequeat, simul tamen vbiq; instat, neque eo vlla mundi pars vacat: sed & affectiones omnes, & actiones, interitúsque & ortus eo, quod Nunc dicitur, continentur. Quod autem mente percipitur, de eo sola mens iudicat, sicvt solus visus de luce, ob simplicitatem & similitudinem. Corpora autem cùm varias habeant differentias & diuersitates, aliàs aliis iudicandi instrumentis percipiuntur. Cæterùm ne hoc quidem rectè, quòd mentem cuius vis in nobis intelligit atque intelligitur, despiciunt: quæ cùm sit magna atque multa, complectitur omnia sensilia, & vsque ad res diuinas pertingit. Id verò maximum est, quod ipse in Conviuio docens quo pacto amatoriis vti debeamus, animum à sensilibus bonis ad ea quę sola mens cernit traducendo, hortatur nos, ne vllius corporis, studij, aut sciẽtiæ pulcritudini addicti seruiamus: sed abiecta ista pusillanimitate ad vastum pulcritudinis mare nos convertamus.

Mathemata.

III. QVA de causa Plato, cùm semper animam dicat corpore antiquiorem, eique ortus principium & causam, tamen dicit neque animã exstitisse sine corpore, neq; mentem sine anima, sed animam in corpore, mentem in anima? sic enim videbitur corpus & esse & non esse, quod & simul cum anima exsistat, & ab anima gignat. An verum est id quod sępe diximus? Scilicet mentis expers anima, & corpus informe semper simul fuerũt, neutrúmq; eorum ortum habuit aut principium. Postquam autem anima mentẽ & harmoniam participauit, atq; ob concentum sapiens facta mutationẽ materiæ intulit, suísq; motibus superior motiones eius ad se traxit atq; convertit: ita corpus mundi ab anima principiũ duxit, eiq; cõforme & simile est factũ. Non enim ex seipsa naturã corporis est fabricata anima, neq; ex nihilo: sed ex incomposito & informi corpore conditũ atq; obtẽperans redegit. Ergo sicvt is, qui diceret semper vim seminis esse cum corpore, tamen corpus ficus aut oleæ à semine factum, nihil diceret dissonans: (ipsum quippe corpus motus & mutationis principio à semine indito sic natũ est atque pullulauit) ita informis & indefinita materia ab insita anima cùm formaretur, talem

Anima corporis principium. Timæo & legum X.

lem formam atque diſpoſitionem accepit.

IV. *De figuris & corporibus elementorum. Timæo.*

Cvr, cùm corpora & figuræ partim circulis, partim rectis lineis contineantur, rectilineorum principia ſtatuit triangulum æquilaterum & inæqualium omnium laterum (qui ſcalenus dicitur) quorum illud cubum confecerit, terræ elementum, hoc pyramidem, ac octo & viginti baſium corpora, ignis, aëris, & aquæ primordia: circularia autem omnino omiſit, quanquam globi mentionem feciſſet, vbi dictarum figurarum à quavis rotundum corpus ait poſſe in æqualia diuidi? An vera eſt eorum ſententia, qui eum dodecaëdrum, id eſt duodecim laterum corpus, globo adſcripſiſſe dicũt, cùm ait deum eo vſum in expingenda Vniuerſi natura? Etenim corpus XII baſium multitudine laterum, angulorúmq; amplitudine recti naturam ſubterfugiens, flexile eſt, & circùm extendendo, ſicvt globi è duodecim pellibus compacti, circulum imitatur, ac multa complectitur. Habet enim XX angulos ſolidos, quorum quivis tribus planis obtuſis continetur, ſingulis rectum & eius quintam partem cõtinentibus. Cõpingitur autem atq; concinnatur ex duodecim quinquangulis ęquilateris atq; æquiangulis: quorum quodvis conſtat è triginta primis ſcalenis. itaq; videtur ſimul & Zodiacum & annum repræſentare, quòd in æquales cum illis numero portiones diuidatur. An quia ordine naturæ rectum circumferentiæ antecedit? aut potiùs circumferentia accidens quodpiam recti eſt omnino. flecti enim dicitur rectum, & circulus deſcribitur è centro, certa inter id & circumferentiam intercapedine, quæ rectam lineam capit, & ſui menſuram habet. vndiquaq; enim circumferentia à medio æquè diſtat. Tum conus quoq; (ſiue turbinem mauis dicere, ſiue metam, nihil moror) conus inquam & cylindrus à rectilineis propagantur. ille ſi fixo latere vno trianguli, reliqua in orbem circumagantur: hic, ſi idem parallelogrammo contingat. Et quando principio id eſt propius, quod eſt minus: minima vtiq; eſt omnium linearũ recta, vtpote ſimplex. cùm in circumferente aliud ſit concauum, aliud convexum. Præterea numeri figuris ſunt priores, ſicvt & vnitas prior puncto. quod eſt vnitas in poſitu conſiderata. At verò quævis vnitas, triangulus eſt. Nam omnis triangulus numerus, ſi octies ſumtus vnitatem adſciſcat, quadratum exhibet: éſtq; hoc ei cum vnitate commune. Prior ergo circulo eſt triangulus: ac proinde etiam recta circumferentem antecedit. Iam elementum nullum in ea diuiditur, quæ ex ipſo ſunt compoſita: hæc in elementa reſoluuntur ſua. at triangulus non reſoluitur in vllam circumferentia comprænhenſam figuram: circulum duæ diametri in quatuor diuidunt triangulos. ergo prius eſt rectilineum circulo, magíſq; elementi naturam habet. Sed & ipſe Plato oſtendit priore loco eſſe rectilineum, circulum eius quaſi appendicem quandam & accidens. Vbi enim terram ex cubis conſtituit, quorum quivis rectilineis continetur ſuperficiebus: ait corpus eius globoſum fieri ac teres. Non itaq; opus fuit peculiare elementum rotundis ponere: quando etiam certo modo inter ſe concinnata rectilinea hanc figurã præſtare poſſunt. Adde, quòd rectæ lineæ ſiue magnæ ſint ſiue paruæ, eandem prorſus conſeruãt rectitudinem: circulorum circumferentiæ quanto ſunt minores, tanto magis curuatæ atq; arctatæ ſunt: quanto maiores, tanto laxiores. Inſiſtentes itaq; in ſuperficie convexa, aliæ in puncto, aliæ in linea, attingunt ſubiectas planas ſuperficies: vt ſuſpicari nõ nemo poſſit, à rectis paulatim multis compoſitis circumferentẽ lineam abſolui. Hoc aũt vide, ne eorũ quæ in caduca ſunt natura circulariũ & globoſorum, fortaſſe nihil ſit ex omni parte ſuo reſpondens nomini: ſub inſiſtentia & extenſione rectilineorũ, aut exiguitate particularũ latente diſcrimine, vt id quod nõ eſt, videatur rotundũ atq; teres. Itaq; ergo caducorum corporũ nullum circulari motu circumagitatur, ſed ad rectã omnia lineã. Verè autem globoſum eſſe, nõ eſt ſenſilis corporis, ſed animę & mẽtis elementũ: quibus etiam circularẽ revolutionẽ, vt naturæ convenientẽ eorũ, adſignat.

V.

Quomodo in Phædro dicitur naturam alæ, qua id quod graue eſt ſurſum evehitur, maximè eorum fieri participem, quæ ſunt circum corpus dei? An quia de amore ſermo eſt: amor autem eſt pulcritudinis corpori inhærentis. pulcritudo autem ſimilitudine rerum diuinarum mouet animũ, eíq; res in memoriã redigit? Aut potiùs abſq; vlla curioſa interpretatione, verba ſimpliciter ſunt accipienda. nempe quòd multis animi facultatibus circa corpus occupatis, vis ratiocinandi et intelligendi maximè diuinam participet naturam: quam ille vim diuinarum ac cœleſtium rerum capacem cùm dixiſſet, non abs re alam appellauit, vt quæ animam ab humilibus & caducis rebus ſurſum evehat.

VI. Timaeo. Qua tandem ratione ait Plato motus circumresistentiam (hoc enim nobis sit antiperistasis) eò quòd nusquam quicquam sit inane, causam esse eorum quæ eveniunt medicorum cucurbitulis, glutitioni, onerum iactationi, aquarũ fluxui, fulminibus, succino & Herculeo lapidi res ad se trahentibus, & sonorũ consonantiæ? videtur enim absurdè tam multorum támq; diuersorum effectuum vna causa adferri. Nam quomodo ob circumresistentiam aëris respiratio fiat, ipse satis explicauit: reliqua omnia dicens mirabiliter effici, nihilq; esse, atq; ipsa sese invicem cõtrudere, & vicissim impellendo suas sedes petere, singula nobis explicãda reliquit. Primùm de cucurbitula res *Cucurbitulæ.* ita habet. Aër carni proximus ab ea cum calore compræhensus & inflammatus, rariórq; quàm sint aëris meatus redditus, éxcidit nõ in vacuum spacium (quod nullum est) sed in eum aërem qui foris ambit cucurbitulam, eúmq; impellit: is ante se situm. atq; ita semper aërem aër impellit cedentem, appetens succedere in locum vacuatum prioris cessione. sic autem aër accidens ad carnem à cucurbitula compræhensam, at- *Glutitio.* que efferuescens, simul humorẽ in cucurbitulam elidit. Eadẽ est deglutiendi ratio. Cauitates enim quæ circa os sunt & stomachum, aëris sunt plenæ. cùm ergo cibus in eas deprimitur à lingua simul, & tonsillis intentis, elisus aër cedentem insequitur, vnáque cibum detrudit. Pondera autem iactata aërem scindunt, cum ictu incidentia, ac dissipant. is autem retrò circumfluens, eò quòd eius natura est hæc vt vacuatũ sequatur impleátque locum, subinde impulsum insequitur, motúmque accelerat. Ful- *Fulmen.* minum autem casus ipsi quoque similes sunt iactationi. Ab ictu enim, qui in nube fit, ignea materia explosa in aërem exsilit, ísque contrà ruptus cedit, ac rursum in sese concidens desuper, vi deorsum & contra naturam fulmen deprimit. Electrum verò nihil eorum attrahit quæ ei apposita sunt, vt neque Herculeus lapis, neque *Electrum.* quicquam ad ea sponte sua adsilit. Sed lapis hic halitus emittit graues, quibus con- *Magnes.* tinens aër impulsus, eum qui ante se est trudit, ísque in orbem agitatus, ac ad vacuatum revertens locum, vi vnà trahit ferrum. Electro quippiam inest flammeum aut spiritus habens naturam. atque hoc attritione superficiei reclusis meatibus emissum, idem agit quod magnes. trahit quippe secum proximorum corporum leuissima atque siccissima, ob tenuitatem & imbecillitatem. non enim ita validum est, neque grauitate impetúve præditum, quo multum aëris impellere, & maioribus magnetis in morem vim facere possit. Cur verò neque lapidem aër, neque lignum, sed ferrum modò ad Herculeum promouet lapidem? hæc enim est quæstio communis & horum qui tractione lapidis, & eorum qui incitatione ferri existimant istorum corporum fieri coitionem. Ferrum neque adeò rarum est vt lignum, neque ita solidum omnino vt aurum vel lapis: sed meatus habet quosdam & transitus atque asperitates, quæ ob inæqualitatem aëri proportione respondent: quibus efficitur vt non elabatur aër, sed sedibus quibusdam receptus, & à ferro moderatè reluctante compræhensus, cùm in id ad lapidem revertens incidisset, vnà secum rapiat atque perfe- *Fluuij.* rat. Atq; horum quidem hæc ferè est ratio. Modus autem quo aquę per terram fluentes contrà aërem circumagunt, non perinde est evidens. Sed animadvertendum est lacuum ac paludum aquas immotas manere, quòd eis circumfusus est vndiquaque aër immobilis, & nullum vacuum præbens locum. Itaque ergo quæ in superficie est aqua lacuum & marium, turbatur atque fluctuat aëre exagitato. sequitur enim statim eo locum mutante, atque ob inæqualitatem vnà defluit. Nam ictus qui infernè accidit, cauitatem fluctus efficit, qui supernè, grauitatem: donec considat & conquiescat humorem continens ambiénsque aër. Fluxus ergo aquarum, quæ ita feruntur vt subinde cedentem aërem insequantur, vicissimque ab impulsu adverso circumactis impellantur, absque fine continuantur. atque hæc est causa, quòd fluuij aucti aquis celeriùs currunt: iidem tenues & cauo alueo tardiùs meant ob imbecillitatem, non cedente aëre, neque magnam circumresistentiam percipiente. Sic & fontium aquas necesse est effluere, aëre extrinsecus in loca vacuata succedente in profundum, rursúmque aquam foras eiiciente. In domo etiam opaca & aërem ventúmve continente, solum aqua conspersum edit spiritum aut ventum: quòd humori incidenti ictúmque afferenti aër è suis sedibus cedit. Ita natura comparatum est, vt mutuò se pellant, vicissimque cedant aër & aqua: quòd nullum est vacuum in *Consonantia.* quo alterum subsistens ab altero non moueatur. De consonantia ipse modum aperuit, quo soni concinunt. Sonus enim celer, fit acutus, tardus autem grauis.

itaq;

itaque etiam sensum citiùs mouent acuti soni: quibus iam evanescentibus, vbi supervenisset graues, quod ex iis ob similem affectionem cōtemperatur, id voluptatem auditui adfert, quæ concentus dicitur. Facilè autem ex iis quæ antè dicta sunt intelligitur, horum instrumētum esse aërem. Quippe vox est ictus audientis sensus per aures ab aëre illatus. icit enim aër à mouente re ictus: quod mouens si vehemēs fuit, acutè: si languidum, molliusculè. & quidem vehemens ictus ac contentus ad aures celeriùs accidit: deinde aër circumiens & ictum assumens tardiorem, assequitur & secum ducit sensum.

Quomodo ait Timæus animas in terram, Lunam, & quę alia sunt instrumenta temporis dispersas esse? An hoc modo moueri statuebat terram, quo Solem, Lunam, & quinque planetas, quos conversionum causa appellat instrumenta temporis? & oportuit terram devinctam circa axem Vniuersi, non ita fabricatā intelligi, vt vno contento loco maneret, sed quæ converteretur & circumageretur? postmodò Aristarchus & Seleucus ostenderunt. Sanè hoc ille ita vt poneret tantùm, hic etiam pronuncians. Theophrastus porrò etiam id narrat, Platonem iam natu grandem pœnitentia fuisse ductum, quòd terram in medio Vniuersi non suo loco collocauisset. An verò his repugnant multæ aliæ haud dubiè probatæ Platoni sententiæ? Mutata igitur scriptura, datiuus chrono, pro genitiuo chronu legendus videtur: vt intelligas non sidera, sed animalium corpora appellari instrumenta. quo modo Aristoteles animam definiuit actum corporis naturalis instrumentis prędítí ac facultate vitę. Talis ergo fuerit sententia: animæ in congruentia ipsis & instrumentis prædita corpora in tempore sunt dispersæ. Sed & hæc aliena est opinio. Non enim semel, sed sæpius stellas instrumenta temporis appellauit: quādo etiam ipsum Solem ait cum reliquis errātibus stellis factum ad definiendos & custodiēdos temporis numeros. Optimum igitur fuerit sic accipere, dici terram instrumentum temporis, non quæ itidem vt stellæ moueatur: sed quòd suo ipsa semper in loco manens, iis motu cuique suo citatis ortuum & occasuum causa sit: quibus primæ temporum mensuræ dies & nox definiuntur. itaque custodem eam, & veracem noctis dieique artificem dixit. Etenim horologiorum quoque gnomones non quia vnà cum vmbris locum mutent, sed quia suo in loco persistant, instrumenta sunt dimetiendi temporis: eóque terram imitantur, quæ Solis infra ipsam delati lumen intercipit. Sicvt ait Empedocles:

Noctem terra facit, dum lucem intercipit almam.

VII. *Terræ anima & motus.*

Hoc ergo hanc habet expositionem. Id verò magis adhuc suspicetur non nemo dictum esse præter probabilitatem atque adeò absurdè, Solem & Lunam ac planetas factos esse ad distinctionē temporis. Nam cùm aliàs magna est Solis dignitas, tum ab ipso Platone in Republica vocatur rex dominúsque omnis sensilis naturæ, sicvt Bonū naturæ sola mente cernendæ. nam Boni soboles dicitur, visilibus rebus hoc dans vt & sint & conspiciantur: sicvt res quæ mente videntur sola, id à Bono habent, vt sint et intelligantur. Eum igitur deum, tali natura tantáque potētia, instrumentum temporis, ac conspicuam mensuram discriminis, quòd ratione tarditatis ac celeritatis octo orbibus inter se intercedit, non admodum dictu decorū ac probabile videtur. Respondendum est, eos qui his rationibus turbantur, ignoratione labi, quòd putant tempus mensuram esse motus et numerum secundum prius ac posterius, vt Aristoteles dixit: aut quantitatem in motu, ut Speusippus: aut intervallum motus, aliud nihil, vt Stoicorum nonnulli. ab accidente scilicet rem definiētes, naturam autem eius & vim non perspicientes. Quam quidem Pindarus non ineptè videtur intellectam protulisse his verbis:

Sol. lib. VI. prope finem.

Tempus quid.

Ad tempus, quod omnibus præstat cœlitibus.

Pythagoras quoque interrogatus quid esset tempus, Animā Vniuersi respōdit. Non enim affectio aut accidens cuiusvis motionis est tempus: sed causa, vis, et principium omnia orta continentis concinnitatis atque ordinis, quo natura Vniuersi mouetur, animata ea: aut potiùs ipsa cùm sit motus & ordo ac concinnitas, tempus dicitur. omnia enim mortalia iustè temperat, viam absque strepitu ambulans suam. Etenim anima secundum antiquos, numerus est seipsum mouens. itaque etiam Plato ait tempus vnà cum cœlo exstitisse, motum ante cœli ortum fuisse, tempus nō item. neque enim ordo tum erat, neque mensura, neque definitio: sed motus infinitus, tanquam informis & rudis materia temporis. quæ motio cùm deinde figuris materiam, motum conversionibus

seu circuitionibus informasset, ex altero mundum, ex altero tempus fecit. Haud iniuria autem ambo hæc deo tribuuntur: substantiæ mundus, æternitati tempus in motu: sicut in ortu mūdus est deus. Itaque simul orta cœlum & motum simul ait desitura, siquidem eis interitus accidat. Fieri enim non potest, ut quod ortum est, absque tempore sit, ut neque sine æternitate id, quod mente sola percipitur: quando id semper manere debet, illud ortum nunquam dissolui. Adeò itaque necessariā cum cœlo habet complexionem & compagem tempus, non simpliciter motus, sed (ut diximus) motus ordinatus, mensura sua, finibus, & revolutionibus contentus, quibus præfectus Sol cùm sit, eorúmque inspector, ut definiat, temperet, producátque in lucem mutationes & discrimina temporū, quæ, ut Heracletus dicebat, omnia ferunt: non vilibus aut exilibus, sed maximis ac præcipuis summámque continentibus in rebus principi ac primo deo operam nauat.

IIX. *De animæ facultatibus. Ex fine quinti.* Cùm Plato in Republica de animæ facultatibus differens, consonantiam rationis, eius in qua irarum ardores exsistunt, & cōcupiscentis optimè comparauerit concentui imæ, mediæ & supremæ chordæ: haud abs re dubitauerit aliquis, rationémne an verò iracundiæ capacem vim in medio collocauerit. neque enim id ibi expressè significauit. Sanè facultatum ratione loci facta dispositio, irascentem mediæ chordæ loco ponet, rationem summæ, quam Græci hypaten vocant. Antiquitùs enim primum & supremum ij hypaton dicebant. ita etiam Xenocrates Iouem in rebus immutabilibus hypatum vocat, imum in iis quæ sunt infra Lunam. & ante eum Homerus principum *Odyss. α, 45.* principem deum vocauit ὕπατον κρειόντων. Iustè autem natura præstantissimam partem summo statuit loco, ratione gubernatoris instar in capite collocata: lōgè autem hinc, & ultimo atque infimo loco posuit concupiscentem vim. unus enim locus nete & neatos vocatur: quod ex mortuorum appellationibus patet, qui νέρτεροι & ἔνεροι dicūtur. quidā etiam ventū, qui ex imo & obscuro loco spirat, inde Notum vocari autumant: Quo itaque modo ultimum primo, imum summo opponitur: cùm se cōcupiscentia habeat eodem modo ad rationem: non potest ratio summum esse & primum, non etiam * supremum, sed aliud. Qui autem ei medium locum, ut principem, tribuunt, ignorant se ei præstantiorem adimere. nempe summum, qui neque irascenti tribui, neque concupiscenti potest facultati: cùm utriusque ea sit natura, ut regi & obsequi rationi possit, neutrius ut ei imperet. Magis etiam ita videbitur comparatum natura, ut irascendi vis in medio constituatur reliquarū. Nam rationis quidem ea est natura, ut imperet: irascēdi facultatis, ut & regat & regatur. cùm & pareat rationi, & cōpescat coërceátque concupiscentiam rationi non obedientē. Ac sicut litteræ eæ quæ semivocales dicuntur, mediæ sunt inter mutas & vocales, quòd his minus, iis plus habent: ita in animo hominis irascendi facultas, nō intemperatè patiendi potestatem habet tantùm, sed sæpe * admixtam honesti imaginem, cùm ratione ad ulciscendum fertur. Ipse Plato cùm ani*In Phædro.* mam pari equorum cognato & aurigæ cōtulisset, aurigam (quod neminem fallit) rationem facit. de equis eum qui cōcupiscendi vim refert, omnino contumacē & refractarium, hirtum circa aures, surdum, & qui vix flagello stimulísque pareat. irascentem verò partem fræno facilè obsequentem rationis, eiúsque adiutricem. Sicut ergo in bigis non auriga est virtute & potestate medius, sed equorum alter deterior rectore, idémque iugali suo melior: ita in anima Plato non principi parti medium locum tribuit, sed ei facultati quæ minus rationis habet quàm princeps pars, plus quàm tertia. Hic ordo etiam consonantiarum proportionem conseruat. cùm irascendi facultas mediæ chordæ vicem gerens ad rationem velut hypaten siue summam, referat diatessaron, (quartam vulgò dicunt) ad concupiscentiā verò, utpote quæ neten seu imam chordam repræsentat, diapente conficiat, quæ Quinta usurpatur. ratio autem ad concupiscentiam, tanquam hypate ad neten, diapason siue Octauam exhibet. At si medio loco rationē collocares, iam longiùs irascendi vim à vi appetēdi dimoueres: cùm nōnulli philosophorū similitudine harū moti, iram cum cupiditate idem statuerint esse. Quid, quòd ridiculū videtur primū, mediū & ultimū locis describere? cùm videamus hypaten in lyra supremā, in tibia ultimā habere sedem. & quocunque loco mesen in lyra posueris eodem modo contentā, eam acutiùs hypata, grauiùs neta sonare. Sanè oculus non in omnibus animalibus eundem obtinet locum: ubicunque autem situs sit, hoc à natura habet ut videat. Pædagogus etiam non præcedens, sed à tergo sequens, ducere dicitur. & Troianorum ille ductor exercitus

Nunc

Nunc inter primos cernendus prœlia obibat, Iliad.λ,64.
Nunc acies inter postremas imperitabat.

Vtrobiq; tamen primus erat, & primaria potentia pollebat. Eodē pacto animæ facultates non loci ratione in ordinem cogendæ sunt: sed vires & proportio examinandæ. Quòd enim ratio in corpore hominis principe loco inest, id per accidens fit. Primam autem atq; primariam vim tanquam mesa ad hypatam, ad partem appetentem, & vt ad netam ad partem irascentem habet ratio: quatenus vtranq; & laxat & intendit, omninóq; consonantiā eorum efficit, vel auferendo id quod est nimiū, vel nō sinendo eas planè luxari atq; torpere. moderatum enim & concinnū quod sit atq; proportione respondens, mediocritate definitur. Immò autem hoc imperfectum est, rationis facultatis mediocritates in animi affectionibus facere, quas sacras vocant substantias, * extremorum ad rationem, & inter se ratione temperaturam habentes. Non enim in bigis medio loco habetur iumentorū præstantius: neq; summo loco ponenda est aurigatio, sed mediocritas in inæqualitate celeritatis atq; tarditatis equorum. quomodo rationis vis corripiens absurdè concitatos affectus, & ad se accommodans inq; modum redigens, mediocritatem inter nimium & parum constituit.

IX. *De partibus orationis.* *In Sophista.*

Cur dixit Plato orationē è nominibus & verbis temperari? Omnes enim aliæ partes orationis præter has nihil fierent. Iuuenili quidem studio quodam Homerus omnes in hunc versum coniecit:

Αὐτὸς ἰὼν κλισίηνδε τὸ σὸν γέρας, ὄφρ' ἐὺ εἰδῇς. Iliad.α,185.

nam pronomen, participiū, nomen, præpositio, articulus, coniunctio, & adverbiū ac verbū in eo sunt: particula δὲ loco præpositionis εἰς posita: cùm κλισίηνδε tale sit, quale est Ἀθήναζε. Quid ergo pro Platone afferemus? Nempe antiquos ab initio id orationē siue λόγον appellasse, quod enunciatū hodie, id est protasis aut axioma Græcis dicitur: quòd scilicet primum vbi effertur, veritas in eo vel falsitas inest. Ea verò oratio è nomine & verbo constat: hoc prædicatū, illud subiectum dialectici appellāt. Cùm enim hæc audimus, Socrates philosophatur, Socrates mutatur: nihil præterea desiderātes, alterū verum, alterū falsum esse dicimus. Apparet nempe homines ab initio ad hoc orationem & vocem articulis distinctā desiderasse, vt & actiones & qui eas agerent, itémq; affectiones & qui iis afficerent invicem significare & explicare possent. Quoniam igitur actiones & affectiones verbo, qui agunt & afficiunt nomine satis disertè exprimuntur, sicvt ipse inquit: hæc significare ideo videntur. Reliqua autem dixerit aliquis non significare. Verbi gratia, gemitus, & vlulatus histrionū, atq; adeò arrisio & reticentia interdum, faciunt vt maiore vi sermo aliquid exprimat: non tamen ita vt nomen & verbū necessariā habent significandi vim: sed adscititiā quandam, quæ orationem variet: quo pacto litteras variant, qui spiritus & quantitates litteris annotant, non litteras, sed affectiones potiùs, & accidentia atq; differentias litterarū. quod manifestum fecerunt veteres, quibus XI litteræ suffecerunt ad eloquenda & scribenda omnia. Porrò vide ne non obseruemus Platonem dicere ex his, non per hæc orationē misceri: ac proinde, vt si quis dicat medicamentū è cera & galbano misceri, aliquis id calumnians obiiciat ignē & vas omissa esse, sine quibus mixtio fieri non potuit: ita nos Platonem culpemus, quòd cōiunctiones & prępositiones aliáq; id genus omiserit. Non enim ex his oratio, tamen eorū opera, neq; sine his confici videtur. Nam qui Verberare aut Verberari dicit, qui Socrates aut Pythagoras: is vtcunq; aliquid intelligendū ac cogitandū præbet. non itē si quis Quidem, aut Enim, seorsim pronūciet, licet concipere animo corporis aut rei alicuius notionem: sed nisi talia vocabula cū nominibus & verbis efferunt, inanibus sonis ac strepitibus similia sunt. nā neq; seorsim, neq; inter se coniuncta illa quicquā notāt rei: sed vtvt cōiungas inter se ac in vnū confundas coniunctiones, articulos, & præpositiones, conatus aliquid vnū ex iis facere, videbimur inanes sonos præcinere, non disserere. Nomine autē cū verbo constructo quod componit, illicò iā oratio est. Itaq; non iniuria nonnulli has tantùm partes orationis ponunt. Atq; Homerus etiam fortassis hoc declarare voluit, subinde dicens

—ἔπος τ' ἔφατ', ἔκ τ' ὀνόμαζεν. Iliad.α,361.

Verbum enim voce ἔπος solet innuere, vt in his:

Ὦ γύναι, ἦ μάλα τοῦτο ἔπος θυμαλγὲς ἔειπες. & Odyss.ψ,183.
Χαῖρε πάτερ ὦ ξεῖνε, ἔπος δ' εἴπερ τι λέλεκται Odyss.θ,408.
Δεινόν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

Non enim coniunctio, aut præpositio, aut articulus cùm dicitur, animo dolor adfertur, sed verbum hoc Efficitur, actionem designãs turpem à motu animi inepto profectam. Itaque etiam poëtas & scriptores laudantes aut vituperantes, solemus dicere, aliquem vsum verbis Atticis, bonis, aut contrà pedestribus. at talibus vsum articulis Thucydidẽ aut Demosthenem nemo diceret. Quid? inquies, nihilne reliquæ partes ad orationem conducunt? Respondeo sic conducere, vt salem ad obsonium, aqua ad mazam. Euenus quoque ignem condimentorum optimum dixit * dicimus, neq; * ignem neq; salem rei elixæ aut cibi, quibus semper potimur: non sicvt oratio istis sæpe videtur nihil indigere. Id quod de Romana lingua dicere possum, qua ferè omnes hodie homines vtuntur. Præpositiones enim paucis exceptis omnes sustulit, neq; vllis omnino vtitur articulis, nisi sicvbi eos tanquam fimbrias nominum adhibet. Neq; hoc est mirum. quando etiam Homerus heroici carminis ornatu omnibus superior, paucis nominibus articulos, tanquam poculis ansas, aut galeis cristas adiecit. Itaq; etiam notati sunt ij versus in quibus articuli exprimuntur. vt

Αἰαντι δὲ μάλιστα δαΐφρονι θυμὸν ὄρινε
Τῷ Τελαμωνιάδῃ. —— &
Ποίεον, ὄφρα τὸ κῆτος ὑπεκπροφυγὼν ἀλέοιτο. & pauca horum similia. In aliis infinitis articulus omissus neque perspicuitati neque elocutioni quicquam detraxit. Et verò neque animal vllum, neque instrumentum, neque armorum genus, neq; vlla deniq; alia res partis suæ alicuius sublatione fieri solet pulcrior, efficacior, gratior. Oratio coniunctionibus ademtis sæpe maiorem sortitur ad mouendum vim. vt in hoc

Ἄλλον ζωὸν ἔχουσα νεούτατον, ἄλλον ἄουτον,
Ἄλλον τεθνειῶτα κατὰ μόθον ἕλκε ποδοῖιν.

In Mediam. Et ista Demosthenis. Multa facere potest verberans, quorum aliqua percussus ne indicare quidem alij possit: figura, vultu, voce, quando contumeliosè agens, quando inimicus, quando pugnis, quando in malam. hæc mouent, hæc de statu rationis deturbant homines qui contumeliis non sunt adsueti. Item. Quid? nónne Medias ab hac ipsa die perorat, criminatur, clamitat? Si in suffragia mittitur populus, Medias Anagyrasius obtruditur, Plutarchi publicus est hospes, arcana nouit, vrbs ipsum non capit? Hinc est quòd ea figura, qua coniunctiones omittunt̃, valde ab iis commendatur qui artis oratoriæ præcepta scribunt. iidémq; eos, qui nimis adstricti legibus ac consuetudini nullam prætermittunt coniunctionem, incusant vt ociosam languidámq; molestámq; eo quòd omni varietate careat orationem efficientes. Iam res ipsa ostendit dialecticos, qui maximè coniunctionibus opus habent ad connexiones aut disiunctiones enunciatorum, ita eas vsurpare, vt iugo auriga vtitur & viminibus Vlisses ad oues Cyclopis. (Odyss. ι, 427.) non enim partem orationis aut compagem ista vocabula, sed colligandi instrumentũ significant, quod ipsa docet appellatio. neq; constringunt̃ iis omnia, sed ea tantùm, quæ non dicuntur simpliciter. nisi velis etiam lorum oneris, & gluten libri partem esse, ac diuisiones pecuniæ partem reip. gerendæ. quomodo Demades dixit, pecuniam, quæ populo ex ærario dabatur ad spectaculorum vsum, gluten esse popularis in repub. status. Quæ verò coniunctio ita ex multis vnum facit pronunciatum copulando atq; connectendo, vt marmor colliquefactum igni ferrum constringit? neque tamen marmor ferri pars vel est vel dicitur. quanquam id quidem genus res, dum in liquata subeunt atque penetrant, & afficiunt & afficiuntur vicissim. Con* iunctiones sunt qui censeant non vnum aliquid efficere, sed esse recensionem tanquã cùm ordine aliquot enumerantur, qui deinceps magistratum gesserint. Porrò ad reliquas quod attinet orationis partes, pronomen manifestò nominis est species. non tãtùm quia casus habet eosdem: sed quòd quædam prolata, propriissimè id, quod antè definitum dicendo fuit, exprimunt. neque video quid amplius dicat qui Socratem, quàm qui nominatim hunc hominem dicat. Quod participium appellatur, mixtum quidpiam è nomine & verbo, ipsum pro se nihil est, vt neq; communia femineorum & virilium nomina. construitur ergo cum nomine & cum verbo, temporum ratione verba, casuum causa nomina attingens. Dialectici talia vocant ἀνακλάστους, quasi si refracta aut decerpta diceres: quia scilicet nominum & appellationum vim habent. vt cùm militantem pro milite, amantem pro amatore diceres. Præpositiones galearum cristis, & basibus atque subiicibus licet comparare: quòd non verba sint, sed circa orationem versentur. Tu vide, ne frustis potiùs fragmentísq; vocabulorũ similes sint: sicvt

ſicvt litterarum portiunculis & apicibus ſcribunt qui feſtinant. Nam ἐμβλῆναι & ἐκβλῆναι manifeſtum eſt conciſa eſſe pro integris ἐντὸς βλῆναι, & ἐκτὸς βλῆναι. & προυργέσθαι loco πρότερον γενέσθαι, & καθίζειν pro κατὰ ἵζειν. ſicvt haud dubiè etiã λίθους βάλλειν & τοίχους ὀρύττειν feſtinantes orationémq; coarctantes dixere λιθοβολεῖν & τοιχωρυχεῖν. Proinde vnumquodq; horum vſum orationi aliquem præſtat, pars autem & elementum eius non eſt. hoc enim (vt docuimus) ſolis nomini & verbo debetur honoris, quæ primam iſtam conficiunt iuncturam, in qua verum falſúmve locum habet. quam protaſin alij, alij axioma, Plato logon ſiue orationem appellat.

PLVTARCHI

De primo frigido, libellus.



EST ne aliqua frigidi vis, Phauorine, princeps atque natura, ſicvt calidi ignis, cuius præſentia quadam & participatione reliquorum vnumquodque fiat frigidum? aut potiùs frigiditas caloris priuatio eſt, vt tenebras lucis dicunt, & motus quietem? etenim frigiditas ſtatui ſeu quieti videtur accommodata, ſicvt contrà calor mouendi facultatem habere: & calidorum frigefactio nullius præſentia facultatis agentis fit, ſed diſceſſu caloris. ſimul enim hic confertim abiit, & friget id quod relinquitur. & vapor quem aqua feruens emittit, vnà cum diſcedente calore elabitur. quo fit, vt frigefactio quantitati aliquid detrahat, calorem elidens, nihilo in eius locum ſuccedente. Quid ſi hoc primùm nomine iſthæc ratiocinatio falſi ſuſpecta ſit, quòd multas illuſtres facultates perimit, eáſque non qualitates & habitus, ſed habituum & qualitatum facit priuationes? grauitatem putà leuitatis, duriciem mollitiei, nigredinem albedinis, amarorem dulcedinis, & quæ aliæ qualitates ob vim ſuam ſibi inuicem opponuntur, non vt habitui priuatio. Deinde, quòd omnis priuatio ocioſum quippiam eſt & inefficax, vt cæcitas, ſurditas, ſilentium, mors. formarum enim diſceſſus ſunt, & naturarum abolitiones, non naturæ & ſubſtantiæ per ſe. At verò frigus in corporibus obortum non minores quàm calor affectiones motúſque efficit ſuapte natura. Coguntur enim multa frigore, ſtipantur, atque denſantur, & quies ſtabilitáſve eius non ocioſa eſt, ſed grauis atque conſtans, ob vim eius ſubfulciendi atque continendi robore præditam. Itaque priuatio quidem defectus eſt & diſceſſio oppoſitæ facultatis: at frigeſcunt multa multo intus calore inhærente: multa etiam frigus, quo magis ea calida ſunt, tanto magis cogit atque denſat, vt cùm candens ferrum in aquam intingitur. Stoici quoque ſpiritum aiunt in corporibus infantium refrigeratione acui, mutatáque natura in animam verti. verùm hoc controverſia non caret. Sed cùm frigus appareat opificem eſſe multarum rerum aliarum, haud par eſt id pro priuatione haberi. Præterea, nulla priuatio comparationem ſecundum plus aut minus admittit, neque eorum quę viſu orbata ſunt, aliud alio magis minúſve cæcum dicitur, nec quæ loqui non poſſunt, aliud alio magis tacere, neque quæ vitam amiſerunt, aliud alio magis mortuum. At inter frigida non minùs quàm calida gradus iſti ſunt, vt aliud alio magis minúſve, hoc admodum, illud non adeò, vnum remiſſiùs, aliud intentiùs dicatur frigidum: quòd materia aliâs vehementiùs, aliâs languidiùs affecta à contrariis facultatibus, alia aliis magis calida frigidáve ex ſeſe exhibet. Etenim habitus cum priuatione miſceri non poteſt, neque admittit vlla vis priuationem ſibi adverſam aut ſociam in ſubiecto adſciſcit, ſed ea ſubeunte cedit. Calida tamen aliquovſque manent frigido admixto, vt nigra albis, grauibus acuta, dulcibus auſtera. quæ quidem communicatio & concinnitas colorum, ſonorum, medicamentorum, ciborũ gratos multos amicóſq; ortus præſtat. Nam quæ eſt priuationis adverſus habitum oppoſitio, hoſtilis eſt & pacti exſors: cùm vnius natura alteram perimat. Ea verò, qua adverſę facultates opponuntur, tempeſtiuè ſi fiat, cùm multæ artes vtuntur, tum verò natura plurimum

Frigus non eſſe priuationem.

& in aliis gignendis rebus, & maximè in aëris mutationibus, iisq; effectis, quæ quia temperat atque dispensat deus, musicus appellatur. non sanè quòd grauia acutis, aut nigris alba accommodet, interq; ea consonantiam efficiat: sed quòd caloris & frigoris in mundo societatem dissidiúmq; ita gubernet, vt & coëant & discessionem faciãt moderatè, & nimia vtrique vehementia ademta, in rectum modum componat. Iam frigus perinde atque calor sentitur. Priuatio autem non visu, non auditu, non tactu, denique nullo planè sensu percipitur. Sentiri enim est substantiæ. vbi substantia nulla apparet, ibi priuatio intelligitur, quæ substantiæ est negatio, vt cæcitas visus, vocis silentium, corporis inane. nam neq; inane tangendo sentimus: sed vbi nullum corpus tactui occurrit, vacuum animo concipitur. neque silentium audimus: sed quando nihil audimus, silentium intelligimus. eodémq; modo cæcorum, nudorum, & inermiũ non est sensio, sed sensus negatione noscuntur. Ergo frigus, si quidem caloris esset priuatio, non sentiri oportebat: sed ea intelligi frigida, vbi calor abesset. Sin vt calor corporis tepore & laxitate, ita frigus eiusdem concretione atq; densatione sentitur: huius iam quoque constat vt & caloris suum esse peculiare principium atque fontem. Proinde vniuscuiusq; formæ priuatio vnica est & simplex: substantię ipsi plura discrimina, complures facultates sunt. Vnius modi est silentium: vox res varia, modò offendens sensum, aliâs oblectans. ac tales sunt etiam colorum figurarúmque differentiæ, aliâs aliter afficientes sentientem. quod autem tangi nõ potest, & quod colore, denique quod qualitate caret, nullo discrimine est præditum, sed sui simile. Videtúrne ergo frigus priuationum istarum de genere esse, nullóque discrimine afficere? Immò contrà magnæ vtiléisque voluptates corpori à frigore offeruntur: ac vicissim vehementia damna, dolores, ac prægrauationes, quando non semper cedit ac corpus deserit calor, sed sæpe intus inclusus reluctatur atque pugnat. (cui pugnæ nomen est horror atque tremor) & victo calore congelatio & torpor succedunt: calore frigus superante corpus intepescit ac relaxatur, quod ἰαίνεσθαι vocat Homerus. Verùm hæc omnibus sunt manifesta, hisq; maximè affectionibus ostenditur frigus calori vt substantiã substantiæ, vel qualitatem qualitati repugnare, non vt negationem aut priuationem: neque interitum esse caloris, sed naturam vi eius perimendi præditam. Alioquin & hyemem tempestatibus anni, & Aquilonem ventorum numero eximemus, vt æstatis & Austri priuationes, quæ proprium nullum habeant principium. At enim cùm in Vniuerso sint quatuor prima corpora, quæ ob numerum, simplicitatem & vim plerique reliquorum elementa & principia statuunt, ignis inquam, aqua, aër, & terra: necesse est etiam totidem esse primas ac simplices qualitates. quæ verò sint, nisi calor, frigus, siccitas, humiditas, quibus elementorum omnes motiones absoluuntur? Vt autem in grammatica elementorum sunt breuitates & longitudines, in musica graue & acutũ, non vnum alterius priuatio: ita in naturalibus quoq; rebus pro elemẽtis accipere debemus calida frigidis, & humida siccis opposita corpora, si quidẽ & rationi & iis quæ in natura visuntur effecta consentire volumus. Nisi si placet sequi Anaximenem illũ antiquum, & neq; frigidum in substantia, neq; calidum relinquere, sed ea facere communes affectiones quæ materiæ mutationibus comitentur. Is enim materiæ contractionem atq; densationem appellabat frigus: laxationem eius & raritatem, calorem. ideóq; non ineptè dici, calida hominem ex ore et frigida emittere. halitum enim compressum labiis atq; densatum, fieri frigidum: emissum aperto ore, ob raritatem calescere. Quem quidem eius errorem refellit Aristoteles. aperto enim ore è nobis ipsis calidum efflari docet: cùm verò flamus compressis labiis, non nos è nobis exspirare aërem, sed eum qui ante os est impelli & rebus incidere. Enimverò si substantiam caloris frigorísq; esse concedimus, progrediamur disputando, & quæ substãtia, quod principium, quæ natura sit frigoris, inuestigemus. Ij qui scalenis ac triangularibus figuris in corporibus sitis, rigere nos, tremere, horrere, aliáq; id genus pati ob asperitatem eorum dicunt: quanquam in particularibus errant, principium tamen inde sumunt vnde petendum fuit. Oportet enim tanquã à Vesta, à substantia Vniuersi quæstionem inchoare. Qua in re maximè apparet quo philosophus à medico, rustico, tibicine differat. His enim sufficit extremarum causarum consideratio. Si enim proximam causam perspexerint, vt febris est causa intentio aut humoris in locum alienum illapsus, rubiginis frugum ardores Solis post imbrem, grauis soni fistularum inter se inclinatio: satis hoc artifici est ad suum opus. Physico autem, qui veritatem contemplatur;

Iliad. ι, 103. alibi.

platur, vltimorum cognitio non finis est sed initium ad prima supremáq; proficiscendi. Itaque rectè Plato & Democritus causam caloris & grauitatis quærentes, disputationem non ad mentionem ignis & terræ finiuerunt, sed sensilibus ad mente sola cernenda principia revocandis, vsque ad minima tanquam semina progressi sunt. Veruntamen priùs etiam hæc sensilia tractare expedit, in quibus Empedocles, Strato & Stoici substantias facultatum ponebant: Stoici primum frigidum aëri adscribentes, Empedocles & Strato aquæ. Fortasse etiam fuerit qui terram substantiæ frigidi subiiciat. Verùm priùs illorum sententias consideremus. Quoniã ignis & calidus est & splendidus, oportet naturam ei oppositam frigidam esse & tenebrosam. vt enim splendido tenebrosum, sic calido frigidum opponitur: quia sicvt tenebræ visum, ita frigus tactum confundit: & calor sensum tangendi, vt splendor videndi diffundit. Ergo quod primùm in natura tenebrosum est, primùm etiam frigidum erit. Aërem autem primùm esse tenebrosum, ne poëtas quidem fefellit. tenebras enim aëris nomine afficiunt.

Aer an primum frigidum.

Aër crassus apud naues erat: haud quoq; Luna
Effulsit cœlo. —— & iterum:
Aëre disiecto, & pulsa caligine Solem
Reddidit, vt pugnam posset iam quisq; videre. Iliad. ρ, 649.

aërem quoque luminis expertem cnephas dicunt, quasi cenon phaus, id est inanem lucis: & nephos, nubes aër coactus densatúsq; appellatur. achlys etiam & homichla, quæ caliginem & nubeculam notant, & quæ alia luminis sensum impediunt, aëris sunt differentiæ: cuius id quod videri non potest & colore vacat, Ades, i. Pluto & Acheron nominatur. Sicvt ergo splendore deficiẽte tenebrosus fit aër: ita calore deserente quod restat, nihil aliud est quàm aër frigidus. itaque etiam tartarus dicitur à frigore: quod etiam Hesiodus docuit, tartarum appellans aërosum. & qui horrore tremunt ac quassantur, tartarizein dicuntur. Horum ergo hæc est ratio. Iam quoniam interitus rei, mutatio eius est in contrarium, videamus rectène hoc dictum sit, ignis mortem esse ortum aëris. Ignis enim moritur ipse etiam sicvt animal, vel vi exstinctus, vel sua sponte emarcescens. Exstinctio autem illustriorem facit eius in aërem transmutationem. nam fumus aëris est species, & nidor (vt est apud Pindarum) aëris recalcitrans fumo. Veruntamen etiam flamma ob inopiam tabescente, vt in lucernis, cernere licet summum eius in caliginosum ac tenebrosum aërem abire. Vapor quoque qui à balneo vel cùm ad ignem calefacti sumus, affusa frigida effertur, satis demõstrat calorem pereuntem in aërem mutari, vt naturæ ordine oppositum igni: vnde sequebatur, aërem primùm tenebrosum esse & frigidum. Porrò omnium quæ à frigore in corporibus efficiuntur vehementissima & violentissima res congelatio, in aqua à frigore efficitur. Ipsa enim suapte natura aqua facilimè diffunditur, instabilisq; est & à concretione aliena: ab aëre autem propter eius frigiditatem constricta crassescit & cogitur. Ideo dictum est:

Theogon. 119.

Aer ex igne.

Continuò ninget, Boream si prouocet Auster.

austro enim tanquam materiam præparante humorem, eum succedens Aquilo adstringit. & maximè hoc niues docent: aërem enim edentes & ante se spirãtes tenuem atque frigidum, ita defluunt. Aristoteles etiam cotes plumbi colliquari scribit ac fluere præ gelu & hyeme, sola aqua accedente. aër autem, vt apparet, cogit corpora frigore, itáq; dissipat & rumpit. Præterea aqua à fonte avulsa faciliùs cõcrescit. magis enim aër obtinet vi sua adversus minorem rem. Quòd si quis frigidam ex puteo aquam in vase rursum in puteum demittat, ita vt aquam vas non attingat, sed in aëre pendeat: paulo pòst temporis spacio eam quam antè frigidiorem sentiet. Quod quidem maximo est argumento, primam frigoris causam non esse adscribendam aquæ, sed aëri. Equidem magnorum fluuiorum nullus profundè gelu coit. non enim ad imum penetrat aër, sed ea tantùm adstringit frigore suo, quæ amplectitur propiùs pertinens. itaque barbari pedites eos transeunt, præmissis vulpibus. nam nisi crassa sit glacies, sed tantùm superficiem durauerit, animadvertentes ex hoc è strepitu infrà profluentis aquæ, retrò abeunt. Sunt etiam qui pisces tum captant partem glaciei aqua soluentes calida, aqua tunc funiculum hami demitti sinente. Adeò nihil in profundo agit frigus. At verò quæ in summo sunt, ita à concretione

ista mutantur, vt aqua in se coacta atque compressa naues collidat atq; perfringat. vt testantur qui nunc cum Cæsare ad Istrum in hybernis fuerunt. Quanquam id ipsum quod nobis vsu venit, satis locuples testimoniũ perhibet. Nam postquam loti sumus & desudauimus, tunc magis refrigeramur: corporibus laxatis multum frigoris vnà cum aëre recipientes. Idem hoc aquæ àccidit. nam faciliùs frigescit, si calefiat priùs: quòd sic faciliùs ab aëre potest affici. quando etiam qui feruẽtes aquas sursum exhau * riunt inque sublimi collocant, nihil nimirum agunt aliud, quàm quòd eas multo permisceri volunt aëre. Atque his quidem, Fauorine, probabilitatibus nititur ea oratio, quæ principem frigidi facultatem aëri vindicat. Quæ verò eam aquæ deferunt, non dissimilibus vtitur principiis: nempe hoc ipsum quoq; fato Empedocle:

An aqua sit primum frigidum.

Splendentem, & calidum cernes equidem vndiq; Solem:
Ast imbrem prorsus tenebrosúmq; horribilémq;.

Cùm enim calido frigidum ita, vt splendido nigrum opposuerit, hoc nobis colligendum dedit, ita eiusdem substantiæ esse nigredinem & frigus, vt eiusdem sunt splendor & calor. Nigredinem verò non ad aërem, sed ad aquã pertinere sensus testatur. Nulla enim res ab aëre nigra, ab aqua omnes nigræ redduntur. si enim candidissimã lanam vel vestem in aquam iniicies, nigra inde eximetur, colórq; is manebit tantisper, dũ vel calor liquorem exsiccet, vel prælum aut pondus superimpositum elidat. Et cùm terra conspergitur aqua, nigricant loca guttis occupata, reliquis pristinum colorem cõseruantibus. Ipsiúsq; adeò aquæ, si copiosa sit, quod imum est, obscurissimũ est: cùm partes aëri propinquæ pelluceant atque niteant. Ad hæc de reliquis humoribus maximè pellucidum est oleum, quia plurimum in se habet aëris. cui rei certo id est argumento leuitas, ob quam omnibus innatat humoribus, ab aëre sursum elatum. Quin & in fluctus marinos si invergatur, tranquillitatem facit: non ventis ob leuitatem eius inde delabentibus, (quod Aristoteles putauit) sed quia fluctus quovis humore ictus subsidat. Hoc oleo peculiare est, quòd splẽdorem & perspicuitatem in fundo aquæ præstat, aëre humorem dissipãte. non enim duntaxat in superficie iis qui noctu spongias captant, sed etiam vrinando eas in profundo maris consectantibus ex ore efflatũ lumen præbet. Non plus igitur nigredinis aëri quàm oleo, minus etiã frigidi inest. Nam oleum, quo nullus humorum plus in se habet aërei, minimè frigidum est, molliterque coit. quia aër in eius temperie contentus, non patitur id duriter adstringi. Acus quoq; & fibulas ferreas, aliáq; horum affinia opera non aqua tingũt, sed oleo, veriti ne aqua ob nimiam suam frigiditatem ea pervertat. Nimirum enim ab his æquius est iudiciũ peti, quàm à coloribus. quando quidem nix, grando, glacies, simul & nitidissima sunt & frigidissima. & rursum pix cùm opacior est, tum calidior melle. Cæterùm hoc etiã miror, eos qui aërem propterea quòd sit tenebrosus, frigidum statuunt, non animaduertere eum ab aliis propterea calidum asseri, quia sit leuis. Nam tenebrosum isthuc non tam familiariter congruit frigido, quàm graue & in statu persistens. Multa quippe caloris inania, splendorem tamen habent. leue, & quod spõte sursum efferatur, nihil est eorum, quæ sint frigida. Ipsæ quidem nubes, dum aëream seruant naturam, in sublime feruntur. deinde in humidum mutatæ, statim deorsum labunť: & frigore recepto non minus leuitatem quàm calorem amittunt. ac vice versa calore in eas incidente, rursum sursum feruntur, simul & aëream recuperantes naturam, & sursum enitentes. Id quoque argumentum quod de interitu afferebatur, vanum est. Non enim in contrarium abit quidquid interit, sed à contrario corrumpitur. Sic ignis vel aqua dum perimitur, in aërem mutatur. Nam Aeschylus non tam tragicè quàm verè dixit:

Compesce aquam, ignis supplicium.

Iliad. φ. & Homerus fluuio Vulcanum, Neptuno Apollinem in pugna physicè magis quàm fabulosè opposuit. ac Archilochus de contraria sentiente non malè dixit,

Illa dolos nectens, aquam ferebat altera
Manu, alteráq; ignem. ——

Apud Persas verò supplicandi genus erat acerrimum & repulsæ securum, si supplex cum igne in fluuium descendens, minaretur ignem se in eum abiecturum nisi impetraret quod petebat. fiebat enim compos voti, sed puniebať propter comminationẽ, vtpote iniustã & naturæ contrariam. Illud quoq; tritum, Ignem aquæ misces, vsurpatum in eos qui vi conantur efficere quod fieri est nefas, testari videtur igni aquam esse hostem,

hostem, ab eáq; illũ perimi & exstinguendo multari: non ab aëre, in quem suo interitu mutatur. Si enim id, in quod quidvis mutatur, contrariũ est: magis adversabitur aëri ignis quàm aqua. Mutatur enim in aquam, dum coit: in ignem, cùm dissipatur. sicvt rursum aqua dissipando in aërem, coëundo in terram abit: vt ego arbitror, ob familiaritatem & cognationem cum vtroq;, non quòd alteri eorum contraria sit atq; inimica. Illi vtro modo dixerint, argumentum corrumpunt. Absurdissimum verò dictu est, ab aëre aquam cogi, cùm ipsum aërem nusquam videamus concrescere. Nubes enim, nebulæ, & nubeculæ, congelatio non sunt, sed coitio quædam & crassicies humidi ac vaporibus repleti aëris: cùm siccus aër ne ad eam quidem vsque mutationem refrigeretur. Sunt enim certi quidam montes qui neq; nubem, neq; rorem, neq; nubeculam admittũt, verticibus eorũ in aërem purum humorisq; expertem penetrantibus. vnde liquet vel in primis inferioris aëris coitionem & densationem aëri ob humoris & frigoris admixtionem contingere. Rationi autem consentaneum est, quòd magnorum fluminum ima non constringuntur gelu. Superiora enim cõgelata, exhalationem nõ transmittunt: eáq; intus contenta atque relisa calorem præbet humori qui in profundo est. quod eo demonstratur, quia glacie soluta multũ vaporem aquæ emittũt. Hinc & animalium corpora per hyemem sunt calidiora, quòd calorem à foris circumstante frigore intrò compulsum intus cohibent. Illæ verò sursum exhaustiones aquæ & in sublime elationes, non tantùm calorem aquis auferunt, sed & frigiditatem. itaque minimè niuem aut ex hac expressum humorem mouent, qui valdè frigidam requirunt. motus enim vtrunq; amolitur. Hanc autem vim non aëris esse sed aquæ, sic licet deintegro ratiocinari. Principiò probabile non est aërem, qui ętheri appropinquat, superficiémque eius contingens, ab ignea tangitur substantia, vi esse præditum contraria. nam neque aliâs id fieri potest, cùm tangatur & extremis continuetur ei suis: & rationi non convenit, naturam deinceps à corrumpente posuisse, eíq; contiguum fecisse id quod corrumpatur, tanquam ea non communicationis & consonãtiæ, sed pugnæ esset effectrix. Vtitur verò natura rebus non sinceris, neque repugnãtibus: sed alternatim positum quendam rerum ordinémq;, non perimendis, sed communicandis naturis aptum mediis insertis instituit. Talis est aëris natura, qui inter ignem & aquam interiectus, & vtrunque eorum contingens, neque calidus ipse est, neque frigidus, sed temperie ex vtroque extremorum leui innoxiáque mixtus. Porrò aër vbiq; est æqualis: non tamen omnibus in locis æquè hyems & frigus sunt. nam aliæ partes orbis terrarum frigidæ sunt & humidæ, aliæ siccæ & calidæ, non fortuitò quidem hoc, sed quòd vna est frigoris & humidi natura. Africæ enim maior pars calida est & aquarum expers. Scythiam, Thraciam, & Pontũ qui pervagati sunt, lacus habere magnos aiũt, ac fluminibus permeari magnis. & quæ in medio sunt palustria & lacuũ similia, maximè frigent ob exhalationes humorum. Posidonius dum frigoris causam facit, quòd aër palustris recens sit & humidus, nostram opinionem magis etiam probabilem facit, tantum abest vt fidem ei deroget. nõ enim aër vt recentior quisque est, ita videretur frigidior, nisi in humidis origo inesset frigoris. Rectius ergo Homerus fontem eius indicans dixit:

Causa congelationis.

Aerem non esse frigidum.

Frigida de lymphis spirabat fluminis aura. *Odyss. ε, 469.*

Prætereà verò sensus nos sæpenumero fallit, vt vestem aut lanam tangentes frigidã, humidã nos tangere putemus: quòd scilicet vtriusque est qualitatis communis substantia, naturæq; vicinæ & familiares. In gelidis porrò regionibus multa rumpit frigus vasa ærea & figlina: nullũ tamen inane, sed plena omnia, frigore vim aquæ faciente. Sanè ait Theophrastus aërem vasa rumpere, vsum humore tanquam clauo. Sed vide ne elegãtiùs quàm veriùs hoc ille dixerit. nam hac ratione ea oportuit magis ab aëre rumpi, quæ pice aut lacte essent repleta. Sed videtur aqua suapte natura & primò esse frigida. opponitur enim ratione frigoris calori ignis, vt siccitati humiditatis, & grauitatis leuitati. denique ignis naturam habet dissipandi & diuidendi: aqua glutinandi & continendi, frigore constringens & cogens. quod etiam innuens Empedocles, subinde ignem Litem perniciosam, aquam Amiciciam vehementem appellauit. Etenim ignis quidem alimẽtum est id quod mutari in ignem potest: mutatur autem, quod familiare ei est: sicvt mutari id nequit, quòd eius est contrarium, vt aqua. nam & hæc, vt simpliciter dicam, neque vri potest, & facit vt materia, herba, lignum humida difficulter vrantur, & ob virorem flammam edãt languidam ac caliginosam, humore

calori ob naturalem inimiciciam repugnante. Atque hæc tu cum illorum argumentis comparando perpende. Cæterùm Chrysippus censens aërem primò frigidũ esse, eò quòd tenebrosus est, mentionem fecit duntaxat eorum, qui longius distare aquam ab æthere quàm aërem dicerent: & contra eos aliquid dicturus, Hoc pacto (inquit) etiam terram diceremus primò esse frigidam, quia longissimè abest ab aëre. itaq; hanc rationem tanquã planè absurdam repudiat atq; reiicit. Ego autẽ pro terra quoq; adferri posse puto probabilia argumenta, quibus eã primò frigidã esse fides fiat. Idq; primum ponam, quo Chrysippus pro aëre vsus est præcipuo. quódnam? quia is primùm sit tenebrosus. Nam si ille duas sumens facultatũ oppositiones, ex vna alterã necessariò sequi arbitratur: sexcentæ nimirum iã terræ adversus aërem oppositiones & adversationes possunt proferri, quibus etiã hanc, de qua agimus, esse consequentẽ asseramus. Non enim opponitur tãtùm terra aëri vt grauis leui, deorsum vergẽs sursum se efferenti, aut vt densa raro, tarda & stabilis velocib. prædito momẽtis: sed vt grauissima leuissimo, dẽsissima rarissimo, deniq; vt immobilis omnino suapte natura, ei qui sponte sua citatur motibus, & mediũ obtinens locũ ei qui semper in orbẽ circumvoluitur. Non est itaq; absurdũ, his tot ac tantis oppositionibus etiã calidi ac frigidi contentionem comitari? Non sanè. Splendidus verò est ignis, terra tenebrosa. immò autem tenebrosissima omniũ rerũ, lumini sq; vacuissima. Aër quidem primùm particeps est luminis, mutatúrq; celerrimè, impletúsq; splẽdore, eũ vsquequaq; differt, seipsúmque corpus lucis præbet. Sol enim surgens, vt quidã scriptor dithyramborũ cecinit, statim implet magnã ventorũ per aërem ingredientiũ domum. ex hoc lacui marique portio luminis immittitur, renidéntq; flumina, quatenus aër ea attingit. Sola omniũ corporum terra semper luminis expers est, neq; radiis Solis & Lunæ illuminantibus percellitur. fouetur quidem ab iis, & exiguam sui partem à calore subeunte patitur tepefieri: sed ob soliditatem suã lumen non admittens, tantùm in superficie circùm illustratur: interiora tenebræ, chaos, & inferi nominantur, & erebus nihil est aliud, quàm tenebræ in terræ corpore. Porrò noctem poëtæ terra natam fabulantur: mathematici ostendunt vmbrã esse terram adverso Sole lumini officientem. aër enim tenebris impletur à terra vt lumine à Sole: & quæ non illuminatur pars aëris, noctis est ea quantitate, quantam vmbra obtinet. Itaq; exteriore aëre etiã per noctem homines ac bruta animalia vtuntur, ambulántq; in eo per tenebras, in quibus vtcunq; vestigia quædam lucis atque reliquiæ dispersæ sunt. intra domos autem & tectis parietibúsq; inclusus, omnino cæcus est & luminis expers, terra scilicet circumquaque ambiente. Quin & tergora & cornua integra ob soliditatem lumen non transmittunt, dissecta autem & polita aëris participatione fiunt pellucida. Existimo terram quoque à poëtis identidem nigrã appellari, ob tenebras & luminis vacuitatem. vt preciosa illa tenebrosi cum splendido contentio, terræ magis quàm aëri cõgruat. Verùm ea ad propositam quæstionem nihil facit, cùm ostenderimus, multa frigida esse splẽdida, multa calida obscura & tenebricosa. Illæ verò frigoris magis cognatæ sunt facultates, graue esse, permanens, densum, immobile: quarũ aëri nulla, terræ omnes magis quàm aquæ insunt. Et quidem præcipuè frigidum sensu iudice durũ est, ac duriciei efficax, & resistens. nam Theophrastus narrat, pisces gelu concretos, si in terram demittantur, frangi ac conteri vitrorum instar aut fictilium vasorum. Apud Delphos ipse audiuisti eorum, qui Parnasum conscenderant opitulatum Thyadibus à vehementi vento & niue circumventis, ita gelu duratas ligni in morem diriguisse chlamydes, vt distentæ etiam rumperentur ac confringerentur. Quin & neruis & linguæ motum eripit, duriciémque infert nimium frigus, congelans humidas & molles partes corporis. Quæ cùm sint in conspectu, rem nunc sic consideremus. Omnis nimirum facultas quando prævalet, ea est natura vt mutet sibique simile faciat id quod ab ipsa est victum. ita quod ab igne vincitur, incendi, quod à spiritu, in aërem verti, quod in aquam incidit, nisi effugiat, videmus penitus humectari. Est ergo necesse vt quæ valdè frigore afficiuntur, mutentur in id quod primò est frigidum. frigefactionis verò exsuperãtia, est congelatio, quę ad extremũ rem in lapidẽ convertit, vbi frigore prorsus obtinente humor congelauit eliso calore. Itaq; terra in profundo concretũ aliquid frigore, & (vt sic dicã) glacies est. frigus enim merũ & nulla alia qualitate emollitũ ibi habitat, longissimè ab æthere repulsum. Ista autẽ cõspicua, pręcipitia, scopulos, saxa, Empedocles cẽset ab igni qui medio terrę ardeat edita sustẽtari. magis tamen apparet, ea quorũ calor

Terra an primò frigida.

Frigoris adiuncta.

elisus

elisus est prorsúsq; abiit calor, hæc omnino à frigore cõstringi & indurari: vnde & pagi Græcis dicuntur. multorúmq; extrema denigrata, quâ ignis excidit, igni advsta videntur intuentibus. Frigus enim alia magis, alia minus congelat, maximè ea quibus primò inest. Sicvt enim quãdo caloris est leue reddere, quod calidissimũ, idem & leuissimum est: & quia humiditas mollit, quod humidissimũ, simul etiam mollissimum est: ita si frigoris est cogere, frigidissimum quod est, erit etiã concretissimum, videlicet terra. Quod autem natura est frigidissimum, id vtiq; etiam primò erit frigidum. vnde conficitur, terram primò & natura esse frigidam. Idq; nimirum etiam sensu depræhenditur. Nam & lutum aqua est frigidius: & ignem terra ingesta exstinguunt. Fabri quoque ferro candenti & emollito marmorum scobem seu ramenta inspergunt, nimium fluxum inhibentes ac refrigerantes. Puluis etiam athletarum corpora refrigerat, sudorésq; exstinguit. Quid verò sibi vult nostra quotannis migratio, dum hyeme longissimè à terra nos in sublimia subducimus ædificia, æstate autem rursum ad inferiora & humilia confugientes, suauem in vlnis terræ habitationem quærimus? nonne id facimus, quia frigus petentes sensu ad terram deducimur, eámq; primùm natura frigidum agnoscimus. certè ad mare per hyemem victus, fuga quodammodo terræ est, relinquentium ob gelu eam quantum omnino fieri potest, aërémq; maritimũ, vtpote calidum, amicientium. at æstate terrigenam rursum & mediterraneum aërem adversus ardores desideramus: qui non frigidus ipse est, sed ex eo quod primùm & natura frigidum est editus, terræ virtute imbutus est, tanquam ferri quadam tinctura. Nam fluentium quoque aquarum eæ sunt frigidissimæ, quæ de montibus aut saxis manãt, & putealium aquarum quę in profundissimis sunt puteis. his enim ob profunditatem non amplius admiscetur exterior aër: illæ è sincera terra erumpũt. qualis est apud Tænarum, quam Stygis aquã appellant, è saxo parcis scaturiginibus confluens, ita frigida, vt omnia vasa rumpat, soláq; asini vngula possit contineri. Atq; etiam medicos audimus omni vniuersæ terræ facultatem refrigerãdi ac adstringendi naturalem tribuere, multáq; ab iis fossilia recenseri, quibus in medicina vis insit obthurandi atque cohibendi. Quippe elementum terræ non ad secandum, aut mouendum natura aptum est, neq; acumina habet, neque molliri aut facilè circumfundi potest. sed cubi in morem firma est ac stabilis. itaq; & grauitate prædita est, & frigore: siquidem ea vis eius est vt denset, compingat, elidat humorem, horrores & tremores in corporibus efficit ob inæqualitatem: quòd si superet omnino calore fugiente aut exstincto, habitum constituit omnino congelatum atq; exanimem. Itaque terra prorsum nõ ardescit, aut lentè admodum atq; ægrè vritur. Nam aër sæpe ex seipso flammam edit, fluitq; & fulgurat accensus: humore autem alimenti loco vtitur calor. non enim solidæ, sed humidæ ligni partes cremando sunt idoneæ: quo exsiccato, solidum & siccum relinquitur, in cinerem redactum. Neque ij quicquam agunt, qui hunc quoq; mutari & consumi contendentes, sæpe oleo aut adipe humectantes incendunt: cùm rursus ac denuò pinguedine exvsta, omnino tamen superet ac permaneat quod est terreum. Itaq; terram, quòd non tantùm locum suum seruet, sed etiam substantia sit immutabili, ac semper in deorum maneat domicilio, à stando Hestiam seu Vestam nominauerunt prisci ob statum & concretionem: cuius vinculũ est frigus, vt Archelaus physicus aiebat, nulla eam relaxante, nulla molliente, vt quæ calefieri aut tepescere nesciret. Ij autẽ, qui aërem & aquam frigida se cognouisse aiunt, terram negant: respiciũt ad proximam terram, aëre, spiritibus, aqua, & calore plenam mixturam atq; congeriem. Nihil verò differunt ab iis, qui non ætherem primò & natura calidum, sed aquam feruentem aut candens ferrum pronunciant: quòd hæc tangunt & contrectant, primum purum cœlestémq; ignem non sentiunt: vt hi quoq; terram in imo latentem non vident, quæ maximè terra intelligenda est, ab omnibus aliis secreta. Cuius tamen indicium etiam hæc sunt saxa, quæ è profundo magnum & toleratu difficile frigus emittunt. Qui autem potum frigidiorem facere volunt, ij silices in aquam iniiciunt. fit enim spissior, & vis eius intenditur frigore quod à lapidibus recens & sincerum in eam emittitur. Veteres ergo sapientes ac doctos censendum est statuisse cœlestia terrestribus non permisceri: non quòd velut in trutina ad inferiora loco & superiora respexerint, sed ad facultatum differentiam. quippe calida, splendida, velocia, leuia immortali ac sempiternæ naturæ adscripserunt: tenebrosa, frigida, tarda, mortalium & inferorum sortem parum beatam arbitrantes. Quando corpus etiam animalis dum spirat, & (vt poëta

ait) viret, tantisper etiam calore vitáq; fruitur: his priuatum, & iā solis terrestribus restantibus partibus, statim frigore & gelu corripitur. scilicet quòd in quavis potiùs quàm terrena re secundum naturam calor insit. Hæc tu, Phauorine, cum iis compone, quæ ab aliis sunt dicta. quæ si non multum vincant vincantúrq; probabilitate, valere iube opiniones, & existima, Philosophi magis esse in rebus dubiis assensionē cohibere, quàm aliquid tanquam certum probare.

PLVTARCHI
Commentariolus, Bellóne an pace clariores fuerint Athenienses.

* * *

Historici res gerentibus posthabentur.

ATQVE hoc quidē rectè respondit ipsum subsecutis ducibus Themistocles, quibus ille aditum ad res gerendas patefecit, barbaro profligato, & liberata Græcia. Rectè autē dicetur in eos idipsum, qui propter libros à se scriptos multum sibi tribuunt. Si enim desint qui res gerant, nullus erit historiæ scriptor. Aufer Periclis administrationem reip. & de naualis prœlij victoria ad Rium à Phormione erectū trophęum, tū Nicię apud Cythera, Megara & Corinthū egregia facinora, Pylū Demosthenis, Cleonis captiuos CCCC, & Tolmidā qui circū Peloponnesum nauiget, ac Myronidē qui Bœotos vincat apud Oenophyta seu Vineta: iā deleueris Thucydidē. Tolle Alcibiadis conatus audaces apud Hellespontū, Thrasylli ad Lesbū, & eversam à Theramene paucorū in rep. potestatē, Thrasybulū & Archippū, ac LXX istos qui à Phyla profecti contra principatū Spartanorum insurrexerunt, & Cononem res Atheniēses rursum in mare deducentem: sustuleris Cratippum. Ipse verò Xenophon suæ sibi historiæ fuit argumentum, scribens quomodo exercitum duxerit, & quid præclarè gesserit rei, ac de iis compositam historiam esse à Themistogene Syracusio. gloriam hāc alij deferens scriptionis, vt de seipso tanquam alio scribens faciliùs fidem inveniret. Reliqui omnes historici, Clinodemi, Diylli, Philochori, Philarchi, alienorum amorum tanquam fabularum fuerunt histriones, imperatorum & regum res gestas disponentes, ac sub eorum memoriam subeuntes, vt ab ea in partem aliquam splendoris & lucis collocarentur. Quippe ab autore factorum recellitur in scriptorem, atque in eo refulget imago gloriæ: vbi tanquam in speculo apparet in oratione effigies alieni facinoris. Profectò vrbs hæc multarum etiam aliarum mater, nutrixq; benigna fuit artium: quarum alias prima reperit inq; lucem protulit, aliis honorem, vim, incrementa contulit. non minimam verò ei debet & inventionis & exornationis partem ars pingendi. Nam Apollodorus pictor, qui primus hominum invenit colorum temperationem diuersorum, & vmbræ coloribus exprimendæ rationem, Athenis natus fuit. cuius operibus inscriptum fuit,

Pingendi ars.

Faciliùs hæc culpabit quis, quàm imitabitur.

Tum Euphranor, Nicias, Asclepiodorus, Plistænetus frater Phedię: quorū alij ducū victorias pinxerunt, alij pugnas, alij heroas. vt Euphranor, qui Theseum à se pictum Parrhasij Theseo cōparās, hunc dixit rosas edisse, suum autem bubulas carnes. Re vera enim Parrhasij pictus effictúsque fuit nitidè: & similis nonnihil alterius est. sed Euphranoris videns aliquis, non inscitè diceret:

Iliad. β, 547.

Ad cives ingenti pectore præditi Erechthei,
Quem Ioue nata Minerua aluit.

Pugnæ ad Mantineā expictio.

Pinxit etiam equestre adversus Epaminondam prœlium ad Mantineam pugnatum Euphranor non sine diuino quodam instinctu. Res ita habuit. Epaminondas Thebanus Leuctrica victoria elatus, cùm insultare Spartæ ruenti, fastúmq; & dignitatem ciuitatis conculcare in animo haberet, principiò cum LXX millium exercitu facta impressione ditionem Laconicam vastauit, finitimósque ad defectionem à Spartanis faciendam pertraxit. Deinde apud Mantineam cùm ij aciem opposuissent,

ad

ad pugnam provocauit. cúmq; recuſarent, & congredi non auderent, ſed ab Athenis ſuppetias exſpectarent: noctu caſtra mouit, hoſtibúſq; deceptis in Laconicã deſcendit: parúmq; abfuit quin ipſo adventu ſuo Spartam deſertam caperet. tamẽ ſociis Lacedæmoniorum id ſentientibus, & celeriter ad tutandam vrbem auxilia ferentibus, præ ſe tulit, rurſum ſe ire agros populatum: itáq; deceptis & ſopitis hoſtibus noctu è Laconica mouit, continentíq; itinere Mantinenſibus nihil tale exſpectãtibus ſupervenit: cúmq; ij tum maximè de mittendis Spartam ſuppetiis deliberarent, ſtatim Thebanos ſe armare iuſſit. Ergo Thebani, vt qui in armis ſibi multum tribuerent, ſtatim accurrere, & vrbem in orbem cingere. Mantinenſes verò trepidare, promiſcuè vociferari, diſcurſare, vt qui neq; tantas copias ſubitò fluctus in morem irruentes propulſare poſſent, neq; ſpem auxilij vllam viderent. Ecce autem hoc ipſo temporis & fortunæ in articulo Athenienſes è ſuperioribus locis in Mantinenſem agrum deſcendunt, ignari momentorum, & quantam præſens periculũ feſtinationem requireret, ſed lento gradu iter inſtitutum peragentes. Verùm vbi quidam excurrens quo res loco eſſet expoſuit: tametſi & pauci erant, ſi quis cum hoſtium numero compararet, & ex itinere defeſſi, aliorum etiã ſociorum pręſentia deſtituti, ſtatim tamen aciem inſtruxerunt. equitéſq; inſtructi & provecti vſque ſub ipſas portas muróſq; Mantineæ, acre prœliũ equeſtre commiſerunt, victoriáq; potiti eam vrbem è manibus Epaminondæ eripuerunt. Hanc rẽ Euphranor pinxit, videréq; eſt in pugnę eius imagine, quãta vi ac fervore animorum pugna fuerit commiſſa atq; peracta. ſed non puto vos pictoris artificium ducis virtuti comparaturos, aut paſſuros ſi quis tabulam trophæo, & imitationem ipſi rei vellet præferre. Dixit quidem Simonides picturã eſſe poëſin tacentem, poëſin picturam loquentem. Nam quas res tanquam ſi coràm agerentur pictores repræſentant, hæ vt præteritæ oratione enarrantur atq; conſcribuntur. ac cùm pictores idem coloribus & figuris exprimant, quod ſcriptores verbis & dictionibus: tãtùm hi materia & modo imitationis differunt: vtriſq; idem eſt finis propoſitus, iſq; optimus hiſtoriæ ſcriptor habetur, qui narrationem perſonis animóq; mouendo aptatis figuris ita conformat, vt picturam referat. Ad hanc quidem Thucydides evidentiã ſemper enititur, vt auditorem tanquam ſpectatorem faciat: & quæ animorum perturbationes atq; conſternationes ſpectãtibus accidiſſent, in eaſdẽ lectorem coniiciat. Nam ad ipſius Pyli aſperum litus Athenienſiũ aciem inſtruens Demoſthenes, Braſidáſque gubernatorem vt foràs nauim impelleret inſtigans, & ad tranſtra vadens, ac ſauciatus & animo deficiens, & ad locum remigibus vacuum declinans: tum è mari pedeſtre certamen Spartani, nauale è terra Athenienſes obeuntes: rurſúmque bello Sicilienſi terreſtre prœlium, nauali æquali Marte. hæc inquam omnia ita ſunt deſcripta, itáq; evidenter quaſi ob oculos poſita, vt non minores ferè quàm in re præſente factũ fuiſſet motus perturbationéſq; animus legentis perſentiat. Tamen ſi pictores nõ comparamus imperatoribus, ne hiſtoricos quidem iis ęquabimus. De Marathonia autem pugna nuncium attulit Therſippus Erœenſis, ſi Heraclidę Pontico credimus. Pleriq; ferunt Euclea cum armis à pugna adhuc calentem in fores principum incidiſſe: idq; vnum fatum, Saluete, ſalui ſumus, illico exſpiraſſe. Verùm hic quidem nũcius venit rei quam coràm vidiſſet, interq; alios pugnaſſet. Agedum ſi quis de colle aliquo aut ſpecula caprarum ouiúmve paſtor eminus pulcerrimi iſtius certaminis, omnémque orationem ſuperantis ſpectator, in vrbem nuncium rei attuliſſet, ipſe ſine vulnere & incruentus, ac præmij loco eos poſceret honores, qui Cynægiro, Callimacho, Polyzelóq; habiti ſunt, propterea quòd eorũ res geſtas, facinora, vulnera, interitus ipſe renũciaſſet: nonne videretur tibi omnem exceſſiſſe impudentiæ magnitudinẽ? quando Lacedæmonios aiunt nũcio victoriæ ad Mantineã partæ, quam deſcripſit Thucydides, carnem è phiditio muneris loco miſiſſe. Scriptores quidem rerum geſtarum, nũcij quidam ſunt vocales, réſq; ipſas orationis vi atq; pulcritudine æquant. debéntque iis gratiam, qui primi eos legunt atq; cognoſcunt. ſed & laudatur eorũ memoria propter eos, quorũ præclara facinora litteris commendauerunt. Non enim oratio, quantumvis eam dignemur auditione, res efficit. quando etiam poëſis gratiam honorémq; invenit, factis ſimilia narrans, vt ait Homerus:

Pictura et poeſis.

*

Plurima narrabat conficta, ſimillima veris. Odyſſ. T, 203.

Ferunt etiam Menandro familiariũ quendam dixiſſe: inſtant Liberalia, & tu comœdiam nondum compoſuiſti? atque eum reſpondiſſe: Ego mehercle comœdiam feci,

argumento iam materiáq; dispositis:restat tantùm vt ei versus accinã. Nam ipsi quoque poëtæ existimant res magis esse quàm verba necessarias atq; præcipuas. Corinna etiam Pindarum iuuenem adhuc,& audaciùs eloquentia vtentem monuit, esse eum artis musicæ rudem, quòd nullas fabulas scriptis insereret, quod poëtę esset officium: cùm elocutio,& figuræ,ornatúsq;,& cantilena ac carminis modus tantùm eò afferantur, vt rebus propositis suauitatem concilient. Huic admonitioni Pindarus, cùm animum perattente advertisset, carmen scripsit, cuius est initium:

Ismenúmne, an aureis vtentem fusis Meliam,
Aut Cadmum, aut Spartorum genus virorum,
Aut Herculis omnia superantis vim canam?

cúmq; id Corinnæ exhibuisset, ridens ea, Manu, inquit, ferendum est, non toto sacco. verè enim congesta omnis generis fabularum semina promiscuè in illam odam Pindarus confudit. Enimverò poësin fabularum compositione occupatam esse, etiã Plato docuit. Est autem fabula narratio falsa, veræ similis. longè itaque abest à rebus. Narratio enim rei, fabula narrationis simulacrum est: tantóque intervallo absunt fingentes à narrantibus, quanto hi à rem gerentibus. Sanè poëseos & lyrici carminis opificem nobilem Athenæ nullum tulerunt. Cinesias quidem videtur infelix fuisse dithyramborum conditor, homo nullis natalibus & ignobilis: exagitatúsq; à comœdiarũ scriptoribus & derisus, famam parum sibi fauentem expertus est. De dramatibus autem comœdiam ita censuerunt esse rem indecoram & importunam, vt lege Areopagitæ cauerint, ne quis porrò comœdiam scriberet. Floruit interim tragœdia, ac celebri fuit gloria, auditio & spectaculum quod eius ætatis homines maiorem in modum admirarentur. quia fabulis animorúmq; motibus fraudem faceret, qua & qui deciperet (vt dicebat Gorgias) non decipiente iustior, & qui deciperetur non decepto sapientior esset. iustior decipiens, quia præ se hoc tulerat: sapientior deceptus, quia qui non planè sunt stupidi, facilè voluptate orationis capiuntur. Et tamen, quam vtilitatem pulcræ istæ tragœdiæ Atheniensibus attulerunt? Themistoclis certè calliditas muris vrbem muniit, Periclis industria arcẽ exornauit, Miltiades libertatẽ reddidit patriæ, Cimon ad principatũ evexit. Si Euripidis sapiẽtia, Sophoclis facundia, Aeschyli grãdiloquentia perinde vel adversitatem aliquam depulit, vel splendorem parauit Atheniensibus: par est dramata cum trophæis conferri, ac theatrum prætorio opponere, & disciplinas cum rebus præclarè gestis comparare. Placétne ipsos viros introducere, notas & insignia suorum operum adferentes, seorsimq; vtrisq; ingressum dare? Accedant ergo præcinentibus lyris & tibiis poëtæ dicentes & cantantes: Fauete linguis, cedite nostris, si quis imperitus talium orationum, aut linguam non habet puram, aut * nobilium orgia Musarum neq; cecinit, neq; choris ducendis interfuit, neq; cornigeri taurivori lingua Bacchi sacra peregit. simul gestent instrumenta, laruas, aras, machinas in scena versatiles, & tripodes victoriarum præmia. vnà eant Tragi histriones, & Nicostrati, & Callippidæ, & Menisci, & Theodori, & Poli, tragœdię tanquã sumtuosæ mulieris comtores & gestatores, aut potiùs tanquã statuarum incrustatores, deauratores & tinctores. sequantur etiã vasa, personæ, trabeæ purpureæ, machinæ à scena: tum choros conficientium & stipatorũ negociosissima turba: sumtúsq; in istas res magnificus paretur. Quæ omnia cernens Laco ille non ineptè diceret, Grauiter peccare Atheniẽses, res serias in ludicrũ impendentes: hoc est magnarũ classium & exercituũ commeatũ atq; sumtus in theatrũ prodigentes. Si enim rationes subducantur quanti cõstiterint singulæ Atheniensibus fabulæ: apparebit eos in Bacchas, Phœnissas, Oedipos, Antigonam, Medeæq; & Electræ mala plus fecisse sumtuũ, quàm in bella pro imperio & libertate contra barbaros gesta. Etenim imperatores sæpe ad pugnandũ eduxerunt viros, cibũ ignis expertẽ secũ portare iussos. & triremiũ præfecti sociis naualibus naues instruxerunt, parata iis farina, atq; obsonij vice cepis & caseo. At choragi chorũ agentibus anguillas, lactucas, alliorũ nucleos, medullã apponentes, per multũ tempus conviuia præbebant, vocẽ exercentib. atq; luxuriantibus. atq; hi quidẽ si vincerent, restabat vt exagitarent atq; deriderent. victoribus nõ tripos erat, aut donariũ * quod ob victoriã dedicaret, vt Demetrius ait: sed in funib. effusa vita, & inanis tumulus desertę domus. Hoc enim vectigal est poëtices, nihilq; ex ea splẽdidius exspectãdũ. Contrà nunc huc accedentes consideremus imperatores, quib. progredientibus reve-

Scenicam poesin eleuat.

reuera fauendū est linguis, debéntq; iis de via decedere quicunq; nulla re domi militiæq; gesta nihil tale audet, animóq; nō sunt puro, neq; Miltiadis Medicidę, neq; Persicidæ Themistoclis manu orgiis sunt initiati. Martia hæc est caterua, in terra phalangibus, in mari classibus, spoliisq; & trophæis admixtis onusta. Audi Alala belli soror: hastarū hoc exordiū. Adite viri sacris mactantē mortē, vt aiebat Epaminondas Thebanus: pro patria, sepulcris, & aris in pulcerrima vos & splēdidissima date certamina. Videre mihi videor victorias eorū accedere, non bouem trahentes prēmiū aut hircū, neq; coronatas edera, & fæcem Bacchicam redolentes. Totas secum vrbes, insulas, continentes, & oras maritimas adducunt, coloniásq; populorum amplissimas, vndiq; trophæis & spoliis coronatæ. quarum ornamenta & monimenta sunt parthenones C pedum mensura, austrini muri, naualia, propylæa, Cherronesus, Amphipolis. Marathon Miltiadis victoriam deducit, Salamis Themistocleam, mille nauium insistentem naufragiis. Fert Cimonis victoria C triremes Phœnissas ab Eurymedonte. Demosthenis & Cleonis à Sphacteria captum Brasidæ scutum, vinctósq; milites. Cononis victoria mœnia Vrbi circundat. Thrasybulæa populum liberum à Phyla reducit. Alcibiadeæ apud Siciliam res Vrbis labascentes erigunt. è certaminibus Nelei & Androcli apud Lydiam & Cariam vidit Ioniam Græcia resurgentem. Reliquarum singulæ, si interroges quid boni attulerint reipublicæ: hæc Samum, alia Lesbum, alia Cyprum, alia Pontum Euxinum, alia I Ɔ triremes, alia C C I Ɔ Ɔ talentorum sui mercedem ac trophæorum respondebit. Ob hæc populus festos agitat dies, ac diis sacrificat: non ob Aeschyli aut Sophoclis victorias: neq; quādo Carcinus cum Aëropa rem habuit, aut cum Hectore Astydamas. sed sextam Boëdromionis diem hodiéq; Athenæ festā celebrant, memoria Marathoniæ pugnæ. Sexta vltra decimam eiusdem mensis, vinū funditur ob victoriam naualem Chabriæ apud Naxum ea die partam. Duodecima gratiarum ob receptam libertatem agendarum causa sacrificabant. tunc enim à Phyla in vrbem redierunt. Tertia autem eiusdē mensis die apud Platæas prœlio vicerunt. Decimamsextam Munychionis Dianæ consecrauerunt: tunc enim Luna vincētibus apud Salaminam Græcis pleno orbe apparuit. Duodecimam Scirophorionis sacram fecit pugna ad Mantineam, in qua pulsis cedentibúsq; sociorum copiis, soli à sua parte vicerunt Athenienses, trophæúmq; de victoribus hostibus posuerūt. Hæc vrbi gloriam, hæc maiestatem parauerunt. hæc sunt ob quæ Pindarus Athenas fulcrum Græciæ nominauit. non quòd ea Phrynichi vel Thespidis tragœdiis Græcos erexisset: sed quòd primùm (vt idem ait) apud Artemisium filij Atheniensium iecerunt splendidū libertatis fundamentum: & ad Salaminam, Mycalen, Platæas tanquam adamantinis fulcris muniuerunt Græciæ libertatem, & ad alios homines propagauerunt. At verò dices, poëtarum scripta esse ludicra. oratores autem habere aliquid, quo cum imperatoribus comparentur: vnde, vt apparet, sumtum sit quod Aeschines Demosthenem subsannans, eum dixit scribendo litem intendere oratoriæ contra artem imperatoriā. Ergóne dignum est præferre Plataicam Hyperidæ orationem Aristidæ rei ad Platęas gestæ? aut Lysiæ in XXX tyrannos orationem, Thrasybuli facto, aut Pelopidæ Archiam tyrannum interficientis? aut Aeschinis in Timarchum de scortatione, Phocionis facinori Byzantio auxilium ferentis, quo fecit, ne confœderatorū filij ludibrio & contumeliis Macedonum essent obnoxij? aut publicis coronis quibus ob liberatam Græciam ille ornatus est, comparabimus Demosthenis orationē pro corona? in qua id vnum splēdidissimè ac doctissimè fecit orator, quòd maiores suos iurauit qui apud Marathonem pro libertate propugnassent: potiùs, quàm eos qui scholis adolescētulos docent, in quibus erant Isocrates, Antiphontes, Isæi: verùm illos quorum ciuitas publica sepultura reliquias dignata est, in deorum numerum retulit orator, iurās eos, quos non imitaretur. Isocrates autem cùm eos qui in Marathone periculum vitæ pro patria adiuissent, tanquam alienis animis vsos decertasse dixisset, & eorum audaciam mortisq; contemtionem prędicasset maiorem in modum: ipse (vt fertur) iam senex factus, interroganti quomodo viueret, Ita, respondit, vt homo qui nonagesimum annū excessit, ac malorum omnium maximum mortem existimat. Non enim gladiū acuēs, non cuspidem lanceæ præfigens, non galeam poliens, non militans, non remum ducens: sed opposita, paribus membris constantia, similiter desinentia glutinans atq; cōponens, ac tantùm non dolabris atq; scalpellis læuigans ac complanans circuitiones verborum, consenuerat. quomodo itaq; non metuisset is homo strepitum armorū &

Victoriæ Atheniensium.

Oratores extenuat.

acierum armatarum conflictum, qui timuisset vocalem collidere vocali, & isocolon vna syllaba curtatum enunciare? Profectò Miltiades ad Marathonem profectus, postridie à commisso prœlio in vrbẽ venit victor cum exercitu. Et Pericles cùm Samios nono mense subegisset, Agamemnoni se præferebat, qui Troiam decimo demum anno cepisset. Isocrates autem tres penè olympiades consumsit scribenda Panegyrica oratione: cùm quidem tanto temporis spacio nunquam neq; militasset, neq; legationem obiuisset, neq; vrbem condidisset, neq; classi pręfectus emissus esset. & tamen innumera bella in id tempus inciderunt. Verùm interim dum Timotheus Eubœam liberat, Chabrias nauali prœlio apud Naxum depugnat, Iphicrates apud Lechęum Lacedæmoniorum legionem (Moram ipsi dicunt) concidit, & populus omni in libertatem restituta vrbe, secum vt sentiret Gręcia effecit: noster ille domi desedit, librum vocabulis suis effingens tanto tempore, quanto Pericles Propylæa & Hecatompedum exstruxit. Quanquam hunc ipsum quoq;, vt opus tardè conficientem, dicterio impetens Cratinus, ita ferè loquitur de ducendo per medium muro:

Verbis eum Pericles promouet quidem,
Ipsa tamen re proficit nihil. ——

Ac mihi sophisticam considera pusillanimitatem, quæ nonam vitæ partem in vnius * orationis compositione conterat. Iam vt ad Demosthenis veniamus orationes, æquúmne est eum imperatoribus comparari, aut orationem eius in Cononem de iniuria cum verberibus coniuncta æqualem iudicari apud Pylum statuto trophæo? aut * eam quę est in Amathusium de mancipiis, iis quos manu cepit ille Spartanis? aut quę ille de inquilinis scripsit, paria putare rebus ab Alcibiade gestis, cùm is Eleos & Mantinenses Atheniensibus contra Spartanos adiunxit? Quin & publicæ eius orationes id habent admiratione dignum, quòd in Philippicis ad res gerendas cohortatur, & Leptinæ factum laudat.

PLVTARCHI
De exsulio commentariolus.



VOD de amicis dicitur, idem etiam de oratione rectè vsurpatur, eam esse optimam atq; fidissimam, quæ rebus adversis vtiliter adest, auxiliúmq; suggerit. Nam multi esse præstò solent calamitate aliqua ictis, cúmq; his colloqui, sed invtiliter, atq; adeo damnosè. sicvt natare nescientes, dum in aquis demergi incipientibus conãtur opem ferre, iísq; complexu nectũtur, vnà etiam infra aquas deferuntur. Oportet autem ei qui in dolore est, orationem ab amicis adhiberi, non quæ assentetur, sed quę consoletur. Quippe in rebus adversis non opus nobis est qui vnà nobiscum tragici in modum chori plorent atq; lamententur: sed qui liberè nos moneant, doceántq; nos: quòd cùm aliás dolori indulgere, et animo concidere invtile sit atq; futile & fatuum. tum, vbi res ipsæ ratione tractatæ atq; ante oculos expositæ monent te sic teipsum debere compellare,

Non facta tibi est, si dissimules, iniuria:

nimis quàm ridiculum esse non carnem interrogare, aliquídne ei acciderit, non animum, an iste eum casus deteriorem fecerit: sed foris nobiscum dolentibus atque indignantibus magistris lugendi vti. vnde fit, vt ipsi cùm soli sumus, calamitatum tanquã * onerum pondera examinemus cum animo nostro. At verò corpus premitur mole imposita: animus plerunq; à se grauitatem rebus adiicit. Lapis durus est, frigida glacies: suapte vtrunq; natura, nõ extrinsecus istis adscitis suis qualitatibus. Sed exsulia, ignominias, honorum amissiones, contráq; coronas, magistratus, primum in consessu locum, quæ vt nobis vel gaudium vel mœsticiam adferant, non in ipsorum est situm natura, sed nostro iudicio iis modus præscribitur: ea quivis nostrum sibi vel facilia toleratu, vel difficilia suo arbitratu facit. Audire licet, quid Polynices, interrogatus,

Eurip. Phœniss. *Quid? patria carere num magnum est malum?*

respondeat:

Est maximum, & re maius, quàm dici queat.

Sed

Sed cognosce quid in diuersam sententiam Alcman dixerit, vt quidam de eo hoc epigrammate expressit:

O mea, maiorúmq; meorum patria Sardes,
Mihi in te si obtigisset educarier:
Rumperem in aurata caua nunc ego tympana veste;
Magnæ sacerdos matris, aut fœdus spado.
Alcmanem nunc me Lacedæmon nomine ciuem
Agnoscit, eruditum Graiis litteris:
Quæ me non paulo vestris fecere tyrannis
Præstantiorem, seu Gyge, siue Dascyle.

Ita eandem rem nomismatis instar vel vtilem vel damnosam redigit opinio. Esto tamen, vt multi dicunt atq; cantant, exsulium res grauis atq; dura. Atqui multi sunt cibi amari & acres, mordentésq; palatum, aut linguam vellicantes: quibus tamen dum dulcia quædam & grata admiscemus, id quod offendebat adimitur. Sunt & colores adspectu molesti, ad quos ob vehementiam nimiámq; vim oculorum acies cōfunditur & hebetatur. at pro remedio iis adiicere licet vmbras, aut avertere oculos ad viridia & iucundum habentia colorem. Idem hoc facere potes in tuo casu, vt cum eo temperes quæ tibi in præsentia commoditates adsunt atq; oblectamenta. diuitiæ puta, amici, ocium, & quòd nulla res ad vitam necessaria tibi deest. Paucos enim Sardianos puto esse, qui non malint cum tuis fortunis etiam extorres esse, optiméq; secum actum putare, si ita potius apud exteros iis detur viuere, quàm domo affixos testudinis instar nihil habere boni quo absq; molestia perfrui possint. Quemadmodum ergo in comœdia quidam amicum fortunæ iniquitate læsum bono animo esse, fortunámq; vlcisci iubet: quærentiq; quonam id facere modo posset, Philosophicè faciendum respondet: ita & nos eam, vt dignum est nobis, philosophicè vlciscamur. Quid enim? quomodo pluuiarum & Aquilonis iniurias defendimus? non equidem sedemus pluuia vel Borea incidente, aut flemus: sed ignem, balneum, vestem, tectum quærimus. Tibi verò ita, vt non facilè vlli alteri, hanc vitæ quasi occupatam frigore partem datum est refocillare, atque recalfacere: non qui indigeas adminiculis externis, sed vt rationi convenienter vtaris iis quæ tibi parata sunt. Nam cucurbitulæ medicorum humorem è corpore pessimum ad se trahentes, alleuant & seruant reliquum. qui verò ægritudini animi nimis sunt dediti, ij dum pessima quæque suarum rerum conquirunt, de iis secū soli disputant, inhærēntque iis vnde ad ipsos molestia pervenit: ij etiam ea, ex quibus vtilitatem capere poterant, invtilia sibi reddunt. Quo quidem tempore potissimùm iis opitulandum est. Duobus enim istis doliis, quæ fatalium evētuum plena Homerus in cœlo ait iacere: non Iupiter promus adsidet, vt aliis lenia & temperata, aliis sincera malorum exhibeat fluenta. sed nostrûm vnusquisque, si sapimus, haurientes de bonis quo mala temperemus, vitam facimus iucundiorem & tolerabiliorem: cæteris tanquam colis aut cribris intus manent atque inhærent, optimis per foramina aut rimas eiectis. Quapropter si in veram aliquam incidimus calamitatem: id quod ad hilaritatem animiq; trāquillitatem facit ex iis quæ in nostra sunt potestate accersere debemus, & bonorum quæ nobis adhuc supersunt consideratione aliunde oblatum incommodum mitigare. Vbi verò in ipsa re nihil inest mali, sed omnis dolor inanis opinionis errore confictus est: ibi quemadmodum laruas pueris metuentibus propius adhibemus retectas, inq; manus tradimus, vt adsuescāt eas contemnere: ita nos quoq; rationis lumine propius admoto detegemus quidquid præter rem putridum, vanum, & tragicè inflatum nobis obiicitur. Talis autem est tua è patria, quam putas, nunc tibi imperata commigratio. Natura enim patriam nullam cuiquam fecit, vt neq; domum, neq; agrum, neq; ærariam, vt Aristo dicebat, neque medicam officinam: sed fit, aut potius nominatur horum vnumquodque quovis tempore ab eo, qui possidet & vtitur. Quippe homo, si Platoni credimus, planta est non terræ infixa aut immobilis, sed cœlestis, cuius tanquam è radice caput sursum erectum in cœlum dirigatur. Inde est, quod Hercules dixit:

Remedium adversus ea, quæ molesta habentur.

Iliad. ω, 527.

Patria quæ sit.

Argiuus, aut Thebanus. haud enim peto
Vnius esse ciuis vrbis, patria
Græca vrbs mihi quæcunq; est. ——

Et Socrates melius,qui non Athenienſem,non Græcum, ſed mundanum ſeu mundi ciuem ſe eſſe dixit.noluit enim ſic à patria iſta appellari, quomodo Rodius aut Corinthius aliquis diceretur:neq; ſe incluſit Sunio,Tænaro,aut Cerauniis montibus.

Ex Euripide. Ci.2.Nat.deor.

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur?

iſti patriæ noſtræ ſunt termini. neq; hæc quiſquam exſul,hoſpes,peregrinus eſt, vbi idem ignis, aqua, aër. vbi iidem gubernatores atq; diſpenſatores, Sol, Luna, Lucifer. vbi eædem omnibus leges,ſub eodem magiſtratu, ſolſtitium æſtiuum, bruma, æquinoctium,Pleias,Arcturus,tempora ſerendi,tempora plantandi.vbi vnus rex & princeps deus,principium, medium, finémq; cõplexus Vniuerſi rectà pergit,& ſecundũ naturam circumiens.Hunc comitatur Iuſticia vltrix eorum qui diuinam legem deſeruerunt.hac omnes homines natura adverſus omnes vtuntur tanquam ciues. Quòd autem non habitas Sardibus, nihil eſt. Nam ne Athenienſes quidem omnes Colyttũ inhabitant,neq; vniuerſi Corinthij Craneum,neq; Pitanam Lacones.Ergóne tibi peregrini atq; extorres videbuntur Athenienſes,qui ex Melita in Diomeam commigrauerunt?Illi verò & menſem Metageitnionem appellarũt,& ſacrificia Metageitnia peragunt, commigrationem in viciniam è ſuis ſedibus (vnde illis nomen) æquo hilaríq; animo ferentes. Quæ autem terræ pars ab altera longè poteſt diſtare, cùm ipſam totã mathematici demonſtrent cum cœlo comparatam puncti loco eſſe?nos autem inſtar formicarum aut apum, ſi ex vno formicarum nido aut alueari excidimus, in mœrore ſumus,& peregrinos nos eſſe factos ægrè ferimus,ignari omnia,vt ſunt, noſtra putare atq; vſurpare.Ridemus quidem eum,qui dixit meliorem Athenis eſſe lunam quàm Corinthi.& tamen idem quodammodo nobis evenit,cùm extra patriã conſtituti terram,mare,aërem cœlum dubij conſideramus,tanquam diuerſa ab iis quibus adſueueramus.Quippe natura nos liberos ſolutóſq; dimittit:ipſi noſmet devincimus,in anguſtias cõcludimus,inq; arctum compingimus.Ergo Perſarum reges ſubſannamus,qui (ſiquidem hoc verè narratur)ſolam Choaſpis aquam bibentes,totum reliquum orbẽ terrarum aquæ expertem ſibi faciunt:ipſi interim aliò locorum tranſlati, Cephiſi,Eurota,Taygeti, Parnaſive deſiderio mundum nobis ad habitãdum non ſatis idoneum reddimus?Sanè quidam Aegyptiorum ab offenſo et irato rege in Aethiopiam deportati,hortantibus vt ad liberos & vxores ſuas redirent pudenda (caninum quidem ſatis hoc) oſtendentes reſponderunt, Quandiu hæc ſecum eſſent habituri, neq; vxores ipſis neque liberos defore.Honeſtius hoc et maiori cum grauitate dixeris,Hominem vbicunque mediocriter ſuppeditabunt res ad vitam tolerandam neceſſariæ,neque vrbe neque lare cariturum:tantùm adſit mens & ratio,anchoræ & gubernatoris vice,vt quovis portu,ad quem delatus fuerit,vti poſſit.Vt enim diuitiæ amiſſæ non facilè aut celeriter poſſunt reparari:ita patria fit quævis vrbs homini qui rebus vti poſſit, radicéſque habeat,quibus viuere vbique & ali,& adnaſci queat. quales habuit Themiſtocles,habuit Demetrius Phalereus.Hic enim poſtquam in exſulium fuit actus,Alexãdreæ primo inter Ptolemæi regis amicos loco,non ipſe modò vixit in abvndantia rerum,ſed Athenienſibus etiam dona miſit.Themiſtocles cùm regio ſumtu omnia ſuppeditarentur,ad vxorem & liberos dixiſſe fertur:Periiſſemus niſi periiſſemus. Ideò Diogenes etiam dicenti,Sinopenſes te exſulio è Ponto damnauerunt: reſpondit: & ego illos manſione in Ponto,

Ad Euxini maris prærupta litora.

Stratonicus autem in Seripho ex hoſpite quæſiuit,quódnam flagitiũ apud ipſos exſulio puniretur.reſpondentique eos qui mala fraude egiſſent,Cur, inquit, ergo non falſum committis,vt ex his anguſtiis emigres?& tamen Comicus ibi ait ficus fundis deiici,omniáque habere neceſſaria inſulam. Enimverò ſi ipſam veritatem remota inani opinione conſideres,qui vni vrbi ſe addicit,is à reliquis omnibus eſt alienus,& peregrinus in iis.nõ enim iuſtum videtur,ſua relicta eum habitare aliam. Spartam nactus es,eam orna:etiam ſi obſcura ſit,ſi morbis obnoxia,ſi ſeditionibus maliſque rebus turbetur.Cui verò ſuam vrbem fortuna adimit,ei concedit habitare quam delegerit. Pulcrum enim illud Pythagoreorum præceptum, Delige vitæ rationem optimam,ſuauẽ eam conſuetudo faciet:etiam hîc ſapienter poteſt vſurpari. Vrbem delige optimam & tibi iucundiſſimam:patriam eam tibi tempus faciet.& quidem patriam,quę te non diſtrahat occupationibus,non moleſta ſit interpellando, non iubeat modò Romam

Ex Plat.IV. Leg.

ire legatum, excipere modò præfectũ, aliâs publica obire ministeria. Quæ si quis memoria repetat non planè fastu inflatus, sua patria eiectus vel insulam sibi pro domicilio deliget. Gyaron puta, aut Cinarum asperam, sterilem, atq; cultu difficilem. idq; nõ animo æger, non lugens, neq; ista mulierum apud Simonidem vsurpans verba:

Tenet me purpurei maris
Fremitus circùm exagitati.

Angustia loci nihil adimi felicitati.

Sed illud Philippi potiùs secum reputabit, qui cùm aliquando in palæstra cecidisset, postquam conversus in puluere suam vidit imaginem: Dij boni, dixit, vniuersum terræ orbem appetimus, tam exigua terrę portione à natura nobis tributa? Existimo Naxum abs te spectatam, aut saltem Thuriam ei vicinam. atqui illa Otum & Ephialtẽ cepit, hæc Orionis fuit domicilium. Et Alcmæo in limo recèns compacto quem Achelous adgesserat, sedem posuit, cùm (vt est apud poëtas) Eumenides fugeret. ego autẽ arbitror eum quoq; ciuiles fugisse magistratus & seditiones furiosasq; calumnias, ac sibi delegisse exiguam sedem, vbi in ocio tranquillè viueret. Ti. sanè Cæsar septennium vsq; ad mortem Capreis vixit, tantóq; tempore totius orbis terrarum imperij sacra in vno corde conclusa, locum nusquam mutauerunt. Verùm ei quidem curæ imperij circumfusæ & vndiquaq; ingruentes, non concesserunt purã & tranquillã quietem insularem. Cui verò licet in exiguam digresso insulam non paruis liberari malis, is miser est, si non secum Pindarica ista loquitur, ac sæpe cantillat:

Amabo leuem cupressum.
Omissis Cretæ pascuis *
Terræ mihi datum est parum;
Careo interim doloribus: *

& verò absunt seditiones, mandata principum, ministeria publica, & officia difficulter excusanda. Si enim rectè dixit Callimachus, non debere nos sapientiam schœno (mensuræ hoc genus) Persica metiri: cur beatitatem schœnis aut parasangis metientes, si insulam incoleremus CC stadiorum, non vt Sicilia quatridui ambitu cõtentam, deploraremus nosmet tanquam infelices? Quid enim confert loci amplitudo ad molestiæ vacuitatem? Non audis quid in tragœdia dicat Tantalus:

Bis sex dierum mensura consero ego agros,
Berecynthia arua. —

ac paulo pòst dicentem:

Animus meus sursum vsq; euectus ad polum,
Decidit humi, & me sic videtur alloqui:
Disce haud nimis magni facere mortalia.

Et Nausithous amplam spaciis Hyperiam deserens, quòd vicini ei essent Cyclopes, in insulam commigrauit,

Quæ procul à reliquis mortalibus vsq; remota, *Odyss. ζ initio.*
Soláq; in vndosi sedes foret æquore ponti:

& evitatis aliorum hominum commerciis, suauissimam suis ciuibus viuendi rationẽ parauit. Iam Cyclades insulas olim Minois filij, postea Codri & Nelei progenies inhabitauerunt. hodie in iis fatui exsules supplicium se perferre putant. Quãquam quæ tandem exsulibus destinata insula non est amplior Scilluntio prœlio, in quo Xenophon post expeditionem illam nobilem præclarè consenuit. Academia tribus drachmarũ millibus emta, domicilium fuit Platonis, Xenocratis, Polemonis ibi disputãtium ac totam ætatem conterentium: vnica demta die, qua Xenocrates quotannis in Astu iuit Liberalibus, vt (quod aiunt) nouorum tragicorum histrionum cõdecoraret festiuitatem. Aristoteli etiam exprobrauit Theocritus Chius, quòd Philippi & Alexãdri convictum amans,

Insularum laus.

Spreta Academia, loca quâ se Borborus amnis
Effundit posthæc maluerit colere.

Est enim fluuius apud Pellam, qui Macedonibus dicit Borborus: cùm Græcè ea vox cœnum significat. Quid quòd Homerus insulas nobis quasi ex professo prædicat atque celebrat,

Lemnum diuini venit inde Thoantis in vrbem. item: *Iliad. ξ, 230.*
Et quæ Lesbus habet sedes præclara deorum. Et:

Iliad.ι,664. *Scyron Enyei celsam cum cepimus vrbem.* rursum

Iliad.β,625. *Tum qui Dulichiam,sacras & Echinadas.——*

Ac de illustribus viris habitasse in insulis aiunt diis charissimum Aeolum,sapientissimum Vlissem,fortissimum Aiacem,hospitalitatis laude clarissimum Alcinoum. Equidem Zeno,cùm narratum ei esset nauim,quam vnam reliquam habuerat,vnà cum mercibus esse à mari absorptam, Bene,inquit,ô fortuna facis, in pallium me & vitam compellens philosophicam.Homo autem non fastu tumens,neque planè insaniens turbæ hominum amore,non(puto)culpabit fortunam si ab ea in insulam aliquam detrudatur:sed gratias aget,quòd ipsi multas istas molestias,vagósque errores,& iactationes peregrinationum,pericula nauigationum, tumultúsque forenses adimens, stabilem & quietam,ociosámque & suauissimam re vera vitam dederit, rerum necessariarum mensurã velvti circino describens. Quæ enim insula est,quæ non habeat domum,ambulationem,lauacrum,pisces,lepores,siquis venatione et animi oblectatione parum seria vti velit?Et quod est potissimum, quies,cuius sitis plerosque tenet,tibi plerunque in manu tua erit.Tesseris ludentes,& domi sese occultantes, investigant sycophantæ & curiosi homines,consectantúrque, & ex subvrbanis, hortísque in forum & aulam vi pertrahunt.in insulam nemo interpellandi,petendi,æs alienum contrahendi,aut ad fideiussionem exorandi,vel ad comitia pro ipso obeundũ petendi gratia nauigat: sed hoc faciunt necessariorum & familiarium optimus quisque, benevolentia & desiderio impulsus.reliquum vitæ tanquam in asylo constituti & sacrosancti est ei, qui velit & didicerit liberali ocio frui.At qui foris discurrentes, vitæque maiorem partem in diversoriis publicis & teloniis consumentes beatos prędicant,similes sunt eorum qui planetas inerrantibus stellis meliore putant esse conditione. Et tamen vnusquisque planetarum suo in orbe tanquam insula aliqua ita circumvertitur,vt suum seruet ordinem. Sol enim(inquit Heracletus)nunquam suos fines transgredietur:si peccauerit,Furię eum Iusticiæ adiutrices invenient. Verùm enimverò hæc,amice,his dicimus atque accinimus,quibus cum in insulam commigratum est,commercia cum aliis præcidit

Vnda maris,multos inuitos illa repellens.

Tibi,cùm non sit vnus adsignatus locus,sed vno prohibitum: dum vno interdicitur, omnium aliorum potestas est data. Porrò autem his cogitationibus,Non gero magistratum,non sum in senatu,non præmiorum in certaminibus sum arbiter,si hæc opponas: Non intersumus seditionibus,non sumtus facimus, non fores præfecti obseruamus,non curę nobis est cui nunc provincia nostra obtigerit,iracundúsne sit an importunus, * Sed quemadmodum Archilochus Thasi insulæ frugifera arua & vineta silentio prætermittens,eam ob asperitatem & inæqualitatem traduxit,ita scribens,

—— illa asini dorsum vel vt
Stat,materie syluestri prorsus obsita:

sic nos exsulij vnam partem acriùs consideramus, in qua est obscuritas & ignominia: ab altera ocium,quietem,& liberalitatem negligimus.At enim reges Persarum eo nomine felices prædicant,quòd hyemem Babylone,æstatem in Media,Susis suauissimũ veris tempus exigerent.Licet verò exsuli mysteriorum tempore Eleusine degere,Liberalibus Argis festiuitati solenni interesse:Pythiis Delphos, Isthmiis Corinthum se conferre,siquidem spectaculis delectatur. sin verò,ocium in manibus est, deambulatio,lectio,somnus absque interturbatione,Diogenis illud, Prandet Aristoteles quando Philippo lubet, Diogenes quando Diogeni:cùm neque negocium, neque magistratus,neque præfectus victus rationem vsitatam tibi interrumpat. Ob hanc adeò causam paucos de prudentissimis & sapientissimis invenies in sua patria sepultos.Plerique nemine cogente revulsis anchoris vitæ nauim ad alium portum applicuerunt: alij Athenas,alij ex Athenis. Quis enim ita patriam suam laudauit,vt Euripides cuius hæc sunt:

Primùm,nec inquilinus nos populus sumus,
Sed indigenæ,natique in hoc adeò solo:
Cùm cæteræ vrbes tesserarum instar citæ
Aliis aliæ ciues mittant identidem. *
Quòd si quid extra propositum me,feminæ,
Iactare fertis.cœlum temperie optima

Tellu-

Tellurem apud nos ambit. haud æstus grauis
Nos vrget, haud hyems gelu nimio premit.
Tum quidquid habet Asia, aut iucundum Græcia,
Hoc omne consectamur genij gratia.

Et tamen is ipse, qui hæc scripsit, in Macedoniam abiit, atq; apud Archelaum vitæ reliquum exegit. Audiuisti (puto) etiam hoc epigramma:

Aeschylus Euphorionis, Athenis natus, in aruis
Frugiferi iacet hîc post sua fata Gelæ.

Nam & hic in Siciliam abiit, & ante eum Simonides. Tum illud, Herodoti Halicarnassei historiæ editio hæc: sunt qui sic scribant: Herodoti Thurij. Migrauit enim Thurios, pársq; fuit eius coloniæ. Iam sacrum illum & diuinum Musarum spiritum, Phrygiæ exornatorem pugnæ Homerũ, nónne hæc est causa cur tam multæ vrbes sibi vindicare voluerint, quòd non vnam aliquam laudat? At Ioui quoq; Hospitali multi habentur magniq; honores. Quòd si quis dicat, istos gloriam & honores captasse: ad sapientes animum refer, sapientésq; illas Atheniensium scholas & disputationes tecum recense, Lycei, Academiæ, Stoæ, Palladij, Odei. Si Peripateticam reliquis præfers philosophiam: Stagera patriam habuit Aristoteles, Eressum Theophrastus, Lampsacum Strato, Troadem Lyco, Chium Aristo, Phaselites fuit Critolaus. Si Stoicam probas: Citiensis erat Zeno, Cleanthes Assius, Chrysippus Solensis, Diogenes Babylonius, Antipater Tarsensis. adeóq; Atheniensis Archedemus ad Parthos abiit, ac Babylone Stoicæ scholæ successionem reliquit. Quis autem illos extorres egit? Nemo. sed vltrò ocium sectantes honestum, quod non temere contingit iis qui in patria alicuius nominis sunt aut potentia pollent, reliqua verbis, nos docuerunt hoc factis. Atq; etiã hodie celeberrimi & præstantissimi viri viuunt extra patriam, non indicto, sed vltrò suscepto exsulio, neq; iussi fugere, sed sponte sua fugientes negocia, occupationes, molestias, quas patria adfert. Etenim Musæ, quantum video, veteribus pulcerrima & nobilissima scripta vt componerent, exsulium pro adiumẽto adsumserunt. Thucydides Atheniensis bellum Peloponnesiorum & Atheniẽsium conscripsit in Thracia apud Scapten Hylen: Xenophon in Scillunte Elidis: Philippus in Epiro: Timæus Tauromenij in Sicilia natus, Athenis: Androtion Atheniensis Megaræ: Bacchylides poëta Ceus in Peloponneso. Hi omnes, iísq; adhuc plures, patria sua amissa non desponderunt animos, neq; sese proiecerunt: sed bonitate suorum ingeniorum vsi, tanquam cõmeatum fortuna exsulium suppeditãte, apud omnes etiam post mortem fama sunt celebri: neq; ab illis vlla vllius qui in exsulium egisset facta interim extat mentio. Quare is quidem ridiculus est, qui exsulium putat cum ignominia coniunctum. Quid enim dices. Obscurus fuit Diogenes? quem cùm Alexander vidisset in Sole apricantem, & quæsiuisset aliquáne re indigeret: isq; respondisset, nulla, nisi vt paulum secedens Solis radios non intercipias: miratus animi magnitudinem, amicis dixit, Nisi Alexander essem, Diogenes vellem esse. Obscurúsne fuit Camillus Roma eiectus? qui nunc alter Romæ conditor dicitur. Et quidem Themistocles solum Græciæ coactus vertere, non amisit partam apud Græcos gloriam, sed apud Barbaros nouam est adeptus. neque adeò quisquam est abiecto animo, qui nõ mallet esse Themistocles eiectus, quàm Leobates qui de eo retulit eiiciendo: aut qui Clodius potius rogationem de Cicerone in exsulium mittendo ferens, quàm Cicero exulare iussus esse cuperet: vel Aristophõtis accusatoris statum Timothei patria extrusi conditioni præferret. Cæterùm, quando multos verba Euripidis mouent, qui vehementer accusare exsulium videtur: videamus quidnam ille singulatim dicat, interrogante & respondente introductis.

IOCASTA. Quid, patria carere num magnum est malum? Euripides refutatur. Phœniss.
POLYNICES. Est maximum, & re maius, quàm dici queat.
IOC. Modus exsuli quis est? quid exsulibus graue est?
POL. Hoc maximum vnum est, libertate quòd carent.
IOC. Seruile sanè est, non dicere quod sentias.
POL. Dominorum ad hæc oportet ferre inscitiam.

Hæc neq; rectè, neq; verè concedi sibi ille postulat. Principiò enim non serui hoc est, non dicere quod sentias: sed viri cordati, cùm occasio & res silentium taciturnitatémve desiderant. quod ipse alio loco meliùs pronunciauit.

Tacere, vbi res poscit: cùm tutum est, loqui.

Deinde dominorum, siue eorum penes quos potestas rerum est, inscitiam non minùs ij coguntur ferre, qui domi sunt, quàm qui exsulant: imò illi metu calumniarũ aut violentiæ magis plerunq; tolerare istam coguntur. Illud verò grauissimum est, & absurdissimum peccatum, quòd exsulibus libertatem adimit. Mirum enim si dicendi libertas Theodoro Cyrenæo fuit ademta. qui, cùm ei rex Lysimachus diceret, Te, quia talis esses, patria eiecit: Omnino, respõdit: neq; enim me ferre poterat, sicvt et Bacchum Semele eiecit, cùm ferre nequiret ampliùs. cúmq; ei rex Telesphorum ostendisset, qui oculis, naribus, auribúsq; mutilatus in cauea cõtinebatur, ac diceret, Sic ego tracto eos qui mihi male faciunt: *

Quid? An Diogeni libertas fuit ademta, qui cùm in castra Philippi bellum Græcis inferentis venisset, essétq; ad ipsum pro exploratore adductus: fassus est se venisse exploratum Philippi inexplebilem auariciam ac dementiam: qui eò iret, vt momento horæ de imperio suo atq; etiam vita pugnæ aleam subiret. An verò Annibal non vsus est libertate dicendi adversus Antiochum, exsul adversus regem. quem cùm oblata occasione iussisset hostes aggredi, isq; mactata hostia negaret exta addicere: Quid, inquit? tu carnem pluris facis, quàm hominem prudentem? Porrò aũt cùm soli mutatio neq; geometris neq; litteratoribus libertatem adimat de rebus sibi perceptis disserendi: bonis atq; honestis viris eam adimet? Enimverò futile ingeniũ vbiq; & vocẽ intercludit, & linguã pvertit, suffocat, silere cogit. Qualia verò sunt, quæ sequunt apud Euripidẽ?

IOC. At spe tamen feruntur exsules ali.
POL. Vultu aspiciunt iucundo: cunctantur tamen.

Id crimen profectò stulticiæ potiùs intentetur, quàm exsulio. Qui enim nõ didicerũt, neq; norunt rebus præsentibus rectè vti, ij semper à futuris pendentes, & absentia desiderãtes, spe tanq; rate ferunt atque fluctuant, etiam si nunq; extra muros prodeant.

IOC. Patris iuuere nil amici & hospites?
POL. Felix vide vt sis: nil miseros isti iuuant.
IOC. Non nobilitas in altum te tua extulit?
POL. Malum est, habere nihil. me non aluit genus.

Hęc verò iam Polynices ingratè dicit, ignominiam nobilitati, amicorum inopiam exsulio inscribens. qui & ob generis splendorem exsul regiis est dignatus nuptiis, & amicorum sociorúmque tanta stipatus multitudine bellum suscepit. quod ipsum ipse paulo pòst sic fatetur:

Multi Mycenæorum, multi principes
Danaorum & vnà nunc adsunt, mihi gratiam
Dantes molestam hanc, qua mihi sit peropus tamen.

Qualis verò est illa lamentatio matris?

Non ego tibi pro more in nuptiis
Facem succendi: non lauacra mollia
Ismenus præbuit tibi.

Enimverò gaudere debebat, ac gratissimum hoc habere, quòd inaudiret filium in tanta regia habitare. illa verò non accensam facem deplorans, & nõ suppeditatas ab Ismeno aquas (quasi verò Argis & aqua & ignis deessent nuptiis) fastus & stoliditatis mala exsulio appingit. Attamen, inquies, exprobratur exsuli exsulium? à quo tandem, nisi à fatuis? qui & pauperiem, & caluiciem, & breuitatem staturę exprobrant, & pro flagitio deputant, si quis peregrinus sit, aut inquilinus. verùm qui in horum sententiam non descẽdunt, ij admirationi habent viros bonos, siue pauperes ij sint, siue peregrini, siue exsules. Nonne aũt videmus vt Parthenonẽ & Eleusiniũ, ita etiã Theseum ab omnibus adorari? et tamẽ exsulauit Athenis Theseus, cui hoc debẽt homines, quòd Athenas inhabitãt: vrbẽq; excidit, quã non inquilinus tenuit, sed ipse cõdidit. Quid verò Eleusini pręclarũ relinquet, si nos Eumolpi pudet? qui è Thracia Athenas pfectus initiauit sacris, atq; etiamnũ initiat Græcos. Cuius deniq; filius Codrus Athenis regnauit? nonne Melanthi, qui Messena extorris fuit? An nõ laudas Antisthenis dictũ? qui obiicienti matrẽ ipsius Phrygiã fuisse, respõdit, Etiam deorũ matrẽ Phrygiã fuisse. Tu quoq;, si quis te pbri causa exsulẽ appellet, respõdebis: Etiã Herculis, cui ob victoriarum pulcritudinem Callinico nomen factum est, pater exul erat: & auus Liberi patris, missus ad quærendum Europam, domum non rediit:

Exsulium non esse probrosum

Phœ-

Phœnixq; natus, exsul mutauit genus,
Thebas profectus.—— vbi mulieres furibundæ Bacchum ab eo genus ducentem sacris venerantur. Quod verò Aeschylus obscurè innuit, dicens:
Castúmq; Apollinem, exsulem cœlo deum:
de eo meum os, vt cum Herodoto loquar, continens esto. Empedocles porrò sic orsus suam philosophiam:
Fata iubent, stant hæc decreta antiqua deorum.
Si quid peccando longæui dæmones errant:
Quisq; luit pœnas, cœlóq; extorris ab alto
Triginta horarum per terras millia oberrat.
Sic & ego nunc ipse vagor, diuinitus exsul.
equidem ostendit non se modò, sed suo exemplo omnes homines hic exsules & inquilinos esse. Hoc enim voluit intelligi. Non sanguis vobis, ô homines, non spiritus concretus animæ ortum naturámq; præbuit: sed ex his corpus conformatum est terrigenum atq; mortale. originem animæ aliunde huc advenientis lenissimo vocabulo peregrinationis indico. quæ, si verissimè loqui velis, exsulat & vagatur diuinis eiecta decretis atq; legibus. Deinde tanquam in insula quæ multis agitatur fluctibus, ostrei in morem, vt Plato ait, illigata corpori, quia non meminit, neq; reminiscitur ex quanto honore, & quanta beatitate demigrauerit, non Sardibus Athenas, non Corintho in Lemnum aut Scyrum, sed de cœlo & luna in terram & terrestrem vitam delata, vt ibi exiguum subinde locum alio loco mutet, ægrè fert insolentem sui mutationem, ac tanquam degener planta emarcescit. Quanquam plantæ quidem vnus locus alio est crescẽdo germinãdóq; aptior. Homini felicitatem nullus locus adimit: vt neq; virtutem, neq; prudentiam. Itaq; & Anaxagoras in carcere quadraturam circuli descripsit: & Socrates venenum bibens philosophabatur, ádq; philosophandum familiares exhortabatur, beatúsq; ab iis prædicabatur. Phaëthontem autem atq; Tantalum, cùm ij in cœlum adscendissent, poëtæ in maximas tradunt ob stulticiam devenisse calamitates.

PLVTARCHI
De Inuidia & odio.



TA quidem videtur nihil ab odio differre inuidia, sed idem esse. Vniuersè autem malicia tanquam multis hamis prædita, prauis ab ipsa dependentibus affectionibus hinc inde variè in sese implicatur atq; committitur: quæ morborum modo vna alterius inflammatione excitatur. Cui res sunt secundæ, is odium gerenti & inuidenti æquè est molestus. quare benevolentiam vtriq; vitio censemus opponi, quæ vult vt proximo bene sit: & inuidere atq; odisse pro eodem ducimus, quia contrarium benevolentiæ studium habent. Sed quoniam non ita conveniunt similitudinibus duo hęc, vt differentiis discrepant: has consectemur, initio ab origine vtriusq; ducto. Odium gignitur, quòd quem odio quis habet, eum vel simpliciter, vel erga se malum esse imaginat. Nam & qui iniuria se affectos putant, autorem iniuriæ odisse solent: & qui aliâs iniuriosi aut maliciosi videntur, eos aversamur atq; molestè ferimus. Inuident autem simpliciter iis, qui fortuna vtuntur propicia. Itaq; inuidentia videtur infinitum esse quidpiam: sicvt ophthalmia, quæ est oculorum vitiosus affectus, omnibus splendidis offenditur. Odium semper definitur subiecto certo, in quod incumbit. Deinde, odium concipitur etiam in bruta animalia. Sunt enim qui feles, cantharides, rubetas, serpẽtes oderunt. Et Germanicus galli gallinacei neq; vocem neq; adspectum ferebat. mures magi Persarum interficiebant, quòd & ipsi eos odio haberent, & deo inuisos arbitrarentur. Ex æquo enim & Arabes omnes, & Aethiopes murem abominantur. Inuidia soli homini adversus hominem est. Neq; enim probabile est brutam bestiam brutę inuidere: cùm de alterius vel secundis vel adversis rebus nihil imaginetur, neq; de bona aut mala alterius fama: quibus opinionibus maximè exasperari solet inuidentia. Interim oderunt invicem bruta, exercéntq; inimicicias, & fide maiora bella gerunt. Pugnant inter se, aquilæ & dracones, cornices & vlulæ, parus & carduelis, quorum etiam

sanguinem occisorum permisceri negant, sed etiamsi quis confundat, vtrunq; seorsim diffluere narrant. Probabile est etiam leoni adversus gallum, & elephāto adversus murem atrox odium esse à metu natum. Quod enim timetur, id odio est. Hoc ergo videntur odium & inuidia discrepare, quòd hanc brutorum natura non item vt illud admittit. Præterea inuidia contra neminem iustè suscipitur. nemo enim eo iniustè agit, quòd faustis vtitur successibus: propter quos tamen ei inuidetur. At multi meritò odio habentur: & qui eos non fugiant atq; aversentur, ipsos odio dignos dicimus. Atq; huius rei magnum hoc est argumentum, quòd sunt qui multos se odisse fatentur: nemini autem dicunt se inuidere. Odium enim malorum, laudabile habetur. & fratre Lycurgi natum Charilaum Spartæ regem, benignum mansuetúmque hominem cùm laudarent nonnulli, collega eius: Et quomodo, inquit, probus iste sit, qui ne malis quidem se difficilem gerit? Ac Thersitæ corporis vitia Homerus cùm multiplici atq; copiosa oratione depinxisset, animi prauitatem breuissimè, ac quasi vno verbo expressit:

Iliad. β, 220. *Pelidæ in primis erat, atq; inimicus Vlyssi.* nam maior nulla potest esse vitiositas, quàm optimis esse inimicum. Quinetiam negant se inuidere: & si arguantur, sexcentas præscriptiones adferunt: irasci se dicētes, aut metuere, aut odisse hominem, aut quodvis aliud nomen affectioni prætendentes, quo inuidiam velent, vt solam omnium animi morborum infandam. Porrò necesse est easdem vt stirpes ita etiam affectiones iisdem ali atq; augeri rebus. Atqui eos magis odimus, qui deteriores fieri pergunt: inuidetur iis potissimùm, quorum virtus crescere videtur. itaq; etiam Themistocles dicebat, se adolescentem nullum splendidum fecisse facinus: nondum enim sibi fuisse inuisum. Sicvt enim cantharides maximæ adultis iam frugibus, & rosis florentibus incumbunt: ita inuidia maximè adoritur bonos, & ad virtutem proficientes atq; gloriam. Rursum extrema malicia facit vt simul etiam odium fiat vehementius. eos quidem, quorum calumnia Socrates fuit oppressus, vt extremè malos, ita oderunt, itáq; aversati sunt ciues, vt neq; ignem eis accenderent, neq; interrogantibus responderent, neq; in balneo aqua vterentur eadem, sed qua illi lauissent, eam tanquam pollutā iuberent à ministris effundi: donec illi impatientia odij sese suspenderunt. At rerum secundarum excellentia atq; splendore sæpenumerò exstinguitur inuidia. Non enim verisimile est Alexandro quenquam aut Cyro inuidisse, postquam summa rerum sunt potiti. Sed quemadmodum Sol quorum per verticem trāsit, in eos diffuso lumine aut nullam aut exiguam vmbram facit: sic qui prosperitate elati supra caput æmulorum eminent, splendore suo eorum inuidentiam coercent atq; abolent. Odium verò potentia & excellentia inimicorum non minuit. nam Alexander neminem quidem habuit qui inuideret ipsi: qui odissent, multos, quorum tandem interfectus est etiam insidiis. Similiter etiam adversæ res inuidiam tollunt, odia non perimunt. nam etiam deiectos inimicos oderunt: cùm nemo inuideat misero. Sed & hoc verum est, quod nostra ætate quidam sophista dixit, Inuidos ad miserandum esse facilimos. vt in hoc etiam magnum inuidiæ & odij discrimen appareat: cùm hoc neutram fortunam relinquat, illa vtriusq; abvndantia elanguescat. A contrario deniq; idem hoc intelligemus. Inimicicia & odium tolluntur, vel vbi fides fit nos non esse affectos iniuria, vel vbi quos vt malos oderamus, bonos eos esse persuadetur, vel beneficio accepto. vltima enim gratia, vt Thucydides inquit, etsi minor sit, tamen tempestiue inita, potest maius diluere crimen. Horum primum inuidiam non perimit. oderunt enim, quantumvis constet nulla se affectos iniuria. Reliqua duo etiam augent eam. nam & magis inuident iis quos bonos putant, vtpote virtute rerum bonarum optima præditis: & si beneficium à fortunatis accipiant, ægrè ipsis est, inuidéntq; iis & voluntatem & facultatem: quorum illa virtuti, hæc fortunæ debetur, vtraq; bonum est. Ergo planè diuersæ sunt affectiones odium & inuidia: quando quibus illud lenitur rebus, iis hæc exasperatur. Iam nunc porrò vtriusq; affectionis propositum consideremus. Institutum est eius qui odit, malè, si possit, facere. atq; ita odium definiunt, affectionem quandam & propositum malè faciendi, eiúsq; occasionem captandi. Verùm hoc quidem ab inuidia abest. Multi familiaribus ac domesticis suis inuident, quos perire aut in calamitatem incidere nollent: tantùm molesta ipsis eorum est prosperitas, & gloriam splendorémq; eorum pro viribus minuunt: graue autem incommodum & perniciem inferre nollent, contenti velvti excelsæ domus eam partem quæ lumini officit deiecisse.

Plu-

PLVTARCHI
Consolatio ad vxorem suam.



PLVTARCHVS vxori S. Quẽ misisti mihi de obitu filiolæ nunciaturum, eum apparet à via aberrasse cùm Athenas iret. Ego autẽ Tanagram veniens, de nepte inaudiui. Et quæ ad sepulturam quidem pertinẽt, existimo iam esse peracta: itaque velim facta omnia, vt & nunc & in posterum quàm maximè tibi vacuitatem doloris præstent. Quod si quid volens prætermisisti, meámque exspectas sententiam, arbitraris que te faciliùs laturam me præsente: hoc quoque fiat citra omnem curiositatem & superstitionẽ, à quibus alioquin longè abes. Tantùm, mea vxor, & me & te huic casui serua animo composito atque tranquillo. Ego enim ipse scio, atque definio quanta sit accepta calamitas. si verò te grauiter ferẽdo modum excedentem offendero, id me magis etiam quàm res ipsa perturbabit. Sanè ipse quoque non sum (quod aiunt) è quercu natus aut saxo. quod tute scis, quę me tot liberûm educandorum adiutorem habuisti, quos omnes domi nostræ, nostráque opera educauimus. Hanc autem, quæ tibi desideranti filia post quatuor filios nata fuit, occasionémque mihi dedit vt tuum ei nomen imponerem, scio egregiè caram fuisse. & peculiaris dolori acrimonia inest apud animum liberorum amore flagrantem, cùm consideratur quàm illa delectauerit, quàm ingenio fuerit mundo, & omnis iræ repræhensionisque puro. tum naturalis illa bilis vacuitas & mansuetudo, mutuúsq; amor & gratia simul & voluptatem exhibebat & humanitatis contemplationem. non enim aliis modò infantibus, sed vasis etiam atq; ludicris quibus delectabatur nutricem mammã præbere hortabatur: præ humanitate tanquam ad mensam communẽ ea vocans, suauissimisq; rebus impertiens ea quę habebat iucunda. Verùm non video, mea vxor, cur hæc & alia id genus viuente ea nos cùm delectauerint, nunc in memoriam revocata perturbare & dolorem adferre debeant. Sed metuo vicissim, ne vnà cum dolore etiam memoriam abiiciamus. vt Clymene illa dicens,

Odi nunc arcum corneum habilem,
Exercitationes pereant:

quia semper fugiebat & formidabat recordationem pueri qui vnà eas obiuerat. fugit enim natura omne id, quod molestiam adfert. Oportet autem, quemadmodum ipsa nobis fuit omnium iucundissimum oblectamentum & spectaculum atq; auditio: ita recordationem quoq; ipsius nobiscum adsiduò esse atq; viuere, quæ multo, immò multis modis plus adferat læticiæ quàm doloris. siquidem par est eorum sermonum, quos sæpenumerò inter nos habuimus, suo tempore ad nos quoq; aliquam redire vtilitatem: neq; nos desidere, & multiplices iis quę lęta percepimus dolores opponere. Hoc quoque narrant qui interfuerunt, & admirantur, te neq; lugubrem sumsisse vestem, neq; vel tibi vel ancillis vllam intulisse deformitatem, vllum planctum: neq; fuisse in sepultura sumtum vllum insolentem aut magnificum adhibitum, sed cum necessariis omnia esse peracta modicè & tacitè. Atq; id quidem mirum mihi non est visum: si, quæ ne ad theatrum quidem aut solennes pompas vnquã te comere aut ornare consueuisses, luxúmq; adeò ad ipsas invtilem voluptates putauisses: in tristi materia frugalitatẽ conseruasses. Non enim in bacchationibus modò oportet modestam mulierem corruptelæ expertẽ manere: sed ita sentire etiam, in luctu quoq; concussionem animi opus habere cõtinentia. nõ quæ adversus naturalẽ in liberos parentũ amorẽ pugnet, (vt multi arbitrantur) sed contra incõpositos intemperatésq; animi motus. Cõdonamus enim dilectioni liberorum desideriũ, honorẽ, & memoriã defunctorũ. Sed lugendi inexpleta cupiditas, ad lamẽtationes plãctúsq; provehẽs, non minus turpis est quàm intemperãtia voluptatũ: verbis tamẽ effectũ est, vt veniã impetraret, quia loco delectationis dolor & acerbitas turpitudini cõiungunt. Quid enim, quęso, magis est à ratione alienũ, quàm nimium risum & gaudiũ amputare, fletui & eiulatui ex eodem fonte promanãti fluxũ liberũ permittere? aut de vnguento & purpura nõnullos cum vxoribus delitigare, interim cõcedentes tonsuram lugubrẽ, atratã vestem, sessionem deformem, accubitum laboriosum? aut, quod omniũ est atrocissimũ, si seruos ancillásve dominę aliquãdo immodicè & ini-

Mortuorũ recordatio qualis esse debeat.

què puniant, obstare iis & prohibere: pati interim eas ipsas acerbè de seipsis sumere ac crudeliter supplicium tali in casu, qui aliquam animi relaxationem humaniorē requirat. Verùm nobis, mea vxor, neq; ista opus fuit lite, neq; hac opus fore puto. Nam

Vxoris Plutarchi laus.

frugalitate quod vel ad cultum corporis, vel ad victus rationem attinet, nullus philosophorum est quem nostra familiaritate ac consuetudine vsum nō in tui admirationem traxeris: neq; ciuium cui non in sacris, sacrificiis, & theatris tua cultus vilitas spectaculo fuerit. Iam verò etiam in simili re magnam animi grauitatem declarauisti, liberorum natu maximo amisso: & rursum, cùm nos elegans iste Cherō reliquisset. Memini enim quando à mari cum hospitibus mihi domum redeunti allatus est de pueri morte nuncius, illiq; vnà mecum domum venerunt, aliis etiam comitantibus: eos cùm omnia intus pacata, altámq; offendissent tranquillitatem, opinatos fuisse (id quod postea etiam aliis narrauerunt) nihil accidisse adversi, vanúmq; fuisse illum rumorem. ita tu tum modestè domum adornaueras, eo tempore, quod magnam confusionis materiam prębeeret. Atq; hunc quidem tuis vberibus lactaueras, ac mammę collisionem passę sectionē sustinueras. Hæc enim generosam & prolis suæ amantem decent. alias plerasq; matres videmus, quando liberos suos tanq; ludicrū aliquod ab aliis in manus traditos sumūt, postea iis mortuis in vanum ingratúmq; luctum effundi. nō ob amorem hoc, (is enim honestè ac circumspectè agit) sed quòd exiguæ naturali affectioni multum vanæ glo-

Luctus natura.

riæ studium admixtum, feros facit, & furiosos, implacabilésq; luctus. Atq; hoc videtur non ignorasse Aesopus. Ait enim ille, cùm Iupiter diis honores diuideret, & Luctus quoq; sibi aliquid posceret: concessum ei esse vt honoraretur, sed tantùm ab iis qui volentes vltróque id facerent. Et profectò ab initio luctus ita habet. Vnusquisque luctū sibi ipse adsciscit. qui vbi actis radicibus subsedit, familiarísque est factus, non iam volentibus his quos occupauit rursum abit. Ergo prę foribus ei repugnādum est, neque cōmittendum vt veste, tonsura, aliáve consimili re nobis quasi præsidiū imponat: quæ quotidie occurrentia, & fatuum incutientia pudorem, ita deiiciūt, ínque angustias redigunt, & meticulosum faciunt animum, vt luctus gratia sic obsessus, neque risum, neque lucē, neque mensam humaniorē participet mœrens. Huic malo comitatur corporis neglectio, & aversatio vnctionis, lauacri, ac reliquę victus rationis. cùm contrà debeat anima à corpore bene habente sibi auxilium accersere. Magna enim pars mœstitię retunditur atque luxatur, quando corpus velvti fluctus in tranquillitate maris diffusum est. vbi autem æstus & asperitas ex victus mala ratione obortus facit, vt corpus nihil commodum aut gratum animo suggerat, tantùm dolores & molestias, tanquā acerbas quasdam & infensas exhalationes submittat: ne volētes quidē facilè ad quietē animi sese possunt recipere, tot prauis affectionibus animo lęso. Id verò quod in tali re maximum est, & apprimè metuendum, nihil me terret. scilicet malarum mulierum aditus, voces, & in lamentando societas: quibus illæ dolorem exacuunt, non sinētes eum vel aliis rebus, vel à seipso confici atque elanguescere. Non enim nescio quantū nuper certamen certaueris, cùm opem tulisti Theonis sorori, & pugnauisti contra mulieres, quæ extrinsecus cum eiulatibus & conclamationibus tanquam ignem inferentes accurrebant. Quippe amicorū ædes cùm vidēt ardere homines, vnusquisque ad exstinguendum incendiū omnē suam celeritatē, omnē vim confert. cùm animū vident ardere, ipsi fomites & alimēta incēdio suggerūt. Et cui oculi dolēt, illū non patiunt, quantumvis cupientem, inflammationi manum adiungere, neque eam ipsi tangunt: qui in luctu est, sedet dolorem suum exhibens cuivis tanquam fluentum aliquod cōmouendum atque exacerbandum: cùm quidem is ex leui agitatione & titillatione in magnū ac difficilimū curatu mo bū abeat. Verùm ego satis scio, ab his te tibi cauturam. At e-

Præteritorum recordatio.

nim id te conari velim, vt frequenter te cogitatione in illud transferas tempus, quo tēpore nondū nobis ista prole nata nihil erat quod cum fortuna conquereremur. deinde hanc cum illa continues tempestatem, atque sic ratiocinere, eundem nunc esse nostrum, qui tunc fuit, statū. Alioqui videbimur, mea vxor, iniquè ferre illū filiolæ nostræ partū, si res nostras ante ortū eius minùs culpandas pronunciemus fuisse. Bienniū verò, quod intercessit, neutiquam eximendū est memorię: sed voluptati nobis ducendū, quòd nobis gratā oblectationem præbuerit. neq; debemus exiguū bonū pro magno malo deputare: aut adversus fortunā ingrati pro eo q̄d dedit esse, quia nō adiecit id q̄d spe cōceperamus. Semper quidē pulcrū suauémq; fructū fert de diis bona verba dicere, fortunámq; æquo animo & citra incusationē ferre. in tali autē casu qui bona in me-

moriam

moriã sibi revocat, & cogitationẽ ab obscuris et animũ conturbãtib. ad lucida ac splẽdida convertit: aut omnino is dolorem exstinguit, aut cum contrariis temperando exilem debilémq; reddit. Sicvt enim vnguentũ semper olfactui adfert delectationem, adversus fœtida etiam remedij vim obtinet: sic bonorũ in animo commemoratio rebus adversis vsum quoq; necessarij auxilij præbet iis, qui non fugiunt meminisse commodorum præteriti temporis, neq; vbique & semper culpant fortunam. Quod sanè minimè nos decet, vt calumniam vitæ nostrę impingamus, si ea libri instar reliquis omnibus puris & sinceris vnicam lituram habet. Sæpenumerò hoc audiuisti, beatitudinem pendere à rectis consiliis in affectionem animi constantem desinentibus: fortunæ autem mutationes nullum magnum momentum adferre ad summam vitæ. Si tamen opus sit nos quoque gubernari rebus externis, ac fortuita cum vulgo enumerare, iudicibúsq; nostræ felicitatis vti quibusvis hominibus: noli respicere in præsentes lacrymas, & luctus hominum qui ad te veniunt casum tuũ miserantes, prauo quodam more susceptos. sed hoc potius considera, quomodo ij te singuli suspiciant ob liberos, domum, vitam. Turpe verò fuerit, cùm alij tuam exoptent fortunam etiã cum hoc quod nunc nobis molestiam adfert coniunctam, te eam præsentem vituperare: neque ex ipso calamitatis morsu sentire, quantum habeant gratiæ ea quæ supersunt. An sicvt nonnulli capite vel fine carentes Homeri versus seligunt, multis interim tot atque præclaris eius poëmatum partibus supina oscitantia præteritis: ita incommoda vitæ calumniosè cōquiremus & enumerabimus, commodis promiscuè neglectis? imitabimúrq; auaros & sordidos homines, qui multa vbi quæsiuerunt, non vtuntur partis, sed amissa deplorant? Sin autem eam miseraris quòd innupta atque sine sobole decesserit: alia habes quibus te consoleris, in quibus nihil tale deest. non enim sunt hæc magna mala iis quibus desunt, & interim parua bona habentibus. Illa verò cùm iam eò venerit, vbi nullus est dolori locus, nihil nostro opus habet dolore. quid enim nobis ab ea mali evenire potest, cùm omni ipsa vacet molestia? nam magnarũ rerum amissiones dolorem abiiciunt, cùm eò pertinuerint, vt nihil iis dolore sit opus. Cæterùm Timoxena tua paucis est priuata rebus: pauca enim norat, paucísque gaudebat, quæ verò neque sensu neque cogitatione percepit, quomodo ei hęc ademta diceres? Enimverò quæ alios audis dicere, quibus persuadent vulgo nullum malum, nullum incommodum esse iis qui soluti sunt corpore: scio ne credas vera, impediri te doctrina à maioribus accepta, ac mysticis tesseris sacrorum Bacchi, quę nobis inter nos notæ sunt, qui eas communicamus. Itaque ergo animam, vtpote interitus expertem, cogita idem pati, quod accidit auibus captiuis. Si enim multum temporis in corpore ea fuerit educata, multísq; rebus & longa consuetudine cicurata huic vitæ se subdiderit: rursum avolans, denuò subit corpus, neque desinit nouis ortibus subinde implicari huius vitæ casibus atque eventis. Noli enim arbitrari propterea senectutem malè audire & culpari, quia rugas, canos, imbecillitatémq; corporis secum trahit. sed hoc habet molestissimum ea, quòd animam rerum ad corpus pertinentium memoria quasi obsolescentem, hísq; nimio studio deditam redigit: flectítq; & premit, figuram quam affecta à corpore accepit, conseruans. illa autem accepta quidem * à melioribus, tenetur: tanquam è molli flexu renitens ad suam naturam. Sicvt enim ignis exstinctus, si quis illico accendat, rursum exsuscitatur, ac celeriter reficitur * * *

Aut simul est natus, Plutonia tecta subire. nisi quòd magnus ei amor rerum terrestrium ingeneratur, emollitúrq; vsu corporis & tanquam medicamentis colliquatur. Sed in acceptis à maioribus per manus moribus atq; legibus magis elucet quid in his rebus sit verum. Suis enim infantibus mortuis neq; inferias libant, neque aliud quicquam faciunt eorum, quæ fieri mortuis apud alios solent. neque enim terræ, aut terrestrium infantes vllam partem percipiunt. neq; circum eorum sepulcra & monimenta ac cadauerum expositionem commorantur aut adsident. nam leges id non permittũt: quia hoc nefas sit, cùm ij in meliorem ac diuiniorem conditionem simul locúmq; concesserint. * Quoniam verò difficilius est fidem iis derogare quàm adhibere: externa quidem sic vt leges præcipiunt constituamus: interna autem etiam magis incontaminata, pura atque moderata sunto. * * *

Infantũ mors.

PLVTARCHI

De fato libellus.



NOstram de fato sententiam qua fieri potuit perspicuitate ac breuitate conscriptam, ad te mitto, carissime Piso: quando ita tu flagitasti, non ignarus quàm cautè me ad scribendum conferam. Primùm hoc scito, Fatum dupliciter & dici & intelligi: vel vt actionem (sic enim energeian Græcorum liceat interpretari) vel vt substantiam siue naturam. Actionem in Phędro adumbrauit Plato, sic scribēs: Léxq́ hæc est Adrasteæ, vt quæcunq́ anima deo comes, etc. Et in Timæo: Leges, quas de natura Vniuersi deus sanxit animis immortalibus. Et in Republica, Fatum ait esse orationem virginis Lachesis, quæ Necessitatis sit filia: nō tragicè, sed theologicè suam opinionem enuncians. Quod si quis hæc velit magis vulgaribus verbis exprimi: dicamus in Phædro Fatū describi, vt sit diuina oratio, quam transiri sit nefas, & quæ à causa pendeat nulli impedimento obnoxia. in Timæo, Legem appellari comitem naturæ Vniuersi, secundū quam omnia quæ fiunt transigantur. hoc enim efficit Lachesis, verè Necessitatis filia, vt & antè commemorauimus, & postea progressu disputationis pleniùs aperietur. At Fatum quod substantia sit, est (vt apparet) vniuersa mundi anima, in tres partes quasi distributa: scilicet in portionem inerrātem, in eam quę errare siue vagari putatur, & in eam quæ infra cœlum circa terram versatur. harum suprema Clotho appellatur, proxima Atropos, infima Lachesis, quæ sororū suarum cœlestes actiones excipiens connectit, & in terrestria, quibus præfecta est, didit. Quid, quotuplex, & quale sit Fatum, quod substātia censetur, quis eius ordo, quis ad se invicem, quis ad nos respectus, compendio diximus. singula autem alia in Repub. fabula mediocriter suo involucro innuit: & nos pro virili conati sumus tibi ea enarrare. Nobis ad Fatum quod in actione sit referenda est oratio. nam de hoc sunt illæ tam multæ naturalium, moralium, & ad dialecticā pertinentium rerum quæstiones. Satis definitum est, quid sit hoc Fatum. Dicendum ergo deinceps, quale sit: quanquam hoc multis videtur absurdum. Fatum enim cùm suo orbe omnia quæ infinita ex infinito in infinitum fiunt, complectatur, infinitum ipsum non est, sed finitum. Nam neque lex, neque oratio, neque diuinum quicquam infinitum esse potest. Idq́ rectiùs percipies, quod dixi, si consideres totā conversionem, & vniuersum tempus, quando octo orbium (vt ait Timæus) inter se finibus continuis cōiunctæ celeritates ad caput redeunt, dimensa circulo eiusdem & eodem semper modo moti orbis. Hac enim ratione, quæ definita est & animo cernitur, omnia quæ in cœlo & in terra sunt, necessariò ex hoc primordio efficiuntur, stabúntq́, cùm ad idem redierit principium, & eodem vt antè facta erant modo reddentur. Itaque solus cœli habitus & erga se, & erga terram ac terrena omnia ita est constitutus, vt longis temporum circuitionibus omnia revoluantur atque revertantur: eáq́ est rerum necessitas, vt illum omnes deinceps suo ordine causæ comitentur. Atque hoc nunc evidentiæ gratia in nostris rebus intellige, non sine efficacitate cœlestium (vtpote quæ omnium rerum causæ sunt) vel me nunc scribere isthæc, vel te quidquid agis, eo modo agere quo agis. Rursum itaque, cùm eadem redibit causa, ij ipsi nos eadem ista eodémq́ modo agemus. idémq́ de omnibus hominibus & omnibus aliis rebus accipe, omnia vt sunt, vnica Vniuersi conversione in eundem statum restitutū iri. Manifestum ergo iam est quod diximus, Fatum quodammodo infinitum, non esse tamen infinitum: mediocritérq́ potuit perspici esse circulum quendam. Vt enim motus est circularis, & circulus temporis eum metientis: ita ratio etiam eorum quæ circulo fiunt, est pro circulo habenda. Ferè id quoq́ liquet, qualis res sit Fatum, id tamē nondum explicatum est singulatim. Quale ergo est ipsa sui forma? Est, quantum coniici potest, similis ciuili legi. Primùm enim si non omnia, tamen pleraq́ conditione certa mandat. deinde quidem vniuersè sua potentia omnia complectitur, quæ ad ciuitatem pertinent. quorū vtrunque quale sit, agedū consideremus. Suo ordine ciuilis lex de eo qui rem fortiter gesserit, & de eo qui ordinem deseruerit, verba facit, eodémq́ modo etiam de aliis: non tamen de certis personis. sed quæ vniuersa sunt, ea principe loco, cōsequenter ea quæ sub iis continentur, proponit. Itaque legibus dicemus esse præceptum, vt iste vel iste ob

Marginal notes: Lib. X. (beside "Timæo: Leges…"); Fatum finitum. (beside "quale sit…"); * (beside "terra sunt, necessariò…"); Leges. (beside "Primùm enim si non omnia…")

ob rem præclarè gestam honore afficiatur, alius ob desertam aciem puniatur: scilicet quia lex facultate, & non expressis quidem verbis, sed tamen ita vt istos ea compræhendant, de iis sanxerit. sicvt medicorum quoque & corpora exercentium leges, singularia in vniuersalibus potestate inclusa proponunt. Ita naturæ etiam lex vniuersalia primariè ac præcipuè, consequēter singularia instituit: vt ista fatalia sint quodammodo, hæc eorum fatis omnia adhæreant, sintq; (vt sic dicam) confatalia. Sed fortassis eorum aliquis qui isthæc nimis accuratè examinant, subtiliúsq; rimantur, contrà dixerit fato præcipuè singularia, propter hæc vniuersalia demum tanquã confatalia destinari, quæ horum gratia sunt: præcedit enim id propter quod reliqua sunt, & posteriora sunt quæ alterius gratia sunt iis propter quæ sunt. Verùm de hoc alibi agetur. non omnia autem simpliciter atque expressè fato contineri, sed tantùm vniuersalia, id in præsentia dictum & ad sequentes & ad præcedentes nostræ disputationis partes congruit. Quod enim definitum est, id diuinæ convenit providentię: & verò in vniuersali conspicitur. talis ergo est & diuina lex, & ciuilis: in singularibus infinitas locum habet. Videamus nunc quid sit cum conditione poni, quod ex hypothesi Græcis dicitur: & tale esse fatum monuimus. Poni ergo certa quadam conditione dicitur, quod non per se vel absolutè, sed ad aliud relatum, eo posito ponitur ipsum, atq; hac ratione iudicatur, hoc illius esse consequens. Atque talis est Adrasteæ sanctio. Quicunque animus Dei comes factus aliquid veri perspexerit, is vsq; ad alteram circuitionem à supplicio sit immunis: & si possit perpetuò id facere, perpetuò sit illæsus. Hoc & vniuersè dictum est, & cum conditione. Ipsum autem fatum tale esse, è natura eius, & appellatione constat. Hemarmene etiam dicitur, quasi nexa & conserta: & sanctio est ac lex, quia ciuili modo constitutum habet quid ex factis consequatur. Deinceps consideremus ea quæ ad mutuam relationem seu affectionem attinent: id est, quo pacto Fatum cum Providentia, cum Fortuna, cum eo quod in nostra est potestate, cum contingentia comparetur atque componatur: addendúmque est, quatenus verum sit, quatenus falsum, Omnia fato fieri. Hæc ergo enunciatio, si quidem id notat, Fato omnia contineri, prorsus est concedenda. siue quis de rebus humanis & terrestribus, siue de cœlestibus velit intelligi. atque hoc in præsentia, quod ad nostrã attinet disputationem, concessum esto. Sin, quod multo magis illa vox præ se fert, Fatum non omnia, sed illud potissimùm significat, quod Fati est consequens: non dicendum est omnia fieri secũdum fatum, ne si compræhenderentur quidem fato. Non enim legitima sunt, neque iuxta leges fiunt omnia, quæ legibus continentur. Nam & proditionem, & ordinis desertionem, & adulterium aliáq; id genus multa leges complectuntur: quę legitima esse nemo dixerit. & ego ne rem quidem egregiè gerere, aut tyrannum interficere, aut tale aliquid dicturus sim esse legitimum. Quod enim legitimum est, legis est mandatum. At si ista leges iuberent, quomodo non contumaces ac legibus adversi iudicarentur ij, qui nullum præclarum edunt facinus, qui non cædunt tyrannos, qui nihil id genus rerũ gerunt? aut si hi nihil contra leges delinquunt, cur non iustum est illos alteros puniri? Proinde cùm his nulla faueat ratio, ista tantùm dicemus legitima esse, & secundum leges fieri, quæ legibus sunt expressa: quocunq; aliâs modo acta sint. Eodémq; iure illa tantũ fatalia censebimus, & fato fieri dicemus, quæ consequuntur causas in diuina dispositione causarum antegressas. Hinc concluditur, omnia quæcunq; fiunt, fato cõtineri: multa autem, atq; adeò pleraq; antecedentibus causis effecta, nõ rectè fato addici. His ita cõstitutis, porrò dicendũ est, quomodo potestas in rebus & actionib. nostra, fortuna, possibile, & contingens, & quæ alia his cognata in antegredientib. ponunt causis, constare constãte fato possint. Etenim Fatũ omnia cõtinet, sicvt etiã videt. neq; tamen propterea omnia necessariò eveniēt, sed vnũquodq; pro suæ naturę modo. Natura porrò ita comparatũ est, vt possibile tãquã genus contingenti sit prius: contingens velvti materia subiiciat iis quæ in nostra sunt potestate, & nostrũ arbitriũ quasi dominiũ exerceat in contingẽtia. At Fortuna iis quę in nostra sunt potestate incidit, ob libera in vtranq; partẽ eventus momẽta cõtingentiæ sese ingerit. Atq; id quod dixi, palàm intelliges, si hoc consideres, omne id quod oritur, ipsúmq; adeò ortũ non esse absq; facultate: facultatem non absq; substãtia. Tum si neq; ortus, neq; id quod oritur, absq; facultate esse potest: ista autem circa hominem sunt, homo substantia est: præterea autem facultas (quam potentiam vsurpant) medio loco est inter substantiam quæ potest, & inter motum quo res fit

Plut. Phædro.

Quomodo omnia fatalia.

(generationem vocant) ipsumq; effectum, quorum vtrunq; est de possibilium genere. fit, vt cùm hæc sint tria, facultas, id quod agere potest, & id quod fieri potest: id quod vim habet agendi, facultatem anteeat, hæc possibili sit prior. Atque sic existimo quid possibile sit, explicatum esse satis perspicuè. Rudi autem Minerua possibile diuidas licet, in id quod vsitatiùs sic dicitur, quia facultatem habet ad fiendum: & in id quod magis propriè ita appellatur, quia nihil foris est quod impedire possit quò minùs fiat. Nam possibilium quædam nunquã possunt prohiberi: vt ortus occasúsq; cœlestium corporum, & id genus alia quædam possunt prohiberi, vt pleraque humana, multa eorum etiam quæ in sublimi fiunt. Ac prioris quidem generis quæ sunt, necessaria nominantur, quia necessariò fiunt. posterioris contingentia, quia contingere potest, vt in diuersam partem eveniant. Sic etiam distinguere licet. Necessarium tale fas seu possibile est, cui opponatur nefas seu impossibile. contingens tale possibile, cuius etiam contrarium sit possibile. Nam Solem occidere cùm necessariũ est, tum possibile: quod autem ei adversatur, Solem non occidere, id impossibile est. occidente Sole imbrem fieri, contingens est, & possibile: itidémque contingens & possibile Sole obeunte non delabi imbrem. Rursum eorum quæ contingentia diximus, alia plerunque, alia raro, quædam æqualibus in vtranque partem momentis & vtrum fors tulerit fiunt. Quorum hoc sibi invicem opponi satis est manifestũ: sicvt & quod plerunque, & quod raro fit, inter se pugnant. quæ duo maximè in rebus naturalibus: quod æqualia vtroq; momenta habet, in nostris locum habet actionibus. Nam quòd sub ortum caniculæ æstus est, plerunque contingit: raro, quòd frigus. deambulare aut non deambulare possumus, & quæ alia similia nostræ voluntati sunt subiecta, ac in nostra esse potestate, & consilio delectúve nostro dicuntur fieri. Generis tamen vox est magis, cùm in nostra potestate esse dicimus: cuius duæ sunt species. vna eorum quæ subito animi motu, aut ex ira, vel concupiscentia fiunt: altera, vbi ratiocinatio & deliberatio præcessit: quæ iam consilio & delectu agi dicunt. Id autem interest inter contingens ac possibile, & id quod in nostra potestate est atque appetitu nostro incitante fit: quòd ratione futuri possibile & contingens dicitur: ratione præsentis temporis, in nostra potestate & secundum appetitum. atque sic etiam discernere possis: Contingens est quod & ipsum & eius contrarium fieri potest: in nostra potestate, altera iam contingentiæ pars quam voluntas nostra delegit. Ergo contingenti possibile ordine naturæ anteire, contingénsq; eo quod in nostra esse potestate dicitur prius exsistere. qualia sint, quæ nominum ratio, quæ adiuncta, ferè explicatum iam est. Proinde de Fortuna & casu, & quæ cum his in considerationem veniunt, dicendum est. Est itaq; fortuna ex causarum numero. Causæ autem aliæ per se sunt causæ, aliæ per accidens. verbi gratia, domus aut nauis causa per se est ars ædificandi vel naues compingendi: per accidens, musica, geometrica, & quidquid omnino arti domũ nauímve fabricandi siue corporis, siue animi, siue externarum respectu rerum accidit. Vnde perspicuũ fit, quod per se est, id vnicum esse & finitum: id quod per accidens, neque vnum esse, & infinitum. nam vni rei infinita inter se differentia accidere possunt. Cæterùm quod per accidens est in iis, quæ nõ modò finis gratia fiunt, sed etiam vbi consilium seu delectus locum habet, id iam fortunæ appellationem habet. vt si quis plantãdi causa fodiens, aurum reperiat: aut si quid præter morem tibi eveniat fugienti, insequenti, ambulanti, te obvertenti, cuius gratia tu istud non susceperis. Propterea veterum nonnulli fortunam causam dixerunt esse, quæ humana provideri ratione non possit. De Platonicorum verò sententia, qui propius ad rei explicationem accesserunt, definitur fortuna causa per accidens eorum quæ sine proposito in iis fiunt quæ consilio aguntur, addúntq; eam improvisam & ignotã humanæ rationi esse. Et quidem iisdem de causis etiam rarum & præter opinionẽ esse inhærent ei quod per accidens fit. quod quale sit, si non ex disputatis, saltem ex Platonis verbis liquidò intelligi potest. Sic enim scribit in Phædone. PH. Ergo ne de iudicio quidẽ inaudiuistis, quo modo fuerit peractum? ECH. Immò. nam renunciauit quidam nobis. ac mirati sumus, quòd dudum eo confecto tam multo pòst sit moriturus. quidnam hoc rei est, cedò Phædo? PH. Fortuna ei, ô Echecrates, quædam evenit. Pridie enim eius diei, qua iudicatũ est, casu puppis coronata fuit eius nauis, quam Athenienses quotannis in Delum mittũt. In his verbis vocabulum EVENIT non significat factũ aliquid fuisse, sed multo magis concursu quodã causarum obtigisse, alio alius gratia facto. Nam sacerdos nauem corona-

Possibile, Necessarium, Contingens quid?

De Fortuna.

coronauit non Socratis, sed alius rei causa. illi autem aliam ob causam Socratem damnauerunt. Id ipsum verò quod evenit, præter rationem, ac tale evenit, quale etiam providentia vel hominis vel diuina effici potuisset. Atque hæc de fortuna sufficiant.* vt simul subsistere sit necesse, & quod ab eo deducto nomine dicitur. docuimúsq; poni antè debere, id in nostra esse potestate. Casus autē latiùs patet quàm fortuna: quando & eam complectitur, & multa alia quæ aliâs aliter accidere suapte natura possunt. De casu. Ipsum nomen hoc indicat. Est enim automaton Græcis, quod vltrò & à se fit: intelligitúrq; casus, cùm quod alterius causa fieri solet, fit non propter illam causam. quale * frigus sub caniculæ ortum esse videtur. non enim frustra, neque * Deniq;, sicvt quod est in nostra potestate, pars est contingentis: sic fortuna pars est casus. vtq; casus contingenti, ita iis quæ in nostra sunt potestate fortuna accidit: non omnibus tamen, sed in quibus consilium delectúsque adhibentur: vti diximus. Proinde casus communis est animatorum & animæ expertium. fortuna hominis est propria, eius qui iam agere possit. Idq; hinc constat, quòd fortunatum esse & felicem esse pro eodem habentur. & felicitas est quædam agendi dexteritas: hæc autem solius est perfecti hominis. Quæ ergo fato compræhenduntur, hæc sunt: contingens, possibile, delectus, in nostra situm potestate, fortuna, casus, iisq; adiuncta, de quibus est etiam fortassis, & perinde quæ omnia continentur quidem fato, nullum autem eorum fatale est. Restat vt de providentia etiam dicamus, quomodo hęc fatum complectatur. Est itaque provi- De providētia. dentia, suprema quidem & prima, primi dei intelligentia siue mauis voluntas benefica erga res omnes, qua primùm singulæ diuinæ res omnino optimè ac pulcerrimè sunt ordinatæ. Secunda verò, secundorum est deorum, qui per cœlum ingrediuntur, qua & mortalium res ordinatè fiunt, & singulorum generum permansio atque salus procuratur. Tertia non absurdè dicetur providentia atque procuratio geniorum, qui circa terram collocati humanarum sunt custodes inspectorésque actionum. Cùm ergo triplex spectetur providentia, quarum prima præcipuè & potissimùm sic nominatur: non verear dicere, tametsi hoc philosophorum sententiis repugnans videri poterit, omnia fieri fato & providentia, non etiam natura. sed quædam fieri secundum providentiam, alia quidem secundum aliam, quædam iuxta fatum: & fatum omnino subesse providentiæ, hanc fato nequaquam. loquimur autem hęc de principe & summa. Quod autem fit secundum aliquid, posterius eo est secundum quod fieri dicitur: vt quod secundum legem fit, lege, & quod secundum naturā, natura est posterius. ita & quod fit secundum fatū, fato est recentius. Summa autem providentia, omnium est antiquissimum, eo excepto, cuius est siue intelligentia, siue voluntas, siue vtrunq;. est autem, vt antè dixi, patris & opificis omnium. Dicamus enim, inquit Timæus, cau- Origo mundi. sam, cur Vniuersum hoc machinatus sit autor. Bonus erat: in bonum autem nulla adversus quicquam aut vlla de re cadit inuidia. Ea itaq; vacuus, voluit omnia sibi quàm maximè fieri similia. Hanc de origine mundi sententiam potissimā à prudentibus traditam rectissimè amplecteris. Volens enim Deus omnia bona, nihil (quantū omnino fieri posset) malū esse, ita omne id quod cernitur adsumens, nō quietem, sed motibus citatum incompositis & vitiosis, in ordinem disposuit: ratus hunc vtique confusione meliorem esse. Fas enim neq; fuit neq; est, vt optimus aliquid faceret nisi pulcerrimū.

Hæc & quæ sequuntur vsq; ad disputationem de animis humanis, de prima sunt accipienda providentia, quæ principiò omnia constituerit. Pòst ita loquit̄. Igitur postquā Vniuersum condidisset, animas distribuit æquali cum stellis numero, & cuiq; suā dedit, ac tanquā in vehicula imposuit, naturámq; Vniuersi mōstrauit, & leges fati eis dixit. Hæc quis non censeat expressè ac planissimè de fato dici, tanquā fundamento quodam & ciuili lege, quæ humanis conveniat animis. cuius etiam causam deinceps explicat. Secundam verò providentiam his indicat verbis. Cùm verò ita legibus latis omnia constituisset, vt si quid postmodò accideret mali, ipse eius culpa vacaret: alios in Solem, alios in Lunam, alios in alia temporis instrumēta disseminauit. ac post factam sementem iunioribus diis tradidit, vt ij mortalia effingerent corpora, & quod reliquum est animæ humanæ indigens illis apponerent: reliquísq; horum consequentia quæ essent perfectis, præessent, animálq; mortale gubernarent quàm fieri omnino posset optimè, ne id sibi ipsi mala adscisceret. His enim vocibus, Vt si quid postmodò accideret mali, ipse eius culpa vacaret, luculentissimam fati causam reddidit. Iuniorum porrò deorum ordo & ministerium, secundam declarat providentiam,

videtûrq; simul etiam tertiam attingere: siquidem propterea legibus ita omnia sanxit, vt extra culpam mali esset, quod singulis erat eventurum. Deus autem vitij & maliciæ exsors, neque legibus neque fato opus habebat: sed providentia conditoris vnusquisque tractus suas res agit. Hæc autem vera, & Platoni placentia, manifestè id testari videntur mihi, quod in Legibus autor legum sic dicit: Quod si quis homo ingenio his sufficiat, diuino natus fato, nihil illi opus fuerit legibus quibus pareat. Nulla enim legum constitutio scientiæ eius præstat: neque fas est vlli parere aut subditum esse eum, sed omnibus præesse ac imperare debet, qui verè liber est natura. Atq; ego proinde Platonis sententiam hac imagine complector. Cùm triplex sit providentia: vna quidem quippe quæ fatum genuerit, quodammodo illud complectitur. Ea quæ vnà cum fato est genita, omnino in illa vnà cum fato continetur. reliqua, vtpote post fatum genita, ab illo comprehenditur. sicvt & de eo quod in nostra potestate est, & de fortuna dictum fuit. Quorum enim consuetudinem genius suscipit, iisque opem fert, ij (vt ad Socratem loquitur Theages, tantùm non hinc quoque sanctionem quandam Adrasteæ proponens) sunt quos etiam tu sentis: ij celeriter proficiunt. Quibus * in verbis quòd ait quosdam diuinitus adiuuari: id vtique tertiæ providentiæ adscribendum est. atque id ipsum velox incrementum fato debetur. neque obscurū est quin hoc totum sit aliquod fatum. Ac fortasse multò probabilius videbitur, etiā secundam providentiam à fato contineri, atque adeò omnia, quæ fiunt: siquidem rectè à nobis fatum quod substantia definitur, in tres diuisum fuit partes: & illa catenæ fabula, cœ* * lestes orbium circuitiones cum iis recenset, quæ conditione quadam eveniunt. Verùm de his quidem ego nolim vehementiùs contendere, priùs cum cōditione dicta, aut quòd magis cum fato, præcedente fatali fati decreto. Nostra ergo ratio, vt in summa dicam, talis ferè est. Qui autem contra nos sentiunt, non tantùm in fato includit omnia, sed & fato fieri omnia affirmat. Alteri autem consonant omnia: & quæ vni, satis constat etiam alteri consentire. Ac secundum hanc rationem dictū est quid sit contingens, quid in nostra potestate, secundum atque tertium: tum quid fortuna, casus, & alia quæ ab iis pendent. quarto loco dictum est de laudibus, vituperationibus, & quæ his sunt cognata, quinto loco ponamus vota ad deos, eorúmq; cultum. Nam istæ argutiunculæ, quæ Ignaua oratio, & Metens, & is qui de Fato appellatur: revera fallaces sunt conclusiunculæ è disputatione de fato tractæ. Ex opinione contraria, id maximè primóq; videbitur sequi, nihil fieri sine causa, omnia causis antegressis. Deinde, à natura hunc mundum gubernari, conspirantem secum, mutuísq; obnoxiū affectionibus. Tertio loco, videbunť iis quædam fauere testimonia. diuinationem puta, quæ vt verè à deo profecta in summo est apud homines honore. tum sapientium ad quasvis res accidentes æquanimitas. tanquam si omnia fato eveniant secūda. Tertium est pervulgatum illud, Omne enunciatum aut verum esse, aut falsum. Atque horum ha* ctenus mentionem fecimus, vt summa breuitate quæ de fato * quæ oportet perscrutari, & vtriusque disputationis rationes subtilissima statera perpēdere. Iam nunc ad singularia excutienda veniendum est nobis. * * * *

Totus locus est lacer.

PLVTARCHI

De Musica commentarius.



HOCIONIS, eius qui Probus vsurpatus est, vxor suum ornatum esse dicebat mariti sui res præclarè gestas. At ego ornamentū non mihi tantùm peculiare, sed cum omnibus familiaribus commune existimo mei magistri in doctrina bonarum artium diligentiam. Nouimus enim, imperatorū pulcerrima facinora salutem attulisse duntaxat è præsenti periculo paucis militibus, aut vni siue vrbi siue genti: meliores neutiquam fecisse vel milites istos, vel ciues, vel gentiles. At liberalem disciplinam, quæ & felicitatis est corpus, & consilij boni causa, non familiæ modò aut vrbi vel populo, sed vniuerso generi humano vtilem comperias. Quanto igitur ea est quàm res omnes bellicæ vtilior: tanto etiam magis colen-

colenda est eius memoria. Enimverò secunda Saturnalium die Onesicrates, homo egregius, ad convivium vocauerat Sotericbum Alexandrinum, & Lysiam vnum eorum, qui ab ipso stipendium sumebant. Postquam omnia ritè peracta fuerunt, ita infit. Quæ causa sit humanæ vocis, ô socij, in conviuio quærere non convenit, & magis sobriam ea quæstio requirit disputationem. Sed quoniam optimi grammatici definiunt vocem aërem percussum esse, qui auditu sentiatur: heríque à nobis de grammatica est inquisitum, vt arte, quæ facultatem habeat voces litteris exprimendi, ac memoriæ tanquam in penu recondendi: videamus nunc quæ post eam proximè sequatur sciẽtia ad vocem pertinens. Est autem, nisi fallor, Musica. Pium enim est, ac præcipuum hominũ hoc studium, laudes canere deorum, qui soli ipsis articulatã vocem sunt largiti. quod Homerus his versibus significauit.

Ergo die tota placabant carmine Phœbum, Iliad. α, 472.
Formosum Pæona Achaica turba canentes,
Et magni laudes modulantes arcitenentis.
Illius auditu pertentant gaudia pectus.

Agite ergo, ô chori musici sodales, in memoriam redigite, quis primus musica sit vsus, quid ei tempus adiecerit, qui musicam scientiam tractando nobiles exstiterint. nec non & ad quot quantásque res musica sit vtilis. Hæc cùm dixisset magister, Lysias sermonem excipiens: Quæstionem, inquit, bone Onesicrates, proponis à multis agitatam. nam & Platonicorum plerique, & Peripateticorum præstantissimi de veteri musica, & quæ ei accidit corruptela scribendi laborem susceperunt. Sed & grammaticorum atque harmonicorum doctissimi multum in eam rem studij impenderunt. Magna verò est eorum qui de hac scripserunt dissensio. Heraclides in libro, in quem collegit res musicas, citharæ cantum eiúsque artem excogitatam primùm perhibet ab Amphione Iouis & Antiopæ F., patre nimirum docente. atque fidem facit huic sententiæ ex descriptione quæ Sicyone est dedicata, ex qua & sacerdotes Argiuas, & poëtas, & musicos nominat. Eadem tempestate Linum ex Eubœa oriundum ait lugubria carmina fecisse: & Anthem Anthedone Bœotia natum hymnos: & Pierium è Pieria de musis poëmata. Philammonem quoque Delphum Latonæ, Dianæ, & Apollinis natales carmine explicasse, & ab eo primùm choros apud Delphicum templum fuisse institutos. Thamyrin autem Thracem genere vocaliùs & elegantiùs omnibus ea ætate cecinisse: vnde eum poëtæ cum Musis certamen iniuisse dixerint. fertur autem poëma scripsisse de Titanum bello adversus deos. Fuisse etiam Demodocum Corcyræum veterem musicum, qui carmine expresserit Ilij excidium, & Veneris cum Vulcano nuptias. Sed & Phemium Ithacensem de reditu eorum qui cum Agamemnone fuerant ad Troiam profecti versus fecisse. Neque verò iam commemoratorum poëmatum solutam fuisse dictionem, aut quæ mensura careret: sed Stesichori aliorúmque veterum Lyricorum poëmatis similem, qui versibus modos quibus canerentur adiecerunt. Nam & Terpandrum ait citharœdicorum poëtam modorum (nomus Græci, hoc est leges, appellant) & sua & Homeri carmina in certaminibus certo quodque modulo cecinisse: eúmque primum modis citharœdicis nomina imposuisse. Simile Terpandri studio studium fuisse Clonæ, qui princeps tibicinum nomos & accentus instituit, scriptor elegiarum & epicus. Eodémque poëmatis vsum genere Polymnestum Colophonium, qui ætate fuit posterior. Nomi autem (hanc enim vocem ambiguitatis vitandæ gratia vsurpemus) erant ergo, mi Onesicrates, nomi quibus illi vterentur tibicinum, Apothetus, Elegi, Comarchius, Schœnion, Cepion, deus, Trimeles, siue triplex. Postea temporis etiam inventa sunt Polymnastia quæ vocantur. At citharœdicæ artis nomi multo ante tibicinum nomos tempore instituti sunt à Terpandro. Is ergo citharœdicis nomina fecit Bœotium, Aeolium, trochæum, acutum, Cepionem, Terpandrium, Tetraœdium. Fecit etiam Terpander prooemia citharœdica in heroicis carminibus. Quòd autem citharœdici nomi antiquitus ex heroicis versibus constiterint, Timotheus declarauit: qui primos nomos heroicis permiscens, dithyrambicam cantauit dictionem, ne prima fronte videretur veterem musicam violare. Apparet autem Terpandrum citharœdica arte excelluisse. nam quater vicisse Pythia dein-

Margin notes: Musici primi. — Nomi.

ceps scribitur. Admodum verò antiquus est. nam Glaucus Italus, quodam in libro de veteribus poëtis & musicis, priorem eum Archilocho pronunciat. ait enim eum secundum extitisse post eos qui primi tibiis canere instituerunt. Alexander in collectaneis de Phrygia, primum Olympum asserit in Græciam pulsationem fidium intulisse: deinde Idæos dactylos. & Hyagnidem primum tibia cecinisse: pòst Marsyam huius filium, inde Olympum. Terpandrum porrò æmulatum esse Homeri versus, Orphei cantilenas. Orpheus autem neminem videtur imitatus. nemo enim tunc natus fuit, extra poëtas qui facerent ea, quæ tibiis canerentur. horum autem cum opere Orphicum nihil habet simile. Clonâs verò tibicinum modos qui fecit, paulo posterior Terpandro, fuit patria Tegeates, si Arcadibus credimus: Thebanum enim Bœoti affirmant. Post Terpandrum & Clonâm Archilochus extitisse traditur. Alij nonnulli scriptores Ardalum aiunt Trœzenium Clonâ priorem tibicinam instituisse musicam. Fuisse etiam Polymnestum poëtam Meletis Colophonij F., qui Polymnestum & Polymnestam nomos fecerit. Quòd autem Apothetum & Schœnionem nomos fecerit Clonâs, scriptores recensionum memorant. Polymnesti mentionem Pindarus & Alcman lyrici faciũt. Et quosdam citharœdicorum nomorum à Terpandro factorũ, Philammonem Delphum veterem aiunt composuisse. In summa autem, citharœdica musica Terpandri ætate vsurpata, etiam vsque ad Phrynidis tempora planè simplex perdurauit. Neque enim antiquitus, vt nunc, licebat cithara canere, neque harmonias (siue concentus mavis) & rythmos siue numeros transferre. Nam in quovis nomo propriam conseruabant intentionem. atque hinc nomi dicti sunt, hoc est leges: quòd in vnoquoque non licebat transgredi præscriptam intentionem. Etenim vbi deorum veneratione erant suo arbitrio defuncti, tum statim ad Homeri & aliorum poëmata transibant. idque manifestum est ex initiis Terpandri. Figura etiam citharæ primùm facta est sub Cepione Terpandri discipulo: & vocabatur Asiatica, quia Lesbij citharœdi ad Asiam accolentes ea vterentur. Ad extremum fertur Periclitus citharœdus Lacedæmone vicisse Carnea, domo Lesbius. quo mortuo continuam citharœdorum apud Lesbios desiisse successionem. Quidam falsò putant Hipponactem fuisse Terpandri ætate: cùm etiam Periclitus Hipponactem præcessisse videatur. Sed quoniam simul veteres tibicinum & citharœdorum nomos retulimus, transibimus iam ad tibicinum nomos. Traditum est enim Olympum de quo diximus, cùm esset tibicen è Phrygia, tibicinum nomum fecisse in Apollinem, qui Polycephalus, id est, Multiceps, diceretur. hunc Olympum aiunt vnum fuisse eorum qui descenderunt à primo Olympo Marsyæ discipulo, qui nomos in deos fecit. is enim cùm amasius fuisset Marsyæ, & ab eo artem tibia canendi didicisset, harmonicos nomos in Græciam intulit, quibus nunc Græci vtuntur in feriis deorum. Alij Cratetem polycephali nomi autorem faciunt, qui Olympi fuit discipulus. Pratinas Olympo iuniori adscribit. Harmatium autem nomum, cui à curru nomen videtur esse, dicitur primus fecisse Olympus, Marsyæ discipulus. Marsyam quidam Massen appellatum, alij Marsyam dicunt: esse autem Hyagnidis filium, eius qui primus artem tibia canendi invenit. Olympi autem esse harmatium nomum, ex Glauci veterum poëtarum recensione cognosci potest: tum hoc, Stesichorum Himeræum neque Terpandri fuisse imitatorem, neque Antilochi, neque Thaletæ: sed Olympi: vsum nomo harmateo, & ea specie quæ dactylo procedit, quam alij de orthio nomo esse volunt. Alij quidam à Mysis inventum nomum illum aiunt. nam veteres fuisse Mysos tibicines. Est & alius antiquus nomus, qui Cradias dicitur, quo Mimnermum cecinisse ait Hipponax. Initiò enim elegias modulatas tibicines canebant. quod Panathenæorum descriptio indicat, vbi de musico certamine verba fiunt. Fuit & Sacadas Argiuus, qui odas & elegias fidibus accommodatas scripsit. idémque bonus poëta, ter vicisse Pythia in recensionibus traditur. eiúsque etiam Pindarus mentionem facit. Cùm ergo de sententia Polymnesti & Sacadæ tria sint tonorum genera, Dorium, Phrygium, Lydium: ferunt Sacadam in vnoquoque horum fecisse stropham, docuisséque chorum canere Doricè primam, Phrygicè secundam, tertiam Lydio tono. atque hunc nomum fuisse ob mutationem dictum tripartitum. (sic enim Trimeres interpretemur.) In fastis verò seu recensione poëtarum quæ Sicyone est, Tripartiti huius nomi autor fertur Clonâs. Prima proinde musicæ constitutio Spartæ facta est à Terpandro.

Toni.

Secundę autores hi potisſimùm memorantur: Thaletas Gortynius, Xenodamus Cytherius, Xenocritus Locrenſis; Polymnaſtus Colophonius, Sacadas Argiuus. Cùm enim hi introduxiſſent gymnopædias; hoc eſt, puto, ea quæ accinerentur nudis corporum exercitationibus: in Arcadia traduntur inſtitutæ fuiſſe demonſtrationes quæ dicuntur, & Argis quæ endymatia ſiue indumenta appellant. Fuerunt autem Thaletas, Xenodamus, & Xenocritus Pæanum ſcriptores: Polymneſtus carmina compoſuit quæ orthia dicebantur: Sacadas elegias. Alij Xenodamum non Pæanas ſcripſiſſe aiunt, ſed hyporchemata. in quorum numero eſt Pratinas. ipſiúſque adeò Xenodami cantilena memoriæ prodita eſt, quæ non obſcurè hyporchema ſit. Vſus eſt hoc genere poëmatis etiam Pindarus. Differre autem pæanem ab hyporchemate, carmina Pindari docent: qui vtrunq; ſcripſit. Et Polymneſtus tibicinos nomos fecit: in orthio lyricis eſt vſus modulis, vt quidem harmonici aiunt: nō enim certum poſſumus pronunciare, cùm antiqui hac de re nihil quicquam prodiderint. De Thaleta etiam Cretenſe dubium eſt, an Pæanes ſcripſerit. Nam Glaucus poſt Archilochum fuiſſe Thaletam affirmans, imitatum eum odas Archilochi fatetur, prolixius tamen extendiſſe, & Maronem ac Cretenſem rythmum odarum poëſi inſeruiſſe: quibus neque Orpheus vſus fuerit, neq; Terpander, neq; Archilochus. hæc enim ex Olympi tibicina muſica aiunt Thaletam depromſiſſe, boniq; tibicinis laudē inveniſſe. De Xenocrito præterea, Locris Italicis oriundo, controverſia eſt, an is Pæanas compoſuerit, ferunt enim eum res ſcripſiſſe, quarum heroica fuerint argumenta: eaq; ob hanc cauſam fuiſſe à quibuſdam dithyrambos nominata. Eundem Glaucus Thaleta poſteriorem fuiſſe ſcribit. Porrò autem Olympus, vt ait Ariſtoxenus, à muſicis putatur euharmonij generis fuiſſe repertor. nam ante ipſum omnia diatona fuerunt, & chromatica. Suſpicantur autem Olympum ſic inveniſſe. cùm verſaretur in diatono genere, & carmen ſępe transferret in diatonum parypatem, hoc eſt ſummæ proximam chordam, nunc ab ipſa media, nunc ab ei proxima fide: præteriretq; lichanon diatoni neruum, depręhendiſſe eius conſuetudinis elegantiam, miratúmque & amplexum Syſtema, quod ea conſtitueretur proportione, id in Dorio vſurpaſſe tono. Non enim eum vel ea quæ diatoni ſunt propria, vel quæ chromatici attigiſſe: ac ne harmoniæ quidem. Fuiſſe autem ei prima euharmoniorum talia. Primo enim in his loco ſpondeum ponunt: in quo nulla diuiſionum proprietatem ſuam indicat: niſi quis in contentiorem ſpondei vſurpationem reſpiciens, eum putet eſſe diatonicum genus. Qui verò hoc ponet, eum liquet cùm falſum, tum abſonum à cantu ponere. Falſum, quia dieſi inferior tono erit eo, qui principe ponitur loco. à cantu alienum, quòd etiam ſi quis in poteſtate tonici ponat contentioris ſpondeorum vſurpationis proprietatem: eveniet vt duo deinceps ſita ponanī diatona, cōpoſitum alterū, alterū incompoſitum. nam denſum illud euharmonium, quod in mediis fidibus collocatum hodie in vſu eſt, non videtur eſſe poëtæ. Facilè autem hoc animadverti poteſt, ſi quis aliquem priſco more canentem tibia audiat. nam etiam mediarum ſemitonium vult eſſe incompoſitum. Atq; tale fuit initio genus euharmonicum. poſtea temporis diuiſum eſt ſemitonium in Lydiis & in Phrygiis. Videtur autem Olympus cùm auxiſſet muſicā, nondum natam, ignoratámq; adhuc rem introduxiſſe, princepsq; fuiſſe Græcæ & pulcræ muſices. Eſt etiam aliqua de rythmis ratio. Invenienda enim vlterius ſunt quædam genera & formæ rythmorum: atq; etiā cantilenas & rythmos ſcribentium. Primum enim Terpādri nouarum rerum in ea arte molitio, venuſtum quendam modum in muſicam invexit. Eo poſt Terpandrum vſi ſunt deinceps Polymneſtus, Thaletas, Sacadas. nam hi etiam rythmis conficiēdis ſufficerunt, non egreſſi ſunt pulcram illam formā. Sunt & alia ab Alcmane & Steſichoro nouata: ſed ita, vt à pulcro non diſcederetur modo. Krexus autem, Timotheus, atq; Philoxenus, aliiq; ætate iis inferiores, importuniores aliquanto, ac nouitatis ſtudioſi magis fuerunt, modum enim affectauerunt qui humanus nunc & thematicus appellatur. Evenit enim, vt paucitas chororum, ſimplicitáſq; & maieſtas muſicæ planè ob vetuſtatem ſpernenda videretur. * pro virili locutus de prima muſica, de primis eius inventoribus, tum quorum ea temporis progreſſu adinventionibus aucta fuerit, finem faciam dicendi: locúmq; dabo ſocio meo Soterichō, qui non Muſicam modò, ſed & reliquum diſciplinarum orbem ſtudioſè excoluit. nos enim magis exercitati ſumus in ea muſicæ parte, quæ manu & inſtrumentis tractat. His dictis Lyſias obticuit. Tū Sotericħus in hęc verba orſus eſt: De venerabili ſtudio, & diis maximè accepto,

Euharmonius cantus.

optime Onesicrates, verba nos facere iussisti. Probo itaq; Lysiæ præceptoris cùm doctrinam, tum memoriã, quam ostendit recensendis primis musicæ inventoribus, iisq;, qui has res conscripserunt. Id vnũ monebo, eum tantùm scripta secutũ esse in iis ostendendis. Nos autem non hominem aliquem accepimus repertorem musicæ bonorum, sed omnibus virtutibus ornatum deum Apollinem. Non enim Marsyæ, aut Olympi, aut Hyagnidis, vt putant quidam, inventum tibia, neq; sola cithara Apollinis est: sed idem deus & citharæ & tibiæ cantum invenit. Manifestũ hoc est è choris & sacrificiis quæ tibiis interim canentes deo adferebãt: quod & alij, & Alcæus in quodam hymno narrat. Sed & simulacrum Apollinis in Delo positum in dextra manu arcũ, læua gratias habet, quarũ quævis aliquod musicũ instrumentũ tenet: lyram vna, alia tibias, media fistulam ori admotã. Neq; meus est hic sermo: sed Anticles & Ister in Illustrationibus suis hæc retulerunt. & simulacrum illud ita antiquũ est, vt dicatur à Meropibus factum, qui Herculis ætate vixerunt. Sed & puerum, qui Tempicam laurum Delphos defert, comitatur tibicen. Quin & Hyperboreorũ sacra adhibitis tibiis, citharis, & fistulis in Delũ missa ferunt antiquitus. Sunt qui ipsum deũ tibia cecinisse autumẽt: vt narrat optimus cantilenarũ cõditor Alcmã. Corinna è Minerua didicisse tibiis canere Apollinem ait. Itaq; venerãda prorsus est musica, deorũ inventũ cùm sit. Prisci porrò ea vt dignũ fuit vsi sunt, vt & reliquis omnibus institutis. Nostra ætate maiestate eius omissa, pro mascula illa & diuina confractam & garrulam in theatra inducunt musicã. quam Plato III De rep. libro vituperat: Lydiam quidem harmoniam repudiãs, vt accommodatam lamentis: vnde & primam eius institutionem lugubrem fuisse dicunt. Nam Aristoxenus scribit in primo De musica libro, Olympum de morte Pythonis lugubre carmen tibiis cecinisse, Lydio modo. Sunt qui Melanippidẽ autorem eius cantilenæ faciunt. Pindarus in pæanibus primùm de Niobes nuptiis Lydiam harmoniam vsurpatam ait. Alij Torebum principem ea vsum dicunt: de quibus est Dionysius Iambus. Mixolydia quoque animum percellens, tragœdiis est apta. Hanc Aristoxenus scribit primùm à Sapphone inventam: ab ea didicisse tragœdos, qui cum Dorica coniunxerint. cùm hæc maiestatem conciliet, illa mẽtem perturbet: quibus rebus commixta est tragœdia. In historia musica legitur eam à Pythoclida excogitatam tibicine. Lysis perhibet, Lamproclem Atheniensem, cùm is animadvertisset non ibi esse diazeuxin, (quod nos deiunctionis verbo volumus intelligi) vbi ferè omnes esse putauerunt, sed versus acutam vocem: talem eius instituisse modum, qualis est à paramesa ad hypaten hypatôn. (id est, à mediæ chordæ proxima, ad summarum summam.) Quinetiam remissam illam Lydiam harmoniam, siue Mixolydiam, adsimilem Ioniæ, inventam autumant à Damone Atheniensi. Has harmonias, cùm altera earum sit ad lamentandum parata, altera dissoluta, rectè Plato reiecit, ac Doricam, vt bellicosis temperantibúsque convenientem viris delegit. Neque is me hercle id fecit ignorans (quod ei impingit crimen Aristoxenus in secundo musicarum rerum libro) etiam in istis aliquid esse quod parti reipublicæ, cui custodiendi incumbit munus, prosit. Studiosissimus enim musices fuit Plato: vt qui Draconem audiuisset Atheniensem, & Metellum Agrigentinum. Sed quia, vt monui, magnam in Doria maiestatem esse intellexit: eam harmoniam prætulit. non nescius interim multa Doricè Parthenea seu virginalia ab Alcmane, Pindaro, Simonide, & Bacchylide facta. quinetiam prosodia, (quæ apparet fuisse carmina, qualia supplicationibus deorum accinerentur) pæanes, adde etiam deplorationes tragicas, & amatoria quædam carmina, Doricæ harmoniæ esse inclusa. Sed ei sufficiebant quæ in Martem Mineruámque cantarentur, & ad libationes spondea dicta. satis enim ea valebant ad animum viri honesti confirmandum. Idem Lydiæ & Ioniæ harmoniæ vsum non ignorauit: sciens ista modulatione tragœdiam vti. Sed & veteres omnes nullius imperiti harmoniæ, tamen vsi quibusdam modò sunt. Neque enim ignoratio tantas angustias & paucitatem chordarum peperit apud illos: neq; inscitia factum est, quòd Terpander, Olympus, horũmq; sectatores multitudinem & varietatem neruorum sustulerunt. Atque hoc arguunt Olympi, Terpandri, & aliorum qui modum eundem tenuerunt carmina omnium. quæ cùm tribus sint contenta fidibus ac simplicia, præstant omnibus variis & multas chordas requirẽtibus: ita quidẽ, vt Olympi modũ exprimere nemo possit, inferiorésq; eo omnes sint, vbi se ad multiplicẽ & multis chordis opus habentem modulationẽ contulerunt. Quòd

Apollo tibiæ & citharæ autor.

De harmoniis.

Quòd autem prisci in modo qui spondeis aptus est non ignorauerint tertiæ chordæ vsum, satis demonstrat eius in pulsatione (Krusin Græci dicunt) vsurpatio. non enim ea cum parhypata (quæ est proxima summæ chorda) consonante vsi fuissent, si vsum ignorauissent. sed manifestum est, quòd elegantia quæ spondeaco modo conciliatur per tertiam, sensum eis præbuit transferendi carmen ad parhypaten. Eadem est etiam de neta ratio. Nam & hac in pulsatione vsi sunt, & ad paranetam seu imæ proximam dissonantium, & ad mediam consonantium. Sed ratione cantilenæ non visa est illis convenire spondeaco modo. Neq; his tantùm, sed & syemmena neta, hoc est adiunctarum chordarum vltima sic vniuersi sunt vsi. Nam secũdum pulsationem ipsam dissonabant ad paranetam & paramesam, & lichanum. sed in cantilena vtenti pudorem incussisset, quia contra morem ibi vsurpata esset. Ex Phrygiis etiã constare, quod non ignorauerit Olympi & qui eum secuti sunt. Vsi sunt enim iis non tantùm in pulsatione, sed & in cãtilenis de matre deorum & quibusdam Phrygiis. De hypatis etiam seu summis neruis constat, non ignoratione factum esse quòd eo quattrichordo non vsi sunt in Dorio: cùm in aliis tonis vsi, vtiq; cognitum habuerint. Sed vt morem seruarent, à Dorio tono id abstinuerunt, pulcritudinem eius venerantes. Tale est etiam in tragœdia quippiam. Nam chromatico genere & rythmo nusq; ne hodie quidem tragœdia vtitur. cithara autem, quæ tragœdiam ætate multis seculis anteit, ab initio vsa est. Chroma autem quàm harmoniam esse antiquius, in promtu est. est enim nimirum ætas definienda secundum humanæ naturæ occursum & vsum. Nam quod ad ipsorum generum attinet naturam, non est aliud alio antiquius. Si quis ergo Aeschylum aut Phrynichum diceret ob ignorantiam abstinuisse chromate, non absurdè diceret? Idem enim etiam Pancraten diceret ignorauisse chromaticum genus: nam & is plerunq; id vitauit, etsi in quibusdam est vsus. abstinuit itaque non ignoratione, sed consilio ductus: sectabatur enim, vt ipse aiebat, Pindaricum ac Simonideum modũ, & omnino eum qui nunc antiquus appellatur. Eadem de Tyrtæo Mantinense, & Andrea Corinthio, Thrasyllo Phliasio, multisque aliis valet ratio: quos omnes scimus consultò abstinuisse chromate, mutatione, fidium multitudine, aliáque multa in medio sita rythmorum, harmoniarum, vocabulorum, modulationum, interpretationum genera. Statim enim occurrit Telephanes Megarensis, qui ita infensus fuit fistulis, vt tibiarum opifices nunquam sit eas passus imponere tibiis. quin & Pythico certamine hac maximè de causa abstitit. In vniuersum autem si quis ex eo, quòd vsum aliquis rei omiserit, colligendum putet eam ipsi rem ignotam fuisse: multi restant ei etiamnum inscitiæ damnandi. vt Dorionij, qui Antigenideum modum spernunt, siquidem eo non vtuntur: & rursum Antigenidei, qui eadem de causa Dorionium: & citharœdi, qui Timothei modum vitant. ferè enim abiuerunt in quisquilias, & ad Polyidi poëmata. Iam si quis rectè & peritè consideret varietatem, & prisca cum nostris comparet, olim quoque varietatem in vsu fuisse inveniet. Nam varietate in rythmis faciendis, quæ magis varia esset, vsi sunt veteres. vt qui rythmicam varietatem in honore haberent. Sed & pulsationum elocutiones tunc fuerunt magis varię. nam nostri discendi sunt studiosi, prisci rythmorum amatores erant. Constat ergo, non ob ignorationem, sed consilio veteres fractis cantilenis abstinuisse. Neque hoc mirum est: cùm multa alia vitæ instituta non ignorentur ab iis, qui ea non vsurpant: vsúque demto ea ab ipsis abalienantur, quod in quibusdam aliquid indecorum animadversum fuit. Sed Platoni neque ignorantiam neque imperitiam in causa fuisse vt quædam reiiceret: verùm id eum fecisse, quia indecora reipub. iudicaret ea esse: iam nunc ostendemus, eúmque harmonicæ rei gnarum fuisse docebimus. Is ergo in ortu seu procreatione animæ ea, quam Timæo inseruit, suam in rebus mathematicis ac musicis diligentiam fecit testatam. Hæc enim sunt eius verba. Et secundum hæc impleuit cùm dupla tum tripla intervalla: portionésque inde abscidit, & in medio eorum collocauit, vt in quovis intervallo duo sint media. Hoc exordium manasse ab harmonica peritia, mox ostendemus. Tres sunt medietates (liceat enim sic verbum verbo referre) vnde omnis mediocritas æstimatur: Arithmetica, Harmonica, Geometrica. in prima æqualis est numerus quo se invicem excedunt excedunturque termini: in tertia eadẽ fit proportione: in media neque proportione, neque distantia eadem termini sese consequuntur. Itaque Plato, cùm animalem harmoniam quatuor elementorum, causámque ex dissimilibus inter se consonantia vellet harmonicè

Chroma.

Platonem fuisse rerum musicarum peritum.

demonstrare: in vtroque intervallo duas animales medietates musica ratione ostendit. Nam consonantia, quam in rebus musicis diapasôn Graeci, nostri vulgo Octauam nominant, duo inter extremos terminos media recipit. quorum proportionem ostendemus. Extrema consonantiæ diapasôn duplam inter se rationem tenent: vtq; hoc intelligere exemplo poßis, numeris rem explicabimus. Ergo maior extremitas ad minorem ita se habet, vt XII ad VI. Hoc intervallum (id enim adhuc diastema dicendum putaui) ab summa mediarum (ea est hypate meson) chorda porrigitur vsque ad imam deiunctarum, hoc est netam diezeugmenon. Quærendi iam sunt duo numeri in medium intercidentes, ad quos extremorum maior ad sibi proximum sesquitertius, ad reliquum sit sesquiplus siue sesquialter. ij numeri sunt IIX & IX. Nam VI semel, eiúsque præterea triens in IIX continentur: in IX semel cum semisse. Et alter extremorum, XII puta, IX pro dodrante, IIX pro besse habet. Ergo his numeris inter VI & XII interiectis, cùm diapasôn constet ex intervallis diatessaron, (nos Quartam) ac diapente (nos Quintam vsurpamus) distantiis: liquet mediæ chordæ numerum IIX, ei proximæ seu paramesæ IX deberi. quo facto, erit ea ratio hypatæ seu summæ ad mediam, quæ parameses erat ad imam seu neten adiunctarum siue connexarum. nam à parhypata mediarum erit diatessaron ad mediam: à paramesa ad netam diezeugménon, diapason. Eadémque invenitur numerorum proportio. eadem enim est VI ad IIX, quæ IX ad XII ratio. & vt VI ad IX sunt affecta, ita IIX ad XII. Nam IIX ad VI sesquitertiam habent rationem, & XII ad IX. & rursum sesquialteram, vt IX ad VI, ita XII ad IIX. Cæterùm hæc sufficient ad demonstrandum, quanta fuerit in rebus mathematicis industria atque peritia versatus Plato. Porrò autem quòd harmonia res sit diuina, veneranda, magna: Aristoteles Platonis discipulus his verbis confirmauit. Enimverò harmonia res est cœlestis, eiúsque natura diuina atque pulcra. Cùm autem sit facultate quatripartita, duas habet medietates, arithmeticam & harmonicam. apparétque partes eius, magnitudines, & eminentias numero & mensuræ æqualitate constare. Nam in duobus quatrichordis cantilenæ sua modulatione concinnantur. Atque hæc sunt verbis eius expressa. Corpus porrò eius constare dixit ex partibus dissimilibus, sed quæ inter se consonent. Quin & medietates earum arithmetica proportione consentire. Nam ima chorda ad summam proportione dupla coëunte, confici diapasôn consonantiam. cùm hypate VI, nete XII numero repræsentetur. Paramese sesquialtera proportione hypatæ respondet, eique IX congruere, mediæ IIX diximus. At enim intervalla musices præcipua constare his rationibus certum est. diatessaron sesquitertia, diapente sesquialtera, diapason dupla proportione. interim etiam conseruari rationem sesquioctauam, qualis est IX ad IIX, & tonum exprimit. Iam id quoque, in harmonia æqualibus terminos excedi atque excedere, medietatésque mixtum ex arithmeticis & geometricis rationibus respectum inter se habere. Atque hoc sic declarat Aristoteles, vt neta triente maior quàm mese sit: & eadem portione paramese hypatem excedat. itáque relatio quædam intervallorum siue discriminum confiat, cùm termini æqualibus portionibus superent atque superentur: vtrobique sesquialtera & sesquitertia proportionibus rem gerentibus. Atque hæc est, quam harmonicam vocant auctionem, vel (vt hodie vsitatis vocibus ipse vtar) progreßionem. Nete autem à mesa, & paramese ab hypata, arithmeticis intervallorum discriminibus distant. nam paramese mesam sesquioctaua ratione excedit. rursum nete ad hypatam dupla est, paramesa hypata semel eiúsque semissem valet: & mesa ad hypatam est sesquitertia. His ergo partibus atque numeris harmonia de Aristotelis sententia componitur. Idem optimè ex infiniti & finiti, paris & imparis, atque pariterimparis natura eandem constituit, eiúsque partes. Tota enim par est, cùm constet quatuor terminis. partes ipsius, proportionibus continentur, quorum termini sunt pares, impares, pariterimpares. Nete enim par est, quia XII numero exprimitur. paramese impar, quia IX. mesa pariterpar, quia IIX. hypate pariterimpar, quia VI. His ergo rationibus atque partibus conflata harmonia, sibi toti, omnibúsque partibus consonat, Sed & sensus, qui ob harmoniam corporibus innati sunt: cœlestes alij & diuini, cum deo sensum præbent hominibus visus & auditus, cum voce & lumine harmoniam

Proportio musicorum intervallorum.

niam ostendunt. & alij sensus horum comites, quatenus sensus sunt, secundum harmoniam constant. nihil enim ne ipsi quidem sine harmonia conficiunt: minores sanè illis, non tamen absque illis. illi enim simul cum adventu dei præstò adsunt iuxta rationem, & validam pulcrámque habent naturam. Porrò autem ex his planum fit, priscis Græcis haud iniuria id præcipuæ curæ fuisse, vt adolescentes musica disciplina imbuerent. Horum enim animos existimabant musicæ opera fingi atque concinnari ad decorum posse. quippe quòd musica vt ad omnia, omnémque seriam actionem vtilis esset, ita in primis ad bellica pericula. Quam ad rem alij tibiis vsi sunt: vt Lacedæmonij, qui composito agmine in hostem vadentes, Castoreum carmen præcini tibiis instituerunt. alij lyra: sicvt diu sic ad pugnam profectos Cretenses ferunt. nostra ætate tubæ in hunc vsum apud plerosque successerunt. Argiui ad luctam, quæ Stheniorum dicebatur, tibiam adhibebant. quòd certamen initio Danai causa institutum, postmodo Ioui Sthenio consecratum perhibetur. Enimverò hodiéque moris est, vt ad pentathlum tibiis canatur. ac tametsi nihil accinitur certum, nihil antiquum, aut quale priscis vsitatum fuit: (quale erat carmen Hieracis ad hoc certamen factum, quod Endrome siue incursus dicebatur) tamen vt languidum & non certa destinatum lege eò fuerit, equidem accinitur nihilominus. At enim apud antiquiores Græcos ne notam quidem aiunt musicam quæ theatris inseruiret: totam scientiam illam deorum venerationi, adolescentúmque institutioni impensam fuisse: quòd tum nondum theatro vllo apud istos homines ædificato, musica adhuc in templis versaretur, deorum venerationi, & laudibus bonorum virorum inseruiens. Et verisimile est theatri vocem, ac multo antiquiorem theoren, quod est spectare, à deo (ipsis Theos dicitur) deductas esse. Cæterùm nostris temporibus tantum est receptum discriminis, vt eius musicæ quæ ad disciplinam puerorum facit nulla memoria iam exstet, nulla cura sit: omnes qui animum ad musicam appellunt, theatris seruientem musam amplectantur. Sed diceret aliquis: heus tu, nihilne à priscis adinventum fuit, nihil nouatum? Equidem adinventa quædam fateor, sed cum maiestate & decoro. Qui historiam harum rerum scripserunt, ij Terpandro neten Dorij toni acceptam ferunt, cùm ea priores vsi non fuerint. quin & totum mixolydium tonum superadditum aiunt, & orthiæ cantilenæ modum, & orthiorum ad orthium notabilem trochæum. Si Pindaro credimus, etiam scolia carmina Terpander reperit. Sed & Archilochus trimetrorum rythmos excogitauit, & institionem in diuersi generis rythmos, & paracatalogam siue immutationem exitus, & pulsationem eorum. primo ipsi etiam epoda, tetrametra, procriticum, & prosodiacum tribuuntur, primíque augmentum. à nonnullis etiam elegiacum. Ad hæc iambici ad pæonem epibatum intentio, & heroici aucti in prosodiacum & creticum: & quòd iambicorũ alia dicunt ad pulsationẽ, alia canunt, id ab Archilocho mõstratum, à tragicis deinde vsurpatũ ferunt. idq; Krexum accepisse, & ad dithyrambũ traduxisse. Putant etiam pulsationẽ sub cantilenam ab eo primùm inventam, cùm veteres omnes ad chordas pulsassent. Polymnasto autem tonum qui nunc hypolydius dicitur adscribunt: valdéq; ab eo auctam ferunt eclysin & ecbolam. Ipsum quoq; illum Olympum, cui principium Græcæ & nomis contentæ musicæ imputatur, genus harmoniæ protulisse in lucem tradunt: rythmósq; prosodiacum, in quo Martis est nomus, & choreũ quo multi vsi sunt in Metrois, hoc est carminibus de magna Matre. Quidam etiam Baccheium putant ab Olympo inventum. hæc ita esse, quovis antiquo carmine ostendi potest. Lasus verò Hermionensis cùm rythmos in dithyrambicam rationẽ transtulisset, ac tibiarum multiplices voces sectaretur, pluribus vtens sonis & dissipatis, antiquæ musicæ mutationẽ invexit. Idẽ fecit Melanippides odarum scriptor superveniẽs, qui in priore musica non acquieuit. vt neq; Philoxenus, neq; Timotheus. Hic enim, cùm lyra septẽ fidibus vsq; ad Terpandrum Antissæum contenta fuisset, in plures eam sonos dispersit. Verùm tibicina quoq; musica de simpliciore in magis variã est mutata. Nam antiquitus, vsq; ad Melanippidẽ qui dithyrãbos cõposuit, tibicines à poëtis mercedem accipere consueuerant: nimirũ primas gerente partes poësi, & tibicinibus operã iis qui fabulã docerent nauantibus. Is postea mos periit: adeò quidẽ, vt Pherecrates comicus musicã introduxerit figura muliebri, totum corpus verberibus fœdè multatã. facitq; iusticiã querentẽ de causa huius fœditatis, et poësin sic respondentem.

Musicam vt auxerint veteres.

Musicæ corruptores.

Mihiq́; dicere voluptatem animo adferat.
Malorum initium mihi fuit Melanippides.
Is primus arreptam me laxauit nimis,
Fidibúsq́; bis sex molliorem reddidit.
Ad calamitates ille non tamen meas
Suffecit vnus hasce. Nam Cinesias
Atheniensis ille detestabilis,
Contra harmoniam dum flexus intulit strophis,
Pessundedit me sic, vt iam poëseos
Dithyrambicæ, perinde sic vt aspidis,
Quæ dextra sunt, sinistra quiuis deputet.
Neq; hoc tamen satis est. miseriæ creditum.
Phrynis peculiarem immittens turbinem,
Flectendo me, & versando totam perdidit,
In quinq; chordis bis sex harmonias habens.
Sed iste vir potuit adhuc tolerarier:
Peccata nanq; correxit rursum sua.
Ast Timotheus me confodit, carissima,
Turpissiméq; vulneribus me conscidit.
IVST. Quis Timotheus. MVS. Milesius ille Pyrrhias
Maiora mi mala, quàm reliqui omnes, intulit.
Is solam vbi ambulantem me nactus fuit,
Bis sex me neruis illicò vinctam illigat.

Sed & Aristophanes comicus mentionem facit Philoxeni qui cantilenas in cyclios choros intulerit. & musica apud eum sic loquitur:

Exharmonios, hyperbolæos, niglaros:
Quibus me totam raphani in morem flexilem
Oppleuit. ——

Sed & alij comœdiarum scriptores demonstrauerunt eorum ineptias, qui postea temporis musicam in minuta quasi fragmenta conciderunt. Quòd autem educationem & disciplinam vel genuina vel praua artium tractatio sequatur, Aristoxenus ostendit. Nam Telesiam Thebanum, qui ipsius ætate vixit, narrat adolescentem in pulcerrima educatum musica, cùm aliorum nobilium poëtarum carmina didicisse, tum Pindari, Dionysij Thebani, Lampri, Pratinæ, & reliquorum qui lyrico carmine præstiterunt. eundémque etiam tibia bene cecinisse, & in reliquis totius disciplinæ partibus satis felici cum industria versatum fuisse. Aetate autem iam matura, adeò fuisse à scenica & varia illa musica deceptum, vt contemtis pulcris iis in quibus enutritus fuerat, Timothei ac Philoxeni edisceret carmina, ac de his ipsis ea potissimùm, quæ maximè essent varia, plurimúmque haberent nouitatis. cúmque se ad lyricum pangendũ carmen cõtulisset, ac tam Philoxeni quàm Pindari modũ tentasset, in Philoxeneo ei rem non successisse: cuius causa fuerit pulcerrima illa primæ ætatis institutio. Qui ergo vult musica rectè & cum iudicio vti, is veterem modum æmuletur. Sed interim aliis quoque eam perficiat disciplinis, philosophiámque ei pædagogi loco præficiat. ea enim iudicare valet quid musicam deceat. Nam cùm musica vniuersè in tres diuidatur partes, diatonum, chroma, harmoniam: qui ad musicam se applicat, is necesse est gnarus sit hisce vtentis rebus poëseos, interpretationéque poëmatum præditus. Principiò itaque tenendum est, omnem disciplinam musicam, adsuefactionem esse, quæ discenti nondum simul ostendat, cuius finis gratia vnumquodque præceptum discatur. Deinde id cogitandum est, ad huiusmodi institutionem non esse adhibendam modorum enumerationem. Sed plerique temere docent aut discunt quæ discipulo doctorive placent. prudentes inania reiiciunt: vt antiquitus Lacedæmonij, Mantinenses, Pellenæi. Hi enim vnum aliquem modum, aut paucos omnino deligentes, quos formandis moribus aptos iudicarent, ipsa musica vsi sunt. Hoc manifestum evadet, si quis singulas scientias

Musicæ rectus vsus.

tias examinans, dispiciat cuius vnaquæque rei considerationem tractet. Liquet enim harmonicam de concinno genere, diastematibus seu intervallis, systematibus, sonis, tonis mutationibúsq; systematicis cognitionem habere: vlterius non progredi. itaque id genus quæstiones non suscipit, an propriè poëta sumserit, similia esse hæc, si quis initio carminis hypodorium, in fine mixolydium aut dorium, hypophrygium & phrygium in medio adhibeat. Non enim harmonica eò vsq; pertingit, sed multis præterea aliis opus habet. Vim enim proprietatis ignorat. neq; adeo chromaticum aut enharmonium genus vnq; ad proprietatis perfectam vim procedit, qua de ingenio carminis iudicatur. hoc enim artificis est munus. Manifestum est ergo quòd vox systematis alia est à modulatione cantilenæ in systemate: quam considerare, non est harmonicæ tractationis. Eadem est rythmorum ratio. nullus enim rythmus in se perfectam proprietatis vim habet. Propriè enim aut accommodatè aliquid dictum cùm affirmamus, ad indolem seu naturam modi respicimus: eiúsq; caussam esse dicimus compositionem quandam aut mixtionem aut vtrunq;. vt quòd Olympus enharmonium genus in Phrygio positum tono cum pæone epibato miscuit. hoc enim initium in Minervæ nomo suam ei indolem conciliauit. nam adscitis modulatione & rythmi confectione, artificioséq; eo transsumpto, & trocheo in pæonis recepto locum, Olympi enharmonium genus est conditum. Et tamen enharmonio genere & Phrygio tono totóque systemate manentibus, magna mutatio genio carminis accidit. quæ enim in Minervæ nomo dicitur harmonia, procul distat ab experimenti indole. Si ergo musicæ peritiæ accedat facultas iudicandi, his præditum constat perfectum fore musicũ. Qui enim nouit Doricum tonum, neq; tamen iudicare quit vbi is propriè & conveniènter vsurpetur: non sciet quid faciendum sit, neq; genium eius seruabit. Nam de ipsis Doriis cantilenis quæretur an harmonica scientia diiudicet, vt Doriorum quidã putant: necne. Eadem est ratio etiã vniuersæ rythmicæ scientiæ. Qui enim nouit pæonem, is proprietatem eius nescit: tantùm hoc scit, vnde pæan componatur. Nam quandoquidem de ipsis pæonicis rythmorum confectionibus dubitatur, disceptatiuáne sit an rythmica earum tractatio: aut, vt quidam dicunt, non eò vsq; se proferat. Oportet igitur eum, qui velit de his rebus iudicium ferre, ad minimum duo hæc posse perspicere: proprium seu domesticum, & alienum: primùm eius affectionis ob quam facta est compositio: deinde eorum, ex quibus ea facta est. Proinde neque harmonicam, neque rythmicam, neque vllam aliam quæ vt species musicæ subiiciuntur, ipsam per se sufficere ad intelligendum carminis genium, ac cætera iudicandum: satis puto dictum esse. Iam cùm tria sint genera, in quæ harmonicum seu concinnatum illud distribuitur, cùm systematum quantitate, tum sonorum vi, atque etiam quatrichordorum æqualitate convenientia: vnum duntaxat eorum veteres tractauerunt. Etenim qui nos ætate anteiuerunt, neque de chromate, neque de diatono disputauerunt: sed de solo enharmonio. atque adeò etiam de huius vnico systemate, siue complexu, quod est diapason. Controversia quidem eius fuit de vsu: sed quin hæc vnica esset harmonia, in id omnes ferè consenserunt. Non ergo harmonicam quisquam perspexerit tractationem, qui vsque ad cognitionem eius fuerit progressus. Sed oportebit, vt liquet, eum persequi particulares etiam quas vocant scientias, totumque musicæ corpus, & partium mixtiones atque compositiones. Qui enim tantummodò est harmonicus, is circumscriptus est certo modo. Vt autem vniuersè dicam, sensum & intelligentiam oportet concurrere in iudicandis musicæ partibus: vt neque præeant sensus, quod accidit præcipitibus: neque à tergo relinquantur, quod vsu venit tardis. Contingit aliquandò in sensibus vtrunque vt ob naturæ inæqualitatem & antecurrant & tardius æquo veniant. hoc ergo adimendum est sensui: vt possit æquali cursu comitari intellectum. *Iudicium musicum.* Semper enim est necesse, tria hæc vnà in auditum incidere: sonum, tempus, & litteram vel syllabam. Fiet autem, vt è sono eiúsque ingressu harmoniam, è tempore rythmum, è littera aut syllaba id quod dicitur intelligas. quæ cùm simul procedant, simul etiam sensus ea excipere debet. Simul & hoc evidens fit, vbi horum quodque sensus à reliquis separare non possit, ac seorsim perpendere: eum non posse discernere vitiosum à recto. Enimverò principe loco de continuatione est cognoscendum; quæ apprimè ad vim iudicandi requiritur.

Bene enim an secus habeat carmen, non deiunctis à se invicem sonis, temporibus, literisve cernitur: sed in continentibus. est enim commixtio quædam partium quæ in vsu non sunt compositæ. Ac de assequendo intelligentia carmine hæc sint dicta. Secundum hæc considerandum enim, musicæ scientes non esse satis ad iudicandi scientiam à se instructos. Fieri enim non potest, vt absolutus omnibus numeris sit musicus & criticus siue censor is, qui complexus cognitione sit eas quæ censentur musicæ partes totius: peritiam inquam instrumentorum & cantilenarum, ac exercitationis sensu, quod attinet videlicet ad harmoniæ & rythmi perceptionem. tum è rythmica & harmonica tractatione, & consideratione pulsationis atq; elocutionis, & si qua sunt alia huc pertinentia. Cur autem hæc omnia eum non possint præstare perfectum censorem, sic conabimur expedire. Primò id nobis extra controversiam positum esto, eorum quæ iudicio subiiciuntur, alia perfecta, alia imperfecta esse. perfecta sunt, cùm carmẽ vnumquodq;, quod vel voce, vel tibia, vel cithara canitur: tum eorundem expresio, vt tibiæ, vel vocis cantus, & cætera. imperfecta, quæ huc conducunt, & propter ista fiunt, vt expresionis seu interpretationis illius partes. deinde è poësi. eodem enim modo & ipsa habet. Audiens enim aliquis tibicinem, dubitare posit, an consonent vel dissonent tibiæ: & elocutio perspicua sit necne. horum autem quodvis pars est interpretationis tibicinæ, non finis ipse, sed finis causa susceptum. nam secundum hæc & id genus alia omnia iudicium fieri debet de expresionis seu modulationis genio, an is accommodatus ei poëmati, cui musicè accinitur: an scilicet eam quæ petebatur placidã animi commotionem efficere posit. Eadem est etiam grauiorum animi perturbationum ratio, quas poëmata affectant. Verùm enimverò veteres, qui tantùm placidos animi motus curarent, maiestatem & simplicitatem priscæ musicæ primo coluerunt loco. Equidem Argiuos etiam multam definiuisse traditur iis qui musicam violauissent: eámq; ab iis exegisse, qui primus fuisset ausus pluribus quàm septem ab ipsis receptis fidibus, et ad mixolydiũ tonum alludere. Sed et Pythagoras, grauissimus ille philosophus, improbauit iudicium musicæ à sensibus profectum: solaq; mentis acie eam examinari voluit, & proportione harmonica, non auditu. Idem iudicauit intra diapason debere contentam esse musicam. Nostræ ætatis homines pulcerrimum illud genus, cui ob maiestatem antiqui maximè studuerunt, ita omnino repudiauerunt, vt pleriq; nullam harmonicorum intervallorum habeant rationem. Atq; eò processum est ignauiæ, vt diesin harmonicam putent nullum sui ne indicium quidem sensui præbere quidam, eámque è cantilenis exterminent, dicántq; nugatos esse qui de ea aliquid senserint, aut istud musicæ genus probauerint. Suæ sententiæ validisimum scilicet hoc firmamentum habent, suorum hebetudinem sensuum: opinantúrq; si quid ipsi percipiant, id planè iam nihil esse, neque vllam habere vtilitatem. Alterum hoc, quòd consonantiæ opera eius quantitas non possit expressa percipi: sicvt semitonij, toni, & reliquorum intervallorum. Sed ignorant isti, eadem ratiocinatione se tertium, quintum, & septimum intervallum exturbare: quæ dieses habent tres, quinque, septem. Denique omnia in vniuersum intervalla, quæ impari notantur numero, necesse fuerit vt inutilia reiici. nullum enim eorum consonantiæ adminiculo potest percipi: omnia inquam, quæ minima diesi inæquali metitur numero. Hinc sequetur, nullam quatrichordorum diuisionem vtilem esse, demtis his, quorum omnia intervalla pari numero definiuntur. qualis erit syntoni, diatoni, & toniæi chromatis. Atqui huiusmodi sententia eorum est hominum, qui non modò iis quæ in sensum incurrunt, sed etiam sibi ipsis ipsi repugnent. quippe cùm notum sit eos talibus quatrichordorum diuisionibus præcipuè vti, quæ vel imparibus numeris notentur, vel proportione respondentibus. Molliunt enim subinde, lichanos, paranetas, atque etiam stantium sonorum quodam intervallo ꝗd ratione explicari nulla posit remittentes, tertiásque etiam & paranetas. atque hunc maximè vsum systematum probari putant, in quo multa sint intervalla, quorum ratio numeris enunciari nullo modo possit: neque tantùm mobilium sonorum, sed etiam immobilium remissione facta. Non possunt hæc ignorare ij, qui sensu istiusmodi rerum sunt instructi. Vsum verò musicæ convenientem Homerus docuit. Ostendens enim musicam multis in rebus esse conducibilem: introducit Achillem, qui iram adversus Agamemnonem suam concoqueret musicæ opera, quam didicerat à sapientisimo Chirone.

Inuenére illum mentem cithara oblectantem

Margin notes: * (beside "phus, improbauit iudicium"); *De diesi, & aurium iudicio.* (beside "nullam harmonicorum intervallorum"); *Vsus musicæ.* (beside "cæ convenientem Homerus"); *Iliad. ι, 186.* (beside the verse)

Affabrè

Affabrè facta, iugum erat solido ex argento:
Eetionea è spoliis quam ceperat vrbis.
Hac animum mulcens, clarorum facta virorum
Inclyta cantabat. ——

Disce, inquit Homerus, vbi sit vtendum musica. Achilles, quòd dignum ipso erat, filio iustissimi Pelei, canebat egregia facta virorum & semideorum. Ac præterea tempus idoneum vsui docens, in ocio degenti exercitationem vtilem iucundámque reperit. Bellicosus enim homo Achilles, & gerendis rebus factus, ob iram in Agamemnonem conceptam, aberat à prœliis. censuit itaque eius herois animum pulcerrimis carminibus exacuendum esse, vt paratus esset ad eruptionem, quam erat paulo pòst facturus. idque fecit, commemorandis veteribus historiis. Talis ergo fuit, & tales commoditates attulit veterum musica. Namque & Herculem musica vsum fuisse audimus, & Achillem, & alios multos: quorum magister fuit Chiron sapientissimus, musicæ simul, & iusticiæ, & medicinæ doctor. Denique vt in summa dicam, non hoc vitio dabitur scientiæ, si quis ea non vt par est vtatur: sed propria abvtentis ea culpa censebitur. Proinde si quis musicæ eum modum, qui ad probè instituendam adolescentiam conducit, labore industriáque consecutus, in prima ætate accuratione conveniente fuerit formatus: is pulcra quidem laudabit & amplectetur, vituperabit autem his adversa, non in musica tantùm, sed & aliis in rebus. eritque is homo vacuus omnis turpis actionis, maximum hunc fructum è musica consecutus, & cùm sibi ipsi, tum ciuitati plurimum proderit, nullo neque facto neque verbo inconcinno vtens, sed vbique decorũ modúmque seruans. Cæterùm ciuitates quæ optimis legibus vterentur, maximam ingenuæ musicæ curam gessisse, multis testimoniis doceri potest. Nobis satis sit Terpãdrum produxisse, qui Lacedæmone coortam seditionem pacauit. & Thaletam Cretensem, quem Pythij Apollinis oraculo accitum à Lacedæmoniis, musica pestem tum grassantem sedasse Pratinas scribit. Sed Homerus etiam Græcos pestem musica depulisse scribit, qua infestabantur. Sic enim canit. Iliad. λ, 831.

Ergo die tota placabant carmine Phœbum, Iliad. α, 472.
Formosum Paeona Achaica turba canentes,
Et magni laudes modulantes arcitenentis.
Illius auditu pertentant gaudia pectus.

Hos ego, bone magister, versus, pro colophone mei de musica sermonis attuli, cùm tu eos ante ad vim musicæ indicandam allegasses. Re enim vera, primum hoc eius est & pulcerrimum officium, grata adversum deos remuneratio. proximum, animæ pura & concinna sibíque conveniens constitutio. Hæc locutus Soterichus: habes, inquit, bone magister circularem de musica disputationem. Admirationem autem sui excitauit sua oratione, cùm suum musicæ studium & vultu & voce demonstrasset. Magister autem meus: vnà cum reliquis, inquit, id mihi vtriusque vestrûm probatur, quòd suum vterque ordinem seruauit. Lysias enim ea tantùm nobis proposuit, quæ citharœdum manibus opus facientem scire convenit. Soterichus verò liberaliter admodum quæ ad vtilitatem, contemplationem, vímque etiam & vsum musicæ pertinent attulit. Puto autem eos hoc, quod dicam, volentes ac studio mihi reliquisse. non enim hoc illis timiditatis impingam crimen, vt veritos pronunciem musicam in syssitia seu conviuia detrahere. Nam si alicui in iis sit vsui, Homerus disertè id docuit, sic dicens.

Cantúsque, & choreæ, dulcis donaria cœnæ. Odyss. α, 152.

Neque velim quenquam suspicari, id voluisse Homerum significare, duntaxat ad delectationem conducere musicam. sed altior latet sensus in illis verbis. Adsciuit enim vtilitatem & auxilium musices opportunissimo loco, in cœnas inquam & conviuia veterum. Ideò quippe eam his adhiberi receptum fuit, quòd animum revellere, & vim caloris vini mitigare valeret. In quam sententiam etiam Aristoxenus noster dixit, musicam introductam in cœnas esse, quòd sicvt vinum nimio ipso vtẽtium & animos & corpora labefactat: ita musica suo ordine & concinnitate in contrarium statum abducit atque sedat. Ea igitur occasione Homerus ait priscos musica tanquam remedio quodã vsos. Sed maximũ, ô socij, & q̃d maximè musicę dignitatẽ maiestatémque demõ-

strat, à vobis omissum est. Etenim motus rerum, & stellarum circuitiones Pythagoras, Archyta, Plato, reliquique antiqui philosopi sine musica neque fieri neque constare affirmauerunt: omnia enim à deo secundum harmoniam fuisse instituta. Verùm intempestiuum esset nunc de ea re disputationem protrahere. summum est, & musicæ convenientissimum, omnibus rebus suum modum imponere. Hæc ille fatus, pæanem cecinit: cúmque Saturno, eiúsq; filiis diis omnibus ac Musis libauisset, conviuas dimisit.

PLVTARCHI

Comparationis Aristophanis & Menandri breuiarium.



VNIVERSE vt dicam, multo præfert Menandrum. Singulatim autem hæc adiicit. Genus dicendi tumidum & scenæ accommodatū atq; illiberale Aristophanem vsurpasse, Menandrum neutiquā. Indoctus enim aliquis & plebeius illius oratione capitur, doctus offenditur. loquor de antithetis, similiter cadentibus, & paronymiis. quibus Menāder rarò & cum ratione vtitur atq; accuratè: alter crebrò, & intempestiuè ac frigidè. Laudatur enim, inquit, quòd tamias submersit, non tamiæ, id est promicondi, sed lamiæ seu striges quòd essent. atq; sic siue * maliciam siue sycophantiam spirat. &, Ventre viuit, intestinis, artubus. &, Præ risu ad Gelan (quod ridere est) perveniam. &, Quid tibi faciam misera amphora exostracisata. (ostracismus modus est in exsilium agēdi) & ostracus testa est, Camphora testacea notari videtur) &, Agrestia vos ô mulieres mala. quia ipse agrestibus erat enutritus o- Acharn. leribus. &: sed trichobrotes meum lophum devorauerūt. id est pediculi verticem meum exederunt. Item,

L A. Fer Gorgonitergum huc aspidis mihi circulum.
D I. Mihi placentæ caseitergum orbem cedò.

multáq; id genus alia. Habet nimirum in apparatu verborum aliquid tragicum, nec non comicum, proteruum, pedestre, obscuritatem, communitatem, fastū, elationem, loquacitatem, nugas quę nauseam cieant. Cúmq; dictio eius tantum habeat dissimilitudinis & inæqualitatis, ne decorū quidem singulis generibus & suum accommodauit locum. verbi gratia, regi fastum, oratori vim dicendi, mulieri simplicitatem, pedestrem sermonem plebeio, insolentem forensi. sed velvti sorte personis vocabula vt occurrebat vnumquodq; attribuit: vt dignoscere non possis filiúsne loquatur, an pater, rusticus, deus, anus, heros. At Menandri ita dolata est, itáq; inter se conspirat contemperata dictio: vt cùm per tam varios omnis generis motus animorū ducatur, ac omnigenis accommodetur personis: vnica tamen videatur, æquabilitatémque perseruet suam in vulgatis vsitatísq; vocabulis. Quòd si alicvbi res præstigiarum aliquid strepitúsve requirat: tibicines solertes imitat᷑, qui omnibus tibiæ apertis foraminibus, mox vocem artificiosè in suam restituunt sedem. Tametsi autem multi fuerunt præclari opifices, nullus tamen calceum, laruam, aut vestem fecit, quæ simul viro, mulieri, adolescenti, seni, ac vernæ conveniret. At Menander tali est sermone vsus, qui congrueret cuivis naturæ, statui, ætati. cùm quidem & iuuenis se ad eam rem contulisset, & in ipso vigore scribendi ac docendi fabulas decesserit: quando maximè scribentes incrementa facere ad elocutionis virtutem Aristoteles testatur. Si quis verò primas Menandri fabulas cum mediis & vltimis comparet, iudicare poterit, quāta fuisset additurus si diutiùs vixisset. Item. Poëtarum comicorum alios in scribendo populo & multitudini se accommodare, alios paucis: non facilè ex omnibus inveniri, qui vtrique generi se applicuerit. Sed Aristophanes neque plebi placere, neque ferri à prudentibus potuit. nam poësis eius similis est meretricis, quæ ætate iam vltra vigorem progressa matronam imitans, neque fertur à vulgo hominū ob insolentiam, & graues homines impudicitiam eius maliciámque abominantur. Contrà Menander cum venustate quadā vbiq; se gratū aptúmq; exhibuit, in theatris, colloquiis, convi-

cõuiuiis: suámque poësin ita composuit, vt esset communissimus omnium quæ Græcia tulit bonorum commentarius, qui legeretur, disceretur, & certatim ageretur. ostenditq; adeò quanta res esset dexteritas dicendi, vbique vi persuadendi inevitabili incedens, omniúmq; auditum & intelligentiã Græcæ linguæ sibi subiugans. Cuius enim rei gratia vir rectè institutus venire dignaretur, quàm propter Menandrũ? Quãdo implentur theatra viris eruditionem amantibus, quàm cùm comica ostẽditur persona? cui in conuiuiis iustiùs mensa cedit, locúmq; bacchus dat? Iam sicvt pictores oculis defessis ad floridos & virides se avertũt colores: ita philosophis & laboriosis requies grauiũ atq; continentium meditationum est Menander, tanquam prato pulcrè florenti & opaco atq; auræ pleno excipiens animum. Item. Cùm hoc tempus actores comœdiarũ multos bonósq; vrbs ferat: Menandri comœdiæ plurimos habẽt sacrósq; sales, tanquam eo natos mari quod Venerẽ protulit. Aristophanis aũt sales amari & asperi, acrem & mordentem, adeóq; exulcerantem vim habent: vt nesciam vbi sit illa ab ipso decantata dexteritas, in verbísne an personis. Quinetiam quæ imitatus est, corrupit. calliditatem facit non ciuilem, sed maliciosam: rusticitatem non cautã, sed fatuã: iocos non qui rideantur, sed derideantur: amores non hilares, sed impudicos. Nulli enim moderato videtur is homo suum poëma scripsisse: sed turpia & libidinosa intẽperantibus, maledica & acerba inuidis atque malignis hominibus.

PLVTARCHI

De vita decem Rhetorum.

ANTIPHON. I.



ANTIPHON Sophili F., tribu Ramnusius, patrem audiuit. is enim sophista fuit, cuius opera etiam Alcibiades adolescens vsus in discendo est, vt nonnulli tradunt. Facultatem dicendi adeptus (quidam suopte ingenio eam consecutum existimant) animum quidem ad remp. appulit: tamen prius ad scholam se convertit, & cum Socrate philosopho de ratione disserendi disputauit, non studio contendendi, sed industria redarguendi vsus. ita enim Xenophon in libris De dictis & factis Socratis scripsit. Præterea ciuibus quibusdam id petẽtibus orationes scripsit quibus causas in iudicio suas tuerentur: idq; primus ipse aggressus à nonnullis dicitur. Sanè eorum, quos ipse ætate subsecutus est, nullius vlla iuridicialis exstat oratio: ac ne æqualium quidem eius, Themistoclis putà, Aristidis, Periclis: cùm quidem tempora his & occasionum satis offerrent, & necessitatis imponerent. Neque verò hos imbecillitas à scribendo detinuit: quod satis docent ea quæ de singulis historiarum conditores memoriæ prodiderunt. & quos habemus qui id genus orationis tractauerint. omniúmque habentur antiquissimi: eos invenies cum Antiphonte iam sene rem habuisse. Alcibiadem inquam, Critiam, Lysiam, Archinoum. Primus etiam oratoriæ artis præcepta edidit. Promto fuit ingenio, ideóque Nestor cognominatus. Cœcilius in commentario quem de eo scripsit, fuisse coniicit discipulũ Thucydidis historici, ex iis quæ hic in laudem Antiphontis prodidit. Accuratissimus est in suis orationibus, probabilis, in inveniendo callidus, in perplexis rebus artificiosus, ex improviso argumenta intentans, sermonémque ad leges & motus animi convertens, maximè decori studiosus. Vixit tempore Persici belli, ac Gorgiæ sophistæ, paullum minor natu: produxitque vitam vsque ad popularis status in rep. mutationem à Quadringentis factam. cuius quidem ipse fuisse autor putatur, interdum duabus triremibus præfectus, interdum præturam gerens: & qui magnis potitus victoriis multos belli socios eis adiunxisset, ætate florentes armasset, LX triremes impleuisset, identidémque ipsorum nomine legatus Lacedæmonem iuisset, quo tempore Eetionea fuit munita. Cæterùm deiectis Quadringentis istis, vnà cum Archeptolemo (qui vnus de eorum numero fuit) in ius vocatus condemnatúsq;, & pœna proditoribus cõstituta de eo sumpta, cadauer insepultũ abiectum, & cum tota posteritate inter infames relatus est. Sunt qui à XXX tyrãnis interfectum narrẽt, vt Lysias in oratione pro

filia Antiphontis: reliquit enim filiolam, quam lege propinquitatis Callæschrus sibi sponsam vindicauit. Theopompus quoq; XV Philippicorum libro scribit, à triginta * istis eum trucidatum. Sed ille quidem mãsuetior Lysidonida patre. & Cratinus in Py- * tina eius vt non mali meminit. Quomodo aũt iam antè occisus à CCCC, denuò sub XXX vixerit? Quin & alius sermo fertur de eius obitu. Grandem iam natu eum Syracusas nauigasse, florente tum Dionysij prioris tyrannide. ibi cùm in vino quæstio agitaretur, Ecquod æs optimum esset, diuersè aliis respondentibus ipsum dixisse, id æs optimum esse, è quo statuæ Harmodio & Aristogitoni essent factæ. id tyrannum, cùm audiuisset, quasi exhortationem ad se insidiis petendum excepisse, ac iussisse interfici Antiphontem. alij, quòd iniquè ferret suas ab eo tragœdias exsibilari. Huius oratoris feruntur LX orationes, quarum XXV spurias perhibet esse Cæcilius. Plato cum Pisandro eum in Comœdiis tanquam auarum traducit. Tragœdias fertur composuisse & seorsim, & cum Dionysio tyranno. Dum adhuc poëticæ esset deditus, artem dolorum abolendorum condidit, qualem medici ægrotantibus curationem promittunt. ac Corinthi ponè forum exstructa taberna proscripsit, se eos qui in mœrore essent, verbis subleuare. audītisque ægritudinum causis, consolatus est ægros. Istam tamen artem se non satis dignam esse arbitratus, ad oratoriam se contulit. Sunt etiam qui Glauci Regini de poëtis librum ei adscribant. Maximè laudantur orationes eius de Herodoto, ad Erasistratum de generibus seu formis dicendi, & quam pro se scripsit postulatus delicti contra legem non scriptam: & in Demosthenẽ prætorem de publico flagitio. Scripsit accusationem etiam in Hippocratem prætorem, eúmq; reum peregit, cùm quidem is vadimoniũ deseruisset: res acta archonte seu præfecto vrbis Theopõpo, cuius in magistratu Quadringẽtorum potestas delata est.

DECRETVM, secundum quod placuit Antiphontem iudicari, Cæcilius annotauit. XXI Prytanneæ placuit Senatui. Demonicus Alopecensis scribæ munus obiuit, præfuit cognitioni Philostratus Pellenensis, retulit Andro. Viros, qui à prætoribus pronuntiantur legati iuisse Spartam incommodo reipub. Atheniensis, & è castris nauigasse vectos hostili naue, ac per Deceleam terra iuisse, Archeptolemum, Onomaclem, & Antiphontem, comprӕhendendos esse, & in curia sistendos, vt causam dicant. Sistant eos prætores, & alij de Senatu vsque ad decem, quos videbitur prætoribus adsciscere: vt de præsentibus fiat iudicium. Advocent eos thesmothetæ ad crastinam diem, inducántque, quando in iudicium adducti aderunt, tum actores prætores eorúmq; patrocinium sustinẽtes, ac si quis alius voluerit, reos proditionis accusent. qui in iudicio damnatus fuerit, in eum animadvertendum è præscripto legis in proditores latæ. Huic decreto subscriptum est. DAMNATI sunt proditionis Archeptolemus Hippodami F., Agrylensis, præsens: Antiphôn Sophili F., Ramnusius, præsens. Iis hæc pœna constituta est, vt Vndecimviris dedantur, bona eorum publicentur, decima portione Mineruæ cõsecrata: vtq; eorum ædes solo æquentur, & areis * termini ponantur, cum hac inscriptione. ARCHEPTOLEMI & ANTIPHONTIS, PRODITORVM. Præfecto autem populi pronunciare * neque permitti, vt Archeptolemus & Antiphon Athenis, aut in terra Atheniensium imperio subdita sepeliantur. Porrò cùm ipsos infames haberi debere, tum qui ex iis siue spurij siue legitimi nascãtur: infamem etiam eum, qui ex istorum progenie aliquem adoptauerit. Hæc inscribenda esse columnæ æneæ, eámque ibi ponendam, vbi ea sita est, quæ decreta de Phrynicho continet.

ANDOCIDES. II.

ANDOCIDES Leogoræ F., eius qui aliquando Atheniensibus pacem adversus Lacedæmonios composuit. pago Cydatheniensis, aut Thurensis, gente patricia, adeóq; (si Hellanico credimus) à Mercurio propagata ortus. nã ad ipsum pertinet præconum progenies. itaque aliquando fuit cum Glaucone delectus populi votis, vt cũ viginti nauibus opem ferret Corcyræis, quibus adversum Corinthios lis erat. Postmodò violatæ religionis postulatus est: q; & ipse de eorũ esset cẽsu, q statuas Mercurij trũcasset, & arcana Cereris invulgasset. (cui accusationi ansam prębuit, q; is homo alioq; intẽperans, noctu per comesationem aliquando quandam Mercurij fregisset statuã: & cùm seruũ eum, quem actores ad quæstionẽ exposcebãt, dedere noluisset, malè ex ea re audiret, itaque secundo crimini occasionem exhiberet.) quæ posterior actio adver-

adversus eum suscepta est paruo tempore ab expeditione classis in Siciliam ab Atheniẽsibus missæ. Cùm enim Corinthij submisissent Leontinos & Aegestæos, priuatim iis auxilio futuris Atheniensibus, noctu Mercurios qui apud forum erant collati mutilauerunt, vt ait Cratippus. Cui delicto Andocides cùm mysteriorũ publicationẽ adiecisset, in iudicium pertractus, ita absolutus est, quòd professus est se indicium de iis delaturum qui sacra violassent. In qua re conficienda cùm nihil industriæ sibi fecisset reliquum, sontes conquisiuit, atq; inter eos etiam patris nomen commemorauit. ac reliquos quidem omnes reos peregit, exitiúmq; eis consciuit. patrem, tametsi iam vinctum, eripuit neci, pollicens eius operam multis in rebus vtilem ciuitati futuram. Neque verò in hoc mentitus est. multos enim peculatores, aliísq; flagitiis obligatos Leagoras coarguit: eáque de causa absolutus suo est crimine. Cæterum Andocides cùm ob ea quæ in rep. gessisset, clarus haberetur, animum ad nauiculariam mercaturam adiecit: & cum regibus Cypriorum, aliísque multis viris illustribus hospitij ius contraxit. Quo quidem tempore etiam consobrinam suam quandam ciuem, Aristidæ filiam, suis clàm subductam dono misit Cypriorum regi. ac sentiens se eo nomine in ius pertractum iri, rursus eandem è Cypro suffuratus, compræhensúsque in facinore, & in vincula datus à rege fuit: elapsúsque Athenas rediit, Quadringentiviris tum remp. obtinentibus. à quibus in vincula coniectus, rursúmque fuga elapsus, quando paucorum in rep. concidit potestas, solum vertit summa rerum ad XXX tyrannos delata, atque Elide vixit. Thrasybulo demum cum suis in vrbem reverso, ipse etiam in patriam rediit. Posteà de pace Lacedæmonem missus, & suspectus rei mala fide gestæ, in exsulium abiit. Horum omnium ipse argumenta in orationibus à se compositis reliquit. Aliæ enim sunt crimen de violata abs se religione propulsantis: aliæ reditum flagitantis: extátque eius etiam de indicio delato alia, & ad Phæacem, & de pace. Floruit eodem quo Socrates philosophus tempore, natus Olympiade LXXIIX, archonte Athenis Theogenida: ita vt Lysiam præcesserit ætate, annis ferè viginti. Nomen ab eo habuit etiam Mercurij simulacrum Andocideum, à tribu Aegeide dedicatum proximè domum Andocidis. Sumptus etiam suppeditauit choro cyclico in tribus suæ gratiam, ad certamen dithyrambicum. victoriáque potitus tripodem dedicauit loco sublimi, eregione Porini Selini. In suis orationibus simplex est, apparatúque caret & figurarum ornamentis.

LYSIAS. III.

LYSIAS Cephali F. Lysaniæ N. Cephali PN. fuit: huius quidem Syracusani domo, sed qui Athenas commigrasset, cùm vrbis desiderio eius adactus, tum Periclis Xanthippi F. suasionibus obtemperans, quo amico atque hospite vtebatur: homo prædiues. alij expulsum Syracusis eum fuisse aiunt, cùm eam vrbem Gelo tyrannus teneret. Natus est Lysias Athenis, Philocle archonte qui Phrasicli successit: anno secundo Olympiadis XXCII. Initiò inter nobilissimos Atheniensium fuit institutus. Cùm autem ciuitas coloniam ad Sybarin mitteret, cui posteà Thuriorum nomen factum fuit, eò vnà profectus est vnà cum fratre maiore natu, qui nominabatur Polemarchus, mortuo iam patre, (Habuit etiam alios duos fratres, Eudemum & Brachyllum.) vt in partem sortis veniret. Actum hoc anno ætatis eius quinto supra decimum, archonte Praxitele. Ibi ergo mansit, & formandum se Tisiæ atque Niciæ Syracusanis præbuit: domóque parta, sorte ductus remp. gessit vsque ad id tempus, quo LXIII annos impleuit, archonte Athenis Clearcho. Proximo anno, Callia archonte, Olympiade XCII, cùm in Sicilia cladem accepissent Athenienses, commotique essent & alij socij, & præcipuè qui Italiam incolebant: culpatus quòd Atticis rebus faueret, cum aliis CCC eiectus est. venitque Athenas Callia post Cleocritum archonte, cùm iam Quadringentiviri vrbi imperarent: ibique commoratus est. Pugna porrò apud Aegospotamos facta, cùm XXX tyranni vrbem occupassent, ad annos septem relegatus est, bonísque suis multatus est, amisso fratre Polemarcho: ipse per posticum domus, in qua adseruabatur, elapsus Megaram venit, ibique vixit tanquam rebus deploratis. Cùm autem ciues à Phyla reditum molirentur, atque maximo vsui ipse fuisset, (nam & duo millia drachmarum suppeditauit, & scuta ducenta, & cum Hermane missus CCCII milites mercede conduxit, ac Thrasylæo Eleo hospiti suo persuasit vt aliquot talenta cõferret) Thrasybulus idcirco ei post reditum

decreuit reip. administrationem, in magistratuum vacatione ante Euclidem. Quod donum cùm ratum esse iussisset populus, Archino id contra leges factum referente ad iudices, quia absq; autoritate scitum fuisset, rescissum fuit. Ita repulsus à publico munere Lysias priuatus reliquam ætatem exegit: mortuúsq; est Athenis, annos natus XXCIII, aut vt alij volunt LXXVI: alij annos vixisse vltra XXC aiunt, ab eóq; Demosthenem adolescentulum visum fuisse. Natus perhibetur archonte Philocle. Orationes eius feruntur CCCCXXV. de quibus genuinas affirmant Dionysius & Cecilius esse CCXXX: ac bis tantùm victus dicitur. Est & oratio eius pro decreto, quod Archinus repræhendit, ostendens quomodo in republica sit versatus. & alia adversus XXX tyrannos. Vim ad persuadendum habuit maximam, summáq; est vsus breuitate. Orationes priuatis hominibus vulgo dedit. Sunt etiam eius præcepta artis oratoriæ, & concio, atq; epistolæ, laudationes, funebres orationes, & amatoriæ. item defensio Socratis ingeniis iudicum accõmodata. Videtur dictio eius facilis esse, quanquã est imitatu difficilis. Demosthenes in oratione cõtra Neæram ait eum amatorem fuisse Metaneræ, quæ Neæræ fuerit cõserua. pòst autem duxit filiam Brachylli fratris sui. Plato in Phædro mentionem eius facit, vt summa vi dicendi prædîti, & qui ætate Isocratem anteiuerit. Philiscus ipsius socius, & Isocratis auditor, carmen composuit de eo, vnde idem potest cognosci quod ex Platone diximus. eius sententia hæc est.

Filia Callippes argutula, nunc age monstra
Quid subtile tibi, quid ve siet sapiens:
Namque aliam nactum formam, mundique in alius
Diuerso latebris corpore conspicuum
Lysida præconem virtutis te parere est fas,
Cuius apud manes gloria sit celebris.
Qui mea defuncti iactet præconia, laudes
Et nostræ socius dicat amicitiæ.

Conscripsit etiam orationem Iphicrati, quę est in Harmodium. & aliam qua proditionis accusauit Timotheum. vicit ambabus. Cùm autem Timothei actiones in se recepisset, & crimina proditionis diluere vellet, oratione vsus est ad defensionem à Lysia conscripta: éstque absolutus, Timotheo maxima multato pecunia. Recitauit etiam in solenni Olympico conventu orationem: in qua ostendit Græcos hoc maximum fecisse, quòd inter se instaurata gratia Dionysium deiecerunt.

ISOCRATES. IV.

ISOCRATES Theodori F. fuit, Erechthiensis, vnius de mediocribus ciuibus, & qui famulos haberet qui tibias conficerent, atque inde tantum rei faceret, vt & choro sumptus suppeditaret, & filios liberaliter institueret: (nam præter Isocratem etiam alios habuit, Telesippum ac Diomnestum, ac filiam.) itaque tibiarum gratia eum traduxere Aristophanes atque Stratis comici. Natus est sub LXXXVI Olympiadem, archonte Lysimacho Myrrhinusio. Lysia posterior fuit annis XXII, Platone prior annis VII. Puer institutus est ita ingenuè, vt quisquam alius Atheniensium. audiuitque Prodicum Ceum, Gorgiam Leontinum, Tisiam Syracusanum, Theramenem rhetorem. Huic, cùm XXX tyranni eum compræhendi iussissent, & ad aram curiæ confugisset, solus Isocrates surrexit opitulaturus: & aliquãdiu initiò tacuit. Deinde ipse eum dehortatus est Theramenes, quòd diceret auctum sibi iri dolorem, si suæ calamitatis amicorum aliquis fieret particeps. Sed & præcepta artis quædam ab ipso facta hunc ferunt vsurpasse, cùm in iudicio impeteretur calumniis: quæ Botoni inscribuntur præcepta. Postquam virilem ætatem attigit Isocrates, ciuilibus abstinuit rebus: quòd & gracili esset voce, & ingenio timido, & paterna bona bello contra Lacedæmonios perdidisset. Apparet autem aliis eum orationes composuisse, vnicam ipsum dixisse de permutatione. Cùm scholam instituisset, animum ad philosophandum ac scribendum applicuit: scripsitq; orationem panegyricam, & alias quasdam quæ in consulendo versantur, quas partim ipse recitauit, partim aliis declamandas dedit: opinans ita se Græcos ad curam rerum necessariarum suscipiendam excitaturum. Sed conatu eo ad irritum cadente, omisso hoc instituto, ludum aperuit in Chio primùm, vt aiunt, nouem discipulis. cùm quidem

ferunt

ferunt eum, vt numerari mercedem vidit, flentem dixisse: Nunc intelligo me his esse venditum. Ad sui consuetudinem omnes admisit qui vti ea vellent. Primus contentiosas orationes à ciuilibus, quibus operam dabat, segregauit. Quin & magistratus in Chio constituit, & similem Atheniensis formam reipublicæ. Argenti quantum nemo alius sophistarum confecit: ita quidem, vt etiam triremes suo sumtu instrueret. Auditores eius fuerũt amplius C. interq; alios Timotheus Cononis F. cum quo multas obiuit vrbes, epistolas componens eas, quas Timotheus ad Athenienses misit: qui eam ob rem talento ex iis quæ à Samo erat adeptus ipsum donauit. Discipuli Isocratis fuerunt etiam Theopompus Chius, Ephorus Cumæus, Asclepiades tragœdiæ scriptor, & Theodectes Phaselita, qui ipse etiam postmodò tragœdias scripsit. (Huius monumentum fuit ad Cyamitidem euntibus via sacra quæ Eleusinem ducit, nunc rudera exstant: ibi etiam cum sua, statuas nobilium poëtarum excitauit: de quibus solius Homeri superest.) Præterea Leodamus Atheniensis, & Lacritus qui leges Atheniensibus condidit. Sunt qui Hyperiden & Isæum addunt. Sed & Demosthenem studiosè aiunt se ei etiamnum docenti artem adiunxisse, & quia CIↃ drachmas (tanti is docebat) soluendo non esset, CC obtulisse, vt quintam partem disceret. ac respondisse Isocratem: At verò nos, ô Demosthenes, non in frusta tribuimus artem, sed eorum more qui bonos pisces totos vendunt agimus: tibi, si discere est animus, totam tradituri artem. Mortuus est Chæronida archonte, cùm in Hippocratis palæstra nuncium de Chæronensi clade accepisset: nam quatriduana inedia seipsum è vita eduxit, præfatus tria initia Euripidearum fabularum,

Danaus natarum quinquies decem pater.
Pisas petens prognatus Tantalo Pelops.
Vrbem Cadmus linquens olim Sidoniam.

Annos vixit XCIIX, aut (vt alij tradunt) C, non sustinens videre Græciam quartùm in seruitutem redactam. Anno (sunt qui quatuor annos dicant) ante mortem, Panathenaicam scripsit orationem: panegyricum annis ante exitum X, aut (si aliis credendum sit) XV, quem è Gorgiæ Leontini & Lysiæ scriptis fertur transtulisse. de permutatione, annos natus XXCII: ad Philippum, paulò ante obitum. Iam senex Plathanes, quam Hippiæ oratoris ante vxorem duxerat, filium de tribus natu minimum Aphareum adoptauit. Satis diues fuit: quòd non tantùm mercedem à discipulis exigeret, sed etiam à Nicocle Cypriorum rege, Euagoræ F. XX talenta pro oratione de ipso scripta accepisset. Inde inuidiæ obnoxius, ter delectus est ad instruendam triremem: quod cùm valetudine adversa præscripta bis per filium excusasset, tertiò rem suscepit, sumtúsq; fecit haud exiguos. Patri, qui diceret se filio neminem excepto vno mancipio adiunxisse: Abi ergo, inquit, habiturus loco vnius duo mancipia. Obiuit etiam certamẽ in honorem Mausoli ab Artemisia institutum: sed ea laudatio periit. Fecit & Helenæ laudationem, & Areopagiticum. Vita excessisse aiunt alij cùm nouem, alij cùm quatuor diebus cibo abstinuisset: inciditq; eius obitus in funerationem eorũ qui ad Chæroneam oppetierant. Orationes conscripsit etiam filius eius Aphareus. Sepultus est cum gẽtilibus suis prope Cynosarges ad læuã in tumulo. ibi enim conditi sunt Isocrates, & pater Theodorus, & mater, eiúsq; soror Anaco, & adopticius filius Aphareus, & Socrates Anacûs filius, & Isocratis frater idem cum patre nomen gerens, & nepotes Isocratis Aphareo nati, Aphareus, eiúsq; pater Theodorus & vxor Plathane, mater Apharei adoptati. Horum monumentis impositæ erant mensæ sex, quæ perierũt. In ipsius autem Isocratis cippo positus fuit aries XXX cubitorum, eiq; incubuit Siren cubitorum septem: quod argumentum fuit ipsius eloquentię. non exstat amplius. Fuit etiam prope mensa, habens poëtas & magistros eius: interq; eos Gorgiam, qui in globum cœlestem intueretur, adstante Isocrate. Eleusine etiam statua ei ærea dedicata est à Timotheo Cononis F. ante vestibulum porticus, cum hac inscriptione,

Dedicat Isocratis statuam sacrátque deabus
Hospitij & studij nomine Timotheus.

opus fuit Leocharis. Orationes ipsius feruntur LX: de quibus genuinæ sunt, si Dionysium sequimur, XXV: si Cœcilium, XXIIX. reliquæ adulterinæ. Alienus fuit ab ostentatione. itaq; de tribus ad ipsum audiendum aliquando venientibus, duos reti-

nuit, tertio in posterum diem reiecto: quòd diceret sibi nunc theatrum esse in auditorio. * Solebat etiam discipulis suis dicere, se docere decem minarum mercede: sed ei qui ipsum audacem ac vocalem docendo redderet, XII millia minarum daturum. Interrogatus cur cùm ipse ad dicendum non satis esset instructus, alios tamē instrueret, respondit: Cotes etiam non habere facultatem secandi, habere autem vim ferri acuendi. Sunt qui eum præcepta artis oratoriæ scripsisse dicāt. alij non via ac ratione vsum, sed sola exercitatione tradunt. A ciue nunquam vllo mercedem exegit. Discipulis ad concionem eunti obviàm factis iniunxit, vt quæ ipse dixisset ad se referrent. Morte Socratis haud mediocrem cepit dolorem: atque adeò atratus postridie processit. Interrogatus quæ vis esset rhetoricæ, respondit: de paruis magna, de magnis parua redigere. Conuiua aliquando apud Nicocreontem Cypri tyrannum, cùm ad disserēdum ab vnà accumbentibus inuitaretur, respondit: de quibus ego vim habeo dicendi rebus, eas occasio non admittit: de quibus autem dicere iam esset tempestiuum, de iis nihil valeo eloqui. Sophoclem tragœdiæ scriptorem videns amatoriè puero cuidam comitari dixit: Non manus modò te, ò Sophocles, tecum continere, sed etiam oculos oportet. Cùm Ephorus Cumæus re infectà discederet è schola ipsius, denuóque à patre Demophilo mitteretur secundam mercedem adferens; Ioci gratia eum Diphorum (hoc est bis ferentem) appellauit. Magnam tamen homini impendit operam: ita sanè, vt etiam historiæ scribendæ argumentum ei subiecerit. Pronus porrò fuit in venerē: quippe substrato prolito vtens in lecto, & ceruical croco humectatum vsurpās. Integra ætate non duxit vxorem: senex cum scorto consueuit, cui Lagiscæ nomen fuit. ex eáque filiolam suscepit, quæ anno ætatis suæ duodecimo ante nuptias diem obiit. Duxit postea Plathanam Hippiæ rhetoris vxorem, quæ tres habebat filios. quorum natu minimum Aphareum adoptauit, sicut antè diximus. isque ei imaginē æreā ad Olympium tanquam in columna posuit, tali ferme inscriptione:

Isocratis Aphareus patris hoc posuit simulachrum
Diuos, atque Iouem venerans, meritósque parentes.

Fertur etiamnum puer equo celete certasse. ac tali statura celete equo vehens æreus in sphæristerio arcis quod Arrephororū dicitur (erāt autem hi Mineruę sacrificuli) dedicatus fuisse. Duæ omnem ei per vitam lites sunt intentatæ. vna, cùm eum ad permutationem Megaclides provocaret. ad cuius disceptationem morbo impeditus non comparuit, sed misso filio Aphareo vicit. altera, cùm ei ad munus sumptuū in trireme pro republ. faciendorum de bonorū permutatione postularet Lysimachus. tum quidem sumptus illos, quòd cecidisset causa, in se recepit. Sed & picta eius fuit in Pōpeio effigies. Scripsit etiam Aphareus orationes iuridiciales & deliberationē proponētes: sed paucas. Tragœdias etiam ad XXXVII scripsit: de quarū duabus est cōtroversia. * Orsus sub Lysistrato docere fabulas, vsque ad Sosigenē perrexit annos XXIIX: ac sex vrbanas actiones reliquit; bisque vno tēpore vicit Liberalia, aliisque actoribus duas reportauit victorias Lenaicas siue Torcularias. Matris eorū, Isocratis, Theodori, & amitæ Anacûs simulacra in arce fuerunt dedicata. Matris nunc iuxta Salutis visitur, mutata inscriptione, Anacûs intercidit. Filios habuit, Alexādrum è Cœnone, Sosiclem è Lysia.

ISAEVS. V.

ISAEVS Chalcidēsis patria, cùm se Athenas contulisset, Lysiæ operam dedit. ab eóque ita didicit vocabulorū concinnationē, & in causis tractandis vim, vt qui non peritus sit generum dicendi, quod vterque sectatus pro se est, de multis orationibus iudicare facilè non possit vtrum habeāt autorem. Floruit post bellum Peloponnesiacum, vt est conijcere ex ipsius orationibus: & vsque ad Philippi imperium durauit. * Demosthenem docuit à schola deductū, mercede drachmarum CCIↃↃ. qua re maximè claruit. Sunt qui eum dicant Demostheni orationes composuisse, quas habuit cōtra suos tutores. Reliquit orationes LXIV, de quibus L sunt germanæ. Sed & præcepta peculiaria artis oratoriæ. Primus etiā figuras adhibere cœpit, & ad res ciuiles animum adiecit: quod maximè imitatus est Demosthenes. Mentionem eius facit Theopompus comœdiæ scriptor in Theseo.

AESCHINES. VI.

AESCHINES Atrometi F. (eius quod à triginta tyrānis in exsiliū pulsus, in reducēdo Athenas populo interfuit) & Glaucotheæ: tribu Cothocides, neque natalibus fuit, neque

opibus

opibus præstans.Is adolescens robusto corpore, gymnasiis operam dedit: & ob vocis claritatem posteà tragœdiis agendis, si Demostheni credimus, Aristodemo in Bacchanalibus inseruiuit describendo,tertiásque partes agendo,repetens in schola veteres tragœdias. Puer etiamnũ docuit litteras cum patre, & adultus inter vulgares militauit. Cùm verò audiuisset Isocratem & Platonem,vt quidam dicunt, vt Cæcilius, Alcidamantem, & in republica versatus contrariam Demosthenicæ partem non obscurè gereret: cùm alias multas legationes obiuit,tum ad Philippum de pace. Ob eam Demosthenes ei actionem intẽdit, Phocensium exitij causam eum, bellíque inflãmatorem arguens: quòd quo tẽpore ab Amphictyonibus Pylagoras seu disceptator adversum Amphissenses delectus fuisset * portum molientibus:vnde factum fuerit, vt Amphictyones ad Philippum confugerint,isque ab Aeschine adiutus res aggressus gerere Phocidem occupauerit. Verùm Aeschines patrocinio Eubuli vsus, qui Spinthari F. tribu Probalinthius tum ad populum orabat, XXX suffragiis fuit absolutus.Sunt qui dicant fuisse quidem orationes ab oratoribus conscriptas,sed interveniente Chæronensi clade,in iudicium controversiam non esse deductam.Aliquanto pòst cùm Alexander patre mortuo in Asiam traiecisset,Ctesiphontem Aeschines cõtra leges commissi facinoris accusauit,quòd is Demostheni honores decreuisset.Sed cùm quintam suffragiorum partem pro se non obtinuisset, neque CIↃ drachmas vellet vbi cecidisset causa deponere, Rodum in exsulium abiit. Alij infamia vlteriùs notatum aiunt, cùm nollet vrbe excedere: & venisse Ephesum ad Alexandrum. Quo mortuo cùm turbæ fierent,Rodum abiit, ibíque scholam aperuit, atque docuit. cùm quidem ostentandi gratia postquam Rodiis suam in Ctesiphontem orationem recitauisset, vniuersis admirantibus quòd tali habita oratione succubuisset, dixit: Non admiraremini, si contra hæc orantem Demosthenem audiuissetis. Ac Rodi quidem scholam reliquit, qui ludus Rodiacus dicitur. Nauigauit deinde Samum, paululúmque in ea commoratus insula,vitam cum morte commutauit. Vocalem fuisse & è verbis Demosthenis, & è Democharis oratione liquet. Quatuor ipsius feruntur orationes. quarum in Timarchũ, de malè obita legatione, contra Ctesiphontem,solæ sunt germanæ. quæ enim Deliaca inscribitur, non est Aeschinis.nam designatus quidem fuerat, vt causam de templo in Delo oraret:sed fuit in locum ipsius delectus Hyperides, vt ait Demosthenes. Habuit etiam fratres Apholum & Damocharem, vt ipse ait. Primus etiam victoriam apud Tamynas partam denuò Atheniensibus annunciauit: qua de causa etiam est coronatus. Quidam neminis fuisse discipulum Aeschinem tradunt: sed cùm in iudiciis scribæ munere fungeretur, inde ad oratoriam elatum artem. Primúmque ipsum contra Philippum dixisse, & cùm placuisset populo, ab eo legatum ad Arcades designatum, eò profectum decem Arcadum millia adversus Philippum contraxisse. Timarcho etiam scortationis dicam impegit:qui deserta causæ dictione sese suspẽdit, vt alicubi Demosthenes inquit. Legatus ad Philippum de pace contra Ctesiphontem & Demosthenem,hoc priores tulit. Deinde cum nouem aliis iureiurando pacem sanxit:& in ius vocatus,evasit:sicut diximus.

LYCVRGVS. VII.

LYCVRGVS Lycophronis F.Lycurgi N.,eius quẽ XXX tyrãni interfecerunt,causam necis prębẽte Aristodemo Batẽsi: q etiã Gręcorũ quęstor(hic est Hellanotamias) factus,exsulauit populo rẽp.gubernante.Tribu Lycurgus fuit Butades,genere ortus Eteobutadarũ.Initio philosophatus est, auditor Platonis philosophi. Postea discipulus Isocratis oratoris factus, exinde rẽp.orãdo agẽdóque gessit. Cõmissa ei etiã fuit pecuniæ administratio.nam quæstor per tria quinquẽnia dispensauit talentorum millia XIV,aut(vt alij perhibent)talenta CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CL. Qui ei hunc honorẽ decreuit Stratocles rhetor,ipse primum ad hoc delectus, deinde amicorũ aliquẽ præscribẽs ipse pecuniã administrauit.fuerat enim lex lata, ne quis quæsturã eam quinque annis ampliùs curaret. Cæterùm Lycurgus adsiduus fuit in procuratione rerũ conficiendarũ æstate hyeméque,& ad apparatũ bellicũ suffragiis populi destinatus,multas vrbis res correxit,populo triremes CCCC cõfecit,gymnasium in Lyceo parauit ac plãtauit,palęstrã ædificauit,mortuúsque tandẽ est in pręfectura theatri Bacchici.Idẽ depositũ priuatorũ ciuium, talẽta CCL,custodiuit. Vrbi põparũ vasa aurea & argentea, victoriásque aureas adornauit. multa etiã imperfecta absoluit,& naualia,armamentariũ. stadio Panathenaico crepidinẽ circũposuit, ac convallem cõplanauit:Dinia quodam,

cuius ille locus erat, Lycurgo cõcedente potestatem ex ipsius bonis ciuitatem demerendi. Vrbis etiam custodia ei mandata fuit, & maleficorum comprehensio. quos quidem omnes expulit: adeò vt sophistarum quidam dicerent, Lycurgum ita contra malos scribere, vt qui calamum non atramento sed morte imbueret. itaq; cùm ab Alexandro postularetur, populus eum non dedidit. Quo tempore Philippus secundum contra Athenienses bellum gessit, legatus ipse cum Polyeucto & Demosthene in Peloponnesum & circum alias vrbes profectus est. Omni tempore in magna fuit apud Athenienses existimatione, & iustitiæ opinione: ita sanè, vt in iudiciis dicta eius magnam patrocinij vim haberent: Legum quoque autor fuit. quarum vna est de comœdis vt ij Chytris certamen theatrico æmulum peragerent, victórq; in Astu reciperetur: quod antè non licebat. Eo pacto certamen iam obsolescens renouauit. Alia, vt æreæ imagines ponerentur poëtis Aeschylo, Sophocli, Euripidi: eorúmque tragœdiæ exscriptæ publicè adseruarentur, easq; scriba ciuitatis recitaret loco histrionum, quibus eas agere non liceret. Tertia, non licere cuiquam Atheniensi aut Athenis habitanti liberum corpus captum in seruitutem vendere sine prioris domini consensu. Præterea, Neptuno certamen in Piræeo faciundum, tribus circularibus choris: victoribus dandas X minas, non infrà, secundis octo, tertiis sex. Et, mulierem non debere in bigis Eleusinem ire, ne à diuitibus pauperes superentur. quæ contra fecisse depræhenderetur, multandam drachmis I Ɔ Ɔ C I Ɔ. Cùm vxor ipsius hanc legem violasset, delatoribus qui id resciuerant talentum dedit. eóq; nomine accusatus postmodò apud populum: Ergo, dixit, ego dedisse, non accepisse inventus sum. Publicano qui Xenocrati philosopho manus iniecisset, eúmque abduceret ob non solutum inquilini tributum, obviàm factus baculum in caput inflixit, eúmq; liberato Xenocrate in carcerem inclusit vt qui indecenter egisset. Cúmque id eius factum laudaretur, post aliquot dies Xenocrates Lycurgi filius occurrens, Celeriter, inquit, ò pueri gratiam vestro patri retuli. nam ob auxilium mihi nullo labore latum à multis laudatur. Decreta etiam fecit, opera vsus Euclidis cuiusdam Olynthij ad eam rem aptissimi. Quanquam autem erat diues, tamen eandem tunicam æstate atque hyeme gestabat, calceósq; necessariis diebus gestabat. Meditabatur dies noctésque, non satis idoneus ad extemporalem dictionem. Lecto substrato vsus est, cui tantùm pellis villosa & ceruical incumberent: vt eò faciliùs excitaretur ad meditandum. Culpanti cuidam, quòd orationi studens mercedem sophistis penderet, respondit: si quis promitteret se filios ipsi meliores redditurum, ei se non C I Ɔ drachmas, sed dimidium bonorum suorum daturum. Libertate etiam dicendi vsus est ob nobilitatem. nam cùm aliquando concionantem Athenienses non ferrent, exturbaréntque, exclamauit: O Corcyræa scutica, quàm multorum talentorum æquas precium. rursus iis Alexandrum in deos referentibus, Qualis verò, aiebat, iste sit deus, cuius è templo exeuntes opus habeant aqua se lustrali conspergere. Mortui Lycurgi filij vndecim viris traditi sunt, Menesæchmo accusante, dica à Thrasycle scripta. sed cùm Demosthenes tum exsulans scripsisset Atheniensibus, malè ipsos audire propter liberos Lycurgi: mutata sententia eos absoluerunt, Democle Theophrasti discipulo eos defendente. Publicè sepultus est Lycurgus, & quidam ex eius posteris. suntque eorum monumenta e regione Mineruæ Pœonię in horto Melanthij philosophi, mensæ factæ, & Lycurgo liberísque eius inscriptæ, quæ hodiéque extant. Id maximum est, quòd reditus vrbis, qui priùs erant LX talenta, ad C I Ɔ C C talenta auxit. Moriturus, in Metroum & curiam se iussit portari, rationem volens reddere administratæ reipublicæ. nemine autem extra vnum Menesæchmum accusare auso, reportatus domum est dilutis calumniis, supremúmque vitæ diem morte cõfecit. Toto vitæ tempore probus est habitus, orationésque eius laudatæ, & quanquam à multis accusatus, nunquam causa cecidit. Tres habuit liberos è Callistone Abronis filia, & Caloei Abronis curia Batensis sorore, eius qui Chæronda archonte quæstor bellicã pecuniã tractauit. de hac adfinitate loquitur Dinarchus in oratione cõtra Pastium. Filios reliquit Abronem, Lycurgũ, Lycophronem. de his Abron & Lycurgus sine prole decesserũt: cùm quidem Abron in repub. præclarè fuisset versatus. Lycophron ducta Callistomacha, filia Philippi Aexonẽsis, genuit Callistonẽ. hæc nupsit Cleombroto Dinocratis F. Acharnẽsi, & ei Lycophronem peperit. qui ab auo adoptatus, sine sobole mortem obiit. Eo mortuo Callistonem duxit Socrates, filiúmque ex ea sustulit Symmachus. Eo natus est Aristonymus, hoc

Charmi-

Charmides, qui Philippæ pater fuit. Ex hac & Lysandro natus est Medeus, qui & interpres, oriundus ab Eumolpidis. Huius & Timotheæ Glauci filiæ liberi fuere Laodamea & Medeus, qui sacerdotium Neptuni Erechthiensis gessit, & Philippa quæ Mineruæ postea fuit sacerdos. antè enim eam duxit Diocles Melittẽsis, genuitq; Dioclem, qui grauis armaturæ dux fuit. Hic vxorem duxit Hedistã Abronis filiam, ac procreauit Philippidem ac Nicostratam. Hæc nupsit Themistocli Theophrasti F. facigero, & peperit Theophrastum ac Dioclem. constituit etiam sacerdotium Neptuni Erechthiensis. Orationes eius feruntur quindecim. A populo coronatus est aliquoties, & statuis donatus. Imago eius ærea posita est in Ceramico, ex decreto, archonte Anaxicrate. quo eodem ei etiam, ac filiorum natu maximo decretus est in Prytaneo victus. Mortuo ipso, Lycophroni liberorum maximo lis fuit de ea donatione. Multas etiam de sacris habuit orationes Lycurgus: accusauitque Autolycum Areopagitam, Lysiclem prætorem, Demadem Demij F., Menesæchmum, aliósque complures, quos omnes reos peregit. Item Diphilum, qui è metallis argentariis subduxerat columnas, quibus substruebantur moles, indéq; iniustè diuitias parauerat, fecitque vt morte damnatus puniretur, ac L drachmas ex opibus eius cuivis ciuium dedit: summa donationis CLX talenta æquante. alij minam viritim datam asserunt. Qui autem in ius pertraxit Aristogitonem, Cleocratem, & Autolyco controversiam mouit status liberi * cognominabatur autem Lycurgus Ibis, Xenophonti noctua * Genus autem ab his deduxerunt, ac Erechthei, qui fuit Terræ & Vulcani F. proximè autem à Lycomede & Lycurgo: quos populus publica sepultura honorauit. Est eorum generis successio, consecratorum Neptuno, in tabula perfecta, quæ dedicata est in sacrario Erechthei, picta ab Ismenia Chalcidense. & imagines Lycurgi, eiúsque filiorum Abronis, Lycurgi, & Lycophronis, iis fecerunt Timarchus & Cephisodotus filij Praxitelis. Tabulam dedicauit Abron filius eius, qui natalium iure adeptus sacerdotium, id fratri Lycophroni concessit. ideóque pictus est qui tridentem traderet. Cæterùm Lycurgus descriptionem omnium abs se gestarum rerum fecit, ac in columna suspendit ante palæstram à se factam, vt quibus cordi esset inspicere possent. nemo tamen virum arguere peculatus potuit. Retulit etiam de Neoptolemo Anticlis F. coronando, eique statua dedicanda, quòd promiserat se aram Apollinis in foro obducturum auro, vt dei oraculum flagitabat. Decreuit etiam Diotimo Diopithis F. Euonymensi honores, archonte Ctesicle.

DEMOSTHENES. IIX.

DEMOSTHENES Demosthenis F. è Cleobula Gylonis filia, curia Pæaniensis, à patre fuit relictus pupillus annos natus septem, cum sorore annorum septem. Orbitatis tempore apud matrem viuens, operam dedit Isocrati. ita enim quidam sentiunt. plures aiunt Isæi Chalcidensis auditorem fuisse, tunc Athenis degentis. Alij Thucydidis & Platonis fuisse studiosum narrant: atque huic quidem eum præcipuè vacasse perhibent. Hegesias Magnes scribit, precibus eum à pædagogo impetrasse, vt sibi liceret audire Callistratum Empædi F. Aphidnæum, oratorem nobilem, & qui aliquando equitũ magister fuisset, ac Mercurio forensi aram dedicasset, verba tum ad populum facturum. Quem vbi audiuit, amore dicendi captus, ei se quandiu Athenis ille fuit, discipulum præbuit. Sed Callistrato in Thraciam profugo, tum ex ephebis egressus Isocrati se atque Platoni adiunxit. Postea Isæum domum suam recepit, ac per annos quatuor elaborauit in eius orationibus imitandis. Ctesibius in libro de philosophia perhibet, eum Calliæ Syracusani opera Zethi Amphipolitæ, per Chariclem Alcidamantis Caristij orationes nactum, in iis sese exercuisse. Virilem ętatem adeptus, tutores suos, quòd ab iis minus æquo accepisset, malæ administratæ tutelæ accusauit, Timocrate archonte. erant autẽ tres, Aphobus, Therippides, & Demophõ siue Demea: atque hunc auunculũ suum, magis quàm alios. & vnamquamvis actionem decem talentis ęstimauit. cùm autem reos peregisset, multam non exegit: alios pecunia, alios etiam gratia * Aristophonte autem iam ob senectutem præfecturã deferente, etiam choragus factus est. Medìam Anagyrasium qui ipsum in theatro chorum instruentem percusserat, in iudicium pertraxit: sed acceptis tribus drachmarum millibus missum fecit. Ferunt Demosthenem etiamnum adolescentem in antrum iuisse, ibiq; meditatũ orationes fuisse, rasa dimidia capitis parte, ne exiret: inq;

angusta cubuisse sponda, vt citò expergisceretur. cúmque litteram R non posset pronunciare, labore consecutum vt proferret. cúmque inter declamandum mouere soleret humerum inconvenienter, id desueuisse, suspenso è culmine veru, aut (quod alij dicunt) gladio, vt eius metu se contineret. Cùm iam auctus esset vi dicendi, ferunt eum speculum fecisse sibi æquale, inque id inspicientem se exercuisse, vt corrigeret vitia. Descendisse etiam ad Phalericum litus, & adversus vndas obstrepẽtes declamasse: vt si quando populus obturbaret, hoc sibi non esset terrori. Cúmque eum spiritus deficeret, Neoptolemi histrionis opera decem drachmarum millibus conducta didicisse vno spiritu integras circuitiones efferre. Postquam se ad remp. contulit, diuiso in duas factiones populo, quarum altera Philippo faueret, altera pro libertate cõcionabatur: Philippo adversantibus se addidit, omnique tempore ciuibus suasit vt iis auxilium ferrent, quos à Philippo oppressum iri periculum erat. sociósque sui instituti habuit Hyperidem, Nausiclem, Polyeuctum, Diotinum. Ideóque etiam Atheniensibus fœdere iunxit Thebanos, Euboënses, Corcyrenses, Corinthios, Bœotos, multósque alios. Quodam tempore, cùm eiectus è concione, mœstus domum abiret, Eunomus ei Thriasius occurrit iam senex, atque cohortatus est. Maximè autem confirmatus est ab Andronico histrione, éique operam dedit, edoctus ab eo orationes suas bene habere, sed actionem iis deesse. Itaque interrogatus quid primum, quid secundum, quid tertium in arte esset oratoria, subinde respondit, Actio. Rursus in conciones progressus, cùm nouè quædam diceret, exagitatus est. vt etiam comici Antiphanes, & Timocles eum vexauerint.

Vos iuro, terra, fontes, flumina, latices.

nam cùm hoc modo apud populum iurasset, tumultu est exceptus. Quin & Asclepiũ (is Aesculapius Latinis est) iurauit, acuta syllaba SCLE, docuítque se hoc rectè facere: esse enim deum epium siue mitem. quo nomine sæpe ei obturbatum esse. Sed omnia ista emendauit, cùm vacasset Eubulidæ dialectico Milesio. Cùm venisset in solennem conventum apud Olympiam, audiuissetque Lamachum Terinæum recitantem Philippi Alexãdrique laudationem, Thebanósq; & Olynthios perstringentem: contrà ad dicendum surrexit, veterúmq; poëtarum testimoniis prolatis de præclaris Thebanorum atque Olynthiorum factis effecit, vt Lamachus porrò quiesceret, éque conventu profugeret. Philippus autem iis, qui orationes à Demosthene cõtra ipsum habitas referebant sibi, responderit: etiam ipsemet, si audiuissem dicentem Demosthenem, bellum contra me suscipiendum decreuissem. Suas orationes Demosthenes militibus ob vim comparabat: Isocraticas athletis, quòd delectationem exhiberent theatricam. Annos natus XXXVII, (à Dexitheo enim supputo vsque ad Callimachum, sub quo legatio ab Olynthiis venit auxilium petentibus, quos Philippus bello premebat) suasit vt mitteretur Olynthiis suppetiæ. Anno postero, in quẽ mors Platonis incidit, Philippus Olynthios perdidit. Nouerat Demosthenem etiam Xenophon Socratis discipulus, siue incipientem, siue iam florentem. res enim Græcæ ei in Mantinensem pugnam & archontem Chariclidam desinunt. noster iam antè sub Timocrate curatores reos peregit. Aeschinem fugiẽtem à damnatione, equo est persecutus. cúmque is se compræhensum iri putans ad pedes ei accidisset capite velato, erexit hominem, consolatúsque talento argenti donauit. Autor fuit populo, vt milites mercenarios in Thaso aleret, eóque nauigauit ipse triremibus præfectus. Coëmendi frumenti gesto munere, accusatus peculatus, absolutúsque est. Cùm Philippus Elateam occupasset, ipse etiam cum iis egressus in bellum, qui ad Chæroneam pugnauerunt. atque ibi eum ordines deseruisse aiunt, & cum fugientis chlamydem rubus appræhendisset, se convertisse, ac clamauisse, Viuum cape. clypei insigne habuit bonam fortunam. Orationem tamen funebrem habuit de iis qui tum ceciderunt. Secundum hęc cura ad vrbem exornandam conversa, cùm publicè esset murorum procurator delectus, impensam ei rei pecuniam de sua persoluit pecunia, minas centum. impendit etiam CCIↃↃ iis qui publicè ad sacras res conficiendas mittebantur: (theoros Græci appellãt:) & cõscensa triremi circumvectus, à sociis pecuniam collegit. Itaque ob hæc sæpiùs coronatus fuit, à Damotele, Aristonico, Hyperide, coronis aureis: tandem à Ctesiphonte. Cuius decretum cùm vt contra leges factum accusarent Diodotus & Aeschines, ipse defendens vicit: cùm sanè actor quintam suffragiorum partem non obtineret. Postea temporis cùm Alexander expeditionem in Asiam fecisset, atque

que Harpalus cum pecunia Athenas fugisset: initiò ne reciperetur egit. Sed postquã ille naui appulit, acceptis C I Ↄ Daricis sententiam mutauit. cúmq; Harpalum Athenienses dedere Antipatro statuissent reclamauit: pecuniámque promulgato decreto in arce deponi, summámq; populo indicari iussit: cũ Harpalus dixisset esse I Ↄ Ↄ C C L, aut non multo pauciora talẽta. vt est apud Philochorũ. Post cùm è carcere profugisset Harpalus, in quo tantisper adseruandus fuerat, donec aliquis ab Alexandro veniret: ac se in Cretam, vel Tænarum Laconicæ (nam & hoc quidam dicunt) contulisset: vitio datum est Demostheni, quòd muneribus se passus corrumpi, neque numerum relatæ pecuniæ edidisset, neque custodum incuriam indicasset. itaque in iudicium pertractus ab Hyperide, Pythea, Menesæchmo, Himeræo, Patrocle, à concilio Areopagitico damnatus in exsulium abiit: cùm quintuplum persoluere non posset: etenim XXX talenta accepisse culpabatur. alij eum subire iudicij aleam noluisse dicunt. Secundum hanc tempestatem, cùm Athenienses Polyeuctum ad remp. Arcadum misissent, vt eos à societate Macedonum abstraheret: isque persuadere nequiret, supervenit Demosthenes, patrocinánsque causæ ciuium persuasit. Hoc ei admirationem peperit, & aliquanto pòst tempore ab Atheniensibus missa triremi est revocatus in patriam. cùm ij Damone Pæaniensi, consobrino Demosthenis, autore sciuissent, vt culpa solueretur, modò de XXX quæ debebat talentis ædificaret aram Iouis Seruatoris in Peræeo. Hoc pacto ad remp. rediit. Cæterùm Antipatro Lamiam à Græcis concluso, & Atheniensibus ob faustum nuncium sacrificantibus, cuidam sociorum Agesistrato dixit, se de rebus hisce non idem cum aliis sentire. scire enim se, Græcos stadium conficere belligerando posse, dolichum porrò nequire. Vt Antipater Pharsalo capta minatus est se Athenas obsessurum, nisi oratores dederent: Vrbe relicta Demosthenes fugit, primùm Aeginam, vt in Aeaci templo sessurus: deinde metu compulsus, in Calauriam transiit. cúmque decreuissent Athenienses vnà cum aliis oratoribus ipsum quoque esse dedendum: supplex in fano Neptuni desedit. Vbi eò venit Archias, qui à conquirendis ad supplicium exsulibus nomen Phygadotheræ invenit, discipulúsque fuit Anaximenis oratoris, suasitq; vt progrederetur, amicus Antipatro futurus: Neque antè, inquit, tragœdias agens te mihi probauisti, neque nunc consulendo persuadebis. Cúmque vim Archias moliretur, prohibuere oppidani. Demosthenes autem dixit, Non se salutis cupiditate Calauriam confugisse: verùm vt demonstrarẽ etiam sacrosancta à Macedonibus violari. Poposcit deinde tabellam: eíque si Demetrio Magneti credimus, inscripsit elegiacum hoc, quod postmodò ipsius simulacro inscribi curauere Athenienses, eius hic est sensus.

Si tibi vis animo, Demosthenes, æqua fuisset,
Non Macedûm ferret Græcia victa iugum.

Situm est simulacrum propè septum & aram XII deorum, à Polyeucto factum. alij hoc aiunt fuisse scriptum inventum: Demosthenes Antipatro S. Mortuum eum esse tradit Philochorus epoto veneno: Satyrus autem historiæ scriptor, veneno imbutum fuisse calamum, quo scribere epistolam ceperit. eóque gustato ipsum periisse. Eratosthenes, iampridem sibi à Macedonibus metuentem, armillam veneno infectam gestasse circa brachium. Sunt qui dicant contento spiritu mortem sibi parasse: alij, venenum hausisse, quod in sigillo habebat. * * duo & viginti. Mortuo autem Philippo, nitida indutus veste prodiit in publicum, gaudens morte istius: quamq; ipse nuper filiã amisisset. Thebanis quoq; contra Alexandrum bellantibus adiumento fuit, ac reliquos Græcos subinde animauit. Itaque Alexander cùm Thebas everteret, hunc ab Atheniensibus postulauit, additis nisi dederent minis. Huic in Persas ducenti, & nauale subsidium petenti, Demosthenes contradixit: Incertum esse inquiẽs, an non contra præbentes id vsurus eo esset. Duos reliquit filios ex vna vxore Heliodori cuiusdam Eudocimi filia. Vnicam habuit filiam. quæ puella antè quàm nuberet, è viuis excessit. Soror etiam illi fuit: qua, & Lachete Leuconensi consobrino natus est Demochares, vir bellicis rebus, & orationibus ciuilibus nemini secundus. Statua ei posita in Prytaneo exstat, ad dextram introitus partem prima, non tantùm tunica, sed etiam gladio accincta. hoc enim habitu cõcionatus dicitur, quo tẽpore Antipater oratores quæsiuit. Postea temporis Athenienses cognatis Demosthenis alimenta

in Prytaneo dederunt. ipsiq; mortuo statuam in foro posuerunt, Gorgia archonte: cùm hos honores ei flagitasset Demochares sorore ipsius natus. cui & ipsi filius Laches Democharis F. Leuconensis dona impetrauit, decennio pòst, Pytharato archonte. nempe vt statua in foro poneretur, & cùm ipse, tum posterorum semper qui natu maximus esset, cibum in Prytaneo haberent, primámque sessionem in omnibus certaminum spectaculis. Hæc de vtrisque decreta, infrà perscripta leges. Statua Democharis, vt memorauimus, in Prytaneum est translata è foro. Feruntur orationes eius genuinæ LXV. Quidam eum etiam impudicè victitasse narrant, vestitu vsum subinde muliebri, ac comesationibus: vnde Batalus fuerit cognominatus. alij diminutiuè à nutricis nomine ferunt sic per cōtumeliam vocatum. Diogenes, qui Canis vsurpatus fuit, cùm eum aliquando in caupona cōspexisset, pudore commoto ac intrò recedenti: quanto magis, inquit, intrò te recipies, tanto magis intus eris. Eundem salsè cauillans, in orationibus aiebat esse Scytham, in prælijs vrbanum. Accepit etiam ab Ephialta aurum, vno popularium oratorum, qui legatus ad regem Persarum missus, clàm attulerat pecuniam, qua inter oratores Athenienses distributa, horum opera bellum contra Philippum inflammaret. ac Demosthenem à rege nominatim dono Daricorum ter mille corruptum autumant. Anaxilam Oretem hospitem suum compræhendit, & vt exploratorem torsit. nihilque confitentem, Vndecimviris tradi facto decreto iussit. Cùm aliquando in concione Athenienses eum non sinerent orare: breue quippiam se iis velle dicere professus est. Factóque silentio ita est fatus. Adolescēs quidam æstate asinum cōduxit ex Astu Megaram eo vsurus. Meridie cùm solis æstus esset vehemens, cùm ipse, tum asini dominus in vmbra iumenti cubare volentes, alter alterum pellebat. cùm dominus non vmbram à se, sed asinum esse locatum: cōductor in sua potestate esse omnia contenderet. His dictis ille abire cœpit. Atheniensibus autem retinentibus, vtq; orationem pertexeret rogantibus: Ergo, inquit, de asini vmbra audire vultis, de rebus seriis differentem audire recusatis? Polo histrioni aliquando dicenti ad ipsum, Bidui certamine se talentum pro mercede retulisse: respondit, Ego quinque talentis vnius diei silentium vendidi. Aliquando in concione voce ipsum deficiente cùm obturbaretur: de histrionibus, dixit, è voce, oratoribus è sententia iudicium esse petendum. Exprobranti continentem meditationem Epicli: Ego verò, inquit, dedecori hoc ducerem, si tanto populo consulens aliquid subitò ad animum mihi allapsum pronunciarem. Lucernam ab eo nunquam exstinctam perhibent. Attigit annum ætatis quinquagesimum, orationes diiudicans. ipse ait, se aquam potasse. * Nouit eum etiam Lysias orator, & Isocrates in rep. versantem vidit, vsque ad pugnam Chæronēsem, & quidam Socraticorum philosophorum. Plerasque orationes ex tem- * pore dixit, à natura ad hoc factus. Primus de eo aurea corona donando retulit Aristonicus Nicophanis F. Anagyrasius: quanquam Diondas iureiurando dato intercessit.

HYPERIDES. IX.

HYPERIDES Glaucippi F., Dionysij N, curia Colyttensis fuit. Habuit filium cognominem auo Glaucippum rhetorem, qui etiam orationes conscripsit, filiúmque habuit Alphenum. Sed Hyperides cùm fuisset Platonis philosophi auditor, vnà cum Lycurgo remp. gessit, quo tempore Alexander res Græcas est aggressus. cui etiam postulanti prætores Atheniensium, & triremes, dicendo restitit. Consilium etiam dedit de non dimittendo mercenariorum militum præsidio, quod erat Tænaro impositum: idque visus fuit facere ob benevolentiam, qua eorum ducem complectebatur. * Initiò mercede conductus causas orauit. Creditus est cum Ephialte particeps fuisse regiarum pecuniarum. Triremibus præfectus suffragiis populi, quo tempore Philippus Byzantium oppugnauit, missus ad ferendam ei vrbi opem * eo anno sustinuit chorum sumtibus instruere, cùm alij omnia publica ministeria dimisissent. Rogationem etiam tulit de honoribus Demostheni deferendis. cúmque illud decretum Diondas vt contra leges factum intercessione iurata impugnaret, absolutus est. In amicicia Demosthenis, Lysiclis, & Lycurgi non vsque ad finem permansit. nam his duobus vita defunctis, Demosthene in ius vocato quòd ab Harpalo corruptus pecunia diceretur, ex omnibus ipse designatus (solus enim corruptelam non admiserat) eum accusauit. Postulatus violatarum legum, quòd lege promulgata iussisset inquilinos in ciuium numerum referri, seruos libertate donari, sacra, liberos, & vxores in

Peræeum

Peræeum deponi: absolutus est. ac quibusdam culpantibus, quòd eo in decreto multas leges quasi non videns eas præteriuisset: Arma respondit Macedonum sibi tenebras offudisse: neque à se id decretum, sed à Chæronensi pugna fuisse confectum. Tamen Philippus postmodò cadauera tolli cæsorum permisit metu ipsi illato: cùm id anteà profectis à Lebadia legatis denegasset. Denique post cladem ad Crannonem acceptam cùm postularetur ab Antipatro, populúsque eum esset dediturus, vnà cum aliis damnatis Aeginam ex Astu profugit: congressúsque cum Demosthene purgauit se de dissensione. inde profectus ab Archia (qui cognomento Phygadotheras, Thurius patria, olim histrio, tunc Antipatro inseruiebat) in templo Neptuni Hermionensi compræhensus, & vi à simulacro quod complectebatur abreptus, ad Antipatrum est Corinthum perductus. ibi inter tormēta quæstionis linguam suam dentibus suis conscidit, ne quod patriæ arcanum posset eloqui. itáque mortuus est, mensis Pyanepsionis nona die. Hermippus ait eum cùm in Macedoniam esset perlatus, lingua fuisse mutilatum, insepultúmque abiectum. sed Alphenum, consobrinū eius, siue (vt aliorum fert opinio) nepotem è filio Glaucippo, opera Philopethis cuiusdam medici, cadauere aui potitū, id cremasse, ossáque Athenas ad cognatos pertulisse, contra & Atheniensium & Macedonum edicta. nam non exsulium modò ei imperauerant, sed etiam vetabant ne in patria sepeliretur. Alij apud Cleonas eum aiunt, eò cum aliis abductum, lingua truncatum periisse eo quò dictum est modo. cognatos autem ossa abstulisse, atque humauisse iuxta parentum reliquias, ante portam Hippadem siue equestrem. autor Heliodorus libro De monumentis tertio. Nunc illud monumentum ignotum est, vetustate collapsum. In dicendo ad populum fertur omnibus aliis præstitisse. Sunt qui eum ante Demosthenem ponant. Orationes ipsius feruntur LXXVII, quarum germanæ sunt LII. Fuit etiam in rem veneream procliuis: ita quidem, vt filio eiecto introduxerit in domum suam scortum sumtuosissimum Murrhinam: in Peræeo habuerit Aristagoram, Eleusine in suis prædiis Philtam Thebanam, XX minis redemtam. Deambulauit in foro piscario. Coniectura fert, in eum etiam vnà cum Phryna meretrice impietatis accusata fuisse inquisitum. id enim ipse initio orationis innuit. illam, cùm iamiam damnanda esset, in medium produxit, ac derepta veste pectus mulieris ostentauit. ita iudicibus pulcritudinem respicientibus ea absoluta fuit. Composuit paulatim crimina quæ Demostheni intentaret: nec fefellit. cùm enim ægrotantem ipsum Demosthenes visendi gratia accessisset, depræhendit eum tenentem librum in se scriptum. cúmque indignaretur, respondit Hyperides: Hic liber neminem amicum lædet, inimicum autem factum prohibebit quicquam adversus me agere. Honores etiam decreuit Iolæ, qui Alexandro venenum dedit. Socius fuit Leostheni in Lamiaco bello conflando. in eóque occisos funebri oratione admirabili celebrauit. Cùm Philippus classem instruxisset ad petendum Euboeam, & Athenienses sibi metuerent: Hyperides XL triremes comparauit priuatim contribuentibus ciuibus, primúsque pro se & filio duas contulit in publicum triremes. Controversia cum Deliis orta Atheniensibus, vtri sacris præesse deberent, Aeschine delecto vt causæ Atheniensium patrocinaretur, senatus Areopagitarum Hyperidem negocio ei destinauit. extátque oratio eius, Deliaca inscripta. Legationem quoque ad Rodios obiuit. Cùm ab Antipatro legati venissent, laudaréntque eum à bonitate, occurrens iis dixit: Scimus Antipatrum esse bonum: sed nobis quidem bono domino opus non est. Dicitur absque fuco ad populum orasse: & rebus vt erant gestæ narrandis contentum, iudices non perturbasse. Missus est etiam ad Eleos, excusandi Calliæ athletæ causa, qui certaminis corrupti insimulabatur: & obtinuit causam. Cùm autem sententiam de donando Phocione à Media Mediæ F. Anagyrasio latam accusasset, succubuit. actum hoc archonte Xenio, Gamelionis mensis die XXIV.

DINARCHVS. X.

DINARCHVS Socratis siue Sostrati F. à quibusdam Atheniensis perhibetur: alij Corinthi natum, adolescentem etiamnum Athenas se contulisse aiunt, ibique sedem posuisse: quo tempore Alexander Asiam peragrauit. Auditor fuit Theophrasti, eius qui Aristoteli in schola successit. Vsus etiam est consuetudine Demetrij Phalerei. maximè in gerenda republica post mortem Antipatri versatus, cùm oratorum

alij necati essent, alij exsularent. Amicus autem Casandri cùm esset, plurimum profecit pecunias pro orationibus exigendo, quas requirentibus conscribebat. Adversabatur autem nobilissimis oratoribus, non ad populum dicendi causa procedens, (neque enim poterat) sed orationes eorum adversariis componens. Et postquam Harpalus profugit, complures scripsit orationes in eos, qui numerum acceptorum & corruptelæ rei habebantur. Postea temporis obiecto sibi crimine, quòd cum Antipatro & Casandro de occupanda Munychia rem composuisset, quando eam Antigonus & Demetrius præsidio tenuerunt, Anaxicrate archonte, maxima bonorum parte in pecuniam conversa, Chalcidem profugit. inque exsulio ad XV annos commoratus, réque aucta, in patriam rediit, Theophrasto ei aliísque exsulibus redeundi potestatem impetrante. Vsus verò tum hospitio Proxeni amici sui, aurum amisit iam senex & visu debilitato, Proxenum, quòd is inquirere de furto recusaret, in ius vocauit: túncq; primùm in curia dixit. exstat ea oratio. Feruntur orationes eius genuinæ LXIV. quarum quædam probantur, vt contra Aristogitonem. Aemulatus est Hyperidem: aut vt nonnulli ex animi grauioribus motibus, vehementia, ac figuris colligunt, Demosthenis.

DECRETA.

Demochares Lachetis F. Leuconensis postulat, Demostheni Demosthenis F. Pæaniensi dari hoc donum. vt ærea ei ponatur in foro statua, cibus detur in Prytaneo, ac princeps in consessu locus ipsi, & posterorum subinde ei qui natu est maximus. Multa enim beneficia in populum Atheniensem contulit, sæpe consilio eum iuuit, patrimoniúmque suum in remp. contulit. talenta IIX & triremem suppeditauit. quando P. A. liberauit Eubœam. iterum triremem, quando Cephisodorus in Hellespontum nauigauit. aliam, quando Chares & Phocio prætores à populo Byzantium sunt missi. redemit precio multos Pydnæ, Methonæ, & Olynthi captos à Philippo. * sumtus in chorum fecit, cum Pandionidis deficientibus ea res cessaret. largitus etiam est & armauit ciues indigos. in muri confectionem sumtus fecit trium talentorum, ad hoc munus à populo delectus, iterum de suo insumsit cùm duabus fossis Piræeum cingeret. Post Chæronensem pugnam talentum in publicum contulit. aliud in frumentationem, in penuria. Benefaciendo, consulendo, persuadendo ad societatem populi Atheniensis pertraxit Thebanos, Euboënses, Corinthios, Megarenses, Achæos, Locros, Byzantios, Messenios. copias populo ac sociis contraxit, peditum CCIƆƆ, equitum CIƆ. item pecuniæ collationem ad bellum legatus impetrauit à sociis, ampliùs IƆ talentis. legatus data pecunia obtinuit à Peloponnesiis, ne Alexandro ad Thebas auxilia mitterent. multa alia præclara & vtilia præstitit consulendo & remp. gerendo, ita vt nemo æqualium de libertate & imperio populi tantum sit promeritus. Cúmque imperio populi euerso ob paucorum in rep. potentiam exsularet, mortuus est in Calauria ob benevolentiam erga populum, immissis ei ab Antipatro militibus, perseuerans in studio & amicicia populi. & neque in manus pervenit, neque in extremo periculo quicquam populo indignum fecit. Archon Pytharatus.

Demosthenis in remp. merita.

Laches Democharis F. Leuconensis à senatu & populo Atheniensi, postulat dari hoc donum Demochari Lachetis F. Leuconensi. vt ærea ei in foro ponatur statua, cibus in Prytaneo ipsi & subinde posteritatis eius natu maximo, primum consessus locum in omnibus certaminibus. Quia bene & fecit & consuluit populo, hæcq; in eum beneficia contulit. legationes obiuit, rogationes tulit, remp. gessit, murum refecit, arma, tela, machinásque parauit, muniuit vrbem sub bellum quatuor annorum. pacem, inducias, societatémque cum Bœotis composuit. Ob hæc eiectus vrbe fuit ab iis qui populi potestatem euerterunt. Reversus archonte Diocle, populo revocante, contraxit administrationem, suis facultatibus non pepercit, Lysimachum legatus adiit, populo XXX talenta impetrauit ac rursum C. autor fuit legationis ad Ptolemæum mittendæ, qua functi populo L talenta attulerunt. legatus ad Antipatrum iuit, ac XX argenti talenta confecit, & ad Eleusinia populo attulit. Hæc omnia egit consensu populi, & propter huius in rep. imperium exsulauit, nihil cum vlla paucorum dominatione commune habuit, neque populo oppresso vllum gessit magistratum. solus omnium sua ætate Atheniensium qui remp. gessissent, nulla alia quàm populari administratione remp. commouit, iudicia,

iudicia, leges, bona, omnia Athenienſibus in tuto collocauit ſua opera: neque contra populi in rep. principatum quidquam facto dictóve egit. Lycophron Lycurgi F. Butades retulit de cibo ſibi in Prytaneo dando, ſecundum donum quo populus ornauit Lycurgum Butadem Anaxicrate archonte in Prytaneo, Antiochidis tribus. Stratocles Euthydemi F. Diomienſis pronunciauit. Lycurgus Lycophronis F. Butades à maioribus ſuis propagatam ſuſcepit erga populum benevolentiam: eiúſque maiores Diomedes & Lycurgus cùm viui in honore apud populum fuerunt, tum mortuis ob virtutem populus publicam in Ceramico ſepulturam conceſſit: & Lycurgus ipſe remp. gerens, multas bonáſque patriæ leges tulit, & publicorum redituum quæſtor factus non vnum quinquennium eos procurauit. Diſtribuitſque è communibus reditibus CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCCC talentis, multam etiam priuatorum pecuniam fide mutuóque accepit opportuno vrbis & ciuium tempore, in vniuerſum IↃ C L talenta: omnia creditus eſt iuſte diſpenſaſſe, ideóque aliquoties coronatus eſt à ciuitate. Præterea delectus à populo, multum pecuniȩ in arcem conduxit, Deæque apparauit ornatum, victorias ex ſolido auro, pomparum vaſa aurea & argentea, mundúmque aureum ad Ceanephoros. Præfectus etiam bellico apparatui arma multa, & iaculorum L millia in arcem retulit, CCCC triremes ad nauigandum inſtruxit, aliis adornatis, aliis de integro fabricatis. Porrò cùm imperfecta inveniſſet naualia, armamentarium, ac Liberi patris theatrum, abſoluit ea: nec non ſtadium perfecit Panathenaicum, gymnaſium, Lyceum: multíſque aliis ſtructuris vrbem exornauit. Cùm verò Alexander rex tota Aſia ſubacta imperium in omnes Græcos ſibi ſumens, Lycurgum ſibi dedi iuberet, vt qui contra ipſum egiſſet: populus non dedidit eum metu Alexandri. Sæpenumerò etiam rationem reip. geſtæ reddens in libera ciuitate, & in qua ſumma rerum penes populum eſſet, nunquàm vllius fraudis aut corruptelæ compertus eſt. Ergo vt omnibus conſtaret eos qui pro principatu populi & libertate iuſte volunt remp. gerere, cùm viuos maximi fieri, tum mortuis honores haberi ad omnem memoriam duraturos: quod felix fauſtúmque ſit, ſciuit populus laudandum eſſe Lycurgũ Lycophronis F. Butadẽ virtutis ac iuſticiæ cauſa: eíque à populo ſtatuendam ceream imaginem in foro, niſi ſicubi lex eam ſtare vetat: dandúmque in Prytaneo cibum ad omnem poſteritatem quovis tempore ei qui ipſius de propagine natu ſit maximus: omnia eius decreta rata habenda, & à ſcriba ciuitatis inſculpta in lapideas columnas debere dedicari in arce, ac poni prope donaria. ad columnarum ſcriptionem quæſtorem populi debere pendere L drachmas, ex ea pecunia, quam populus in decreta impendit.

Lycurgi in rep. merita.

PLVTARCHI

Commentarius Repugnantiarum Stoicarum.

PRINCIPIO decretorum conſenſionem ex ipſa vita conſiderari debere cenſeo. Non enim tam orator (vt dicebat Aeſchines) & lex idem debent loqui: quàm vitæ philoſophi cum doctrina eius convenire. quippe doctrina philoſopho lex eſt propria & quam ſibi ipſe tulerit: ſi quidem non ludum & argutias gloriolæ gratia inventas, ſed rem ſummo dignam ſtudio philoſophiam, id quod eſt, cenſeat eſſe. Quoniam ergo multa cùm ipſe Zeno, tum Cleantes, plurima Chryſippus ſcripta reliquerunt de rep., de parendo & imperando, de iudiciis, de cauſis dicendis: in vitis autem eorum nuſquam invenitur prætura, legum latio, in ſenatum progreſſus, patrocinium apud iudices, militia pro patria, legatio, in publicum largitio: ſed peregrè in ocio, eius guſtu tanquam Loto detenti, vitam omnem, neque eam breuem: ſed oppidò longam inter diſputationes, libros, & ambulationes exegerunt: non obſcurum eſt, eos magis ſecundum alio-

Stoicorum vitam, eorum placitis repugnare. I.

rum scripta aut dicta, quàm sua decreta vixisse: omninòque vitam in ea quiete consumpsisse, quam Epicurus & Hieronymus laudant. Ipse quidem Chrysippus in quarto De vitiis libro, existimat vitam scholasticam siue literario ocio deditam, nihil à voluptaria differre. Verba adeò ipsius apponam. Qui verò opinantur philosophis congruere maximè ociosam vitam ab initio, non videntur mihi ij errare: censent enim delectationis aut alius similis rei gratia hoc esse faciendum, itaque totam vitam protrahendam. Hoc, si quis apertiùs consideret, nihil aliud significat quàm suauiter. Non enim sensus eorum fallere vos debet, cùm multa apertè, obscuriùs non pauca pronuncient. Quis autem magis in ociosa ista vita consenuit, quàm Chrysippus, Cleanthes, Diogenes, Zeno, Antipater? qui quidem suas deseruerunt patrias, non quòd esset quod de iis quererentur, sed vt quietè in suaui ocio apud Zosterem suis disputationibus perpetuò vacarent. Aristocreon quidem Chrysippi discipulus & familiaris, æream imaginem in columna ponens, hos elegos inscripsit.

Hunc Academiacos solitum discindere nexus
Chrysippum iuuenem ponit Aristocreon.

Hic ergo est Chrysippus, senex, philosophus, qui regiam & ciuilem laudat vitam, & scholasticam à voluptaria nihil differre putat. Qui verò Stoicorum de secta se ad rempublicam conferunt, ij magis adhuc suis placitis repugnant. Nam imperant, disceptant, consulunt, leges ponunt, puniunt, honorant, ita vt qui ciuitates esse putent eas in quibus remp. gerunt, pro iudicibus & magistratibus habeant eos, quibus ista munera obtigerunt: prætores iudicent esse eos qui suffragiis deliguntur: leges Clisthenis, Solonis, Lycurgi leges esse sentiant: cùm interim eos prauos & stultos fuisse dicant. ergo remp. gerentes, ipsi sibi adversantur. Et verò Antipater, in iis quæ de discordia Cleanthis & Chrysippi scripsit, narrat Zenonem & Cleanthem noluisse ciues Athenienses fieri, ne viderentur in suas iniurij patrias. Non dicam, si hi rectè fecerunt, Chrysippum peccasse cùm inter ciues Athenienses se referri sineret. Id quidem multum repugnantiæ & absurditatis habet, quòd corpora & vitam tam longè à patria apud peregrinos constituentes, nomina nuda patriis suis reseruauerunt: perinde ac si aliquis vxore deserta, cum alia viuens, dormiens, liberósque ex ea suscipiens, nuptias litteris non firmaret, ne iniuriam priori vxori scilicet facere videretur. Rursum Chrysippus in libro De rhetorica scribens ita oraturum atque remp. gesturū sapientem, vt qui diuitias, gloriam, ac sanitatem bona arbitretur: fatetur doctrinam suam nullos habere exitus, neque ad rempublicam gerendam conducere, ac decreta vsibus non quadrare atque actionibus. Porrò hoc est Zenonis decretum, templa deorum non esse ædificanda: quod enim non sit magni precij, id ne sacrum quidem esse. iam fabrorum & sordidas artes exercentium opera, non esse magni precij. Iidem illi, qui hæc laudant, nihilominus sacris initiantur, adscendunt in arcem, adorant puluinaria, coronant sacraria: nimirum opera fabrorum & illiberales artes tractantium hominum. Deinde refelli à se putant Epicureos, qui diis immolent: cùm ipsi potiùs coarguantur, sacrificantes in templis & altaribus, quæ neque esse, neque exstrui debere pro indubitato ponunt. Præterea virtutum vt Plato, ita etiam Zeno differentiarum respectu multitudinem admittit: prudentiam putà, fortitudinem, temperantiam, iustitiam ponens abs se invicem non separari quidem, sed tamen diuersas esse atque inter se differre. Mox singulas definiens Zeno, fortitudinem ait prudentiam esse in rebus gerendis, iustitiam in distribuendis. vt vnica iam fiat virtus, sed quæ comparatione cum rebus tantùm actione videatur discrimen admittere. Neque solus Zeno in hoc argumento sibi repugnare ipsi videtur: sed Chrysippus etiam, Aristonem culpans, quòd reliquas virtutes vnius virtutis dicat diuersos esse respectus: Zenoni patrocinans, qui singulas virtutes sic definiret.

Virtutum numerus.

11

* Cleanthes in Physicis commentariis dicit, ictum ignis esse tonum seu contentionē: qui si in animo factus sufficiat ad perficiendum officium, robur vocetur & vis. tum hæc subiungit verba. Hoc autem siue robur siue vis si in illustribus obiectis sit in quibus persisti debeat, vocatur continentia: cùm in perferendis, fortitudo: circa id quod quoque dignum sit, iusticia: circa deligenda & declinanda, temperantia. Adversus eum qui dixit:

Nec

Nec litem decide, vbi non audita vtraque est pars.

sic fuit Zeno ratiocinatus. Aut is qui prior dixit, rem demonstrauit: vt iam invento quod quærebatur, nihil expediat alterum audire. aut non demonstrauit: tum perinde est ac si vel non comparuisset in iudicio, vel inanibus verbis auribus obstrepuisset. at enim vel demonstrauit, vel non demonstrauit: ergo non est audiendus qui secundo loco erat dicturus. Hoc modo ille interrogando concludens, tamen & contra Platonis De repub. libros scripsit, & sophistarum cauilla dissoluit, dialecticámque, vt huc conducentem, discipulis discendam commendauit. Atqui aut demonstrauit Plato ea quæ in Republica scripsit, aut non demonstrauit. proinde vtrum horum ponas, non erat necessarium, sed supervacaneum & vanum à Zenone contrà scribi. Idem de sophismatibus licet pronunciare.

Leonis sophisma in ipsum retorquetur. III.

Chrysippus censet adolescentibus primò audiendam esse disserendi artem, deinde moralem, denique naturalem philosophiam: & in hac etiam quæstionem de diis vltimo loco iis attingendam. Sæpe hoc dicit: sed satis erit verba eius de quarto librorum, quos De vitis scripsit, apponere. Primùm, inquit, videntur mihi secundum ea quæ veteres rectè dixerunt, tria esse genera ad philosophicam pertinentia considerationem: logicum, ethicum, physicum. de his primò loco ponenda esse logica, inde moralia, vltimo naturalia: atque horum vltimam esse disputationem de diis: vnde etiam eius institutio à fine nomen teletôn invenerit. Enimverò id quod vltimo dicit ponendum loco, solet præmittere omnibus adeò moralibus quæstionibus. nam neque de finibus, neque de iusticia, neque de bonis aut malis, neque de matrimonio & liberis educandis, neque de legibus & republica eum quidquam videas eloqui: nisi quomodo qui in ciuitatibus proclamant decreta, hæc præmittunt verba, Quod felix faustúmque sit: ita ipse præscribat Iouem, fatum, providentiam, mundum vnicum esse, & finitum, atque eum vna quadam contineri potentia. quorum nihil persuaseris cuiquam, qui non altè in physicas disputationes penetrauerit. Audi, quid de his dicat in tertio De diis libro. Non enim inveniri potest, inquit, aliud iustitiæ principium, alia origo, quàm à Ioue & communi natura petitum. inde enim necesse est omnia ista nos exordiri, si volumus aliquid de bonis & malis dicere. Rursum in naturalibus propositionibus. Non enim licet vel aliter, vel magis propriè pervenire ad explicationem bonorum ac malorum, virtutum, felicitatis: quàm si initium ducatur à communi natura, & mundi gubernatione. Ac deinde. Ab his enim suspendẽda est de bonis & malis disputatio, cùm non sit vllum aliud melius principium aut relatio: neque aliam ob rem naturæ consideratio adhibeatur, quàm ad discrimen bonorum & malorum constituendum. Ergo Chrysippo autore naturalis doctrina moralem simul & sequitur & præcedit. immò planè inextricabilis fit inversio ordinis, si hæc posteriore loco ponenda sunt, sine quibus priorum cognosci potest nihil. atque apertè secum ipse pugnat, qui doctrinam naturæ cùm dicat principium esse doctrinæ de bonis & malis: non ante, sed post moralia tradi naturalem philosophiam iubet. Iam si quis dicat, Chrysippum in libro De vsu sermonis scripsisse, eum qui logicam disciplinam primam adeat, non vniuersè aliis abstinere debere, sed & eas quantum licet attingere, is verum quidem dicet, sed tamen confirmabit crimen. Sibi enim ipsi contrarius est, aliquando doctrinam de deo postremo dicens loco assumendam, quæ etiam ideo telea appelletur: aliàs in primis etiam hanc adhibendam tradens. Actum quippe est de ordine, si omnia vbique sint vsurpanda. Id verò maius, quòd cùm de deo cognitionem principium esse dicat cognitionis bonorum ac malorum: non ab illa ordiri iubet eos qui moralia incipiunt tractare: sed ea assumpta, hæc prout licet tractare: atque inde à moralibus ad quæstionem de deo progredi, sine qua nullum initium, nullum aditum moralis doctrinæ esse dixerat.

Quæstionis de deo ordo. IV.

Porrò rationem disputandi in vtranque partem ait se non prorsus repudiare: sed hortatur vt ea cautè vtamur, tanquam in iudicio, non patrocinantes aut adsentientes alteri parti, sed quid vtrinque probabile sit discernentes. Iis enim (inquit) qui de omnibus rebus assensionis retentionem probant, illud convenit, & instituto ipsorum conducit. Qui verò scientiam constituere volunt, secundum quam ex professo viuamus, ab initio ad finem vsque debent suis ordinibus vtrinque contraria disponere: & vbi occasio offertur in vtranque partem disputandi, ibi tanquam in iudiciis, probabilitas est rationum disceptanda. Enimverò quòd absurdum sit putare, debere philosophos in contrariis rationibus versari

De disserendo in vtraque parte. V.

non cum assensione vel patrocinio, sed caussidicorum in morem, quasi non veritatis, sed victoriæ causa disputetur: aliàs contra eum ostendimus. Quòd autem ipse in suis disputationibus frequenter adversas suæ sententiæ rationes proposuerit, idque seriò, ac tanto cum studio, vt non cuiusvis sit perspicere quid ei placuerit: hoc illi ipsi affirmant, qui vim disputandi in eo admirantur: aiúntque Carneadem nihil dicere proprium, sed argumenta quibus quid in vtranque sententiam dici posset Chrysippus explicare aggressus fuit, Carneadem arripuisse, iísque vsum quæ Chrysippi sententiæ adversarentur, placita hominis adortum fuisse. & Chrysippo solent acclamare,

Iliad. ζ, 470. *Infelix, tua te vis perdet:* ——

quòd magnas contra se dicendi ansas præbuerit iis, qui placita ipsius labefactare animum intenderent. Ob ea autem, quæ de consuetudine edidit Chrysippus, ita superbiunt, itáque se iactant: vt non vereantur dicere, omnes omnium simul Academicorum disputationes in vnum congestas non esse dignas quæ comparentur cum iis quæ ille scripsit contra sensus. Atque hoc quidem vel imperitiam, vel vanum sui amorem dicentium talia arguit. Hoc autem verum est, eum cùm rursum vellet consuetudini & sensibus patrocinari, seipso fuisse inferiorem, húncque librum illo esse invalidiorem. Proinde impugnat seipsum, qui cùm iussisset semper contraria non cum assensione sed notatione falsitatis proponere: sua ipsius decreta oppugnauit maiore vi quàm defendit. & alios monens vt sibi à contrariis caueant rationibus, quòd eæ assensionem revellerent, ipse rationes quæ assensionem tollerent firmiores eam confirmantibus composuit. Hoc ipsum autem se metuere apertè ostendit, cùm in quarto vitarum libro ita scribit. Non temere autem contrariæ rationes proponendæ sunt, & ea quæ in diuersam partem probabilia videntur, sed cautè: ne iis circumacti auditores ab assensione desciscant: cùm neque horum refutationes satis audire ac intelligere possint, & ita priora perceperint, vt facilè excuti eis assensio queat. quando etiam hi qui secundum consuetudinem perceperunt, aut sensilia & quæ iis sequuntur: facilè ea dimittunt à Megaricorum quæstionibus in diuersam partem tracti, aliísve pluribus & robustioribus argumentationibus. Lubenter itaque è Stoicis quæsiuerim, an Megaricas quæstiones existiment validiores esse iis, quæ Chrysippus sex libris contra consuetudinem scripsit. quin ipse potiùs interrogandus est. Considera enim, quæ de Megarica ratione in libro De vsu rationis posuit verba. Tale est quod Stilponis & Menedemi rationibus evenit. qui cùm in magna sapientiæ existimatione fuissent, nunc iis opprobrio factæ sunt eorum ratiocinationes, partim crassiores, partim apertè sophisticam fraudem præ se ferentes. At enim, lepidum caput, illæ eæ rationes, quas tu derides, & opprobria autorum appellas, quòd vitium eorum in promtu sit: metuis tamen ne quos ab asserenda perceptione avellant: ipse tot libros scribens contra consuetudinem, quibus inventa abs te adiiceres, conareríque Arcesilaum superare, nemini legentium scrupulum te iniecturum providebas? Non enim nudis vtitur ratiocinationibus adversus cõsuetudinem Chrysippus: sed tanquam in iudicio, pro causa grauiter animo commotus, motúsque in aliorum animis excitans, stulta dicere, & inanem sumere laborem adversario ait. Vtque contrà dicendi occasionem præcidat, hæc in Physicis quæstionibus scribit. Licet autem & vbi aliquid perceperis, in contrariam aliquid partem argumentis experiri, & quantum datur ei patrocinari: aliquando etiam neutra parte percepta, in vtranque disputare. Et in libro De rationis vsu cùm dixisset, non debere rationis vi nos vti ad ea quæ non conveniunt, vt neque armis: hæc subiungit. Nam ad veri inventionem iis vtendum est, & eius cognata: in contrariam partem non item. quamvis hoc faciunt multi. Multos dicit (puto) eos qui cohibent assensionem. At illi quidem neutrum se percipere dicentes, in vtramque partem disputant: quòd si quid possit percipi, hoc vno modo putent vel saltem præcipuè veritatem sui compræhensionem præbituram. Tu autem Chrysippe, qui illos accusas, cùm & ipse de consuetudine scripseris contraria eorum quæ percepisses, alióśque in rebus invtilibus ac damnosis cum protestatione id facere iubeas: fateris te disserendi

facultate

facultate fretum, ob ambitionem iuuenatum fuisse. Stoici rectum seu perfectum officium (quod ipsi Katorthoma nominant) legis esse præceptum: peccatum, legis interdictum aiunt. ideóque legem malos à multis factis prohibere, præcipere nihil eis, quia rectè facere non possent. Quis autem nescit eum qui rectè agere nequeat, non posse non peccare? Itaque legem sibi ipsi adversantem ponunt, quæ malis imperet quæ præstare non possint, interdicat iis, quibus abstinere non valeant. Etenim homo qui temperans esse nequit, non potest non intemperanter agere: & qui sapere nescit, desipiat necesse est. Ipsi quidem dicunt, eos qui interdicunt, aliud dicere, alio interdicere, aliud mandare. qui enim dicat, Non furaberis: dum hoc dicit, simul furto interdicere. Nihil ergo est, quod lex malis vetet, si quidem nihil imperet. Medicum etiam aiunt discipulo præcipere vt secet & vrat, omissa clausula, vt hoc tempestiuè & modicè faciat. & musicum suo, vt voce aut lyra canat: non facta mentione huius conditionis, vt concinnè & consonanter. ideóque puniunt (vt ipsi aiunt) eos qui absque arte & vitiosè egerunt tale aliquid: quòd cùm esset mandatum vt rectè hoc facerent, illi non rectè fecerunt. Ergo etiam sapiens cùm seruum iubet aliquid dicere aut facere, ísque in eo modum non obseruans plectatur: liquet eum non mediocre, sed perfectum ei imperasse officium. Sin verò sapientes media officia iniungunt prauis: quid obstat quin etiam legum præcepta talia habeantur? Porrò autem incitatio (sic hoc loco liceat hormen exprimere) hominis, ratio est eum aliquid iubens facere. sicvt ipse in libro De lege scripsit. Ergo etiam aphorme (quam nos puto aversionem dicere licet) ratio est aliquid prohibens, & inclinatio, eáque rationi consentanea. Cautio itaque (sic eulabean interpretor) ratio est, aliquid sapienti prohibens: cauere enim solorum est sapientum, neque his cum vitiosis commune. Itaque si aliud est sapientis ratio, & aliud legis ratio: cautionem habent sapientes, quæ legi sit contraria. ac si lex nihil aliud est, quàm sapientis ratio: inventum iam est legem ea sapientibus ne agant prohibere, quæ cauent. *De officiis seu rectè factis Stoicorum, & lege.* VI.

Vitiosis Chrysippus ait nihil esse vtile, nulla re ipsis opus esse. Quod cùm in primo De rectè factis libro dixisset: rursum ait & commoditatem & gratiam ad media pertinere: quorum nullum secundum ipsos est vtile. Ibidem nihil ad naturam accommodatum, nihil congruens esse vitioso asserit. ac proinde nihil alienum à viro bono, prauo nihil accommodatum siue secundum naturam esse: cùm hoc bonum sit, illud malum. Cur ergo obtundit, in quovis physico seorsim, in quovis ethico libro inculcans, statim nos ab ortu nostro, partésque, & subolem quadam inter nos necessitudine constringi? cùm in primo etiam De iusticia libro scribat ipsa etiam bruta animantia pro ratione eorum à quibus procreata sunt quadam familiaritate devinciri: demptis piscibus, quorum fetus seorsim alantur? Atqui neque sensus est, vbi nihil sentitur, neque accommodatio ad naturam, vbi nihil sit accommodatum. illa enim siue accommodatio, siue familiaritas, siue necessitudo, sensus vtique est eius cui familiaritate aut necessitudine coniungitur. *De accommodatis ad naturam.* VII.

Opinio etiam hæc earum consequens est, quas ipsi præcipuas appellant, eámque Chrysippus, quanquam multa contrà scripserit, omnino tamen deprehenditur probauisse: Neque vitium vitio maius esse, neque peccatum peccato: neque virtutem virtuti, neque perfectum officium perfecto officio præstare. adeóque in tertio De natura libro inquit, Si vitæ actæ causa Ioui liceat sese efferre, ac magnificè de seipso sentire & loqui: concessa bonis digna ipsorum vitæ iactantia, vnumquenque eorum eadem de se iactaturum, cùm nulla in re à Ioue superetur. Enimverò idem tertio De iusticia libro dicit, Iusticiam ab iis exscindi, qui voluptatem pro summo bono habeant: qui duntaxat bonum esse dicant, nihil ei nocere. Verba sunt hæc. "Fortasse enim si voluptati hoc relinquamus, esse eam bonum, nõ tamen finem, sed ex eorum numero quæ per se expetenda sunt & pulcra: incolumis nobis erit iusticia, cùm honestatem & ius voluptate maiora bona retineamus. At verò si id tantùm bonum est, quod honestum ac suapte natura laudabile sit: peccat qui voluptatem bonum appellat: minùs tamen eo peccat, qui etiam felicitatem in ea statuit. cùm hic iusticiam aboleat; ille seruet. & huius sententia societatem vitæ humanæ perimat: ille bonitati & humanitati locum relinquat. Iam quod in libro De Ioue ait virtutes augeri atque pergere: omitto, ne vocabula videar carpere. quanquam ille quidem hoc in genere Platonem aliósque acriter mordet. Sed vbi *An omnia peccata æqualia, itémque omnia officia.* IIX.

vult non omnia laudari quæ secundum virtutem agantur: ostendit sanè quoddam recte factorum seu katorthomatum discrimen. Sic autem loquitur. Nam cùm sint facta secundum virtutem, accommodata naturæ sunt ea tantùm, quæ præcipua sunt siue præposita. Nimirum enim frigebit, qui laudandum aliquem & prædicandum suscipiat, quia digitum fortiter extendisset, aut continenter abstinuisset à vetula moribunda, aut patienter audiuisset dicentem tria non omnino esse quatuor. Horum germana sunt, quæ in tertio De diis libro scribit. Adhuc enim arbitror, inquit, animos offensuras laudes huiusmodi à virtute profectarum actionum, si quis à moribunda vetula abstinuisset, aut morsum muscæ pertulisset. Quem præterea repræhensorem Chrysippi placitorum requiremus, vltra ipsum Chrysippum? Si enim frigidus est, qui isthæc laudet: multo vtiq; frigidior est, qui vnũquodq; horũ pro perfecto, magno, maximo iudicat officio. Nam si fortem esse, & muscæ morsum ferre, sunt æqualia: itémq; temperantem esse, & à vetula abstinere: nihil arbitror interesse ab vtris virum bonũ laudes. Præterea in secundo De amicicia docens non cuiusvis peccati ergò amicicias esse dissoluendas, hæc posuit verba. Quædam enim omnino sunt dissimulanda, alia leuiter castiganda, alia grauiùs, nonnulla planè diremtione amiciciæ digna ducenda. Et, quod maius est, eodem in libro ait, Quia aliis magis, aliis minùs vtamur, ideò etiam alios aliis magis minúsve esse amicos: atq; hanc diuersitatem latè patere: cùm alij alium amiciciæ mereantur gradum, fidei, aliarúmq; id genus rerum. Quid, quæso, his dicendis aliud effecit, quàm quòd harum rerum magna discrimina demonstrauit. Quinetiam in libro De honesto, vt evinceret id solum quod honestum est, esse bonum, talibus vsus est ratiocinationibus. Quod bonum, id expetendum est: quod expetendum, id placet: quod placet, laudabile est: quod laudabile, id est honestum. Et rursum. Bonũ quod est, id adfert gaudium: quod tale est, id honorabile: atq; hoc porrò honestum est. Hæ verò rationes cum isto pugnant: siue enim omne bonum laudabile est, fiet vt castè à vetula abstinere laudem mereatur: siue non meretur, iam non omne bonum honorabile & gaudio afficiens erit. atq; sic actum fuerit de hac ratione. fortassis enim fieri potest, vt ineptum sit alios talem ob rem laudare: ipsum aliquem tali suo facto gaudere & gloriari ridiculum non sit. Passim autem talis est Chrysippus. & quando contra alios disputat, ne quid sibi contrarium & discrepãs proferat, nihil habet pensi. Nam in libro De exhortando, Platonem repræhendẽs, qui dixisset, Ei qui neq; didicisset neq; sciret viuere, vtile esse non viuere: his vocibus loquitur. Hæc oratio & secum ipsa pugnat, & minimè pertinet ad exhortationem. Primùm enim innuens optimum nobis esse non viuere, ac quodammodo mori iubens, ad alia quędam nos magis excitabit, quàm ad philosophandum. nam neq; philosophari potest qui non viuit: neque prudens fiet vnquam, qui multum temporis malè & imperitè viuendo produxerit. Progressus deinde, malis quoq; ait convenire, vt in vita maneant. tum hæc ad verbum. Primùm enim virtus nuda nihil facit ad id vt viuamus. atq; ita vitiositas nihil eò facit vt discedere debeamus. Neq; verò necesse est alios libros evoluere, è quibus ostendamus Chrysippum sibi repugnare. sed in his ipsis aliquando Antisthenis illud citans collaudat, qui dixerat, Aut mentem parandam, aut laqueum. & illud Tyrtæi:

Chrysippũ sibi repugnare. IX.

Seu per virtutem viuere, siue mori.

Quid autem hæc aliud volunt ostendere, quàm mortem vita vtiliorem esse malis & fatuis. aliquando etiam Theognidem corrigens, ait eum non debuisse dicere,

Vt paupertatem fugias: — sed ita:
Vt vitium fugias, vel saltu te in maris vastus
Cyrne, vel à scopulis deiice præcipitem.

Ergóne aliter iudicari potest, quàm hæc eum decreta ipsum suis inscribere libris, aliis autem scribentibus expungere? cùm Platoni vitio vertat, quòd is præstare mortem malæ & inscitæ vitæ ostendat: Theognidem probet, qui consulit vt fugiendæ maliciæ causa aliquis se præcipitet aut in mare demergat. Antisthenem enim laudans, qui mẽtis inopes ad suspendium redigit: idem vituperauit, nihil dicens vitiositatem ad subeundam facere mortem. Cæterùm in his quæ de rep. disputat, statim insultat rationi de deo, aitq; non rectè metu deorum ab iniusticia Cephalum deterrere: et rationem hanc esse expositam calumniis, & in diuersam partem multis abducere revulsionibus, ac multa occurrere probabilia quæ sermonẽ de pœnis diuinitus irrogandis impugnent, simi-

similémq; faciant Acconi & Alphitoni, quarũ formidine puerulos mulieres à malo ocio deterrẽt. Hoc modo exagitatũ Platonẽ, alibi rursũ laudat, et hęc Euripidea aliquoties producit.

Sed est, tametsi verba aliquis hæc rideat,
Iupiter, diiq́; facta qui mortalium *Vident.* ——

Similiter in primo De iustitia, Hesiodea hæc citans:

Iuppiter è cœlo cladem his immisit atrocem,
Afflixitq́; fame populos, & peste necauit: Oper. 240.

hæc inqt deos facere, vt punitis malis, reliq his exẽplis moniti, tãto minus conẽť aliquid tale facere. Rursũ in libro De iustitia tertio subiũgẽs, eos q voluptatẽ bonũ qdẽ, nõ tñ finẽ iustitiæ faciãt, etiã iustitiã posse retinere: totidẽ verbis hæc dixit. Fortasse.n. si hoc relinquať voluptati, esse eã bonũ, nõ etiã finẽ, cùm etiã honestũ sit ex eorũ numero, quæ p se expetunť: licebit iustitiã seruari, cùm maius ipsa voluptate bonũ in honestatẽ & iustitia cõstituamus. Hæc ibi. Ad hæc Platonẽ cùm repræhẽdisset, q sanitatẽ inter bona reliqsse videreť: nõ iustitiã modò, sed et magnanimitatẽ, et tẽperantiã, et omnes alias virtutes sublatũ iri affirmat: si voluptatẽ, aut bonã valetudinẽ, aut vllã aliã rẽ quæ nõ sit absolutè honesta, in bonorũ cẽsu haberi patiamur. Alibi ea adversus ipsũ scripsimus, quę p Platone dici possũt. Hîc aũt repugnãtia est manifesta. vno.n. loco dicit, si qs vnà cũ honesto etiã voluptatẽ dicat esse bonũ, locũ fore iustitiæ: alio, nisi solũ honestũ p bono habeať, oẽs tolli virtutes. Ac ne quã suis repugnãtiis relinqueret excusationẽ, cõtra Aristotelẽ De iustitia scribẽs, nõ rectè eũ dicere inqt, si voluptas p fine statuať, tolli iustitiã, vnáq; cæteras oẽs virtutes. Iustitiam.n. verè sublatũ iri: reliquæ quin maneãt, nihil impedire, etsi nõ p se expetẽdæ, bonę tñ & virtutes. ac singulas deinde nominatim recẽset. Sed pręstat ipsius verba apponere. Nam cùm hac ratione videať effici, voluptatẽ esse finẽ: totũ hoc mihi nõ videť in eo cõtineri. Itaq; dicendũ est, neq; virtutũ vllã per se esse expetendã, neq; vllũ vitiũ fugiendũ: verùm omnia hæc referẽda esse ad ppositũ scopũ. Nihil tñ secundũ eorũ sententiã obstabit, fortitudinẽ, tẽperantiã, tolerantiã, similésq; harũ virtutes esse è bonorũ numero: & his cõtraria esse fugiẽda. Scire velim, vnquámne disputator aliqs exstiterit petulãtior Chrysippo: q duos præstãtissimos philosophos repręhẽdit: alterũ, q nõ solũ honestũ p bono ponẽs, oẽm virtutẽ tollat: alterũ, q virtute p fine reputatã, pręter iustitiã etiã reliquas virtutes perimi cẽset. Mirabilis.n. est licẽtia, iisdem de rebus disserentẽ, quæ ponit Aristotelẽ culpãs, eadẽ rursũ in accusãdo Platone abolere. At.n. in demõstrationibus de iustitia expressè dicit, omne pfectũ officiũ, & legitimũ esse & iustũ factũ. qd verò cõtinenter, tolerãter, prudẽter, fortiter agiť, perfectũ esse offficiũ: ergo etiam iustè factũ. Quomodo igiť quibus prudentiã, fortitudinẽ, cõtinentiã relinqt, fortitudinẽ adimit: cùm ea ipsa, quæ pfectè secundũ eas virtutes agũt, iustè agãt? Dixerat Plato, Iniustitiã animi esse corruptelã & seditionẽ, quę ne in ipsis quidẽ iniustis suã vim amitteret: sed ipsum secũ cõmitteret, cõfligeret, ac turbaret vitiosũ hominẽ. Id vituperans Chrysippus, absurdè ait hoc dici, Aliquẽ seipsũ iniuria afficere. nã iniustitiã nõ adversus iniustũ, sed adversus aliũ tẽdere. Oblitus deinde huius effati, in Demõstrationib⁹ de iustitia, à seipso iniuria affici iniustũ ait. nam dũ alij iniuriã infert, ipsũ sibi iniuriũ esse, dũ sibi autor est cõtra leges agẽdi, séq; immeritò lædit. Verùm in iis quæ adversus Platonẽ scribit, iniustitiam dici nõ sui, sed alterius respectu cõtendit: nã qui seorsim vel p se sint iniusti, cõstare è pluribus talibus cõtraria dicẽtibus. & aliàs iniustitia sic accepta, vt quæ sit in pluribus adversus seipsos, ita habeť: in vnũ aũt nihilo tali pertinẽte, sed quantũ ad pximũ, ita habẽt. In demõstrationibus porrò talibus argumẽtationib⁹ vtiť, vt ostẽdat iniustũ etiã sibi ipsi iniuriã facere. Aliquomodo causã fieri delicti seu violatæ legis, lex vetat. Iniustè agere, delictũ est. ergo q aliquomodo sibi ipsi causa est iniustè agendi, delinqt in se ipsũ. iam q in vnũ aliquẽ delinqt, eũ etiã iniuria afficit. ergo q quẽvis aliũ iniuria afficit, seipsũ iniuria afficit. Itẽ. Peccatũ est è damnorũ genere. quicunq; peccat, se indignè peccat. ergo q peccat, sibi ipsi indignè damnũ infert. pinde etiã iniuria se afficit. Aliud. Qui ab alio lędiť, sibi ipsi nocet, idq; indignè. hoc aũt erat iniustè agere. ergo qcũq; à quocũq; iniuria afficiť, iniurius in sese est. Rationẽ de bonis & malis, quã ipse introducit & pbat, maximè cõsentire cum vita affirmat, & maximè innatas attingere prenotiones. sic.n. loquiť in tertio Exhortationũ libro. At in primo ea ratione hominẽ asserit ab omnibus aliis abstrahi, vt nihil ad nos pertinentibus, neque ad felicitatem quicquam conducentibus. Iam nunc video quàm bellè sibi consonet, qui rationem

De iustitia & voluptate.

De iniustitia.

abstrahentem nos à vitæ, sanitatis, indolentiæ, sensuum incolumitatis consideratio-
ne, eáq; nihil ad nos pertinere dicentem quæ nos à diis immortalibus expetimus: affir
met maximè consentire cum vita & cõmunibus prænotionibus. Sed ne inficiari hanc
» possit repugnantiam, audi verba eius De iusticia libro tertio scripta. Itaq; ea quæ dici-
» mus, ob excellentiam magnitudinis & pulcritudinis, fabularum similia videbuntur,
» & non convenire homini humanæq; naturæ. Potéstne quisquam disertiùs fateri, se si-
bi ipsi contraria dicere, quàm hic noster? qui ea, quæ ob excellentiam commenta, &
homine superiora habitum iri dicit, vitæ humanæ congruere, insitásq; noticias maxi-
De infelicitate, malis, indifferentibus.
mè attingere pronunciat. Naturam infelicitatis vitiositatem esse in omnibus
physicis ethicísq; libris tradit: contendens, vitiosè viuere idem esse, quod viuere infe-
liciter. In tertio De natura cùm dixisset, expedire insipienti vt viuat potiùs q̃ moriatˀ,
» etiamsi nunquam sit futurum vt sapiat: hæc subiicit. Talia enim sunt hominibus bona,
» vt mala quodammodo indifferentibus præstent. Mitto, quòd alibi fatus nihil in-
sipienti prodesse, nunc ait ei prodesse viuere insipienter. Cùm autem indifferentia sint
Stoicis ea, quæ neq; bona sunt neq; mala: iis potiora dicens esse mala, nihil dicit aliud,
quàm non malis mala esse potiora: & præstare infelicem esse, quàm infelicem nõ esse.
Atqui si id est, sequetur eius opinione minùs etiam conducibile esse non esse miserũ,
quàm esse miserum. ergo damnosius etiam erit. Hoc ille absurdum vt mitigaret, addit
» hoc de malis. Præstant autem non ipsa mala, sed ratio: cum qua viuere magis conve-
» nit, etiam si erimus insipientes. Primùm itaq;, mala vitiositatem dicit, & quæ eam par-
ticipant: aliud nihil. Vitiositas autem cum ratione aliquid est coniunctum, aut potiùs
deprauata ratio. Ergo nihil aliud est insipiẽtem viuere cum ratione, quàm viuere cum
vitiositate. Deinde viuere insipientem, viuere est infeliciter. Cui ergo indifferenti hoc
* præstat? non enim (puto) dicet felicitati: aut hanc infelicitati. Omnino enim hoc illi
dicunt, Chrysippum neq; permansionem in vita bonis, neq; discessum ex ea malis an-
numerasse: sed vtrunq; iis quæ media sunt natura siue indifferentia. hinc enim & feli-
cis interdum officium fieri, vt mortem sibi consciscat: & miseri, vt vitã producat. Quæ
verò maior potest dari repugnantia in rerum delectu & fuga? scilicet suum è felicibus
vt conveniat ob defectum alicuius rei indifferẽtis bona præsentia derelinquere? cùm
quidem nullum indifferens vel expetendum vel fugiendum censeant, solúmq; bonũ
expeti, malum fugi debere statuant. itaq; de ipsorum sententia concluditur, in delibe-
randis actionibus non ad bona vel mala respiciendum: sed vitę mortísq; rationes sub-
ducendas consectandis aliis quibusdam rebus neque fugiendis neque deligendis.
Virtutes & vitia an sentiãtur.
Malorum & bonorum summũ esse discrimen fatetur Chrysippus: idq; ita esse opor-
tet, si illa summè miseros faciunt eos in quibus sunt, hæc extremè beatos. Sensilia au-
» tem esse bona atq; mala, in priore De fine libro sic indicat. Nam cùm bona, tum mala
» esse sensilia, etiam sic conficitur. Non enim perturbationes duntaxat sentiuntur: vt æ-
» gritudo, metus, aliæq; horum similes. sed & furtum, & adulterium, aliáq; id genus, sen-
» sum sui præbent. sicvt etiam insipientia, timiditas, & alia vitia haud pauca. Rursúmq;
» non gaudium modò, beneficentia, & alia rectè facta sentiuntur: sed prudentia quoq;,
» fortitudo, ac reliquæ virtutes. Hæc quàm sint absurda, dicere supersedeo. repugnare
autem ea sententiæ, quam de eo qui sapientem se factum non animadverterit ipsi ha-
bent, quis neget? quippe si bonum est sensile, tantóq; discrimine differt à malo: igno-
rare aliquem si subitò fiat de vitioso probus, & virtutem eum non sentire, sed putare
se adhuc vitio teneri, nónne est absurdissimum? Nam aut nemo ignorare potest, vel
de eo dubitare, quod virtutes habeat omnes, siquidem habet: aut exigua est, & omni-
no difficilis perspectu differentia virtutis & vitij, felicitatis & miseriæ, pulcerrimæ ac
turpissimę vitæ, si quis illa pro his se adeptum non sentit. Vnum est volumen De vi-
tis, libri quatuor. in quorum quarto ait sapientem cùm ociosum esse, tum sua negocia
» tractare. Verba sunt hæc. Censeo enim ego prudentem & carere negociis, & pauca
» habere negocia, & suas res agere: cùm & suarum rerum tractatio, & paucarum perin-
» de sint elegãtes. Ferè similia horum dicit in libro De se expetendis. Videtur enim, in-
» quit, revera ociosa vita periculis vacare & in tuto versari: etsi hoc pauci perspiciunt.
Hæc non dissonare ab Epicuro, qui providentiam ideò sustulit, vt deum redderet o-
ciosum, quivis videt. Sed ille idem Chrysippus in primo De vitis, Sapientem ait vltrò
regnum suscepturum, vt inde quæstum faciat: aut si rex ipse esse nequeat, victurũ cum
rege, & ei in expeditione adfuturum: etiam si talis sit, qualis Idanthyrsus Scytha, aut
Leuco

Leuco Ponticus. Sed & hæc ipsius dictionem apponam, vt videamus an sicvt ima & summa chorda concinunt, ita consentiat vita hominis qui ocium & paucarum rerum tractationem delegerit cum eo, qui vnà cum Scythis equitet, & Bosporani tyrãni res agat quavis necessitate inductus. Quod enim, inquit, in expeditione futurus sit cum potentibus, vitámq; vnà acturus, rursum considerabimus, his intenti. quidam enim ne hæc quidem suspicantur ob similes ratiocinationes: nobis hæc relinquentibus ob similia argumenta. et paulo pòst. non modò cum iis qui iam profecerunt in disciplina & moribus, vt apud Leuconem & Idanthyrsum. Atqui Callistheni sunt qui vitio vertant, quòd ad Alexandrum nauigauit spe Olynthi restituendæ, sicvt Stagira instaurauerat Aristoteles. & Ephorum, Xenocratem ac Menedemum laudant, qui Alexandri convictum recusassent. At Chrysippus quæstus causa sapientem obtorto collo in Panticapæum rapit, ac Scytharum solitudinem. Nam lucri causa hoc Chrysippus instituere se ipse profitetur, tres rem faciendi modos ponens sapienti maximè congruentes: è regno, ex amicis, ex arte sophistica. At enim passim ad odium vsque inculcat:

Sapiẽs an quæstum captet.

Nam præter hæc duo quæ tandem mortalibus
Res sit opus? ——

Cæterùm in iis quæ de natura scripsit, sapientem ait si amplissimas opes amittat, reputaturum se vnicam amisisse drachmam. Cùm autem illum ibi ita inflasset & extulisset, hìc eũ ad mercenarias operas & sophisticã relegat. Quin & exacturũ mercedẽ, & ante tẽpus accepturũ ait: quãdã partẽ statim vbi discipulus se ei dederit, aliud tẽpore exacto. quorũ hoc ait esse humanius, illud tutius, qa fraus possit accidere. Loquit aũt sic. Mercedẽ exigunt non omnes qui sapiunt eodẽ modo. sed alius multitudinem, provt tempus dederit, non promittentium se discipulos bonos facturos, idq; annuo spacio: sed se id certo constituto tempore præstituros. Ac deinde. Tempus autem sciet, an statim primo congressu mercedem debeat exigere, sicvt fecere complures: aut tempus cõstituere. qui modus vt videtur humanior, ita opportunior est iniuriis. Sed quonam modo sapiens vel pecuniæ erit contemtor, qui accepta syngrapha pro argento virtutem tradat, & vt non tradiderit, tamen mercedulam exigat? vel cui damnum inferri nequeat, qui cautione vtatur ne mercedula defraudetur. Nam fraus nemini fit citra iniuriam. Itaque cùm alibi pronunciasset sapienti non fieri iniuriam: hoc loco ait rem eius esse iniuriæ obnoxiam. Idem cùm in opere De republica dixisset, ciues nihil voluptatis causa acturos aut paraturos: laudauisſétq; Euripideum hoc:

De voluptate.

Nam præter hæc duo quæ tandem mortalibus
Res sit opus? alma cùm telluris frugibus,
Tum quæ sitim salubris lympha sublevet:

paululum progressus, Diogenem laudat, qui in publico masturbasset, dixisſétq; adstãtibus: Vtinam liceret sic etiam famem attrito ventre pellere. Quam autem rationem hoc habet, simul & eum laudare qui voluptatem eiecisset, & qui voluptatis causa isthæc ageret, ac eò turpitudinis progrederetur? Idem cùm in opere De natura scripsisset, naturam multa animalia pulcritudinis causa protulisse, gaudentem nimirum pulcritudine & varietate: adiecisſétque alienissimum à ratione dictum, pauonem ob caudam eiúsque pulcritudinem esse creatum: rursum in libro De republica, audacter insectatur eos qui pauones alunt & luscinias. tanquam contrarias legibus à conditore legum vniuersi positis leges statuens, ac naturam subsannans, quæ studiosè tam elegantia edidisset animalia, quibus sapiens in vrbe locum non concederet. Qui enim non sit absurdum culpari eos qui ista alunt ab hoc, qui procreantem ista laudat naturam? In quinto De natura vbi dixit, vtiliter nos à cimicibus è somno excitari, & à muribus admoneri vt in rebus locandis curam adhibeamus: naturámque gaudere pulcritudine & varietate: addit hæc verba. Id maximè intelligi potest è cauda pauonis. Ibi innuit pauonem esse factum propter caudam, non vicissim. an sic factum marem femina fuisset secuta? In libro De repub. cum dixisset parum abesse quin etiam sterquilinia pingamus, haud multo pòst ait quosdã sua rura exornare vitibus arbores ambiẽtibus, & myrtis, ac pauones alere, & colũbas, & perdices vt ipsis caccabent, & luscinias.

Quàm vellem ex ipso audire, quid de apibus & melle sentiret. scilicet enim consequēs erat vt si cimices vtiliter, apes inutiliter datas esse diceret. quòd si his locū in vrbe concedit, cur auditu iucundis & oblectationem habentibus à rebus arcet ciues? In vniuersum autem sicut ineptus sit, qui conuiuas culpans quòd vtantur bellariis, vino, opsoniis: interim laudet eum qui ad ista abs se instructa eos inuitauerit: sic qui Prouidentiā laudat, quæ pisces, aues, mel, vinúmq; præbuerit, vituperans interim eos qui ista non repudiant, neq; contenti sunt

Telluris almæ frugibus, potúq; aquæ,

cùm adsint hæc, & nos alere possint: eum apparet non curare an sibi ipsi contradicat. Idem in exhortatoriis, rem cum matre, filia, aut sorore habere, vesci cibis interdictis, à lecto aut cadauere ad rem sacram accedere, talia esse pronuncians quæ nulla ratione vituperentur: respicere nos iubet in bestias: nam ex iis posse argumenta sumi, nihil istorum vel absurdum esse, vel naturæ repugnans. atq; adeò tempestiuè huc aliorum animalium exempla adduci, quæ neq; coitu, neq; ortu, neq; interitu suo templū, in quo accidant ista, polluant. Rursum in quinto libro De natura ait, Rectè Hesiodum interdicere ne in fontes aut flumina vrinam reddamus. & multo magis cauendum esse, ne ad aram aut simulacrum aliquod deorum meiamus. neq; admittēdam esse hanc rationem, fieri hoc ipsum à canibus, asinis, infantibus, sine vlla obseruatione aut cura harū rerum. Ergo absurdum est aliàs brutorum animalium feritatem repræhendere: aliàs ea ad turpitudinem defendendam abvti. Sunt quidam philosophi, qui in facultate animi principe quandam extrinsecus superuenientem motionem ponunt: quæ maximè elucescat in rebus inter se comparatis. nam cùm duæ res obiiciuntur similes inter se, eiusdémq; momenti, quarum altera sit deligēda, vtcunq; nulla causa extet quæ in alteram partem impellat, eò quòd nullū sit inter eas discrimen: tum illam superuenientem facultatem, inclinando animum, dubitationem istam tollere. Contra hos dicens Chrysippus, vt qui vim naturæ inferrent re contraria, crebrò adducit talum & libram, multáq; alia quæ non possint aliter cadere, aut alia facere momenta, absq; causa aliqua & discrimine, quæ aut rebus ipsis, aut earum incidant circumstātiis. Nam quod causa careat, prorsus non esse: itémq; nullum esse fortuitum. in illis autem, quas nōnulli fingant, superventionibus, incurrere causas obscuras, quæ nobis non animadvertentibus voluntatem in alteram partem vt inclinet percellant. Atq; hoc quidem ex eorū est numero, quæ ab eo aliquoties dicta fuisse notissimum est. quæ autem his adversa dixit, cùm non æquè sint in medio posita, ipsius adeò verbis ego proponam. In libro De disceptandis controversiis, ponens hoc, duos cursores simul metam attingere: disquirit quid arbitro certaminis faciundum sit. Vtrùm, inquit, arbitro licet palmam dare vtri voluerit, etiam si eum familiari consuetudine magis attingāt: vt magis videatur iam de suo aliquid dare, quanquam palma vtriusq; sit communis. perinde atque in sortitione æquali, cùm datur res sorte capienda, pro præsidis arbitrio. Inclinationem autem voco fortuitam. vt si duabus propositis drachmis æqualibus, tamen ad aliam magis quàm ad aliam accipiendam animus inclinat. In sexto eorum quos De officiis scripsit libro, vbi dixit quasdam res nōn magnō dignas esse studio aut attentione, existimat iis ad sortem relegatis debere nos optionem fortuitæ animi inclinationi cōmittere. velut (inquit) cùm duæ drachmæ eodem precio æstimantur: quarū hic hanc, alter alteram putet sibi accipiendam. neutram tamen cur accipiant exsistente causa, alteram earum accipiet, omissa quæstione, vtra pluris sit: re sorti permissa, quæ efficere potest, vt deteriorem sumat. Quibus ille verbis sortitionem quādam, & fortuitam animi inclinationem introducit, quæ discrimina rerum absque vlla causa constituat.

An bruta nobis imitanda.

Oper. 735.

Vis extrinsecus animo accidens.

Optio.

Dialectica.

In tertio De dialectica libro cùm dixisset, Platonem, Aristotelem, & alios qui hos subsecuti essent vsq; ad Polemonem & Stratonem, dialecticæ operam dedisse: maximè autem Socratem. idq; acclamasset, Velle se etiam errare cum talibus tantísq; viris: hæc verba subiungit. Nam si obiter & extra propositum hunc locum tractauissent, poterat aliquis fortasse eos traducere. cùm autē ita accuratè istam rem egerint, vt qui eam inter facultates potissimas maximéq; necessarias haberent: non est probabile eos tantum à vero aberrasse, quantum suspicamur. Diceret verò aliquis, Cur tu nullum facis, Chrysippe, finem, talibus tantísq; viris adversandi, eósq; repræhēdendi, dum eos putas in summis ac totam rem continentibus rebus errasse? Non enim arbitror eos de dialectica studio operáq; adhibitis scripsisse: de principio, fine, diis, & iusticia, dicis

duntaxat

duntaxat gratia, atq; ioci. in quibus tu eorum rationem cæcam, & sibi ipsi repugnantem, multísque aliis erroribus contaminatam asseris esse. Gaudium, quod de malis alienis percipiatur, quodam loco dicit nusquam exstare. neminem enim omnino hominum elegantium vnquam gauisurum propter aliena mala. Sed in secundo libro De bono, cùm exposuisset inuidiam esse dolorem conceptum de aliis rebus secundis: scilicet quòd inuidi cuperent proximum deprimere, vt ipsi excellerent: annectit illam de malis aliorum conceptam læticiam: ita inquiens. Huic continuò adhæret lęticia ex aliorum malis petita, in eorum animis, qui proximum volunt deiectum. similibus verò è causis, aliis tamen naturalibus motibus animo agitato, nascitur misericordia. Certè hinc liquet, eum vt inuidiam & misericordiam, ita etiam gaudium illud de alienis malis putasse exstare: quod alio loco negauerat, vt etiam de malorum odio, & turpis lucri cupiditate. Temporis incremento cùm multis in locis dixisset non augeri felicitatem: sed perinde felices esse qui momento temporis, & qui longo tempore fuissent beati: rursum sæpenumerò hoc asseruit, ob momentaneam sapientiam ne digitum quidem esse exserendum, quæ fulguris in morem transuolaret. Satis erit hìc ea ponere ipsius verba, quibus vsus est in sexto Moralium quæstionum. Cùm enim scripsisset, Neq; omnia bona ex æquo in læticiam incidere, neque omnibus perinde perfectis officiis gloriationem comitari: isthæc infert. Nam si tantùm puncto temporis, aut sub finem vitæ erat habiturus sapientiam: equidem ne digitus quidem extendẽdus fuerit ob sic fruendã sapientiam. vtcunque longius tempus nihil addat felicitati, neque beatitudo sempiterna magis sit expetenda, quàm quæ punctum temporis duret. Sanè si sapientiam censuit esse tale bonum, quod vim efficiendæ felicitatis haberet, sicvt visum fuit Epicuro: tantùm reprehendenda fuit absurditas & à communi opinione discrepantia huius placiti. Sed quoniam prudentia per se nihil differt à felicitate, éstque ipsa adeò felicitas: quomodo non pugnant hæc: felicitatem vnius scrupuli æqualem esse sempiternæ, & momentaneam felicitatẽ nullius esse momenti? Virtutes sese invicem consequi Chrysippus docet: non modò vt vna pręditus habeat omnes: sed quòd secundum vnam agens, secundum omnes agat. & neque virum ait perfectum eum, in quo non sint omnes virtutes: neq; actionem perfectam, in quam non omnes concurrant virtutes. At verò in sexto Moralium quæstionum ait scitum hominem non semper agere fortiter, neque vitiosum semper timidè. vsu venire enim vt quibusdam visis oblatis alter persistat in iudicio, alter non persistat. atq; etiam hoc probabile esse, vitiosum non semper indulgere libidini. Siquidem ergo fortiter agere est tale, quale vti fortitudine, & timidè agere tale, quale metui obsequi: pugnantia dicunt, simul dicentes secundum omnes virtutes, omniáve vitia præditum alterutro horum agere, & tamen fortem non semper fortiter, timidum non semper timidè agere. Rhetoricam definit artem in ornatu & ordine orationis versantem. Rursùm in primo libro hæc scripsit. Non solùm autem liberalis & simplicis cultus ornatúsque orationis cura est habenda: sed etiam actionis congruentis, decentísque pro statu causæ conformationis vocis, gestus, vultus, ac manuum. Ille idem, qui hæc ita accuratus & subtilis esse voluit, in eodem libro De conflictu vocalium locutus: non hunc modò negligendum ait, ac potioribus inhærendum, sed & obscuritates aliquas admittendas esse, & defectus orationis, atq; adeò solœcismos, quos alij sibi turpes esse putarent. Certè modò vsque ad manuum & oris conformationem decorum obseruandum in ornatè dicendo præcipere: modò neq; obscuritatis neq; defectuum habendam rationem, neq; dedecori solœcismos habendum: eius est hominis, qui dicat quidquid in buccam venit. Porrò in naturalibus propositionibus mãdans quiescere de rebus peritiam aut historiam requirentibus, ait. Neq; eodem quo Plato censuit modo putemus humidum alimentum in pulmonem ferri, siccum in vẽtrem: neque alios similes errores probemus. Ita sentio, summam sibi repugnandi rationem, fœdissimúmque errorem hunc esse, cùm quis illud ipsum in se admittit, quod in aliis culpauit. Atqui ipse ait connexiones quæ à decem enunciatis proficiscuntur, multitudine excedere numerum CCCCIↃↃↃↃ: cùm neq; ipse id accuratè indagauisset, neq; è perito aliquo veritatem percepisset. Enimverò nobilissimi medicorum testimonium Platoni perhibent, Hippocrates, Philistio, Dioxippus Hippocraticus: & de poëtis Euripides, Alcæus, Eupolis, Eratosthenes: qui omnes dicunt potũ per pulmones transire. at Chrysippũ omnes refellunt arithmetici, interq; eos Hippar-

Epichærecacia. (margin, beside "Gaudium")

Momentanea felicitas. (margin, beside "Temporis incremento")

Virtutum cohæsio. (margin, beside "Virtutes sese invicem")

Rhetorica. (margin, beside "Rhetoricam definit")

Pulmo. (margin, beside "Porrò in naturalibus")

Connexorum numerus. (margin, beside "connexiones")

Ee

chus demonstrat errorem istius in ratiocinatione esse ingentem: siquidem affirmatio facit connexas enunciationes CCCIↃↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ IL: negatio CCCX CIↃ IↃCCCCLII. Vetustiorum quidam id quod evenit ei qui acidum vinum habuit, (nempe vt neque pro aceto id vendere, neque vt vinum posset) Zenoni dixerunt accidisse. cùm præpositum seu præcipuum, quod appellabat, neque boni neque contrarij bono vim de ipsius sententia haberet. Sed Chrysippus rem adhuc magis inexplicabilem redegit. Aliquando enim insanire eos dicit, qui diuitias, sanitatem, indolentiam, incolumitatem corporis pro nihilo ducant, neque iis parandis sint intenti. cúmque adduxisset Hesiodeum illud:

De proëgmenis seu præcipuis bonis.

Fac opus ô Persa, diuum genus.——

furiosum ait esse, si quis accinat,

——diis prognate omnem fuge Persa laborem.

Idem in libris, quos inscripsit De vitis, rei faciendæ causa tradit sapientem cum regibus victurum, sophisticam docturũ mercedis gratia, ita vt ab aliis discipulis eam præcipiat, ab aliis ex pacto accipiat, In septimo De officiis libro, etiam ter saltaturum capite ad terram dato sapientem ait, talento mercedis loco proposito. In primo De bonis libro, quodammodo concedit hoc & largitur volentibus, vt præcipua ista boni, contraria mali vocabulo afficiant. Pono ipsius verba. Si quis hac vocum permutatione vti volet, & aliud sibi bonum dicere, aliud malum: malum autem in omnes res inferat, & non aliò evagetur: eum quod ad significationes vocabulorum attineat, ab ipso non dissentire, sed tantùm sectari communem appellationum vsurpationem. Hoc pacto cùm admodum propinquum bono constituisset præpositum, ac cum eo quasi miscuisset: alio rursum loco dicit nihil eorum ad nos attinere, iubétque rationem ab his omnibus avertere. hæc enim in primo De exhortatione libro scribit.

In tertio De natura libro, beatos prædicari ait quosdam reges aut opulentos, non alia ratione, quàm si eorum fortunas laudares, quòd lasanis vterentur & fimbriis aureis. item, viro bono perinde esse, si sua omnia amittat bona, ac si drachmam perdidisset: si ægrotaret, ac si pedem alicubi impegisset. Atque iccirco huiusmodi repugnantiis non virtutem modò, sed etiam providentiam oppleuit. Virtus enim extremè sordida videbitur & indignis quæstibus dedita simul, atque stolida, quæ in hisce rebus sese occupet, earúmque causa imperet sapienti vt in Bosporum nauiget, aut in caput præceps saltet. Ridiculus verò Iupiter, qui se à largitione Ctesium, Epicarpium, & Charidotam velit cognominari: scilicet quia aureas matellas & aureas fimbrias vitiosis dono det: bonis autem ea, quæ vno sint æstimanda denario, vbi Iovis providentia ditati fuerint. Magis etiam ridiculus Apollo, qui desideat oracula edens de aureis matulis & fimbriis, & de offensi pedis restitutione. Repugnantiam porrò demonstratione sua magis detegunt. Nam quo quis vel bene vel malè vti possit, id aiunt neque bonum esse neque malum. diuitiis, sanitate, robore corporis malè vti fatuos. horum ergo nihil esse bonum. Ergo si deus virtutem non det hominibus, sed bonum vltrò expeti ab eo possit: diuitias autem & bonam valetudinem sine virtute det: non bene vsuris dabit vtique, sed malè: hoc est damnosè, turpiter, perniciosè. Sed enim, si dij possunt virtutem largiri, neque hoc faciunt: boni aut benigni non sunt, si id non faciunt. si bonos facere non possunt: ne prodesse quidem queunt: cùm extra virtutem nihil bonum sit, nihil vtile. Nam hoc quidem nihil est, eos qui aliàs boni facti sunt, iudicare secundum virtutem & vires. cùm malos etiam boni eodem modo iudicent: vt non magis commodent dij hominibus, quàm ab his commodum percipiant. Iam neque seipsum Chrysippus, neque vllum suorum vel discipulorũ vel magistrorũ profitetur probum ac virtute præditum esse. Quid ergo putas eos de aliis sentire, nisi id quod dicunt: Insanire omnes, furere, impios esse, flagitiosos, extremè infelices atque miseros. Cùm his compara, quòd res nostras diuina gubernari providentia aiunt. Neque interim ignorant nos in iis esse malis, vt ipsi dij si mutata sententia vellent nobis malefacere, ac pervertere, adeóque pessundare nos statuissent: nihil possent nostris adiicere miseriis, cùm nihil malis & miseriæ nostræ vitæ posse adiici dicat Chrysippus. quæ vita, si vsus ei vocis concederetur, pronunciatura haud dubiè esset illud Herculeum:

An aliquis sit probus.

Providentia.

Plenus malorum sum iam, nec superest locus
Alius nouis recipiundis. —

Cedò, quid magis invicem repugnans potest excogitari, quàm hæc duo Chrysippi effata? quorum vnum de diis affirmat eos hominibus quàm fieri potest optimè prospicere: alterum homines quàm miserrimam vitam degere. Pythagoricorum nonnulli eum accusant, vt qui in commentariis De iusticia scripsisset de gallis gallinaceis, vtiliter eos esse editos, quòd & è somno nos excitent, & scorpios conquirant, & in pugna nobis studium æmulationémque fortitudinis quandam ingenerent: tamen eos assereret comedendos esse, ne pullorum multitudine vltrà quàm expediret excrescerent. At Chrysippus ita has repræhensiones deridet, vt etiam de Ioue Seruatore, Genitore, & patre iusticiæ, æquitatis, atque pacis in hanc sententiam scripserit, libro De diis tertio. Sicvt autem vrbes ciuium multitudine abvndante colonias aliquò deducunt vt se exonerent, aut bellum aliquod suscipiunt: ita deus exitij occasiones suggerit. citátque Euripidem & alios testes, qui dixerunt bellum Troianum à diis fuisse commissum, exhauriendæ gratia multitudinis hominum. Horum omitte alias absurditates. non enim instituimus hoc loco inquirere an falsò aliquid, sed duntaxat quæ sibi repugnantia dixerint. Illud considera, eum deo semper pulcras & ad humanitatem pertinentes tribuere appellationes: facta autem simul sæua, barbarica, Galatica. Non enim coloniarum similes videntur istæ hominum clades atque interneciones tantæ, quantas Troianum bellum intulit, ac Medicum & Peloponnesiacum, nisi fortè aliquas infra terram & apud inferos conditas isti norunt vrbes. Sed Deiotaro Galatæ similem deum Chrysippus facit. qui cùm haberet complures filios, cùm vellet vni regnum domúmque relinquere, cæteros omnes necauit: tanquam vitis palmites si præcideret, vt vnus aliquis superstes, validus magnúsq; fieret. At verò vinitor hoc facit, recentibus adhuc & exilibus germinibus. & nos cani parcentes, catulos ei aliquot recens natos, atque etiamnum cæcos subtrahimus. Iupiter autem non tantùm adolescere passus homines, sed etiam ipse procreans augénsque, deinde exquisitis calamitatum & exitij occasionibus perfundat: cùm debuerit potius nullum nascendi initium, causam nullam præbere. Leuius est quod dixi. maius, quod dicam. Nullum hominibus bellum oritur absque vitio. nam aut voluptatis studium, aut auaricia, aut ambitio, aut regnandi cupiditas bellum conflat. Ergo si bellorum, etiam peccatorum autor est deus, iritans & pervertens homines. Atqui ipse in commentario De disceptando, & secundo De diis libro dicit Chrysippus, Nulla ratione dici posse, deum turpitudinis vlla ex parte causam esse. sicvt enim lex delinquendi, deus impietatis causa nullo modo dici consentaneè possit: ita rationi convenire, deos etiam nulla ex parte causam esse turpitudinis. Potest verò turpius aliquid esse hominibus, quàm si se mutuò exscindant? & tamen eius rei ille deum initia suppeditare ait. Sed dicet me hercle aliquis, alibi ab eo laudari hæc Euripidea:

De cladibus hominum.

Malorum an autor deus.

Si turpe quid faciant dij, non sunt dij.

&,

Quod facilimum dictu est, ais, incusans deos.

quasi verò in præsentia aliud nos agamus, quàm vt repugnantes invicem voces sententiásque eius apponamus. Et tamen illud ipsum laudatum iam dictum, non bis terve, sed sexcenties obiici Chrysippo potest:

Quod facilimum dictu est, ais, incusans deos.

Primùm enim in libro De natura, cùm causam motus comparasset potioni è varia confusæ materia, aliter alia vertenti atque conturbanti, hæc infert. Cùm autem hoc modo omnium rerum procedat administratio: necesse est nos, vtvt habeamus, secundum eam esse affectos: siue contra nostram naturam morbis corripiamur, siue mutilemur, siue grammatici fiamus aut musici. Et rursum paulo pòst. Secundum hanc rationem similiter dicemus de virtute nostra & vitio, atque omnino artibus, vel inscitia, sicvt diximus. Ac mox omnem tollens ambiguitatem: Nihil, inquit, singularum rerum, ne minimum quidem, fieri potest aliter, quàm secundum communem naturam & eius rationem. Cæterùm communem naturam, eiúsque rationem esse ipsi fatum, prouidentiam, Iouem, ne antipodes quidem nesciunt. hæc enim vbiq; ab illis iactantur: & Homerum ait Chrysippus isthuc,

Iliad. α, initio.

—Iouis est confecta voluntas,

rectè dixisse, ad fatum respicientem, vniuersíq; naturam qua omnia administrantur. Quomodo ergo hæc cohærent? deum nullius turpis rei quovis modo causam esse: & nihil vel minimum secus fieri posse, quàm secundum communem naturam, eiúsque rationem? nam cùm omnia diis adscribuntur quæ fiunt, vtique etiam turpia in iis sunt. Enimverò Epicurus vtcunque torquet se, & argutias meditatur, à sempiterna motione machinatus liberare & absoluere voluntatem, ne inculpabilem relinqueret maliciam: Chrysippus solutissimam libertatem huic concedit, vt non modò necessariò & fataliter, sed etiam secundum rationem dei & naturam vitia fiant optimam. Verba eius hæc leguntur. Communi enim natura in omnia penetrante, necesse erit omne quod fit in ratione, & quacunque eius parte, secundum eam fieri, eiúsque rationem, ac deinceps procedere sine vllo impedimento. cùm nihil foris sit, quod impedire possit administrationem: neque pars vlla moueri aliter queat, quàm secundum communem naturam. Quæ ergo sunt illæ partium affectiones & motiones? Affectiones liquet esse vitia & morbos, auaricias, luxurias, ambitiones, timiditates, iniusticias. motiones autem, adulteria, furta, proditiones, homicidia, paricidia. Horum censet Chrysippus nihil neque magnum neque paruum fieri præter Iouis rationem, legem, iusticiam, providentiam: vt iam non præter legem fiant delicta, non contra iusticiam iniuriæ, non contra providentiam flagitia. At enim deum ait punire scelera, & multa facere puniendorum malorum gratia. vt in secundo De diis inquiens adversas res aliquando evenire bonis, non vt malis pœnæ causa, sed secundum aliam dispensationem, sicvt in ciuitatibus. & rursum. Primùm autem de malis intelligendum est eodem modo, quo iam dictum est. deinde, tribui ea secundum Iouis rationem, siue supplicij causa, siue alia ad vniuersum respiciente administratione. Est verò indigna res, & fieri & puniri peccata secundum Iouis rationem. Sed hanc repugnantiam ipse grauiorem facit, in secundo De natura libro hæc scribens. Vitiositas ad atroces calamitates quandam habet rationem peculiarem. fit enim ipsa quodammodo secundum rationem naturæ, atque (vt sic dicam) non invtiliter respectu vniuersi. neque enim bona essent. Atque ita deinde obiurgatis iis, qui æqualiter in contrarias partes disputant, vt qui omnino peculiare aliquid & subtile dicere vellet: ait non invtiliter marsupia amputare homines, calumniari, insanire, invtiles esse, damnosos, infelices. Qualis ergo est Iupiter (de Chrysippeo loquor) rem puniens neque vltrò neque invtiliter factam? nam Chrysippi ratio efficit vitia omnino culpanda non esse, sed Iouem: siue is fecit vitia, quæ nihil prodessent: siue punit, cùm fecisset non invtilia. Rursum in primo De iusticia libro, cùm dixisset deum quorundam flagitiis resistere: vitia autem, inquit, in vniuersum tolli neque fas est, neque expediret tolli. Non hæc disputo, an non præstaret nullam esse legum violationem, nullam iniusticiam, nullam stulticiam. Ipse quidem vitia pro viribus philosophãdo exscindens, quæ exscindi nõ expediret, facit aliquid repugnans rationi ac deo. Ad hæc, cùm dixisset quibusdam iniustis factis resistere deum, vtique flagitiorum innuit impietatem. Porrò cùm nihil culpandum, nihil vituperandum, ordine omnibus secũdum optimam naturã progredientibus, sæpenumero docuisset: alicvbi rursum quasdam rerum non paruarum neque vilium neglectiones reprehendendas relinquit. In tertio quidem De substantia cùm memorasset etiam bonis quædam talia evenire: vtrum (inquit) ob incuriam quandam neglectis aliquibus, sicvt in magnis familiis furfures & grana aliquot frumenti excidunt, reliquis interim rectè administratis? aut quia his rebus præsunt mali quidam genij, vbi re vera admittuntur culpandæ neglectiones? ait etiam multum esse admixtum necessitatis. Iam huiusmodi præclarorum virorum calamitates, qualis fuit condemnatio Socratis, quòd Pythagoræ viuo à Cyloneis est illatum incendium, quòd Zeno à Demylo tyranno, Antiphon à Dionysio excruciati perierunt: conferre cum furfuribus excidentibus quantæ sit leuitatis, mitto dicere. Malos autem genios à providentia his præfici muneribus, qui non sit vitio vertendum deo, qui tanquam rex malis & væcordibus satrapis ac præfectis provincias mandauerit, patiatúrque ab his despici & contumeliosè tractari optimos? Et quidem, si multum necessitatis admixtum rebus est: neque omnia deus habebit in sua potestate, neq; omnia secundum eius rationem gubernabuntur.

An culpanda sint vitia.

Contra

Contra Epicurum maximè pugnat, eósq; qui prouidentiam negant, argumento petito à nostra erga deos vt beneficos & humanos beneuolentia. neq; attinet verba eius apponere, cùm hoc multis locis ij scribant. Atqui benignos esse deos non omnes arbitrantur. Considera enim quid de diis sentiant Iudæi, quid Syri: quàm plena superstitionis sint quæ poëtæ de iis habent. Interitui autem obnoxium & natum nemo ferè cogitauit esse deum. De quibus, vt reliquos prætercam, Antipater Tarsensis in libro De diis hæc ad verbum scripsit. Breuiter autem nostram de diis sententiam repetemus perspicuitatis gratia. Deum igitur intelligimus animal beatum, interitus expers, & erga homines beneficum. deinde singulos recensens, ait: & verò vniuersi arbitrantur eos interitu vacare. Nullus est igitur ex omnibus Antipatro Chrysippus. Hic enim excepto igni nullum deum putat interitu carere: sed cæteros omnes æquè & natos & obituros. atque hoc ferè passim ab eo dicitur. verba tamen eius è tertio De diis libro adscribam. Alia porrò, inquit, ratio est deorum. Alij enim nati sunt, & interituri: alij non nati sunt. Estq; naturæ tractationi conuenientius, vt hoc ab initio demonstretur. Sol, Luna, & reliqui dij quorum similis est ratio, nati sunt: Iupiter æternus est. Ac progressus deinde longius. Idem dicetur de sapientia & origine cùm reliquorum deorum, tum Iouis. alij enim interitui sunt obnoxij, aliorum partes perennes. His comparabo adhuc pauca quædã ab Antipatro dicta. Qui verò, inquit, beneficentiam diis adimunt, ij ea ratione ex parte quadam horum accedunt opinioni, qui ortum quoq; & interitum in eos cadere existimant. Quòd si ergo perinde absurdus est qui deos interitui obnoxios dicit, atq; is qui prouidentiam & humanitatem iis aufert: non minùs à vero Chrysippus abest, quàm Epicurus: cùm alter æternitatem, alter beneficentiam deorum inficietur. Quin etiam in tertio De diis libro Chrysippus de eo, quòd reliqui dij alantur, ita scribit. Alimentóq; reliqui dij vtuntur æqualiter, eóq; sustentantur. Iupiter autem & mundus * alio modo consumtis & ex igne natis. Hæc quidem pronunciat reliquos deos nutriri, exceptis mundo & Ioue. In primo autem De prouidentia, Iouem ali ait, tantisper dum omnia in seipsum consumat. Nam cùm mors sit animæ à corpore separatio, mundi autem anima ab eo non segregetur, continenter quidem augescat, donec materiam in seipsam consumat: non dicendum esse, mori mundum. Quis videri queat magis sibi inuicem repugnantia dixisse eo, qui eundem deum * * Neq; necesse est id ratiocinando colligere. disertè enim id ibidem dixit. Solus autem sibi ipsi sufficere dicitur mundus, quòd solus in se omnia habet quibus ei est opus, alitúrq; ex se ipso & augetur, cæteris partibus aliis alias consumentibus. Non solùm igitur ibi docens reliquos deos nutriri, exceptis Ioue & mundo, hîc autem mundum quoque ali, secum pugnat: sed multo etiam magis, quòd crescere mundum dicit, dum ex seipso alatur. nam contrà consentaneum erat hunc solum non augeri, qui sui ipsius consumptionem pro alimento haberet: reliquis diis qui extrinsecus alerentur, incrementum accidere. ipsúmque adeò in eos absumi mundum, cùm is ex seipso, hi subinde ex illo alimentum accipiant. Secunda dei noticia, felicitatem continet, & in seipso omnia habentis recondita perfectionem. ideò laudant etiam hoc Euripidis dictum.

De diis.

Qui dij alantur.

Etenim deus, siquidem sit re vera deus,
Nihil indiget istis rebus. ——

At Chrysippus in his quæ adduxi, solum mundum ex sese totum aptum, sibíq; sufficientem affirmat: quia solus omnia in se habeat, quibus ei sit opus. Quid inde sequitur? neque Solem sibimet, neque Lunam, neque vllum alium deum sufficere. ergo ne felices quidem beatíve erunt. Fetum hominis in vtero ait à natura ali, tanquam plantam. partu autem editũ ab aëre refrigerare ac durari, & mutato spiritu fieri animal. itaque animam non abs re psychen a refrigeratione dici. Idem rursus animam tenuiorem & subtilioribus partibus constantem spiritum naturæ esse dicit, secum pugnans. Qui enim tenuium partium & rarum è crasso fieri potuit refrigeratione & densatione? Et, quod maius est, quomodo refrigeratione animatum effici pronunciat, qui solem animatum putat, igneum corpus, & natum ex vapore in ignem mutato? Dicit enim in tertio De natura. Ignis mutatio est talis. per aërem in aquam mutatur. ex ea terra subsistente, aër exhalat. aëre extenuato, æther in orbem continetur, stellæ autem cum sole è mari accenduntur. Quid autem magis est

De animatione fetus, & animæ origine.

contrarium incendio, quàm refrigeratio? aut diffusioni, quàm densatio? quorum hæc aquam & terram ex igne & aëre faciunt, illa in ignem & aërem vertunt humidam & terrestrem materiam. Ille tamen aliquando incendium, aliquando refrigerationem animationis causam statuit. Quinetiam id quod penitus ignitum fuerit, viuere, & animal esse affirmat: exstinctum autem rursus ac densatum, in terram, aquã, corporeámque naturam redigi. Dicit autem primo libro De providentia. Mũdus enim omnino ignitus, statim etiam animam suam & principem vim habet. Cùm verò mutatur in humidum, & animam intus contentam, quodammodo in corpus & animam transit, vt ex iis constans aliam habeat rationem. Nimirum hoc palàm incendio etiam animæ expertes mundi partes ait in animatam converti naturam: restinctione autem rursum animam debilitari & humectari, mutatam in quippiam corporis simile. Absurdè ergo aliàs refrigeratione è carentibus sensu efficit animalia: aliàs maximam animæ mũdi partem in sensus & animæ expertia redigit. Absque etiam hæc essent, ratio eius de anima nititur demonstratione ipsi opinioni repugnante. Fieri enim inquit animam, quando infans nascitur, spiritu refrigeratione tanquam duratione quadam mutato. Natam autem esse animam, & posteriorem esse ortu quàm est corpus sic probat: quia & forma & moribus proles parentum fiat similis. Atque hæc quidem repugnantia est evidens. Fieri enim non potest vt ante partum moribus conformetur anima, quæ post partum demum nascitur. alioquin efficietur animam, priusquam exsistat, similem esse animæ. hoc est, & esse similitudine: & non esse, cùm nondum sit nata. Sin dicas, quòd ob temperiem corporum insitã similitudine, animæ tamen natæ mutentur: corrumpes argumentum de origine animæ. nam fieri potest hoc pacto, vt etiam non orta, tamen in corpus ingressa mutetur ob temperiem similitudinis.

De aëre. Aërem aliquando ait leuem esse, & qui sursum se efferat. aliquando neque grauem neque leuem. Nam in secundo De motu libro, ignem ait carere grauitate, sursum tamen efferri: eodémque modo aërem: quòd aqua terræ magis attribuatur, aër igni. At in Physicis præceptis in alteram inclinat partem: nimirum neque grauitatem ex sese, neque leuitatem habere aërem. Aërem suapte natura ait caliginosum esse, eóque argumento vult ostendere etiam frigidum primò esse. Eius enim tenebras splendori, frigiditatem calori ignis opponi. Hæc cùm in primo De quæstionibus naturalibus mouisset: alibi, puta in libro De habitibus, nihil aliud esse ait habitus, quàm aëres. nam ab iis contineri corpora, & vt quodvis eorum quæ continentur certa sit præditũ qualitate, causam esse quo ea continentur aërem. vnde in ferro duricies, in lapide soliditas, in argento albedo appelletur. Atqui multum inest absurdi, multum repugnantiæ huic opinioni. Nam si aër manet talis, qualis est suapte natura, quomodo nigrum in non albo fiet albedo, molle in non duro duricies, rarum in non denso densitas? Sin verò his permixtus adsimilatur, suámque naturam amittit: quomodo habitus erit, aut facultas, aut causa horum, à quibus superatur? Patientis enim est, & non agentis aut continentis, sed vires suas amittentis isthæc mutatio, qua suas res qualitates perdit. Atqui vbique hoc affirmant, materiam suapte natura ociosam & immobilem subiici qualitatibus. qualitates autem esse spiritus aut contentiones (id tonos ipsi dicunt) aëreas: quæ in quibus materiæ partibus inhærescant, eas informent. Hæc dicere ipsis non licet, aërem natura talem ponentibus. Si enim habitus sit & contentio aër, sibi vnumquodque corporum reddet simile, vt admodum fiat molle. Sin contemperatione cum istis contrarias suæ naturæ formas accipit: materia quodammodo materiei erit, non causa & facultas.

Inane. Locus mundi, & perpetuitas. Sæpenumerò Chrysippus hoc dicit, extra mundum esse quoddam inane infinitum: infinitum autem principio, medio, extremóque carere. eóque Stoici maximè vtuntur ad refellendam eam, quam Epicurus vsurpauit atomi sua sponte deorsum motionem: quòd non sit in infinito discrimen, secundum quod alia suprà, alia infrà esse dicantur. Verùm idem in quarto De possibilibus libro, medium quendam locum, mediámque statuit regionem, vbi positus sit mundus. Verba sunt hæc. Itaque etiam de mundo dicendum est, eum interitui esse obnoxium. nam etsi argumentis opus est, mihi tamen res sic videtur habere. Eum ab interitu videtur admodum vindicare loci occupatio: nempe quòd in medio est. Nam si eum alibi esse cogitet, omnino ei accidet interitus. Rursúmque paulo pòst. Sic enim quodammodo naturæ eius contigit, vt medium nactus locum, sempiternus sit, statímque talis extiterit. vt cùm aliis de causis, tum quia bono quodam casu ita eve-

nerit

perit vt interitum non admittat, ob id sempiternus sit. Hæc vnam habent manifestam, & in oculos incurrentem contradictionem: qua medius in infinito locus statuitur. Alia vt obscurior est, ita plus habet absurdi. Dum enim opinatur ab interitu non potuisse tutum seruari mundum, si ei locus in alia infiniti parte obtigisset, satis apparet eum metuisse, ne partibus naturæ eius ad medium vergentibus, dissipatio ac interitus eveniret. Sed id non metuisset, existimans non natura corpora vndiquaq; ad medium ferri, non substantiæ, sed continentis causam regionis. de quo etiam sæpe dixit, quòd impossibile sit & naturæ contrarium. non enim esse in vacuo discrimen, cur corpora huc magis quàm illuc vergerent. sed mundi cōstitutionem causam esse quòd ad centrum eius corpora vndiquaq; inclinent ac ferātur. Satis est huc afferre verba eius è secundo De motu libro. Cùm enim dixisset, mundi corpus perfectum esse, partes mūdi non perfectas, quia ad totū certo modo affectæ, nō per se essent: locutus deinceps dē motu mundi, cuius ea esset natura, vt omnes partes ad compagem & cohæsionem sui, non ad dissolutionem & cōtritionem ferrentur, hæc infert. Sic autem toto in se tendēte & moto, partibúsq; hunc motū habētibus è natura corporis: probabile est omnibus corporibus primū esse motum naturalem ad mundi mediū, mundo, vt qui sic versus sese moueat, partibus vt partibus. Hoc aliquis diceret: quid ergo tibi, mi homo, áccidit, vt horū oblitus pronunciares, mundū, nisi fortuitò medium occupasset locum, interiturum fuisse. Si enim ea ipsius natura est, vt semper ad medium inclinet, ad idq; partes vndiquaq; contendant: sanè quocunq; tandem infiniti loco ponatur sic sese cōtinens atq; complectens, integer manebit. Quæ enim franguntur ac dissipantur, iis id accidit singularum partium ad suum proprium locum cōcessione ab eo quem præter naturā occupauerant. Tu autē putans mundū, si alio inanis loco ponatur, omnino interiturū, idq; affirmans, atq; iccirco mediū rei nullū admittenti mediū assignans: cōtentiones illas, cōplexus, & momēta, vt nullam vim salutis præstādæ habētia omisisti: occupationi loci totā permāsionis causam adscripsisti. Et quidem prædictis hæc annectis, tanquā studio habens teipsum refellere. Quo autē modo quævis pars mouetur, annata reliquis, rationi cōsentaneum est eodē etiam pro se moueri. Et si, verbi gratia, imaginemur eam in aliquo huius mundi vacuo: sicvt vndiquaq; contenta ad medium ferretur, in eodem manet motu, etiamsi verbi gratia subitò circum eam inane exstitisset. Ergo quævis pars à vacuo circumventa, non amittit momētum quo ad medium fertur suum: ipse mundus nisi medium ei locum casus paret, vim continētem amittet, aliis eius substātiæ partibus aliò sese incitantibus? Atq; hæc multa habent valdè repugnantia rationibus naturalibus. Hoc verò iam deo etiam & prouidentiæ adversatur, quòd his minimas ac leuissimas causas adscribit, præcipuis & summis ademtis. Quid enim magis cōtinet mundi perpetuitatē, quàm quòd substātia eius suis partibus vnita à sese continetur? atqui hoc fortuito factū casu Chrysippus asserit. Nam si loci occupatio, causa est perpetuitatis, & locus casu occupatus fuit haud dubiè fortuiti eventus est conseruatio vniuersi, non fati aut providentiæ opus.

De possibilibus & fato.

Ratio autem de possibilibus (hoc enim appellemus dynata) quomodo nō repugnet doctrinę de fato? Si enim possibile id non est, quod aut est aut erit verum, vt sentit Diodorus: sed omne cui contingere queat vt fiat, etiā si futurū non sit, possibile est: multa erūt possibilia eorū, quæ nō fiunt fato insuperabili atq; immobili, & omnia vincēte. & sic fati ratio evertitur. Sin est fatū, vt vult Chrysippus, facultas cōtingendi vt aliquid fiat, sæpe in impossibile incidet. & omne quidem verum necessarium erit, cōpræhensum ea quæ in omnia ius habet necessitate: omne autem falsum, maxima causarū obsistente ne fiat verū. Cui enim fatale est in mari perire, quomodo fieri potest vt ei contingat mors in terra? & quomodo Megaris Athenis venire queat, qui à fato impeditur? Quinetiam quæ audacter de visis pronunciat, fati rationi reclamant. Vt enim ostenderet visum non esse ex se perfectam assensionis causam, ait damnosos fore sapientes, qui visa falsa in animis excitent, si quidem visa assensionem absolutè perficiant. sæpe enim sapiētes adversum vitiosos vtuntur mendacio, & probabile visum obiiciunt, non tamen assensionem: quæ causa esset futura falsæ opinionis & erroris. Hæc verò à sapiente aliquis in fatum transferens, dixerit assensiones non fieri propter fatum. nam sic fatum etiam falsis opinionibus, erroribus, damnis causam præbebit. Sic ratio quæ sapientem facit nemini nocere, vnà ostendet fatum non esse omnium causam. Nam si non opinantur homines vi fati, neque læduntur: ne agendi quidē rectè, sapiendi, constanter aliquid sen-

tiendi, aut vtilitatem percipiendi causa erit fatum: actúmque est de eo pronunciato, quo fatum omnium rerum causa ponitur. Qui autem respondeat, Chrysippum non perfectam rerum causam, sed antegressam duntaxat causam fatum statuere: rursum ostendet eum secum pugnare. Aliquando enim Homerum summis vehit laudibus, qui hæc de Ioue dixerit:

Iliad. ω. 109.

Ergo quod vnicuique bonum dabit ille, malúmve,
Accipite. — & hæc Euripidis.

Supplicibus Eurip.

Quid, ô Tonans, sententiæ mortalibus
Dicam esse? namque à te nos suspensi sumus,
Agimúsque, sic vt stat tibi sententia.

& cùm his consentientia multa scripsisset, tandem ait nihil ne minimum quidem vel quiescere vel moueri absque Iouis sententia, quam idem cum fato sit. At enim causa antecedens, infirmior est quàm quæ vim in se habet perfectam, aliisque resistentibus non pervenit eò quò intenderat. Fatum Chrysippus causam insuperabilem, quæque impediri aut mutari nullo modo possit pronuncians, ipse Atropon (quasi immutabilem) & Adrasteam & Necessitatem & vt finem omnibus imponentem Pepromenen appellat. Vtrum ergo dicemus, in nostra potestate neque assensionem esse, neque virtutes, neque vitia, neque officia, neque peccata: aut fatum ad finem propositum non pertingere, & Iouis voluntatem non confieri. istorum enim hoc sequitur si fatum causam ponas ex se perfectam, illud, si tantùm antepositam. Nam si causa est perfecta, nostra in potestate nihil, nihil voluntati nostræ relinquit. si antegrediens, impediri iam poterit, neque vim habebit ad finem sine obstaculo perveniendi. Non enim semel atque iterum, sed vbique in omnibus Physicis scripsit Chrysippus, particularibus naturis ac motibus multa occurrere impedimenta: Vniuersi nullum. Et quomodo vniuersi motus ad partium motus cùm pertineant, his impeditis ipsi non impedientur? non enim hominis naturam nihil impediet, si manus aut pedis actioni est quod obstet. neque nauis sine vllo impedimento mouebitur, si velum aut remigium impediri possit. Adhæc, si visa non sunt fatalia: assensionem * aut si fatalia visa ducere ad assensionem statuit: quomodo non secum pugnat fatum, de maximis rebus visa nobis obiiciens contraria, quæ animum diuerse trahant: cùm quidem dicant, eos qui alteri assentiatur parti, & non cohibeat assensionem, peccare: quod si obscuris imaginationibus concedant, probabilia duntaxat sectentur: si falsis, falsum amplectantur: si communibus, opinionem quæ comprahensione careat. Profectò autem horum vnum necesse est vt aut non omne visum sit opus fati: aut omnis approbatio cuiuscunque visi, delicto careat: aut ne ipsum quidem fatum reprehensione vacare possit. Cur enim non culpetur fatum, quod talia visa offerat nobis, quibus non repugnare aut obviàm ire, sed concedere & obsequi, vituperationem mereatur? Denique in cõcertationibus adversus Academicos maximè in hoc laborant & Chrysippus & Antipater vt ostendãt nihil sine assensione agendum aut suscipiendum esse: figmenta eos, & inanes positiones tueri, qui volunt intestino oblato viso statim nos debere ad rem agendam incitari, non concedere interim aut assentiri. Rursum Chrysippus ait deum fallacia visa submittere, itémque sapientem: non vt requirant à nobis concessionẽ aut assensum, sed tantùm vt ad agendum nos conferamus. nos autem quia vitiosi sumus, ob imbecillitatem adsentiri huiusmodi visis. Non est difficile deprahensu, quàm hæc ab iis perturbatè, quàm adversus ipsos repugnanter dicantur. Qui enim non opus habet adsentientibus, sed duntaxat agentibus ea, quorum visa submittit eis, nimirum siue deus hic est, siue sapiens, nouit ad agendum sufficere visa, iisque abripi consensum.

Proinde si nouit incitationem ad agendum absque assensione non effici à viso, & tamen fallentia veritatis specie visa offert vltrò in causa est, vt impingamus, & adsentiendo iis quæ comprahendi non possint, erremus.

Plutar-

PLVTARCHI Commentarius, Terrestriáne an aquatilia animalia sint callidiora.


VTOBVLVS. Leonidas interrogatus quid de Tyrtæo sentiret, respondit se eum existimare poëtam esse bonum ad demulcendos adolescentum animos. quòd suis carminibus in his excitaret studium quoddam laudis cum excandescentia coniunctum, & mortis contemtu. Vereor itaque, amici, ne recitata heri venationis laudatio, vltra modum excitet venandi studiosos de nostris adolescentes: ita vt reliqua omnia obiter tantùm & tanquam nullius momenti agenda putent posthac, & huic vni studio se penitus addicant. quando ipse etiam denuò, idque præter ætatem, animo ad eam rem factus commotior mihi videor, & cupere cùm Phædra Euripidea

Canibus acclamare,
Diuersicolores insectans ceruos.

ita me exacuit oratio tam crebris & probabilibus vsa argumentationibus. SOCLARVS. Vera dicis ô Autobule. videtur enim ille mihi artem dicendi longo pòst tempore resuscitasse in gratiam adolescentum, ac cum iis quasi vernæ delectationi indulsisse. Maximè autem me affecit allegatio gladiatorum: cùm ostenderet haud exiguam laudem deberi venationi, quæ vim animi nostri eam quæ pugnis & ferro inter se commissis hominum certaminibus gaudet (siue natura eam siue disciplina indidit) maiori ex parte ad se trahens, purum præbet spectaculum artis audaciæq; cum prudẽtia cõiunctæ, quæ robori mentis experti opponatur: collaudétque illud Euripideum:

Vires exiguæ sunt mortalium.
Sed calliditate multiplici
Belluas maris, & terrestria,
Et sub cœlo volitantia
Omnia homo domat.

AVT. Enimverò, mi Soclare, inde ferunt inhumanitatem & sæuitiam ad homines venisse, cùm ij se adsuefecissent semel gustu cædium percepto in venationibus ad sanguinem & vulnera animantium æquo animo ferenda, gaudẽdúmque iis trucidandis. Deinde, sicvt Athenis primùm aliquis sycophanta à triginta tyrannis necatus, dignus supplicio fuit existimatus, itémque secundus ac tertius: paulatim deinde ij progressi, etiam probos arripuerunt, & ad extremum ne ab optimis quidem ciuibus abstinuerunt iniuriam. ita qui primus interfecit vrsum aut lupum, laudem invẽnit. deinde bos aut sus, quòd proposita sibi sacra gustasset, causam suæ necis præbuit. hinc iam cerui, lepores, capreæ esui haberi ceperunt, fecerúntque vt oues etiam, & canes adeò alicvbi, equique comederentur. denique cicurem anserem, & columbam contubernalem, non alimenti causa & famis sedandæ sicvt feles aut æluri, sed voluptati obsonantes cùm dilaniarent: quidquid in natura est truculentum & efferum, roborauerunt, & rigidum atque ad misericordiam non flexile reddiderunt: humanitatem autem maxima è parte hebetauerunt. Contrà Pythagorei, vt homines ad miserationem & humanitatem condocefacerent, mansuetudinem erga bestias meditandam præceperunt. Magnam enim vim consuetudo habet, leuibus affectionibus hominem paulatim occupatum longè producendi. Verùm nescio quo modo ita cepimus colloqui, vt neq; heri actorum, neque hodie fortassis agendorum meminerimus. Cùm enim heri dixissemus, vt nosti, omnia quodammodo rationis participia esse animalia: venãdi studiosis iuuenibus non insciti neq; invenusti certaminis materiam præbuimus de calliditate marinorum & terrestrium animalium: quod hodie (puto) nobis erit diiudicandum, si quidem pactis stare volent Aristotimus & Phædimus. quorum alter terram solertiora proferre animalia se demonstraturum sociis promisit, alter

Homicidiorum origo.

eam laudem se mari adserturum. SOC. Illi verò persistunt, ô Autobule, in eo quod in se receperunt, ac statim aderunt. prima enim luce vidi eos se parare. Sed si placet, ante illud certamen, ea quæ heri tempestiuè dici non potuerunt, vel inter pocula minus seriò tractata sunt adversus illos, repetamus. Videbatur enim quidpiam è Stoa quasi resonare & occlamari efficaciter, mortali vt opponitur immortale, & interitus capaci interitus expers, corpori incorporeum: ita cùm sit ratione præditum aliquid, debere etiam opponi brutũ aliquid: ne de tot seriebus contrariorum inter se comparatorum hæc sola imperfecta maneat atque mutila. AVT. Quis verò, mi Socrate, hoc postulauit, vt cùm sit ratione præditum in rebus, negetur esse aliquid ratione carens? brutarum enim rerum abunde est in omnibus animæ expertibus, neque alia indigemus re, quã opponamus ratione præditæ: cùm omne quod anima caret ac sentit, adversum ei collocare liceat, quod cum anima rationẽ est nactum. Quod si quis postulet, ne natura sit manca, debere animatorum alia rationem habere, alia esse bruta: invenietur qui eodem iure flagitet, animalium alia debere esse vi imaginandi prædita, alia ea carere: alia sensum habere, alia non habere: scilicet vt oppositas habitibus istis priuationes æqualibus velvti momentis natura habeat. Quod si hæc postulare absurdum est, cùm quodvis animal simul & sentiendi & imaginandi vim nanciscatur: ne hoc quidem rectè postulabitur, esse animalium alia ratione prædita, alia bruta: idque ab iis hominibus qui nihil sentire putent, quod non etiam intelligat: neque animal censeant, cui non vt sensus & appetentia, ita etiam opinandi & ratiocinandi vis insit. Etenim natura, quam isti finis certi gratia omnia facere probè dicunt, non eò animal sentiens creauit, vt duntaxat afficeretur sentiendo. Sed cùm multa sint naturæ eius convenientia, multa adversa: non poterat vel momentum temporis incolumitatem sitam tueri, nisi quædam fugere, alia consectari nosset. Vtrorumque porrò cognitionem sensus vnicuique animalium perinde præbet. quæ verò sequũtur sensum appetitiones & appræhensiones vtilium, perniciosorúmque & molestorum aversationes, nullo pacto cadere in ea queunt, quæ ratiocinari, iudicare, meminisse, & animadvertere non possunt. Immò quibus exspectationem, memoriam, propositum, apparationem, spem, metum, cupiditatem, molestè ferre ademeris: iis nullo vsui erunt oculi, aures, omnes sensus, omnis imaginatio, cùm non habeant qui vtantur iis: præstátque iis carere, quàm doloribus & molestia affici, cùm non sit declinandi instrumentum. Stratonis etiam Physici exstat oratio, qua sine intelligẽtia sentiri omnino nihil posse demõstrat. nam sæpenumerò scripturam aliquam oculis percurrimus, aut verba nobis ad aures accidunt, ita vt nihil eorum obseruemus, sed fallant ac effugiant animo nostro in aliud intento: deinde revocentur in animum eadem ac recolantur, quæ antè erant prætermissa. vnde etiam dictum est, Mentem videre, mentem audire, reliqua omnia cæca esse & surda: scilicet quia affectio aurium aut oculorum sensum nullum indat, intelligentia absente. Itaque Cleomenes rex cùm in conviuio laudaretur quoddam carmen, interrogatus an sibi videretur esse præclarum: Vos, aiebat, videritis isthuc: mihi animus erat in Peloponneso. Proinde si natura ita est comparatum, vt intelligendo sentiamus, necesse est omnia quæ sentiunt, intelligere. Atque etiam vt demus hoc, sensum ad suum munus perficiẽdum intelligentia opus non habere: vbi sensus discrimine ad naturam suam accommodati & fugiendi indito animal destitutũ fuerit, quid porrò est quod memoria id retineat, quod metuat ei à nocituris, desideret profutura, consectetúrque ea, siquidem absint, iisque paret receptacula, suffugia, tum eorum quæ capi possint indagines moliatur, & declinationes insidiantium? Atqui in introductionibus quas vocant suis illi ad odium vsque inculcant subinde, propositum esse indicationem perfectionis definientes, aggressionem incitationem alia priorem, apparatum actionem quæ actioni antecedat, memoriam compræhensionem præteriti alicuius pronunciati, quod præsens sensu fuerit conceptum. Hæc verò omnia cũ intelligentia sunt coniuncta, omniáq; omnibus conveniunt animalibus. sicvt nimirum etiam notiones, quas intus repositæ dum sunt, noticias, vbi in motu sunt, intellectiones vocant. Iam cùm vno ore omnes fateantur: animi (sic enim ipsi nominant) perturbationes esse falsas opiniones & praua iudicia: mirari subit, quòd ab iis prætereuntur animalium acta & motus, iræ, metus, inuidiæ, adeóque odia etiam atque obtrectationes. quid, quòd canes ipsi equósque peccantes plectunt? non equidem frustra, sed castigandi gratia, dolore iis ægritudinem inserentes, quam

Nullum animal esse brutum.

Cõtra Stoicos.

quam pœnitentiam vocant. Porrò voluptas quę auribus percipitur, delectatio est seu pellacia: quæ oculis, præstigiæ. vtroque interim genere adversum animalia vtuntur. Illiciuntur enim ac deliniuntur cerui & equi fistulis atque tibiis: & paguros vi è saxorum cauernis eliciunt lotinæ fistulæ cantu: ac thrissam (siue hæc alosa est) cantando plaudendóque protrahi aiunt. Rursum præstigiis otus capitur, videns saltãtes corám homines in numerum, & ipse gestiens suas scapulas bellè iactare. Cæterùm qui etiam stolidiùs his de rebus loquentes, neque delectari neque irasci, neque metuere animalia aiunt: neque parare se lusciniam, neque recordari apem, sed quasi parare se hirundinem, ac velvti irasci leonem, & tanquam metuere sibi ceruum: nescio quid responsuri sint iis, qui animalia etiam non videre, non audire, non vocem emittere, sed quasi videre, quasi audire, quasi vocem edere, denique omnino non viuere, sed duntaxat quasi viuere dicerent. nam vt ego sentio, hæc non magis evidentiæ quàm ista repugnant. Me itaque, Autobule, hæc ita sentientem pone. At humanis moribus, vitis, studiis, ac rationibus degendæ vitæ comparare brutorum quæ vocantur res, cùm aliàs mihi videtur totum esse plenum absurdi, tum nulla coniectura ad virtutis (de qua instituitur disputatio) cognitionem ducere. & si ponamus nihil ista ad virtutem procedere, non video quî natura principium eis dederit, cùm ad finem ea pervenire sit nefas. AVTOB. Enimverò, mi Soclare, hoc illi pro absurdo non habent. Nam cùm id statuant, dilectionem prolis nostram principium societatis humanæ ac iustitiæ esse: reliquis animalibus, in quibus esse vehementem eam adfectionem vident, nihilominus pernegant iustitiæ quicquam inesse. & mulis nulla ad procreationẽ facientia desunt membra, cùm genitalia vterósque habeant, & in coitu voluptatem etiam persentiant: neque tamen illi genus suum propagant. Sed & hoc consideres velim, an non ridiculi sint, qui Socratem & Platonem non in minore esse vitio pronunciantes quàm quodvis mancipium ac tantundẽ stultos, intemperantes, iniustos: porrò animalium culpant naturam vt non satis puram, neque absolutè ad virtutes elaboratam. quasi verò prauitas & imbecillitas rationis ab iis non ponatur inter vitia rationis, quibus plena sunt omnia animalia, quorum timiditas, intemperantia, iniusticia, & malicia in sensus nostros plerunque incurrunt. Qui verò postulat vt rectitudinem rationis in se suscipiat, quod natura ad eam factum non est: is primùm perinde facit, ac si simiæ turpitudinem, testudini tarditatem neget à natura ingenitam, quia pulcritudinis illa, hæc celeritatis non est capax. Deinde discrimen in promtu situm non animadvertit: nam ratio natura inest: perfecta ratio & virtute prædita industriæ ac disciplinæ debetur. Quo fit, vt quodvis animal rationis sit particeps: quam autem isti requirunt eius rectitudinem ac sapientiam, nullus est homo in quo eam esse queant dicere. Verùm vt visus visui, volatus volatui præstat: (non enim accipiter & cicada æquè vident, neque ita aquilæ volant, vt perdices) ita etiam non omne rationis particeps perinde summam calliditatem atque celeritatem intelligendi nanciscitur. Alioqui documenta in animalibus exstant multa societatis, fortitudinis, & in parandis rebus necessariis ac tutanda familia versutiæ: sicvt & contrà iniusticiæ, timiditatis, fatuitatis. Atque hoc testatur causa, quæ nostris adolescentibus sui certaminis exstitit: quòd scilicet exstante discrimine aliquo, alter terrena, alter aquatilia animalia contenderet à natura plus ad virtutem adiumenti accepisse. Quod sanè liquet, si cum ciconiis compares fluuiales equos. illæ enim patres suos alunt, hi, vt cum matribus coire possint eos necant. item columbas cum perdicibus. nam alterius generis mares oua perdunt, femellásque corrumpunt, non admittentes marem dum incubant. alteri partem curæ in se recipiunt fouendis ouis, primíque pullos cibant, & femellam si diutiùs evagetur mas rostro tundens ad oua & pullos compellit. Antipater verò ouibus & asinis neglectionem mundiciæ exprobrans, nescio cur lynces præterierit & hirundines. nam lynces lyncurium suum planè è medio remouent, occultántque: hirundines pullos suos docent foràs aversos excernere. Et verò quid causæ est, cur arborem arbore non dicamus minus docilem, vt ouẽ cane: aut olus olere timidius, vt ceruum leone: nimirum, quòd sicvt de immobilibus aliud alio tardius, aut de mutis aliud alio minùs vocale non habetur: ita timidius, segnius, intemperantius aliud alio non reputatur, vbi intelligendi vim natura non est largita. ea in aliis aliter, ac vel magis vel minùs insita, discrimina fecit ea quæ cernimus. Sed, dices, mirum dictu est quantum homo prudentia, solertia, iusti-

cia & societatis procuratione reliquis præstet animalibus. Quia enim amice, etiam hæc magnitudine, pedum celeritate, lumine visus, auditus subtilitate, aliis alia homines vniuersos longè superant. Neque tamen propterea cæcus, viribus, auribus carens homo est: neque manuum & oculorum vi ac quantitate nos natura priuauit, etsi nihil hæc sumus cum elephanto aut camelo comparati. Proinde etiam animalia cætera, quia tardiùs intelligunt, minúsque rectè ratiocinantur quàm homo, non dicemus omni ratione atque intelligentia carere: sed eam possidere imbecillam atque turbidam, sicvt oculum lusciosum & distortum. Ac nisi adolescentes nostros iam nunc sperarem, qua sunt eruditione & in humanioribus studiis diligentia, plurima terrestrium vnum, alterum marinorum exempla conducta in medium prolaturos: non abstinuissem sexcẽtis docilitatis, sexcẽtis naturæ bonitatis speciminibus recẽsendis: quorum nobis copiam è theatris imperariis affatim hauriendam pulcra Roma præbuit: sed hæc nos illis integra atque intacta relinquamus, quibus suam exornent disputationem. Interim tecum quidpiam volo per ocium considerare. Arbitror ego peculiarem cuique parti aut facultati suam esse mutilationẽ, suam deprauationem, suum morbum, quæ in aliud nihil cadant. quomodo visui cæcitas, pedi claudicatio, linguæ balbucies soli accidit. non enim cæcum dicitur id quod natura ad videndum non fuerat comparatum: aut claudum, cui eadem gradiendi omnem negauerat facultatem: neque balbum aut blæsum habetur quod suapte natura linguæ est vocísque expers. Ergo delirare etiam, desipere aut insanire non censebimus id, cuius naturæ sapere, intelligere, ratiocinari non est accommodatum. Affici quippe non potest, quod nulla est facultate præditum, cui affectio aliqua, aut priuatio, aut mutilatio, aut læsio accidere queat. Nimirum verò rabidos vidisti canes aliquando. ipse etiam equos vidi rabidos: & sunt qui boues quoque furere, & vulpes dicant. Sed nobis sufficit canum exemplum controversia carens: quod testatur animal hoc ratione non contemnenda præditum esse: quæ cõturbata furore isto, qui dicitur rabies, adficitur. nam neque visui eorum, neque auditui quidquam accidere mutationis tum cernimus. Enimverò sicvt ineptus sit, qui hominis melancholia laborantis & insanientis neget abalienatam corruptámque esse vim ratiocinandi ac memoriæ: (cùm quidem ita receptum sit consuetudine, vt sic affectum non esse apud se ac mente excidisse dicamus) ita qui rabido cani aliud accidisse aliquid putet, quàm quòd vi intelligendi, ratiocinandi, ac memorandi perturbata desipiens ignoret carissimas personas, fugiátque consuetam à prima ætate vitæ rationem, neque agnoscat quæ cernit, videtur mihi ignoratione causæ ductus contentiosè veritatem impugnare. SOC. Rectè mea sententia iudicas. Equidem Stoici & Peripatetici contrarium hac maximè probant ratione, quòd iusticiæ esse nullam originem posse dicunt, nullámque omnino fore iusticiam, si omnia animalia ratione sint prædita.

An iusticia esse possit brutis ratione præditis.

Effici enim, vt aut iniustè faciamus iis vescendis vtendísque, aut vsu eorum omisso vel viuere omnino nequeamus, vel vita inops futura sit, & quodammodo belluina. Neque dicam de Nomadum & Troglodytarum innumeris millibus, qui præter carnes cibum alium nullum norunt. Nobis quidem, qui mansuetè videmur & humaniter viuere, si discamus bruta omnia pro ratione præditis nobísque cognatis habere, ac proinde sine vllo eorum damno ac cum cautione iis vti, non video quod opus in terra, in mari, in montibus, quæ ars, qui vitæ ornatus sit futurus reliquus. Nullum proinde remedium adhiberi huic difficultati potest, quæ aut vitam aut iusticiam abolet: quàm vt sequamur veterem terminum ac legem, quæ (vt est apud Hesiodum) naturas distinguens, ac genera seorsim vnumquodque ponens,

Operibus 275.

Pisces, atque feras iubet, aëreásque volucres,
Isthæc iusticiæ nulla cùm lege ligentur,
Alterum in alterius prædam demittier aluum.
Humano generi sed mutua iura dicauit.

scilicet vt cùm bruta nobiscum iustè agere non queant, nos quoque iniustè in ipsa agere non possimus. quam rationem qui dimittunt, neque vllam vtilitatem vitæ, neque vllum iusticiæ aditum relinquunt. AVT. Hæc quidem tu, amice, planè è sententia illorum dixisti. Verùm non convenit philosophis, tanquam difficulter fetum enitentibus mulieribus, appendere medicamentum partum accelerans, vt facilè & absque ærumna iusticiam nobis pariant. Nam ipsi quoque non concedunt Epicuro maximarum

rum rerum causa fingenti exilem adeò atque nullius precij rem: inclinationem scilicet atomi leuissimam, qua is astra, animalia, & fortunam volebat introducere, & libertatem voluntatis nostræ tueri. * ostendere aliquid incertum, aut sumere aliquid manifestum, & convenit id quod de animalibus dicitur, ponere in disputatione de iusticia: si neque in confesso ponitur, neque aliàs demonstrant. Etenim alia via ad stabiliendam iusticiam perveniri potest, nõ ita lubrica & per præcipitia ducente, & evidentia evertente: sed quam Platone autore meus, Soclare, filius, tuus socius mõstrat non contendendi cupidis, verùm sequi & discere volentibus. Sanè non absque omni iniusticia fieri, quòd homo sic agit cum brutis, id tanquam verum sumserunt Empedocles & Heracletus, sæpenumerò deplorantes, atque incusantes naturam, vt quæ necessitas sit ac bellum, nihil sincerum habeat, multisque iniustis affectionibus ad finem suum perveniat: quando ipse etiam ortus hominis ab iniusticia sit, immortali re cum mortali coëunte: delectetúrque id quod nascitur partibus contra naturam à toto avulsis. Verùm hæc nimis acerba videtur esse & libera insectatio. Alia autem est concinna excusatio, quæ neque eripit animalibus rationem, & convenienter vtentibus hominibus iusticiam conseruat. quam à veteribus & sapientibus introductam, gulæ ac voluptatum studium coitione facta exturbauit: Pythagoras autẽ revocauit, docẽs quomodo citra iniusticiam vtilitatem percipere possemus. Non enim agunt iniustè, qui animalia quæ cicurari prorsus non possunt, vel damnosa omnino sunt, plectunt atque interficiunt. mansueta autem humanáque cicurando ad eas operas condocefaciant, quæ vniuscuiusque naturæ conveniunt.

Fetus equorum, asinorúmque, & boum genus,

vt ait Aeschili Prometheus, dat deus,

Munera rependens, quæ nostris laboribus
Subeant. ——

sic canũ custodia capras & oues defendit, dũ mulgẽtur, tondentur, pascuntur. Non enim vita hominibus eripitur, si non apponãtur patinę pisciũ plenæ, aut iocinora anserum, neque boues aut hœdos in conviuia mactent: neque fallendi temporis causa, aut animi gratia in theatris ac venationibus alias bestias inuitas cogãt resistere & pugnare, alias quas natura non armauit, interficiant. Qui enim ludit, & se oblectat, qui vnà ludant atque gaudeant socios ludi habere debent: non (quemadmodum de pueris dicebat Bio, eos per ludũ ranas saxis petere, ranas autem non ioco sed seriò mori) ita venari & piscari, vt voluptatem capiat bestiarum cruciatibus & mortibus, aut iis miserabiliter à pullis catulisve abreptis gaudeat. Non enim iniustè faciunt qui vtuntur animalibus: sed ij, qui hoc faciunt damnosè, contemtim, & cum crudelitate. SOCL. Inhibe, & summoue hæc crimina. Propè enim adsunt huc accedentes multi, omnes venandi studio dediti. quos neque facile sit ab instituto suo deducere, & nihil attinet offendere. AVT. Probè mones. Sed Eubiotum quidem satis scio, & consobrinum meũ Aristonem, tum Dionysij Delphici filios Aeacidem & Aristotimum huncce, nec non Nicandrum Euthydami F. gnaros esse terrestris venationis, ideóque à partibus Aristotimi futuros. sicvt ab altera parte Phædimus adducit insulares istos & marinos, Heracleonem Megarensem, Philostratúmque Euboënsem,

Cura marinorum quibus est operum. ——

Hunc autem nostrum æqualem Optatum

Vtris annumeres, non est dignoscere promtum: Iliad. 5,85.

qui agrestem simul & marinam deam Dictynnam vtriusque generis prædæ primitiis sæpe veneratus, ita accedit, vt neutris videatur se adiuncturus. númnã malè cõiicimus mi Optate, communem te fore, & qui medium feriat adolescentum arbitrum. OPT. Rectissimè cõiicis Autobule. iamdudũ enim Solonis lex obsoleuit, quæ puniri iubet qui in seditione neutri se parti adiunxisset. AVT. Huc ergo adside, vt si quid incidet teste indigens, non Aristotelis libros excutiendi sint, sed tibi ob peritiam verum dicenti suffragemur. SOCL. Agedum iuuenes, convenítne inter vos de ordine. ARIST. Actum est de eo inter nos magna contentione: tandem, vt ait Euripides,

Fortunæ proles sors tulit sententiam,

cùm eò esset provocatum, iussitq; terrestriũ causam prius quàm marinorũ dici. SOCL. Tẽpus ergo est Aristotime, vt tu iam nunc dicas, nos audiamus. ARIST. Forum

** controvertentibus apertum est. * alij fetum perimunt, in ipso partus tempore insilientes femellis. Genus est mugilum, quos pardias appellant: ij e suo viuunt muco. Polypus seipsum depascens per hyemem desidet

Piscium & piscationis vituperatio.

Hesiod. op. 521.

Igne carente domo, prauo contentus in antro,

adeò vel ignauus est, vel gulæ deditus, vel stupidus, vel omnibus iis culpis obligatus. Itaq; rursum Plato in Legib⁹ prohibuit, aut potiùs voto hoc petiit, ne marinā adolescētes venationem vnquā amarēt. Nulla enim roboris exercitatio, nulla sapiētiæ meditatio, neq; quicq̃ ad vires, celeritatémve cōducēs agilitatémq; inest in certaminib⁹, quę adversus labraces, cōgros, aut scaros suscipiunt. At in terrestri venatione, ferocia animalia congredientiū exercēt audaciā & fortitudinē: versuta, insidiantiū calliditatē: velocia robur & laborū tolerantiā apud insequētes. Atq; hæc bona venationi accepta ferunt: piscatio nulla re est nobilis. Neq; sanè deorū quisq̃, mi amice, dignū se cōgricidę putauit titulo, cùm Lycoctonos voluerit dici Apollo: aut mullicida, cùm sit Elaphebolos Diana: ille à lupis, hæc à ceruis occidēdis. Quid verò miri hoc? cùm etiā homini aprū duntaxat, ceruū, capreā, leporē capere honestius sit, quàm emere: thynnū, carabū, amiā obsonari quàm capere magis decorū? Omnino enim piscatio propterea turpis, nullo studio digna, illiberalis credita est, q̃ nihil habet ingeniosū, nullas machinas, nullā versutiā vsurpet. In vniuersū verò, quādo quib⁹ demōstrant philosophi animalia ratione esse prædita, hæc sunt: ꝓposita, apparatus, memoriæ, animorū motus, ꝓ subole ꝓcuratio, gratiarū actio pro acceptis beneficiis, meditatio vltionis in eos q̃ lęserūt, invētiones rerū necessariarū, indiciū virtutis alicuius, vt fortitudinis, societatis, cōtinentiæ, magnanimitatis: cōsideremus nihilne horū marina, aut obscurā eorū notationem modò involutā ita, vt vix cōiecturis solertibus possit percipi, habeāt: in pedestrib⁹ autē & terrenis documēta istorū omniū exstēt splēdida, evidētia, stabilia. Ac initio mihi contēplare proposita & apparatus taurorū ad pugnā se puluere conspergentiū: atq; aprorū dētes acuētiū. Elephāti, quia materia quā alimēti sui causa effodiūt aut excidūt, dentē hebetat deterēdo, altero tātùm ad hāc rē vtunt, alterū semper acutū ac recentē sui defendēdi gratia seruātes. Leo semper ambulat pedib⁹ introrsū reductis, itaq; vngues occulit, ne attriti aciē amittāt, aut investigātib⁹ occasionem inveniēdi exhibeāt. nō enim facilè invenit vestigiū vnguis leonini: sed in cæca & exigua incidētes signa, aberrāt venatores. Ichneumon autē, q̃d auditum vobis puto, parū differt ab induto thoracē ad prœliū milite: tantū sibi cœni circundat, támq; dēsam sibi circūfigit tunicā, aggressurus crocodilū. Hirūdo, antequā fetū excludat suū, videm⁹ quo modo nidū adornet. quàm bellè fundamēti loco festucas subiiciat solidiores, iisq; adfigat deinde tenuiores. & si glutinis loco cœnū desideret nidus, quo pacto super lacū aut mare ita volitet, vt superficiē eius tāgēs alis, eas vdas, nō tamē grauiores faciat: iisq; deinde puluerē appræhēdēs, eo illinat atq; cōstringat laxas dilapsurásq; partes. opus ipsū figura est angulis & multitudine laterū carēte, ęquabile & (quātū potest fieri) rotundū in globi morē. sic enim & stabile atq; capax fit, & nō temere ansam præbet foris insidiātib⁹ bestiis. Araneæ textū, cōmune exemplar telæ mulierū, & retibus, nō vna de causa admirationem sui præbet. Nam & fili subtilitas, & textura non deiuncta aut staminis in morem divulsa, sed cōtinens tenuis in morē mēbranæ, & quodā glutinoso humore obscurè admixto cōserta, tū color aëream & caliginosam reddēs superficiē fallendi causa, atq; ipsa adeò maximè toti⁹ machinę gubernatio, q̃ callidi instar venatoris, si quid reti suo implicuit, illico sentiens casses suos cōtrahit, prædámq; constringit: hæc inquā omnia eiusmodi sunt, vt nisi quotidie se conspectui nostro offerentia fidē facerent, nō minus fabulæ putarent, quàm coruorū in Africa solertia. qui potu indigētes, lapidibus iniectis in aquā, eò vsq; eam impleto cauo cōtinente eleuāt, dū rostro attingere liceat. Porrò aut cùm vidissem canem in naui nautis absentibus lapillos in amphoram oleo non repletam iniicere: miratus sum quomodo intelligeret à grauioribus immissis leuiora sursum elidi. Similes sunt Cretensium apum, & anserum in Cilicia artes. Illæ enim ventosum aliquod circumvolaturæ promontorium, ne disiiciantur, seipsas exiguis lapillis in os sumtis quasi saburrāt. hi quando Taurum traiiciunt, animalia alioqui vocalia & obstrepera, tum metu aquilarum in os iustæ magnitudinis lapide sumpto taciturnitatem sibi imperant, vt fallere in transitu eas possint. Gruum etiam in volando nobilis est cautio. Nam cùm spiritus est largus, & aër asperior, non vt in tranquillitate volant sinu in fronte curuato in Lunæ morem: sed statim in triquetram formam conducto

sept. legum extremo.

Tauri, apri, elephanti solertia.

Leo.

Ichneumon.

Hirundo.

Aranea.

Coruus.

Canis.

Apes.

Anseres.

Grues.

cōducto agmine, cuspide eius figuræ scindūt circumfluum aërem, ne ordines rumpi ab eo possint. Vbi se in terram demiserunt, eæ quæ noctu excubias agunt, corpus vni insistentes cruri librant. altero pede lapidem perpetuò inter vigilandum retinent longo tempore: obrepente somno dimissus lapis illicò excitat. Vt iam eo minus mirer Herculem, si arcum axillæ subiiciens, & complexus valido brachio,

Ducit soporem, dextera lignum premens,

neque eum etiam qui primus apertionem ostrei quod conniueret exspectandam depræhendit: cùm obseruauerim Erodij technā. is enim cùm à concha quā deglutiit cōniuentem vexatur, tantisper tolerat, dum eam à calore laxatam emolliendo apertámque sensit: túmque evomens hiantem & diductam, id quod esui est eximit. Cæterùm formicarum apparatus & dispositiones exactè enarrare nefas pœnè est: omnes autem preterire, nimiæ socordiæ. Nullum enim ita exiguum habet natura magnarum & pulcrarum rerum speculum. sed tāquam in pura gutta insunt omniū effigies virtutum. **Erodius.**

Intus amiciciæ simulacrum est ——; **Iliad. ſ, 216.**

nempe cultura societatis. inest etiam fortitudinis imago, laborum tolerantia. insunt multa continentiæ semina, multa prudentiæ & iusticiæ. Cleanthes, tametsi negabat animalia ratione prædita esse, nihilominus in tale se narrat incidisse spectaculum. Venisse formicas de suo cauo ad aliud formicarum examen, formicam portantes mortuam. Ex hoc adscendisse alias formicas tanquam ad colloquium, rursúmque descendisse. id bis térve factum. tandem has sursum extulisse vermem, tanquam redemtionis precium pro mortua. hoc illas accepto, & reddito formicæ cadauere discessisse. Sed inter ea quæ manifesta sunt omnibus, est in occurrendo æquitatis studium, cùm nihil gestantes gestantibus aliquid de via decedunt: & rerum portatu difficilium corrosiones, atq; partitiones, vt à pluribus possint ferri in particula divulsæ. Quòd autem minutas suas res aliquando foràs efferunt formicæ & frigori exponunt, hoc Aratus pluuiam præmonstrari asserit: **Formica.**

Sæpiùs & tectis penetralibus extulit oua **Aratus 956.**
Angustum formica terens iter. —— **Vergil. 1. Geor.**

Quidam non oua interpretantur: sed versum ita legunt, vt intelligāt eas fructus quos reconditos habent, metu rubiginis ac putredinis quam præsentiant imminentem exitioque futuram, foràs efferre. Omnem earum calliditatem superat præsensio tritici germinationis. non enim manet aridum, aut putredinis exsors, sed humectatur, & lactescit, cùm iam eò tendit vt in herbam mutetur. ne igitur seminis vim seruans, invtile esui fiat: exedunt illud principium seu acumen grani, è quo germen emitti à tritico solet. Non probo eos, qui quasi corporis dissectionem æmulantes, earum cauernas rei perspiciendæ causa lustrant. Ii quidem dicunt, à foramine non esse rectum in eam descensum, aut quam alia bestia facilè posset perrepere: sed anfractibus atque flexibus cuniculísque variè interceptum in tres desinere cauitates: quarum vna commune sit omnium domicilium, secunda penu rerum ad victum pertinentium, in tertiam mortuæ reponantur. Puto autem non importunum vobis visum iri, si post formicas elephantum producam: vt mentis vim & in minimis & in maximis corporibus contemplemur, neque illis non sufficientem, neque his quicquam auferentem. Alij in elephante hæc admirantur, quæ discens & condocefactus in theatris ostentat: figurarum formas inquam & immutationes: tanta varietate & subtilitate, non facilè vt humana meditatione, retentione, ac memoria possint æquari. Ego autem magis ex his, quos à sua natura & nulla à disciplina habet hoc animal motibus cùm animi tum corporis, tanquam sinceris & meris, intellectum ei inesse animadverto. Romæ non ita pridem, cùm multi docerentur institiones admirabiles, gyrósque explicatu difficiles: quidam reliquis omnibus minùs docilis, ob ídque crebrò increpatus & castigatus, depræhensus est noctu sua sponte ad Lunam se exercens, atque discens. In Syria scribit Agno quondam in domo quadam elephantum fuisse nutritum: quem cùm magister hordei demenso quotidie dimidio defraudaret, & aliquando idem domino inspiciente totum demensum affunderet: elephantum hoc viso, proboscide porrecta semissem separasse, itaq; ingeniosissimè fraudem præfecti sui prodidisse. Alium, cùm in mēsuram alimenti terram & lapides ingereret magister, & carnes iuxtà elixarentur, cineres arreptos in ollam coniecisse. Alius Romę à pueris vexatus, proboscidem eius stylis qui pungebāt, vnū ex iis compræhensum sublimē extulit, videbatúrq; enecaturus: **Elephas.**

Sed oborto adstantium clamore, paulatim ad terram demisit ac discessit: metum tali homini satis esse pœnæ arbitratus. De feris autẽ & seorsim pascentibus, cùm alia multa mirabilia narrantur, tum quo modo flumina tranare soleant. Primus se committit fluuio qui ætate & quãtitate est reliquis minor omnibus. illi autem stantes in ripa spectant: quòd, si ille suo corpore supra aquam extet, iam fiduciam traiiciendi indubitatam sibi sciant esse concipiendam. Huc vsque provectus oratione, videor mihi propter similitudinem non debere præterire vulpis astutiam. Sanè qui fabulas narrant, ij columbam aiunt ex arca emissam Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur: serenitatis, cùm avolasset. Sed Thraces in hunc vsque diem quando concretum gelu fluuium volunt transire, vulpe vtuntur ad soliditatem glaciei explorandam. sensim enim accedens, aurem admouet. & siquidem strepitu oblato sentiat aquam propè subterlabi: ratiocinatur non in profundum cõgelasse aquam, ideóque subsistit, &, nisi prohibeat aliquis, retrò abit. si nullũ sonitum percipiat, iam audacter transit. Neque est quòd hoc dicamus sensus brutam esse subtilitatem, sed ratiocinationem, cui sensus prębuerit principium. ea autem est talis. quod sonitum edit, mouetur: quod mouetur, non cõgelauit: quod gelu non cõcreuit, humidum est: quod humidum, id subsidere solet. Dialectici aiunt canem in triviis ea vti argumentatione, quæ è pluribus disiunctis enunciatis cõficitur. sic enim secum colligere. Fera aut hac, aut illa institit via: sed neutra: ergo hac, quæ superest. sensu nisi prænotionem nihil suppeditante: ratione assumtiones, iisq; conclusionem inferente. Neq; verò canis hoc indiget testimonio: falsum cùm sit, & adulterinũ. nam ipse sensus cani vestigiis & cursus flexibus persequẽdis feræ quò fugerit ea demõstrat: valere iussis istis deiunctis aut copulatis effatis. Alioqui verò è multis factis, affectionibus, & officiis canis, quę neque olfactui neq; visui obvia, sola sola intelligentia agi ac considerari queunt, natura eius perspici potest. Ridiculus sim, huius animalis in venatione continentiã, obedientiã, atq; solertiã vobis narrans, quotidie ista vidẽtibus & tractãtibus. Romano cuidam in bellis ciuilibus iugulato caput amputare nemo potuit, nisi priùs canẽ qui dominũ custodiebat, ac pro eo propugnabat circumfusi cõfodissent. Pyrrhus rex iter faciens incidit in canẽ qui interfecti hominis corpus adseruabat: cognitóq; eũ tertium iã diem cibi expertem assidere, neq; cadauer deserere tamen: illud quidem humari, canem autẽ attentè secum duci iussit. Paucis pòst diebus militum habita fuit lustratio, ita vt singuli rege sedente transirent. Ibi canis, qui aderat, atq; adhuc quietus fuerat, vt vidit domini sui percussores transire, fremens procurrit, eósq; allatrauit, subinde se ad Pyrrhum obvertẽs: ita quidẽ vt nõ rex modò, sed qui aderant omnes suspicionem de iis conciperẽt. ergo cõpræhẽsi & examinati, leuibus quibusdã signis alivnde accedẽtibus, fassi homicidiũ pœnas dederũt. Idẽ fecisse aiũt Hesiodi illius sapiẽtis canẽ, qui Ganyctoris Naupactij filios prodiderit, à quibus Hesiodus interfectus fuerat. Quod autẽ parẽtes nostri Athenis, cùm ibi bonis litteris vacarent, cõ perère, id dictis evidẽtius est. Quidam cùm in tẽplum Aesculapij occultè intrasset, ar genteorũ & aureorum donariorũ quæ mediocris essent ponderis arripuit, cúmq; iis abiit, fefellisse se putans. Sed custos canis, nomine Capparus, cùm nemo æditu orum latrantẽ exaudiret, fugientẽ sacrilegum insecutus est. & initiò quidem saxis petitus, non abstitit: luce autẽ facta eminus eum est secutus, tanto spacio vt videre hominẽ semper posset eũ obseruans: cibũ ab eo proiectũ respuit, iuxta dormientẽ excubauit, rursum surgentem subsecutus est, obviis viatoribus adblãdiẽs, illũ allatrauit atq; vrsit. Hæc cùm ij qui sacrilegũ persequebant̃, ex occurrentibus audiuissent, simul colorẽ & magnitudinẽ canis exponentibus: alacriùs perrexerũt, depræhensúmq; sacrilegũ à Cromyone reduxerũt: cane in revertẽdo præeũte, lætitiáq; exsultãte, vt q sibi capti sacrilegi laudẽ vindicaret. Athenieñses decreuerũt, vt cibus ei publicè demẽsus daret̃, & sacerdotibus ea cura semper demãdaret̃. Qua in re imitati sunt priscorũ Atheniensium humanitatẽ erga mulũ. Cùm enim Pericles hecatompedum tẽplum in arce ædificaret, atq; (vt fieri adsolet) quotidie lapides multis sarracis eò subveherentur: mulorum vnus qui alacriter quidẽ opus adiuuerat, sed iã ob ætatem vacatione donatus fuerat, in Ceramicũ descendẽs, ac lapides vectãtib9 plaustris occurrẽs, perpetuò vnà versabat̃ atq; cursitabat, velvti exhortãs alios & incitãs. itaq; populus eius studiũ mirat9, tanquã athletę ob senectutẽ rude donato publicè alimẽta decreuit. Dicẽdũ est ergo eos q negãt quicq; nobis adversus animalia iuris esse, hacten9 rectè loqui, si hoc de marinis & in ꝓfundo degẽtib9 accipi velint: quæ

nullo

nullo nobis commercio, nulla gratia, nullo amore coniuncta, omnis expertia sunt iucunditatis. & rectè dicitur apud Homerum,

—— sed te genuit mare glaucum: Iliad. π. 34.

in hominẽ immitem & insociabilem. quòd nimirũ mare nihil benevolum, nihil mansuetũ proferat. Qui verò hoc etiã de terrestribus affirmat, immanis est & ferus. Nisi forte nihil iuris fuisse Lysimacho asseramus adversus Hyrcanũ canẽ, qui & cadaueri solus adsedit, & cùm id cremaretur, adcurrẽs in ignẽ sese coniecit. Idem etiã Astum fecisse ferunt canem à Pyrrho (non rege illo, sed alio quodam priuato) enutritum. nam & circa cadauer mortui morã traxit, & cùm efferretur, lecticæ adsultauit, & in rogũ denique insiluit, éstque vnà combustus. Poro in pugna contra Alexandrũ vulneribus confecto, elephantus sensim & leniter multa spicula promuscide extraxit. & ipse iam malè affectus, non priùs tamen procubuit, quàm sensit regem exsanguem delabi: tum demum, ne corrueret, paulatim sese demisit, vt rex commodiùs ad solum se inclinare posset. Bucephalus nudus conscendendum se equisoni suo præbebat, ornatus autem regiis phaleris & bullis, neminem excepto Alexandro admittebat: cæterorum si quis accederet tentandi gratia, adversus occurrens magno cum hinnitu insiliebat ac conculcabat, nisi quis fuga saluti consuluisset. Neque nescio quodvis exemplum vobis visum iri varietate aliqua constare. Non potest autem facilè ingeniosi animalis factum aliquod inveniri, in quo vnius duntaxat virtutis insit indicium. sed elucescit in amore eorum erga prolem simul studium laudis & alacritas, in fortitudine sapientia iræ moderans, & prudentia atque astutia non est absque audacia. Si tamen libeat diuidere, & distinguere singula, mansueti simul & excelsi animi imaginem proponũt canes, qui avertuntur à subsidentibus in terrã. quò hæc pertinet.

Cum clangore canes tunc irruere. hæc sed Vlysses Odiss. ξ. 30.
Astu subsedit, baculúmque abiecit. ——

non enim porrò impetunt canes eos qui se demiserunt, humiliúmque animo similes sunt facti. Ferunt etiam præcipuum de Indicis canibus qui in Alexandrum pugnauit, emissis ceruo, apro, & vrso quietum iacuisse, eósque spreuisse, viso autem leone statim surrexisse, & ad certamen se parasse: palàm ostendentẽ hunc se sibi adversarium contemtis reliquis omnibus deligere. Canes verò qui lepores venantur, si ipsi eos interficiant, gaudent iis dilacerandis ac sanguine eorum potando. si verò lepus desperata salute (vt sæpe fit) quidquid habet reliquum spiritus in extremum insumens cursum concidat: mortuum nactus canis non tangit omnino, sed adstat caudam mouẽs: significans nimirum se non carnis sed victoriæ causa certasse. Versutiæ autem cùm sint multa exempla, omissis vulpium, luporum, gruum, graculorúmque commentis callidis, (sunt enim nota) testem laudabo Thaletem antiquissimum philosophorum: quem ferunt non minimam laudem eo invenisse, quòd artem arte dextrè superasset. Salem portantium mulorum quidam fluuium ingressus, fortuitò concidit, ac sale in aqua colliquato cùm surgens onere se animadverteret leuatum, causam sensit ac memoriæ mandauit. & quoties per amnem transiret, dedita porrò opera se demisit, & in vtranque partem versauit vt vasa in aquam demergerentur. Quod vbi Thales audiuit, iussit loco salis lana & spongiis vasa impleri, iísque oneratum agi mulum. qui cùm pro more suo egisset, & aqua onus suum impleuisset: sentiẽs suas sibi argutias malè cessisse, posthac ita cautè fluuium transiit, vt ne inuito quidem ipso vasa aqua tangerentur. Alium astum cum fetus amore coniunctum perdices vsurpãt. Adsuefaciunt enim pullos suos, qui nondum volare possunt, vrgente aucupe supinos iacere, & glebam aliquam aut quisquilias corpori iniicere ac prætendere, tanquam vmbraculum aut tegumentum quoddam. ipsæ persequentem aliorsum abducunt atque circumagunt hinc inde volitantes, paulatímque loco cedentes, donec lactatum spe capiendi longè à pullis avellant. Lepores in cubiculum suum redeuntes, catulorum alium aliò ponunt, sæpe iugeri intervallo vnum ab alio locantes: ne si homo aut canis superveniat, omnes simul periclitentur. ipsi cùm hac illac discurrentes varia vestigia reliquerint, ad extremum saltu magno longè à vestigiis se subducentes, ita dormiunt. Vrsa quãdo grauedine, quam pholian appellant, corripitur, priusquam omnino torpeat, grauísque & immobilis fiat, locum receptui destinatum expurgat: eúmq; subitura incedit quàm potest maximè suspensis gressibus, summis insistens vestigiis: tãdem

Asinus.

Perdices.

Lepores.

Vrsa.

corpore in tergum coniecto in antrum suum sese infert. Ceruæ potissimum iuxta vias pariunt, quò carnivora animalia non accedunt. *Cerui.* Cerui quando se graues ob pinguedinem & carnium abundantiam sentiunt, subducunt se aliò: vt quod fugiendo consequi non possunt, latẽdo impetrent. Terrestrium echinorum (quos erinaceos etiam & ericios appellant) sui defensio & custodia etiam proverbium genuit.

Echinus.

Scit multa vulpes, magnum echinus vnum habet.

nam accedente, vt aiunt, vulpe, ipse

Corpus conuoluens pineæ in morem nucis
Spinis riget horrens, ne vel morderi queat,
Vel tangier. ——

Elegantior tamen est eius pro catulis procuratio. Autumni enim tempore sub vites obrepens vuarum baccas pedibus decutit in terram, eásq; circumvolutas se spinis suis excipit: ac nobis aliquando omnibus hoc spectantibus speciẽ exhibuit ambulantis vuæ. deinde in cauernam suam descendens, catulis eas à se decerpendas præbet. Cubile eius duo habet foramina: vnũ versus meridiem, alterũ versus septẽtriones. Cùm ergo præsentit mutationem aëris, instar gubernatoris vela mutantis obthurat id q̃d vento est oppositum, alterum aperit. quod cùm Cyzici quidam obseruasset, creditus est à se prædicere posse ventũ qui esset spiraturus. Societatis tuẽdæ ac prudẽtiæ exẽpla Iuba scribit ab elephãtis exhiberi. *Elephas.* Venatores enim fossas quas ad ipsos capiẽdos faciũt, leuibus sarmẽtis & terra vili iniecta obtegunt. Cùm ergo elephantorũ vnus (nã multi simul ambulãt) in fossam incidit: reliqui materiã cõgerunt, & lapides ingerũt, vt illapsus facilè exire possit. Scribit etiã elephãtos diis vota facere, cùm se nemine docente mari lustrent, solémq; orientẽ adorẽt, proboscide manus loco sursum erecta. Itaq; etiã hoc animal diis est carissimũ, vt Ptolemæus Philopator testatũ fecit. Cùm enim victo Antiocho vellet diis honorem splendidè habere, præter alia ob partã prœlio victoriam sacrificia, quatuor etiã elephãtes immolauit. nocturnis aũt territus insomniis, q̃ numẽ ei ob sacrificiũ illud invsitatũ cõminaretur, cùm multis vsus est piaculis, tũ quatuor æreos elephantos pro occisis posuit. Neq; minùs societatem colunt leones. Nam à iunioribus in venationẽ educũtur ętate grauiores & tardiores. hi vbi defatigati sunt, sedent & iuniores opperiuntur. qui prædam nacti, mugitu (qui similis est boatui vituli) seniores vocant: hi id statim sentiunt, accedunt, communíq; præda vescuntur. *Amores brutorum.* Amores porrò multorum exstitere animalium, alij sæui & furiosi, alij habẽtes non inhumanam elegantiã, neq; invenustam consuetudinem. Qualis fuit Alexãdreæ amor elephãti, riualem se Aristophani grammatico exhibentis. amabant enim ambo puellam corollas vendentem, & non minùs evidenter elephas: nam per forum pomariũ transiẽs, semper ei poma adferebat, diúq; adstabat proboscidéq; manus instar intra vestem inserta pectus sensim contrectabat. Draco autem qui Aetolicam feminam amauit, noctu ad eã commeabat, & ad cutẽ vsq; subiens amplexánsq; neq; volens neq; imprudẽs lædebat: placidéq; semper sub auroram abiit. quod cùm adsiduò faceret, necessarij lõgiùs remouerunt feminam. Draco post id, triduum aut quatriduũ non venit, quærens (vt apparet) eã, & vagans. tandẽ ægrè cùm reperisset, nõ pro more placidus, sed asperior accessit, & cùm manus eius reliquis voluminibus corpori alligasset, suras extrema cauda flagellauit: lenem quandam & amatoriã iram ostendens, quæ plus indulgẽtiæ haberet quàm pœnæ. Omitto anserem, qui in Aegypto puerũ adamauit, & Glauces citharœdæ amore captum arietem. sunt enim in ore omnium, & vobis multarum narrationum satietatem obortam puto. *Voces auium.* Iam sturni, corui, psittaci, quando loqui discunt, vocísq; spiritum ita facilem fictu doctoribus præbent: videtur mihi inter discendũ patrocinari aliis animalibus, ac nos quodãmodo docere, etiam eius quæ viua voce exprimitur & articulatæ orationis partem ipsis esse. Quo fit vt valdè ridiculi sint, qui cum istis animalibus sibi cõparandos sumunt pisces, qui neque ad vlulatum quidem aut ad gemitum satis habent vocis. cùm auium à natura profectis, & nulla disciplina formatis cantilenis quantum venustatis & gratiæ insit, eruditissimi & musices peritissimi homines testimonium ferant: suauissima poëmata & carmina, olorum & lusciniarum comparantes cantibus. Quoniam autem in docendo quàm discendo plus inest rationis: *4.9.hist.anim.* fides iam habeatur Aristoteli, qui docere etiam animalia ait. visam enim esse lusciniam, quæ suo pullo canendi modum traderet atque testimonium

monium ei fert hæc res, quòd eæ philomelæ deteriùs canunt, quæ partæ captæ & convictui matrum ereptæ aluntur. quæ enim à matribus educantur, simul discunt: non mercedis aut gloriæ gratia cantillantes, sed quia delectantur, & vocis pulcritudinem magis quàm vtilitatem diligunt. Est quod vobis narrem, auditum ex ore multorum Romanorum & Græcorum, qui rem coràm spectauerunt. Tonsor quidam tonstrinam habebat ante templum, quod Forum Græcorum appellant. Is mirificè vocalem & garrulam alebat picam, quę & hominum verba, & voces boum redderet, instrumentorúmq; sonos: non cogente quoquam, sed quòd ipsa impensè studeret omnes voces prodere, nihil non sonorum exprimere imitando. Fortè evenit, vt in ea vicinia diues quidam efferretur multis tubis accinentibus. cúmq; pro more ibi locorum fieret institio, tubicines quia placebant, iussi cantum diutius ꝑtraxere. Ab illa die pica ita muta, ita voce omni destituta fuit, vt ne eam quidem ederet, qua necessaria sibi solebat indicare. Quibus ergo antè vox eius, iis tunc silentium admirationi fuit: etiam eo maiori, quòd auditorium solitorum eâ pergere ita conticuisset. Non deerant, qui veneficio eandem artem tractantium hoc effectum suspicarentur. plerique sono tubarum auditum auis perculsum putabant & attonitum, vnáq; cum eo exstinctã vocem. Verùm nihil erat tale in causa: sed exercitatio, vt apparuit, vi imitandi in sese conversa, & vocem tanquam instrumentum concinnante atq; apparante. Subitò enim rursum emicuit, nihil vsitatarum illarum & veterum imitationum, sed cantus tubarum ipsis cõversionibus modulans, omnésq; mutationes & pulsationum numeros exprimens. vt, quomodo dixi, in animalibus intelligi possit facultatem à se ipso discẽdi rationis maiorem habere vim, quàm docilitatem magistro aptam. Vnam tamen canis disciplinã non videor mihi debere silentio premere, cuius spectator Romæ fui. Erat mimo cuidam, qui tum fabulam perplexam, multarúmq; actione personarũ constantem docebat. is canis cùm alios gestus referebat, rebus & motibus animorũ propositis respondentes: tum facto periculo in ipso de veneno, quod soporem afferret, sed lethale videri ex argumento fabulæ debebat, panem in quo id exhibebatur accepit, & postquam edisset, paulo pòst similem se tremebundo, labascẽti, ac caput ob grauitatem sustentare nequeunti præbuit: deniq; se tanquam exstinctum protendit, trahendúmq; & transferendum præbuit: sicvt fabulæ rationes postulabant. Deinde articulo temporis ex his quæ dicebantur agebantúrque cognito, sensim principiò sese commouit, tanquam si ex alto somno expergisceretur, ac sublato capite circumspexit: pòst admirantibus omnibus, ad eum accessit ad quem debuit, læticiam simulans atq; comitatem. ea res commouit animos omnium hominum, ipsiúsq; etiam Vespasiani senis imperatoris, qui vnà tum in theatro Marcelli aderat. * Sed ridiculi fortasse sumus, qui eo nomine laudamus animalia, quòd discãt: cùm Democritus affirmet nos eorum in maximis rebus fuisse discipulos. araneæ in texendi arte atq; reficiendi, hirundinis in ædificandi, oloris & lusciniæ, in suauiter canendi & imitandi. Medicinæ porrò trium partium exempla illustria in iis videmus. Non enim medicante duntaxat eius vtuntur specie, cuius quidem subiiciam exempla. Testudines origanum, mustelę rutam mandunt, vbi aliquid de serpente comederunt. Canes certa quadam herba se bili vexante expurgant. Draco oculum obtusè videntem feniculo compunctum acuit. Vrsa cùm primùm ex antro suo prodit, aro vescitur agresti, cuius acrimonia aperit intestinũ ipsius concretũ. Alioqui nausea cùm tentat, ad formicarũ cauernã se confert, linguámq; suam pinguẽ & dulci succo mollitã exerens eis proponit, dum hæc formicarum fiat plena. quibus deglutitis iuuatur. Sed & ibis prolutionẽ alui, per intestinorũ vltimam extremitatẽ ingesta marina aqua se purgantis, animadvertisse & imitati dicuntur Aegyptij. & sacerdotes eorum, cùm se conspergendo lustrant, aqua ad hoc vtuntur, è qua ibis biberit: quòd infectã aut insalubrẽ nullã hæc aquã tangat auis. Sed & cibi abstinẽtia curanť quædam. vt lupi & leones, qui cùm fastidiũ carniũ esu nimio cõtraxerunt, aliquantũ iacẽtes & se calefaciẽtes quiescũt. Tigrin ferunt, si ei hœdus porrigať, abstinere cibo per biduum: tertia die esurientẽ, aliud poscere, & ni mox deť, caueã cõvellere in qua inclusa teneť, interim hœdo vt cõvictori iam & cõtubernali facto parcere. Sed & medicinã quę manibus administrať exerceri ab elephãtis aiũt: qui vulneratis adstãtes, cõtos, lãceas, et sagittas faciłè & absq; damno aut laniatione evellãt. Capellę Cretẽses ꝙ dictamno esa facilè eiiciũt infixa ipsis spicula, (statim enim satiatæ eã herbã, nihil aliud, sectanť) grauidis mulieribus occasionẽ dederũt obseruãdi,

Pica mirabilis.

Homines quæ à brutis didicerint.

Medicina.

eam vim eiiciendi fetus habere. Hæc, quanquam admirabilia, minus tamen admirationis merentur, quàm quòd bestiæ sunt quæ numeri vim intelligunt, & numerare possunt. Susis boues sunt, quæ regium ibi hortum rigant portatilibus haustris, quorum numerus est definitus, vt quævis bos quotidie centum id genus vasa aquæ plena eò portet. plura vt portet, nulla ratione, ne vi quidem vlla efficies. nam sæpe quidem tentatum est: sed bos vbi constitutum numerum absoluit, subsistit, neq; amplius progreditur. ita accuratè summam concipit, & in memoria conseruat. Autor Ctesias Cnidius. Afri Aegyptios derident, qui de oryge fabulentur, eum ea die & hora vocem emittere, qua sidus oritur, quod Serium & Caniculam nos appellamus, ipsi Sothen. suas enim vniuersè capras quando illud astrum cum Sole oritur, certò conversas ad ortum intueri: esseq; id firmissimum documentum annuæ circuitionis, maximéq; cum astronomicis consentiens tabulis. Vt autem oratio nostra colophonem ipsa sibi imponens desinat, agedum moueamus (quod dicitur) à sacra linea scrupulum, & exigua quædam de diuinitate diuinationéq; nostrorum dicamus animalium. Non enim exigua, aut ignobilis, sed cùm magna, tum pervetusta pars diuinationis est auspicium. Celeritatem quippe suam aues, vim intelligendi ob agilitatem omnibus visis percipiendis aptam, deo accommodant vtendam: vt is eam convertat & ad motus, & ad voces, & ad garritus, & ad figuras: quæ omnia aliàs insistant, aliàs venti in morem citentur: aliásq; actiones impediant, alias dirigant & suis impulsibus ad finem perducant. Ideò in genere Euripides aues deorum præcones appellauit. in specie autem Socrates olorum conseruum se facit. Sicvt etiam de regibus Pyrrhus aquilæ cognomento, accipitris Antiochus delectatus fuit. piscium appellationem inscitis hominibus duntaxat vel probri vel salsè mordendi gratia tribuimus. Verùm enimverò cùm sexcenties sexcenta possint enumerari, quæ à terrestribus & aëreis animalibus nobis voluntate deorum præmonstrantur atque præsignificatur: piscium patronus ne vnum quidem tale proferre potest. muta enim aquatilia omnia, & nihil providentiæ diuinæ cernentia, in Titanicum mare impiúmq; abiecta sunt, velvti in sceleratorum regionem, vbi ratio & mens animi exstinguuntur. vt extrema animi parte qua sentitur, confusè & dilutè prædita ista, magis palpitantium quàm animalium sint similia. HERACLEO. Contrahe supercilia, mi Phædime, téq; excita ad causam marinorum nostrûm insulanorúmq; defendendam. Non enim iocosè dixit Aristotimus, sed valido vsus est agone, ac dicendi arte, cui ad forensem rationem nihil præter cancellos & tribunal defuit. PHAEDIMVS. Insidiæ verò, mi Heracleo, dolúsq; manifestus nobis intentantur. Nos enim hesterna adhuc crapula obrutos sobrius, vt vides, præclarus iste præmeditatè adortus est. Recusare tamen certamen non licet. Nolo enim de me, si Pindarum æmuler, dici hæc.

Boues.

Caniculæ ortus.

Augurium.

Proposito certamine, præscriptio
Virtutem in altas conmecerit tenebras.

Multum enim ocij nobis est, cessantibus nō choris, sed equis, canibus, retibus, & verriculis: cùm ob disputationem hanc induciæ hodie omnibus in terra mariq; versantibus animalibus contigerint. Non tamen est quod metuatis. Vtar enim eo modicè: neque philosophorum opiniones, neq; fabulas Aegyptiorum, aut Indorum teste carentes, Afrorúmve narrationes adducens: sed pauca eorum proferens, quæ vbique testes habent eos qui mare exercent, visúq; fidem sui faciunt. Quanquam terrestrium quidem exemplorum nullum in occulto est, sed apertè sensui cognitionem sui præbent. Mare autem pauca & exilia præbet, & suorum animalium plerorumq; abscondit ortus, nutritiones, insidias quas invicem struunt & cauent: in quibus non pauca providentiæ, memoriæ, & iusticiæ opera ignorata, obsunt nostræ causæ. Deinde terrestria animalia ob generis communitatem & vitæ consuetudinem vtcunq; cum hominum moribus commixta, educationem, doctrinam, imitationémq; consequuntur: quibus acerbitates omnes & morositates, tanquam dulci aqua admixta marinæ salsugo, deliniturat q; conditur, incomposita & inertia omnia excitantur motuum humanorum commercio. At marinorum vita, magnis limitibus ab hominum consuetudine distincta, nihilq; adsciticium habens, nihil vsu partum, sua est tota & genuina, & nullis permixta alienis moribus: non ob naturam hoc, sed propter locum. Natura enim quantum ex se disciplinæ consequi potest, inque se continet, etiam piscibus largitur.

Itaq;

Itaq; multas anguillas hominibus præbet cicures, quæ sacræ vocantur: quales sunt in Arethusa. sæpe etiam pisces, qui nominatim vocati exaudiant: qualem ferunt Crasso fuisse murænam, qua mortua fleuit. cùm quidem Domitio obiicienti hoc, respondit: Nónne tu sine lacrymis tres vxores sepeliuisti? Crocodili sacerdotum non modò vocem agnoscunt vocantium, seq; contrectari sinunt: sed etiam rictu diducto dentes manibus purgandos, & linteo tergendos præbent. Nuper optimus Philinus cùm in Aegypto vagatus ad nos rediisset, narrauit, se in vrbe quæ ab Antæo nomen habet vidisse vetulam cum crocodilo dormientem, iuxta eam in grabbato mollissimo decorè porrectum. Sacrum verò crocodilum antiquitus narrant Ptolemæo regi, cùm ab eo vocatus non compareret, frustra etiam sacerdotibus hortantibus atq; precantibus, finem vitæ, qui non multo pòst secutus est, præmonstrasse. Vt iam neq; preciosæ illius diuinationis exsors sit aquatile animalium genus, neq; suo honore careat. quãdo etiã apud Surã (pagus is est Lyciæ inter Phellos & Myra) audio homines piscibus adsidere, ex iisq; arte quadam tanquam ex auibus præsagia futurorum captare. Verùm hęc sufficiant exempla ad ostendendum, pisces non omnino à nostro genere alienos esse, aut qui nulla nobiscum affectione conspirent. Sinceræ autem & naturalis perspicientiæ, magnum est hoc & commune argumentum: quòd nullum aquatile, demtis his quæ ad saxa adhęrescunt vel iis adnata sunt, ita facilè & absq; negocio ab homine capi potest: vt asini à lupis, apes à meropibus, cicadę ab hirũdinibus, angues à ceruis. (quibus quidem non à cursus, sed serpentes attrahendi facilitate elaphi nomen apud Gręcos est.) Sed & ouis pede lupum ad se vocat, & ad pantheram pleraq; aiunt accedere suauitate odoris illecta, maximè simias. Marina autem ferè omnia cùm præsentiant, suspicentúrq; & caueant insidias calliditate sua, fecerunt vt piscatio non simplex aut expedita esset, sed varia instrumenta, omnísq; generis artes ac fallacias requireret. Idq; liquet etiam ex iis quæ maximè sunt in promtu. Nam calamum piscatorium non volunt crassum esse, quanquam eo robusto opus sit ob captorum piscium violentas revulsiones: sed tenuem potiùs eligunt, ne latam faciens vmbram, terreat animal natura suspiciosum. Quin & funiculum hami paucis nodis nectunt, læuémq; faciunt: quòd aliàs dolum sensuros pisces putant. & setæ partes quibus vncus alligatur, quàm maximè albas faciunt, vt eo faciliùs lateant in mari ob similitudinem coloris. Versus autem Homeri,

Pisces cicures. — Piscium diuinatio. — * — De hamis.

Illa cito, plumbi similis, petit impete fundum:
Quod bouis agrestis cornu ducente sub vndas
Crudiuoris missum mortem fert piscibus atram:

Iliad. ω, 80.

quidam sic accipiunt, vt putent veteres boum crinibus ad hamorum funiculos conficiendos fuisse vsos. Keras enim quod aliàs cornu significat, hoc esse crinem: vnde Kerasthæ tonderi, & Kurà tonsura, & Keroplastes ille apud Archilochum, studiosus comæ ornandæ. Sed errant hi. Nam setis equinis vtebant̃ masculis: cùm equarum caudę vrina madefactæ setas habeant invalidas. Aristoteles in his nihil ait sapiẽter aut subtiliter dictũ esse: sed revera funiculo ante hamũ apponi corniculũ, q̃ pisces pervorẽt, si quid aliud attingant. Hamis porrò vtunt̃ rotundis adversus mugiles & amias, quia iis os est paruũ. à recto enim sibi timẽt. aliquãdo etiã teretẽ suspectũ habẽs mugil, in orbẽ circumnatat, escam cauda verberans, & quod decussit, ad os reflectẽs. quod si nequit, ore cõtracto summis labris escã attingit, aliquid inde carpẽs. Labrax elephanto fortiorẽ se gerit. nõ enim aliũ, sed ipse seipsum, quãdo hamũ momordit, capite hinc inde agitato vt vulnus dilatet, dolorémq; istius tolerans laniationis, vnco liberat. Vulpes raro ad hamũ accedit, sed dolũ fugit: capta statim extrà vertit corporis interiora, (q̃d ei ob robur & flexibilitatẽ datũ est) itáq; hamũ eiicit. Hæc quidẽ intelligentiã demonstrant, vsúmq; eius tempestiuũ, atq; eum artificiosum & subtilẽ. Alia sunt, quibus cum prudentia cõiunctus mutuus amor, societatísq; studiũ declarant̃. Scarus vbi hamum vorauit, reliqui scari adsiliũt, & funiculum morsibus rumpũt. iidem suis in rete illapsis caudas tradũt, mordicúsq; tenentes alacriter extrahunt. Anthiæ in gentilibus suis liberandis maiorem adhibent audaciam. funiculum enim in dorsum recipiũt, spinísq; erectis conãtur earũ asperitate tanq̃ serra disserare. Atqui nullũ nouimus animal, quod alij sui generis audeat opem ferre: non vrsam, non aprum, non leænam, non patherã. sed conveniunt quidem in theatris quæ eiusdem sunt naturæ, inque orbem circumeunt: alteri verò alterum subvenire neque nouit neque curat, sed ab eo vulnerato aut

Mutua piscium auxilia.

moriente quàm longissimè fugit atque desilit. Narratio autem, amice, de elephantis qui in fossam delapsum congesta materia educant, nimis quàm absurda est, & aliena: tanquam è regio edicto iubens nos libris Iubæ credere. quòd si vera est, ostendit multa marina animalia societatis studio, prudentiáque nihil concedere terrestrium sapientissimo.

* Sed mox de societate eorum peculiaris erit sermo. Cæterùm piscatores cùm vident plerosque piscium ex hamis eluctari, ad vim se convertunt, Persarum more sagenis eos circumvenientes, quibus compræhensi nulla calliditate effugere possint. Nā verriculis & nassis mugiles iulidésque capiuntur, tum mormyri, sargi, gobij, labraces. quę autem iaciuntur in altum retia, mullum, chrysopum, scorpium trahūt. quin etiam

Iliad. 5, 487. gripis & sagenis pisces inclusos rapiunt: quod retium genus panagram Homerus rectè appellauit, quòd omnia eo capiantur. Sunt tamen adversus hæc machinæ mustelis & labracibus. Labrax enim cùm sentit panagram trahi, vi solum tundit, in eóque cauitatem efficit, in qua se continet dum rete transeat. Delphin depræhensus, vbi se in vlnis sagenæ teneri sentit, nihil perturbatus, sed lætus intus manet, epulatúrque absque negocio, tanta piscium copia præsente. vbi rete prope ad terram adducitur, eo eroso abit. Quòd si non effugiat, primùm nihil aliud patitur, quàm quòd piscatores mariscis ei circa cristam insutis ita signatum dimittunt. rursus capto verbera ingerunt, agnito è sutura. Sed hoc raró evenit. plerique enim primùm veniam consecuti, posthac à maleficio abstinent. Cùm autem multa præterea sint prudentiæ in præcauendis & effugiendis insidiis exempla, sepiæ artem præterire non convenit. Vesicam enim iuxta collū habens plenam atro humore, (tholus is vocatur) vbi depræhenditur, hunc effundit foràs, tenebrásque circa se efficit mari infecto, vt piscatoris conspectum subterfugere possit. imitans deos Homericos, qui quos saluos volunt, cœrulea sæpenumerò nube obiecta eripiunt atque suffurantur. Sed de his satis. Insidiandi autem & prædandi eorum

Astus piscium. calliditas in multis conspicitur. Aster cùm sciat omnia quæ tetigerit dissolui ac colliquari, corpus suum tangi sinit ab appropinquantibus. Torpedinis vim nostis, quæ nō modò tangentibus stuporem infert, sed etiam per sagenam torporem manibus captātium immittit. quidam, qui eius naturam magis compererunt, aiunt si viua in terram excidat, aquam ei superfundentes, torporem sentire per affectam qualitate piscis aquam ad manum allatum. Huius ergo rei cùm habeat innatum sensum, cum nullo cominus pugnat pisce, neque periculum vllum adit: tantùm in orbem circumnans, quasi tela spargit vim à se defluētem, inficítque primò aquam, deinde animal per aquam, cùm id neque defendere se queat, neque effugere, sed quasi vinculis irretitum teneatur atque congelet. Notus est etiam multis piscator, cui à capiendis piscibus nomen est factum: cuius arte etiam sepiam vti Aristoteles scribit. A collo suo demittit acetabulum instar funiculi quo hamus dependet, quod & laxatum longè emitti, & facilimè retrahi in se potest. id pisciculis, quos prope se videt, mordendum exhibet, paulatímque in se retrahens fraude ad se prædam adducit, dum ore contingere possit. Polypus vt colorem suum mutet, Pindarus notum fecit ac celebre, sic canens.

Marinæ bestiæ colori
Adverte mentem, & sic vafer omnibus
Versare in vrbibus.

& Theognis.

Polypodis fac morem imiteris versicoloris:
Cui subit is, semper fit similis, lapidi.

Sanè etiam chamæleon mutatur: non vt moliatur aliquid, aut sese occulat: sed ob metū ita vertitur, natura meticulosus: & id mutationis consequitur, vt ait Theophrastus, spiritus multitudinem. parum enim abest quin totum eius corpus pulmone impleatur, quo indicatur ipsum spirituum plenum, & mutatu facilem esse. At polypi mutatio non est animæ affectio, sed actio quædam. Mutat enim se dedita opera, hac arte fugiens quæ timet, & appræhendens quibus alitur: decipiendo capiens non fugientia, & evitans prætervehentia. Nam ipsum sua comedere acetabula, falsum: à muræna sibi & congro metuere, verum est. ab his enim malè tractatur, neque lædere vicissim potest ob lubricitatem elabentes, sicvt rursum carabus illis in complexum venientibus vincit. nam tenuitas non est adversus asperitatem auxilio: polypo autem acetabula intrudente perit. Atque hunc orbem & vicissitudinem mutuò sese insequendi & fugiendi

endi natura ipsis vt exercitationem ac meditationem certaminis de calliditate & prudentia ingenerauit. Enimverò echinum terrestrē retulit Aristotimus, qui præsensisset ventos, laudauítq; gruum volatum trianguli forma. Ego autem echinum nullum Cyzicenum aut Bizantium, sed omnes in vniuersum marinos echinos profero, qui vbi tempestatem fluctúsq; prænoscunt, lapillis sese saburrant: ne ob leuitatem evertantur aut vndis obortis avellantur, sed lapillis prægrauantibus maneant. Volatus gruum ad venti rationes accommodatus, non est vnius generis. Sed hoc omnibus communiter notum est piscibus, sempérq; adversum vndas & fluctum natāt, cauéntq; ne vento secundum caudam incidente squamæ nudatę corpus nudum exhibeant, idq; dolore afficiatur. Itaq; proram suorum corporum semper adversam vndis statuūt. sic enim scissum à fronte mare branchias constringit, læuitérq; per summam superficiem defluens squamas deprimit, neq; cum horrore erigit. Hoc, inquam, omnium commune est piscium, excepto ellope. is suapte natura secundo vento & fluxu nat, neque metuit sibi à squamarum erectione, cùm earum commissuræ non sint versus caudam consertæ. Iam thynnus ita exactè æquinoctia & solstitia sentit, vt etiam hominem doceat, nihil huc tabulis opus habentem astrologicis. vbi enim eum bruma deprǽhendit, ibi quiescit, eodémq; se loco continet vsq; ad ęquinoctium. Callidum verò est illud gruis, quòd lapidem tenet, vt eo excidente evigilet. Quāto, amice, maior est delphini solertia? Huic *Delphinus.* cùm nefas sit stare, & motu vacare, in quo natura eius semper est, neq; ante mouendi quàm viuendi finem facit: quando somnum captat, corpus sursum ad superficiem maris evehit, supinúmq; rursum per profundum demittit, fluctu quodam vectationis agitatus, donec ad terram perveniat. ibi excitatus è somno, sursum cum impetu ad maris superficiem effertur, iterúmq; post se demittit, itaq; sibi in motu quietem quandam machinatur. Idem eadem de causa facere thynnos aiunt. Quorum quoniam paulo an- *Thynnus.* tè mathematicam prædictionem conversionum Solis retuli, cui etiam Aristoteles testimonium perhibet: audi nunc etiam arithmeticam eorum scientiam. immò opticam me hercle priùs dicā, quam videt non ignorasse Aeschylus. sunt enim hæc eius verba.

In morem thunni obliquos oculos ingerens.

videntur enim altero oculo cæcutire thynni. itaq; in mare ita ingrediuntur, vt à dextra habeant terram, & egrediuntur, vt à sinistra: planè prudenter atque attentè custodiam corporis meliori oculo committentes. Arithmetica autem ob societatis tutelam, vt apparet, & mutuam dilectionem cùm haberent opus, ita ad summū eius scientiæ pervenerunt, vt cùm gaudeant convictu & congregatione, multitudinem semper in cubi modum stipent, vniuersis in sex planas superficies distributis. deinde ita natant, vt ordinem sic conseruent, figura semper in quam libeat partem versatili. Itaq; is qui eos obseruat speculator, si vnum latus superficiei exstantis rectè dinumerauerit, statim dè toto numero ipsorum potest pronunciare, sciens longitudinem, latitudinem, & crassiciem figuræ inter se esse æqualia. Amiæ etiam nomen inde habent, quòd simul eant: puto etiam pelamydes. Reliquorum generum, quæ conspiciuntur & viuunt societate devincta, numerus exprimi non potest. Itaq; potiùs accedamus ad eas societates recēsendas, quæ priuatim piscibus intercedunt. de quibus est is, qui plurimum atramenti Chrysippo consumsit, primo in omnibus physicis, omnibus ethicis libris loco positus pinnotheras. Spongotheram enim Chrysippus non nouerat, alioquin haud præteri- *Pinnotheres.* turus. Pinnotheras, cui ab obseruanda pinna nomen factum, animal est cancri ad formam accedens, (sic enim traditur) & cum pinna degit, eiúsq; conchæ apertionem obseruat, foris adsidens apertæ & hianti, donec aliquis pisciculus accidat, qui ab ipsis capi possit. tunc carnem pinnæ mordens, eam de captura monet, vnáque in testudinem intrat. ea concham claudit: sic præda intra suam munitionem recepta simul vescuntur. Spongotheres gubernatur ab animalculo, quod non cancri, sed araneæ simile *Spongia.* est. Non enim anima & sanguine caret spongia: sed saxis adnata, vt multa etiam alia, motum habet peculiarem à se ipsa & in seipsam, qui monitore tamen & velvti pædagogo habeat opus. nam alioqui rara, & multis hiatibus aperta spongia, ob ignauiam & hebetudinem, si quid eorum quæ sunt esui intrauerit in caua ipsius, spongothera indicante se contrahit, atque id consumit. multóque magis homine accedente aut tangente, monita & puncta ab suo custode spongia, quasi inhorret, clausóq; ore ita se stipat, vt difficulter possit à venatibus abscindi. Purpuræ gregatim consuescentes, fauū quidem cōmuniter, apiū instar, conficiunt: in quo dicuntur generare.

musci & algæ quidquid est esui ita in suas testas recipiunt, vt iis in orbem exsertis quasi circularem conviuationem præbeant, vna alterius alimentum depascente. Et verò *Crocodilus. Trochilus.* quis in hisce admiretur communitatem? quando etiam crocodili, quo nullum animal perinde efferum & à societate alienum mare, flumina, paludes, gignunt, tamen in suis cum trochilo commerciis mirificam demonstrat coniunctionē atq; elegantiam. Trochilus auis est ex earum genere, quæ circa lacus & fluuios versantur. ea crocodilum custodit, non proprio victu, sed eius reliquiis enutrita. cùm enim sentit ichneumonem luto (sicvt athletæ puluere solent) oppletum crocodilo dormienti insidiari, vociferans & tundens rostro hunc excitat. Crocodilus vicissim ita se huic cicurem præbet, vt eū aperto ore intromittat, gaudeátq; eo tenues carnium particulas quæ dentibus inhæserant suis rostro sensim legente & deradente. & vbi iam contentus, os claudere vult, leniter mandibulam inclinans id significet, neq; eam priùs demittat, quàm trochilum evolasse senserit. *Hegemon. Cetus.* Piscis autem, qui Græcis Hegemon, quod est dux siue ductor, appellatur, exiguus est, gobio non absimilis quantitate & forma, sempérq; adest magno alicui ceto, prænatánsq; eius cursum dirigit, ne in vadum is, aut in limum, vel fretum aliquod incidat, vnde exitus difficulter detur. sequit̃ cetus, velvti clauum nauis, cursum eius tenens. & quidquid aliarum est rerum, siue animal, siue nauis, siue lapis, quod ad ceti rictum accidit, id statim demersum in eius ventrem periit. ductorem autem suum agnoscens velvti anchoram intrò recipit. intus enim dormit ductor, & cetus eo quiescente subsistit ac stationem agit. rursúmq; eo progrediente sectatur, neq; noctu diéve abscedit. si enim abscedat, vagatur iam errátq; cetus. & multi ceti quasi gubernatore destituti pereunt ad terram elati. idq; nos vidimus apud Anticyram. & memorant antè ceto haud procul Bunis ita in litus egresso atq; putrefacto, pestem ortam fuisse. Dignum verò est his societatibus & consensui ac consuetudini eas amicicias componere, quas Aristoteles narrat vulpium & serpentum, quia communem inimicum habeāt aquilam? aut otidibus cum equis, quibus appropinquare, & fimum disiicere gaudēt? Ego ne in apibus quidem ipsis, aut formicis tantum animadverto mutuæ procurationis. nam vt commune opus omnes augent: ita alteri nulla est alterius cura, nulla consideratio. Hoc discrimen magis etiam elucescet, si sermonem convertamus ad ea quæ societatis antiquissima sunt & potissima opera, nempe ad fetus procreationem. Primùm enim pisces, qui paludibus contiguum, aut amnes excipiens mare inhabitant, instante partu sursum evadunt, potabilium aquarum mitissimam ac placidissimā quærentes. Nam & partui trāquillitas est commoda, & à belluis immunes sunt fluuij, sunt paludes: vt fetus saluti iam consulant. Quæ causa est, quòd piscium maxima vis apud *Pontus.* Euxinum procreatur pontum. non enim cete ibi sunt, sed duntaxat exilem phocam, & paruum delphinem habet. tum fluuiorum plurimorum atq; maximorum in eum se effundentium admixtio, temperiem partibus commodam efficit. Maximè admirabi- *Iliad. π, 407. Anthias, sacer piscis.* lis est anthias piscis. quem sacrum Homerus appellat. etsi pro magno piscem sacrum quidam interpretantur, quo modo os magnum sacri appellationem habet, & morbus comitialis cùm sit magnus, sacer dicitur. alij sacrum eum intelligunt, qui dimittendus sit, vtpote alicuius numinis tutelæ cōsecratus. Eratosthenes videtur interpretari chrysophryn, sic ab aureis ciliis dictum.

Aureus huic sacro sua cilia circulus ambit.

ellopem putant multi. est enim rarus, & non facilis captu. apud Pamphyliam sæpenumerò visitur: & cùm eum capiunt, tum & ipsi piscatores coronantur, & lembos suos sertis rediniunt, ac cum strepitu plausúq; advecti, excipiunt & venerantur. Pleriq; tamen anthiam putant esse sacrum piscem: itaq; dici, quòd vbi anthias apparet, nulla est bellua, sed audacter spongiarum captatores vrinant, audacter pisces fetificant, tanquam obsidē securitatis à prædantibus nacti. Causa colligi non facilè potest. fugiántne belluæ anthiam, vt suem elephanti, gallum leones: an signum eius præsentia sit locorū belluis carentium, quæ agnoscat ille & obseruet, vt calliditate & memoria præditus. Porrò autem piscium fetus procuratio vtriq; est sexui communis: tantúmque abest vt mas fetum devoret, vt etiam adsideat ouis, eáq; custodiat. testis Aristoteles. et si qui femellas sectantur, exiguum aliquid seminis infundunt: quòd aliàs fetus ad iustam magnitudinem non excrescat. Peculiariter phycides ex alga velvti nidum quendā con- *Mustela piscis.* struentes, eo suum fetum ab vndis defendunt. Mustelæ amor erga prolem ac dilectio

tantum

tantum habet suauitatis, quantum nulla etiam cicuratissima superare possint animalia. Ouum parit, & vbi exclusus est fetus, non foris, sed intrò receptum eum ita alit & educat, tanquam denuò paritura. & cùm aliquantũ adoleuit, emittitur, docetúrq; iuxtà natare: deinde rursum per os in se recipit, receptaculũ iuxtà ei, & alimentũ præbens ac locum tutũ, dum eò viriũ perveniat, vt ipse tutari se possit. Testudinis quoq; in pariendo, & fetu tuendo mirabilis est accuratio. *Testudo.* Parit è mari egressa in vicinia. deinde qa incubare, diúve in terra morari non potest, oua in sabulo ponit, læuissimũ & mollissimum ei ingerens. vbi texit, satísq; tutò obruit, sunt qui dicant eam pedibus locũ notis impressis notare, itaq; facere vt facilè ab ipsa agnosci possit. alij femellã à mare nutritã, sigilla ꝓpria & formulas ibi relinquere ferunt. Id magis mirabile est, quòd diebus XL. obseruatis (tot enim diebus excoquuntur & rumpuntur oua) sub earũ finem accedũt, & vnaquævis suum thesaurũ, ita vt non meliùs homines cistam cum auro depositam agnoscentes, aperiunt cum gaudio & alacritate. Crocodili his cætera habent similia. *Crocodilus.* sed coniectatio loci non dat homini occasionẽ causæ ratiocinando explorandę: vnde est, quod non rationi, sed diuinationi imputetur huius animalis prænotio. Nam neq; intra, neq; vltra illud spacium, ad quod Nilus sua annua eluuie perventurus est, progressus oua ponit. vt quicũq; agricola in ea incidat, cùm ipse intelligere, tũ aliis queat narrare, quovsq; effluxurus sit amnis. adeò scitè dimensus est, ne humidus ipse humido incubet. Exclusis catulis, qui primùm in lucem progressus non statim ore arripit obvium aliquid, muscam putà, culicem, vermem, aut festucam vel herbam, eum mater morsibus dilaniat atq; enecat. feroces autem & strenuos amat & fouet, iudicio (id q̄d sapientissimi hominũ postulãt) non affectui amorem tribuens. Phocæ etiã pariũt in sicco. *Vituli marini.* paulatim autem catulos producũt, & mare iis gustãdũ præbent, móxq; rursum educunt: idq; sæpe & singulatim faciunt, dum sic adsuescant, audactérq; marinam vitã sustineant. Ranæ in coitu evocationibus vtuntur, vocem edentes, quę ololygon dicitur, ad amorem & coniugium aptam. *Ranæ.* vbi autem mas femellam sic allexit, vnà noctem istam commoranť. misceri enim in humido non possunt, & interdiu id in terra vereņť facere, obortis tenebris absq; metu congrediuntur. Aliàs autem vocem edunt clariorẽ pluuia imminente: idq; signũ est vnũ de firmissimis. Sed quam, ô care Neptune, pœnè in rem incidi absurdam atq; ridiculam? si me circa phocas & ranas oratione moras nectentem, sapientissimum diísq; acceptissimum omnium marinorũ animal subterfugisset. Quæ enim musica lusciniarum, quæ hirundinum industria, quæ columbarũ humanitas, quod apum artificium cùm alcyonis virtutibus comparari meretur? cuiusnã animalis ortus & partus deus tanto honore affecit? Latonæ partum ferunt ab vna insula eius amore capta fuisse exceptum. Alcyoni autem circa brumam parienti totum mare deus fluctuum & pluuiarum vacuum præbet: vt iam animal aliud sit nullum, q̄d homines ita meritò ament. *Alcyones.* * huic enim acceptum referre debent, quòd media hyeme septem diebus totidémq; noctibus absq; vllo periculo nauigãt, itérq; marinũ tum terrestri tutius habent. Quòd si de singulis eius virtutibus pauca sint dicenda: primùm ita maritum diligit alcyon, vt non vno aliquo stato tẽpore, sed per totum annũ cõsuetudine eius vtatur: non ob lasciuiam, (neq; enim vnq; alium admittit) sed ob benevolentiam & amiciciam, qualis vxori adversus suum est virum. Vbi autem senectus marem imbecillum, & ad sectandũ tardũ reddidit, ipsa eum suscipiens gestat atq; nutrit, nunq; destituens, nunq; solum relinquens: sed in humeros sublatum vsquequaq; portat atq; fouet, eiq; ad mortem vsq; adest. Ad amorem prolis, & pro eius salute procurationẽ quod attinet, vbi primùm se concepisse intelligit, statim ad nidum cõficiendũ se confert. Hęc non lutum subigit, non parietibus aut culminibus innititur, vt hirundines, neq; multis partibus corporis operãtibus vtitur, vt apes quæ cellulas suas mellis faciundi causa subeuntes toto corpore omnibúsq; membris laborant. sed alcyoni * vnũ simplex instrumentũ est, os videlicet. Ac nullũ aliud adiumentũ cùm habeat sui studij, tamẽ quale opus quámq; artificiosum cõficiat, vix vt credãt adduci possunt qui nõ viderũt: adeò quod illa effingit, aut potiùs nauis in morẽ compingit, eam habet figuram, quæ sola everti mergíq; non potest. Collectas enim spinas acus marinæ cõserit inter se atq; contexit, perinde ac si telæ subtegmẽ ingereret, ita alias obliquas, alias rectas cõmittens inter se flectẽdo cõplicandóq;. atq; sic absoluit teretẽ nidum, similẽ nauiculæ vno remo agitatæ, figura prominentẽ habente cuspidẽ, qualis ferè est piscatorio vasi q̄d curtũ vocant. Ita perfectũ deponit in fluxũ vndarũ, vbi mare leniter acci-

dens non satis concinnata, suóq; allisu laxata monet reficere ac stipare, recte aũt compacta stipat itáq; consolidat, vt etiam lapide aut ferro vix rumpi dissoluíq; possit. Proportio maximam meretur admirationem, et cauitatis forma. ita enim adornatur, vt solam alcyonem recipiat, omnibus aliis aditus sit ignotus, ac ne mare quidem admittatur. Existimo sanè omnibus vobis visum fuisse talem nidum. Mihi verò sæpius videnti atq; contrectanti, subiit dicere:

Odyss.ζ,162. *Tale quid in Delo, & Phœbi me cernere templo*

memini: nempe aram ceratinã siue cornutam, quæ inter septem mundi miracula celebratur: q; neq; glutine vllo neq; aliis vinculis cohærens, è solis dextris cornibus cõpacta est. Propiciũ autẽ mihi precor deum, qui homo insularis aliquid de musica Sirene.

* * *

& interrogationẽ illam deridere, cur Apollo nõ vocet Triglobolus. an. n. non agnoscunt Venerẽ Trigloboron, q; mulli ei consecrant, eíq; in mari templa condunt * a* liáq; similia: quòd ne interfecto quidẽ eo gaudet: Lepti autẽ sacerdotes nullo marino vescunt. Mystæ Eleusinij nullum venerãtur, quod scitis: eodémq; Iunonis Argiuę antistita honoris gratia abstinet. nam leporẽ marinũ, qui homini est lethalis, maximè interficiunt & cõsumunt mulli. ideóq; vt humanis & salutaribus animalibus parcitur. Iã Dianæ Dictynnæ à retibus dictæ, & Apollinis Delphinij templa & arę passim sunt apud Grçcos. & locum quẽ Apollo sibi eximiũ delegit, coloniam putãt esse Cretũ delphino duce vsorũ. non enim deus ante classem mutata forma natauit, vt fabularũ scriptores tradũt: sed delphino misso q cursum hominũ dirigeret, eos Cirrhã deduxit. Ferunt etiam Sinopen missos à Ptolemæo Sotere ad Sarapidẽ avehendũ & Bacchũ, violento vẽto eiectos supra Maleã nauigasse inuitos, ita vt Pelopõnesum ad dextrã haberent. hæc iis vagantibus & oberrãtibus delphinũ ante prorã apparuisse, qui quasi inuitans in cõmodas subinde stationes deduxerit, tantisper, dum nauim ad Cirrhã constitueret. Ibi cùm sacrũ ab exscensione è naui fecissent, quod anabaterium dicit, cognouerunt de duobus simulacris vnum quod erat Plutonis debere se auferre secum, alterius, quod Proserpinæ, excipere formã, ipsúmq; relinquere. Verisimile quidẽ est deũ probare studium musices in delphino, cui etiam Pindarus se comparans, incitari se ait delphini in morem,

Mullus.

Delphin.

Quem placido è mari Suauis exciuit tibiæ sonus.

magis tamen humanitatẽ eius deo puto carã esse. Solus enim hominẽ, vt homo est, amat. terrestrium animalium alia nullum hominẽ: mansuetissima tantùm vtilitatis gratia eos à quibus alunt, & cum quibus cõsueuerunt, vt canis, equus, elephas. Hirundines quantum ipsis opus est domos hominum subeunt, vmbrã securitatémq; quęrẽtes. ipsum hominẽ interim fugiunt tanq; feram. Delphino pręter omnia animalia & soli id natura dedit, quod optimi requirunt philosophi, nempe vt amet gratis. Nullã enim ad rem homine opus habens, omnibus benignus est, omnes amat, multis auxilium tulit. Atq; Arionis quidem historiam omnium ore celebratam nemo ignorat. Hesiodi tu, amice, tempestiuè nos admonuisti.

Iliad.ι,55. *—sed non oratio fine*

Est abs te conclusa suo:—

Qui enim canem laudasses, non debuisti delphinum reticere. Cæcum enim fuit indicium canis, latrantis & cum clamore percussores invadentis. * apud Nemeum cadauer Hesiodi mari iactatum sustulerunt, alíiq; ab aliis studiosè excipiẽtes ad Rium exposuerunt, occisúmq; hominem demonstrarunt. Myrsilus Lesbius scribit, Enalum Aeolensem, cùm amaret Phinei filiam, quæ oraculo Amphitritæ iubente de Penthidibus saxis deiecta fuerat, ipsum quoq; in mare insiluisse, saluúmq; à delphino fuisse ad Lesbum delatum. Benevolentia autem delphinis erga Iassensem puerum, ob excellentiam amor visa est. Cum eo enim quotidie ludebat, iuxtáq; nabat, & tangendum se præbebat, patiebatúrq; ab eo conscendi, & quocunq; flecteret vehebat, ad mare spectaculi gratia subinde omnibus Iassensibus concurrentibus. aliquando autem ingenti imbre grandinéq; ingruentibus, puer à delphino defluens periit: delphin vnà cum excepto cadauere in terram sese eiecit, neq; antè ab illo destitit, quàm moreretur. iustum ratus vnà cum eo perire, cui causam exitij contulisset. & Iassensibus monimentum huius casus est monetæ nota, puer delphino invehẽs. Hæc res etiã fabulosæ de Cœrano historiæ fidem cõciliauit. Is Pari natus, quodã tempore Byzantij delphinos, qui sagena iacta capti extractíq; in terram, ac iamiam mactandi erãt, emtos vniuersos dimisit.

Paulo

Paulo pôst quinquaginta remis acta naui vectus, in qua fuisse prædones aiunt, naui in freto quod inter Naxum est & Parum subversa, reliquis submersis, ipse à succurrente delphino sublatus & in Cythnum est delatus ad speluncam, quæ Cœraneum dicitur, atque etiamnum visitur. atque de hoc Archilochum aiunt scripsisse:

De quinquaginta Neptunus Cœranon vnum
Propicius seruat mortalibus.——

Cùm autem postmodò defuncti corpus necessarij prope mare cremarent, multi delphini apud litus apparuerunt, velvti ostentantes se ad persoluendum iusta venire, & dum id conficeretur adfuerunt. Vlissis porrò scutum insigne habuisse delphinum, etiam Stesichorus scripsit: Zacynthij narrant causam, vt Critheus testatur. nam Telemachum puerum in mare profundum de litore prolapsum, delphini seruauerunt, subeuntésque natando extulerunt. & pater vt animali gratiam referret, annulo ac scuto delphinum insculpsit. Sed quando præfatus nihil fabulosi me dicturum, nescio tamẽ quomodo in narratione de delphinis vltra verisimilitudinem provectus sum ad Vlissem & Cœranum: id mihi ipse pœnæ impono, vt finem dicendi iam nunc faciam. Dixi. Vestrum est, iudices, ferre sententias. SOC. Atqui nobis iamdudum ea stat sententia, quam sic extulit Sophocles.

Orationum quæuis discrepantia,
Vtrinque si peritè prolatæ sient,
Cohæret, in mediúmque dicta congruunt.

Nam hoc modo vos etiam in iis quę alter adversus alterum dixit, pulcro defuncti certamine, optimè ea contulistis, quibus refelluntur, qui animalibus rationem & intelligentiam adimunt.

PLVTARCHI
Commentarius De animæ procreatione, quæ in Timæo Platonis describitur.

Pater filiis Autobulo & Plutarcho S.



VANDOQVIDEM censuistis colligenda, & peculiari compræhendẽda cõmentario ea, quæ sparsè vel disseruimus vel scripsimus aliàs alia, quibus Platonis de anima sententiam interpretati sumus ita, vt nobis sensisse is visus fuit: cùm ea disputatio alioqui tractatu difficilis, etiam excusatione opus habeat quia plerisque Platonicorũ nonnihil adversatur, ipsa ego verba de Timæo Platonis proponã. Ea ex natura, quæ indiuidua est, sempérque eodem modo habet: tum ex ea quæ circum corpora diuisioni est obnoxia: tertium quoddam genus intermedium contemperauit, quod etiam inter Eiusdem & Diuersi naturam medio loco intercederet. ac proinde id constituit in medio indiuiduæ naturæ, & eius quæ circa corpus esset diuidua. Hæc deinde tria sumsit, & in vnam omnia ideam siue speciem contemperauit, Diuersi naturam, quæ difficulter miscetur, in Idem vi concinnans. Miscens autem cum natura, vbi ex tribus vnum fecisset: totum hoc in partes, quot esse conveniebat, diuisit: quarum quævis conflata esset ex Eodem, Diuerso, & substantia. Sic autem cepit diuidere. Iamprimùm narrare, hæc quantam interpretibus materiam dissentiendi prębuerit, in præsentia immẽsi esset operis: supervacanei etiam apud vos, qui plerasque sententias legistis. Sed quoniam pręstantissimorũ virorum quosdam Xenocrates ad se pertraxit, animã dicens numerum esse qui à seipso moueatur: alij Crantorem Solensem amplexi sunt, qui animam misceri dixit è duabus naturis, quarum altera mente cernatur, alia opinabilis sit & sensilibus inhęreat: nisi fallor, horum, vbi explicata fuerint perspicuitas, quoddam nobis exordium suggeret. Est autem de vtroque breuis disputatio. Nam priores animam nihil putãt intelligi debere, quàm exortum numeri, indiuiduæ & diuiduæ naturæ mixtione geniti. vnitatem nimirum esse indiuiduam, diuiduam multitudinem: hinc nasci numerum, vnitate multitudinem definiente, terminúmque infinitati imponẽte, quã binarium infinitum appellant. Zaratas quoque *Anima an numerus.*

Pythagoræ discipulus, Binarium vocauit numeri matrem, vnitatem patrem: ideóque meliores numeros eos esse dixit, qui adsimiles essent vnitati. Hunc tamen numerum nondum esse animam. ei enim deesse adhuc vim qua moueat & moueatur. Eodem aũt & Diuerso mixtis, (quorum alterũ motus est & mutationis initium, alterum quietis) animam exstitisse, vim scilicet non minùs sistendi & insistendi, quàm mouendi & motus percipiendi. Crantor, vt qui id maximè proprium animæ officium putaret, iudicare sensilia & sub intellectum cadentia, eorúmq; & inter se in suo et invicem in diuerso genere discrimina atq; similitudines: animã, vt omnia possit cognoscere, ex omnibus ait esse concretam. Esse autem hæc quatuor. naturam quæ mente duntaxat cernitur, semperq; eodem habet modo: tum eam quę corporibus adest mutabilem atq; perpessionibus obnoxiam: ad hæc Eiusdem & Diuersi, quòd etiam istarum vtraq; particeps sit Eiusdem & Diuersi proprietatum. Isti omnes æquè ita sentiunt, animã tempore non esse ortam, neq; originem competere in eam: sed pluribus esse præditam facultatibus, in quas eam Plato contemplationis gratia dissoluens, ponat natam esse & cõmixtam. Eadémq; illum de mundo etiã sensisse: quẽ cùm sciret esse æternum & nunq; ortum, videret autem difficulter considerari posse quo modo compositus esset & gubernaretur, nisi quis ortum eius & causarum ipsum conficientium congressionem ab initio posuisset: isti viæ ac rationi institisse. His ita vniuersè dictis, Eudorus neutrum putat non habere pro se aliquid probabile. Mihi, si probabilitas pro regula iudicãdi sit habenda, vtriq; videntur à Platonis opinione aberrasse: si nõ propria placita cõcinnare, sed consentiẽtia Platonis sententiæ dicere sit propositum. Quippe illa è mente compræhensibili & è sensili natura mixtione quam dicunt, non declaratur quî animæ magis, quàm aliarum quarumvis rerum sit procreatio. Nam cùm ipse mundus, tum quælibet eius pars ex istis duabus constat naturis: quarum hæc materiã & subiectum, illa formam & speciem rei nascenti prębuit. & quidquid materiæ informatum est, participatione atq; adsimilatione intelligibilis (sic enim liceat vocare eam, quę sola mente percipitur) naturæ statim hoc consequitur, vt tangi viderìq; possit. Anima autem omnem sensum subterfugit. Plato quidem animam nusquam dixit esse numerum: sed motum qui seipsum semper cieat, fonsq; sit & principium motus. naturam verò eius numero & harmonia exornarit, subiectam his, formámque in se pulcerrimam recipientem. Puto autem non idem esse, secundum numerum animam esse constitutam, &, naturam animæ esse numerum. nam secundum contentionem (sic harmoniam dico) constituta, harmonia non est anima, vt ipse in Phædone demonstrauit. Liquet autem hos vim Eiusdem & Diuersi ignorauisse, dum alterum quietis, alterum motus causam faciunt: cùm Plato in Sophista Ens, Idem, Diuersum, Motum, Statum, vt quinque numero, & omnia à se invicem differentia posuerit. Quod autem communiter hi, & plerique Platonis sectatorum timentes atque ægrè ferentes, omnia moliuntur, vique pervertunt, putántque tanquam flagitiosam & infandam sententiam debere occultari & negari, quæ mundum eiúsque animam non ex sempiternis constituit principiis, neque infinito tempore talem fuisse affirmat: id peculiari disputatione explicatum est. & nunc tantum satis est dicere, istos concertationem, qua Plato fatetur summa contentione & præter ætatem se vsum adversus eos qui deum esse negant, confundere, aut potiùs totam tollere. Si enim origine caret mundus, actum est de Platonis sententia, qui animam corpore priorem ætate, initium ait motui ac quieti præbuisse intus habitantem, eorúmque ducem & primam effectricem causam fuisse. Quæ autem anima, & quo corpore, cuius anima sit, antiquior fuerit, in progressu orationis aperietur. Hoc enim ignoratum, videtur plurimum invexisse dubitationis, & de fide veræ sententiæ tantundem derogasse. Principio meam de re sententiam explicabo, eique fidem quantam possum faciam probabilitate inducenda, qua id quod alienum plerisque & contrarium receptis videbitur opinionibus excusem. Postea ipsis verbis cùm interpretationem tum demonstrationem accommodabo. Sic enim res habet, vt mea quidem fert sententia. Mundum hunc, Heracletus ait, neque deorum quisquam, neque hominum fecit. metuens scilicet, ne postquam de diis desperauissemus, hominem aliquem mundi opificem fuisse suspicaremur. Præstat itaque Platonis sententiam sequi, atque hoc & dicere & canere, mundum à deo esse factum. nam & mundus omnium operum est pulcerrimum, & deus omnium causarum præstantissima. Substantiam autem & materiam ex qua fa-

ctus

Crantoris opinio.

Refutatio.

De ortu mundi.

ctus est mundus, non natam, sed semper subiectam opifici disponendam se & ordinandam, adque ipsius similitudinem quantum eius fieri potest effingendam præbuisse. Non enim ex eo quod nihil esset exstitit mundus, sed ex eo quod non pulcrè, non rectè aut perfectè esset. quo modo fiunt domus, vestis, statua. Fuit nimirum antequã mundus nasceretur materies, nõ corporis eò, non motus, non animæ expers: sed corpore informi atq; incomposito, temerario & bruto motu præditum. erat autem hoc ipsum inconcinnitas animæ proportione carentis. Etenim deus neq; corpus de incorporeo, neq; animam de inanimo redegit. Sed quo modo virum modorum numerorúmq; musicorum peritum non vocẽ aut motum, sed concinnã vocem, numerosúmq; motum efficere volumus: ita deus neq; corpori vt tangi & resistere, neq; animę vt imaginari & mouere posset indidit: sed vtrumq; sumens principium, alterum obscurum et tenebricosum, alterum turbulentum & amens, ambo imperfecta atq; indefinita, iis ordinandis, digerendis atque concinnandis pulcerrimum & perfectissimum confecit animal. Ergo corporis natura alia non est, quàm quæ ab eo omnium receptaculum, sedes, nutrixque dicitur rerum ortarum. Animæ autem naturam in Philebo appellat infinitatem, vtpote numeri & rationis priuationem, & in qua defectus, abvndantiæ, differentiæ, dissimilitudinis nullus terminus insit, nulla mensura. In Timæo autem cùm dicitur indiuiduæ commixta naturæ, & quæ circa corpora versans diuidua appelletur: neque multitudo vnitatum aut punctorum intelligi debet, neque longitudines aut latitudines: quæ corporibus conveniunt, & corporum magis sunt quàm animæ. sed incompositum, infinitum, seipsum mouens & præditum mouendi facultate principium illud, quod sæpe necessitatem, in Legibus autem palàm animam inordinatam dixit & maleficam. Ipsa enim ex sese natura talis erat: mentem autem & rationem harmoniámque solertem nacta est, vt fieret mundi anima. Nam omnium capax illa materies magnitudinem, intervallum, spaciúmque habebat: pulcritudine, specie, formarúmque mediocritate indigebat. adepta autem ea est, dum ita exornata fuit, vt terræ, maris, cœli, stellarum, plantarum, animaliúmque omnis generis corpora & instrumenta exsisterent. At qui necessitatem quæ in Timæo dicitur, in Philebo infinitas atque mensuræ vacuitas ob exsuperantiam & defectum, materiæ non animæ adscribunt: quo pacto id defendent, quòd materiam idem semper informem, omnis qualitatis & facultatis propriæ vacuam asserit, similémque ait esse olei odoris expertis quo ad tingendum vtantur vnguentarij. Fieri enim nequit, vt quod suaptè natura qualitatis exsors, ociosum, & informe est, id Plato causam mali principiúmque ponat, vocétque infinitatem turpem ac maleficam, rursúsque necessitatem frequenter deo repugnantem & frænos excutientem. Causa mali. Illa enim, quæ (vt in Politico ait) cœlum in contrariam torquet partem necessitas & innata cupiditas, & illius priscæ naturæ vnà quasi educata confusio, antequam in hunc mundum veniret, vndenam in res invecta est: si subiectum qualitate carebat, materies nullam vim causæ habens, opifex autem bonus ipse, omnia sibi quantum res ferret similia voluit facere: nihil enim est tertium. Nam hæc in Stoicorum delabemur angustias, qui malum ex non ente absque causa & procreatione introducunt: quando de his quæ sunt, neque bonum neque qualitatis vacuum probabile est substantiam & originem malo præbuisse. Cæterùm Platoni non accidit idem quod posterioribus, neque neglecta (quod his vsu venit) tertia facultate & principio quod inter materiam & deum est medio loco, admisit absurdissimum illud commentum, quod nescio quomodo malorum naturam alivnde irrepsisse per accidens & casu fingit. Sanè Epicuro ne momentaneam quidem atomi inclinationem concedunt, quòd eum dicant motum absque causa ex non ente introducere. ipsi maliciam, tantúmq; miseriarum, aliásque circa corpus infinitas incommoditates & difficultates, quarum nulla in principiis causa sit, ex consecutione quadam aiunt exstitisse. Non ita Plato. sed cùm materiam omni discrimine liberasset, deúmq; à malorum causa quàm longissimè collocasset, hæc in Politico scripsit de mundo. Is enim ab eo qui ipsum composuit, omnia est adeptus bona. quæ autem molesta & iniusta fiunt in cœlo, cùm ipsum ab externo habitu habet, tum in animalibus etiam efficit. ac paulo pòst. Progressu autem temporis, obliuione ei obrepente, magis adhuc obtinuit priscæ inconcinnitatis morbus, periculúmque est, ne dissolutus rursum subeat infinitum dissimilitudinis locum. Dissimilitudo autem non est in materia, quæ caret qualitate & differentiis. Quod cum

aliis multis ignorans Eudemus, Platonem subsannat, quasi hic dum sępenumerò matrem & nutricem rerum vocat materiam, etiam malorum causam, radicem, principium dixerit. Plato enim matris nutricisque nomine materiam afficit: causam autem malorum eam vim, quæ materiam mouet, & circa corpora est partilis, inordinata, bruta, non tamen animæ exsors motio, facit. quam in Legibus, vt dixi, animam vocat cõtrariam & adversantem beneficæ. Anima enim causa est & principium motus: mens, ordinis & consonantiæ in motu. Neque deus materiam ociosam constituit: sed stabiliuit à bruta turbatam causa. neque principia mutationis & affectionum indidit naturæ: sed cùm ea omnis generis motibus atque affectionibus inordinatis exagitaretur, magnam illam infinitatem prauitatémque exemit, instrumentis vsus harmonia, proportione, & numero: quorum opus est, non mutatione & motu diuersitates & discrimina in rebus efficere: sed ea potius stabilia, certa, & eorum quæ eodem semper sunt modo similia reddere. Atque hæc est, mea quidem opinio vt fert, Platonis sententia. Demonstratio autem prima erit, si ea, in quibus ipse sibi dicitur ac putatur cõtraria dixisse, expediamus. Nam ne sophistæ quidem ebrio, ne dum Platoni tanta imputanda sit perturbatio & inconstantia, ea in disputatione quam summo studio tractauerit: vt eandẽ naturam simul & nunquam natam, & ortam dicat. quorum hoc in Timæo, illud in Phœdro aiunt exstare. Verba quidem de Phœdro omnibus ferè in ore sunt, vbi quòd anima non sit genita, ex eo probatur quia se ipsam mouet: & quòd non interitura, ex eo quia non sit genita. In Timæo, Animam verò, inquit, non vt nunc posteriorem conamur dicere, ita etiam deus machinatus est corpore iuniorem. non enim siuisset maius natum cum natu minore copulatum ei parêre. sed nos, quibus multum temeritatis ac fortuiti adest, sic etiam loquimur. ille autem & ortu & virtute priorem animam corpore, tanquam dominam & obtemperanti imperaturam condidit. Et rursus, cùm dixisset, ipsam in seipsa conversantem vitæ perennis & sapientis initium diuinum fecisse. Corpus inquit, cœli factum est adspectabile, anima autem quæ videri nequeat, sed rationis sit & harmoniæ particeps, à præstantissimo intelligibilium sempérque manentium ipsa rerum natarum præstantissima facta. Hîc deum rerum sempiternarum præstantissimum, animam rerum factarum optimam dicens, manifestissimo discrimine & oppositione vsus, æternam & non ortam naturam animæ ademit.

Platonis dicta conciliantur.

Quomodo ergo hæc meliùs explicabuntur, quàm ea ratione, quam accipere volentibus ipse tradit. Ortus enim expertem ait eam animam, quæ ante mundi ortum omnia vitiosè & confusè mouit. rursum ortam & natam eam, quam deus ex hac & stabili optimáque illa natura prudentem ordinatámque confecit, & tanquam formam sensili intelligibilem, mouenti ordinatam præbens, ducem Vniuersi constituit. Hoc enim modo etiam corpus mundi alicubi generatum, alicubi non genitum ponit. Cùm enim dicit omne quod sub adspectum cadit non quieuisse, sed cùm inordinatis cieretur motibus, deum id sumsisse & concinnasse: item quatuor hæc genera, ignem, aquam, terram, & aërem, antequam Vniuersum iis dispositis conficeretur, motum intulisse materiæ, ab eáque ob inæqualitatem fuisse concussa: equidem corpora facit quæ alicubi fuerint ac substiterint ante mundi originem. Rursum corpus anima posterius dicẽs, & mundũ esse factum, quia videri & tangi possit, quia corpus habeat, talia aũt ostensum sit orta & nata esse: nemo nõ videt eum corporis naturę ortũ adscribere. Verùm perlongè ab eo abest Plato, vt secũ ipse palàm dissentiat, ac pugnãtia dicat de rebus maximis. Non enim eodẽ modo, neque idẽ corpus à deo factũ ait, & fuisse antequam nasceretur. hoc enim palàm esset præstigiis vti. Sed quid intelligendum sit vocabulo ortus, ipse docet. Antehac, inquit, omnia ratione & ordine carebant. verùm vbi deus aggressus est digerere vniuersum, ignem primùm, aquam, terram & aërem: (quæ vestigia quidem suarum formarum aliqua habebant, ita tamen affecta erant, vt par est vniuersum esse à quo deus absit) hæc ergo primùm conformauit specie & numero quodque suo. Etiam antè cùm dixisset, non vnius, sed duarum proportionum opus fuisse molem Vniuersi solidam ac crassicie præditam constringere, explicauissétque igne, terra, aqua, & aëre in medio positis deum cœlum constrinxisse atque constituisse: ex his, inquit, talibus & numero quaternario contentis, corpus mundi natum est, proportione consentiens: atque hinc amicicia ea præditum, vt ipsum in sese conveniens, dissolui ab aliis rebus, eo excepto qui colligauit, nequeat. quibus verbis manifestissimè docet, non corporis simpliciter, non molis, non mate-


materiæ, sed concinnitatis in corpore, pulcritudinis, similitudinisque deum fuisse patrem & opificem. Hæc cogitanda sunt etiam de anima. nimirum aliam neq; à deo esse procreatam, neque animam esse mundi, sed facultatem imaginatricis & opiniosæ, brutæ interim incompositæq; motionis & incitationis, quæ seipsam, idque semper, moueat. aliam esse, quam deus convenientibus numeris rationibúsque conditam ac genitam, principem nato mundo indiderit atque præfecerit. Hæc illum sensisse, & non dicis causa commentum cùm ipsius mundi, tum animæ constitutionem quandam, ortúmque, præter multa alia hoc etiam arguitur, quòd animam aliàs non genitam, aliàs genitam, vti docuimus: mundum semper ortum & natum, nunquam non natum, nunquam sempiternum dixit. Quæ in Timæo disputat, quid attinet huc afferre? cùm is liber totus à capite ad calcem de mundi ortu sit. Aliàs in Athlantico Timæus vota faciens, nominat eum deum qui olim opere, nunc ratione exstet. in Politico Parmenideus hospes mundum à deo compositum multa ait bona esse adeptum, si quid habet vitiosum aut incommodum, id ex admixto priore habitu inconcinno & bruto habere. In Repub. de numero disserere orsus Socrates, quem nonnulli Coniugium vocant: Est autem diuinæ, inquit, naturæ progenitæ sua conversio, quæ numero perfecto compræhenditur. hæc quidem diuinam naturam progenitam nihil vocans aliud, quàm mundum. *

* * *

ternarij & quaternarij: tertia quinarij & senarij (quarum nulla vel per se, vel cum reliquis coniuncta quadratum numerum facit): quarta est septenarij & octonarij. quæ reliquis adiecta, XXXVI conficit, quadratum numerum. Illa autem tetractys (si quaternionem dicere libet, liceat) numerorum à Platone expositorum, perfectiorem habet procreationem, vbi pares paribus, impares imparibus intervallis multiplicantur. Continet autem vnitatem, commune principium parium & imparium. deinde duo & tria, qui primi sunt eorum quos planos seu superficiem referentes dicunt. tum quatuor & nouem, primos quadratos. denique octo & vigintiseptem, qui primi in numeris (vnitate posthabita) sunt cubi. vnde etiam liquet eum numeros istos non voluisse in vna recta linea disponi, sed duobus ordinibus, quorum vnus pares, alter impares cōtineret. sicvti subscripsimus.

	3	9	27
1			
	2	4	8
	5	13	35

Ita copulabuntur scilicet similes cum similibus, producéntque numeros planos & compositi inter se, & multiplicati. Compositione sic. II & III, sunt V. IX & IV, sunt XIII. IIX & XXVII, sunt XXXV. De his enim Pythagorici quinarium trophon, id est sonum appellauerunt, rati de tonorum intervallis quintum primum esse, quod sonari possit. XIII autem lemma iis dicitur, quasi defectus: quòd de partitione toni in æquales partes desperauissent. XXXV autem harmoniam (siue ea concinnitas, siue est contentio) vocant, quia conflatur è duobus cubis primis paris & imparis numeri: itémque è quatuor his numeris, VI, IIX, IX, XII, quibus & arithmetica & harmonica includitur proportio, quam progressionem cum vulgo appellamus. Horum vis magis erit conspicua, si descriptionem proponamus.



Esto parallelogrammum rectangulum A B C D, cuius latus A B quinque, latus A D septem sit punctorum. Secetúrque A B in duo & tria puncta, vbi est punctum K: latus A D in tria & quatuor, puncto L. ducantur porrò à punctis sectionum lineæ paralleli lateribus, vt K M N, & L M O, quæ se in puncto M invicem secant. Ita figura K M B O continebit areolas nouem, L M N D octo, M O C N duodecim, A L M K sex: Totum autem parallelogrammum XXXV, numeris areolarum quas continet, primarum consonantiarum rationes proponit. Nam VI & IIX sesquitertiam habent rationem, quæ est in consonantia diatessaron siue Quarta. VI & IX sesquialteram rationem constituunt, quæ est consonantiæ diapente seu Quintæ propria. VI & XII duplam rationem conficiunt, quæ est consonantiæ diapasōn seu Octauæ. quin & toni proportio inest, sesquioctaua nimirum, vt


IX ad VIII. Ideo numerum qui hos omnes continet, harmoniam appellauerunt. Idem XXXV numerus sexies acceptus, CCX efficit: quot diebus septimestres fetus absolui traditur. Rursum nouo sumpto initio, multiplicando binarius in ternarium, producit senarium. quater nouem sunt XXXVI. octies vigintiseptem, fiunt CCXVI. De his numeris, sex perfectus est, æquátque omnes suas partes: dicitur etiam Coniugium, ob paris cum impare mixtionem. ad hæc, constat è principio numerorum, primo pari, & primo impari. XXXVI primus est qui simul & quadratus sit & triangulus: quadratus senarij, triangulus ab octonario. idem nascitur è duorum quadratorum vnius in alterum multiplicatione, IV in IX. itémque trium cuborum summa est, vnitatis, IIX, & XXVII. præterea facit parallelogrammum alteram dimensionem longiorem habens, ter duodecim, aut quatuor nouies sumtis. Proinde expositis numeris laterum, quadrati senario, trianguli octonario, & parallelogrammorum altero IX, altero XII, conficientur rationes consonantiarum. Nam XII ad IX ratio, diatessaron exprimit, vt est chorda ima seu nete ad mesen siue mediam. XII ad IIX, diapente, vt media ad summam seu hypatam. XII ad sex, diapason, vt imæ ad summam. CCXVI cubus est senarij, suo ambitui æqualis. Iam cùm hæ sint proprietates dictorum numerorum: id peculiare habet XXVII, qui vltimus est, quòd præcedentium omnium summam continet. Idem dierum quibus Luna suam conversionem absoluit numerus est. Pythagorici de intervallis ad concentum pertinentibus tonum eo notauerunt. ideóque XIII vocant defectum, quod vnitate à dimidio abest. Neque verò obscurum est, quin in hisce numeris etiam consonantiarum rationes insint. Nam duo ad vnitatem duplam habent rationem, qua refertur diapason. sesquialterà ternarij ad binarium, qua diapente. quaternarij ad ternarium sequitertia, qua diatessaron. IX ad III triplam habent proportionem, qua diapason cum diapente, seu Duodecima quam vocant. IIX ad II quapruplam, qua disdiapason seu Decimaquinta. IX ad IIX sesquioctauam, qua tonus. Iam si vnitas promiscuè & paribus adnumeratur, & imparibus: vniuersus numerus denarij suppeditabit multitudinem. Nam ab vnitate collecti quatuor primi numeri, decem conficiunt. * rursum hi pares numeri, I. II. IIII. VIII. quindecim componunt, trigonorum in ordine quintum. & quod ad imparium seriem attinet, numerus XL ex iis consit, additis XIII ad XXVII. his enim duobus mathematici concinnè metiuntur intervalla ad cantum apta: dum diesin illo, hoc tonū describunt. Idem numerus XL multiplicando fit, ex vi illius quam diximus tetractyos. Nam si primos quatuor numeros, vnumquenque sumas quater, provenient IV, IIX, XII, XVI. quorum summa est XL, in qua continentur omnes consonantiarum proportiones. quippe XVI sesquitertia sunt ad XII ratione, dupla ad VIII, quadrupla ad IV: XII ad VIII, sequialteram proportionem tenent, ad IV triplam. His autem rationibus intervalla diatessaron, diapente, diapason, diapason cum diapente & disdiapason continentur. Idem numerus XL conficitur duobus primis quadratis, I & IV, ad duos primos cubos IIX & XXVII additis. quo efficitur, Platonicam tetractyn multò esse Pythagorica & perfectiorem & locupletiorem. Sed cùm hi quos posuimus numeri spacium non dent medietatibus quas vocant, quæ in rem propositam introducuntur: necesse fuit maiores terminos iisdem in proportionibus sumere. qui verò ij sint, dicendum est. Priùs autem dicemus de ipsis medietatibus. Harum vna est, in qua positis tribus terminis numerorum, medius æquali quantitate alterum extremorum superat, ab altero superatur: arithmeticam vocant, cui subcontraria est, in qua totidem terminis positis, intervallorum eadem est proportio ad extrema. Termini arithmeticæ sunt VI. IX. XII. nam IX eadem quantitate excedunt senarium, & deficiunt à duodenario. Subcontrariæ termini sunt VI. IIX. XII. Octonarius senarium binario superat, quaternario superatur à duodecim. sed & binarius senarij, & quaternarius duodenarij est triens. Ergo in arithmetica medius terminus excedit exceditúrque æquali quantitate. in subcontraria autem eadem parte extremorum, alterum superat, ab altero abest. illic enim ternio medij est triens: hæc duo & quatuor sunt extremorum trientes. vnde nomen subcontrariæ invenit. Eadem harmonica dicitur, quòd primas consonantias suis terminis exprimat: maximo ad minimum, diapason: maximo ad medium, diapente: medio ad minimum, diatessaron. vt si maximum terminum ad netam colloces, medius

1
2 3
4 9
8 27


Hæc sensum, nō versa sequi cogebar.

De medietatibus siue progressionibus.

medius mesæ obtingat: & hæc cum maximo diapente, cum minimo diatessaron sonet. itaque VIII ad mesen, VI ad hypaten, XII ad hypaten pertinebunt. Modum porrò huiusmodi medietates inveniendi simpliciter & perspicuè Eudorus tradidit. Idque priùs in arithmetica consideremus. Si exponas extremos, & horum semisses coniungas, quod confit, medius erit, siue dupla sit siue tripla extremorum ratio. Iam in subcontraria, si extremorum dupla sit ratio, triente minoris cum semisse maioris composito medium invenies. in tripla contrà minoris semissis cum maioris triente medium conficient. Sint enim termini proportionis triplæ extremi VI & XIIX: ergo minimi semissis III, maximi triens VI coniungantur, exsistet IX, medius, qui eadem parte extremorũ & excedit & exceditur. Hoc ergo modo medietates inveniũtur. Oportebat porrò eas inseri suprà expositis numeris, & duplorum ac triplorum intervalla iis expleri. Atqui eorũ numerorũ quidam nullã omninò habent intercapedinem, quidam non satis amplam. Igitur multiplicant eos ita, vt spacia medietatibus recipiendis habeant sufficientia quas diximus. Primùm loco vnitatis minimum ponunt senarium, quòd is semissem trientémque habet primus: ac proinde reliquos omnes qui sequuntur, sescuplos ponunt. sicut ex descriptione apposita apparet: vtrasque enim medietates duplicibus intervallis recipiunt. Cùm aũt dixisset Plato: iam cùm intervalla sesquipla, sesquitertia, & sesquioctaua exstitissent, ex his cõpagibus in prioribus intervallis omnia sesquitertia sesquioctauis cõpleuit, vnicuiq; particulã relinquẽs. cui9 particulæ interstitiũ adsumtũ facit rationẽ quæ est numeri ad numerum, vt termini sint CCLVI & CCXLIII. ob hæc ergo Platonis verba coacti sunt numeros denuò augere. Oportebat enim continẽter deinceps post senariũ poni duos sesquioctauos. at neq; octauam partẽ habet senarius, & si in scrupulos vnitatũ comminuere velis rationem, perplexissima futura sit contẽplatio. Hæc ergo ipsa res multiplicandi adhibẽdum auxilium dictauit: vt tanquam in harmonica mutatione secundũ primi numeri incremẽtum tota augeretur descriptio.




Eudorus itaq; Crãtorem secutus, primum numerũ posuit CCCXXCIV: qui fit VI in LXIV multiplicatis. huc eos induxit, quod numerus LXIV habet sesquioctauũ LXXII, isq; rursus hunc XXCI. Iis verò quę à Platone dicuntur magis concinit, vt dimidium ponamus. Nam si CXCII primo loco ponamus, lemma seu defectus post sesquioctauos erit inter numeros ab eo positos CCLVI & CCXLIII. si verò illius duplus CCCXXCIV primo loco ponatur, lemma eadem ratione quidem, sed duplum tamẽ numero efficietur. Alioqui vt IↃXII ad CCCXXCIV, ita etiã CCLVI ad CXCII, proportionem seruant sesquitertiam. Neq; absurda est ad hunc numerum reductio: atq; adeò etiã Crantoris sententiæ rationem adfert. Nam LXIV cùm cubus est primi quadrati, tum quadratus primi cubi. isq; multiplicans ternariũ, qui inter impares, inter triangulos, inter sesquiplos ac perfectos est primus, CXCII gignit, numerũ qui sesquioctauum sui respectu alium habet, vt ostendemus. Priùs aũt lemma quid sit, & sententiam Platonis magis perspicietis, si ea paucis in memoriam vobis redigantur, quę in Pythagoricis scholis assolent disseri.



In cantu intervallum vocatur, quidquid continetur sub duobus sonis inæquali tenore differentibus. Horũ vnum est is qui tonus dicitur, quo Quinta Quartã superat. Hunc tonum harmonici in partes diuidi æquales putant posse, quarum vtranq; semitonium appellant. Pythagorei desperata in æquales partes sectione, min9 segmentorum eius lemma vocant, quòd dimidium toni nõ impleat. Itaque illi diatessaron duorum tonorum & semitonij summa definiunt: hi totidem tonorum & lemmatis. Testimonium ferre videtur harmonicis sensus, mathematicis demonstratio. Res ita habet. Sumtum hoc est, & in instrumentis obseruatum, diapason dupla constare proportione, diapente sesquialtera, diatessaron sesquitertia, tonum sesquioctaua. Idque explorare etiamnum licet, si aut duo pondera proportione dupla de neruis suspendantur

De toni diuisione.

duobus, aut de duabus æquali cauitate tibiis alterā dupla alterius longitudine facias. maior enim tibia grauiorem sonum edet, qualis hypatæ ad netā: de fidibus quæ duplo intenditur pondere, acutiùs ꝙ altera sonabit, vt nete ad hypatam. id aũt est diapasôn. Eodē modo si tria ad duo sumantur pondera, quæ est sesquipla ratio, diapēte reddent: & si quatuor ad tria, quæ est sesquitertia, diatessaron. ꝙ si ea inæqualitas lōgitudinum aut ponderum fuerit, quæ est nouem ad octo, intervallũ toni fiet, non consonantibus sonis, sed nonnihil tamen habens modulationis, quatenus soni seorsim editi suaue & iucundum sonant, simul aũt, asperè & molestè. in consonantiis siue alternis, siue simul nerui pulsentur, suauiter sensui accidit sonorum cōcentus. Quin etiam rationibus hoc demonstrant. Nam vt in harmonia è diapente & diatessaron conflatur diapasôn, ita in numeris dupla ratio ex sesquialtera & sesquitertia. quippe XII ad IX sesquitertiam, ad IIX sesquiplam rationem obtinēt, ad VI duplam. Composita ergo est dupla ratio è sesquialtera & sesquitertia, sicvt diapasôn è diapēte & diatessaron. Sed vt hîc diapēte tono amplius habet ꝙ diapente: ita ibi sesquialtera sesquioctauo sesquitertiā excedit. Apparet ergo diapasôn dupla, diapente sesquialtera, diatessaron sesquitertia, tonũ sesquioctaua ratione intelligi. Hoc ita demonstrato, videamus an sesquioctaua ratio diuidi in æquales possit partes: nam si nequeat, tonus etiā nequibit. Primùm numeri qui sesquioctauā rationem continent IIX & IX, nullũ in medio admittunt interstitium. Quòd si vterꝙ duplet̄, duo intervalla efficit is qui inter duplos intervenit. is est XVII, dupli XVI & XIIX. liquet aũt si æqualia sint intervalla, in æqualia diuiduā fore sesquioctauā rationē. at inæqualia fiũt, alterũ sesquisedecimum, alterũ sesquiseptendecimum. Ergo inæqualiter secatur sesquioctaua, ac proinde etiā tonus. neutra ergo diuisi toni portio semitoniũ fit, & mathematici rectè lemma appellauerũt. Atꝙ hoc est quod Plato dicit, deum sesquitertia sesquioctauis explentē, lemma reliquisse, cuius ratio sit in numeris CCLVI & CCXLIII. Sumatur enim diatessaron in duobus numeris, quorũ alterũ eiúsꝙ trientē alter cōtineat, vt sunt CCLVI & CXCII, quorũ minor grauissimæ voci quatrichordij adscribatur, maior acutissimæ. demōstrabimus duobus interiectis sesquioctis, relinqui tale lemma seu intervallũ, quale in numeris est inter CCLVI & CCXLIII. Grauiore enim voce vno tono cōtentiore facta, fiēt CCXVI. rursum tono sursũ eleuata, CCXLIII. Hæc XXVII numero excedũt numerũ CCXVI. atꝙ hic XXIV amplius est ꝙ CXCII. sunt aũt XXVII octaua pars de CCXVI, itémꝙ XXIV de CXCII. itaꝙ de his tribus numeris maximus ad mediũ, medius ad minimũ sesquioctauus est: & intervallum à minimo ad maximum duobus tonis conficitur, quos absoluunt duæ octauæ partes, vna post alteram additæ. His remotis, totius sesquitertiæ inter extremos rationis nihil aliud superest, quàm intervallum inter CCXLIII & CCLVI. nimirum XIII. ideóꝙ hunc numerũ lemma, quasi defectũ dixerũt. Atꝙ ego quidem his numeris sententiam Platonis evidentissime expositam arbitror. Alij



terminos consonantiæ assignantes, acutum numero CCXXCIIX, grauē numero CCXVI, reliqua eodē modo cōficiunt, nisi quod lemma medio inter duos tonos loco cōcipiunt. Grauiore enim voce vno tono ad acutiorē contēta, fiunt CCXLIII. Acutiore aũt ad vnum tonum remissa seu depressa, CCLVI. porrò CCXLIII ad CCXVI rationē habēt sesquioctauā, eādémꝙ CCLXXXVIII ad CCLVI. vt vtrobique toni sit intervallũ. & relinquitur id, ꝗd interest inter CCLVI & CCXLIII, nō iam semitoniũ, sed eo minus aliquid. CCLXXXVIII enim numero XXXII amplius sunt ꝙ CCLVI. & CCXLIII numero XXVII excedunt numerũ CCXVI. at CCLVI maior est ꝙ CCXLIII, quo XIII plus habet. Atqui vtroꝙ excessuũ, qui erāt XXXII, & XXVII, minor est numerus XIII. Itaꝙ diatessaron cōstare deprehēsum est nō duob⁹ tonis & semisse toni, sed duob⁹ tonis & lemmate. Atꝙ horũ quidē hæc est demōstratio. Id aũt ex prędictis intelligi facilè potest, cur Plato, cùm dixisset sesquialtera, sesquitertia, & sesquioctaua fieri intervalla, dum sesquitertij sesquioctauis interiectis explētur: nullam sesquialterorum fecerit mentionem, sed ea omiserit. nam sesquitertia proportione ad sesquioctauam addita, conficitur sesquialtera. His ita demonstratis, quomodo impleātur intervalla & inserātur medietates, etiāsi nemo iā antè cōmostrasset

tamen

tamē vobis exercitationem hanc reliquissem. nunc cùm multi iiq́ præclari viri id absoluerint, Crantor maximè, Clearchus, & Theodorus Solenses: pauca de eorum dissidio dicere non abs re fuerit. Theodorus enim non, vt illi, duas series instituens, sed in vna linea deinceps duplos triplósq́ exponens, primùm nititur naturæ illa quam vocant fissura, duas faciēte ex vna, non quatuor ex duabus partes. Deinde, inquit, medietatum insertiones ita convenit spacium nancisci: aliàs perturbatum confusúmq́ rem iri, ac traiectiones exstituras in primum statim triplum ex primo duplo qui impleant * vtrunq́ * Crantorem tuentur collocationes numerorum, planos planis, quadrata * quadratis, cubos cubis adversos collocantes atque coniugantes: vtq́ non ordine sumantur, sed alternis pares & plani *

* * *

semper eodē modo habens, vt forma & species. alterū quod circa corpora diuiduum, tanquā receptaculum & materiam. mixturam aūt ex omnibus communē confectam. Substantiā proinde quæ diuidi non potest, & semper eodem modo se habet, nō intelligendum est paruitate (quod fit minimis corporibus) diuisionem subterfugere. Simplicitas enim eius, affectionum vacuitas, puritas, & formæ vnitas, indiuidua dicitur & impartilis: quibus illa etiam cōposita, diuidua, & varia quodammodo attingens, multitudinem eorum tollit, habitúmq́ vnū quēdam iis ob similitudinem infert. Quæ verò circa corpora versans diuisionem admittit, eam si quis materiam nominare velit, vt naturam priori subiectā, eiúsq́ participem: is vocis ambiguæ vsu, nihil interim nostræ disputationi officiet. Qui verò materiā corpoream misceri cum indiuidua volunt: errant. *Materia.* Primùm in eo, quòd nullo corporeæ materiæ nomine hæc vtitur Plato: quā aliàs receptaculum, omnium rerū capacem & nutricem solet dicere, non circa corpora diuiduam, sed ipsam corpus quod in singularia diuidatur. Deinde, quid intererit inter mundi & animæ procreationem, si vtrumq́ ex materia & intelligibilibus est cōstitutum? Ipse quidem Plato quasi abominans animæ ex corpore ortū, ait intus in ipsa corporeum fuisse à deo collocatum, forísq́ ab illa occultatum. cúmq́ totam animā ratione absoluisset, deinde argumentum de materia proponit, qua antè, cùm animam crearet, nihil opus habuerat, vtpote sine materia natam. Similia horum in Posidonium dici possunt. Nam is quoq́ non longè à materia animā remouit: sed Platonis verba sic accipiēs, substantiam terminorum seu extremitatum circa corpora esse diuiduam, eámq́ cum intelligibili miscens, animam pronunciauit esse ideam eius quod vsquequaq́ dimensiones habet, ratione numeri constitutam, qui harmoniam cōtineat. Nam mathematica in medio primorum intelligibilium & sensilium esse collocata: & cùm anima perpetuitatem intelligibilium, ac sensilium facultatem ad percipiēdas affectiones habeat in se: par esse, vt eius natura in medio sit. Nimirum & hūc latuit, deum corporum extremitatibus postmodò demum, iam anima absoluta vsum ad conformandam materiam, cùm dissipationi obnoxiam & vinculis carentem molem definiret ac includeret superficiebus, quæ è triangulis erant concinnatæ. Absurdius etiam hoc, quòd animam ideam facit. cùm idea sit immobilis, mobilis admodum anima. & illa cum sensili nihil habeat cōmercij: hæc in corpora inclusa sit. ad hæc deus ideam vt exemplar fuerit imitatus, animā vt opus opifex confecerit. Quòd aūt Plato animam non ponat numerum esse, sed ordinatam ratione numeri, iam antè dictū est. Adversus vtrosq́ illud commune est argumentum, φ neq́ extremitatibus neq́ numeris vllum inest vestigiū illius facultatis, qua res sensiles anima iudicat suapte natura. Mentem quidē ei, & mente sola cernendarum rerum notiones communicatio principij intelligētia sola percipiēdi inseruit. opiniones aūt, & persuasiones, imaginationes, & affectiones à qualitatibus corpori inhærētibus profectas, ne cogitari quidē potest ex vnitatibus, lineis, aut superficiebus simpliciter esse innatas. *Anima neq; terminus, neque numerus.* Et verò non modò mortaliū animæ vim cognoscendi per sensus habent. sed ipsam quoq́ mundi animam ait ipsam in se revolutam, vbi aliquid attigit substantia præditum dissipabili, aut etiā indiuidua, hoc ipsam per se ipsam totā sese cōmouēdo narrare, quaten⁹ idē sit isthuc, quatenus diuersum, & cuius respectu maximè, quā, & quomodo sit affectū substātiæ aut motus ratione. In his cùm decē prędicamentorū aliquā posuisset notationē: magis adhuc idē declarat in iis quę sequunt̄. Ratio, inquit, vera vbi de sensili concepta est, & circulus Diuersi rectà ꝑficiscēs in totā animā de eo nunciū affert: opiniones nascunt̄ & ꝑsuasiones verę atq́ cōstātes. Cùm aūt in iis vertit̄, quę intelligētię sunt, & Eiusdē circulus valde agilis ista significauerit, necessariò sciētia absoluit̄. Hęc aūt duo in qua re ingenerātur, si quis eā aliud

» quicquam dixerit quàm animam, quidvis potiùs quàm verum dixerit. Vnde aūt hic sensilia appręhendendi, & opinandi motus diuersus ab intelligēte illa, & in scientiam desinēte animæ motione obtigerit, dici nō potest: nisi hoc firmiter cōstituamus, nunc Platonē non vniuersę animam, sed mundi animā componere è subiectis, nimirū è natura præstātiore & indiuidua, atq; è deteriore, quā ipsam circa corpora diuiduā appellauit, nō diuersam à motione opiniosa, imaginatrice, & quā sensilia afficiāt: & quæ nō sit nata, sed perpetuò substiterit, vt etiā altera. Natura enim quę intelligēdi habuit vim, habuit etiā opinandi. Verùm illa quidem motui non obnoxia, non affectioni, innixa fuit rebus semper eodē modo manētibus. hæc aūt diuidua & vaga fuit, vt quæ in motu versantē, dissipabilémq; incidisset in materiā. nam neq; sensili naturæ obtigerat ordo, sed informis erat atq; indefinita: & facultas ei addicta neq; opiniones probè distinctas, neq; motiones omnes ordinatas ꝑcipiebat: sed plerasq; somniorū similes, temerarias, & quę tumultū corporeę facultati adferrent, nisi fortuitò in idē cū ratione incidissent. erat enim in medio amborū, naturámq; habebat cū vtrisq; cognatā atq; cōsentientē, vi sentiendi materiā appræhendēs, iudicio vim intelligentē. Atq; hoc ipse poenè disertis verbis declarat. Mea, inquiēs, hæc est, vt verbo dicā, sententia, fuisse ante o-
» riginē cœli tria hæc seorsim, Ens, Spaciū, Ortum seu procreationē. Spacij enim vocabulo adficit materiā, vt & sedis, atq; aliàs receptaculi. Ens aūt vocat, id quod sola mēte percipit, seu intelligibile: Ortū mundi nondū nati substantiā, nulla sitā alia in re, quàm in mutationibus & motibus, inter informās atq; informatū medio loco ordinatā, atq; effigies eorū quæ ibi sunt huc transmittentē. Ergo cùm ob hæc animā hanc diuiduam dicit, tum ꝙ sensili sentiēs, & imaginabili imaginās vis necesse est comitet, eiq; adhæreat. Nā vis sentiēdi animæ propria, mouet secundū id ꝗd foris sentitur. Mens ipsa per se stabilis erat, & motus expers: insita animæ, in eámq; nacta imperiū, in seipsam convertit, circularémq; conficit motū, ea quæ ita sunt vt semper sui maneāt similia potissimùm attingens. Itaq; etiā tēperatu difficilis fuit eorum cōmunio, quæ indiuiduo diuiduum, nusq; mobili vsquequaq; mobile misceret, ac Diuersa in Idē congredi cogeret.

Eiusdem & Diuersi cōgressus.

Nō erat enim ipse Motus Diuersum, (vt ne Idē quidem erat quies) sed initium discriminis & inęqualitatis. Vtrunq; enim ab altero principiorū orit: Idē ab vnitate, Diuersum à binario. Atq; hęc primùm in anima fuerūt cōmixta, numeris & proportionibus colligata & medietatibus harmonicis. Efficitq; Diuersum Eidē insertū differentiā, Idē in Diuerso ordinē: quod manifestū est in primis animę facultatibus, iudicādi scilicet & mouēdi. Motus statim in cœlo demōstrat Diuersitatē in Idētitate, revolutione errātiū stellarū: & in diuersitate identitatē ordinę earundē. In his enim prævalet Idē. Cōtrà in iis quę ponè terrā sunt. Mot⁹ aūt principia habet duo. mentē ab Eodē ad Vniuersalia, & sensum à Diuerso ad singularia. Ratio ex vtrisq; mixta est, quę fit intelligentia in intellectui subiectis, opinio in sensilibus: vtiturq; instrumētis interim & visis ac memoriis, quorū alia in Eodē Diuersum, alia Idē in Diuerso efficiūt. Est enim intelligētia motio facultatis intelligētis circa id ꝗd permanet: opinio aūt permāsio eius ꝗd sentit circa id quod in motu est. Visum aūt (hoc phantasiā dico) cōplexum opinionis cum sensu, cōstituit in memoria Idē. Diuersum verò id rursus mouet in discrimine præteriti ac præsentis, simul diuersitatem & identitatē attingens. Cæterùm oportet eam contēperationē, qua corpus mundi conflatū est, adsciscere ad exemplū proportionis, secundū quā fuit anima concinnata. Ibi enim erat purus ignis, & terra, quæ inter se cōtemperari difficulter possent suapte natura, immò mixturā omnino & cōpositionem refugerent. itaq; inter ea medio loco ponens aërem igni, aquam terræ propiorem, isthæc primùm commiscuit, deinde horū opera etiam illa cum his & inter se contemperauit cōcinnauítq; deus. Ita hæc etiā Idem & Diuersum, facultates cōtrarias & extremitates invicē adversantes cōduxit, nō ipsas per se: sed duas alias substātias, indiuiduā iuxta Idē, diuiduā iuxta Diuersum constituēs, suo ordine devinxit: tum illis mixtis has contēperans, ita totam animæ formā contexuit, quantum fieri potuit ex differētibus similem, ex multis vnam fabricatus. Sunt qui dicāt à Platone non rectè pronunciatum Diuersi naturam mixtu difficilem esse. cùm ea non modò nō respuat, sed etiā amet mutationem: Eiusdem potiùs naturam, stabilem & à mutatione abhorrentem, non facilè admisisse mixtionem, sed aversatam fuisse ac fugisse, vt simplex, sincera, & alterationis vacua permaneret. Hæc qui vitio dant Platoni, ignorant Idem eorum quæ semper sunt eiusdemmodi esse ideam, Diuersum eorum quæ aliàs aliter afficiuntur, atque huius esse partes quæcunque tangat, ea diuidere & alterare ac multa redigere:

illius

illius contrahere & compingere, vt multa ob similitudinem vnam nanciscant formã atq; facultatem. Atq; hæ sunt vires animæ Vniuersi. Quæ vbi intrauerunt in mortalia & affectionum capacia corporum instrumenta, ibi vis binariæ & indefinitæ partis magis sese exerit, forma simplicis & vnitati affinis facultatis obscuriùs subeunte. Neq; tamen facilè affectum hominis prorsus à ratione separatum deprahenderis, neq; motū intellectus, cui nihil cupiditatis, studij, gaudij, aut molestiæ adsit. Itaq; philosophorum alij ipsos animi subitos affectus, rationes vocant: quòd omnis concupiscentia, dolor, ira, sint iudicia quædam. alij virtutes pronunciant ab iis pendére affectionibus: nam & fortitudini rem adversus metum, & temperantiæ adversus libidinem, & iusticiæ adversus lucri appetitionem esse. Iam cùm anima & contemplandi vim habeat, & agendi: consideret autem cùm vniuersalia tum singulas res, de quibus has sentire, illa intelligere dicitur: communis ratio semper circa Idem Diuerso, circa Diuersum Eidem occurrens, conatur quidem definiendo ac diuidendo separare vnum à multis, indiuiduum à diuiduo: non potest autem sincerè in altervtro eorum esse, ideò quòd principia vicissim inter se complicata sunt atq; commixta. Atq; icc rco receptaculum substantiæ ex indiuidua & diuidua deus Eodem & Diuerso constituit, vt in differentia esset ordo. Hoc enim erat nasci. Nam absq; his Idem non habuisset differentiam, ac proinde neq; motum, neque procreationem: Diuersum autem ordine caruisset, ac porrò & ortu & constitutione. Quippe si Eidem accidisset, vt diuersum à Diuerso esset, & Diuerso, vt Idem secum: nihil tamen hæc participatio genitabile effecisset. sed tertio opus erat, quod tanquam materia vtrunq; in se reciperet, ab eòque afficeretur. Hæc est materia, quam primam deus constituit stabilitate rerum mente sola percipiendarum infinitatem mobilitatis corporibus inhærentis cùm determinaret. Quemadmodum autem vox quædam bruta est & nihil significat: oratio autem, dictio in voce sensum animi exprimens: harmonia porrò è sonis & intervallis componitur: ac sonus vnum est & idem, intervallum sonorum est differentia & diuersitas: hisq; commixtis cantilena conficitur. sic pars animæ affectionibus obnoxia, indefinita erat & incertis impellebatur momentis: pòst definita fuit, cùm in diuiduam motus varietatem & omnigenam terminus ac forma intrasset. quæ complexa Idem & Diuersum, similitudinibus dissimilitudinibúsq; numerorum è discrepantia consensum efficientium, viua est Vniuersi anima, intelligens, harmoniáque & ratio, ducens necessitatem cum vi persuadendi commixtam. Quam necessitatem Fati nomine plerìq; adficiunt: Empedocles Amiciciam & Dissidium, Heracletus versatilem mundi harmoniam, instar contentionis quæ in lyra est aut arcu, Parmenides lucem & tenebras, Anaxagoras mentem & infinitatem, Zoroastres deum & genium nominat, illum Oromasdem, hunc genium. Euripides non rectè disiunctiuam particulam copulatiuæ loco vsurpauit:

Iupiter, necessitas siue hoc rerum siet,
Mortalium seu mens.——

nam & necessitas est, & mens vis ea, quæ per omnia penetrat. Aegyptij quidem fabularum involucro rem tegentes aiunt Ori, cùm is esset in iudicio damnatus, spiritum & sanguinem patri, carnem & adipem matri fuisse adiudicata. Animæ nulla pars sincera est, nulla mixturæ expers, aut ab aliis secreta. Harmonia enim occulta melior est evidente secundum Heracletum, in qua deus discrimina & diuersitates commiscens occultauit. Apparet tamen in bruta parte turbulenta natura, in rationem habente ordinata, in sensibus necessitas, in mente sui ipsius potestas. Vis autem definiendi vniuersalia & quæ in partes non secentur amplectitur, ob cognationem. atque contrà facultas diuidendi partilia, ad indiuidua fertur. totum autem gaudet Eiusdem in Diuersum mutatione, vbi ea opus est. Neque seciùs diuersi motus ad honestum & turpe, ad iucundum & molestum, tum amantium furores, trepidationésque, & lucta honestatis studij contra libidinem, animam demonstrant mixtam esse è diuina perpessionúmque exsorte parte, & mortali alia atque affectionibus obnoxia. quarum ipse alteram appellat cupiditatem voluptatum innatam, alteram opinionem adscíticiã quæ optimum expetat. nam affectionibus agitabilem facultatem anima ex se ipsa producit: mentis autem facta est particeps, à meliore principio insertæ. Atque huius duplicis communionis ne cœlestis quidem expers est natura. sed in vtranque partem faciens momenta, aliquando cernitur Eiusdem circuitione vim habere suam, & guber-

Animæ virium contextus.

nare mundum. erit autem temporis portio, & iam sæpe fuit, in qua intelligentia hebetetur, & obdormiat obliuione obrepente & opplente eius quod ad naturam ipsius est accommodatum: id autem quod ab initio cõsueuit cum corpore, ab eóq; afficitur, trahat prægrauétq;, & cursum Vniuersi qui in dextra parte est replicet. non tamen planè eum poterit interrumpere, sed rursum sese emergent meliora, & respicient ad exemplar dei vnà convertentis & dirigentis. Ita vndiq; nobis ostenditur non totam animã opus esse dei: sed cùm sibi innatam haberet mali portionem, à deo fuisse digestam & adornatam, qui vnitate infinitatem definiret, vt substantia fieret termini particeps: Eiusdem autem vi & diuersi ordinem, mutationem & similitudinem admisceret: hisque omnibus quantum fieri res sinebat communionem invicem & amiciciam numeris & harmonia conciliaret. De quibus etsi audiuistis sæpenumerò, multásque disputationes, multa scripta cognouistis, tamen me quoque aliquid breuiter disserere in rem est, prius tamen Platonis verba proferentem. Vnam, inquit, principio ab vniuerso portionem: post hanc, duplam eius abstulit: tertiam huius sesquiplam, primæ duplam: quartam secundæ duplam: quintam tertiæ triplam: sextam octuplam primæ: septimã vigintiseptencuplam primæ. Secundum hæc impleuit dupla & tripla intervalla, portiones adhuc inde abscindens, & inter ista collocans: ita vt in vno quovis intervallo duæ essent medietates: quarum vna eadem parte extremorum excederet & excederetur, altera eodem numero altero extremorum minor, altero maior esset. Cùm autem sesquialtera, sesquitertia, & sesquioctaua fierent interstitia: ex his compagibus in prioribus intervallis omnia sesquitertia sesquioctauis compleuit, vnicuique particulam relinquens. cuius particulæ interstitium adsumtum facit rationem quæ est numeri ad numerum, vt termini sint CCLVI & CCXLIII. Hæc primùm quæritur de numerorum quantitate, deinde de ordine, tertio de vi. de quantitate, qui sint quos in duplis sumit intervallis. de ordine, vnóne omnes in versu sint exponendi vt Theodorus vult, aut vt Crãtor in Λ figura, primo in cuspide posito, deinde duplici serie, vna duplis, altera triplis subiectis. de vi & vsu, quid nam efficiant adsciti ad animæ generationem. De prima quæstione vt dicamus, principiò eos repudiamus, qui dicunt satis esse, si in ipsis rationibus vim intervallorum & medietatum quibus ea complentur consideremus: quòd doctrina perinde absoluatur, quoscunque tandem aliquis numeros adsumat, qui spacia habeant dictis proportionibus recipiendis idonea. Nam vt verum sit ij quod dicunt, tamen sine exemplis doctrina fit obscura, arcemúrque à consideratione cui nonnihil venustatis philosophicæ adest. Etenim si ab vnitate orsi duplos seorsim, seorsim triplos exponamus, vt ipse præcipit, fient ordine II. IV. IIX, & III. IX. XXVII: qui adsumta vnitate communi principio, & multiplicatione ad quatuor terminos porrecta, vniuersi sunt septem. Non enim hæc modò, sed sępe aliàs quaternarij cum septenario consensus elucescit. Equidem tetractys illa seu Quaternio à Pythagoricis tantopere prædicata, nempe numerus XXXVI, id habet mirum, quòd componitur ex primis quatuor paribus, & primis quatuor imparibus numeris. *. Fit autem quartum cõiugium expositorum ordine. primò enim cõiunguntur I & II. Secundum est parium. * nam vnitatem primo loco ponit, vt communem, accipitque VIII, ac deinceps XXVII. tantùm non demonstrans quod in vtroque genere spacium velit relinqui. Verùm hæc alibi accuratiùs subtiliúsque explicari convenit. Reliquum autem institutæ nostræ tractationis est proprium. Non enim Plato mathematicæ contemplationis ostentandæ gratia, in physicum argumentum nulla tali re opus habens medietates arithmeticas & harmonicas introduxit: sed quòd hæc ratio maximè conveniret animæ compositioni. Et verò nonnulli in celeritatibus errantium globorum, alij in intervallis potiùs, quidam in magnitudinibus stellarum, aliqui subtilissimam sibi rationem secuti qui videntur in epicyclorum diametris proportiones istas quærunt: quòd videlicet harum gratia opifex animam cœlestibus indiderit corporibus in quatuor tributam partes. Multi etiam Pythagorica huc traducunt, à medio corporum intervalla triplicantes. Hoc ita fit, si igni I adscribatur, antichthoni (seu terræ quæ nostræ opposita est terræ) III, terræ IX, Lunæ XXVII, Mercurio LXXXI, Lucifero CCXLIII, Soli IↃCCXXIX. qui numerus & quadratus est, & simul cubus: itaque etiam Solem aliàs quadratum, aliàs cubũ nominant. sic etiam reliqua triplicando sub rationẽ reducunt. Qui sanè procul à vero aberrant, si quis geometricarũ est vsus demonstrationũ: osten-

Proportio cœlestiũ corporũ.

ostenduntq; multo probabilius ipsis dixisse qui hinc orsi sunt, quanquam ij cōtenti q; * proximè pronunciasse vero, exactas rationes non sunt cōsectati. Hi sic statuunt, Solis diametrum ad terræ diametrum proportione esse duodecupla: terræ ad Lunæ, tripla: inerrantium stellarum quæ minima videatur, eius diametrum non esse minorem triente diametri terræ. toti globo terræ ad totum globum Lunæ proportionem esse viginti septemcuplam. Luciferi & terræ diametros in dupla, globos in octupla esse proportione: intervallum eclipticæ & vmbræ ad diametrum Lunæ, tripla. latitudinē, quâ Luna à diametro Signorum in vtranq; partem evagatur, vncialem. Tum Lunæ ad Solem respectus trientum & quadrantum intervallis, eam dimidiā, & vtrinq; gibbosam reddunt. vbi autem sex Signa peragrauit, plenilunium tanquam diapasôn consonantiam in sex tonis efficit. Sole autem circa solstitia motus & minimos & maximos respectu æquinoctiorum conficiente, quibus diei quantitatem auget, noctis minuit, aut cōtra: ea ratio in diebus est primis XXX. Nam à bruma die, adiicit sextātem eius excessus, quo nox maxima diem breuissimum superabat. sequentibus XXX diebus, trientē: semissem reliquis vsq; ad æquinoctium: atq; ita sescuplis & triplis intervallis inæqualitatem tempus ad æqualitatem reducit. Chaldæi porrò veris aiunt ad autumnū rationē esse diatessaron, ad hyemem diapente, ad æstatem diapasôn. vt sic rectè Euripides definiuerit, quatuor æstatis menses dicens, totidémq; hyemis, binos hyemis, totidémq; veris: tempestatibus anni se ratione diapasôn convertentibus. Nonnulli terræ locum eum tribuunt, qui est nerui proslambanomeni, id est adsciti in cithara, Lunæ hypatam, Stilbonem (siue is est Mercurius) & Luciferū in diatonis ac lichanis mouēt, Solémq; ipsum in medio mesæ loco aiunt continere diapasôn: à terra spacio distantem diapētē, ab inerrantibus diatessaron. Sed neq; horū scita atq; elegās ratio veritatē attingit, neq; illi omnino exactam rationē sequuntur. Quibus igitur hæc non videnē à Platonis dependére sententia, ista videbuntur admodum ad musicas quadrare rationes. Nā cùm * sint quinq; quatrichorda: hypatarū fidium seu summarū, mediarum, cōiunctarum seu synemmenon, diazeugmenon, id est deiunctarum, & hyperbolæon seu excellentiū: aiunt planetas dispositos esse in quinq; intervallis. quorū primum sit à Luna ad Solē & eos qui cursum Solis comitantur Stilbonē atq; Luciferum. aliud inde ad Martis stellā, quæ Pyroeis (quasi ignita) dicitur. tertiū hinc vsq; ad Phaëthontē, qui est Iupiter. quartum ab eo ad Phenona siue Saturnū. quintum iam hinc vsq; ad globū stellarū fixarum. ita vt soni qui definiunt quatrichordia, rationem habeant errantium stellarū. Iam hoc quoq; nouimus, veteres duas fides hypatas, tres netas, vnā mesam, & vnā paramesam seu mesæ appositā statuisse: vt soni stantes numerū errantium stellarum referrent. Recentiores proslambanomenon tono quàm est hypate grauiorē addētes, effecerunt vt totum systema disdiapasôn contineret: ordinē interim cōsonantiarum naturæ cōsentaneum cōfuderunt. Sic enim diapente prius fit quàm diatessarôn, si tonus grauis vocis ad hypaten adsciscat. Platonem verò cōstat acutis sonis aliquem adsciscere. Nam in Republica hoc dicit, Octo sphæras singulas cōverti, et vnicuiq; Sirenē insistere, quæ omnes canāt, voce edita cum cæteris cōsonantiā quandā cōficiente. & ex iis omnibus cōtemperari quendā cōcentum: atq; adeò ipsas diuinas res canere de progressu & chorea * octo neruorum cōcinnitate. Nam octo erāt etiā primi termini duplarum et triplarum proportionum, vtrobiq; adnumerata vnitate. Sed & Musas prisci nouē nobis perhibuerunt: quarum octo circa res cœlestes versenē, nona terrestres demulceat res, ex turbulēto errore & inæqualitate eas revocās. Cogitate autem cum animis vestris, an nō cœlum & res cœlestes sua cōcinnitate atq; suis motibus agat anima, quæ prudentissima sit facta, & iustissima. huiusmodi verò illam reddiderint harmonicæ rationes. quarū imagines exstent in cōspicuis mundi corporibus atq; partibus: prima autem atq; præstantissima vis visibiliter cōtemperata sit animæ, eámq; exhibeat sibi ipsi cōsonantem atq; morigerā, semper optimæ ac diuinissimæ parti reliquis omnibus consentientibus. Opifex enim cùm adsumsisset animā incōpositam, & inordinatis motibus, brutisq;, & discrepantibus inter se vitiosisq; exagitatā: quædā definiuit ac cōstituit, alia cōduxit, atq; inter se cōcinnauit, harmoniis vsus atq; numeris. quibus equidem vilissima quoq; corpora, lapides, ligna, cortices stirpium, bestiarum coagula, dum inter se coaptantur, atq; cōponuntur, pulcerrima spectacula, pulcerrimā remediorum & instrumentorum præbent materiā. Vnde factum est, vt Zeno etiam Citieus hortareē adolescentes ad spectādum tibicines: vt inde discerent, quid cornua, ligna, calamiq; possent.

lib. X. extremo.

*

ratione ad concentum edendum ea promouente. Nam omnia esse numerorum simi- * lia quod dicunt Pythagorici, id probationem requirit. quòd autem omnibus rebus è tanta inæqualitate & dissimilitudine communio inter se societásq; & concentus obtigit: eius causam esse mediocritatem & ordinem numero atq; harmonia cõstantem, ne poëtæ quidem ignorauerunt. Hi enim arthmia, quasi articulata aut concinna si diceres, vocauerunt quæ amica nobis & cara essent: anarsios autem, quasi inconcinnos, inimicos. nimirum quòd inimicicia esset quædam incõcinnitas. & qui in Pindari mortem scripsit funebre carmen,

Hospitibus fuit aptus, carus ciuibus ille:

satis ostendit se concinnitatem & comitatem pro virtute reputasse. sicut & ipse alicubi Pindarus ait, deo exaudiente virtutem * Cadmum significans. Prisci porrò theologi, philosophorum vetustissimi, musica instrumenta in manus deorum imaginibus posuerunt: non sanè, quòd eos lyra aut cithara ludere putarent: sed quòd nullũ deo opus convenientius esse iudicarent, quàm consonantiam et harmoniã. Sicut igitur qui proportiones sesquitertias, sesquiplas, atq; duplas quęrat in iugo lyrę, testudine, & clauis, ridiculus sit: (nam quin & hæc debeant inter se longitudinem & crassiciẽ habere proportione aptam, dubium non est: cùm interim harmonia in fidium sit consideranda sonis) ita probabile est etiam corpora stellarum, intervalla circulorum, cõversionum celeritates, tanquam instrumenta recto ordine disposita, suam habere cùm inter se, tum ad totam compagem Vniuersi proportionem: etiamsi si nos quantitas & mensura lateant. Tamen proportionibus istis, quibus vsus est opifex, numerisq; adscribi par est animæ inter suas partes concinnitatem, quibus illa prædita cùm cœlum ipsum innumeris bonis impleuit: tum quæ ad terram pertinent, tempestatum mutationúmq; dimensis vicissitudinibus, optimè pulcerriméq; ad procreationem & conseruationem eorum quæ nascerentur, adornauit.

Excerpta quædã è Plutarchi cõmentario de animæ procreatione apud Platonem in Timæo,

quæ cuiuis potius, quàm Plutarcho adscribi debent.



COmmentarius, qui inscribit de animæ procreatione in Timęo, refert quę Plato & Platonici magno studio disputauerint. Introducit etiam geometricas quasdam proportiones & similitudines, ad animę contemplationẽ (vt censet) ei conducentes: nec non musicas quasdã & arithmeticas perceptiones. Materiã ait informari ab anima. tribuítq; vniuerso animã, & tribuit vnicuiq; animali quæ id temperet. animam quodam modo ortus expertem facit, quodam modo obnoxiam ortui. Materiam æternam, & quam deus animæ opera informauerit. Prauitatem esse germen materiæ, ne (inquit) deus malorum causa putetur. Posidonius (ait) non longè à materia animam remouit.

Reliqua omisi. sunt enim in ipso libro iisdem verbis contenta.

PLVTARCHI
Amatoriæ narrationes.

Aristoclea.
Strato.
Callisthenes.

I. 

ALIARTI, quæ vrbs est Bœotiæ, puella fuit pulcritudine eximia, nomine Aristoclea, filia Theophanis. Hãc ambiuerunt Strato Orchomenius, & Callisthenes Aliartius. de his Strato cùm opulẽtior erat, tum magis amore virginis victus. viderat enim eam lauãtem apud Lebadeã in fonte Hercyne, canistrum in sacrificio gestaturã Iouis regis. Callisthenes tamẽ pręferebatur: q; etiã generis propinquitate puellã attingeret. Theophanes in hac re animi dubius, vt qui Stratonẽ metueret opib⁹ ac nobilitate omnes pœnè Bœotos superantẽ, rẽ voluit Trophonio diiudicandã permittere. Strato, cui virginis famuli persuasissent, eã magis ad ipsum inclinare, ipsam puellã voluit optione soluta deligere vtrum vellet. Filia in omnium cõspectu interrogata, Callisthenem prætulit. Statim præ se tulit Strato, iniquo se animo hunc contemtum ferre, tamen duabus interpositis diebus convenit

Theopha-

Theophanem atq; Callisthenem, petiítq; vt, quando nuptias ipsi numen aliquod inuidisset, tamen sibi cum ipsis amiciciam paterentur esse integram. Hi non tantùm approbauerunt ipsius verba, sed etiã ad festiuitatẽ nuptiarum inuitauerunt hominẽ. Strato sociorũ caterua subornata, multísq; famulorum suorum submissis qui sparsim apud istos abderent, in insidiis latuit: dum virgo ad fontẽ Cissoëssam (ederaceum diceres) maiorũ more descendẽs protelea (quasi initiatiua nuptiarũ sacra) faceret. Ibi concursu ex insidiis facto eam corripuerunt, ipso virginẽ tenente Stratone. Ab altera parte Callisthenes cum suis manum iniecit (quod cogitatu facile est:) puella inter eam concertationem non obseruantibus qui hac illac raptabãt periit. Callisthenes subitò amissus fuit, neq; dicere quisquam potuit quid ei accidisset: siue mortem sibi ipse consciuit, siue exsulij causa Bœotiam deseruit. Strato palàm super virgine seipsum iugulauit.

II. *Phido. Melissus. Actæon. Archias.*

PHIDO quidam Argiuus, cùm hoc moliretur, quî patria ipsius in alias omnes Peloponnesi ciuitates imperium obtineret: primùm insidias tetẽdit Corinthiis. Itaq; misit, qui ab iis peterent adolescentes CIↃ, vigore & fortitudine præstantes: iiq; hos miserunt, duce Dexãdro. In animo habebat Phido istos per fraudẽ opprimere, vt Corinthum viribus deminutã eò faciliùs occuparet, opportunissimã eam munitionẽ totius Pelopõnesi futurã: & rẽ cum quibusdã sociis suis cõmunicauit, inter quos erat Abro. Hic Dexãdro, hospitio ipsius vtenti, rem aperuit. Sic Phliasij isti ante tempus opprimendis ipsis cõstitutum, Corinthum evaserunt. Phido autẽ magno studio inquirebat quis cõsilium hoc ipsius prodidisset. Ideò sibi metuens Abro, Corinthum profugit, assumta vxore & seruis, inq; pago quodam Corinthiaco cõsedit, cui nomen erat Melissus. Ibi sibi filium natũ, à loco Melissum dixit. Huius ergo Melissi F. Actæon formę venustate & pudicicia omnes suos æquales superauit: amatúsq; est à plurimis, maximè Archia, qui genus ab Heraclidis ducẽs, opibus & potẽtia reliquis anteibat Corinthiis. Is cùm Actæoni non persuaderet vt sibi se daret, vi rapere puerũ aggressus, comesatum venit ad Melissi domũ, amicorũ & seruorũ turba stipatus. reluctãtibus autẽ patre & amicis, ac vicinis quoq; accurrẽtibus, & eripere puerum nitentibus: Actæon dum vtraq; pars ad se eum trahit, interit. Archias cum suis abeunt. Melissus cadauer filij in Corinthiorũ forum cùm attulisset, atq; ostẽtasset & à flagitij autoribus vt pœnæ exigerentur petiisset: à magistratu nihil aliud ꝙ quod est eius miseritum abstulit. Re ergo infecta digressus, Isthmicũ cõventum exspectauit. ibi cõscensa Neptuni ara, Bacchiadas insectatus verbis, patrísq; sui Abronis beneficio cõmemorato, deos cõprecatus de saxis sese proiecit. Paulo pòst Corinthios siccitas & pestis invaserũt. cúmq; cõsuluissent de liberatione mali oraculum, misso ad eam rem ipso Archia: respõdit deus, iram esse Neptuni, non cessaturam, donec Actæonis mortem vlciscerentur. Hoc vbi audiuit Archias, vltrò sibi exsulium à Corintho indixit, & in Siciliam nauigauit, ac Syracusas cõdidit. ibi cùm duas filias genuisset, Ortygiam & Syracusam, per fraudem à Telepho necatus est. quo abvsus ad fœdam fuerat libidinem, & qui naui præfectus vnà in Siciliam nauigauerat.

III. *Scedasus Aristodemus. Leuctrica calamitas Spartanorum.*

PAVPER quidã homo, nomine Scedasus, Leuctris habitauit: qui est Thespiẽsis regionis exiguus vicus. Filiæ huic fuerũt duæ, Hippo & Miletia: ab aliis Theano & Euexippa nominantur. Ipse Scedasus vir erat bonus, & hospitalis: quanq; tenui fortuna. Ergo ad se veniẽtes duos Spartanos iuuenes, comiter hospitio excepit. qui amore puellarum correpti, audere tamen aliquid bonitate Scedasi fuerunt prohibiti. Postridie ad Pythium oraculũ, quò iter instituerãt, profecti sunt. cúmq; deũ de iis quæ statuerãt cõsuluissent, rursum per Bœotiam itinere facto in Scedasi domo diverterunt. Aberat tum Leuctris Scedasus. eius filiæ, sicvt cõsueuerant, hospites exceperunt. ij solas nacti puellas, per vim vitiauerunt. cúmq; eas viderẽt hanc contumeliã iniquissimè ferre, interfectas in puteum quendã abiecerunt, itáq; discesserunt. Domum reversus Scedasus, filias nusquã vidẽs, omnia alia quæ reliquerat salua inveniẽs, expedire se ex hac re nequibat. tandẽ cane mussitãte & subinde ad ipsum adcurrẽte, atq; ab ipso ad puteum redeunte, id quod res erat suspicatus, invẽta ibi filiarum cadauera exhausit. cúmq; è vicinis cognouisset, visos pridie fuisse in domũ ipsius intrãtes Lacedæmonios eos, quibus etiã pridẽ hospitiũ dedisset: cõiecit hoc ipsorũ esse facinus. ꝙ tunc etiam perpetuò puellas laudassent, beatósq; prædicassent, quibus eæ nupturæ essent. Ergo Spartã cõtendit, Ephoris rem significaturus. Cùm in Argolicam pervenisset, nocte ingruẽte in cauponã quandã divertit. Eódẽ tum venit etiam quidã senex, Orei Hestięatidis in Eu-

boea ciuis. Hic cùm ingemuisset, diráque Lacedęmoniis esset imprecatus: Scedasus hoc audiēs, quæsiuit quidnã mali à Spartanis accepisset. Tum senex ita rem narrauit. Sum, inquit, Spartanorũ subditus. sed missus ab eis Aristodemus qui Oreũ gubernaret (harmostam illi vocāt) crudeliter admodum ac nefariè egit. Nam amore filij mei captus, cùm ei persuadere vitium nequiret, vim inferre aggressus est, eúmque è palæstra abripere. resistente autem pædotriba, & multis adolescentibus ad opē filio ferendã accurrentibus: tunc quidē discessit. postridie aũt triremi instructa filiũ illũ meum arreptũ in vlteriorem cōtinentem traiecit: ibíque libidini ipsius reluctantē cùm iugulasset, Oreũ reversus cōvivium celebrauit. Ego, qui maturè quid actum esset resciuissem, corpus filij humaui: Spartámque profectus, rē ad Ephoros retuli. sed illi facinoris eius nullã habuerunt rationē. Hæc narratio Scedasi animo mœsticiã attulit, suspicanti suam quoque caussam Spartanis curæ non futurã. suam interim calamitatē seorsim hospiti narrauit. is ei hoc cōsilij dedit, vt neutiquam appellaret Ephoros: sed in Bœotiã reversus, filiabus sepulcrum cōderet. Scedasus nō obtemperauit: sed Spartã profectus rem ad Ephoros detulit. iísque animũ non advertētibus, ad reges accessit: atque ab his digressus quemvis popularium accedēs, suam miseriã deplorauit. Tãdem cùm nihil ageret, per mediã discurrit vrbē, manúsque ad Solem intendens, ac rursum terram iis feriens, evocauit Furias, ac sibi denique mortem consciuit. Verùm enimverò posteà pœnas luerũt Lacedęmonij. Cùm enim in omnes Græcos imperium occupauissent, & vrbibus præsidia imposuissent: primùm apud suos collocatũ præsidium Epaminondas Thebanus interfecit. deinde cùm ea de causa Lacedæmonij bellũ intulissent: occurrerũt ad Leuctra Thebani, moti omine loci. nam & antè ibi fuerunt liberati: quo tempore Amphictyon extorris à Sthenelo factus Thebas venit: eósque inveniens Chalcidensibus stipendiarios, interfecto rege Euboēnsium Chalcodonte, à tributo absoluit. Evenit aũt, vt omnino succumberent in prœlio Lacedæmonij apud ipsum filiarũ Scedasi monumentũ. Traditũ est ante illum conflictum, Pelopidæ vni de ductoribus Thebani exercitus, ob quædã ostenta quæ ipsi nō admodũ viderent prospera, de auspicũ sentētiis perturbato: in somnis adstitisse Scedasum, hortãtem vt bono esset animo. nã Lacedęmonios eò ad Leuctra venire, vt Scedaso eiúsque filiabus pœnas pendant. ac iussisse, vt ea die quæ pugnã esset antegressura, pullum equinum album ad virginum sepulcrum immolaret. Pelopidam, adhuc Lacedęmoniis apud Tegeam castra habentibus, misisse qui de eo sepulcro explorarent. cúmque rem ita habere ex eius loci incolis accepisset, cōfirmato animo exercitum in aciem produxisse, victoriáque esse potitum.

Scelerum impunitas punita.

IV. *Phocus. Callirhoe. Hippotæ.*

PHOCVS Bœotius erat, Glisante vrbe natus. Habuit is filiã Callirhoēn pulcritudine, iuxtáque pudicicia pręstantem. Huius coniugiũ expetebant XXX iuuenes è tota Bœotica iuuentute nobilissimi. Phocus cùm alias ex aliis dilationes nuptiarũ fecisset, à vi sibi metuens: tandē illis vrgentibus, postulauit vt Apollini Pythio iudicium spōsi filię deligēdi permitterent. Illi indignè ferentes hanc eius orationem, facto impetu hominem interfecerũt. Virgo in eo tumultu effugit, ac per regionē istam se proripuit, insequentibus ipsam iuuenibus. cùm autem incidisset in rusticos frumentum in horreo cōponentes, ab iis seruata est. occultauerunt enim eam in frumēto: itáque ij qui insequebantur trãsvecti sunt cursu. Sic seruata, præstolata est tempus solēnis omniũ Bœotorũ convētus, quæ Pambœotia vocant. quod vbi appulit, Coroneã profecta supplex cōsedit in ara Itoniæ Mineruæ, ac de scelere procorum cōquesta est, nomine & patria singulorum indicatis. Miserati puellã Bœoti, succensuerunt procis. Hi eo cōperto, Orchomenum cōfugerunt: exclusíque ab oppidanis, Hippotas cōtenderunt, quod est oppidulum ad Heliconē inter Thebas & Coroneã situm. ibi ergo fuerunt recepti. Miserũt deinde Thebani, qui dedi percussores Phoci iuberēt. cúmque nō dederent, expeditionē in Hippotas vnà cum aliis Bœotis fecerunt, duce Phœdo tum Thebanorũ pętore. obsessóque oppidulo, quod munitum erat, siti hostes in potestatē redegerunt. Proinde cōpręhensos homicidas lapidibus obruerunt: reliquos Hippotēses in seruitutē abduxerunt, murísque & domibus destructis, agrum inter Thebanos & Coronēses diuiserunt. Ea nocte, quę Hippotarum excidium pręcessit, vocē ex Helicone crebrò auditã tradunt dicētis, Adsum: & procos XXX intellexisse eã Phoci esse vocē. Qua aũt die lapidibus sunt obruti, monumētum senis Phoci Glisante positũ, crocũ stillasse. Phœdo etiã à pugna reverso nũciũ allatũ de nata ipsi filiola: cui ominis gratia Nicostratę nomē fecerit.

V. *Alcippus. Damocrita.*

ALCIPPVS Lacedæmonius ex vxore Damocrita duas filias suscepit. Is cùm optimè

ptimè consuleret reip., rémq; ex eius vsu gereret, ab adversæ factionis hominibus per inuidiā apud Ephoros delatus fuit, iísq; persuasum mēdaci oratione, Alcippum leges convellere instituisse. Iussus itaq; solū vertere, Sparta abiit. Vxorem aūt cum filiabus sequi maritū volentem magistratus retinuit: publicatis insuper Alcippi bonis, ne dos esset filiabus. Cùm verò nihilóminus essent qui eas ob patris virtutem ambirent: inimici edictum de non ambiendis eis impetrauerunt. hoc causæ prætendentes, Damocritam sæpenumerò optauisse vt quamprimùm filiæ ipsius filios parerent, vltores paternæ iniuriæ futuros. Ita vndequaq; circumscripta Damocrita, publicam exspectauit solennitatē, qua de more mulieres vnà cum virginibus, domesticis, & infantibus conveniebāt, matronę autē procerum seorsim in androne seu conclaui quodam nocte festiuam ducebant. Tum gladio succincta, vnà cum filiabus in templū se contulit, obseruauítq; id tēpus, quo vniuersæ in androne mysteria peragebant. Ibi aditibus occlusis, multa ad fores ligna congessit, quæ fuerant ad eius festiuitatis sacrificiū comparata: ignémq; immisit. Viris autē ad restinguēdum incendium accurrētibus, Damocrita filias, séq; super eas iugulauit. Lacedæmonij cùm non haberēt in quem desæuirēt, cadauera Damocritæ & filiarum extra fines proiecerunt. Ob quod facinus irato deo, magnum illum terræ motum Lacedæmoniis immissum fuisse narrant.

PLVTARCHI

Quæstiones naturales.



VID causæ est, quòd arbores aqua marina nō aluntur? An eadem est, ob quā terrestria animalia nō alit marina aqua? nā Plato, Anaxagoras, & Democritus putāt, plātas animalia esse terrestria. Non enim quia aqua marina alimēto est vt piscibus, ita etiā stirpib⁹ marinis: sic etiā terrestres plātas animaliáq; nutriet. cùm neq; penetrare possit ob crassiciē suam radices, neq; sursum efferri ob sui grauitatē. Grauē esse aquā marinā, ac terrestrē, & alia multa demōstrāt, & quòd faciliùs sustinet naues, & natatores. Aut quia siccitas maximè officit arborib⁹? vim autē siccādi habet aqua marina. quæ causa est q adversus putredinē sales valēt: & eorū q in mari lauāt corpora statim siccā habēt asperámq; superficiē? Vel q pinguedo iis quorū stirpes terra continent est inimica, & invncta perdit. Multū autē pinguedinis adest marinæ aquæ: adeò vt etiā vnà exardescat, soleamúsq; hortari, ne in flāmā ea iniiciatur? Aut quòd aqua marina potui inepta & amara est facta, vt Aristoteles ait, admixtione terræ advstæ. nā & lixiuiū fit dulci aqua in cinerē incidente. dissolutio autē eiicit, corrūpítq; id, quod bonū erat & potabile, sicvt in nobis febres humorem in bilem convertunt? Quæ autem in rubro mari narrant syluestria & plantas germinare, ea fructum nullum ferunt, aluntur autem à fluuiis multum cœni ingerentibus. itaque etiam non procul à terra, sed ponè eam nascuntur. I. *Aqua marina.*

CVR à pluuiis aquis potiùs q affluētibus arbores & semina adsolent nutriri? An quia, vt Laito visum, imbres terrā suo ictu divellētes, meat⁹ efficiūt, per quos aqua faciliùs ad radicē penetret? An hoc verū nō est, sed ignorauit Lait⁹ q etiā palustres stirpes, vt sunt tipha, phleon, & vlua, neq; germināt neq; augescūt vbi imbres suo tēpore nō decidūt? Verū aūt est quod Aristoteles dixit, nouā & recentē esse aquā pluuiā, veterē & exoletā lacuū? Quid si hoc quoq; pbabile magis est, quàm verū? nā & fontium & fluminū aquæ semper sunt recētes, subinde nouis adfluētibus. ideóq; ait Heraclet⁹ bis in eundē fluuium neminē posse descendere. Et tamē hæ ipsæ deteriùs alūt, quàm pluuiæ aquæ. Ergo aqua cœlestis leuis est atq; aërea, spiritúq; mixta, celeriùs ob tenuitatē deducitur atq; eleuatur in plantā? An id maximè alit, quod à re alēda subigitur? id enim est concoctio. contrà defectus concoctionis, quando alimentum validius est, quàm vt ab alendo affici possit. Iam tenuia, simplicia, & insipida faciliùs mutantur. quorum de censu etiā est aqua pluuia: quæ in aëre nata & vēto, pura ac sincera decidit. Fontana aūt & terrę & locis adsimilata per quæ emanat, multis impletur qualitatibus, ob quas ad alendū minus sit cōmoda, cùm tardiùs mutandam se corpori nutriēdo exhibeat. Imbrium porrò aquas facilè mutari, argumento id est, quòd citiùs quàm fontanæ aut fluuiales putrescunt, concoctio autem videtur esse putrefactio, sicvt Empedocles testatur. II. *Aqua pluuia.*

In ligno putrefacta aqua fit sub cortice vinum.

Quid si nulla promtiùs adferri potest causa, quàm quòd dulcis est imbris aqua & mitis, vbi statim à vento emittitur? itaque & pecus eam bibit libentiùs, & ranæ imbrem exspectantes vocem præ gaudio clariorem faciunt, tanquam lacustris aquæ condimentum pluuiam præstolantes, & semen dulcedinis quæ aquę in stagno insit. Nam & hoc signum pluuiæ imminentis Aratus posuit.

946. *Aut cùm gens misera, atque hydris immanibus esca*
In limo veterem ranæ cecinere querelam.

III. Sal. Cvr pecori pastores salem * proponũt? An, vt plerique putant, vt eo ampliùs alantur atque crassescant? nam & appetitum cibi acuit salis acrimonia, & meatus reserando cibum faciliùs deducit ad digestionem. Itaque etiam graciles & qui parum nutrirentur, Herophili discipulus Apollonius dulcibus vesci & alica nolebat, sed salsamentis & salsuginem habentibus pro cibo vti iubebat: quorum tenuitas tanquam in fricationis locum succedens, alimentum per meatus corpori apponeret. Aut valetudinis potiùs gratia, & vt abvndantia incideretur nutrimenti, ad lingendum salem oues adsuefaciunt? Aegrotant enim pinguedine nimia contracta. eam verò sales colliquant ac diffundunt. Idq; adeò obseruant, vt faciliùs possint eas cute exuere. quæ enim agglutinat & constringit cutem pinguedo, tenuis infirmáque redditur ab acrimonia. Tenuatur etiam sanguis salem lingentium: neque coëunt quæ intus sunt, salibus admixtis. Quin & hoc considera, num magis fecundum fiat inde pecus, & ad coitum pronius. nam canes quoque salsamento eso celeriùs concipiunt. & naues quibus sal vehitur plures alunt mures ob frequentiorem coitum.

IV. Imber cum tonitru. Cvr aquæ imbrium qui inter tonitrua & fulgura decidunt, ad semina riganda sunt aptiores? nam Astrapæ inde, id est fulgurales, eæ dicuntur. An quia multum spiritus continent, ob conturbationem & admixtionem aëris? Spiritus autem humorem mouens, magis eum sursum emittit? An quia tonitrua & fulgura efficit calor in aëre contra frigus pugnans: vnde fit vt hyeme minimùm tonet, vere plurimùm & autumno ob inæqualitatem temperiei. calor autem humorem coquẽs germinibus eum amicum commodúmque reddit? An quòd vere plurima tonitrua & fulgura fiunt ob causam dictam? vernis autem aquis admodum opus habent semina ante æstatem. itaque regio quæ vere plurima pluuia rigatur, vt Sicilia, multum bonúmque fructum producit.

V. Sapor salsus. Quî fit, quòd cùm sint octo species saporum, solum salsum videmus in nullo fructu nasci? Sanè amarum olea primùm fert, & acidum vua: qui deinde in pinguem alter, alter in vinosum mutantur. sed & acerbus in glandibus palmæ abit, & austerus in malis punicis in dulcem. quædam cùm punica tum alia mala acidũ saporem simpliciter obtinent. acris in radicibus & seminibus frequens habetur. An quia salsus sapor non nascitur, sed exsistit reliquis corruptis? itaque etiam stirpibus & seminibus quæ nutriuntur, à salso nihil alimenti apponitur. tantùm nonnullis condimenti loco est, dum abvndantiam aufert. An sicvt mari elixando salsuginem & mordacitatem adimunt, ita in calidis à calore salsugo aboletur? An sapor quidẽ est, vt Plato ait, aqua per plãtam colata. & aqua etiam marina dum colatur, salsuginem amittit. terrestre enim est & crassarum partium. Itaque iuxta mare fodientes, incidunt in latices potui aptos. multi etiam cereis vasis aquam marinam haurientes, excipiunt dulcem ac potabilem, percolato quod salsum erat & terrestre. nam & quies, & longior procursus omnino * percolatam marinam aquam potabilem facit * cùm in se contineat, & non dimittat terrestres partes. Hæc cùm ita sint, probabile est stirpes neque extrinsecus salsuginem admittere, neque si recipiant, in fructum excernere. meatus enim ob tenuitatem terrestria & crassis partibus cõstantia non percolant. Aut amaroris species censenda est salsugo? sic enim Homerus.

Odiss. ε. 322. *——euomit ore suo salsuginem amaram*
Quæ madido capitis de vertice larga fluebat.

Plato etiam ait vtrunque saporem abstergendi vim habere & colliquandi: sed salsum id minùs facere, neque esse asperum. Videbitur autem amarum à salso abvndantia caloris differre: quandoquidem salsum quoque vim exsiccandi habet.

Qua

QVA de causa fit, vt si quis crebrò per roscidas arbores trãseat, mẽbra materiã tãgẽtia lepra corripiãtur? An, sicvt Laitus dicebat, roris humor ob tenuitatẽ de cute aliquid stringit? Aut sicvt rubigo humectatis seminibus incidit, ita à rore viridibus ac tenuibus quę in superficie sunt morsis & colliquatis, aspergo quędã noxia defertur, & affusa corporis partibus quæ maximè sunt exsãgues, earũ superficiẽ mordet atq; lancinat? Nã rori natura in esse quãdã rodẽdi vim, satis ex eo liquet, quòd potus graciliores facit: & pingues mulieres tenuibus vestimẽtis aut lanis rorẽ excipiẽtes, videntur eo nimias carnes consumere. VI. Ros.

QVAMOBREM hyeme nauigia in fluuiis tardiùs incedũt, in mari non item? An aër fluuialis semper alioqui grauis & lętus, hyeme ob frigus circunstãs magis etiã dẽsatus, nauigãtibus obstat? An fluuiis potiùs hoc quàm aëri accidit? Aquã.n. impellẽs frigus, grauẽ facit & crassã. quod in clepsydris licet obseruare. tardiùs enim trahũt hyeme quàm æstate. In Thracia apud Pangæũ narrat Theophrastus fontẽ esse, cuius aqua idem vas impletum, hyeme bis tantum appẽdat atq; æstate. Porrò crassiciem aquæ in causa esse vt tardiùs eant naues, ex eo liquet, quòd naues fluuiales hyeme maiora portant onera. aqua enim densior grauiórque facta magis renititur. Mare autem ne densetur, calor prohibet. Videtur enim densatio esse quædam emollitio. VII. Aqua.

CVR, cùm alij humores dum commouentur & versantur, fiant frigidiores, mare videmus dum fluctibus exagitatur, incalescere? An quòd aliorum humorũ calorem, vtpote adsciticiam rem, motus expellit atque differt: maris calorem natiuum exsuscitant potiùs venti atque augent. Caloris argumentum est pelluciditas, & quòd non densatur, quanquam terrestris sit & grauis. IIX. Marina aqua.

CVR per hyemẽ minùs amarũ est gustatu mare? hoc enim etiã Dionysiũ aiũt referre aquatorẽ, amarorẽ maris nõ planè esse expertẽ dulcedinis, vt quod tot fluuios recipiat. Sol autẽ cũ dulcẽ ac potabilẽ eius aquã ob leuitatẽ in superficie versantẽ cõficiat, idq; æstate magis quàm hyeme, quãdo molliùs eam tangit ob caloris imbecillitatẽ: relinquitur tũ portiò multę dulcedinis, quę nimiã & virosam tẽperet atq; mitiget amaritudinẽ. Idq; nonnihil etiã aquis potabilibus cõtingit. Aestate enim sunt deteriores, sole quod leuissimum est & dulcissimum dissipante. hyeme autem recẽs nascitur dulcedo: cuius necesse est mare etiã fieri particeps dũ exagitatur, & in ipsum fluuij se euoluũt. IX.

CVR vino aquã marinã affundunt? & ferunt piscatoribus oraculũ datũ, quo iuberẽtur Bacchũ mari immergere. qui procul à mari absunt, gypsum Lacynthiũ tostũ iniiciũt. Vtrum calor remedio est adversus refrigerationẽ? aut potiùs magis eum elidit, restinguẽdo vino, & vi eius corrũpenda? An verò quod in vino est aqueũ & aëreũ, ideóq; ad mutationẽ admodũ procliue fit, sistitur terrenis iniectis, quorũ natura est stipare & dẽsare. Sales porrò cũ aqua marina attenuãtes ac colliquãtes quod alienũ est & supervacaneũ, nõ sinunt fœtorẽ aut putredinẽ ingenerari. At hæc, crassa & terrestria grauioribus implicata vnáq; deorsum tracta sedimẽtũ seu fęcẽ faciũt, vinúmq; ita purũ reddũt. X.

CVR magis nauseant qui in mari nauigãt, quàm qui in fluuiis, etiã cœlo trãquillo? Sensuum maximè olfactus nauseã mouet, & animi de motibus metus. nam & tremũt, & horrent, & alui humectãtur iis, qui imaginando periculũ concipiunt. Horũ neutrũ molestum est nauigantibus in flumine. Nam odor omni dulci ac potabili aquæ familiaris est, nauigatio sine periculo. In mari & odor insolens molestiam adfert, & metuũt sibi, præsenti de futuro fidem non habentes. Itaque tranquillitas foris nihil prodest, dum animus æstuans ac perturbatus, corpus quoque tumultu opplet. XI. Nausea

CVR mare oleo cõspersum, pellucidũ fit & tranquillũ? An, vt Aristoteles inquit, spiritus à læuitate delabens, ictũ nullum infert, neq; fluctũ ciet? Aut hoc probabiliter dictũ est respectu externorũ. Vrinatores quidẽ dicunt oleũ in os sumere, eóq; efflato lucẽ in fundo habere, ac pellucidã reddere aquã. vbi lapsum spiritus pro causa adducere nõ est integrũ. Cogitãdũ ergo, num mare, quod terrenũ est atq; inæquale, oleũ sua dẽsitate cogat atq; cõplanet: atq; mare in se coactũ relinquat meatus & pelluciditatẽ visui penetrabilẽ. Aut quia natura aër mari permixtus lucidus est, cõturbãdóq; inæqualis fit & vmbrosus: oleo inæqualitatẽ sua dẽsitate lęuigãte, æquabilitatẽ pelluciditatẽq; recuperat? XII. Oleum. aqua marina.

QVAMOBREM hyeme magis quàm æstate piscatorũ retia putrescunt? cùm aliis rebus hoc ęstate magis eveniat. An ea est causa, quam Theophrastus adfert? Calorem nimirũ frigori cedere, & ab eo circũcirca cõstringi. Hinc calidiores in profundo maris fieri aquas: vt & in terra. Itaq; etiam fontanæ aquę tepidiores sunt per hyemẽ, magísq; vaporãt lacus & flumina. nã calor in imũ cõcludit à pręvalente frigore. Aut putredo XIII.

nulla retibus accidit tum temporis? Etenim frigore concreta & exsiccata, cùm ab vndis eo faciliùs rumpuntur, aliquid patiuntur simile putrefactionis & ob vditatem corruptionis. magis enim laborant in gelu: (sicut & nerui intenti lacerantur) quia tunc frequentiùs mare tempestatibus exagitatur. Ideò retia piscatores stipant tincturis atque densant, metuentes dissolutionem. Nam alioqui nulla re tinctum rete aut invnctum faciliùs falleret pisces: cùm lini color sit aëreus, & in mari facilè lateat.

XIV. QVARE Doriensibus est mala feni congestio? An malè convehitur fenum compluttum: secatur enim non arida herba, sed viridis: vnde mox putrescit aqua pluuia rigata. Cùm autem compluitur ante messem frumentum, id ei auxilio est adversus calidos & austrinos ventos: qui aliàs non sinerent densari in spica fructum, sed sua caliditate impedirent coalitionem ac dissiparent, nisi terra rigata humor adesset qui spicam refrigeraret atque humectaret.

XV. *Triticum, hordeum.* QVAPROPTER pinguis & profunda terra tritici est ferax, hordei ea potiùs quæ tenuior est? An quia seminum validiora ampliore indigent alimento: infirmiora leui & tenui? Est autem hordeum tritico imbecillius & laxius. itaque etiam non admodum largè nutrit. Testimonium huic rationi inde suggeritur, quòd triticum istud, cui à proventu trimestri nomen est, in aliquantum siccis agris faciliùs provenit: cùm sit exsuccum & minori indigeat nutrimento, ideòque faciliùs absoluatur.

XVI. CVR dicunt,

Triticum in cœno serite, hordeúmque in puluere?

An quia, vt diximus, triticum conficere plus alimenti potest: hordeum non fert eius copiam, sed ea obruitur? Aut triticum, cùm sit densum & lignosum, meliùs provenit in humido emollitum & laxatum solo: hordeo autem ob raritatem ab initio commodum est siccius? Aut quia ob calorem congruit temperies & innoxia est: frigidius autem est hordeum. Aut verentur in sicco triticum serere, formicarum causa, quæ statim ei insidiantur. hordeum autem non ita facilè eæ portare ac differre possunt, cùm sit grandiusculum.

XVII. *Setæ.* CVR equorum potiùs quàm equarum setis vtūtur ad funiculum vnde hamus suspenditur? An vt aliis in partibus, ita hæc quoque robustiora sunt mascula femineis? Aut quia equarum setæ lotio subinde madefactæ sunt deteriores.

XIIX. *Malacia, pisciū genus.* QVARE teuthis conspecta, signum est magnæ tempestatis? An quia omnes pisces, qui de mollium sunt genere, (Græci malacia vocant) frigus difficulter ferunt, ob carnis nuditatē & tenuitatem? nam neque testa, neque cute, neque squama integuntur, intúsque duras habēt osseásque partes: vnde & nomen iis factum. Ergo facilè sentiunt tempestatē futuram, cùm tam citò à frigore afficiantur. Itaque polypus in terram excurrens, & saxa amplectens, indicium est venti iam iam proruptiuri. teuthis autem exsilit fugiens frigus, ac tumultum qui in profundo maris est. nam præ cæteris malaciis ille piscis teneram habet carnem, & attritu facilem.

XIX. *Polypus.* CVR colorem mutat polypus? An, vt Theophrastus scribit, quia natura timidū est animal, ideò perturbatus vnà cùm spiritu etiam colorem mutat? ideò quoque dictum est:

Iliad. γ, 281. *Semper degeneris mutatur enim color.* ——

Quid si hoc ad mutationem sufficit, non ad id etiam, quòd omnes colores refert? Sic enim colorem mutat polypus, vt eum similem faciat cuiusvis saxi colori ad quod accedit. Hinc illud Pindari:

Marinæ bestiæ colori
Aduerte mentem, & sic vafer omnibus
Versare in vrbibus.

& Theognidis:

Polypodis fac morem imiteris versicoloris:
Cui subit is, semper fit similis lapidi.

atque hoc versutia & calliditate præstantes aiunt studio habere, vt fallendi eos gratia quibus cum agunt, semper polypum æmulentur. Aut censent eum cute tanquam veste vti, ita facilè eam vbi vult induendo atque exuendo. Quid si polypus huic affectioni principium metu suo suppeditat, causæ propriæ in aliis sunt. Cogita enim quod Empedocles dixit:

Hoc

Hoc moris, rebus defluxus omnibus esse.

non enim animalia modò & stirpes, & terra, & mare, sed etiam lapides à se continenter dimittunt multos defluxus, & æs etiam atque ferrum. Nam corrumpuntur omnia, & olent: quia semper aliquid defluit. & tractiones aut insultationes faciunt defluxibus, alij complexus eorum, alij ictus, alij impulsiones quasdam & circuitiones supponentes. maximè autem saxorum marinorum, quando mari ea adsperguntur & refrigerantur, aiunt adsiduò quædam abradi multa ac tenuia ramenta. quæ non accidant ad alia corpora, sed vel dilabantur ob meatuum densitatem, vel excidant per rariores. * Polypi autem caro, quod adspectus ipse possit iudicare, est cauernosa, meatuum plena, defluxuúmque capax. Is ergo quando sibi timet, mutato spiritu sese mutans, tanquam constringit corpus, contrahítque & aliquandiu intra se contrahit exceptos vicinos defluxus. Quippe asperitas vnà cum mollicie flagella exhibens particulis quæ offeruntur & non dissipantur, sed congregantur, cum * * *

Argumētum causæ permagnum est, quòd neque polypus quarumvis imitatur rerum colorem quibus appropinquat, neque chamæleon albarum: sed vterque iis tantùm adsimilatur, quarum defluxibus meatus proportione habet respondentes.

QVID est causæ, quòd lacryma syluestrium suum dulcis est, cerui salsa, & vitiosa? Videtur in causa esse horum animalium calor & frigus. Nam frigidus est ceruus, aper admodum calidus & igneus. itaque ille fugit, hic se defendit adversus insectantes: cùm quidem maximè excandescentia ei lacrymas exprimit. multo enim accidente ad oculos calore (sicut dixit Homerus: XX. *Apri lacryma.*

Igne oculos ardens, setísque horrentibus asper.) *Odiss. τ, 445.*

id quod eliquatur, dulce redditur. Quidam in sententiam Empedoclis concedunt, qui à sanguine conturbato excerni lacrumam putauit, quo modo serum à lacte agitato. Cùm itaque aprorum sanguis ob calorem asper sit & niger: tenuis & aquosus ceruorum: consentaneum est tale esse quod ira concitatum alterum, timore consternatum alterum animalium excernit.

QVA de causa sues domesticæ sæpe pariunt, aliæque alio tempore: syluestres semel, & ferè sub idem omnes tempus: nimirum diebus ineuntis æstatis. vnde illud quoque dictum est: XXI. *Sues apri.*

Non iam nocte pluet, qua sæui vxor parit apri?

An quia ob alimenti multitudinem coitus domesticarum est vberior? alimenti enim abundantiam excrementum fecundum & stirpibus & animalibus parit. Iam porcæ syluestres suapte opera, idque cum metu, quærunt pastum. domesticis semper suppeditant alia natiua, alia comparata alimenta. An potiùs ocio & exercitationi illud adscribendum sit? Etenim domesticæ quiescunt, neque procul evagari volunt à subulcis. agrestes in montes sese conferunt, ac circumcursitant: qua ratione etiam nutrimētum differunt, inque totum corpus insumunt. Proinde siue ob perpetuā cōsuetudinem, siue ob excrementi abundantiam, siue quia vnà pascuntur gregatim feminæ cum maribus, domesticæ sues mentionem coitus adferunt, libidinémque concitant. quod de hominibus scripsit Empedocles. *

Agrestium autem, quia seorsim pascuntur, concupiscentia hebetatur atque exstinguitur amoris & consuetudinis vacuitate. An & id verum est quod Aristoteles dicit, aprum ab Homero chlunem dictum, quòd vnicum haberet testem. plerorumque enim aprorum, dum truncis sese adfricant, elidi testes. *Histor. animal. 6.28.* *Iliad. ι, 535.*

CVR vrsæ manus est suauissima, & esu iucundissima? Quia quæ partes corporis maximè concoquunt alimentum, earum dulcissima fit caro. Optimè autē concoquit, quod transpirat, dum maximè mouetur & exercetur. Vrsa autem creberrimè mouet anteriores pedes inter eundum & currendum, & res quasi manibus contrectandum. XXII. *Vrsæ pedes priores.*

QVARE verno tempore vestigia ferarum difficulter indagantur? An quia canes, vt ait Empedocles, XXIII. *Vestigia ferarū.*

Naribus indagant vestigia certa ferarum;

defluxus iis haurientes, quos feræ in solo relinquunt? eos autem obscurant vere ac confundunt plerique odores plantarum & germinum vestigiis sese supersternētium, faciúntque vt ab odorandis iis canes aberrēt. Itaque apud Aetnā in Sicilia nemo canes ad venādū educit, quòd ibi multū floreat ac toto anno pullulet origanū, locique adsiduus odor

bonus abripiat ferarum vestigia. Fabula etiam fertur, Proserpinam ibi cùm flores legeret raptam à Plutone fuisse: ideóque illum locum venerantes tanquam asylum non insidiari pascentibus ibi animalibus.

XXIV. *Ros.* Cvr circa plenilunia minimè indagantur è vestigiis feræ? An ob dictam modò causam? Nam plenilunia rorem spargunt. itaque Alcman rorem Iouis & Lunæ filiam in carmine dixit:

Ros Iouis proles alit, atque Lunæ diuæ.

Est enim ros pluuia imbecillis ac languida, vt & calor Lunæ parum est validus. itaque trahit è terra vt Sol: sed in altum evehere & pertrahere cùm non possit, dimittit.

XXV. Cvr indagationem difficilem reddit pruina? An quòd feræ procul è lustris suis prodire ob frigus cessantes, non multa edunt signa? ideò etiam aiunt ea vicinis parcere, ne affligantur longè vagantia per hyemem, sed semper in vicinia possint pascere. * Aut quia locum indagini aptum oportet non vestigia tantùm, sed etiam odorem exhibere? mouent autem olfactum quæ à calore soluuntur molliter atque laxantur. at nimium frigus obiectum odores constringit, neque fluere & ad sensum accidere sinit. Itaque etiam vnguēta ac vinum minùs olere hyeme & in frigore aiunt: aër enim tunc concretus in se odores continet, neque patitur differri.

XXVI. *Animalium remedia.* Qvid rei est, quòd bruta animalia suis morbis remedia quærunt atque sectātur, & eorum vsu plerunque adiuuātur? Canes enim herbam edunt evomendæ bilis causa. sues cancros fluuiales petunt, quorum esu capitis dolori medētur. testudo vbi carnem viperæ edit, origano deinde vescitur. vrsam aiunt quando fastidio & nausea incipit repleri, lingua formicas excipere, iisque devoratis sanari. Hæc quidem neque experientia istis, neque fortuito vsu sunt cognita. Num igitur, sicvt apem cera odore suo, & vulturem cadauera mouent, eminùsque alliciunt: ita suem cancri, origanum testudinem, formicæ vrsam odoribus ac defluxibus ad eorum naturam accommodatis trahunt, non sensus vtilitatis ratione habita agit? An potiùs temperamenta corporum animalibus adferunt appetitiones? quę in morbis ingenerant diuersas acrimonias, dulcedines, & alias qualitates insolentes atque absurdas, mutatis humoribus. quod liquet in grauidis mulieribus, quæ lapides & terram edunt. Itaque etiam medici periti ex appetitionibus ægrotantium de eorum vel salute vel interitu præsagiunt. & narrat Mnasitheus medicus initio morbi pulmonum eum qui cæpas appetat, seruari, qui ficus, perire: quòd tēperamentum affectui, affectui appetitus sit consequens. Probabile igitur est etiam bestias, quæ non planè in lethales incidunt morbos, ita afici ac temperari, vt temperiem sequendo ferantur ad sua quodque remedia.

XXVII. *Mustum.* Qvamobrem mustum, si vas à frigore ambiatur, dulce permanet longo tempore? An quia coctio est musti in vinum mutatio? coctioni autem obstat frigus, quia à calore ea fit. Aut contrà proprius est vuæ sapor dulcis, ideóque maturuisse dicitur quando dulcedo est æqualiter per eam diffusa? Frigus autem non sinens exhalare calorem vuæ, sed continens intus, conseruat dulcedinem musti. Atque eadem est causa quòd vbi pluuia est vindemia, mustum minus feruet. nam efferuescentia à calore est, quem inhibet frigus.

XXIIX. *Vrsus.* Cvr de feris omnium minimè vrsus retia corrodit? An quia dentes intimè in rictu habens lina iis non attingit, labiis antè ob crassiciem & magnitudinem coëuntibus? Aut potiùs robore fretus ea manibus rumpit, laqueósque divellit? Aut simul & manibus vtitur & ore, illis casses diripiens, hoc se defendens adversus venatores. Maximum ei præsidium est in volutatione. ideóque potiùs quàm moliatur lina divellere, sæpe se evoluit, itaque salutem consequitur, nihil dentium auxilio opus habens.

XXIX. *Frigus.* Qvaenam est causa, quòd frigidas aquas non admiramur, admiramur calidas? cùm constet vt harum causa est calor, ita illarum esse frigus. Non enim probanda est quorundam opinio, qui calorem esse vim, frigus non nisi eius priuationem censent: vt ens magis causa sit, quàm non ens. Sed videtur natura admirationem rebus raris attribuisse, vt quæratur quo pacto fiat quod rarò fit.

ex Euripide
Cic. II. Nat. D.

Vides sublime hunc fusum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur?

quàm is multa noctu spectacula exhibet, quantam interdiu pulcritudinem? plerique horum naturam * arcus autem cœlestes, & picturæ nubium iucundæ, & fulgores bullarum in modum erumpentes, quibus exornatum est *

Cur

CVR vites steriles * * * * caprorum nimis pingues minus sunt ad procreandum apti, & præ adipe vix coeunt. Semen enim abundantia est alimenti quod corpori exhibetur. Cùm itaque vel animal vel planta corporis cōstitutionem validam adipiscitur, & crassescit: id indicio est, intus nutrimentum omne consumi, & excrementum vel nullum, vel exiguum & sterile relinqui. XXX.

CVR vitis vino, maximè quod ex ipsa natum sit, madefacta perit? An sicut caluicies accidit multum vini potantibus, calore vini humorem evaporante? aut * XXXI. Vitis.

* vinosum est, sicut ait Empedocles:

In ligno putrefacta aqua fit sub cortice lignum.

Cùm ergo extrinsecus vino vitis rigatur, id quasi ignis viti fit, vimque nutrientem abolet. Aut, quia mero vis est stipandi, radicibus subit, meatúsque constringit, non permittit humori transitum in plantam, quo alatur & vigeat? An id magis etiam contra naturam videtur, vt in vitem redeat quod ex ea abiit? floruit enim humore qui in plātis est. & neque alere, neque apponere, neque pars esse * * *

Desunt multa. Gybertus Longolius è Mediolanensi codice adhuc octo quæstiones se adiecisse scripsit. eius videndi nunquam mihi copia contigit. G. X.

PLVTARCHI Symposiacôn, id est Conviualium disputationum liber primus.

QVAESTIO PRIMA.

An philosophandum sit inter pocula.

Confer huc Macrobij Saturnal. 7.1.



PROVERBIVM illud, Sossi Senecio, Odimemorem compotorem, sunt qui in epistathmos, hoc est bibendi magistros siue arbitros in conuiuiis referendum putent, qui plerunq; ea in re importuni sunt & immoderati. etenim Dorienses in Sicilia qui degunt, magistrum bibendi in conuiuio Mnamona (id est memorem) appellasse existimantur. Alij adagium illud imperare cēsent obliuionem eorum quæ inter pocula dicuntur atq; aguntur. ideóq; maiorum nostrorum ritu Obliuio & ferula vnà cum Baccho dedicantur: quo indicatur aut nihil eorum in memoria habendū quæ per vinum peccantur, aut leui omnino ac puerili pœna corrigendum esse. Quando autem tibi quoque videtur obliuio malorum re vera esse bona, quod idem Euripides pronunciauit: prorsus autem obliuione conterere quę inter pocula fiunt, non modò aduersari mensæ officio, quod ei tribuitur amiciciarum conciliandarum: sed haberi etiam qui contrariū testentur pręstantissimi viri Plato, Xenophon, Aristoteles, Speusippus, Epicurus, Hieronymus, Dio Academicus, qui operæprecium censuerunt colloquia conscribere in conuiuio habita, existimauerúntq; debere nos colligere quidquid de rebus ad humanitatem pertinentibus memoria dignum sparsim vel apud exteros vel in Græcia in mēsa & inter pocula disputatum sit: ego id opus aggressus, tres iam ad te misi libros, quorum vnusquisq; decem complecteretur quæstiones: missurus etiam breui reliquos, si tibi hæc videbūtur non planè à Musarum & Bacchi venustate aliena. Primum locum huic quæstioni tribuimus, Sitne inter pocula philosophandum. Meministi enim aliquando Athenis quæstione post cœnam oborta an in vino, & quatenus vtendum esset philosophicis disputationibus, Aristonē, qui tum vnà aderat, dixisse: Súntne igitur, dij boni, qui in conuiuio philosophiæ locū denegent? Tunc ego: Equidē sunt, aiebam, amice. & verò admodum grauem simulantes seueritatem, philosophiam dicunt tanquam matrēfamiliàs non debere loqui inter pocula: Persásq; laudant, qui ~~nō cum vxoribus sed pellicibus suis inebrientur atq; saltent~~. eodémq; modo à nobis volunt musicam & histriones introduci, philosophiam omitti: quòd neq; nos tum seriis vacare rebus possimus, neq; illa ad colludendū sit idonea. nam Isocratem quoq; rhetorē in conuiuio vt oraret rogatū, nihil aliud dignatū dicere, quàm hoc vnum: Quæ ipse nosset, ea in præsentia nō esse tēpestiua: ~~quæ verò præsens tēpus requireret, eorū se esse ignarū~~. Ibi tū Crato exclamās, Probè (inquit) per Bacchū, eierauit orationem, siquidē erat tales cōserturus verborū compræhēsiones, quæ Gratias fuerant è conuiuio exturbaturæ. Sed non similia sunt, opinor, hęc, orationem rhetoricā, & philosophicā conuiuio excludere. Alia enim est philosophiæ causa, quā, vtpote artem vitæ magistrā, par est nullo etiā à ioco, ludo, aut oblectatione abesse, adesse omnibus, modúmq; & morē imponere. nisi fortè temperantiā etiam & iusticiam velimus à conuiuiis arcere, seueritatem earum pręscribēdo. Quòd si tanquā Orestē qui accipiebāt conuiuio, legibus imperato silentio adhibito edendū nobis bibendúmq; esset: non infelix hoc nostrę inscitię nobis esset remediū. Si aūt Bacchus verè est Lysius & Liber, ac maximè soluit linguā frēnis libertatémq; voci plurimā concedit: stultum ego arbitror esse, intempestiuā velle orationis abundantiā optimis exuere sermonibus. & cùm in scholis disputetur de officio conuiuarū, ac quæ sit virtus cōpotoris, quomodo vtendū vino: ex ipsis conuiuiis tollere philosophiā, tanquā re comprobare quod verbis docet non valentē. Hæc cùm tu diceres, Non esse ęquum vt hac de re aduersus Cratonē disputaremus: finem tamen & notam eorum de quibus inter pocula philosopharemur quęrere iuberes, vt effugerēt id, quod nō ineleganti ioco torquetur in contētiosos & sophistico morbo laborantes,

Orestæ.

* (margin, beside "Plato, Xenophon…")

Vide Eurip. Iphig. Taur.

Nunc ite ad cœnam, vt pugnandi copia detur. — *Iliad. β, 381.*

nósq;

nóſq; ad id diſquirendum exhortarere. ego, Id primum, inquam, conſiderandum cenſeo, quales ſint qui vnà adſunt. Si enim in conuiuio ſint plures litterati, vt in Agathonis Socrates, Phędri, Pauſanię, Eryximachi, & in Callię Charmidas, Antiſthenes, Hermogenes, aliíq; horũ ſimiles: concedemus iis vſum ſermonum philoſophicorũ, vt nõ minus Muſis, quàm Nymphis Bacchũ diluant. quę hę corporibus mirè, illæ animis re vera Melichiũ & Charidotã, hoc eſt benignũ & beneficũ, præſtabũt. Etenim ſi pauci quidã interſint rudes, tanquã mutæ litterę in medio vocalium contenti inter frequentes eruditos, ſoni cuiuſdã nõ omnino inconcinni, & intelligentiæ fięt participes. Vbi aũt multitudo erit taliũ hominum, qui cuiuſcunq; auis, nerui, aut ligni malunt, quàm philoſophi vocẽ audire: vtile eſt Piſiſtratũ æmulari. Is cùm ei quædã cum filiis diſcordia incidiſſet, ſentirétq; hoc inimicis gaudio eſſe, advocata concione dixit: Voluiſſe ipſum liberis ſuis perſuadere ſuam ſententiã: quia aũt obſtinatè diſſentirẽt, ſe ipſis obſecuturũ. Sic etiã philoſophus inter conuiuas nõ admittentes ipſius orationem, mutato inſtituto iis morem geret, eorúmq; rationẽ probabit, quatenus decoro ſuo non repugnat: ſciétq;, homines oratione vti inſtrumento rhetorices, philoſophari poſſe etiã tacẽtes, iocãtes, atq; adeò etiã dicteriis impetitos & impetẽtes. Non enim modò extrema eſt iniuſticia, vt ait Plato, iuſtũ videri cùm non ſis: ſed etiã ſummæ ſciẽtiæ philoſophari ita vt hoc non videaris agere, & ludentẽ res ſerias cõficere. Atq; vt Bacchę inermes apud Euripidẽ, & ferro carẽtes, thyrſulis ſuis feriunt & ſauciãt eos quos adoriuntur: ita verorum philoſophorũ & ſales, & riſus eos qui non planè ſunt ſtupidi mouent aliquo modo, & circumagunt. Exiſtimo etiã quoddã cõviuiis accommodatũ eſſe narrationum genus: quarũ alias hiſtoria ſuggerit, alias ſumere è rebus occurrẽtibus licet, multa philoſophicæ doctrinæ exempla, multa pietatis habẽtes, ſtudiúmq; æmulandi facta fortiter, magnanimè, benignè, humaniter, ingenerantia. quibus ſi quis apud nec opinantes quicquam tale vtatur, is bibẽtes tanquã pædagogus moderans, non minima ebrietatis mala intercluſerit. Sunt qui bugloſſa vino admiſcent, aut ſolum rigant verbenarũ adiantorúmq; ſuccis imbuta aqua, quòd hæc conviuiis hilaritatem aliquã & comitatem parare opinantur: imitantes Homericam Helenã, quę vino medicamẽtum iniecerit. neq; intelligunt fabulã illam longo itinere ex Aegypto vſq; deductã, tãdẽ in ſermones decoros & elegãtes deſinere. Bibẽtibus enim narrat Helena de Vliſſe, Odiſſ. Δ, 220.

Infracta quantum tolerârit mente laborem, ibid. 242.
Cùm ſe verberibus fœdè multaſſet acerbis. & cætera.

hoc enim fuit opinor illud mœrorẽ abolẽs nepẽthes medicamẽtũ, omnémq; amoliẽs dolorẽ, oratio pręſenti rei & evẽtib⁹ accõmodata. Porrò aũt elegãtiore doctrina præditi homines, etiã ſi ita philoſophẽtur, vt id præ ſe haud obſcurè ferant: tamẽ oratione probabili ádq; perſuadendũ apta magis vtunt, quàm violẽtia demonſtrationũ. Vides enim vt Plato in Conviuio de Fine diſſerens, & primario bono, omninóq; theologica tractãs, tamẽ non contendat demonſtrationẽ, neq; more ſuo luctatorẽ referat, qui validis & inevitabilibus adverſarium cõſtringat nexibus: ſed mollioribus ſumtionibus, exẽplis, ac fabulis fidẽ conviuis faciat. Cæterùm ipſę etiã quæſtiones eſſe debẽt magis familiares atq; notæ, & interrogationes moderatæ, neq; nimis ſubtiles: ne iis rudiores opprimãtur aut à colloquio fugẽtur. Sicvt enim cõpotores ita ſolẽt à conviuio diſcedere, vt ad ſaltationẽ ſe aut choreas conferãt: ſi verò ad depugnandũ armis, aut diſcum iactandum eos cogas, nõ modò iniucundũ, ſed & damnoſum fuerit conviuiũ. ſic animos quęſtiones faciles cõcinnè & vtiliter mouẽt: à cõtentioſis aũt, vt ait Democritus, & perplexis vitilitigationibus abſtinendũ: quæ & proponẽtem eas in rebus tenuibus & intellectu difficilibus moleſtè occupant, & præſentibus ſunt odioſæ. Nam vt vini, ita orationis quoq; ad omnes cõviuas pertinẽs eſſe debet cõmunitas. Qui verò quæſtiones proponũt abſtruſas, ij ab hac nõ minus abſunt, quàm grus & vulpes Aeſopi. de his vulpes ad cœnã inuitatæ grui pultẽ tenuẽ in tabula propoſuit, quã ob liquorẽ hęc diffluentẽ edere nequiret aut roſtro prędẽdere, itaq; ridicula eſſet. viciſſim grus vulpi ad conviuiũ vocatæ cibũ in laguncula propoſuit, quę tenue haberet & longũ collũ, vt ipſa vulpe interim eſuriente per id roſtro inſerto cibũ nullo capere poſſet negocio. Ita etiã quãdo philoſophi inter pocula ſubtiles & dialecticas quæſtiones ſuſcipiẽtes reliquis nihil earũ intelligẽtibus moleſtiã exhibẽt: hi cõtrà iſicatationes, narrationes nugarũ plenas, ſermones illiberales, atq; forẽſes proferunt: actũ eſt de conviualis ſocietatis fine, & contumelia Bacchus afficitur. Sicvt itaq; cùm Phrynichi & Aeſchili tra-

Ii ij

gœdię in res ludicras & fabulosas detorquerent, dictum fuit, Quid hæc ad Bacchum? ita mihi sæpe incidit dicere ad eos qui in conviuia argutias sophistarū traherēt: Mi homo, quid hæc ad Bacchū? Cātat enim fortasse aliquis Scolion q̄d vocatur carmē, quasi obliquū si diceres, cratere in medium proposito, & corollis distributis, quas deus libertatē donās nobis imponit. non honestū aūt, neq; conviuio aptum. Quādo quidem scolia etiā dicunt non esse genus cantilenæ obscure conditæ: sed quia primùm soleret cantare pæanē deo vna omnes voce, laudes ipsius celebrādo: deinde vnusquisq; propriam cantilenā, acceptā myrto, quā ex eo asaron appellabant, quòd cātaret is cui tradita ea esset. Et q̄a deinde lyra circūlata, erudit⁹ illud carmē cōcinnè modulabat̄, recusabāt rudes musicę: scoliō fuit nominatū, q; neq; facile esset, neq; omnibus cōmune carmē. Alij myrtū nō ordine traditā fuisse aiūt, sed à lectulo in lectulum trāsmissam: ita vt q̄ primus cecinisset, primo in secūda mēsa eā mitteret, is primo tertiæ: eodēq; modo secūdi secūdis. itaq; ob varietatē & flexuū multitudinē in circuitione scoliō fuisse dictū.

Scolium carmē.

QVAESTIO SECVNDA.

An conuiuas is, qui conuiuio excipit, ipse debeat collocare: an verò collocationem conuiuarum arbitrio permittere.

TIMO frater meus cùm excepisset conviuio cōplures, vnumquenq; eo quo liberet loco iussit accumbere: ideò quòd & hospites, & ciues, & familiares, & domestici, deniq; variorū generū homines erāt quos inuitauerat. Cùm iam adessent multi, quidā velvti è comœdia bellè prætextatus, vestitu nimio & comitatu puerorū aliquantū insolētior, vsq; ad fores pervenit cœnaculi: cùmq; oculis pervagatus esset personas accumbentiū, ingredi noluit, sed proripuit sese, multisq; qui retraherēt hominē accurrētibus, negauit locū sibi ipso dignū esse relictum. Hunc ergo qui accumbebāt effusè ridētes, iussere cum gaudio & faustis ominibus domo emitti. multi enim iam mediocriter adbiberant. Finita cœna, pater me, qui longiùs ab illo discumbebā, alloquens: Timon, inquit, & ego te iudicem nostræ controversiæ statuimus. iamdudum enim abs me obi urgatur hospitis istius gratia. Nam si ab initio vti iusseram locum cuique suum adsignasset, non impegisset nobis ordinis confusi crimen homo ille, gnarus

Iliad. β, 554. *Ordine quémque suo peditémue equitémue locare.*

Sanè Paulū quoq; Aemilium imperatorē aiunt, cùm debellato Perseo in Macedonia cōviuia agitaret, vsum admirabili ordine atq; apparatu omniū rerum dixisse, Eiusdem viri esse & armatā aciem quàm maximè terribilem, & conviuiū quàm iucundissimum instruere. in vtroq; enim artē ordinis rectè instituendi requiri. Et Homerus præstantissimos viros regnandiq; gnarissimos solet Kosmetoras, id est ordinatores populorum appellare. Vos quoq; magnū illum deū alicvbi pronunciatis ordine confusionē dum tolleret, mundū constituisse, nulla re vel addita vel detracta: sed eo naturæ defœdissima pulcerrimā formā redegisse, q; suis quæq; in locis cōstitueret. Verùm hæc nos grauiora atq; maiora à vobis discimus. Ipsi aūt cernimus sumtū qui in conviuia fit, ordo si absit nihil iucundū habere, nihil liberale. Proinde ridiculū est coquis & mēsę ministris curæ esse quid primo, quid secundo, medio vltimóve loco apportent: atq; adeò etiam vngu entis, sertis, fidicinæ (si adhibeat̄) suum esse ordinē atq; locū: istos, qui ad hęc vocant̄ temere & fortuitò iuberi discūbere, neq; ætatis, magistratus, aliarúmve id genus rerū vllā haberi rationem. cùm quidē conveniente instituto ordine, & honore afficiat̄ præstātior, & qui eo minor est, adsuescat locū cedere digniori: prętere a is qui collocat exerceat̄ in iudicio & cōiectura de decoro faciēda. Neq; enim suus in cōsessu, suus in adstādo locus est potiori, null⁹ est in discūbendo: neq; prębitor, qui alij prius quàm aliis prębibit, in locis mensarū distribuēdis discrimina personarū negliget, & principiò statim totū conviuium faciet vnā (quod aiunt) Myconum. Hoc fere modo pater suam causam egit. Frater autem. Non ego sum (aiebat) Biante sapientior: vt cùm ille arbiter inter duos amicos esse recusauerit, ego vnà de tot necessariis, tot aliis iudicium faciam, laturus non de pecuniaria re, sed de dignitate atq; pręstātia sententiā: quasi verò nō ad tractandum comiter amicos, sed ad ægrè iis faciendum inuitassem. Equidem ineptus fuit Menelaus, & proverbio locum dedit, qui ad consilium dandum accessisset non vocatus. Absurdior fuerit, qui se pro conviuatore iudicem constituat, ac discepta re velit nemine ei iudicium deferēte, aut causam dicente, quis quo sit melior aut deterior. cùm quidē ij non ad certamen, sed ad cœnam venerint. Tum diiudicatio ipsa non est facilis, aliis ætate, aliis familiaritate præstantibus. oportebátq; tanquam declamatio-

Iliad. α, 16. alibi.

Iliad. A 408.

tionem qui meditaretur in comparandis inter ſe aliquibus verſaturam, in promtu habere locos Ariſtotelis, aut Thraſymachi hyperballontas, quibus de excellentia continentur argumenta. & tamen ſic nihil vtile conficias, inanem duntaxat gloriam à foro & theatro in conviuia traduxeris. cúmq; alias animi perturbationes conemur partim conſuetudine conviuali, illam fortunæ paremus * quæ multo magis oportet ex animo eluere, quàm cœnum à pedibus detergere, vt in conviuio poſſimus facilè & comiter cum aliis verſari. Nunc, cùm iras & inimicicias vocatorum tentemus conviuio abolere, rurſum eas ambitione iniecta exſuſcitamus atq; incendimus, dũ alios deprimimus, alios extollimus. Iam ſi quidem accubitui comitabuntur frequẽtiores propinationes, miſſus, colloquia, compellationes: omnino pro amico & familiari ſatrapicum habebimus conviuium. Sin erit vt ęqualitatem inter conviuas velimus aliis in rebus ſeruare: cur non hoc ſumto exordio adſuefacimus eos ſimpliciter & abſque faſtu inter ſe diſcumbere? cùm ſtatim ab ipſa ianua poſſint cernere, Democritum ad conviuium, non * eximiũ vt * vrbem, in quo diues accumbens cum tenuiſſimis * Cùm hæc quoq; eſſent dicta, & ſententiam poſtularer: Ego, inquam, non vt iudex adſcitus pronunciabo, ſed tãquam honorarius arbiter *medium feriam. Nam ſi quis adoleſcentes, ciues, aut familiares conviuio excipiat, condocefaciẽdi ſunt, vt aiebat Timon, abſque delectu & faſtu quemvis locum accumbendi boni conſulere, & viaticum ad amiciciam præclarum vſurpare facilitatem. Sed de hoſpitibus, magiſtratum gerentibus, aut natu grandioribus hoc modo philoſophari ſi intendamus, verendum puto ne videamur faſtum oſtio atrienſi excludentes per poſticum admittere, dum nimiam indifferentiam atq; æqualitatem introducimus. Hoc enim & cõſuetudini aliquid dandum eſt, & legibus concedendum. niſi propinationes etiam volumus & compellationes abolere, quibus adverſum eos quibus cum nobis res eſt, non promiſcuè vtimur; ſed quantum omnino fieri poteſt honoramus

*Aſſeſſu, carnis miſſu, pleniſque *culullis:* Iliad. μ, 311.

vt ille Lyciorum rex inquit, ordini honoris primas partes tribuens. Alcinoum quoq; laudamus, qui hoſpitem iuxta ſe collocaret,

Gnatum iuſſiſſet cùm ſurgere Laodamanta, Odiſſ. η, 170.
Carus præ reliquis ipſum qui ponè ſedebat.

admodum enim humanum fuit & ſcitum factum, quòd ſupplicem in locum dilecti recepit. Sed & apud deos eſt iudicium & diſcrimen huius rei. Neptunus enim quanquam vltimus veniſſet in concionem, nihilominus

In medio conſedit: —— nimirum hoc loco ei Iliad. υ, 15.
conveniente. Minerua autem videtur eximium hunc locum habuiſſe, vt ſemper Ioui proximè adſideret. idque poëta innuit, de Thetide dicens:

Aſſedit patrique, locum cedente Minerua. Iliad. ω, 100.

& Pindarus diſertè dixit:

Spiranti flammas quæ propè fulmini aſsidet.

Dicit quidem Timo, non debere multis auferri quod vni tribuas. Atqui is magis adimit, quod proprium vnius ſit qui multis facit commune. Propriũ autem vnicuiq; eſt, quo primas meretur: ſtudiũ, virtus, adfinitas, magiſtratus. * Et quòd fugere vult ne conviuis moleſtiam exhibeat, in id ipſum incidit. nam ægrè facit alicui, qui eum vſitato honore priuat. Cæterùm diiudicatio mihi quidem non admodum videtur difficilis. Primùm, quia non facilè multi vnà inuitantur dignitate æquales. Deinde cùm multa ſint loca honorata, ſatis copiæ eſt honores diſtribuẽdi, modò quis conücere poſſit quis primus ſit, quis medius. tum alios iuxta amicum, aut familiarẽ, aut magiſtrũ collocabit, adiungens ſingulos iis quibus in diſcumbendo honos fuit habitus. reliquis ego munuſcula & amicam tractationem potiùs, quàm honorem adhibeo. Quòd ſi honoribus pares ſint conviuæ, interim moroſi: vide quam ego machinam admoueam. Honeſtiſſimum locum tribuo patri, ſi adſit, aut auo, ſocero, patruo, aut alicui cognatorum, ei denique, cui apud conviuatorem peculiaris ſit quædam honoris prærogatiua. Idq; adeò commentum vnum eſt de iis, quæ ex Homeri pulcrè præceptis deſumuntur. Ibi enim Achilles cùm videret Menelaum & Antilochum de equeſtris victoriæ præmio contendere, metueretque ne ira & rixa longiùs procederet, alÿ illud

Iliad.ψ,538. præmium tribuit: verbis hoc præscribens, miseratione se ductum Eumelo hunc honorem deferre, facto autem causam contentionis illorum tollens. Hæc me locuto, Lamprias, qui more suo in lectulo inferiore sedebat, alta voce ex iis qui aderant quæsiuit, Paterentúrne à se corrigi delirantem iudicem. Cùm omnes iussissent eum libero vti sermone, nihilque parcere: Quis tandem, inquit, philosopho parcat, qui natalibus, opibus, magistratibus quasi spectandi primarium in theatro locum aliquem in conuiuio tribuat, aut primùm ius dicendæ inter Amphictyones sententiæ? scilicet vt ne inter pocula quidem à fastu simus immunes. Non enim in collocandis ad mensas conuiuis respiciendum est ad gloriam, aut vnius cuiusvis dignitatem: sed ad iucunditatem. puta, quo modo vnus ad alium sit affectus: quomodo ipsis inter se conveniat. quo pacto aliæ etiam res in aliquam recipiuntur communitatem. Nimirum qui domum ædificat, non lapidem Atticum aut Laconicum ob nobilitatem præponit: neque pictor colori preciosissimo locum principem attribuit: neque naues compingens faber, Isthmicam abietem, aut Creticam cupressum reliquis priorem lignis ponit. Sed vt, inter se composita atque concinnata totum sint opus factura validum, pulcrum, vtile, sic ea disponunt. Ipsum adeò deum vides, quem Pindarus noster optimum artificem cognominauit, non vbique suprà ignem, infrà terram posuisse: sed in eo vsum ac necessitatem corporum secutum. Empedoclem audi.

Inspice tergigraues conchas quandoque marinas:
Buccinus, exemplóque obducta chelys tibi saxo
Esse potest, summo vt videas in corpore terram.

hanc enim habent hæc constitutionem, quam non naturalis locorum distributio, sed noui operis confectio exigebat. Sanè confusio & ordinis disturbatio vbique mala est: verùm vbi ea incidit hominibus, & quidem potantibus: contumelia, aliísque infandis malis demonstrat suam prauitatem. quæ prævidere atque præcauere hominis est ordinis atque concinnitatis gnarum se esse profitentis. Rectè eum ista dixisse affirmauimus, ac interrogauimus cúrnam nobis istas ordinis atque concinnitatis rationes inuideret. Profectò, inquit, non inuideo, si permittitis mihi, vt quo pacto phalangem Epaminondas, ego conviuij ordinem mutem, melioremque redigam. Vniuersi nos potestatem ei permisimus hoc agendi. Ille pueris è medio iussis discedere, in singulos intuitus: Audite, inquit, quo modo vos statuerim componere. volo enim prædicere. Videtur mihi Pammenes Thebanus haud iniuria reprehendisse Homerum, vt amatoriæ rei ignarum: qui tribus tribubus, curias curiis adiungi iuberet. cùm oporteret amatori amasium adponi, vt tota phalanx animato devincta vinculo conspiraret. Pammenem ego secutus, ita conviuas disponam, non vt diuitem diuiti, iuueni iuuenem, principem principi, amico amicum adiungam: quæ dispositio ociosa est, neque ad benevolentiam parandam augendámve quicquam conducit. sed id quod vnicuique deest accommodans, homini qui de rebus ad humanitatem facientibus libenter disserat, studiosum discendi apponam, moroso mansuetum, loquaci seni adolescentem audiendi auidum, glorioso subsannatorem, iracundo tacitum. quòd sicubi diuitem conspexero munificum, excitabo ex angulo aliquo & ad eum adducam probum pauperem, vt tanquam è pleno poculo in vacuum aliquid ex illo in hunc defluat. Sophistam verò adsidere sophistæ, aut poëtam poëtæ nolo:

Iliad.β,363. (margin note beside "hendisse Homerum")

Hesiod.27. *Vrit enim cantor cantorem, & egenus egenum.*

quanquam Sosicles iste & modestus epos conserentes * fomitum flammam quidem, sed periclitantur pulcerrima. Rixosus etiam, dicaces, & iracundos divello in medium interiiciens placidum aliquem, tanquam ad emolliendum extremorum rigorem. deditos contrà palæstræ, venationi, aut agriculturæ coniungo. Similia enim quædam inter se coniuncta pugnam cient, vt galli: aliis convenit, vt graculis. Potores etiam conduco in vnum, & amatores, non modò quos amor vrit mutuus, vt ait Sophocles: sed etiam qui mulieres & virgines depereunt. Eodem enim flagrantes igni, magis invicem coalescent, sicvt ferruminatione glutinatum ferrum. nisi quidem fortè eiusdem amore siue maris siue feminæ ardeant.

Quæ-

QVAESTIO TERTIA.

Cur is locus, qui consularis appellatur, in honore habeatur.

SEcundum hæc incidit quæstio de locis. alius enim apud alios locus honoratur. vt Persis medius, quem accumbens rex occupat, videtur honestissimus: apud Græcos primus: apud Romanos mediæ mensæ vltimus, quem ipsi consularem vocant: apud quosdam Græcorum iuxta Pontum habitantium, vt Heracleotas, mediæ mensæ primus. Maximè autem de consulari loco dubitatum à nobis fuit, qui cùm apud nos haberetur præcipuus, causa eius rei neq; vt quia primus, neq; vt quia medius esset, definiri poterat. tum quæ ei accidunt, partim non sunt propria, partim nullius videntur momenti. Tria tamen ex his quæ dicta sunt, nos mouerunt. Vnum, quòd deiectis regibus consules, cùm ad popularem formam omnia redigerent, seipsos è medio & regio loco deorsum subduxerunt: ne vel ipse locus tanquam regij imperij ac potestatis reliquiæ quædam molestus esset ciuibus. Secundum, quòd cùm duæ mensæ inuitatis tribuuntur: tertia, eiúsq; primus locus maximè conviuatori congruit. ibi enim tanquã auriga aut gubernator dextrè potest intueri in ministeria, & à proximis locis non ita longè remouetur, quin cõpellare possit & colloqui. locus enim infra eum, vxoris est aut liberorum. qui suprà, is vt par est tribuitur conviuarum honoratissimo. Tertiũ fuit, quod huius loci proprium videbatur: opportunitas nimirum ad actiones obeundas. Non enim consul Romanorum more Archiæ Thebanorum polemarchi agit, vt litteris inter cœnandum aut sermone aliquo considerationem requirente oblatis, tantum fatus In crastinum seria, epistolam reiiciat, ac poculum Thericleum arripiat. sed in hoc ipso temporis articulo solicitũ admodũ ac circumspectũ se præbet. Quippe nõ modò

Plut. Pelopida.

Nox incutit gubernatori, qui sapit,
Dolorem, — vt est apud Aeschylum: sed & in quovis conviuio, quavis animi recreatione & oblectatione convenit magistratui ac principi curare, vt & audiat, & mandet quæ opus est, & subscribat. quod vt facere possit, hunc habet locum eximium: vbi secunda mensa ad primam applicata angulus flexu suo intercapedinem facit, quæ spacium accedendi, alloquendi, & audiendi præbeat scribæ, lictori, stipatori, nuncio ab exercitu venienti: cùm interim consul neq; molestiã cuiquam conviuarũ exhibeat, neq; ipsi obturbetur à quoquã, sed & dextram & vocem liberam habeat atque expeditam.

QVAESTIO QVARTA.

Qualem oporteat esse magistrum conuiuij.

CRato adfinis, & Theo socius noster quodam in conviuio cùm iam et ceptum esset largiùs potari, & desitum, mentionem intulerunt de magistro compotationis, censuerúntq; me, vt qui sertum gererem, non debere negligere consuetudinẽ iam ferè omnino exolescentem de eo qui præesset conviuio, sed eam in vsum revocare. Hæc sententia ita placuit reliquis, vt vniuersi cum strepitu me ad id cohortarentur. Ibi ego: Quando, inquam, omnibus vobis ita videtur, ego meipsum conviuij modiperatorem constituo, iniungóq; reliquis, vt in præsentia bibant suo quisque arbitratu: Cratoni autem ac Theoni autoribus huius decreti, atque legislatoribus, vt breuiter atque sub exemplo explicent, qualis sit arbiter ille compotationis deligendus, & in quem scopum intentus debeat, ac qua ratione moderari compotationi. Ipsi viderint, quomodo inter se vices disserendi partiri velint. Cùm illi simulata tergiversatione vsi aliquantulum essent, omnes tamen iis suaderent vt principi obtemperarent, & iussa exequerentur: prior ita orsus est dicere Crato. Quemadmodum Plato præfectum vigilum vult esse quàm maximè vigilem, ita inter conviuas is debet magister constitui, qui quàm maximè sit aptus compotando. Talis erit, qui neque obruatur facilè ebrietate, & tamen ad bibendum sit alacris. sitq; Cyri similis, qui ad Lacedæmonios scribẽs, profitebatur se cùm aliis in rebus fratre ad regnum gerendum aptiorem esse, tum facilè etiam multum meri ferre. nam & vinosus, contumeliosus fuerit & indecorus: & omnino sobrius, iniucundus, ac mores quàm conviuium regendo aptior. Equidem Pericles quoties prætor creatus chlamydem primùm indueret, secum solebat colloqui tanquam semetipsum cõmonefaciens, Animum adverte Pericles, liberis hominibus imperas, Græcis imperas, Atheniensibus imperas. Ita noster conviuij moderator secum reputabit, Amicis se præesse: vt ne-

que permittat eos turpiter agere,neq; voluptatibus prohibeat. Et oportet eum cùm seriis bibentium studiis esse accommodatum, tum à iocis eorundem haud alienum, sed ad vtraq; probè temperatum:ita quidem,vt boni instar vini nonnihil ad austeritatem ingenio sit propensiore.id enim vino emollietur,& ad mediocritatem redigetur. Atq; vt Xenophon ait,Clearchum hominem alioqui austerum et agrestem,in prœliis ob audaciam iucundum hilarémq; fuisse visum:ita qui natura non morosus, sed grauis sit atq; austerus,inter potandum mitescens,amicior fit atq; iucundior. Præterea debet peritus quammaximè esse, quam vnicuiq; conuiuarum mutationem vinum adferat, & ad quod affectionis genus procliuior sit,ac quomodo merum ferat. Non enim vini quidem est alius alia ad aquam contemperatio,quam pincernæ regij habentes cognitam,aliàs plus,aliàs minus aquæ suffundunt:homo autem ad vinum non habet suum temperamentum.sed & est,& magistro conuiuij cognitum esse debet, ab eóq; obseruari:vt musici in morem aliorum animos potando contentiores, aliorum abstinendo remissiores reddens,è diuersitate æquabilitatem atq; consonantiam conficiat. ne hemina & acetabulis æqualitas æstimetur, sed modo quodam opportunitatis & vi corporum sua vnicuiq; vini portio tribuatur. Quòd si hoc difficile est,ista quidem omnino tenenda sunt arbitro bibendi communia de naturis & ætatibus. puta, quòd senes faciliùs inebriantur quàm iuuenes,qui mouent subinde quàm quiescentes,insomniis & curis vexati,quàm qui animo quieto sunt & hilari * affatim & de * abducentes à lasciuientibus.Atq; hæc qui cognita habeat,faciliùs ignaro decorum concordiámq; conuiuio temperando adsciscet.Illud nemo sanè ignorat,magistrum conuiuij omnibus debere amicum esse cōuiuis atq; acceptum,cum nullo simultates aut inimicicias exercere.alioqui neq; imperando tolerabilis,neq; distribuendo æqualitatis obseruās, neq; colludendo inculpabilis erit. Talem ergo(aiebat)tibi ego,mi Theo,cōuiuij præfectum verbis tanquam è cera fictum trado. Tum Theo. Equidem, inquit, accipio virum probè & conuiuio conuenienter formatum.nescio autem,an si vbiq; eo vtar, dedecoraturus sim opus. * hunc mihi videtur * conuiuium * adducturum nobis: & visum iri modò concio populi remp.in sua potestate habentis, aliàs schola rhetorica fieri,mox ludus talarius,interdum scena & pulpitum.nisi fortè nō videtis inter cœnandum alios de rep.& iudiciis disputantes,alios declamitantes et scripta sua recitantes, quosdam mimis & saltatoribus præmia constituentes. Alcibiades verò & Theodorus Polytionis conuiuium pro adyto vbi homines sacris initiarentur vsurpauere, facigerationes & mysticas actiones imitando. Quæ omnia ego præfecto cōuiuij nequaquam negligenda arbitror.sed & sermonibus,et spectaculis,et ludicris locum dabit iis duntaxat,quorum vsus ad scopum conuiuij pertingit.is autem est amiciciæ vel confirmationem vel initium voluptate quadam inter conuiuas efficere. Est enim conuiuium oblectatio inter pocula,ob gratiam in amiciciam desinens. Iam cùm in omnibus rebus id quod sincerum ac nulla alia re permixtum est, fastidiosum sit & damnosum,ipsa autem mixtio nisi tempestiuè & modo adhibito fit,omnia turbet, & cùm iucundis vtilitatem detrahat,tum vtilia molesta redigat:nimirum etiam bibentibus arbiter mixtam quandam prouidebit oblectationem. Quod ergo vulgo dici solet,iucūdissimam esse nauigationem prope terram,& deambulationē iuxta mare : id huc trāsferet,itaq; seria iocis temperabit,vt & iocantes serium vtcunque aliquid sectentur, & rursum seria agentes animum recipiant, velvti à nausea, dum ad ludum iocúmq; propinquum respiciunt. Nam & risus potest ad multa vtilia accommodari,& seriæ res dulcedine aliqua temperari.

lib. 2. de Exped. Cyri.

Conuiuium quid.

Inter echinopodes velut,asperam & inter ononin
Interdum florent mollia leucoia.

Qui verò ludi sine seriis rebus comesatum veniunt in conuiuia, eos iubebit accuratè cauere,ne fallant contumeliam, sicvt altercum vino inserentes,iis quę vocantur mandatis,vt dum balbos cantare,caluos se pectere,aut claudos saltare iubent. Sicvt Agamestori Academico,cui crurum alterum tabe cōsumtum & exile erat, insultantes cōpotores,iusserunt vnumquenque vno dextro stantem in pede poculum ebibere, aut multam persoluere.cùm autem ius mandandi ad ipsum peruenisset, omnes iussit ita vt ipsum viderent bibere:allatáq; inani testa,in eam inserto debili pede poculum exhausit:reliqui omnes cùm periculo facto præstare se id non posse viderent,multam soluerunt.

runt. Scitius profectò Agamestor. atque ita omnino cum facilitate & hilaritate vlciscẽda sunt talia. Proinde mandatis istis adsuescemus vti ad voluptatem & vtilitatem accommodate: eaque imperare, quæ iusso sint familiaria, & præstari ab eo possint, præstantémque ornent. vt musicos iubeamus canere, oratoriã artem callentes dicere, philosophos quæstionem aliquam obscuram soluere, poëtas versus recitare. Libenter enim vnusquisque & alacriter ad rem eam ducitur,

In qua seipso cernitur præstantior.

Sanè rex Assyriorum præconis voce præmium ei pollicitus est, qui nouam voluptatẽ aliquam excogitasset. at conuiuij rex meritò prẽmium & honorem detulerit ei qui iocum contumeliæ purum, & oblectationem vtilem, risúmque non momi & iniuriarum, sed gratiæ & comitatis socium in conuiuium introduxerit. hanc enim ad rem pleraque conuiuia naufragium faciunt, dum non rectè gubernantur. Est autem hominis modesti ac prudentis iram atque inimicicias vitare: quarum occasiones in foro ex auaricia, in palæstra & gymnasiis è contendendi studio, in magistratibus & honorum petitionibus ex ambitione, in cœna atque inter pocula è iocis captatæ nobis insidiantur.

QVAESTIO QVINTA.

Quomodo dictum sit, Amor docet musicam.

QVomodo dictum sit — *Musicam quidem*
Amor docet, licet fueris priùs rudis:

quæsitum est apud Sossium cùm carmina quædam Sapphica recitata essent. quando etiam Philoxenus Cyclopem camœnis bene sonantibus sanasse amorem scripsit. Dictum ergo fuit, Amorem vim habere ad omnia audendum, & nouas res tentandũ impellendi: quamobrem Plato eum nihil intentatum relinquere dixit. Nam & de taciturno loquacem, & de verecundo officiosum reddit, & de negligẽte industrium, de socorde impigrum: & quod maximè videatur alicui mirum, tenax homo & sordidus in amorem incidens, tanquam ferrum in ignem, emollitur, mitiórque fit & facilior. vt iam non planè ridiculum sit illud verbum, vulgo quod fertur, Amantium crumenas folio porri ligatas esse. Hoc quoque dictum fuit, amorem ebrietati esse similẽ. Facit enim calidos & hilares, ac dissolutos: & qui tales sunt redditi, ad cantillandum vocésque mensura contentas maximè efferuntur. atque adeò Aeschylum aiunt cùm vino incaluisset tragœdias scripsisse. Lamprias quoque auus noster inter potandum inueniendi ac disputandi facultate sibi ipsi præstabat: ac solebat dicere à vini calore vaporem quendam se, velvti à thure fit, sentire edi, quo oppleretur. Iam cùm amasios lubentissimè amatores videant, non minùs libenter eos laudant quàm vident: & amor alioqui loquax, in laudando est verbosissimus. nam qui amant, cùm sibi ipsis hoc persuaserunt, tum aliis persuasum volunt esse, pulcros abs se & bonos amari. (quæ res etiam Candaulem illum Lydum eò pertraxit, vt in cubile introduceret seruum, cui spectandam suam vxorem præberet.) Ipsi enim volunt suorum amasiorum pulcritudinis testes esse. itaque cùm laudationes scribunt, eas cantilenis & versibus exornant, tanquam auro statuas, vt & audiantur & memorentur à pluribus. Atque etiam si equum, gallum, aliúdve quippiam amasio donent, vt elegans sit & impensè decoratum munus laborant. quo magis orationem, quam adulandi gratia adhibent, suauem esse volunt, nitidam, atque elatam: qualis est poëtarum. His collaudatis Sossius: Non minùs commodè, inquit, argumenta aliquis duxerit ex his quæ de musica scripsit Theophrastus: quem librum nuper ego legi. Is enim tria ait musicæ esse principia: dolorem, voluptatem, instinctum diuinum. quorum vnumquodvis vocem à consueto modo auersam ad canendum inclinet. Quippe gemitus dolentium ac eiulationes ad cantilenam sunt procliues: vnde oratores in conclusionibus, & histriones in deplorationibus sensim ad succinendum videmus accedere. Et exsultans animi gaudium eorum, quorum leuiora sunt ingenia, totum corpus exagitat, & ad motum corporis saltationémque numeris aptam concitat, aut (si saltandi quis ignarus sit) ad plaudendum. atque tunc exagitatorum hominum videas (quod est apud Pindarum) furores, & conclamationes cum fremitu & ceruicum iactatione. modestiores vocem duntaxat ad cantandum, grandiúsque dicendum, & ad modos accõmodant.

Timæo.

Herodot. Κλειοῖ.

Maximè autem diuinus instinctus & corpus & vocem de consueto statu modóq; exturbat atq; pervertit. vnde & in orgiis Bacchi numeri seruantur, & oracula per versus à captis furore vatibus eduntur, paucósq; insanientium videre est qui non sua deliria carmine & cantu enuncient. His ita habentibus, si explicatum in aperto amorem intueri velis, ac pernoscere, invenies nullam aliam animi perturbationem vel dolores adferre acriores, vel gaudia vehementiora, vel maiores furores mentísq; abalienationes. sed animam hominis amore capti, instar Sophocleæ vrbis

initio Tyranni.

Totam refertam suffitibus & odoribus,
Pæanibus resonantémq;, & vlulatibus.

Absurdum itaq; non est aut mirum, si omnia principia musicæ amor in se complexus, dolorem videlicet, voluptatem, instinctum diuinum, cùm aliàs industrius et garrulus, etiam ad condenda carmina & versus magis vllo animi alio motu præceps sit.

QVAESTIO SEXTA.

De Alexandri bibacitate.

SErmo inciderat de rege Alexandro, quòd is non bibisset multum, sed inter pocula disserendo cum amicis multum extraxisset temporis. Eum vanitatis convicit Philinus ex diariis commentariis regiis, in quibus creberrimè & continenter scriptū est, Hanc diem rex à compotatione dormiuit: aliquando etiam, & posteram. Itaq; ad venerem quoq; fuit segnior, aliàs acer & iracundus, quæ res calorem corporis arguūt. ac dicitur corpus eius suauissimè oluisse, ita vt tunicul fragrantia replerentur aromatum odorem æmulante. Quod ipsum etiam caliditati videtur deberi: siquidem terræ siccissima & calidissima loca thus & casiam proferunt: & fragrantiam Theophrastus nasci tradit coctione quadam humorum, quando quod noxium erat, calore excoctū fuerit atq; dissipatum. Videtur autem etiam Callisthenes * in calumnia * tanquā ægrè fer * cœnare ob * quando etiam magnum calicem, qui Alexandri dicebatur, ad se delatum recusauit, fatus Non velle se epoto Alexandri calice, opus habere Aesculapio. Hæc ergo de bibacitate Alexandri. Mithridatem porrò, qui Romanis bellum fecit, in certaminibus quæ instituit aiunt etiam præmium proposuisse ei qui plurimum edisset, & ei qui bibisset plurimum: ipsum vtriusque rei victoriam consecutum esse. omnino autem plus solitum bibere quàm quisquam ea ætate hominum, indéq; eum Dionysi, quod est Bacchi, cognomentum reportasse. Ea quidem, inquam ego, cognomenti causa horum de numero est, quæ frustra creduntur. Nam infantis eius etiamnum cunas fulmen incendit, corpore intacto, vestigio duntaxat ignis in frōte relicto à coma comprahensi * * Cúmq; iam virilem attigisset ætatem, rursum illo dormiente fulmen in domicilium incidit, ac propter eum suspensam pharetrā pertransiit, sagittis incensis. ex eo vates pronunciauerunt maximam ei fore potētiam sagittaria re & leuis armaturæ exercitu. vulgo autem Bacchus appellatus est quòd similia eius fulminibus accidissent. Exinde sermo fuit habitus de iis qui multum bibissent. In his pugil quoque Heraclides fuit numeratus, qui patrum nostrorum vixit memoria, diminutiuè Heraclûs ab Alexandrinis dictus. Is, cùm ei adsiduus compotor nullus obtingeret, quosdam ad matutinam potationem, alios ad prādium, ad cœnam rursum aliquos, & tandem alios ad comesationem inuitauit, ita vt primis continuò secundi, itáq; deinceps tertij & quarti succederent: ipse nulla facta intercapedine omnibus sufficiebat, quatuórq; vnà compotationes peragebat. Inter hos qui cum Druso Ti. Cæsaris F. vixerunt, medicum bibendo aliis omnibus palmam præripientē deprehensum est quinq; aut sex amygdalas amaras subinde ante compotationē edere solitū ne inebriaretur. et prohibitum, ac ne id facere posset obseruatum, facilimè à vino fuisse victum. Sunt qui putent amygdalides illas vim quandam mordend rodendóq; tergendæ carnis habere, ita vt etiam de faciebus maculas tollant ex ardore Solis contractas. eas ergo ante potationem sumtas amaritudine sua meatus vellicare ac mordere, vt sic humorem à capite devellant, isq; evaporetur. Nobis magis hoc visum est, amarorem vim exsiccandi humorémq; consumendi habere. Etenim gustatu omnium saporum iniucundissimus est amarus, qui venulas linguæ (vt Plato ait) molliores ac rariores contra naturam constringit. Sed & vulnera vt coëant efficitur iniectis amaris, quæ siccitate sua humorem consumant. quemadmodum Homerus dixit:

Timæo.

Contri-

Contritam manibus radicem iniecit amaram, Iliad. λ, fine.
Omnes hæc pepulit de corpore quippe dolores,
Subſtitit & ſicco contentus vulnere ſanguis.

Nam guſtatu amarum quod ſit, id rectè dixit vi ſiccandi præditum. Videntur etiam mulierum quæ vocantur diapaſmata, quibus ſudores coërcent, amara eſſe natura, & vi adſtringendi prædita, vehementiæ ſtipanti comitante amarore. His, aiebam, ſic habentibus, non abs re creditur, amaritudinem amygdalarum remedio adverſus vinum eſſe, cùm interiora corporis exſiccans, non patiatur impleri venas, quarum diſtentione dicunt & conturbatione ebrietatem oboriri. Magnum autem huius rei argumentum eſt id, quod vulpibus vſuvenit. quæ ſi amygdalas amaras edant, neq; ſtatim aquã lambant, mori: humore illicò omni conſumto.

QVAESTIO SEPTIMA.

Cur ſenes magis delectentur mero.

QVæſitum fuit de ſenibus, cur meraciore potu magis gauderent. Ii qui refrigeratam eorum corporis habitudinem & calefactu difficilem cauſabant, cui propterea vini meraci temperies commodiùs conveniret: nihil noui, ſed in promtu quod eſſet, neq; ſufficienter vereq; cauſam explicaret attulerunt. Idem enim in reliquis ſenſibus contingit. Difficulter etenim mouentur, difficulter qualitatibus adficiuntur, niſi eæ nimiæ iis accidant. In cauſa eſt laxatio ſeu remiſſio temperamenti: quod ob languorem porrò non niſi ictu aliquo percuſſum ſolet affici. Itaq; etiam odoratus eodẽ modo ſe habet ad odores. mouetur enim à meris ſuauiùs. & tactus vulnera diſ * nam vulnera * accipientes * quæ laborantibus * ſſimus fit audiendi ſenſus. nam muſici ſeneſcentes, fides acutiùs intendunt, ac duriùs, velvti ictum quendam adhibentes ſenſui contentiorem vocis ſonum. Quod enim ferro duratio ad vim robúrq; confert, id corpori ad ſenſum præbet ſpiritus. Spiritu ergo minuente & langueſcente, ocioſum ac terrenum relinquitur ſenſus inſtrumentum, requiritq; aliquid, à quo vehementiùs percellatur. tale autem eſt merum.

QVAESTIO OCTAVA.

Cur ſeniores faciliùs litteras eminus legant.

HAec nobis de propoſita quæſtione ita comminiſcentibus argumenta, videndi ſenſus refragari putabatur. Nam ſeniores cùm procul ab oculis dimouent litteras, legere eas poſſunt, admotas propiùs nequeunt. Idq; ſignificans Aeſchylus, ita inquit.

** ——ipſum, non de propinquo enim*
** ſenex ſed ſcriba perſpicuus eris.*

Idem hoc Sophocles de ſenibus magis diſertè dixit.

Tardè ſeni ſermones accidant enim,
Aegréq; perforatas aures permeant:
Videt eminus, cæcutit omnis comminus.

Si ergo ſentiendi inſtrumenta ſenibus ita ſunt comparata, vt contentiore & vehementiore ſenſili faciliùs moueantur: cur lecturi propinquam luminis circumfuſionem nõ ferunt, ſed librum ab oculis longiùs abducunt, ſplendorem infringunt, aëre tanquam vinum aqua eum diluentes. Fuerunt, qui ad hoc dicerent non luminis deminuendi gratia ſenes librum ab oculis remouere; ſed vt quaſi complecterentur & continerent plus lucis, aëreq; ſplendido implerent ſpacium quod oculis eſt & litteris interiectum. Alij in eorum ſententiam conceſſerunt, qui radios viſus concurrere arbitrantur. Nam cùm porrigatur ab vtroq; oculo turbo ſiue meta, (conum Græci dicunt) cuius apex in ipſo inſiſtat oculo, baſis rem viſam compræhendat: probabile eſt aliquò vſque conos ſeorſim ferri iſtos, longiùs progreſſos concurrere, vnámque lucem efficere. quo fit vt quidquid videt, vnicum, non geminum cernatur, tametſi vtroq; oculo conſpicitur. in cauſa enim eſt conorum coitus, è duabus vnam viſionem redigens. His ita conſtitutis, ſenes vbi litteras propiùs oculis admouerunt, conis nondum in vnum cõiunctis, vtroq; ſeorſim attingẽtes rem videndã, imbecilliùs appræhendũt. longiùs aũt ab oculis eas intuẽtes, luce iam amplificata & cõfuſa in vnã, ſubtiliùs pervidet: tanq; duabus manibus id tenẽtes, q̃d vna nõ poſſunt. Lãprias aũt * Hieronymũ * nõ legit * ingenij

præstantiam incidens: quòd iis quæ à visilibus accidunt * ad oculum visu percepta, primùm quidem feruntur crassa & magna: itaq; senibus ob propinquitatē obturbant, quorum oculi duriores sunt & tardiùs penetrantur. Cùm autem in aërem efferuntur, intervallo iam facto, terrestres partes defringuntur atq; décidunt: tenues ad visum accedunt, & æquabiliter ac sine molestia meatibus applicantur, vt minùs turbati, faciliùs appræhendant. Nam florum etiam odores longiùs accidentes, suauiores sunt: si nimis propè florem admoueas, non ita pura sinceráve est fragrantia. cuius rei causa est, quòd terrestria ac turbida multa vnà cum odore exhalant, eúmq; haustum in propinquo vitiant. si verò remoueas florem aliquantum, terrestria décidunt, quod sincerum est & calidum, id ob suam tenuitatem ad sensus instrumentum perfertur. Nos autem Platonicum secuti principium dicemus spiritum lucis similem ex oculis excidere, & cum luce quæ circa corpus est commisceri, ac cum ea concrescere, ita vt ex ambobus vnum fiat corpus consentiens. Porrò mixtio ea fit vnius cum altero, ratione proportionis cuiusdam ac certæ quantitatis. non enim debet alterum ab altero superatum aboleri, sed ex ambobus in medium quoddam harmonia & communione redactis vna vis confici. Quæ cùm sint, provecta ætate hominibus, siue fluxus appellari debet siue spiritus lucidus, id quod per pupillam fertur, siue lux, cùm sit imbecillius iam & languidius, non temperatur neq; commiscetur cum re videnda, sed perit atque confunditur: nisi litteras ij longiùs ab oculis abducentes, nimium lucis splendorem languefaciant, vt non nimia et sincera, sed moderata ac proportione consentiens oculo occurrat. Atq; ea causa est etiam, quòd animalia quædam noctu vident. Visus enim eorum diurna luce, cùm sit imbecillis, obruitur, cùm non possit cum magna & valida luce facultas exilis et languida commisceri: cum obscura autem luce et tenui, qualis est stellarum, fulgorem sufficientem misceri & proportione ei respondentem emittunt: vt hac temperatione visio possit fieri.

QVAESTIO NONA.

Cur aqua potabili magis eluantur vestes, quàm marina.

THEO grammaticus, cùm in conviuio essemus apud Metrium Florum, è Themistocle Stoico quæsiuit: Quidnam causę esset, quòd Chrysippus tam copiosa facta eorum quæ absurda rationíve adversa videntur mentione, (vt quòd salsamentum si rigetur aqua marina, fit dulcius, quòd lana pexa minùs facilè vi divellitur, quàm sensim dissoluitur: quòd qui ieiunarunt, lentiùs edunt quàm qui antè aliquid comederūt) nullam vllius horum causam reddidisset. Respondit Themistocles, Chrysippum obiter hæc & vt exempla protulisse: vt corrigeret nos, qui facilè & absque ratione probabilibus saltem capi, ac contrà quidquid speciem veri apertam non habet, aversari solemus. Tibi verò, addebat, mi homo, quæ causa est de his rebus dispiciendi? Nam si tantus nobis causarum inquisitor & considerator ades, non est quod tam longè à tibi propriis divertas regionibus. verùm hoc expedi, cur Homerus Nausicaam fecerit in fluuio, non in mari lauantem, quod tamē erat in propinquo. cùm quidem appareat marinam aquam calidiorem esse & pellucidiorem, ac maiore vi tergendi præditam. Ibi Theo, Atqui hanc, inquit, abs te propositam quæstionem iam pridem Aristoteles explicauit. Etenim mari permistæ sunt partes asperæ atq; terrestres, vnde ei salsugo. Atq; ideò mare & faciliùs fert natantes, & onera sustinet: cùm dulcis aqua ob leuitatē & imbecillitatem iis cedat. Ideò aqua dulcis, vt quæ sincera sit, & impermixta, facilè in vestes sua tenuitate penetrat, rursúmq; perfluens magis quàm marina maculas eluit. Aut est, cur non videatur tibi Aristoteles hoc probabiliter dixisse? Probabiliter sanè, inquam ego, at non verè. Video enim cinerem quoq;, & lapides, aut iis deficientibus puluerem aquæ iniici, vt crassior fiat. nimirum quòd terrestria ob asperitatē magis valeant ad eluendas sordes: cùm aqua per sese id ob tenuitatem minùs efficere possit. Ergo maris crassicies non * * * propter acrimoniam. ea enim meatibus referandis sordes secum aufert. Omne autem pingue, difficulter eluitur, & næuum facit. Pingue autem est mare: ídque in causa esse puto, quòd aqua eius non bene eluit. Pinguem verò esse aquam marinam, ipse Aristoteles docuit. nam ipso teste & salibus inest pingue quippiam: & lucernæ meliùs ardent sale iniecto: & iniecta in flammam aqua marina vnà exardescit; neque vlla est alia

Odyss. ζ, 85.

Macrob. vide * 7. Sat. 13. Aristot. problem. sect. 23.

alia aqua quæ perinde incendatur. vtq; mea fert ſententia, idcircò etiam eſt calidiſſima. Sed & alia ſuppeditat ratio. Finis lotionis eſt exſiccatio, & maximè purum videtur, quod eſt maximè exſiccatum. oportet autem humorem qui eluat, vnà cum ſordibus abire, ſicvt veratrum cum vicioſis humoribus quos expurgat. At dulcem aquã, eò quia leuis eſt, Sol facilè extrahit. ſalſa in meatibus inhæreſcens, ob aſperitatem difficiliùs reſiccari rem patitur. Nihil dicis, inquit Theo. nam eodem in libro Ariſtoteles affirmat, qui in mari lauerint, eos celeriùs ſiccari ſi in Sole ſteterint, quàm qui in dulci aqua. Dicit verò, inquam ego. ſed exiſtimabam te Homero potiùs crediturum, qui contrariam ſententiam pronunciat. Nam apud hunc Vliſſes à naufragio Nauſicaæ occurrens

Terribilis viſu, ſalſæ fœdatus aquæ vi: Odyſſ. ζ, 137. ac 218.

ancillis eius hæc dicit.

Vos hinc auferte ancillæ, mihi dum ſalis acrem
Abluero de corpore aquam. —— cúmq; in fluuium deſcendiſſet,
A capite exterſit ſpumam maris. ——

Et verò ingenioſiſſimè poeta ſenſit quid hac in re eveniat. Qui enim è mari emergũt, ij ſi in Sole ſtent, tenuiſſimum & leuiſſimum humoris quod eſt, à calore diſſipatur: quod autem ſalſum eſt & aſperum, id relictum inhæret corporibus, ſalſugo quædam concreta: donec potabili ac dulci eluatur aqua.

QVAESTIO DECIMA.

Quare Athenis chorus Aeantidis, (ſiue Aiaceæ) tribus nunquam vltimo loco ponatur.

CVm celebraremus Serapionis victoriam, qui choro Leontidis tribus vicerat, quem ipſe inſtruxiſſet, exceptis conuiuio nobis, vt qui in ciuitatem tribúmq; illam eſſemus adſciti, accommodata præſenti ambitioni diſputatio incidit. Fuerat enim certatum acerrima contentione, ſplendidè ac magnificè præmia diſponẽte Philopappo, Imperatore autem omnibus tribubus ex æquo ſumtus præbente. Is Philopappus tum fortè vnà in conuiuio adfuit, de rebus antiquis quædam narrans, quædam inaudiens, non minùs humanitatis cauſa, quàm ob diſcendi ſtudium. Propoſuit autẽ tunc Marcus grammaticus tale quidpiam de quo diſpiceretur. Neanthem Cyzicenum in iis quæ perſcripſiſſet de fabuloſis vrbium aſſerere, hunc Aeantidi tribui honorem eximium habitum fuiſſe, vt nunquam choro ipſius vltimus locus adſignaretur. * igitur dicebat * hiſtoriæ * Quod ſi id genuinum non eſt, propoſita ſi in medium omnibus cauſæ indagatio. Hæc cùm Milo ſocius dixiſſet, Quid ſi mendacium iſthuc eſt? Philopappus: Nihil (inquit) mali eſt ſi ob ſtudium cognoſcendi nobis idem eveniat, quod ſapienti illi Democrito. is enim cùm fortè ficum ederet, ſapórq; mel referre videretur, quæſiuit è famula, vnde emiſſet. cúmq; ea hortum quendam nominaſſet, eò iuſſit ſe (nam de menſa illicò ſurrexerat) adduci, ſibíq; locum commonſtrari. mirante muliercula, & quid ſibi vellet interrogante: Oportet, inquit, me cauſam dulcedinis invenire, quod fiet loco à me conſpecto. tum ſubridens illa, Adſide, ait, menſæ. ipſa enim, imprudens in vaſe quod melle imbutum fuerat, ficus poſuerã. tum philoſophus indignabundus, Enecaſti me, inquit. & tamen meditabor, cauſámq; inquiram, quòd dulcedo ficui à natura eſt attributa. Nos quoq; itidem Neanthis leuitatem in rebus nonnullis non vſurpabimus pro ſubterfugiendi diſputationem occaſione. nam, vt nihil vtile aliud, ſaltem exercitationis copiam iſta præbebit. Ex eo vniuerſi ad laudandam illam tribum ſeſe dederunt, conquiſitis quæcunq; ad gloriam ei parandam viderentur conducere. Venit enim in medium Marathon, pagus ſeu curia illius tribus: & Harmodius Aeantidibus adſcriptus fuit, qui curia ſcilicet Aphidnæus fuiſſet. Glaucias autem orator in acie quoq; apud Marathonem cornu dextrũ huic tribui fuiſſe datũ ex elegiis Aeſchyli (quas ille, qui magna cum gloria illud prœlium obiuiſſet, poſteà ſolo verſo conſcripſit) demonſtrabat. quin & Callimachum polemarchum arguebat ex ea fuiſſe tribu: qui & præclariſſimè ſeſe geſſit, & poſt Miltiadem, cui ſuffragatus erat, maximè autor illius fuit pugnæ. His à Glaucia dictis ego id adieci, Decretum etiam, cuius vi Athenienſes in prœlium eduxit Miltiades,

Præfiguntur Aeſchyli tragœdiis.

factum fuisse prærogatiuam tenete Aeantide tribu: & Plataica pugna maximè nobilem fuisse eiusdem tribus virtutem. itaq; etiam eandem tribum sacrificium Sphragitidibus nymphis oraculo Delphico præceptum pro victoria gratias agendi causa, in Cithæronem adduxisse, hostiam & reliqua præbente ciuitate. Sed vides, aiebam, etiam reliquis tribubus multa esse eximia, meæ præcipuè: nam Leontidem me dicere intelligitis, quæ gloria nulli concedit. Proinde considerate, an non hoc sit probabilius, id ad demulcendam deliniendámq; Aiacis, à qua Aeantidi tribui nomen est, iracūdiam esse institutum. Non enim facilè patitur Telamonis F. se posteriore loco haberi, sed ob iram & contendendi studium paratus est quidvis in quosvis conari. Is ergo ne difficilis & implacabilis esset, visum fuit quod ei posthabito molestissimum erat futurum præcauere, & ita rem temperare, vt tribus ipsius nunquam vltimo loco poneretur.

PLVTARCHI

Symposiacôn, id est Conviualium disputationum liber secundus.

QVAESTIO PRIMA.

Quænam sint quæstiones, qui sales conuiuio de sententia Xenophontis magis minúsue conuenientes.



ORVM quæ ad cœnas & conviuia apparãtur, Sossi Senecio, quædam necessarium habent ordinem, vt vinum, cibi, opsonia, ac stragulæ nimirum vestes & mensæ: alia voluptatis gratia sunt introducta, vsu nullo, vt auditiones, spectacula, scurræ: quibus vt præsentibus delectantur conviuę, ita absentibus citra molestiam carent, neque conviuium eo nomine tanquam minùs perfectum culpant. Ita etiam sermonum alij à moderatis hominibus ad vsum cõviuiorum adhibentur: alios admittunt considerationem probabilem habentes & loco magis quàm fistula aut barbitum convenientes. quorum exempla admixta etiam præcedens liber habet. prioris generis, An philosophandum sit inter pocula, An loca adsignare conviuis rex, aut accumbere suo vnumquenq; arbitratu sinere debeat * talia. posterioris, Cur amatores ad poëticam sint procliues, De tribu Aeantide. Horum ego illa voco ad conviuium pertinentia, hæc communi nomine conviualia. sunt autem conscripta promiscuè, non distinctè, sed vt memoria suggerebat. Neq; debet mirum videri lectoribus, si hæc tibi inscribentes, quædam prædictorum ex tuis colloquiis conduximus. nam si disciplina recordationem non faciat, tamen hæc sæpe in idem concurrũt. Cùm autem in singulos libros quæstiones sint decem à nobis collocatæ, hoc in libro ea prima est, quam nobis Xenophon Socraticus quodammodo suggessit. Ait enim

Lib. V. discip. Cyri.

Gobryam à Cyro cœna exceptum cùm alios Persarum mores fuisse admiratum, tum quòd talia invicem interrogabant, qualia interrogari quàm non interrogari erat iucundius: & talibus impetebant se mutuò salsè dictis, quibus impeti quàm non impeti erat suauius. Nam si nonnulli laudando offendunt: cur non summam admirationē mereatur illorum faceta calliditas, quorum etiam sales voluptati essent iis in quos depromebantur. Excipiens ergo Patris nos *, Quàm vellem, aiebat audire istæ interrogationes cuius generis ac modi essent. Non enim exigua mihi pars dexteritatis in consuescendo est accurata scietia & obseruatio interrogãdi ac iocandi. Magna, inquã tum ego. Sed vide an nõ ipse Xenophon id genus in Socratico & Persicis demõstrauerit cõviuiis. Si tamē videt, vt ipsi quoq; conemur eam rationē ostēdere, primùm arbitror iucundũ esse de his interrogari rebus, de quibus in promtu sit responsum: hoc est, quarũ peritus sit qui interrogatur. Nã de ignotis interrogati cùm nõ habēt q̃d respondeãt, ægrè ferũt: tanq̃ id postulati q̃d dare nõ possint. aut demõstrationes argumētáq; proferentes parum firma, perturbantur & hærent. Quòd si responsio non modò facilis sit, sed etiam subtilis, id respondenti iam voluptatem adfert. Fit autem, cùm de

iis interrogantur quæ ipsis nota pleriq; ignorant, vt de astrologicis aut dialecticis. Nā non agens tantùm, aut dies exigens in re aliqua, sed etiam disserens

Vbi ipse seipso præstet arte plurimum,

lætitia perfunditur, gaudétque se interrogari iis de rebus, quas se habere cognitas nesciri non vult. Hinc fit, vt qui peregrinati, ac multas pervagati sunt longinquas regiones, morésque & instituta barbarorum inspexerunt, & mare nauigauerunt exterum, de iis rebus se interrogari gaudeant, lubentérq; narrent, & depingant sinus atq; loca: existimantes ita se laborum suorum gratiam quandam & solamen reportare. Omnino autem quæ nemine interrogante ipsi vltrò narrare solemus, de iis quæri è nobis gaudemus: quod videmur iis gratificari, quibus alioqui eramus nostra narratione obturbaturi. Id genus morbi maximè in iis exsistit, qui complures nauigationes confecerunt. Qui magis sunt sciti, interrogari auent de iis rebus, quas ipsi cùm præclarè gesserint, edisserere præsentibus verentur atq; abstinent. Probè igitur Nestor, qui cognitam haberet Vlissis ambitionem, ita hominem compellat.

Inclyte dic age maxima Achiuûm gloria Vlisses, Iliad. κ, 544.

Qua cepistis equos ratione hos. ——

Molesti enim sunt qui seipsos laudant, suósq; prosperos successus recensent, nisi quis præsentium * coacti dicant * itaq; interrogantur * de legationibus & administrata republica * si quid magnum & splendidum confecerint. Ergo minimè de his, vtpote inuidi & maligni interrogant. Sed aversantur hæc, & locum narrationi non concedunt, neq; volunt ansam sermoni præbere, qui dicentem ornet; neq; in gratiam responsuri quærere de iis, quæ eorum inimicos & malevolos sentiunt audire nolle. At verò Vlisses hæc ad Alcinoum.

Induxti mentem nostros audire dolores Odyss. ι, 11

Narrantis, gemitúsq; graues augere loquentis.

Et ad chorum Oedipus: Colon.

Graue est reconditum, hospes mî, pridem malum

Reuocare in memoriam.

Sed Euripides contra.

Suaui' 'st laborum præteritorum memoria. Tull. II. Fin.

* non adhuc oberrantibus nouas adferunt. Cauendæ enim sunt interrogationes de calamitatibus. Aegro quippe animo narrant damnationes sui, aut liberûm mortes, aut parum felices terra mariq; negociationes. Contrà si quæras quomodo ad tribunal causa steterint, aut à rege compellati fuerint, aut aliis in tempestatem prædonésve illapsis periculum ipsi subterfugerint, pergratum feceris si id sæpiusculè facias: & re ipsa ministerio sermonis quodammodo fruentes, expleri iis narrandis atq; commemorandis non possunt. Gaudent etiam interrogati de lætis amicorum successibus, de filiorum profectibus in studio litterarum, in agendis causis, in amicitiis regum. Lubentiùs etiam & alacriùs narrant interrogati inimicorum & malevolorum dedecora, damna, ac damnationes convictorum sceleris, & in res adversas delapsorum: quod facere vltrò cauent, ne videantur alienis malis gaudere. Iucundius etiam est venatori, si de canibus percunctere, aut certaminum studiosum de gymnicis ludis, vel amatorem de formosis. religiosus & sacrificandi studiosus narrare solet somnia, & quas res oraculi, ominis, victimæ adiumento, deorúmve propicia voluntate prosperè peregerit. Senes, etiam si narratio omnino nihil ad rem factura sit, tamen delectant qui ex ipsis aliquid quærunt, gratiámq; ineunt eorum dicendi voluntate excitanda.

Dic mihi Nelide verum clarissime Nestor, Odyss. γ, 248.

Qua periisse scias ingentem Agamemnona morte?

Tunc Menelaus vbi fuit? Argos Achaicum an illum

Illo non tenuit tum tempore? ——

simul de multis rebus interrogat, & occasiones varia disserendi suggerit. secus quàm nonnulli, qui necessitate circumscribentes, & in arctum responsa cogentes, suauissima senes oblectatione defraudant. Vniuersè autem qui voluptatem malunt quàm molestiam offerre, huiusmodi proponunt quæstiones, quarum responsis non vituperatio, sed laus, non odium aut invidia, sed benevolentia & gratia auditorum comitet. Atq; hæc quidem de interrogationibus. Salibus autem qui nequit cautè, artificiosè, ac

De salse dictis Macro. 7. Sat. 3.

tempestiue vti, omnino iis abstineat censeo. Sicut enim in lubrico loco etiam ij subuertunt, qui tantum in transcursu attingũt: ita in vino quævis oratio non satis cõmoda occasionẽ nobis peccãdi præbet. Est, cùm salibus magis quàm conviciis exagitamur. cùm hæc ab ira incõsultò ꝓficisci sæpe videamus: illos nõ à necessitate, sed studio cõtumeliæ & malignitate, & in vniuersum disserere * magis quàm nugantibus succensemus * Quod autem omnino * aderit. * sales. convicium autem * esse, & factum dedita opera atq; cum apparatu. Qui enim salsamentariũ te appellet, is palàm conviciũ facit. qui dicat, Meminimus te cubito nares emungere, salsè pungit. Et Cicero ad Octauiũ, qui ex Africa oriũdus videbatur, orante ipso dicentẽ se nõ audire, Atqui, aiebat, aurẽ habes perforatã. Et Melãthius cùm à comico poëta derideretur, dicebat: reddis mihi symbolũ non debitũ. Magis aũt sales seu dicteria (Græcũ scõma sic explicemus) mordet, q; instar hamatorũ telorũ diutius inhæret. molestaq; est morsis oblectatio elegãtiæ grata audientibus. nam voluptatẽ ex dicto capiẽtes, credere * vituperare dicẽti * enim est * peccati præ- * scõma est autore Theophrasto. Itaq; auditor à se id q̃d deerat suspectioni adiicit, tanq̃ sciẽs & credẽs. Qui enim ridet & delectatur dicto Theocriti ad quendã qui furari vestes videbatur, & ex ipso quærebat irétne ad cœnam, dicẽtis iturũ se, sed ibi etiã dormiturũ: is cõfirmanti crimẽ similis est. Itaq; intẽpestiua faciẽs dicteria etiã præsentes malignitatis quodã cõtagio inficit, tanquam gaudẽtes aliorũ contumeliis. Enimverò præclara illa Lacedæmonie inter alias hæc fuit disciplina, salsè dictis alios impetere citra molestiam, & æquo animo dicteria ferre. nam si quis iniquius ferret, alter statim mordẽdi finem faciebat. Quomodo itaq; nõ sit difficile dicteriũ invenire gratũ ei qui incessitur: quando etiã citra molestiã salsè dicto impetere, haud vulgaris est peritiæ & dexteritatis. Verùm enimverò primùm ea mihi videnẽ dicteria, quæ sontibus molestiã adferũt, voluptatẽ aliquam adferre & grata esse iis qui procul à culpa & crimine absunt. Vt cùm Xenophon per iocum introducit turpissimum hirsutissimúmq; illum, pro amasio Sambaulæ vexatum. Et cùm Quintus noster in morbo diceret, manus sibi esse frigidas, Aufidius Modestus: atqui, inquit calidas eas è provincia reportauisti. hoc enim Quinto sanè risum mouit, & oblectationi fuit: proconsuli autem furi opprobrium fuisset & convicium. Itaq; etiã Critobulum formosissimũ Socrates ad certamẽ pulcritudinis provocans, iocabatur, non subsannabat. itémq; Socratem Alcibiades salsè notabat de riualitate propter Agathonem. Reges quoq; delectantur iis quæ in ipsos tanq̃ pauperes & priuatos dicuntur. vt cùm dicterio impetitus à Philippo mensæ asseclа dixit, An non ego te alo? Quippe mala quæ non adsunt obiicientes, interim arguũt bona quæ adsunt. Oportet aũt certò & constanter boni aliquid adesse: alioqui id quod dicitur, ambiguã & cõtroversam habebit significationẽ. Nam qui prædiuiti minetur se creditores eius ipsi immissurũ, aut abstemiũ vel temperantẽ ebrium esse ac per vinũ peccare dicat, vel liberali ac magnifico sordidi & cuminisectoris nomen imponat, aut in patrociniis ac gerenda rep. magnum in foro se reum peracturum faceret: ridendi materiam atq; hilaritatis præbuerit. Ita Cyrus amicos ad eaſũ provocãs certamina rerũ, in quibus inferior erat, comis fuit atq; gratiosus. Ismenias cùm tibiis caneret ad sacrificiũ, neq; litaretur, qui cõduxerat tibias ei ademit, atq; ipse ridiculè cecinit: cúmq; id corona reprehenderet, Diuinitus, inquit, est canere gratiosè. ibi subridens Ismenias, Immò, ait, me canente dij oblectati moram produxerunt: tu autem vt missos ipsos faceres, properè sacrificium acceperunt. Porrò, qui bonas res per iocum nominibus probrosis adficiunt, id si accuratè agant, magis delectant quàm qui apertè laudant. sicut magis etiam mordent, qui honestis nominibus in convitiando vtuntur: vt qui improbos Aristidæ, timidos Achillis nomine appellant. sic & Oedipus apud Sophoclem:

1 L. discip. Cyri.

Huius fidelis amicus ab initio Creon.

Huic simulationi ab altera parte respondet ea quæ in laudando versatur. Hac vsus Socrates, Antisthenis in conciliandis hominum studiis & amore solertiam, lenociniũ & conductionẽ appellabat. Cratetẽ aũt philosophũ, qui in omnes intrans domos amanter & honorificè excipiebatur, Ostiapertorem vocabant. Elegans dicterium etiam fit, cùm vituperationi gratiarum actio adiicitur. sic Diogenes de Antisthene dicebat:

Mihi qui caput velauit, & vi perpulit
Mendicus essem vti, atq; extorris edibus.

Et Laco gymnasij præfecto qui ligna nõ fumantia præbuerat, id se vitio dare simulãs,

Horũ cauſa,inquit,apud vos non licuit lacrymare.Sic ille,qui conuiuiũ quotidie præbentem plagiariũ vocabat & tyrannũ,per quem tot annis ſuam non vidiſſet menſam. & qui factus é paupere diues à rege,per inſidias ſibi aiebat ociũ & ſomnũ eſſe erepta. Et ſi quis inverſione vſus incuſet Aeſchyli Caberos, quòd aceto carituri eſſent domũ fabricati:q̃d ipſi erant per iocum minati. Hæc enim magis tangũt,acrioréḿq; habent gratiã,ita vt non offendãt,neq; lædant eos qui laudantur.Oportet autem eum qui cõcinnè vti volet dicteriis,vitij & ſtudij inter ſe diſcrimen habere cognitum. aliud enim ſunt auaricia & cõtendendi cupiditas,aliud muſicæ & venationis ſtudiũ.quorũ illa ſibi obiici homines indignè ferunt,hęc gaudent.Itaq; non invenuſtè Demoſthenes Mitylenæus, cùm cantilenis & citharæ deditì cuiuſdã fores pulſaſſet, iſq; aperuiſſet & ingredi iuſſiſſet, Faciam,ait,ſi prius citharam ligaueris. Invenuſtè paraſitus Lyſimachi. qui cùm ei rex ſcorpium ligneũ veſti inieciſſet,perterritus proſiluit,cúmq; ludũ ſenſiſſet,Te quoq;,inquit,rex,volo perterrefacere, da mihi talentũ. Sunt etiam talia diſcrimina eorum quæ corporibus accidunt. nam advncus aut cõpreſſus naſus ſi obiiciat, ridere ſolent. Et Philippus Caſandri F.non indignatus eſt,cùm ei dixiſſet Theophraſtus:miror oculos tuos nõ canere,fiſtula nariũ ipſos ſubeũte.Et Cyr⁹ eum qui advnco eſſet naſo,iuſſit * ſic enim quadraturũ. Aegrè autẽ ferunt,ſi oris aut naſi tetrum fœtorem exprobres.Rurſum caluiciei nõ curant notationẽ, oculi defectum iniquiſſimè audiunt ſibi exprobrari. Antigonus quidẽ ipſus in oculum amiſſum iocabatur.& aliquando oblato edicto quod magnis erat perſcriptum litteris: Vel cæcus, aiebat, hæc legere poſſit. Theocritũ autẽ Chium interfecit.quòd cùm ei pollicerentur amici,fore omnia ipſius ſalua,vbi ante oculos regis perveniſſet:reſpõderat,Omnẽ ergò ſibi ſalutis ſpem eſſe ademtã. Leo Byzantius cùm ei Paſiades dixiſſet,Lippitudinis contagio mihi abs te áccidit:Imbecillitatẽ,aiebat,corporis mihi exprobras, non animadvertẽs filium tuum Nemeſin(quæ vindictæ dicitur dea)in tergo geſtantẽ.gibboſum autẽ filium habebat Paſiades. Hoc vitium etiã Archippus Athenienſis populi conſiliarius iniquo animo paſſus eſt ſibi à Melanthio obiici:qui eum nõ procurare, ſed procuruare pro republica dicebat. Sunt qui iſta moderatè & leni animo ſuſtineant. vt amicus Antigoni cùm popoſciſſet talentum,neq; impetraſſet: ſatellites ſibi dari petiit,ne per inſidias talẽtum ſibi,quod in humeris portare iuſſus eſſet, eriperetur. Ita ad externa iſta alij aliter adfecti ſunt,éſtq; magna animorum inæqualitas. Epaminõdas cum collegis reipub.principibus cõviuans,acetum poſtremò bibebat. interrogatúſq; an hoc ad valetudinẽ conduceret,Reſpõdit ſe hoc ignorare,ſcire autẽ facere hoc ad recordationem rationis victus quam domi teneret. Proinde oportet ingeniis eorum quibus cum agimus & moribus cõſideratis iocos vſurpare,idq; eniti,vt abſq; moleſtia et cum gratia colloquamur. Amor autẽ cùm aliás,tum maximè in dicteriis ſummã habet varietatẽ,quæ aliis moleſta áccidunt,aliis grata. cæterùm hoc obſeruãdum eſt tempus & locus.Sicvt enim ignẽ initio reſtinguit ſpiritus,ob illius imbecillitatẽ: auctũ autẽ nutrit atq; roborat.ſic naſcẽs adhuc amor & latẽs,ſuccẽſet iis qui ipſum detegunt: vbi eluxit & manifeſtatus eſt,alitur ſcõmatibus,iiſq; quaſi inflatus arridet. Gratiſſimũ eſt amãtibus,ſi amaſiis præſentibus eis per iocum ipſum amare obiiciatur,aliud nihil.Tũ ſi vxores ſuas diligunt,aut adoleſcẽtulos ingenuos,omnino exſultãt, eóq; ſibi applaudunt,ꝙ amor eorum ipſis facetè obiicitur. Atq; hac de cauſa Arceſilaus,cùm quidã in ſchola amori deditus hãc propoſuiſſet quæſtionẽ,Videtur mihi nulla res aliã rem tangere:atqui,inquit,tu hunc tangis,demõſtrans formoſum quendã ephebum qui ponè adſidebat.Quin & eorum qui interſunt ducẽda eſt ratio. Nam quæ inter familiares & amicos audiẽtes ridemus: ea ſi nobis dicatur vxore præſente,aut patre,aut præceptore,indignamur.niſi fortè aliquid proferatur,quod ij quoq; gratum habeãt. Verbi gratia,ſi quis aliquem philoſopho præſente inceſſat cauillo, quòd abſq; calceis incedat, aut noctu ſcribat:vel patre audiẽte parſimoniã:vxoris apud aures, ꝙ alios nõ amet, ei ſoli obnoxius ſit atq; ſeruiat. Sic Tigranes Cyro interrogãti,Quid vxor tua aget,cùm te inter calones haberi audiet?reſpõdit:nõ audiet,ſed coràm videbit. Ipſa etiã cõmunicatio eorum quæ obiiciuntur,dicteria facit tolerabiliora vtcunq;.vt cùm in paupertatẽ pauper,in ignobilitatẽ ignobilis,in amorẽ amator aliquid iacit.nõ enim per cõtumeliã,ſed ioco videtur dici,q̃d à ſimili dicitur.alioquin irritat & moleſtiã adfert. Fuit quidã imperatoris libert⁹,recens ditat⁹.is vnà in cõviuio diſcumbẽtibus philoſophis aliquãto proteruiùs & petulantiùs inſultãs, quæſiuit, Quanã de cauſa é fabis albis ni-

grísq́;, tñ pallida fieret puls: vicissim ex eo quærēs Aridices, quî albis et non albis loris tñ puniceæ vibices incuterent: fecit vt homo graui dolore ictus è cōviuio discederet. Amphias autē Tarsensis, q̄ hortulano patrę editus putabaẗ, cùm præfecti amico obiiceret, q̄ nullis esset natalibus: statim hæc subiecit: atqui & nos ex iisdem nati sumus seminibus. fecit eo dicto, vt cooriretur risus. Scitè etiā psaltes quidā Philippi serò perceptam disciplinā curiositatémq́; inhibuit. nam cùm rex eum repræhēdere de quibusdam modis & harmoniis vellet: Absit verò, aiebat, ô rex, vt tam malè tecū agaẗ, isthæc vti meliùs me nôris. dum enim videbaẗ seipsum mordere, regē citra molestiā castigauit. Ideò etiam comicorum nōnulli dum seipsos quoq́; insectātur, acerbitatē suam videntur deminuere. vt Aristophanes in caluicie, & Agathonis * lipsin. Cratin9 quoq́; Pytinam fabulā docuit. Id etiam diligenter est curādum, vt dicterium obiter & subito ad interrogationem iocúmve alterius alicuius aptetur, non longè repetitum & adscitum cum apparatu videatur. Nam sicvt iras & pugnas in cōviuiis obortas faciliùs ferunt: si verò extrinsecus supervenieš aliquis turbas det vel convicia ingerat, eum pro inimico & odio habent. ita venia daẗ libertati ac dicacitati, si è re præsenti simpliciter et absq́; fastidio nascaẗ. Si verò nihil ad sermonē pręsentē faciat, sed alienū sit, simile est insidiis et cōtumelię scōma. quale illud Timagenis ad maritū mulieris vomere solētis:

Κακῶν κατάρχεις τήνδ᾽ ἐμοῦσαν εἰσάγων.

* cùm poëta dixisset τήνδε μοῦσαν. & ad Athenodorum philosophum, an Musica ad amorem ꝑlis faceret. Quod enim intempestiuū est, & ad institutū nō facit, id malevolētiæ & cōtumelię speciē gerit. ac talia q̄ admittunt, ij ob orationē, rem leuissimā (vt ait Plato) grauissimā luunt pœnā. Qui autē opportunitatē norūt & obseruāt, ij Platoni testimonium ferūt, qui dextrè eruditi atq́; instituti opus esse ait, elegāter & gratiosè iocari.

QVAESTIO SECVNDA.

Cur voraciores simus circa finem autumni.

ELEVSINE secundum mysteria, vigente tum maximè solenni cœtu, conviuium apud Glauciam rhetorem agitabamus. Ibi cùm cœnādi finem alij fecissent, frater Xenocles more suo fratrem nostrum Lampriam scommate ob voracitatem Bœoticā impetiuit. Ego ipsis Epicuri verbis Xenoclem vltus, Non enim, aiebam, mi homo omnes finem voluptatis extremúmq́; faciunt priuationem omnis doloris. Lamprię autem, qui Peripatum & Lyceum horto Epicuri præfert, necesse est Aristoteli testimonium perhibere. Is verò vnumquenque seipso edaciorem esse circa extremum autumnum asserit: causámq́; rei adponit, quam ego non memini. Bene est, inquit Glaucias: ipsi enim absoluta cœna eam quæremus. Remotis mensis Glaucias & Xenocles diuersas autumno causas imputauerunt. ille, quòd aluum subducens vacuando corpore subinde nouos crearet appetitus. hic, quòd maturi pleriq́; fructus acrimonia quadā & vi vellicandi præditi, stomachum quovis opsonio atq́; condimento magis ad cibi appetitionem provocarent. quando etiam qui inedia laborant, pomo aliquo gustato concupiscentiam cibi recuperāt. Lamprias autem dixit, innatum nobis calorem, quo alimur, per æstatem dispersum, imbecilliorem esse & rarum. eum autem sub autumni exitum colligi, ac viribus augeri, intus occultatum ob frigus circumdatum & densationem corporis. Ego, ne asymbolus interfuisse disputationi viderer, dixi, Aestate nos magis siticulosos esse, plúsq́; humoris sumere ob æstum. hoc autem tempore naturam in mutatione more suo contrarium quærentem, nos magis famelicos reddere, alimentúmq́; siccum temperiei corporis reddere. Sed & cibos non planè causa huius rei vacare. nam quæ è nouis & recentibus fiunt fructibus, non mazæ modò, legumina, panes, triticum, sed & carnes animalium ipso hoc anno natorum quæ eduntur, succis à * veteribus differre, magísq́; allicere vescentes solent.

QVAESTIO TERTIA.

Gallina priúsne fuerit, an ouum.

* CVm aliquātum temporis somniis monitus ouorum esu abstinuissem, amici peri-
* culum fecerunt, an ne corde q̄dem vescerer. quo cùm me vesci aliquoties vidissent, in eam venerunt suspicionem, me Orphicis aut Pythagoricis obnoxium statutis, quomodo nonnulli cor et cerebrum vt ortus principia, ita oua eādem ob causam abominari. & Alexander Epicureus risus causa protulit versum,

Siue fabam comedas, caput aut genitoris, idem fit:

quasi

quaſi oua innuiſſent Pythagorici illo verſu, dum fabas cyamos à fetu dictas nominãti & ſentirẽt perinde eſſe veſci ouis, atq; animalibus quę oua gignunt. Iam cauſæ defenſio erat quàm ipſa cauſa futura abſurdior, ſi homini Epicureo ſomnium propoſuiſſem: itaq; illam opinionẽ per iocum ab Alexãdro prolatã non repudiaui. erat enim homo elegãs, & ſic ſatis litterarum ſtudioſus. Ex illo igitur perplexam is quæſtionem illam, & multũ diſputatoribus faceſſentẽ negocij in mediũ protraxit de ouo & gallina, vtrũ horũ prius exſtiterit. Ac Sylla quidẽ ſodalis noſter, fatus nos parua quæſtione tanquã inſtrumẽto ingentẽ & grauem de origine mundi quæſtionem ſubruere, finẽ fecit dicẽdi. Cùm autẽ Alexãder quæſtionem derideret, vt quæ nihil ad rem eã faceret: Firmus adfinis meus, Ergo, inquit, in præſentia mihi atomis vtere. Nam ſi exilia debent eſſe magnorum principia, idq; ponendum eſt, par eſt ouum gallina prius fuiſſe. eſt enim ouum, vt in rebus ſenſilibus, ſimplex, magis varia & ex pluribus mixta gallina. Vniuerſè aũt principiũ reliquis eſt prius: ſemen verò principiũ eſt, ouum ſemine amplius, animali minꝰ eſt. Vt enim profectus mediũ eſt inter indolis bonitatẽ & virtutẽ: ſic ouum profectus quidã eſt naturæ à ſemine ad animatũ corpus proficiſcẽtis. Ad hæc, ſicut in animali aiũt primùm naſci arterias & venas: ita rationi conſentaneũ eſt ouum animali prius exſtitiſſe, vt quod contineat in contẽto. Nam & artes initiò rudia fingunt & informia opera, poſtmodò ſingula ſuis formis cõcinnãtes. quare etiã Polycletꝰ fictor dixit, Opus tũc eſſe difficilimũ, cùm ad vnguẽ exigit̃ lutũ. Itaq; etiã ꝓbabile eſt cùm natura initiò ſenſim moueret materiẽ, hãc ſegniùs obtemperantẽ informia indefinitáq; produxiſſe rudimẽta, cuius modi eſt ouũ: deinde his cõformatis & effictis animal eſſe abſolutũ. Vt verò primùm naſcit̃ eruca, deinde ſiccitate cõcreſcẽs, tandẽ rumpit̃, atq; è ſe aliud alatũ animal exhibet, q̃d pſyche dicit̃, papilionis genꝰ quoddã: ita hìc ouum priùs exſiſtit, tanquã materia ortꝰ. Nã in omni mutatione neceſſe eſt prius re mutãte eſſe id, è quo mutat̃. Cõſidera.n. ſcnipes & teredines in arboribꝰ & lignis innaſci, humoris putrefactione aut cõcoctione. quibꝰ nemo negauerit priorẽ natura eſſe vim generãdi. Nã materia adverſũ ea quæ naſcunt̃ rationẽ habet matris, vt ait Plato, & nutricis. materia aũt omne id eſt, ex quo cõſtituit̃ id q̃d naſcit̃. Supra hæc iã (aiebat ridens)

Cantabo gnaris — Orphicam & ſacram orationem, quæ non gallinã modò antiquius ouum facit, ſed ei omnium in vniuerſum rerũ principẽ ortum adſcribit. Ac de reliquis quidẽ, quæ plus habent myſterij, fauebo linguæ, vt cum Herodoto loquar. Cùm aũt varias animaliũ formas contineat mũdus, nullum ferè genus expers eſt originis ex ouo. ſed & volucria gignit, & natantia innumera, & terreſtria vt lacertas, & in aqua terráque degentia vt crocodilos, & bipeda vt gallinam, & pedibus carentia vt ſerpentes, & multis pedibus prędita vt locuſtam. Ideò haud abs re ouũ in orgiis Bacchicis conſecratũ eſt, vt exemplũ omnia gignentis & in ſe cõtinentis. Hæc vbi Firmus diſſeruit, Senecio: Atqui, inquit, eorũ quę tu protuliſti exemplorũ vltimum primo loco tibi refragat̃. imprudénſq; adeò Firme mundũ loco eiꝰ quæ in ꝓverbio eſt ianuæ cõtra teipſum aperuiſti. Mundus enim primò omniũ exſtitit, vtpote perfectiſſimus. Quippe rationi cõgruit perfectũ imperfecto prius eſſe natura, vt mutilato integrũ, parte totũ. Nihil enim rationẽ partis habet, reſpectu eiꝰ q̃d ortũ nõ ſit. vnde nemo dicit hominẽ ſeminis eſſe, aut oui gallinã: ſed cõtra ouũ gallinę, ſemẽ hominis dicimꝰ, ꝙ iſta ex his ſint, inq; iis naſcãtur, ortúmq; deinde ſuũ naturę tanq̃ debitũ reddãt. deeſt enim iis q̃d ipſorũ naturæ eſt proprium: itaq; à natura habent, vt aliquid ſimile eius vnde excreta ſunt efficere velint: & ſeminis rationẽ definiũt, geniturã ortu indigentẽ. nihil autẽ eo indiget, q̃d non ſit neq; exſtiterit. Oua aũt planiſſimè videmus naturã habere cuiuſdã in animali concretionis & coitionis, quę talibus inſtrumentis & vaſis indigeat. Hinc eſt, ꝙ nullũ ouum è terra editum memoratur: atq; illud Tyndareum de cœlo delapſum poëtæ fabulãtur. Animalia aũt perfecta & integra hodiéq; terra parit: mures in Aegypto, paſſim ſerpẽtes & ranas & cicadas, extrinſecꝰ alio principio, aliáq; vi accidente. in Sicilia ſub ſeruile bellum, cùm ſanguinis multũ, & inſepulta cadauera cõputruiſſent in terra, copia bruchorũ erupit, qui per totã diſperſi inſulam frumentũ corruperũt. Hæc ergo è terra naſcuntur & aluntur, eáq; genitabilia facit cibi abundãs excrementum: vnde voluptatis gratia vnum cum altero coit animal, ac corpus miſcet, indéque alia oua, alia viuos edunt partu fetus. eòque maximè liquet animalia è tellure orta primùm, iam porrò alio modo & invicem coëundo ſubolem propagare. Denique tota hæc quæſtio talis eſt, ac ſi interroges an fuerit matrix ante mulierem.

Sicvt enim matrix ad ouum, ita se rursus ouum habet ad pullum, qui in eo conceptus ad partum reseruatur. vt nihil iam differat dispiciens quomodo gallinæ ante oua fuerint, ab eo qui inquirat quomodo mares & feminę exstiterint priusquam penes exstarent & vuluæ. Et verò pleræq; partium vnà cum totis subsistũt, facultates partibus inhærent, actiones facultatibus comitãtur, effecta actionibus. effectum autem facultatis progenerãdi partium ad hoc destinatarũ est semen & ouum. vt omnino necesse sit hæc totius ortum tempore subsequi. Sed & hoc perpende, an non sicvt cõcoctio alimenti nulla fieri potest nondum nato animali: ita ne semen quidem possit, aut ouum. etenim hæc cõcoctionibus quibusdã & mutationibus confici apparet: neq; fieri vllo modo potest, vt alimenti abvndantiam natura nondũ nato animali habeat. Cæterùm semen vtcunq; principij naturã sibi vindicat, ouum obtinere principij rationem nõ potest. non enim primùm subsistit, neq; totius obtinet naturam, cùm sit imperfectũ. Itaq; absq; principio animal nasci non dicimus: sed principium viui fetus edendi esse, à qua primùm materies mutata fuerit vi, temperiem quandã & mixtionem indente fetificã. Ouum porrò itidem vt sanguinem & lac, esse ex eorum numero quę post nutritionem & concoctionem supernascuntur. Nunquam enim visum est ouum, quod è cœno esset concretũ: sed in solo animali coit atq; nascitur. At enim innumera animalia in cœno nascuntur. Et quid de aliis dicam? tam multis captis anguillis, nemo vnquam vidit genitale semẽ aut ouum anguillæ. sed etiam si quis omnem exhauriat aquam, omnem limũ, nihilominus aqua in locum istum denuò cõfluente anguillæ nascentur. * Necesse verò est id posteriùs nasci, quod ad sui ortũ alio indiget: priùs id exsistere, quod nasci absq; alterius potest adminiculo. De hoc enim prima est quæstio * nã & nũc nidos conficiunt aues priusquàm oua ponãt, & mulieres cunabula antequàm pariãt. nõ tamẽ auibus nidos, cunas infantibus priores dixeris. Nõ enim terra, inquit Plato, mulierẽ, sed mulier terrã imitatur, & alia feminei sexus. Proinde probabile est primũ ortũ ex terra tẽporis perfectione absolutũ fuisse, nihilq; indigẽtẽ huiusmodi instrumẽtis, receptaculis, & vasis, qualia nũc ob imbecillitatẽ natura parat atq; machinatur parietibus.

Qvaestio qvarta.

An lucta sit certaminum vetustissimum.

Sosiclem Coronẽsem, qui Pythia vicerat prælatus reliquis poëtis, nos gratulatorio ob victoriam conviuio excepimus. Cùm autẽ instaret certamẽ gymnicũ, plurimus fuit sermo de luctatoribus: nam multi ac nobiles advenerãt. Aderat tũ Lysimachus, vnus de Amphictyonũ procuratoribus. Is aiebat nuper se grãmaticum audiuisse, qui luctã omniũ certaminũ esse antiquissimũ pronũciaret, idq; ipsius vocabuli testimonio cõfirmaret. solere enim recẽtiores plerunq; res nominibus illis affici, quæ essent antiquiorũ: quomodo etiã à lyra ad tibiã essent contentionis & pulsationis verba trãslata. Locũ porrò vbi omnes athletę exercerẽtur, palęstrã appellari, à pale, id est lucta nomẽ primò adeptũ, quod deinde etiã recẽns invẽtis accõmodatũ fuerit. Id sanè, inquã ego, testimoniũ est parũ firmũ. nã palæstra à pale dicta fuit, nõ quod lucta antiquissimũ de certaminibus esset: sed quod ex omnibus certaminũ formis ea sola luto, puluere, ac ceromate indiget. Nã neq; cursum, neq; pugillationẽ in palæstra elaborãt: sed solius luctæ & pãcratij sunt volutationes istæ. liquet enim pancratiũ è lucta & pugillatione esse cõpositũ. Alioquin etiã rationi qui sit conveniens, luctã quæ certaminũ est artificiosissimũ & versutissimũ, simul etiã veterrimũ haberi? Id nimirũ vsus vitæ necessarij primò proferũt, quod simplicissimũ & artis expers, vi magis quàm artificio cõficiatur. Hæc me locuto, Sosicles: Rectè, inquit, dicis. tuóq; dicto fidem cõciliabo è nominis significatione. pale enim mihi videtur dicta à verbo paleuein, quod dolo & fraude deiicere notat. Mihi verò, inquit Philinus, à palmo, qui palæsta Græcis est pale nomen habere videtur. hac enim maximè manuum parte agunt luctantes, vt pugno pugiles: vnde & nominum est diuersitas. Quinetiam cùm poëtis sit palynein humidũ aliquid corpori inspergere & applicare, & maximè luctatores videamus hoc facere, inde licebit vocabuli originem repetere. Hoc quoq;, aiebat, vide, an non à pelas, quod propè significat, rectiùs palen deducamus. nã cursoribus cùm hoc sit propositũ, quàm longissimè avelli & distare invicem: pugilibus ne admodũ quidẽ cupiẽtibus arbitri certaminũ permittãt vt se mutuo cõplectantur: solos luctatores videmus mutuis cõplexibus sese devincire, & cõcertationis maiorem partem variè miscẽdis atq; cõstringẽdis invicẽ corporibus peragi.

Quæ-

QVAESTIO QVINTA.

Cur inter certamina Homerus ſemper primo loco pugillationem, proximo luctam, vltimo curſum recenſet?

HIs dictis cùm Philinum nos laudauiſſemus, rurſum Lyſimachus: Quod ergo, inquit certamen dicemus primum fuiſſe, potiùs quàm ſtadium, vt apud Olympiã. * Hæc enim apud nos in ſingulis concertationibus introducunt poſt pueros luctatores viros luctaturos, & pugilibus ſufficiunt pugiles, itidémq; pancratiaſtis pancratiaſtas. ibi autẽ vbi decertauerunt pueri, viros vocant. Immò, inquit Timon, ordinem ratione tẽporis potiùs cõſidera, quẽ Homerus tradidit. Nam de gymnicis certaminibus apud eũ ſemper primò pugillatio, deinde lucta, poſtremò curſus refertur. Ibi Crates Theſſalus hoc admiratus, Dij boni, ait, quanta ignoramus. ſed ſi in promtu habes aliquos in hanc ſententiam verſus, quæſo haud grauatè eos nobis ſubiicias. Ad hæc Timo. Funebria, inquit, Patrocli certamina fuiſſe ab Achille eo quem dixi ordine inſtituta, omnium ferè aures etiamnum perſonat. Sed ordinem hunc poëta æquabiliter ſeruans, Achillem fecit ſic Neſtori dicentem. *—— ego hoc te munere gratis* Iliad. ψ, 620.

Adficio: neque enim pugnis, lucta, iaculo ve
Certabis, curſu ve. ——

ſenem autem inter reſpondendum ſenili more garriendo eum confundentem. ibid. 635.

Nam pugil Oenopidem pugilem Clytomedea vici:
Ancæus lucta Pleuronius eſt mihi ſtratus:
Iphiclus curſu victus. ——

Rurſum Vliſſes introducitur, Phæaces prouocans ad concertandum

Pugnis, vel lucta; vel curſu denique. —— & Alcinous reſpondet: Odiſſ. θ, 206.
Non etenim pugiles ſumus hac, lucta ve periti: ibid. 246.
Sed pedibus celeres. ——

vt appareat poëtam non forte fortuna aliàs alio ordine vſum pro eo atq; in buccam veniſſet: ſed ea quæ tum ſecundum leges agi receptum erat ſecutum fuiſſe. ſic autem agebatur, cùm adhuc priſcus ordo conſeruaretur. Cùm finiiſſet orationem frater, dixi ego, Reliqua ſanè mihi vera videri, ſed interim cauſam non aperiri. Sed & reliquorũ nonnullis parum probabile viſum fuit, de pugillatione & lucta priùs, quàm de curſu fuiſſe inſtitutum certamen. & abs me contenderunt, vt rem accuratiùs explicarem. Dixi ergo, vt tum mihi ad animum accidebat, Videri mihi hæc omnia imitationes exercitationéſque rerum eſſe bellicarum. Itaque poſtremo ſemper loco grauis armaturę introducitur certamen, quod argumẽto eſt hunc eſſe finem exercitationis corporis ac certaminis. & quod triumphantibus permittitur vt partem muri demoliantur, hunc habet ſenſum, Vrbi murorum non eſſe magnum vſum, viris præditæ pugnandi vincendíque gnaris. Lacedæmone is qui coronarium certamen viciſſet eximium in acie locum habebat, vt propter regem ſtãs pugnaret. Solus quoque omnium animalium equus in partem certaminum & coronarum venit, quia ſolus natura & exercitatione factus eſt, vt in prœlio homini adſit. Quæ ſi non perperam dicuntur, iam hoc, inquam, cõſideremus: Eorum qui pugnant primum opus eſſe ferire & ictus evitare. ſecundum vbi iam congreſſi manus conferũt invicem trudere & ſubvertere adverſarium. (qua re maximè aiũt apud Leuctra Spartanos à noſtris palęſtricę peritis fuiſſe oppreſſos. ideóque etiam quidam apud Aeſchylum bellicoſus appellatur

Acer, & in rigidis gnarus luctarier armis.

ac Sophocles alicubi de Troianis ait, eos eſſe

Equites, ſagittas arcu gnaros tendere,
Et tinniente cum ſcuto luctarier.)

tertium vel fugere ſi vincantur, vel inſequi victos. Ergo haud abs re pugillatio primum habebat locum, ſecundum lucta, tertium curſus. Eſt enim pugillatio ictus & declinationis imitatio, lucta complexus & pulſationis, curſu diſcunt fugere & perſequi.

QVAESTIO SEXTA.

Cur picea, pinus, earúmque similes arbores inoculationem non admittant.

SOCLARVS conuiuiũ nobis prębens in hortis quos Cephisus amnis circumfluit, demõstrabat arbores omnis generis insitionibus, quas vocãt inoculationes, variè exornatas. Vidimus enim è lentisco oleam pullulantem, & è myrto malũ Punicam. erant etiã quercus pira bona ferentes, & platani malorum surculos, ficus mori germina quæ excepissent, aliæq; stirpes ita inter se permixtę vt iam fructũ ferrent. Alij ergo Soclarum iocosè incessebãt φ genera & plantas poëticis sphingibus & chimęris mõstrosiores aleret. Crato autẽ nobis ad disquirendũ proposuit, quidnã esset causæ, φ eæ solæ stirpes quæ oleosæ sunt, hãc permistionẽ nõ admittunt. nõ enim videri coniferã pinũ, aut cupressum, aut pinũ, aut piceã, quæ quicq; diuersi generis aleret. Eius verba excipiẽs Philo, Est, inquit, mi Crato, ratio hæc de re apud doctos, quam agricultura cõfirmat. Aiunt enim oleũ esse plantis inimicũ, & celerrimè perire stirpẽ quãcunq; voles, si invngatur oleo, sicvt & apęs. Dictæ autẽ arbores pingues sunt, ac natura ita ad humorẽ coquunť maturãtúrq;, vt picem quoq; & resinam lacrymẽt, incisóq; libro quasi sanies quædã in vulneribus earũ foràs erumpẽte humore cõcrescat. quin & tæda earũ liquorem emittit oleosum, & pinguedo eius renitet. Inde est, φ olei in morem cum diuersi generis rebus permixtionẽ non recipiunt. Postquã suum sermonẽ absoluit Philo, Crato ostendit etiã corticis naturã (sua quidẽ sententia) ad hoc cõferre aliquid: qui ob suã tenuitatẽ atq; siccitatẽ iis quæ inseruntur sedẽ atq; firmã inolescendi facultatẽ nõ præbent. verùm hoc faciunt corticosa & humido prædita libro, quæ insitam propaginem facilè suo sibi humore agglutinãt. Ad hæc Soclarus: porrò, inquit, non malè hoc quoque cogitatur, id quod capax alienæ debet esse naturæ, oportere esse mutatu facile: vt superatum alterius qualitatibus adsimiletur, nutrimẽtúmq; suum mutare possit ita, vt insiticio adsimiletur. Etenim aliquid consituri, terram antè diluere solemus atq; emollimus, vt diffissa eo promptiùs ob facilitatẽ percipiẽdi affectiones amplectatur ea quæ inserimus. cùm dura & rigida mutationi non sit apta. Istæ autem, de quibus sermo est, arbores, cùm lignis leuibus sint prædita, temperamentum non admittunt, neq; subigi se aut mutari patiũtur. Iam nę hoc quidẽ, aiebat, obscurum est, debere id φd in se recipiat ad id φd inseratur rationem loci habere: loci autẽ natura feminea vt sit & fecũda, requiri. itaq; stirpium eas quę fructus sunt feracissimæ insigunt: tanquã mulieribus lacte abvndãtibus alios infantes lactandos si subiicerẽt. Piceam autẽ, & cupressum, & alias id genus arbores cernimus omnino parcè ac malignè fructũ ferre. Sicvt enim qui mole carnis graues sunt, ij plerunq; prolẽ non procreant, cõsumto in ipsum corpus alimento ita, vt nihil genitalis excrementi relinquatur: ita istiusmodi arbores nutrimẽtum omne in se absumentes, in magnitudinem excrescunt amplam, fructum autem vel non ferunt, vel exiguum, & qui tardè perficiatur: vt mirum non sit si alienum in eo non nascitur, in quo etiam proprium quod est, ægrè alitur.

QVAESTIO SEPTIMA.

De remora pisce.

CHAEREMONIANVS Trallianus aliquando, cùm omnis generis pisciculi fuissent propositi, vnum ex iis ostendens nobis acuto capite & prælongum, huic similem dicebat esse piscem, quẽ à detinẽda naue echeneidem Græci, Latini remoram appellant. Aiebátq; eum piscem se vidisse, cùm mare Siculum nauigaret, admiratúmq; fuisse eius vim, cùm nauigationi is haud exiguam tarditatem morámq; iniecisset: donec tandem à proreta captus fuit, exteriori parieti nauis adhærescens. Non defuerunt qui Chęremonianũ riderent, vt qui fabulosum & incredibile figmentũ pro re vera accepisset. Erant etiam, qui naturales illas rerũ dissensiones (antipatheas vocãt) iactarẽt, & multa huius generis cõmemorarẽt. Nimirum enim Elephantem furentẽ cõspecto ariete insania solui: viperã sisti si fagi termite admoto eã contigeris: taurũ agrestẽ ficui alligatũ quiescere: succinum omnia leuia ad se trahere, ocimo demto, & iis quæ oleo sunt imbuta: magnetẽ allio invnctũ ferrũ non trahere. quorũ omniũ cùm manifesta sit experientia, causam tamẽ si non prorsus nefas, saltẽ difficile est scire. Hoc verò, inquã ego, subterfugere disquisitionẽ est, non causam rei exponere. Id autem consideremus, multa accidentia esse, quę non rectè, pro causis tamẽ habentur. perinde ac si quis existimet

ſtimet viticis flore fructum vitis matureſcere, quoniam ita vulgo dicitur;

Florente vitice matureſcit vua iam.

aut propter fungos qui in lucernis concreſcunt, cōfundi & nubibus cogi aëre: aut ad vncos vngues cauſam eſſe, non accidens vlcere adfecti viſceris. Sicvt ergo iſtorum vnumquodq; adfectioni comitat, ab iiſdē ortū cauſis: ita vna etiā cauſa eſt cur nauis & tardius eat, & remorā adſciſcat. Cùm enim ſicca ſit, & admodū grauis humore nauis, probabile eſt ſublabentē mari ob leuitatem ſubire carinā, & fluctū * puro * * facile recedentē. Quādo autē admodū madida algam multam & muſcum concretū attrahit: tunc & ligni ictus fit obtuſior, & fluctus accidēs ob lentorē ſuum non facilè delabitur. itaq; etiam parietes nauium detergent, muſcum & algam à lignis dimouentes. inter quæ conſentaneū eſt cùm etiam remora adhæreſcat ob lentorē, cauſam tarditatis, non conſectarium cauſæ tarditatem efficientis creditam fuiſſe.

QVAESTIO OCTAVA.

Cur equos lycoſpadas dicunt feroces eſſe.

EQVOS lycoſpades ſunt qui à frænis quæ lupata dicuntur appellatos putent, ob ferociam & contumaciam ſic domitos. At pater noſter, minimè ex tēpore loqui ſolitus cùm æqua omnibus poteſtas eſſet, & qui ſemper vſus fuiſſet præſtantiſſimis equis, equos aiebat, quos etiamnū pullos adorti eſſent lupi, ſi effugiſſet, bonos euadere & curſu veloces, ac dici lycoſpadas, quaſi tractos à lupis. Eius rei cùm teſtimonium ipſi cōplures dediſſet, cauſa cur iſte caſus ferociores alacrioreſq; faceret equos in queſtionē venit. Pleriq; hanc adferebāt rationē, metum iſto euentu, nō ferociā indi equo: proinde cùm eſſent facti meticuloſi & qui facilè quāuis ad rem pauerent, celeriter ſeſe incitare, in morem ferarum aliquando caſſibus ictarum. Ego autem conſiderandum dixi, númnam contrarium magis ſit verum: neq; ideò agiliores fiant pulli quòd effugiſſent vim adorientium beſtiarum: ſed nunquam eam fuerint euitaturi, niſi celeres eſſent & feroces. Non enim Vliſſem eò factum prudentem, quia Cyclopem effugiſſet: ſed ideò effugiſſe, quia erat prudens.

QVAESTIO NONA.

Quare ouis à lupo morſæ caro ſit ſuauior, lana autem pediculos gignat.

SEcundum hæc quæſtio de morſis à lupo ouibus incidit, quæ dicuntur carnem habere dulciſſimam, lanam pediculos gignētem. Non ineptè autem viſus eſt Patrocles adfinis noſter de dulcedine ratiocinari, carnem morſu eius feræ colliquari. Eſſe enim ſpiritum lupi adeò feruidum & ignitum, vt oſſa etiā duriſſima in ventre colliquet atq; emolliat. atq; ideò à lupis morſa celerius quàm alia liqueſcere. De lana autem dubitatum fuit, An fortaſſe ea non generet pediculos, ſed euocet proprietate quadā aſperitatis incidentis aut caloris carnem diſcernentis. Hanc autem vim conciliari morſu lupi * & ſpiritum mutātis vſq; ad crines iugulati. Et hiſtoria fidem huic rationi fecit. Nouimus enim venatores & coquos, alteros vno ictu ferā ſternere, vt ſuffocata abſq; ſpiratione iaceat: alteros ægrè multis ictibus occidere. & quod magis mirū ſit, alteros eā vim cum ferro indere vulneri, vt mox putreſcāt, ac ne vnū quidē diem ſe à putredine defendāt: alteros cùm non tardius interficiant quàm illi, tamē nihil tale in carnē inferre, ſed eam diu manere integram. Quòd autē iugulatio & mors animali mutationē adferat, quæ ad cutem vſque, capillos vngueſque pertineat, id Homerus quoque declarare ſolebat, de cute & loro dicens,

——bouis, qui vi iugulatus.

Quæ enim animalia non morbo, neq; ſenectute diſſoluuntur, ſed iugulantur, eorum pellis valida eſt & denſa. quæ autem à feris mordentur, eorum & vngues denigrātur, & capilli defluunt, & pelles laxæ fiunt ac ruptu faciles.

QVAESTIO DECIMA.

Vetereſne rectius fecerint qui in conuiuiis ſuam cuique portionem tribuerunt, an qui nunc in commune præbent.

QVo tempore eum magiſtratum geſſi, qui q; anno dat appellationē Eponymus dicit, domi in ſacrificiis plerǽq; cœnæ ita agitabātur, vt ſua cuivis portio tribueret. Id cùm nōnullis impēſè probaret, fuerūt qui à cōmunione alienū dicerēt atq; illi-

berale, putaréntque vbi primùm deposita esset corona, debere mensas ad pristinum morem reformari. Non enim edendi, aiebat Agias, & bibendi gratia, sed cò mpotandi, puto, & vnà edendi gratia nos invicem vocamus. at ista carnium in porti ones diuisio sublata cõmunione multas facit cœnas, multos cœnantes, neminem alt erius conviuam: quando velvti à lanij mensa pondere acceptam quivis partem sibi proponit. Et quid refert, calicémne conviuarum cuique proponas peculia rem, sextariúmq; vini plenum, & propriam mensam, (quo pacto Demophontidæ Orestem feruntur cœna excepisse, iubentes pro se bibere, neq; obseruare alios) quàm id agere quod hodie fit, vt quisq; sibi propositis pane & carne tanquã è proprio præsepi vescatur: nisi quòd nobis non incumbit necessitas tacendi vt Orestem conviuio accipientibus. Immò hoc ipsum conviuas ad communitatem omnium rerum provocat, quòd & communi vtimur invicem sermone, & cantu psaltriæ oblectantis aut tibicinę ex æquo fruimur, & crater in medio positus, nullis circumscriptus finibus, fons exstat amiciciæ largus, modúmq; fruẽdi habet appetitu definitũ: non quo modo panis & carnis iniustissima portio æqualitatis mensura iniustissimè se venditat apud inæquales. Idem enim & ei qui paulo indiget, nimium est, & ei qui multo opus habet, non sufficit. Ergo sicvt, amice, qui multis ægrotãtibus æqualia medicamenta mensuris & ponderibus exactis distribueret, per esset ridiculus: ita etiam habendus est præbitor, qui homines neque sitientes æqualiter neque esurientes, vniuersos æquali modo volet curare, mensuram & quod cuique tribuendum sit arithmetica, non geo metrica definiẽs ratione. In cauponam quidem vnus, publica omnes mensura vna vtentes: ad cœnam autem quisque proprium apportantes ventrem venimus, quem non æquale, sed sufficiens ei quod sit, impleat. Neq; verò Homericæ illæ cœnæ militares atq; castrenses huc sunt transferendæ: sed æmulanda potiùs antiquorum humanitas, qui vt omn em venerarentur communionem, non victus modò & tecti, sed chœnicis etiam & cibi societ at em honori duxerunt. Valeant ergo Homericæ cœnæ, à fame & siti non vsquequaq; liberæ, & quibus præsint reges Italicis cauponibus ad rem attetiores, qui in ipsis prœliis prçcisè commemorent, quantum in cœna apud ipsos quivis biberit. Pindaricæ nimirum meliores, in quibus heroës venerandam iuxta mensam permiscentur: ea enim vera est permixtio, cùm omnia omnibus sunt communia: sicvt cõtrà divulsio est, quæ crimen discordiæ amicissimis ingerit, cùm ne opsonium quidem communicare posse videntur. His dictis cùm placeret Agias, instigauimus vt contrà diceret * Insolẽs, inquit, Agiæ quippiam vsuvenit, si tantum gerens ventrẽ, iniquè fert ęquam se accipere portionem, vnus ipse de helluonibus? Nam in communi pisce, non insunt spinæ, dicebat Democritus. Atqui hoc ipsum, inquit, maximè Mœran, id est fatum à danda cuiq; sui portione dictum, Necessitati præfecit. Aequalitatis enim, quam

Eurip. Iphig. Taurica.

ad Iliad. Δ, 262, 345, videtur alludere.

Socios sociis deuincire, Vrbes Vrbibus

Phœnissis.

Euripidea anus ait, operã nihil magis requirit, atq; communio mẽsæ: éstq; eius vsus à natura, nõ instituto, necessarius, nõ ab opinione nouatus atq; introductus. Plura porrò de communibus edenti inimicus est qui minus accipit, & tanquam celeri fluctu incitatã nauem non potest adsequi. Non enim ad amiciciam conducens, aut conviuio conveniens exordium est, puto, suspicio, rapinæ, manuum concertatio, & pulsatio cubitorum: sed absurda hæc sunt, canina, & quæ pleraq; in convicia & rixas desinant, nõ conviuarum modò invicem, sed etiam adversus mensarum ministros & reges. Quandiu autem Mœra & Lachesis, cui à sorte nomen, in cœnarum & conviuiorum communione æqualitatem administrauerunt, nihil videre licuit indecorum, nihil illiberale. sed & conviuia dætas, & conviuij regem dætymonem, & ministros mensæ dætros à distribuendo & diuidendo dicebant. & Lacedæmonij Kreodætas, id est carnium diuisores habuerunt nõ vulgares, sed primarios viros: quando id munus etiam Lysandro in Asia rex Agesilaus mandauit. Tum demum distributio è conviuiis est eiecta, cùm luxus ea occupauit: nimirum enim non poterãt placentæ, candyli, caryceæ, aliáque condimentorum & opsoniorum fercula diuidi: sed devicti istis deliciis ac gulæ studio, æqualitatem portionum prodiderunt. Argumento est, quòd etiamnum sacrificia & publicas cœnas portionibus distributis agitant, ob victus simplicitatem & mundiciem. vt omnino qui distributionem in vsum revocat, simul etiam reducat frugalitatem. Sed vbi proprium est, ibi commune perit: vbi quidem non est æqualitas. Non enim propriæ rei possessio, sed alienæ involatio & id quod cõmune est sibi vindicandi

dicandi libido initium fecit iniusticiæ & discordiæ: quam termino & modo proprietatis tollentes leges, cognomines factæ sunt in Græco sermone eius facultatis, quæ commune æqualiter distribuit * quando ne coronam quidem vult distribui vnicuiq; * nostrum à rege, neq; lectulos & loca: sed etiã si amasiam aliquis aut psaltriam adducat, cõmunia hæc sunt amicorum, vt (quæ Anaxagorę fuit sententia) omnes res vnũ fiant. Quòd si horum proprietas nihil perturbat, neq; impedit cõmunicationem maximarum rerum & maximè seriarum, sermonum inquam, propinationum, comitatis: desinamus Parcis iniuriam facere, & proli Fortunæ Sorti, vt eam appellat Euripides. quæ neq; diuitiis primas, neque gloriæ tribuens, fortuito aliàs aliò vergens, pauperem & humilem extollit, neque omni libertate priuatum esse sinit. diuitem verò & magnum * citra molestiam castigat, condocefaciens eum ad ferendam ęquo animo æqualitatem.

PLVTARCHI
Symposiacôn, id est Conuiualium disputationum, liber tertius.



SIMONIDES poëta, Sossi Senecio, quodam in conuiuio cùm videret hospitem accumbere tacitum, & cum nemine verba commutantem, Mi homo, dixit, siquidem stultus es, sapiens factum edis: sin sapiẽs, stultum. Etenim inscitiam præstat occultare: verùm hoc difficile est inter pocula.

Nam vinum vel prudentem cantare coëgit, Odiss. ξ, 465.
Et tenerum ridere, pedésque inferre choreis,
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu.

Vbi quidem, si non fallor, poëta vinolentiæ & ebrietatis constituit discrimen. Nam cantus, risus, saltatio, iis qui mediocriter abbibére possunt accidere. garrire, & ea dicere, quæ reticeri præstabat, iam ebrietatis est opus. Itaq; Plato etiam in vino maximè (I. Legum.) plerorumque hominum animi affectiones existimat posse perspici. Et Homerus cùm caneret,

——neque mensæ his interuenerat vsus: Odiss. ρ, 35.

satis ostendit ita se existimare, vini & mensæ cõmunionem plurimum ad noticiam mutuam conducere. Non enim cõtrahitur noticia inter tacitè edentes ac bibentes: sed ad loquendũ prouocat vinum: inter loquendũ multa aperiuntur atq; detegũtur aliàs occulta, invicémq; innotescunt cõpotores. vt non ineptè Aesopũ ille increpauerit: Quid quæris, ridiculũ caput, illas fenestras, per quas in alterius cogitationes alter potest inspicere. vinum enim nos aperit ac ostentat, non sinens latére: sed speciẽ atq; laruam adimit, lege tanquã pædagogo quàm longissimè semoto. Proinde Aesopo, Platoni, & * si qui alij examinare quempiã volunt, tormenti loco sit merũ. Qui aũt mutuò in se inquirere nihil curant, neq; depræhendere vnus quæ alter occulta habeat satagunt, amicè tantùm vnà consuescere expetunt: ij tales tractãt quæstiones ac disputationes, quibus adversitates fortunæ obruantur, fiduciam autẽ recipiat animi pars optima, & liberalibus studiis deditum ingenium in elegantes & eruditas collocutiones tanquam in pascua & prata sibi cõsueta producatur. Hinc adeò factũ est, vt nos quoq; hãc tibi tertiã decuriã cõpotatoriarum quæstionum cõfecerimus: è quibus prima est de coronis.

QVAESTIO PRIMA.
An inter pocula vtendum sit sertis floreis.

ATHENIS olim de coronis quæstio incidit in conuiuio, quo Eraton musicus cõplures exceperat, cùm Musis rem sacram fecisset. Nam vt à cœna omnis generis serta fuerunt circumlata, Ammonius salsè quodammodo nos notauit, qui pro laurea roseam gestaremus coronam. aiebat autẽ omnino floreas coronas esse pueriles, & magis ludẽtibus virginibus ac mulieribus, quàm philosophorũ convenire musicorúmq; hominũ cõgressibus. Mirórq; adeò, aiebat, Eratonẽ hunc, qui colores in cãtilenis abominans, pulcrúmq; incusans Agathonem, qui cùm Mysos fabulam doceret, primus

fertur chromaticum genus tragœdiæ immiſcuiſſe: ipſe nobis variis, vt videtis, floridiſque coloribus conviuium oppleuerit. dúmque per aures accidentem oblectationem excludit, voluptatem oculis & olfactui obviam quaſi per aliud oſtium introducit in animam, voluptati ſertum deſtinans, non pietati. Atqui hocce vnguentum fragrantiam edit durabiliorem quàm flores iſti, inter manus mulierculaꝛum corollas plectentium emarceſcentes. Enimverò in conviuio philoſophorum locus non eſt vllus voluptati, nulli annexæ vtilitati, neque principium aliquod naturalis appetitionis comitanti. Sed quemadmodum ij qui ad cœnam ducuntur à vocatis amicis, more ſanè humano, iiſdem fruuntur rebus: (qualis Ariſtodemus à Socrate fuit perductus in Agathonis domum conviuium exhibentis) qui verò vltrò accedat, ei fores præcludi oportet. ita voluptates quæ cibum potúmque ſequuntur, appetitionibus accitæ naturalibus, locum habent: aliæ quæ non inuitatæ nulla ratione, tantùm luxuria quadam inſtigante obrepunt, arcendæ ſunt. Sub hæc adoleſcentes, qui cum Ammonio non conſueuerant, perturbati ſerta paulatim detraxerunt. Ego autem, qui ſcirem exercitationis gratia & diſputationis hæc ab eo in medium propoſita, Tryphonem medicum compellans: Heus tu, inquam, aut vnà nobiſcum deponenda eſt tibi pulcrè ardens roſarum floribus corona, aut dicendum, vt apud nos ſubinde ſolebas, quid ad bibendum adiumenti adferant floreæ coronæ. Excipiens verò meum ſermonem Eraton, Ita ſcilicet, inquit, decretum eſt, nullam admittere voluptatem quæ ſymbolum non det, & oblectationem aſpernari niſi mercedem nobis præbeat? Aut vnguentum potiùs & purpuram averſamur ob luxum iis adhærentem, tanquam doloſas veſtes, doloſos colores, vt barbarus ille dicebat: ſponte autem ſua nati colores & odores ſimplicitate præditi ſunt & puritate, nihilque differunt à frugibus arborum? Nónne enim ſtultum ſit ſapores natura præbente colligere, iíſque frui: odores autem & colores eadem ſuppeditāte, ob elegantiam ac voluptatem in iis efflorescentem ſpernere, quòd nullam aliam extrinſecus vtilitatem adferant? Hæc enim inter ſe pugnare videntur, Naturam (quod vos dicitis) nihil facere fruſtra, & iſthæc delectationis cauſa eſſe condita, nullam aliam vtilitatem conferentia. Iam hoc conſidera, iis quorum ſtirpes terra continentur, ac quæ germinant, folia data eſſe ob conſeruationem fructus, vt que foueant plantas, eæque ita faciliùs caloris ac frigoris viciſſitudines perferant: flores dum permanent in planta, nullam vtilitatem adferre, niſi quòd nobis odoratu aut viſu ſunt iucundi: cùm & odores mirabiles edant, & varietatem coloribus tincturiſque inimitabilibus exhibeant. Itaque foliis avulſis velvti dolent & mordentur plantæ, & vlceroſum iis quoddam accidit detrimentum, ac denudatio indecora. & non tantùm, vt voluit Empedocles,

Foliorum vſus.

Omnino foliis debemus parcere palmæ:

ſed & reliquis omnibus arboribus, neque nos ornare illorum cum dedecore, vi & contra naturam foliis eas ſpoliando. At enim florum detractio vindemiæ cuidam eſt ſimilis, tantúmque à nocendo abeſt, vt ij vltrò marceſcentes decidant niſi tempeſtiuè demantur. Quemadmodum ergo barbari pellibus pecoris loco lanæ veſtiuntur: ita mihi videntur qui è foliis potiùs quàm floribus coronas textunt plantis non vti convenienter rationi. Atque hanc ego ſertorum venditricibus ſtipem confero. Non enim ſum grammaticus, vt memoria referre poſſim carmina, quibus oſtenditur priſcos ſacrorum certaminum victores floreis redimitos fuiſſe ſertis. Sanè Muſis conſecratam fuiſſe roſeam coronam, memini me legere in Sapphonis verſibus, quibus indoctam quandam mulierem ita alloquitur:

Te ſimul lethum rapiet, iacebis,
Nec ſuo quiſquam celebrabit ore:
Particeps non es quoniam roſarum
Pieriarum.

Audiamus tamen, an etiam à medicina floribus aliquod teſtimonium Trypho perhibeat. Proinde Trypho in partes dicendi ſuccedens, Priſci, inquit, horum nihil inobſeruatum reliquerunt, vt qui plurimis plantarum vſi eſſent remediis. & exſtant etiamnum argumenta rei. Tyrij enim Agenori, Chironi Magnetes primitias offerunt, quod

quòd ij primi medicinam fecisse existimantur. Radices enim plantarum erant, quibus ægrotos sanauerunt. Bacchus porrò non eo tãtùm nomine medicus est habitus, quòd vinum invenit medicamentum validissimum & suauissimum: sed quòd ederã quoqꝫ facultate sua vino maximè resistentẽ in honore habendam docuit, eáqꝫ bacchantes coronauit, vt minùs à vino lęderentur, edera suo frigore ebrietatem restinguente. Sed & nomina quædam manifestant veterum hac in re summam diligentiam. Nam & nucem caryam dixerunt, quòd spiritum grauem ac soporem incutientem profundum exhalans, lædat qui sub ea recumbunt. & narcissum, quia torporem (qui narce Græcis est) neruis incutiat, grauedinémque torpidam: vnde & Sophocles eum veterem magnorum deorum coronam appellat, nimirum Manium. Rutam quoque peganon ea de causa dictum autumant, quòd ob siccitatem calore mixtam semẽ genitale constringat & coagulet, ideóque prægnantibus planè sit inimica. Qui verò amethystum cùm herbam, tum cognominem eius gemmam nomen à prohibenda ebrietate habere putant, ij errant. vtrunqꝫ enim à colore dictum est. neqꝫ enim folium herbæ liquido est colore, sed violæ & vino temperie diluto simile. Multa alia commemorari possent vocabula stirpium, à facultatibus earum deducta: sed & hæc ipsa sufficiunt ad industriam veterum demonstrandam, ac peritiam. quam etiam adversus ebrietatem adhibuerunt. Maximè enim merum quando caput ferit, & intendit corpora, perturbat sensuum principio percusso. At florum exhalationes mirabiliter contra hoc mali præsidio sunt, capútque velvti arcem muniunt ad ebrietatem pellẽdam. nam & calidi flores molliter aperiendis meatibus faciunt vt perspirare vinum possit: & quæ leuiter frigida sunt mediocri cõtactu vapores repellunt. vt violacea & rosacea corona: vtrunqꝫ enim horum adstringit, reprimítqꝫ odore suo ea quibus caput grauatur. Cypri porrò flos, & crocus, & baccaris eos qui adbiberunt ad somnum molestiæ vacuum adducunt. exhalant enim mite quidpiam & gratum, quo inæqualitates quæ inebriatorũ corpori accidunt asperitatésque diffunduntur, ita vt tranquillitate oborta retundatur & digeratur id quod crapulam erat facturum. Quorundam etiam florum odoribus sursum dissipatis ad cerebrum, fit vt & meatus qui sunt instrumento sentiendi expurgentur, & humores incidantur, sensim absque vehementi ictu aut agitatione discussi, simúlque cerebrum natura frigidum refocilletur. Itaque serta è floribus texta præcipuè à ceruice suspendentes, hypothymidas appellabãt, vnguentísque quibus ea erant delibata, pectus invngebant. Testatur etiam Alcæus, iubens vnguentum sibi affundi super multa passum caput & canum pectus. Sic etiam inde odores à calore eiaculantur in cerebrum, rapientibus eos naribus. Non enim ideò hypothymides vocauerunt collo appensas coronas, quòd animum castra sua in corde haberé putarent: (est enim thymos animus) sed propter exhalãtem potius fragrãtiam, quam ipsi apothymiasin nominant. Mirum verò nemini debet videri, si exhalationes sertorum vim tantam habent: cùm memoriæ proditum sit vmbram similacis interficere homines in ea dormientes, quo tempore planta maximè turget & florem parturit suum. & spiritum à papauere defluentem non cautè obseruatum ab iis qui succum colligunt, subvertere homines. herbam autem alyssum si duntaxat in manum sumatur, immò nonnullos si modò intueantur eam, singultu liberare. eadem pecori & caprarum gregibus conducere dicitur, si iuxta caulas plantetur. Rosa autem rhodon Græcis haud dubiè dicitur, quia multum odoris exhalet. quo fit, vt etiam celerrimè marcescat. naturalem autem habet vim refrigerandi, adspectu igneum aliquid ostentans, idque non absque ratione. nam in superficie eius tenuis efflorescit calor, eò à frigore expulsus.

QVAESTIO SECVNDA.

De natura ederæ, calidáne sit an frigida.

HEIC cùm nos Tryphonem laudauissemus, renidẽs Ammonius, Indignum verò fuerit, inquit, tam variam & floridam orationem contradicendo tanquam corollam discerpere. vnum id me offendit, quòd in eam intexta fuit edera, & frigore suo dicta merum restinguere. Etenim calida est edera, eiúsque fructus vino admixtus inflammando vim eius inebriandi & conturbandi auget. & palmitem ederæ auulsum

ferunt instar lignorum igni curuatorum intorqueri. vix etiam, quæ aliis plantis sæpe per complures dies incumbit, ederam celerrime fugit, immò autem statim perit liquescens eius caliditate. Maximum argumentum est, quod Theophrastus narrat, iussum ab Alexandro Harpalum hortis qui erant Babylone Græcas inserere plantas solo iis in locis admodum feruido, alsiosas & foliis luxuriantes vmbrámque amantes herbas plantis reliquis permiscuisse: solam ederam non fuisse à solo receptam, quanquam magno conatu, magnáque contentione plantare eam Harpalus eniteretur: sed exsiccatam periisse. quippe calida ipsa temperari cum tellure calida non potuit, sed periit. Nam exsuperantia facultates perduntur. quæ causa est, vt contraria appetant, ac calorem ament frigida, frigus calida. atque hinc montosa, ventísque & niuibus exposita loca facibus aptas & picem ferentes maxime producunt arbores, vt laricem & pinum coniferam. Præter hæc, mi Trypho, algidæ & frigidæ stirpes facile folia amittunt ob paucitatem calore & imbecillitatem compulso, & plantam deserente: oleam, laurum, ac cupressum semper virentem conseruat pinguedo & calor, sicvt & ederam. Proinde carissimus Bacchus hanc non vt auxilium adversus ebrietatem adhibuit, aut vino adversam: qui merum ab inebriando aperte methy, & sese Methymnæum appellauit. Sed mihi videtur, quemadmodum vinosi vero destituti vino hordeaceo vtuntur potu, & è malis aut palmulis quædam sibi vina conficiunt. ita qui hyeme desideraret viteam coronam, vbi nudam & foliis vacuam vidit vitem, ob similitudinem ederaceam amplexus. Nam & palmitis ambages istæ, lubricique in progrediendo ambitus atque lapsus, & foliorum flexilis atque inordinata circumfusio, & maxime corymbus ipse vuæ immaturæ densæ, iámque colorem ducenti similis, vitis formam imitantur. Quinetiam si quid contra ebrietatem facit edera, calore id eam suo facere dicemus, aperiente meatus, aut potiùs concoctionem meri adiuuante. vt sic quoque medicus abs te factus Bacchus gratiam tibi, ô Trypho, debeat. Ad hæc vocem cohibente Tryphone, & quid responderet meditante, Eraton iuniores nos singulatim compellans hortabatur, vt aut Tryphonem pro coronis propugnantem adiuuaremus, aut coronas deponeremus. Et Ammonius securitatem ostendebat, pollicens nihil se dicturum adversus ea quæ proposuissemus. Itaque, cùm Trypho etiam hortaretur ad dicendum: Demonstrare, inquam ego, ederam esse frigidam non est meæ operæ, sed Tryphonis: is enim ea vt frigus inducente ac stipante frequenter vtitur. Cæterùm ex his quæ dicta sunt, inebriare ederam vino admixtam verum non est. Quam enim bibentibus adfectionem infert, non ebrietatem recte dixeris, sed perturbationem abalienationémque mentis: qualem altercum etiam, & multa alia inducunt, insania animum exagitantia. Avulsio autem palmitis illa, ratione vacat. hæc enim quæ contra naturam fiunt, non sunt naturalibus imputanda facultatibus. sed & ligna curuantur, igne humorem educente vi ex ipsis ita contorta. Cognatus autem calor id natura habet vt augeat atque alat. Atque hoc vide, an non frigiditas aliqua corporis multiplices illos flexus & humilitatem edere humi serpentis efficiat * nes, crebrò adflictæ: sicvt cùm viator ob imbecillitatem crebriùs considet, deinde rursum viam init. Itaque etiam amplexu opus habet edera & fulcro, ipsa seipsam sustentare & producere non valens ob inopiam caloris, cuius est sursum efferre. Nix porrò quòd liquescit & defluit ab edera, id ob humiditatem folij fit. aqua enim niuem delet, & ob laxitatem ipsius incidit, vtpote congeriem exiguarum ac crebrarum bullarum. Itaque in valde frigidis, sed humectis locis, nix non minùs quàm in apricis fluit. Iam ille perpetuus viror, & (vt vocat Empedocles)

—folij constantia firma,

non est à calore: vt neque foliorum delapsus à frigore. nam myrtus, & adiantum, non calida hæc, sed frigida, semper virent. Sunt qui æquabilitatem temperamenti pro causa adsignant. Empedocles præterea proportionem quandam congruam meatuum ponit, qui ordine, & æquabiliter alimentum transmittant, ita vt sufficienter id affluat. At quorum folia defluunt, iis non suppeditat alimentum, ob raritatem superiorum, & inferiorum angustias meatuum: cùm neque hi submittant, neque illi conseruent alimentũ, sed quod exiguum acceperunt, confertim profundant: vt quæ haustris rigantur inæqualiter perforatis. Quibus autem aqua sufficit, ea semper alimentũ quod satis sit & proportione conveniat, retinent, perpetuóque virent, consenescunt nunquam. Quid quòd Babylone sata edera provenire & durare noluit? Laudo equidem

lib.4.hist. stirp.

*

dem generosam plantam, quæ Bœotij dei cliens mensæq; assecla noluerit ad barbaros migrare, neque imitari voluit Alexandrum istis gentibus similem factum, sed subterfugit inquilini, repulitque conditionem. Causa verò non fuit calor, sed frigus contrariæ temperiei impatiens. Quod enim accommodatum est alicuius naturæ, ab eo id non perditur, sed fouetur atque alitur. sicvt thymum fert terra sicca; quanquam calidum. At Babylone ita æstuosum & præfocando molestum aërem esse aiunt, vt multi diuitum vtribus aqua impletis frigoris corpori conciliandi causa indormiant.

QVAESTIO TERTIA.

Cur mulieres minimè, facilimè senes inebrientur.

MIRVM verò videbatur Floro, quòd Aristoteles in libro de ebrietate cùm scripsisset, maximè senes, minimè mulieres ebrietate capi, causam non explicauisset: alioqui nihil tale solitus omittere. eam verò in quodam familiarium conviuio inquirendam in medium proposuit. Tum Sylla: Alterum, inquit cognosci ex altero potest: & si de mulieribus causam repererimus veram, non multum disputare opus erit de senibus. naturæ enim maximè sunt inter se contrariæ, humiditate, siccitate, læuitate, asperitate, mollicie, duricie. Quod ad mulieres attinet, primùm in causa esse arbitror corporis humidam temperiem, quæ & carnis teneritatem efficit, & nitorem in læuitate, & purgationes. Cùm ergo vinum in multum incidit humorem, vincitur aciémque suam amittit, fitque omnino languidum & aquosum. Quin etiam ex ipso simul aliquid potest Aristotele. Nam eos, qui vno haustu & citra respirationem magna siccant pocula, quod amystizare dictum fuit, à veteribus ait perhibitum non facilè inebriari. nimirum quòd merum in his non diu moretur, sed impetu impulsum per corpus transeat. Plerunque autem sic bibere mulieres videmus. Probabile etiam est earum corpora ob perpetuam humorum detractionem multis aperiri meatibus, ac incisa esse quasi haustris quibusdam & tubulis: in quos illapsum merum celeriter abeat, neque principibus partibus adhærescat, quarum perturbatione oboritur ebrietas. Porrò senibus deesse suum proprium humorem, principiò ipsum Græcum eorum nomen videtur indicare. gerontes enim dicti sunt, non tanquam fluentes ad terram, sed quòd eorum cõstitutio corporis iam quodammodo facta sit terrea. sed & rigor eorum, & duricies, & asperitas siccitatem naturæ declarat. Vbi ergo abbiberunt, par est corpus ob siccitatem spongiæ instar cauernosum accipere vinũ, quod permanens deinde feriat atque prægrauet. Sicvt ergo aquæ à densis locis delabuntur, ita vt lutum non faciant, in raris autem faciliùs subsidunt & miscentur: ita vinum in senilibus corporibus moram facit attractum à siccitate. Præter hæc videre licet ea quæ ebrietati comitantur inesse vltrò naturæ senum. sunt autem maximè evidentia, tremor membrorũ, linguæ hæsitatio, garrulitas, iræ acres, obliuio, & error mentis. quorum pleraque etiam sanis senibus cùm adsint, leui momento & quavis exagitatione inducuntur: vt in sene ebrietas non peculiarium accidentium procreatio sit, sed communium quædam contentio. cuius rei argumentum est, quòd nihil tam simile est seni atque temulentus iuuenis.

QVAESTIO QVARTA.

Frigidioréſne temperamento, an calidiores viris sint feminæ.

HAEC cùm dixisset Sylla, Apollonides qui ordinibus militaribus præfuerat, accipere se dixit de senibus prolatam rationem. de mulieribus autem, videri sibi prætermissam earum frigiditatem, quæ calidissimum restinguat merum, vímque eius & feruorem opprimat. Cùm hoc quoque videretur dictum probabiliter, Athryilatus Thasius medicus moram quandam iniecit, esse quosdam inquiens, qui feminas non frigidàs, sed viris calidiores censeant: alios, quibus vinum non calidum, sed frigidum videatur. Quod cùm miraretur Florus: de vino, inquit Athryilatus, rem explicandam huic relinquo, me demonstrans. nam paucis antè diebus hac de re fueramus inter nos collocuti. Feminarum autem caliditatem existimant primùm glabricie demonstrari, consumto à calore excremento, quod abvndans alioqui in pilos vertitur. Deinde sanguinis multitudine. qui cùm fons caloris in corpore videatur

esse, tam copiosus est feminis, vt eas inflammet atque incendat, nisi multæ eis & celeres accidant purgationes. Tertium argumentum ab eo ducitur, quod in sepulturis fit, ac calidiora feminarum quàm marium corpora arguit. Traditum enim est vespillones cadauera vrenda ita componere, vt decem virilibus apponerent vnum muliebre, vnáque incendere. quòd muliebre corpus quidpiam tædæ simile atque pingue habeat, efficiátque eo vt reliqua etiam faciliùs ardeant. Porrò si id calidius est quod ad gignendum est procliuius: cùm virgines priùs quàm pueri ad rem veneream incitentur, ne hoc quidem leue est argumentum muliebris caliditatis. Maius etiam hoc & ad persuadendum aptius, quòd gelu & hyemem mulieres faciliùs perferunt. pleræque enim minùs algent quàm viri, omninóque paucas vestes desiderant. Ego autem, inquit Florus, his ipsis ratiocinationibus euerti istam iudico opinionem. Primùm enim quòd frigus magis tolerant, eò fit quia sæpenumerò simile à simili minùs afficitur. Deinde non semen genitale priùs in mulieribus nascitur: sunt enim frigidiores: sed alimentum duntaxat & materies quæ maris subiiciatur semini. tum longè citiùs desinunt párere mulieres, quàm gignere viri. Quòd vruntur cadauera mulierum promtiùs, ob pinguedinem fit, quæ corporis pars est frigidior. itaque iuuenes & qui corpora exercent, minimè pinguescunt. Illa autem menstrua purgatio non est copiosi, sed vitiosi & corrupti sanguinis. qui concoqui cùm non possit & excrementum sit locum in corpore non inveniens vbi subsistat, ob imbecillitatem excidit planè languidus & conturbatus caloris defectu. quin & horror ac rigor plerunque purgationem patientibus accidens, satis ostendit frigidum esse & inconcoctum id quod agitatur & secedit è corpore. Qui verò glabricies calorem potiùs quàm frigus caussam habere dicatur? cùm videamus calidissimas corporis partes maximè pilis obseri. omnia enim ista vi caloris in superficiem expelluntur, ab eo vellicatam & apertam. Leuitas autem à densitate est quam frigus effecit. Densiora autem mulierum esse quàm virorum corpora, mi Luite, discere possis ex iis qui concumbunt cum mulieribus vnguento aut oleo delibutis. opplentur enim vnguento inter concumbendum, etiam si mulieres non contrectent neque attingant, corpore id ob calorem & raritatem attrahente. Verùm enimverò de mulierum natura, aiebat, in vtranque partem satis fortiter est disputatum.

QVAESTIO QVINTA.

Vinum an facultate sit frigidum.

ID autem scire vellem, qui suspectio incidisset hæc, vinum esse frigidum. Putásne aiebam, nostram esse hanc opinionem? Cuius ergo alius, inquit? Memini, dicebam, iamdudum me incidisse in Aristotelis hac de re disputationẽ. Sed & Epicurus in conuiuio multa de eo disseruit, quorum (nisi fallor) summa huc redit. vinum non perfectè esse calidum, sed in se atomos habere quasdam calorem efficientes, alias quæ frigus gignant. ipsum vbi in corpus est admissum alias amittere, alias ex ipso adsciscere corpore, & ad naturam temperiémque vtentium sic accommodari, vt alij ebrij frigeant, alij caleant. Atqui hæc, aiebat Florus, rectà nos per Protagoram ad Pyrrhonẽ ferunt. Liquet enim de oleo, lacte, melle, itémque aliis disputare iussos, subterfugituros naturę singulorum explicationem, quòd ea dicemus nata mixtionibus & tẽperationibus mutuis. Tu verò quomodo colligis vinũ esse frigidum? Duabus rationibus, inquam tum è tempore loqui coactus. quarũ quæ à medicis est sumta, priore loco referam. Languente stomacho, & ob imbecillitatẽ confirmationis indigente, nihil calidũ adhibent, vino tantùm dato medentur. sic & fluxus ventris, & sudoris eruptiones vino sistunt: vtpote non minùs, sed magis quàm nix possit constringente frigoris vi & inhibente materiam. Alioqui si vim calefaciendi vinum haberet, perinde erat opinor merum ori ventriculi admouere, atque ignem niui. Iam somnum plerique refrigeratione fieri putant, & medicamenta somnum inducentia pleraque frigus incutientia sunt, vt mandragoras, opium. Verùm ista vehementer, vique magna compellunt atque cogunt. Vinum paulatim frigus alliciendo, motum suauiter sistit, eo quòd magis aut minus est differens ab illis. Ad hæc calor vim habet gignẽdi. humor enim fluidus redditur, vigorémque & robur spiritus à calore nanciscitur, vimque exstimulantem. At qui multum meri bibunt segniores sunt ad coitum, nihilque validi aut bene temperati gignunt: sed ob frigiditatem seminis atque prauitatem inanes sunt eorum

cum

cùm mulieribus permixtiones. Et verò quæ hominibus à frigore accidunt, tremor, grauedo, pallor, agitatio spiritus in membris, linguæ titubatio, contentio extremitatum in neruis ac torpor: ea omnia ebriis contingunt. Plerisque ebrietas in resolutionem membrorum desinit, vbi merum calorem omnino profligauit atque exstinxit. Incommoda porrò corpori à temulentia illata sanant, ab initio tegmine iniecto & decubitu fouentes: tum postridie lauacro, vnguento, cibísque iis qui molem corporis non exagitantes sensim revocent calorem à vino dissipatum & è corpore fugatum. Tamen, aiebam, in his quæ cernuntur, etiam obscuras vestigamus similitudines atque facultates. At de ebrietate qualis sit, nihil attinet anxiè inquirere. Nam vt apparet, & maximè, vti diximus, similes sunt senibus ebrij: ideóque vinosi maturè admodum senescunt, multósque eorum ante tempus caluicies & cani occupant. Præterea acetum vini quædam natura est & vis. de omnibus autem restinguentibus nihil est quod igni magis adversetur: omnium maximè id flammam vincit & comprimit ob exsuperantem frigiditatem. Sed & fructuum qui sunt vini sapore æmuli, videmus à medicis ad refrigerandum adhiberi, vt malis acidis ac punicis. Ipsum mel nónne aqua pluuia vel niue temperantes in vinum vertunt, frigore dulcedinem ob cognationem si exsuperet in austeritatem mutante? Antiqui nónne ea de causa de repentibus draconem, & ederam de stirpibus Baccho consecrauerunt, quia frigida & gelida sunt natura? Si verò putant, eo signo vini calorem monstrari, quòd post haustam potum cicutam veneni vim retundit: nos id invertentes dicemus vinum cum cicuta temperatum, immedicabile esse venenum, bibentémque omnino interficere: vt non magis resistendo calidum, quàm adiuuando frigidum sit vinum. nam cicuta quidem nulla alia quàm frigus inducendi facultate vim habet necandi.

QVAESTIO SEXTA.

De tempore coitus.

ADolescentuli quidam, qui non ita pridem antiquorum ad doctrinam sese contulerant, Epicurum insectabantur acriter, quòd in conviuium sermonem neque honestum neque necessarium de coitus opportuno tempore intulisset. esse enim aiebant extremæ intemperantiæ, hominem provectæ ætatis in cœna adolescentibus præsentibus mentionem facere venereæ rei, ac disputare ante cœnámne, an à cœna ea sit vtendum. Ad hæc Xenophontem quidam produxerunt, qui conviuas à cœna abduceret non * in equis ad concumbendum cum vxoribus. Zopyrus autem medicus, probè in Epicuri versatus philosophia, aiebat eos non satis attentè legisse Conviuium Epicuri. Non enim eum ab initio ea quæstione proposita, eam deinde differendo tractauisse: sed cùm à cœna ad deambulandum excitauisset adolescentes, de temperantia fecisse verba, & eos à lasciuia deterruisse. quòd nimirum res venerea cùm aliàs facilè noceret, tum maximè si quis eam à conviuio exerceret. Sin verò præcipuè de hoc fuisset quæstio, vtrùm præstabat philosophum omnino nihil disputare de coitus tempestiuo vsu: aut cùm tempestiuè eo & cum ratione vtendum sit, non absurdum erat alibi de commodo eius tempore colloqui, in conviuio verò & mensa turpe? Mihi quidem contrà videtur philosophus fuisse culpandus, qui interdiu in præsentia variorum hominum de eo in schola quæreret. nam calice proposito inter familiares & amicos, vbi etiam vices dicendi aliquid demunt orationi, atque inter pocula, quomodo turpe sit dicere audiréve eorum aliquid, quæ vtiliter de vsu rei venereæ dicuntur? Ego quidem per canem adiuro, optare me, suos diamerismos illos obscœnos Zenonẽ in conviuio aliquo aut ioco, quàm in tam serio de republica opere posuisse. His verbis percussi adolescentes silentium tenuerunt. Cùm autem alij à Zopyro peterent vt Epicuri hoc de argumento rationes exponeret: Equidem singula, inquit, non satis exactè memoria teneo: puto autem eum ictus venereos maximè aversatum, vbi corpus concussione perturbatur atq; contremiscit. Omnino enim merũ corpus de suo statu eiicit, tumultúsq; ciet. quòd si ita affectã molem corporis nõ tranquillitas aut somnus excipiat, sed alię à re venerea exagitationes, elisis & quasi molitione quadã subrutis iis, quæ maximè cõpingere atq; cõtinere illã debebãt, periculũ est ne tota funditus subvertatur cõpages. Nõ enim tũc genitura promtè effluit, repletione eius exitũ obthurãte, sed vi & cõfusa avellitur. Itaq; censet Epicurus quãdo

quies corpori accidit, ac nutrimenti per corpus penetrantis digestio finem habet, tum venerea vtendum re, corpore iam aliud alimentum requirente. Adstipulatur autem Epicuro à maioribus ad nos propagata ratio. Diurnum enim tempus, quando iam concoctio suas obit partes, imbecilliores ad coitum facit. * A cœna autem ad eum ferri,non caret periculo.nam incertum est, an nondum subacto ob imbecillitatem concoquentis facultatis nutrimento, superveniens huic exagitatio, duplex incommodum faciat. Subiecit tum Olympicus. Mihi Cleniæ Pythagorici dictum admodum probatur:qui interrogatus quando res cum vxore esset habenda, respondit, Cùm maximè lædi voles. Nam & quod Zopyrus dixit, rationem habet: & aliis temporibus alia incommoda sequi rem hanc & difficultates video. Itaque sicvt Thales vt coniugium evitaret, matri ad hoc contrahendum adhortanti initiò Nondum appetiisse, postea Iam præteriisse tempus vxorem ducendi dixit. ita etiam ad rem veneream expedit vnumquenque affectum esse, vt decumbens Nondum tempestiuum, surgens Non iam ampliùs tempestiuum eius vsum dicat. Athletica, aiebat ibi Soclarus, nimis sunt quæ dicis, & cottabum eorum ac carnium voracitatem redolentia, adeòque intempestiua. Adsunt enim iuuenes mariti, quos oportet vxoribus dare operam: neque nos omnino fugit Venus, sed accedimus nimirum ad eam, cùm in deorum hymnis dicimus, Produc moram senectuti pulcra Venus. Itaque, si placet,consideremus an scitè & convenienter Epicurus præter omne ius veneri noctem adimat: cùm Menander, homo amatoriis deditus voluptatibus, nocti deorum præstantissimum numen attribuat. Existimo enim rectè voluptati coitus velaminis loco tenebras prætẽdi:ne si luce coëamus,verecundiam ab oculis profligemus, libidinique audaciam paremus, ac memoriam evidentem, quæ inhærens exsuscitet irritétque cupiditates. Visus enim omnium quas corpore percipimus affectionum est acerrima,si Platoni credimus,& quæ propinquis visis animum vehementer excitet,ádque nouarum voluptatum & recentium imaginationem instiget. Nox autem furiosam operi libidinem detrahens,naturam subducit atque sedat, neq; patitur visu ad lasciuiam ferri. Absque etiam hæc essent, quæ ratio hoc efficit, vt à cœna venientes lauti, ac fortasse etiam serto redimiti & vnguento delibuti, vxorem aversantes dormiamus: interdiu autem inter medias actiones è gynæceo vxorem concubitus gratia accersamus,aut galli in morem sub auroram congrediamur? Vesperam enim, mi sodalis, laborum requiem, diluculum laborum initium nouimus. illámque à soluendo dictus Lysius Bacchus regit cum Terpsichora & Thalia: hoc nos ad Opificem Mineruam,& Forensem Mercurium excitat. Itaque vesperam cantus occupant,choreæ,hymenæi,

Comiq;, & cœnæ, & resonanti fistula cantu.

Manè audias malleorum sonitus, & stridores serrarum, & publicanorum antelucanas vociferationes,ac præconum clamores in iudicium vocantium,aut ad nauandam regi vel principi operam.quo tempore nullus voluptati est locus,

Cessitq; Cypris, & adolescentum vigor,

neque Bacchi iam thyrsus aut coronæ vsurpantur, curis sese intendentibus. Porrò autem Homerus neminem heroum vel cum vxore vel cum pellice concumbentem fecit: Paridem duntaxat è pugna profugum in gremium se abducere Helenæ scribit: non mariti, sed adulteri rabiosi diurnum coitum ostendens esse. Et verò ne corpus quidem potissimum post cœnam à coitu læditur, vt visum Epicuro: nisi quis rem tentet ebrius planè, aut distentus. sic enim dubium non est, quin damnosa sit res & periculosa. Si quis autem mediocriter vino ciboque vsus corpore emollito, animóque sereno tempestiuè coëat: neque ob molem magna corpori accidet conturbatio * refrigeratio,aut è suis sedibus traiectio atomorum, vt ait Epicurus * reddens seipsum verò quodammodo * implebit nouo affluxu post factam evacuationem. Id magis cautionem requirit ita vt re venerea vtamur, vt ne corpus sublime & conturbatum curæ animi, & occupationes rerum necessariarum laborésque excipientes statim exasperent, natura non satis ad quiescendum intercapedinis nacta. Non enim omnes, amice, Epicuri ocium & animi tranquillitatem philosophia partam abvndè in promtu habent. multæ quemvis quotidie exercent ærumnæ: quibus neque commodum, neque conveniens est ita affe-

Iliad.γ,445.

affectum corpus tradere rabioso coitui * numen verò beatum & interitus expers maneat ita, vt nullam nostri curam suscipiat. Nobis autem, si leges ciuitatis rectè colimus, cauendum est ne ad templa & sacrificia accedamus paulo antè venerea re vsi. Itaque expedit nocte & somno interiecto, iustóque intervallo adhibito, mundos rursum quasi deintegro, & ad nouum diem noua cogitantes, vt ait Democritus, surgere.

QVAESTIO SEPTIMA.

Cur mustum minimè inebriet.

ATHENIS vndecima die mensis Anthesterionis primitias noui vini delibant, diémque illum à doliis reserandis Pithœgiam vocant. vtque apparet, antiquitus de vino antequàm gustarent libantes, vota faciebant, vt sibi vsus eius medicamenti salutaris innoxiúsque foret. Apud nos mensis Prostaterius dicitur, quasi Patronalis: sextáque eius die statutum est sacris Bono Genio factis gustare vinum post flatum Fauonij. is enim ventus omnium maximè vinum mouet ac mutat: & quod vinum hunc subterfugit, id iam videtur perduraturum. Cùm de more pater sacrificasset, vinúmque à cœna laudaretur, adolescentibus qui vnà nobiscum philosophiæ operam nauabant, quæstionem proponebat pater, cur mustum minimè inebriaret. Id plerisque videbatur incredibile & rationi adversum. Hagias autem dicebat, Dulcia vsquequaque offendere & satietatem inducere. itaque neminem facilè tantum musti poturum, quantum ad ebrietatem sufficeret. siti nimirum sedata appetitionem ob insuauitatem cessare. A dulci autem diuersum esse suauem saporem, etiam Homero notum fuisse, qui dixerit,

Caseus, & mel dulce, suauis stilláque vini. Odyss. v, 69.

Vinum enim cùm ab initio sit dulce, suaue temporis successu fieri, quando concoctione sapor eius in austerum mutatur, ipsúmque veterascit. Aristænetus verò Nicæus * in quibusdam se libris legisse ait, idque memoria recolere, dulcia vino admixta reprimere ebrietatem. & medicorum nonnullos præcipere ebriis, vt dormituri panem melli intinctum edant. Si quid ergo dulcis sapor facit ad retundendam meri vim, par est mustum nondum mutata dulcedine non inebriare. Hæc nos valdè sumus adolescentulorum admirati in argumentorum inventione acumen, quòd obvia non arripientes, de suo quæ promerent habuere. Nam quæ omnibus sunt exposita, & facilè appræhenduntur, aut grauitas est musti, vt ait Aristoteles, penetrans ventrem: aut quia in musto reliquum est multum aërei, multum aquosi. quorum illud statim vi facto exitu abit, hoc meraciores partes facit languidiores * inveteratio * excreto aquoso. fitque vinum sic minus ad mensuram, vi autem validius.

QVAESTIO OCTAVA.

Cur acrothoraces, id est semiebrij, magis motibus citantur absurdis, quàm admodum ebrij.

ERgo, inquit pater, quandoquidem Aristotelem semel dimouimus, peculiare etiam aliquid quæramus de semiebriis, qui acrothoraces Græcè dicuntur. nam quantumvis in hoc genere quæstionũ acutissimus, causam tamẽ mihi videtur non satis subtiliter & exactè reddidisse. Problem. 18, sect. 3. Dicit enim, vt puto, sobrij rationem sibi constare, valdè inebriati etiam sensum esse obrutum. at semiebriorum adhuc valere vim imaginatricem, iam conturbata ratione. itaque eos & iudicare, & quid visis pareant, malè iudicare. Sed quid vobis videtur. Mihi quidem, aiebam, seorsim consideranti hæc ratio sufficere poterat ad causam intelligendam. Si verò proprium aliquid iubes proferre, videamus an non id discrimen corpori sit imputandum. Nam semiebriorum animus duntaxat est conturbatus, corpus eius impetibus adhuc inseruire potest: nondum obrutum. vbi autem oppressum vini vi fuerit, destituit animi proditque incitationes. itaque ebrij vsque ad facta non progrediuntur, illi corpus peccata animi adiuuans habentes, nõ quòd magis insaniant, sed quia plus ad delinquendum virium habent, vehementiùs exagitari deprehenduntur. Quòd si ab alio orsi principio rem

consideremus, vim vini, nihil obstat quin varia ea sit & pro quantitate mutetur. sicut ignis lutum moderatus indurat, nimius colliquat, ac facit vt fluat. & contrà ver febres excitat incenditque, anni calore crescente sistuntur atq; desinunt. Quid ergo impedit etiam animum à vino naturaliter commotum, vbi conturbatus & irritatus fuerit, rursum remitti & sedari vino augescente. Veratrum quidem purgandi hoc habet initium, quòd molem corporis perturbat: sed si iusto minus exhibeatur, turbatur, non purgatur corpus. Soporifera quoque nonnulli intra modum sumentes, turbulentiores fiunt: nonnulli amplius sumentes, dormiunt. Probabile etiam quodammodo est, conturbationem quæ semiebriis accidit, vbi maximè viguit, deinde concidere: & ad eam rem vinum esse adiumento. Multum enim haustum, vnà corpus inflammat, furorémque animi consumit. sicut lugubres cantilenæ & fistula funebris initiò animum commouet, lacrymásque extrudit: animo autem ad miserationem inducto, paulatim deinde abolet dolorem. Similiter & vinum videas vbi vehementer conturbauit & irritauit vigentem efferuesceréque solitam animi partem, rursum sedare obrepens, animúmque ebrietate progrediente placare.

QVAESTIO NONA.

Cur aut quinq; bibantur, aut tria, aut non quatuor.

HAEC ego cùm dixissem, Aristo (qui ei mos erat) exclamans, Decretus est, inquit, reditus mediocritatum iustissimæ & quàmmaximè Democriteæ, quæ ab intempestiua quadam sobrietate, tanquam à tyranno quodam extorris acta diu exsulauerat. Sicut enim Lyricorum canonum gnari, proportionum sesquialtera Diapente concentum, dupla Diapasôn, sesquitertia Diatessaron languidissimum constitui aiunt: ita Bacchicarum harmoniarum gnari, tres dispexerunt vini cum aqua concentus, diapente, diatrion, diatessaron. sic enim dicunt & cantant, Quinque bibenda esse, aut tria, aut non quatuor. Quinque enim sesquialteram rationem habent, tribus aquæ cyathis in duos vini admixtis. Tria duplam, duobus ad vnum. quatuor sesquitertiam, tribus aquæ cyathis vni vini affusis. qui est sanè principum in curia mentem habentium, aut dialecticorum supercilia attrahentium, quando mutationes orationum contemplantur sobrius & invalidus potus. De cæteris duorum ad vnum mixtio vim illam parat, qua semiebrij redduntur,

Non antè motas concitans animi fides:

nam neq; sobrium sinit esse, neq; omnino væcordiam à mero induci. Duorum autem ad tria contemperatio, scitissima est, somnum concilians, curarum obliuionem ingenerans, & secundum Hesiodeum illud nouale,

Operibus 461. *Quod natos mulcet blandè, damnisq; medetur,* motus animi feroces in nobis incompositósque sedat, altámque ei tranquillitatem parat. Aduersus hæc Aristonis dicta nemo dixit, cùm satis appareret eum iocari. Ego autem iussi eum sumto poculo tanquam pro lyra contendere laudatam illam temperiem: simúlque puer accessit merum infundens. Ille verò recusauit cum risu dicens, musicam illam ratione non instrumentis tractari. Pater autem hæc superioribus adiecit, videri sibi priscos Ioui duas nutrices apposuisse, Idam & Adrasteam, Iunoni vnicam Eubœam, Apollini quoque duas, Veritatem & Corythaleam: Baccho autem plures, quòd oporteret deum istum pluribus Nympharum mensuris cicuratum atque castigatum, mansuetiorem prudentioremq; reddere.

QVAESTIO DECIMA.

Cur carnes magis sub Lunam putrescant, quàm sub Solem.

CONVIVIO nos accipiens Euthydemus Suniensis, aprum iustæ magnitudinis apposuit. quem cùm mirarentur præsentes, Alium dixit multo maiorem dum afferretur à Luna corruptum esse, & se de causa valdè dubitare. non enim verisimile videri, Lunam maiorem carnes putrefaciendi vim habere, quàm Solem,

lem, qui ea vtique sit calidior. Tum Satyrus: Non hoc, inquit, maximè mirum est, sed multo magis id quod venatores vsurpant. Cùm enim aprum aut ceruum confectum è longinquo in vrbem advehunt, æreum ei clauum tanquam putredinis amuletum infigunt. Finita cœna Euthydemus cùm quæstionem in medium revocasset, Moschio medicus dixit, Putrefactionem esse colliquationem & fluxum * quendam carnis corruptæ inque humorem mutatæ, omninóque humectari quæ putrescunt. Calefactionem porrò omnem si sit mollis & languida, commouere humorem, & humida resoluere. si igneus sit calor, contrà carnes exsiccare. Hinc manifestum fieri quod in quæstione versaretur. Lunam quippe sensim tepefaciendo humectare corpora: Solem igneo suo feruore potiùs eripere humorem è corporibus. Eóque respicientem Archilochum, naturæ convenienter dixisse:

Vt spero, multos Sirius hauriet,
Reddétque siccos igneus incidens.

Apertiùs etiam Homerum de Hectore, cuius capiti Apollo nebulam quandam obducit vmbrosam, —— *ne neruos membráque Solis* Iliad.v,190.
Torrerent radij. ——

Lunam verò imbecilliùs emittere lumen:

Nam nigra non excoquitur vua illo satis,

vt ait Ion. His dictis ego: Placent mihi, inquam cætera. Id vnum non probatur, quòd quantitati potiùs caloris, quàm proprietati totam rem adscribi video. * Nónne enim videmus Solem hyeme minus calefacere corpora, magis per æstatem putredinem iis inducere? Atqui contrarium fieri oportuit, si ob caloris languorem putredo eveniret: nunc cùm magis intenditur æstus, celeriùs corrumpuntur carnes. Enimverò Luna non ob caloris inopiam & imbecillitatem cadaueribus putredinem inducit: sed hæc causa potiùs est imputanda peculiari vi defluentis ab ea facultatis. In promtu enim est, quodvis calidum non habere vnicam tantùm qualitatem, quæ magis minúsque calendo differat à sese ipsa. sed multæ sunt ignis facultates, nulla inter se convenientes similitudine. Nam qui aurum fundunt, flamma de paleis succensa aurum domant. medici è palmitibus igne facto medicamenta concoquenda leni igne calefaciunt. flammam è myrica ad emolliendum & formandum vitrum aiunt esse commodissimam. lignum oleaginum vstione sua corporibus commodè calefaciendis inseruit: balneis adversum est, eorúmque contignationi & fundamentis nocet crematum. Hinc est quod ædiles sciti non sinunt conductores oleaginis lignis vti. quemadmodum etiam non patiuntur loliginis semen iniici suffitibus. exhalantia enim isthæc, dolores capiti, & caliginem oculis obducunt lauantium. Quapropter mirum non est Lunam à Sole differre, hoc siccantes, illa relaxantes corporibus mortuis immittente defluxus. Quæ etiam est causa, quòd nutrices infantulos admodum cauent Lunæ ostentare. nam pleni humore, viridium instar lignorum, convelluntur & pervertuntur. & videmus eos qui in lumine Lunæ decubuerunt, ægrè surgere, quasi attonitos, & sensuum quodam torpore correptos. humor enim à Luna diffusus aggrauat corpora. Dicitur etiam ad expediendum partum Luna conducere, cùm orbe fulget dimidio: quòd laxandis humoribus dolores mitiget. Hinc arbitror etiam Dianæ vocabula Lochiæ, quod est partui præfectæ, & Ilythiæ siue Lucinæ fuisse facta: cùm eadem sit Diana quæ Luna. & Timotheus disertè dixit:

Per cœruleos siderum polos,
Celerémque partu soluere Lunam.

Cæterùm etiam in rebus anima expertibus manifesta est vis Lunæ. ligna enim in plenilunio cæsa fabri abiiciunt, vtpote tenera, & facilè flaccescentia propter humorem. & triticum coloni properant mense deficiente in area converrere, vt siccatum sit terendo aptius. * grana verò quæ vigente Luna in aream ponuntur, inter terendum rumpuntur maximè, emollita ob humiditatem. Ferunt etiam plenilunio farinã subigi meliùs. nam fermentatio etiam si intra modũ fiat, tamen totã massam corrumpit fluidámque reddit. * Carnibus autẽ putrescentibus nihil aliud accidit, quàm quòd

continente spiritu in humorem mutato rarescunt atq; diffluunt. Idem vsu venire aëri est cernere. Maximè enim plenilunio rorem iacit colliquatus. quod Alcman etiam lyricus obscurè innuens, rorem aëris & Lunæ appellat prolem: stirpes ea nutriri inquiens. Sic vndiquaq; testimonium humiditati Lunæ fertur * & mollientem vim. Clauus proinde æreus siquidem transfixus à putredine, quod aiunt, carnes tuetur: videbitur hoc fieri ob insitam æri facultatem adstringendi. Nam ærugine ad tales casus vtuntur medici loco medicamenti: & eos qui commorantur in secturis ęrariis, aiunt lippitudine solui, ac si cilia amiserint, ea denuò iis enasci. Nam quę à chalcitide abit fauilla, & in palpebras occultè incidit: ea fluxus reprimit, stipandóq; restinguit lacrymam. Ideóq; ab Homero ęs aiunt titulis euenoris & noropis adfectum: scilicet quia visu adiuuando hominibus prosit. Aristoteles autor est, quæ æreis cuspidibus & gladiis infliguntur vulnera, corpori minorem inferre dolorem, & faciliùs sanari, quàm quæ à ferreis. quia scilicet æs in se quidpiam medicamenti habeat, idq; in vulnere statim relinquat. Iam putrefacienti adstringens, sanans corrumpenti esse adversum, obscurum nõ est. Nisi quis fortè traiectu clauum dicat humorem ad se trahere, subinde adfluentem ad id quod læsum est. Itaq; circa eum ipsum locum vbi infixus fuit clauus, aiunt vibicẽ quandam aut næuum cerni: & non esse alienum à ratione, reliquam carnem manere integram, corruptela eò affluente.

PLVTARCHI Sympoſiacôn, ſeu Conviualium diſputationum, liber quartus.



POLYBIVM Africano præcepisse nouimus, Sossi Senecio, ne è foro vnquam digrederetur inter negocia versans ciuium, nisi priùs aliquem sibi amicum fecisset. Amicum autem hoc existimamus non presse aut sophisticè eum intelligẽdum, qui perpetuus sit & immutabilis: sed communiter benevolum. quomodo Dicęarchus vnumquenq; censebat dare operam debere, vt omnium benevolentiam sibi conciliaret, amiciciam autem cum bonis iniret. Etenim amicicia multo tempore & per virtutem paratur: benevolentiam vsus, colloquium, & ioci ciuilium virorum alliciunt, opportunitate affectionis animi ab humanitate profecti & gratia adiuuante. Sed vide, an non id præceptum præterquam quod foro accommodatum est, etiam ad conviuia pertineat: vt non antè sit inde discedendũ, quàm vnà accumbentium alicuius benęvolentiam & amiciciam fuerimus nacti. Nam in forum quidem nos ob negocia nostra aliósq; vsus conferimus: qui sapiunt, in cõviuium veniunt non minùs amicorum parandorum, quàm præsentes delectandi causa. ideò operam dare aliquid inde vt asportes, illiberale profectò est & importuni hominis: amico auctum abire, iucundum est & honestum. contràq; is qui id facere negligit, ingratam sibi & invtilem facit consuetudinem, itáque discedit, vt qui ventre non animo conviua fuerit. Quippe conviua non obsonij modo, vini, & bellariorum, sed & sermonum, ioci, comitatis in benevolentiam desinentis particeps futurus venit. Et luctantium quidem complexus atq; tractiones puluerem desiderant: amicis appręhensionibus vinum sermone temperatum ansas præbet. vino enim oratio humanitatem & comitatem adiicit, & à corpore in animum quasi per canales deriuat: quod nisi fit, oberrans in corpore vinum, nihil melius repletione efficit. Ita quemadmodum marmor igne candentis ferri nimiam molliciem & fluxum refrigerando sistens, validum & formabile reddit: sic conviualis sermo non diffluere omnino patitur vino bibentes: sed inhibet eos, ac dissolutioni humanitatem venustatémque admiscet: si quis bibentes tempestiuè oratione attingat, cùm eos vinum quasi sigillo amiciciæ formandos quàm tenerrimos & mollissimos redegit.

Quæ-

QVAESTIO PRIMA.

Multipléxne cibus, an verò simplex concoctu sit facilior.

PRoinde quartę conviualium quæstionum decurię principium nobis erit quęstio de multiplici cibo. Nam cùm ad Elapheboliorum festiuitatem Hyampolin venissemus, Philo medicus conviuio nos accepit, sane quàm operoso apparatu. Ibi cùm vidisset Philinum cum adolescente pane solo vesci, aliud requirere nihil: Hercules, inquit, nimirum hoc illud erat quod in proverbio dicitur, *

Pugna erat in saxis, neq; saxum tollere quibant.

simúlq; prosiluit, vt aliquid vtilis cibi iis adferret: ac multo pòst rediit, caricas eis & caseum apportans. Tum ego dixissem vsu venire hoc iis qui supervacanea & preciosa apparant, vt negligerent necessaria atq; vtilia, iisq; carerent: Non enim, inquit Philo, memineram Philinum Sostrati nobis exemplum æmulari, quem nullo alio cibo potúve quàm lacte vsum ferunt totam vitam exegisse. Verùm huic quidem à mutatione quadam initium huius victus rationis oblatum fuisse credibile est. Nostrum autem, quo pacto Achillem Chiron, nutriens iste, statim à natalibus sanguine carentibus * vt ostendere videatur, se aëre & rore ali, quod de cicadis fertur. Nos verò, aiebat Philinus, nesciebamus, vt Hecatomphonia qui cœnauissemus (à cæde centum victimarum dicta) nunc tali vtendum prandio: nam apud nos prandia obsonij expertia, tenuia ac salubria, tanquam medicamentum sunt, quibus ad tam splendidas & copia distentas cœnas vtimur. idq; eò, quòd sæpe inaudiuimus multiplici victu simplicem non modò paratu faciliorem esse, sed etiam concoctu. Ad hæc Marcio: Corrumpet, inquit, tuum tibi Philinus apparatum, dehortans & deterrens à vescendo conviuas. Sed si meam operam implores, sponsor iis pro te fideiubebo, multiplicem cibū simplici faciliùs concoqui: vt audacter fruantur appositis. Petiit ergo Philo à Marcione, hoc vt faceret. At Philinus cœna finita à nobis provocatus, vt multiplicis cibi aggrederetur accusationem: Non meus, inquiebat, hic est sermo, sed ipsius Philonis. Identidem enim hic dicit nobis, primùm bruta animalia, quia cibis vtuntur vnius generis, & simplicibus, saniora esse hominibus: quæ verò inclusa aluntur, procliuia ad morbum esse, obnoxiáq; cruditati, quòd mixto & condito vtantur alimento. Deinde nemo fuit medicorum ita temerarius, aut ad res nouandas audax, vt offerret febricitanti cibum varium: simplicem & nidoris expertem, vt concoctionis facilè patientem exhibent. Affici enim oportet alimentum, mutaríque subactum ab iis quæ insunt nobis facultatibus. Sed & tinctura simplicium colorum faciliùs inhæret: & fragrantissimum oleum maximè seplasiariis medicamentis mutatur: & alimentum simplex vniúsque generis facillimè à concoctione adficitur. Multæ autem & variæ qualitates invicem nonnihil contrariæ, repugnando sese mutuò abolent (instar multitudinis convenarum ac promiscuæ turbæ in ciuitate) neque consentientem admittunt constitutionem, dum vna quævis suapte natura alienis reluctans coitionem respuit. Vinum nobis evidens huius rei indicium suppeditat. celerrimè enim inebriat diuersorum vinorum vsus, quas allœnias Græci dicunt. similis autem est ebrietas cruditati à vino non cocto profectæ. ideóque vitant mixtum vinum potores: & qui miscent, clàm id faciunt, vt qui insidias struant. Mutatio enim & inæqualitas animum de statu suo exturbant. quàm ob rem musici quoque magnam adhibent cautionem in multitudine neruorum agitanda: quibus nihil præter mixtionem & varietatem mali adest. Ipse hoc ausim affirmare faciliùs contrariis sermonibus fidem ac assensionem parari posse, quàm concoctionem diuersis qualitatibus. Sed ne ludere videar, his omissis ad Philonis dicta revertor. Eum quippe sæpenumerò dicentem audiuimus, difficultatem concoctionis alimento accidere à qualitate, dum varia mixtura damnosa est, & alienas generat qualitates: itaque oportere vnumquenque id nutrimentum sumere, eóque contentum esse, quod suæ congruere naturæ compertum habeat. Quòd si suapte natura nihil est concóctu difficile, sed multitudo est quæ turbat & corrumpit: tanto adhuc magis fugienda puto omnigena ista atque varia esse, quibus recens nos Philonis coquus, tanquam domino contrariam artem faciens, infecit, nouitate & mutatione appetitum pervertens non renuen-

* tem, sed ad alia ductum, obq́; varietatem vltra id quod satis est se proferentem. * aliam ex alia venans capturam, si oblectatæ animæ * non bibens, & non exsaturatus, plurimus in pratis effloreſcit. Hæc Socratis etiam meminisse expedit, qui iubebat cauere à cibis qui non esurientes ad edendum allicerent: nihil aliud nimirum quàm ciborum multiplicem varietatem vitare mandans. Varietas enim est, quæ vltra quàm vsus sit frui nos facit spectaculis, auditionibus, re venerea, ludis iocisque, supervacaneis rebus multa initia cupiditati fruendi suggerentibus. At in iis voluptatibus, quæ simplices sunt & vnius modi, naturæ modum oblectatio non excedit. Denique faciliùs mihi videtur ferri posse musicus qui multitudinem neruorum, & alipta qui vnguentorum compositorum vsum laudet, quàm medicus qui ciborum varietatem commendet: vbi mutationes & diverticula de recta ad sanitatem via detrudunt. Hæc postquam disseruit Philinus, Mihi verò, inquit Marcio, Socratis exsecrationi obnoxius videtur non modò qui vtile ab honesto segregauit, sed & qui voluptatem à sanitate separat, tanquam huic adversantem & inimicam, ac non potiùs adiutricem. Etenim dolore, vt instrumento violentissimo, rarò admodum idque inuiti vtimur. de reliquis voluptatem nemo, ne si velit quidem, repudiauerit. Hæc & in nutrimento, & in somno, & in lauacro, & vnctione, & discubitu semper adest, laborésque excipit, & ægrum fouet, aliena multis convenientibus naturæ delentem. Nam quis dolor, quis defectus, quod venenum ita facilè & simpliciter morbo soluit, vt lauacrum tempestiuè vsurpatum, aut vinum indigenti datum, vel cibus? hæc cum voluptate adhibita statim molestiam omnem abolent, naturámque in suum pristinum statum reponunt, velvti serenitate & tranquillitate inducta. Contrà cum dolore coniuncta remedia, ægrè & paulatim aliquid efficiunt, naturam cum difficultate & violentia quadam molitionis exagitantia. Non ergo est, quod nobis vitio vertat Philinus, si non ambabus (quod aiunt) vela manibus attollentes voluptatem fugimus: sed conamur voluptatem cum sanitate concinniùs, quàm philosophorum nonnulli cum honestate coniungere. Iam in primo tuo, Philine, argumento falsus mihi videre, bruta animalia simpliciore quàm homines alimento, & sanitate meliore frui ponens. quorum neutrum est verum. Alterum refellunt Eupolidis capræ, alimentum suum prædicantes & à varietate omnisq́; generis materia laudantes. sic enim loquentes facit.

Omnigena nos materies pascit. abietis
Teneros, & ilicis, arbutique surculos
Decerpimus. tum præter hæc cythisus, boni
Phascúsque odoris, & smilax folio vbere.
Oleaster, & lentiscus, atque fraxinus,
Quercus, edera, erica, myrica, rhamnus, pallidum
Verbascum, & asphodelus, cisthúsq́;, & æsculus,
Thyma, thymbra, nos opibus alunt largè suis.

quæ enim hæc recensentur, innumeras profectò saporum habent & odorum differentias, atque virium: cùm quidem maior pars sit omissa. Alterum Homerus refutat, qui peritiùs pronunciat pestem bruta primùm invadere. Sed & breuitas vitæ brutorum ostendit quàm sint morbis obnoxia mortique vicina. Nullum enim omnino longæuum est: nisi fortasse coruum dicas & cornicem, quæ videmus omnis generis cibis vesci. Porrò scitè nimirum è victus ratione eorum qui ægrotant iudicium de facilibus aut difficilibus concoctu petitur: cùm labor & exercitationes corporis & cibum incidentia ad concoquendum faciant, nequaquam autem conveniant febricitantibus. Ratione verò caret, quod discordiam & pugnam variorum ciborum metuisti. Nam siue natura id quod ipsi accommodatum est è similibus sumit: in ipsam molem corporis varium nutrimentum multas à se statim dimittit qualitates, vt cuique parti accidat id quod ei est conducibile; fiátque illud, quod Empedocles docuit.

Iliad. α, 50.

Dulcia continuò se dulcibus applicuerunt,

Acribus

Acribus acria se iunxerunt, tristia amaris,
Et rectà calidus petierunt feruida partes.

Siue res secùs habet, tamen calor spiritus mixturam dissoluit per eam sese didens, & * cognata cognatis applicantur partibus. Corpus enim, quale nostrum est, ita multipliciter mixtum & tam variis coaceruatum è partibus, consentaneum est è varia potiùs materia quàm simplici conquirere suum nutrimentum. Sin aliter est, & tamen concoctionis ea est natura, vt alteret mutétque alimentum: in vario id celeriùs meliúsque efficietur. A simili enim nihil afficitur. ipsa pugna & dissidium mixtione contrarij magis mutat elanguescentes qualitates. Tum si omnino mixta, Philine, & varia repudias: non modò cœnam præbenti & cibos adornanti maledicito Philoni: sed multo magis cùm regia ista & auxiliaria miscet medicamenta, quas deorum manus appellauit. Erasistratus quidem stulticiam & supervacaneam eorum damnat diligentiam, qui fossilia, herbas, à feris, è terra & mari depromta confundant remedia: censétque expedire vt istis omissis, in ptisana, cucurbita, & oleo aqua temperato medicina relinquatur. Atqui (inquis) varietas excitat & allicit quasi præstigiis captam appetentiam, sui ipsius non compotem: nimirum, lepidum caput, mundicies, & stomacho succus congruens, odor bonus, atque omnino suauitas facit vt plus edamus & bibamus. Quare igitur non crassam nos farinam loco pultis subigimus? cur non pro asparagis githia & scolymos apparamus? quapropter non vice fragrantis huius & mitis vini è dolio bibimus agrestius, quod culicum circumsonent chori? Quia, diceres, salubris ratio victus non est fuga voluptatis: sed mediocritas & ordo voluptatibus adhibitus, quæ appetitum vtilitati morigerum præbeant. Sicvt autem vehementiorem ventum gubernatores multis fugiunt artibus: eundem vbi posuit & elanguit excitare de integro nemo potest. ita non magni est laboris, appetentiæ reluctari, & nimiam reprimere coërcendo: præpropere autem deficientem, & languescentem, officiúmque deserentem suum roborare & resuscitare, pergraue est, amice, & difficilis res operæ. Ergo præstat multiplex nutrimentum simplici, & quod ob vnicam formam satietatem in propinquo habeat: quanto facilius est naturam incitatam inhibere, quàm incitare detrectantem. At verò quod nonnulli dicunt repletionem defectu magis fugiendam esse, verum non est. immò contrà abvndantia tum demum nocet cùm in corruptelam aliquam & morbum desinit: indigentia vt maximè nihil inferat mali, ipsa tamen per se est naturæ adversa. Atque hæc quidem sunto tanquam neruis contrariis cantata adversus ea quæ tum commentatus fuisti. Id autem quodammodo vos fefellit, de his qui dicuntur circa salem & cuminum, quod aliud quidem varium est, aliud suauius * si nimium auferas. adhærescit enim appetenti & accipienti corpori, visu viam sternente. Vacuitatem autem appetentiæ * & vagum, aut omnino eiicit natura, aut ægrè ob penuriam tolerauit. Id vnum modò memineris, varietatem non in abyrtacis & candylis & caryces esse: sed curiosa ista & supervacanea sunt ac inania. Varietatem verò etiam Plato concessit, præclaris suis illis ciuibus pulbos apponens, oleas, olera, caseum, obsonia omnis generis, atque adeò ne bellariis quidem eorum defraudans cœnas.

Qvaestio secvnda.

Cur tubera videntur à tonitru crescere: & cur creditum est dormientes fulmine non feriri.

Coenantibvs nobis Elide Agemachus tubera eximiæ magnitudinis apposuit. Ibi mirantibus hoc cæteris, quidam subridens, Nimirum, inquit, digna sunt tonitrubus nuper auditis: vt qui rideret eos qui è tonitrubus oriri tubera putarent. Erant qui dicerent à tonitru terram rumpi, quod aëre tanquam clauo vteretur: tum eos qui tubera quærunt, è rupturis coniecturam vbi sint facere: indéque opinionem apud multos insinuasse, non monstrari, sed generari tubera à tonitru: perinde ac si quis cochleas putet facere imbrem, non præcedere & indicium eius esse. Agemachus autem rem veram esse contendebat, postulabátque ne quod mirabile esset, ideò fides ei derogaretur. Habent enim, aiebat, multa etiam alia fulmen & tonitru,

eorúmque præmonstrationes miracula, quorum aut omnino nequeunt cognosci, aut difficulter intelliguntur causæ. Etenim qui rideri solet, proverbióque materiam dedit bulbus iste, non paruitate sua fulmen effugit, sed quòd vim habet ei adversantem: sicvt ficus etiam, & vituli marini pellis, vt fertur, atque hyænæ, quibus extrema velorum inducunt nauicularij. Aquas etiam quæ inter fulgura décidunt, agricolæ & putant esse & nominant incrementis idoneas. Atque omnino stultum est ista mirari, cùm in istis rebus ea videamus evenire, quæ omnium minimè sunt credibilia: scilicet ex humido flammam emicare, è mollibus nubibus asperos sonitus edi. Hæc ego, aiebat, nugor, vos ad causæ indagationem exhortans, ne videar morosus, dum pro tuberibus symbola exigo. Tum ego ita sum locutus. Videtur mihi Agemachus ipse dextram porrexisse disputationi. Nihil enim in præsentia videtur probabilius, quàm inter tonandum multum aquæ genitabilis decidere. Causa est admixtio caloris. Nam ignis quod est acutum & purum, id in fulgur abit. pars verò grauior & spiritu prædita involuta in nube, eam mutat, ac frigore expulso humorem tepefacit: vnde aqua admodum lenis incidit in stirpes, & mox crassescendi causa est. Sed & peculiarem temperiem, saporémque peculiarem ista compluttis aqua infert. quo pacto & ros suauiùs pecori pabulum redigit, & arcus cœlestis in qua nube elucet, ea soluta lignis fragrantiæ plurimum inserit. eóque indicio fisi nostri sacerdotes ista cremant, in quæ nubem iridis putant defluxisse. Multo autē magis probabile est fulguralibus & fulminalibus aquis, spiritibus, & caloribus altè penetrantibus terram converti, itáque laxari & hiare, quomodo calores quidam & humores sanguinei in corpore tubercula glandosa & strumas efficiunt. Non enim videtur * quia tuber neque sine aqua generatur, sed radicibus caret, & * adhuc & solutum ex sese subsistit, terra aliquomodo affecta & mutata. Quòd si vobis hæc ratio videtur exilis: talia tamen sunt pleraque tonitrubus & fulminibus comitantia: itaque hisce affectionibus maximè opinio quædam diuinitatis adest. Aderat tum vnà rhetor Dorotheus. Is, rectè, inquit, dicis. Non enim duntaxat vulgo & indoctis ea est, sed etiam quibusdam philosophis opinio. Ipse memini apud nos fulmen incidisse in domum, & multa mirabilia fecisse. nam & vinum è doliis illæsis consumsit: & hominem dormientem transvolauit, neq; ipsum lædens, neq; vestem tangens: & cinguli æs, quo obductum erat, colliquauit. *

* * *

omne & confudit. Philosophum autem Pythagoricum, qui tum ibi peregrinabatur, accedens causam quæsiuit. is autem abominatus rem, ipsum pro se iussit dispicere, ac diis vota facere. Audio etiam fulmen prope militem, qui templum Romæ custodiebat, decidisse, calceorúmq; advstis loris, nullum aliud maleficium intulisse. & cùm argentei caliculi in ligneis repositi essent operculis, ligno incolumi argentum colliquatum fuisse inventum. Hæc vel credas licet, vel non credas. Id omnium maximè mirum est, quod omnes ferè compertum habemus, corpora de cœlo tactorum putredinis expertia perdurare. multi enim ea neq; cremant, neq; defodiunt, sed sæpimento circundata relinquunt: vt videantur perpetuò putredinis vacua, & Euripideam Clymenen refellant, quæ de Phaëthonte dicit,

—— carus ille nunc mihi
Aliqua in conualle computrescit mortuus.

Sulfur quoq; theon inde puto nominatum, ob similitudinē odoris ignei & acris, quē edunt icta fulmine corpora: ob quem puto canes etiam auésq; abstinere cadaueribus * fulmine percussorum. Huc vsq; enim causam, vt etiam lauri, dixero. Reliqua hunc iubeo dicere, qui in tuberibus probè est versatus: ne idem nobis accidat atq; Androcydi, cuius inter omnia opera laudem obtinuerūt pisces circa Scyllam picti. creditúsq; est, vt qui impensè piscibus delectaretur, magis hac animi adfectione, quàm arte ibi fuisse vsus. ne inquam nos quoq; aliquis dicat voluptate inductos de tuberibus disputare, quorum (vt vides) controversa est generatio. In his, cùm probabilitatis videretur satis * inesse dictis, & causa non in obscuro latére: egóq; monerem tempestiuum non esse, vt quemadmodum in comœdia suo tempore machina tollitur, & tonitrua eduntur, ita hæc etiam in conviuium nos de fulminibus disputationem introduceremus: in id consensere, vt reliqua omitterentur: de causa tamen, ob quam dormientes fulmine non ferirentur, audire se aliquid percupere ostenderunt. Ego tametsi nihil proficerem causa * attingenda, cuius communis est ratio, tamen ita ferè dixi. Fulminis ignis mirabili est subti-

subtilitate atq; tenuitate, quam statim à prima origine habet ex pura et sincera substantia: & quidquid ei humidum aut terrestre admiscetur, id sui motus celeritate excutit atq; expurgat. Nihil quidem de cœlo tactum, vt ait Democritus * * ferre sub puro æthere * iubar. Proinde corpora densa, vt æs, vt argentum, & horum similia, fulmen excipiunt, corrumpuntúrq; & liquescunt eò quòd repugnant atq; resistũt. At per rara, multis hiantiáq; meatibus ob laxitatem eorum sine tactu discurrit fulmen, vt per vestes & arida ligna. idem viridia vrit, arreptum ab humore, eóq; incenso. Ergo si verum, dormientes fulmine haud necari, hæc quærenda est causa, non alibi. Magis enim firma sunt, & solida, atq; resistunt corpora vigilantium, vtpote omnibus partibus spiritu oppletis: quo etiam sensus intendente tanquam in instrumento & constringente, validum fit & secum continens densũmq; animal. Idem corpus in somnis laxatur, rarum fit & inæquale, imbecillum, ac diffusum, multísq; reseratur meatibus, spiritu remittente ac deserente: vnde etiam voces odorésq; excurrunt nullo sui sensu præbito. Quod enim renititur, renitendóq; patitur, non occurrit iis quæ offeruntur: minimè autem iis, quæ ob tenuitatem & celeritatem talem, qualis est fulminis, dissipantur. Nam quæ minùs sunt valida, ea munit natura duricie aliqua aut densitate, vt non facilè patiantur. quarum verò inexpugnabilis est vis, ab his minus læduntur quæ cedunt, quàm quæ resistunt. Huc accedit etiam consternatio, quæ fulminibus ingruentibus incessit, ac metus & pauor: ob quæ multi nihil aliud passi, mortem metuẽdo sunt mortui. Itaq; tonitru oborto pastores condocefaciunt pecus, vt in vnum concurrant, seq; invicem applicent. nam quæ palant à reliquis avulsæ oues, abortum faciunt. Et innumeros videre est mortuos tonitru, in quibus nullum ictus aut advstionis appareret vestigium: quòd nimirum præ metu ~~anima eorum è corpore auis instar evolasset. multos~~ enim ~~exanimauit ventus~~ tonitrui, vt ait Euripides. Nam aliàs quoq; de omnibus sensibus auditus facilimè afficitur, perturbationésq; & metus à strepitu orti, quammaximè animum exagitant: contra quos dormienti stupor præsidio est. Vigilantes cùm præsensione exanimantur, tum metu corpus re vera constringente & densante, ictum resistendo faciunt validiorem.

QVAESTIO TERTIA.

Cur in nuptiis plurimi ad cœnam vocantur.

IN nuptiis Autobuli filij aderat vnà in festiuitate Sossius Senecio, Cheronea ad nos profectus, vnà cum multis aliis, qui eam sua exornabant præsentia * ansas etiam de * cur plures quàm aliàs fit ad cœnam inuitarentur nuptialem, disquirendum proposuit. etenim legumlatores eos, qui omni conatu luxum impugnarent, maximè numerum definiuisse eorum qui ad nuptias vocarentur. Hecatæus quidem, aiebat, Abderita, vnus de antiquis philosophis, meo iudicio nihil probabile dixit. scilicet sponsum ad nuptias multos vocare, vt multos habeant conscios atq; testes liberum se liberam, ingenuum ingenuam duxisse. Cõtrà enim Comici eos qui splendidè & sumtuosas faciunt nuptias, parum eas firmas & fidas introducunt facientes. vt Menander ad eum, qui iubebat ollis circumvallare * non facinus sponsæ refers. Sed tamen ne * alios repræhendere videamur, ipsi nihil interim pronunciantes. Hæc primus ego: Nullius, inquam, conviuij causa ita manifesta, ita celebris est, vt nuptiarum. Nam & rem sacram diis facere, & amicum discessurum excipere conviuio, aut peregrè venientem licet, ignorantibus hoc necessariorum multis. Nuptialis autem mensa indicem habet hymenæum alta voce inclamantem, & facem, ac tibiam, quæ Homerus ait mulieribus ad fores stantibus esse admirationi. itaq; cùm nemo ignoret conviuium agitari, verecundia ducti omnes necessarios, familiares, & quocunq; tandem pacto sibi coniunctos inuitant. Probantibus id reliquis, Theo sermonis in partem succedens: Esto, inquit, hæc: non enim abludunt à vero. Sed, si placet, id adde, huiusmodi conviuia non amicorum tantùm esse, sed & ad cognatos pertinere, adfinitate alterius familiæ in gentem adscita. Ac quod plus habet momenti, duabus in vnam coëuntibus familiam, cùm accipiens dantis familiares & amicos, tum dans accipientis existimans sibi comiter demerendos, duplicem conviuarum faciunt numerum. Denique cùm multa, adeóque pleraque in nuptiis mulieres peragant: vbi adsunt mulieres, necesse est etiam viros adhiberi.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrùm mare an terra obsonio præbendo præstet.

GALEPSVS Eubœæ,vbi thermæ sunt,locus est natura ita factus,vt multa habeat ad voluptates liberales conducentia. itaq; est cœnaculis & conclauibus exædificatus,vt quasi pro communi totius Græciæ refectorio vsurpetur. Ibi cùm & terrestria multa capiantur animalia,& volucria,non minùs mare annonam mensæ commodam suppeditat,in locis puris mariq; ponè litus profundo multos bonósque alens pisces. Maximè autem is locus frequentatur vere vigente. Multi enim tunc eò conveniunt,mutuáque vtuntur in omnium copia rerum consuetudine, & per ocium plurima de rebus ad humanitatem pertinentibus agitant colloquia. Cùm autem ibi degeret sophista Callisthenes,difficile erat alibi cœnare. Erat enim comitas eius tanta, vt denegare inuitanti nemo posset:& id iucundissimum,quòd omnes elegantes solebat in vnum locum cõgregare. Sæpenumerò quidem imitabatur Cimonem de antiquis, multos omnísq; generis conviuas amicè ad cœnam vocans. plerunq; tamen Celeum, quem primum narrant nobilium ac bonorum virorum instituisse quotidianum conventum, idq; Prytaneum appellasse. Identidem autem huiusmodi convenientes cœtibus sermones sunt habiti. Evenit aliquando,vt maiorem in modum varij appositi cibi,occasionem præberent quærendi de obsoniis, terráne an mare ea suppeditaret commodiora.Ibi cùm reliqui ferè omnes terrestria laudarent,multa,omnigena, & innumera generum ac discriminum varietate abvndantia:Symmachum Polycrates cõpellãs,Tu verò,inquit,animal bimare, tótq; innutrite maribus,quæ sacram apud vos ambiunt Nicopolin,non defendis Neptunum? Equidem volo, respondit Symmachus,téq; mihi adiutorem advoco,qui iucundissima Achaici maris parte frueris. Enimverò,infit Polycrates,à consuetudine ordiemur. Sicvt enim de multis poëtis vnũ qui reliquis præstat eximio nomine poëtæ afficimus: ita cùm multa sint obsonia, piscis tamen obtinuit,vt vel solus vel præcipuè piscis obsonium appellaretur, quia virtute reliquis omnibus multò antecellat.Nam obsonivoros & obsoniorũ cupidos vocamus,non qui bubulis carnibus delectantur,vt Hercules, qui post carnem virides ficus edit:non qui ficubus,vt Plato:non qui vuis, vt Arcesilaus: sed qui subinde in foro piscario versantur,& tintinnabulum celeriter exaudiunt. Et Philocratem Demosthenes auro proditione parto scorta & pisces emere dicens,gulæ studium ac libidinẽ homini exprobrauit. Ac non ineptè Ctesiphon q̃dã obsonivoro in senatu vociferãte, Crepabo medius;Nequaq̃;,inquit,nos piscĩũ escã facias. Iã qui versiculũ huncce fecit,

Ad capparim viuis,cùm liceat ad anthiam,

quid sibi voluit? Quid,bone Iupiter,volunt sibi,qui ad oblectationem se mutuò inuitantes dicunt,hodie in acta cœnabimus? nonne quòd in litore cœnam, vt est, suauissimam esse sentiunt? non quidem propter fluctus aut lapillos (quis enim in litore * lecythum & capparin mensæ adhibeat?) sed quòd copiosi ac recentes pisces mensam sint instructuri. Adde quòd omnium aliorum obsoniorum precium exceditur à marino. Cato sanè non vltra modum, sed verè dicendo invehens in luxum vrbis dixit, Pluris vendi piscem quàm bouem.Testam enim piscium plenam tanti vendunt,quantum vix redimatur centum ouibus & vno boue capitis loco præcedente(quod fuit sacrificij solennis genus)mactatis.Porrò vt de medicamẽtis medicus optimè, de cantu musicus iudicat,sic etiã de obsoniorũ præstantia is,qui impẽdio iis studet. Non enim Pythagora hæc arbitro vtemur aut Xenocrate:sed Antagora poëta, & Philoxeno Eryxidis F., & Androcyde pictore: quem aiunt cùm Scyllã pingeret,pisces circa eã ad viuũ vsq; studiosissimè expinxisse,q̃ obsoniis esset deditus. Antagoræ aũt poëtæ in castris cõgros elixãti atq; accincto superveniẽs Antigonus rex,putásne(inquit) Homerum cõgros coquentẽ Agamemnonis res gestas descripsisse? & ille nõ ineptè respõdit: Tu verò putas Agamemnonẽ res istas gessisse,curiosè inquirẽdo q̃s in castris con*gros elixaret? Hæc,inquit,Polycrates, ego pro piscĩũ patrocinio attuli,fretus & testimonio pisces vendentiũ,& cõsuetudine.Ego verò,ait Symmachus,seriò rem,ac magis dialecticè aggrediar.Nam si id est obsonium,quod cibum reddit suauiorem: vtiq; optimum id fuerit obsoniũ,quod maximè detinere appetitum in cibo valet. Ergo sicvt philosophi,qui à spe quam vnicè prædicabant Elpistici dicti sunt,nihil esse pronunciauerũt q̃d vitã magis cõtineat atq; spes,qua non cõdiente eam vita sit intolerabilis:

ita

ita etiam ad alimentum id ponemus appetitum continere, sine quo id planè ingratum & incommodum sit futurum. At eorum quæ terra suggerit, nihil tale invenies. mare verò salem suppeditat. Primùm absq; sale nihil omnino est esui, qui admixtus ipsum etiam panem condit. Itaq; eodem in fano Neptunus & Ceres habentur. Deinde reliquis obsoniis sales dulcius sunt obsonium. Nam heroës tenui & frugali vsi & exercitatione adsueti victui, omnémque adsciticiam & ociosam voluptatem à mensis arcentes suis, ita quidem vt castris ad Hellespontum positis, tamen piscibus abstinerent: carnes nihilominus absq; sale edere non sustinuerunt: testantes id solum obsonium repudiari non posse. Vt enim colores lumine, ita sapores sale opus habent vt sensum adficiant. *. nisi graues iis & molesti accidant. Cadauera enim magis sunt eiicienda quàm fimus, aiebat Heracletus. Omnis verò caro mortua est, & cadaueris pars: salis autem vis tanquam anima superveniens, gratiam ei ac voluptatem conciliat. Itaque etiam acria & salsa ante cibum sumunt, & omnino quibus plurimum salis adest. hæc enim alliciunt appetitum ad alia obsonia, hisq; ille delinitus ad reliqua alacris recénsq; se confert. si verò ab aliis incipiat, mox elanguescit. Non ad cibum proinde duntaxat, sed ad potum quoque condimenti vim sales habent. Homerica enim illa cepa potus condimentum, nautis potiùs & remigibus quàm regibus conveniebat. Qui verò cibi mediocrem salsuginem, ob consensum cum ore ventriculi, vini omne genus gustu suaue & mite reddunt, omnem aquam gratam potu. Tum earum quas cepa adfert molestiarum nihil adest sali. quin & digerit reliquos cibos, molliorésque & obsequentiores concoctioni reddit: vt & condimenti gratiam, & vim medicamenti sales corpori conferant. Cæterùm marina obsonia reliqua præterquam quòd sunt suauissima, maximè etiam sunt innoxia. nam & carnosa sunt, & non perinde vt carnes grauāt, sed facilè concoquuntur & digeruntur. Testimonium mihi perhibebunt Zeno hic, atq; etiam me hercle Crato, qui ægrotantes ante omnes alios cibos ad piscem ablegant, vt leuissimum. Nec caret ratione mare saluberrima & elaborata corporibus alimenta gignere: quando etiam nobis aërem tenuitate & puritate commodum edit. Rectè ais, inquit Lamprias: sed aliquid præterea de hac re commentemur. Solebat auus meus identidem dicere Iudæos subsannans, Eos à iustissima carne abstinere. Nos autem dicemus iustissimum esse obsonium quod è mari petitur. Nam vt cum terrestribus nullum aliud ius nobis intercedat, saltem iisdem aluntur rebus, aërémque, lauacra, potum indidem vnde nos hauriunt, & pudorem iugulata incutiunt miserabili voce: tum pleraque nobis familiaria convictu facimus. Marinum verò omnino à nobis alienum est genus, & quasi in alio mundo natum educatúmque viuit: neque vox vlla, aut adspectus, aut ministerium ab eorum cæde nos revocat. nullus enim nobis vsus est eius animalis, quod ne viuit quidem apud nos: neque vllo nobis amore erga illud opus est. Sed quem nos incolimus locum, ipsis est tanquam orcus. nam in eum simul atque pervenere, moriuntur.

Iliad. λ, 629.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrùm suem venerantes Iudæi, aut potiùs aversantes, carne eius abstineant.

HAEC cùm essent dicta, & quidam in diuersam partem disputare intendissent: Callistratus eorum sermonem profligans, Quomodo, inquit, vobis dictum videtur in Iudæos, Iustissima eos carne abstinere. Præclarè admodum, aiebat Polycrates. Ego quidem vehementer dubito, vtrùm Iudæi in honorem porci, aut quôd animal illud abominentur, esu carnium suillarum sese abstineāt. Nam quæ apud ipsos dicuntur, fabularum sunt similia. nisi fortasse habent serias quasdam rationes, quas non efferunt. Ego itaq;, aiebat Callistratus, arbitror id animal in aliquo apud istam gētem esse honore. Porcus deformis est. quid tum postea? est etiam fœdus. tamen cantharo, gryphe, crocodilo, fele turpior non est, aut natura ineptior: quorum alia ab aliis Aegyptiorū sacerdotū sanctissimis colūtur. Quòd autē sui parcitur, isq; in honore habetur, nō caret ratione. Prima enim sus (vt aiunt) rostro terrā findēs, vestigium arationis impressit, ac vomeris opus subinōstrauit: quē hynim inde dictū sunt qui putēt. Iam Aegyptij qui cauam & mollē incolunt regionē, omnino etiā aratri vsum non admittunt: sed postquam Nilus eluuie sua solum rigauit, eum subsequētes, sues in agros depellūt. eæ verò calcāda ac fodiēda tellure celeriter eam altè subvertūt, sémenq; occulūt. Neq; rapi in admirationem hoc debet, si sunt qui hac de causa suum esu abstinent: cùm apud

barbaros alia animalia in maiore sint honore ob causas viliores, aut etiam planè ridiculas. Nam murem araneum (si quidem is mygale est) diuinos reperisse honores aiunt apud Aegyptios propter cæcitatem: quòd tenebras luce antiquiores ij arbitrentur: eámque è muribus nasci quinta ætate, in nouilunio: atque iecur eius deminui lumine Lunæ deficiente. Leonem verò Soli dedicant, quòd de curuivnguibus quadrupedibus sola leæna videntem edat fetum quòd momento temporis dormiat, ocu- * lique dormientis suffulgeāt. & quod Leontini fontes & hiatus suos noua aqua repletos inveniunt, Nilo exvndante quando Sol per Leonem transit. Ibin ferunt recèns ex ouo exclusam duas appendere drachmas: quantum etiam recèns nati infantis cor appendit. Ibis quoque pedum diductione, eorum inter se & cum rostro comparatione, triangulum repræsentat æquilaterum. Et quis tandem has culpet Aegyptiorum ineptias: cùm memoria proditum sit Pythagoricos quoque album venerari gallum: & de marinis mullo maximè vrticáque abstinere. magos autem, qui à Zoroastre descendunt, terrestrem echinum quàm maximè venerari, mures aquatiles odisse, díisque carum & beatum iudicare eum qui plurimos interfecerit. Existimo autem Iudæos, si abominarentur porcum, interfecturos eum fuisse, sicvt mures necant magi. Nunc tam interficere, quàm edere suem iis est religio. Et fortassis rationi hoc consentit, sicvt asino suus est apud eos honor, qui fontem aquæ eis demonstrauit: ita suem eos revereri, vt sationis & arationis magistram. Nisi fortè etiam leporum esu abstinere Iudæos dicendum putemus, quòd vt pollutos & impuros aversentur. neque * sermonem excipiens Lamprias: sed leporis quidem * propter * * bestia simillima. Videtur * enim lepus magnitudine & celeritate sentiendi instrumentorum pollere. nam & co- * lor, & aures, & nitor oculorum, & falsum mirabiliter convenit: vt nihil omnino tam paruum tam magno sit, ad formam quod attinet, simile. Nisi me hercle etiam ob similitudines æmulatione Aegyptiorum ducti, velocitatem animalis diuinam reputant, itémque sensus instrumentorum subtilitatem. Nam leporum oculi adeò sunt indefessi, vt etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem exaudiendi videtur aliis anteire. cuius admiratione ducti Aegyptij in suis sacris litteris picto lepore auditum significant. Suillam autem carnem Iudæi abominari * quòd maximè barbari abhorrent à viti- * liginibus & lepra, quas putant esu harum carnium adsciscì. Etenim videmus suem sub ventre plenum esse lepra & scabiosis malignè pustulis: quæ sanè existimantur à praua corporis affectione & corruptela eorum quæ intus sunt in superficiem erumpere. Porrò autem suis victus ita turbidus & immundus non caret vitio. nullum enim animal videmus ita gaudere cœno ac sordidis impurísque locis. etiam si non ineamus * rationem ortus & naturæ quam in sese habent. Oculi etiam porcorum ita dicuntur confracti, & humi defixi, vt nihil eorum vnquam cernant, quæ supernè sunt, neque in cœlum intueantur: nisi supini cōtra naturam facti pupillas sursum obvertant. ideóque animal hoc, aliàs clamosissimum, vbi supinatum fuerit, tacere attonitum insolenti conspectu cœli, maiorique metu vociferationem eius reprimi putant. Si verò fabulosa etiam licet huc adferre: fertur Adonis à sue interfectus. Adonis autem idem cum Baccho esse creditur: & multa peraguntur in vtriusque sacrificiis, quæ fidem faciant huic sententiæ. Alij Adonidem fuisse amasium Bacchi autumant. & versus est in hunc sensum Phanoclis, amori dediti hominis.

Per montes errans diuum cùm nosset Adonin,
Cyprida consectans egregiam, rapuit.

Hæc Symmachus admiratus admodum ea quæ erant dicta, An tu, inquit, gentilem nostrum deum ô Lampria, Euium & excitatorem mulierum dictum, & cuius gloria insanientium floreat honoribus, Ebræorum mysteriis transscribis atq; adoptas? aut re vera est ratio quædam, quæ Adonidem cum Baccho eundem esse demōstret? Mœragenes autem succurrens: Fac, ait, hunc missum. Ego, qui Atheniensis sum, respondeo tibi ac dico, diuersos neutiquam esse. Et quidem pleraque huc pertinentia argumēta, iis duntaxat nota sunt & dici fas est, qui Trietericam (seu triennalem) apud nos Panteldan (perfectum nimirum numinis cultum) initiati tenent. Quæ verò edisserere inter amicos nulla religio prohibet, maximè apud vinum & dona Bacchi, ea, si isti iubent, paratus sum proferre. Cùm iuberent & flagitarent omnes: Primùm, inquit, maximè & perfectissimæ Iudæorū solennitatis & tempus & modus cum Bacchi

sacris

ſacris congruit. Quod enim ipſi vocant Ieiunium, id ſic celebrant, vt maximè feruente vindemia proponant menſas in quibus expoſitæ ſint omnis generis fruges: & ſub tabernaculis deſident, potiſſimùm è palmitibus & edera quæ contexuntur: & diem quæ feſtum antecedit, Tabernaculariam nominant. Paucis verò pòſt diebus aliam feſtiuitatem non obſcurè, ſed omnino apertè Baccho nuncupatam celebrant. Eſt etiam ſolenne apud eos feſtum cradephoria à palmitibus geſtandis, & thyrſophoria, vbi thyrſos geſtantes in templum intrant. quid intus faciant, ignoro: credibile eſt Bacchi ab iis ſacra peragi. nam & tubis exiguis, ſicvt Argiui Bacchanalibus, vtuntur ad euocationem numinis: & alij progrediuntur citharis ludentes, quos ipſi Leuitas appellant, ſiue à Lyſio, ſiue ab Euio (vtraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam ſabbatorum ferias non planè à Baccho eſſe alienas. Quod enim Sabbos etiamnum multi Bacchos appellent, eámque edant vocem dum orgia Bacchi celebrant * licet & è Demoſthene oſtendere, & è Menandro, & non de * aliquis fortè dixerit, factum eſſe ob aſebeſim, id eſt impietatem, qua tenentur bacchantes. Ipſi autem huic ſermoni teſtimonium dicunt. ſabbatum enim colentes, maximè ad bibendum & ebrietatem invicem ſeſe inuitant: aut ſi qua grauior res obſtet, omnino quidem guſtare merum in more habent. Has fortaſſe aliquis eſſe coniecturas aſſerat. Sed alia ſunt argumenta, quæ planè noſtram demonſtrēt ſentētiam. Primùm enim arguit hoc pontifex maximus, qui feſtis diebus mitratus ingreditur, hinnuli pellem auro contectam indutus, tunicámque ad talos pertinentem geſtans, & cothurnos. multa autem tintinnabula dependent de veſte, quæ inter ambulandum ſtrepitum edunt, vt & apud nos. Sonitibus autem nunc vtuntur in ſacrificiis, & æratas dei nutrices appellant, * monſtratúrque in adverſis ſublimi thyrſus expreſſus, & tympana. quæ ſanè non alij deo, quàm Baccho conveniunt. Porrò autem mel ſacrificiis non adhibent: quòd eius admixtione vinum corrumpi videatur, eóque libabatur & ebrietas parabatur antequam vitis exſtitiſſet. & hodiéque barbari qui vino carent, mulſum bibunt, dulcedinem radicibus auſteris & vini ſaporem æmulantibus medicātes. ac Græci Nephalia, id eſt ſobria, hæc & libationes melleas diis offerunt: quòd vino maximè adverſam naturam mel habeat. Bacchum verò à Iudæis coli, id quoque argumento non leui eſt, quòd inter multas pœnarum formas vna maximè odioſa eſt, qua vino interdicitur damnatis ad certum tempus, quod à iudice præſcribitur. qui autem ſic puni- *

Deſunt reliqua huius libri. Exſtant autem capitum indices, quos ſubiungo.

QVAESTIO SEXTA.

Quis apud Iudæos deus.

QVAESTIO SEPTIMA.

Cur dies planetis cognomines, non ſecundum illorum ordinem, ſed inuerſè numerant. in qua etiam de ordine clauorum. *

QVAESTIO OCTAVA.

Cur annulos potiſſimùm in digito geſtant, qui medio proximus eſt.

QVAESTIO NONA.

In ſigillis deorúmne, an ſapientum virorum gerendæ imagines.

QVAESTIO DECIMA.

Cur medium lactucæ à mulieribus non comedatur.

PLVTARCHI
Sympoſiacôn, ſeu conviualium diſputationum, liber quintus.

Iliad.α,156.



VIS hoc tempore tuus, Soſſi Senecio, ſit de voluptatibus animi & corporis ſenſus, mihi quidem ignotum eſt,

—— multi dirimunt quoniam nos
Vmbroſi montes, atque obſtreperi maris vndæ.

Olim ſanè mihi videbare non admodum amplecti, aut probare eorum ſententiam, qui animo nullam peculiarem delectationem, nullum proprium gaudium, nihil quod pro ſe ipſe expeteret concedebant: ſed eum ſimpliciter vitam corporis comitari, eiúſque affectionibus vnà vel gaudere vel mœrere cenſebant, vtpote qui inſtar materiæ formas in ſe admittentis rerum, aut in morem ſpeculi ſimulacra eorum quæ carnis ſenſibus accidunt recipientis adfectus eſſet. Cuius illiberalis opinionis falſitas cùm multis aliis detegitur argumentis: tum in conviuiis vrbani atque belli homines ſtatim à cœna ad colloquium velvti ſecundas menſas ſe conferentes, iíſque invicem oblectantes, vnde ne tantillum quidem voluptatis in corpus redit, teſtantur ſuum eſſe peculiarem penum voluptatibus animi, propriáſque ei voluptates, alienas reliquas quæ corporis contagio percipiuntur. Sicvt igitur nutrices, quæ cibum infantibus præbent, parum percipiunt voluptatis: ſaturatis autem iis & fletu miſſo dormire orſis, ipſæ tum pro ſe commodo cibo potúque fruuntur. ita animus in partem venit voluptatum quæ edendo bibendóque percipiuntur, corporis appetitionibus in morem nutricis inſeruiens, eiúſque deſideriis ſe accommodans, concupiſcentiámque demulcens: vbi verò illud mediocriter affectum conquieuit, ibi tum defunctus ſuo miniſterio & negociis vacuus exinde ſuas ad voluptates convertitur, diſputationibus ſe recreans & diſciplinis, hiſtoriíſque & ſubtilium rerum quæſtionibus. Et quid de his dicam? cùm videamus importunos homines, & à litteris humanioribus alienos à cœna animum ad alias voluptates quàm longiſſimè à corpore abducere, ænigmata, griphos, & nomina certo numerorum ſymbolo tecta proponendo. atque hinc mimis, ethologis, Menandróque & eius fabulas agentibus locum conviuia ceſſerunt. non quòd dolorem aliquem corpori demerent hi, aut lenem carni blandúmque motum adferrent: ſed quòd naturalis in animo vniuſcuiuſque contemplandi & philoſophādi cupiditas ſuam quandam delectationem requirit, poſtquam occupationibus & miniſteriis quæ corpori impendimus, liberati ſumus.

QVAESTIO PRIMA.

Cur cum voluptate quadam audiamus eos, qui iratorum vel mœrentium geſtus repræſentant: iratos aut dolentes verè, moleſtè feramus.

TALES diſputationes habitæ ſunt etiam te præſente. Cùm enim Athenis Strato comœdiam docendo magnam reportaſſet laudem, ac frequentes de ipſo ſermones, Boëthus Epicureus nos conviuio excepit, multis qui ab eadem erant ſecta ad cœnam adhibitis. Deinde quod fieri inter doctos adſolet, comœdiæ mentio ſermonem eò deduxit, vt quæreretur, Qua de cauſa iratorum, dolentium, aut metuentium ſibi voces non ſine moleſtia audimus: qui verò iſtos animi motus imitando exprimunt, vocéſque & geſtus referunt eorum, nos delectant. Iſti omnes vno ferè ore hanc adferebant rationem: Præſtare imitatorem verè ſic adfecto, eò quòd ipſe ſic adfectus nō ſit: idque nos ſentientes delectari & gaudere. Ego autem, tametſi pedem in alieno, quod aiunt, choro ponerem, tamen hæc dixi. Cùm natura ſimus ratione præditi, artiúmque amantes, iis quæ ſcitè & artificioſè aguntur, ídque feliciter, familiariter afficimur, eáq; admiramur. Nam velvti apis ob ſtudium dulcedinis ſuum omnem materiam, cui melleum aliquid inſit, conſectatur: ita homo natura artium ſtudioſus & pulcritudinis, omne opus, omnem actionem mente ac ratione conſtantia amplectitur & diligit. Itaque ſi puerulo proponas iuxtà paruum panem, & catellum vel buculam

*

è

è farinis effictam, ad hoc illum, non ad panem ferri cernes. itémque si rude argentum, & simul argēteum animalculum aut poculum præbeas, id potiùs deliget, cui videt aliquid rationis & artis esse admixtum. Itaque istius modi homines etiam magis delectantur ænigmatibus, & iocis aliquid involucri ac difficultatis habentibus. nam elegantia & subtilitas naturam, vtpote ei accommodata & vernacula, nemine docente ad se trahit. Quoniam ergo is qui verè irascitur aut dolet, in quibusdam communibus adfectionibus & exemplis cernitur, in imitatione autem calliditas & probabilitas visitur, si quidem ea successu non careat: his delectari solemus, offendi istis. Etenim eodem nos modo adficiunt spectacula. Homines enim morientes aut morbo conflictatos sine molestia non videmus. Philoctetam pictum, & effictam Iocastam (in cuius faciem aliquid argenti admiscuisse ferunt artificem, vt æs hominis exanimati & contabescentis speciē in superficie referret) cum voluptate spectamus & admiramur. Atque hoc, aiebam, contra vos Epicureos Cyrenaicis non leue est argumentum, non circa visum aut auditum, sed in animo esse oblectationem quæ è spectaculis & auditionibus percipitur. Quippe gallina continenter vociferans, & cornix, molestum est ingratúmque auditu. qui autem gallinæ cantum imitatur aut cornicis, is voluptatem adfert. Et tabe correptos non adspicimus absque molestia: eorundem simulacra spectare nobis est volupe. quia nimirum animus imitatione trahitur: quod quidem eius naturæ convenit. Alioquin enim quid passi, aut qua extrinsecus adfectione accidente Parmenonis suem ita admirati sunt homines, vt in proverbium abiret? Et quidem ferunt Parmenone ob hanc rem celebri, quosdam idem æmulando certasse. cúmque homines præiudicio occupati dicerent, Bene hoc, sed nihil ad Parmenonis suem, quendam cum porcello sub axilla gestato prodiisse: & cùm vero suis grunnitu homines tamen dicerent, Et quid hoc ad Parmenonis suem; eum emisso in medium porcello arguisse, non veritatem eos in iudicando, sed opinionem sequi. Quo maximè fit manifestum, eandem sensus adfectionem non eodem modo animum adficere, nisi accedat persuasio, id quod fit studiosè ac cum ratione confici.

QVAESTIO SECVNDA.

Poëticam concertationem antiquam fuisse.

CVM Pythia celebrarentur, disputatum fuit de abolendis adscititiis certaminibus. Nam cùm vltrà ea, quæ tria erant antiquitus instituta certamina, tibicinis Pythici, citharistæ, ac citharœdi, admissus esset tragœdus: quasi porta aperta iam non resisti potuit confertim irrumpentibus omnis generis auditionibus. atque inde varietas quidem certamini non iniucunda & festiuitas parta est: seueritas tamen & elegantia deminuta: & cùm iudicibus multum molestiæ factum est, tum multæ (vt solet) multis victis inimicitiæ. Non postremo loco censebant fabularum scriptores & poëtarum gentem inde amoliendam. neque hoc odio litteraturæ impulsi, sed quòd ij longè omnium certantium nobilissimi pudorem incuterent, molestiámque adferrēt, cùm omnes sciti elegantésque haberentur, neque tamē vincere vniuersi possent. Nos autem in concilio dehortati sumus eos, qui mouere res constitutas ac nouare cuperent, certamini que tanquam musico instrumento neruorum & vocum multitudinem vitio darent. Atque in cœna, quam Petræus præmiis tribuendis præfectus præbebat, cùm de eadem re sermo incidisset, musicæ sumus patrocinati: pronunciauimúsque poëticam non serò aut nuper ad sacra certamina venisse, verùm antiquitus coronas pro victoria reportasse. Non deerant, qui putarent me obsoletas res in medium adducturum, puta Oeolyci Thessali sepulturā, & Amphidamantis Chalcidensis: in qua ferunt Homerum & Hesiodum carminibus certasse. Ego his, quòd grammaticorum sermonibus omnia essent trita, vt & eos qui in funebribus Patrocli ludis non hastam iaciendo, sed dicendo præmium meruissent, Achille huic etiam rei munera largiente: his inquam omissis, id dixi, quòd Acastus Peliam patrem funerans poëmatum certamen instituit, idque Sibylla vicit. Hoc cùm multi me repræhenderent, & narrationis tanquam absurdæ testem aliquem poscerent: commodùm recordatus asserui Acesandrum in opere de Africa autorem eius esse. Sed huius, aiebam, lectio non est omnibus in promtu. Scriptum autem Polemonis de

Iliad. ψ, 886, 620. 795.

thesauris Delphicis existimo plerisque vestrum curæ fuisse vt legerent: itaque oportet, hominis variè docti, & non oscitanter in rebus Græcis versati. Ibi ergo legetis in Sicyonio thesauro repositum libellum aureum, dedicatum ab Aristomacha Ery . . . . . . poëtria, cùm Isthmia vicisset. Neque est quod attoniti spectemus Olympia, tanquam Fati in morem certamina immutabilia cui sint. Nam Pythia musicorum tres aut quatuor concertationes exordij loco habebant. Gymnicum certamen initiò ferè ita fuit institutum. Olympiis omnia, cursu excepto, additamentorum loco accesserunt. Multa etiam quæ posuissent, deinde rursum sustulerunt, vt certamen quod mulo tergo equitem gestante, & alterum quod curru iunctis mulis obibatur. (hoc apenam, illud calpen vocabant.) Sublata est etiam corona quæ pueris quinquertio certantibus fuerat proposita: omninóque multa in festiuitate ea nouè sunt instituta. Iam * hoc quoque notum est, olim singulare certamen apud Pisam fuisse celebratum, vbi quidem etiam necaretur victus aut se dedens. ne denuò autorem historiæ requiratis, cuius si mihi inter pocula nomen memoria non suggerat, ridiculus fiam.

QVAESTIO TERTIA.

Quid causæ sit, quòd pinus Neptuno & Baccho sacra habetur: & quòd initiò è pinu corona victoribus Isthmico certamine data est, denide ex apio, nunc rursum pinea.

CORINTHI in cœna, cùm nos Lucanius pontifex maximus excepisset conviuio, quo tempore Isthmia agebantur, quæstio incidit, qua de causa è pinu corona eo certamine victori daretur. Ac Praxiteles quidem enarrator fabulosam rationem attulit, dicens ita ferri: Melicertæ corpus inventum fuisse à mari ad pinum allisum. Etenim nō procul Megaris locum esse, qui Pulcræ cursus appelletur: quòd Megarenses ferant hàc Inò cum infante quem gestabat ad mare cucurrisse. Vulgatam porrò aiebat esse opinionem, peculiare Neptuno esse pineum sertum. Hæc cùm addidisset Lucanius, arborem etiam Baccho consecratam haud abs re Melicertæ honoribus fuisse destinatam: hoc ipsum in quæstionem venit, ecqua tandem ratione veteres pinum Neptuno Bacchóque consecrauissent. Ego ostendi mihi nihil ea in re inesse absurdi videri. Vterque enim, aiebam, deorum humido & genitali principio præesse censetur: & Neptuno à fecundandis stirpibus, Baccho Dendritæ, id est arborum tutori, omnes propè Græci sacrificant. Verumtamen dicere aliquis posit, peculiariter Neptuno pinum convenire: nō, quod Apollodorus putauit, quia mari finitima stirps sit, aut quia itidem vt mare ventos delectet (nam & hoc sunt qui dicant): sed ob nauium potissimùm constructiones. Pinus enim, & cognatæ ei arbores picea ac larix, cùm ligna nauigijs aptissima suppeditant, tum picis ac resinæ vnguentum, sine quibus compactorum lignorum nullus erat futurus in mari vsus. Pinum porrò consecrauere Baccho, quia vino suauitatem conciliet. Nam quæ loca pinubus abvndant, in iis vinum suaue vites generant. Theophrastus id calori terræ imputat. vniuersè enim pinum in argillosis nasci locis: & argillam, calida cùm sit, excoctioni vuarum subseruire: sicvt eadem aquam etiam leuissimam & suauissimam edit. præterea admixta frumento, additamentum largum eo sua caliditate roborando augendóque adfert. Enimverò probabile est è pinu ipsa vitem accipere sua emolumenta, cùm ad conseruādum vinum multis modis ea conducat. Nam & pice vniuersi vasa oblinūt, & resinam multi vino admiscent, vt de Græcis Eubœenses, & in Italia qui ad Padum accolunt. & è Gallia Viennæ vicina vinum picatum adfertur, quod in summo est apud Romanos precio. Hæc enim non tantùm bonum quendam odorem indunt, sed vinum quoque commodum redigunt, calore suo musteas & aquosas partes celeriter conficientia. Ea * postquam dicere fuerūt, de rhetoribus is qui maximè libros ad humanitatem facientes evoluisse videbatur: dij boni, inquit: quasi verò non nuper admodum è pinu ceperit corona Isthmiorum peti, cùm antè apio redimerentur? Sanè in comœdia audire est auarum quendam ista dicentem

Libenter Isthmia precio hoc vendam tibi,
Apij corona quanto prorsus venditur.

Narrat etiam Timæus historiæ scriptor, Corinthiis cùm de Sicilia cum Carthaginiensibus dimicaturi ad pugnam irent, occurrisse quosdam qui apium ferrent. quod cùm plerique adversum oblatum esse putarent omen, quia apium videtur inauspicatum esse,

esse, & qui periculosè ægrotât, eos apio opus habere dicimus. Timoleon animos suorum dictis erexit, Isthmiorúmque admonuit, quibus Corinthij victores apio coronarent. Ad hæc prætoria Antigoni nauis, cùm è puppi eius sponte enatum esset apium, Isthmia fuit cognominata. Iam scolium hoc carmen manifestum testam in more fuisse ait apio tectam *. sic autem est compositum. *

Minerua tellus vsta validis ignibus *
Bacchi nigrum gremio occulit acris sanguinem,
Ore Isthmicos suo tenétque surculos.

Aut hæc, aiebat, non lect * pinum, vt non adsciticiam aut nouam, sed maiorum more vsurpatam, & antiquitus in coronis Isthmicis cui locus fuerit, prædicantes. Commouit nonnihil adolescentes quidem sermo hic, à viro variæ doctrinæ multiplicísque litteraturæ habitus. Lucanius verò me intuens, simúlque renidens, Proh Neptune, inquit, quanta litterarum copia. Alij autem, vt apparet, ignoratione & imperitia nostra abvsi contrà nobis persuaserunt, pineam fuisse apud maiores nostros Isthmiorum coronam: apium autem è Nemea imitatione quadam, alienum cùm esset, huc obrepsisse, Herculis gratia, pinúmque suo loco expulsam, habito apio pro re his sacris idonea. aliquanto pòst tempore pinum recuperasse pristinam dignitatem, & nunc esse in summo flore atque honore. Mihi quidem fides facta est, animúmque adverti: atque adeò multa testimonia huius rei edidici ac commemini. Nimirum Euphorio sic de Melicerta scripsit. *

Plorantes puerum tunc frondibus imposuerunt
De pinu sumtis: vnde & mos ferre coronam
Isthmia vincenti. neque enim illo tempore Mnemei
Natus ad Asopi partu prorepserat vndas
Ille Charon, apij primus qui tempora densis
Implicuit sertis: inuentor moris, & auctor.

Et Callimachus apertiùs etiam aliquanto rem explicat, apud quem Hercules sic dicit de apio.

Hoc, vbi Neptuno peragent certamina sacra,
Victori signum congruet Isthmiaco.
Atque Corinthiacis pinus victoribus olim
Gloria, nunc Nemeæ ritibus obsoleat.

Præterea, nisi fallor, incidi in Proclis scriptum, qui narrat primò certatum fuisse de pinea corona: deinde cùm inter sacra haberi hoc certamen cepisset, eò è Nemea festiuitate traductam fuisse coronam ex apio. Fuit autem Procles iste vnus ex iis, qui in Academia Xenocrati operam dederunt.

QVAESTIO QVARTA.

De eo quod est apud Homerum,

Ζωρότερον δὲ κέραιε. —— Iliad. ι, 203.

VIDEBATVR nonnullis qui in cœna nobiscum aderant ridiculus Achilles, qui iuberet meraciùs (id enim est quorundam opinione ζωρότερον) infundere Patroclum, & hanc subiungeret mandato causam, vt diceret velle se hoc ideò fieri, quia carissimos viros suo excepisset contubernio. Niceratus ibi Macedo, sodalis noster, contendebat non merum, sed calidum appellari eo loco Zoron, à feruendo & vita vocabulo declinato. neque id ratione carere, vbi amici homines advenissent, nouum denuò temperari craterem: cùm nos quoque diis libaturi, de integro vinum misceamus. Sosicles autem poeta recordatus Empedoclis, qui dixerat in vniuersali mutatione Zorotera fieri quæ priùs fuissent permixtionis expertia: ab Achille vinum probè temperatum aiebat Zoron dici: neque esse quod obstet, quo minus Achilles Patroclo imperet, vt vinum ad potum bene temperet. neque nouum aut insolens esse, quòd comparatiua loco positiuorum vsurpantur. Antipater verò socius noster aiebat, prisca Græcorum lingua annos fuisse horos dictos: Za aut solere magnitudinem notare: itaque ab Achille preciosum & vetustum vinum Zoron, quasi Zaoron nominatum. Ad hæc ego

in memoriam eos revocare iussi, quòd cùm dicerent Zoroteron pro calido accipi à nonnullis, simul intelligerent calore celeritatem innui. vt cùm nos famulos iubemus calidiùs, id est velociùs, ministeria obire. Sed tamen, inquam, puerilis est vestra contentio, qui veremini ne absurdo alicui obnoxium Achillem faciatis, si fateamini eum præcepisse vt meracius vinum infunderetur. quod suspicatus fuit Zoilus Amphipolita. Qui sanè primùm id ignorauit, quòd Achilles Phœnicem & Vlissem sciens esse senes, & diluto non delectari, sed mero, reliquorum senum more, iussit validiorem potum apparari. Deinde cùm esset Chironis discipulus, & non imperitus victu curandi corporis rationum, ratiocinatus nimirum est corporibus in ocio præter cõsuetudinẽ degentibus temperamentũ convenire remissius & lãguidius: nam equis quoque inter alia pabula apium præbet, non absq; ratione: sed quia equi præter morem ociosi læduntur pedes, adversus quod damnum remedio est vt quod maximè apium. Itaque in Iliade non invenies aliàs equo apium exhibitum, aut aliquid similis saporis. Sed Achilles, vtpote medicus, cùm equos solerter curauit: & corpori suo desidens in ocio facilimam rationem victus vt saluberrimã procurauit. viros autem qui in pugna diem exegissent, existimans non eo victu quo desides esse tractandos, vinum præberi iussit meracius. Aliàs quoque Achilles natura non videtur fuisse vinosus, sed immiti ingenio: vt quidam de eo dixerit,

Iliad.υ,467. *Non etenim miti est animo, aut placabilis hic vir,*
Sed valdè rigidus. —— Atque ipse quodam

Iliad.ι,325. loco liberè collaudans seipsum, multas se insomnes noctes ait exegisse. cùm sanè
Iliad.α,225. breuis somnus merum bibenti non sufficiat. Et Agamemnoni convicium faciens, temulentum appellat, primo hoc vitium loco exprobrans, quod odisset maximè. vt iam omnino rationi convenientissimum sit, eum istis viris ad se venientibus operam dedisse, ne vini mixtio, qua ipse soleret vti, illis ob vini imbecillitatem non satis esset accommodata.

QVAESTIO QVINTA.

De his qui multos ad cœnam vocant.

CVM Alexandrea rediremus, & nemo non amicorum nos conviuio exciperet, factum est vt de discumbendo multi orirentur sermones, cùm res ea multis inconvenientibus videretur difficultatibus patêre: eò quòd singuli multos, & vtcunque eò pertinere creditos ad cœnam vocabant: itaque & in conviuiis turbulenta fiebat conversatio, & mox eadem dissoluebantur. Cùm autem Onesicrates medicus non multos, sed admodum necessarios & intimos cœnæ adhibuisset, venit mihi in * mentem eius quod Plato dixerat, de augmento vrbium, posse ad conviuia accommodari. Magnitudo enim conviuij iusta est, quandiu conviuium manere potest. vbi ob conviuarum multitudinem modum excedit, vt iam compellationes, mutua comitas & noticia excludantur, ne conviuium quidem est. Oportet enim non vt in exercitu internunciis, aut in triremi iussa gubernatoris renunciantibus vti: sed vnumquenque pro se cum aliis colloqui: cùm conviuium chori in morem personam imam ita collocare debeat, vt summam exaudire possit. Hæc ego cùm dicerem, auus noster Lamprias in medium iam proloquens: Ergo, inquit, non in cœnando duntaxat, sed & in vocando ad conviuium, opus habemus moderatione. Est enim, puto, etiam quædam humanitatis incontinentia, neminem compotorum præteriens, sed omnes tanquam ad spectaculum aut ad auditionem trahens. Mihi quidem non ita ridiculum facturus videtur conviuij præbitorem panis vel vini defectus, vt spacij & loci inopia: cuius oportebat semper copiam paratam esse non tantùm inuitatis, sed vltrò etiam supervenientibus hospitibus atque peregrinis. Iam panis aut vinum si non sufficiat, culpam licet in seruos tanquam furto rem ij minuerint conferre: loci inopia, in multitudinem insumti, socordiæ est inuitantis imputanda. Mirabiliter etiam probatur Hesiodus, quòd cecinit:

Theog.116. *Vastum principiò chaos exstitit.* ——

oportuit enim spacium & locum initiò poni, vbi reciperentur res natæ. quod non obseruans meus filius, conviuium heritale instituit, in quo iuxta Anaxagoræ dictum

dictum omnes res simul essent. Enimverò etsi loci apparatúsque sit satis, tamen vitanda est conviuarum multitudo, quæ communionem sermonis & compellationum è conviuio tollit: cùm tolerabilius sit vini, quàm loquendi communicationem à cœna abesse. Itaque Theophrastus iocans tonstrinas appellauit conviuia vini expertia, ob loquacitatem ibi desidentium. Sermonis autem societatem abolent, qui multos in vnam cœnam ingerunt: immò id efficiunt, vt perpauci inter se colloquantur. duo enim aut tres proximi inter se confabulari possunt, longiùs remotos neque norunt, neque adspiciunt, equi cursum distantes

Hæc vbi tendebat alij Telamonius Aiax,
Hæc vbi Pelides alij. ——

Proinde non rectè diuites luxuriant, domos ædificantes, triginta lectorum atque amplius capaces. is enim apparatus est conviuiorum ab amicitiæ mutuo vsu alienorum, & solennis pompæ præsidem potiùs quàm conviuij rectorem requirentium. Verùm illis cum venia hoc licet. inopes enim & verè cæcas putant fore diuitias & inclusas, si non tanquam in tragœdia testes habeant spectatores. Nobis ne multos simul inuitemus hoc erit remedij, vt sæpenumerò paucos vocemus. Nam qui raro admodum, & (quod aiunt) per harma conviuia instruunt, iis necessitas incumbit vnumquenque familiarium & notorum in numerum conviuarum cooptandi. Qui frequentiùs, ternos aut quaternos vocando conviuia nauium instar quibus amnes traiiciuntur laxa & leuia reddunt. Cæterùm discrimen aliquod multitudinis amicorum facit causæ adsidua ratiocinatio. Vt enim ad vsus nostros non vniuersas eorum copias, sed singulos ad eos advocamus, ad quos apti sunt: ad deliberationem prudentes, ad causam dicendam disertos, ad peregrinationem quibus victus est expeditus & ocium: ita ad conviuia quoque subinde idonei sunt adhibendi. Idoneos voco, principi conviuium præbenti eos qui magistratum gerunt, si quidem amici sint, & proceres ciuitatis: in nuptiis autem & nataliciis, qui genere attingunt, & Iouis Homognij sunt participes. Atque in talibus conviuiis & festiuitatibus maximè illi convocandi sunt, qui invicem in bona sunt gratia. Neque enim cùm deo alicui sacrificamus, omnibus simul etiam vota facimus, quantumvis eodem in templo, eodem altari colantur: sed cùm tres misceantur crateres, aliis è primo, è secundo aliis, sunt quibus è tertio libamus. Inuidia namque extra deorum stat chorum. Diuinus autem nimirum etiam amicorum est chorus benevolè distributus in conviuiis.

QVAESTIO SEXTA.

Quid causæ sit, quòd initio cœnæ angustè, postmodò laxè sedetur.

HIs dictis, illicò quæsitum fuit de angustia accumbentium initiò, ac deinde laxatione: cùm videatur contrarium debuisse fieri, corporibus in cœna distentis. Fuerunt qui formam discumbendi causarent. omninò enim in latum discumbere nos, vt qui dextras in mensam protendamus: cœnati autem magis in latus nos obvertamus, corporisque figuram acutam reddamus: neque iam secundum superficiem ferè, sed ad lineam spacium occupemus. Sicvt ergo tali minus loci occupant si recti, quàm si proni cadant: ita vnumquenque nostrum principiò in faciem proclinari dum in mensam intuemur: deinde transformare accubitum in altitudinem ex latitudine. Plerique stragulo causam adscribebant. id enim dum accumbitur dilatari & laxius fieri: quomodo calcei attritu paulatim diducuntur & pedi spacium concedunt. Senex autem iocans, Duos, inquit, conviuium habet dissimiles præfectos ac duces. initiò famem, quæ planè expers est artis instruendorum ordinum. deinceps Liberum patrem, quem ducendi exercitus peritissimum fuisse apud omnes in confesso est. Sicvt ergo Epaminondas exercitum inscitia ductorum in angustias coniectum & se invicem conturbantem ac atterentem, ipse in ducis partes succedens evoluit, inque ordinem reduxit: ita nos ab initio à fame confusè in vnum conductos & permistos nactus Bacchus, qui Lyæus & Choreus à soluendo & choris instituendis dicitur, in ordinem venestum atque humanum componit.

QVAESTIO SEPTIMA.

De his qui fascinare dicuntur.

CVM in cœna sermo incidisset de iis qui fascinare dicuntur, & oculum habere fascinatorem: fuerunt qui totam rem nugas esse dicerent atque deriderent. At Metrius Florus, qui nos conviuio exceperat: Famam, inquit, mirabiliter adserunt ea quæ eveniunt: sed ignoratio causæ fidem historiæ derogat: iniuria id quidem. Etenim innumera sunt, quorum cùm substantia in aperto sit, causæ tamen nos latent. Omnino autem qui in singulis probabilitatem requirit, is quod mirabile est ex omnibus rebus tollit. atqui vbi causæ ratio deficit, ibi dubitare & inquirere, hoc est philosophari, incipimus. vt philosophiam quodam modo perimant, qui admirabilibus fidem detrahunt. Oportet verò cur vnumquodque fiat causam ratione investigare: an fiat, ex historiis est percipiendum. Narrantur autem multa talia. Nouimus enim homines, qui intuendo infantibus potissimùm noceant, qui ob humiditatem habitus sui imbecillitatémque ab istis adficiuntur atque in deterius mutantur: cùm solidis & compactis iam corporibus hoc minùs accidat. Phylarchus sanè refert Thibios qui olim circa Pontum habitauerunt, non infantibus modò, sed adultis etiam exitium attulisse: obtutu enim eorum, spiritu ac sermone adfectos, tabuisse & ægrotasse. idque * senserunt vt apparet convenæ, seruos inde emtos educentes. Sed de his hoc quidem fortasse minus est mirum. Contrectatio enim & contagium habet quoddam apparens adfectionis principium. Et quemadmodum reliquarum auium pennæ si cum aquilæ componantur pennis, pereunt defluentibus ob putredinem plumis: ita nihil impedit, quò minùs hominis contactus alius vtilis sit, alius damnosus. Quòd autem damno aliquis afficitur tantùm inspiciente altero, id evenit quidem sicvt dixi: non creditur autem, quia causam habet indagatu difficilem. At verò, inquam ego, quodammodo tute causæ vestigium quoddam callémque venandæ attigisti, ad defluxus corporum perveniendo. Odor enim, vox, & fluxus halitus sunt quidam defluxus à corporibus animalium delati, & quasi partes eorum: ac sensui accidentes adficiunt eos. Ac multo magis probabile est talia à corporibus animalium deferri, ob calorem & motum spiritui quasi palpitatione quadam & conturbatione ingenerata: qua corpus adsiduè pulsatum quosdam emittit defluxus. Maximè autem id fieri ab oculis, consentaneum est. Visus enim cùm multis cieatur motibus, cum spiritu quem emittit, simul mirabilem quandam igneam vim dissseminat: cuius opera multa homo cùm patitur tum agit. Voluptatibus quippe moderatis, & item molestiis adficitur homo à visilibus rebus quæ offeruntur: & amores quibus nullus vehementior animis motus accidit, ab adspectu principium ducunt: adeò vt fluat & quasi liquescat amans, cùm intuetur in id quod amat, inque id velvti transit. Itaque maximè puto miretur aliquis eos, qui lædi videndo hominem cùm sentiant, agere & lædere itidem, id verò negant. Mutui enim formosorum obtutus, & quod per oculos excidit, siue id lumen est, siue fluxus quidam, amatores colliquat atque perdit dolore voluptati permixto, quem ipsi Glycypicron, id est dulcamarum nominant. Nam neque tangentes, neque audientes ita vulnerantur & adficiuntur, vt cùm inspiciunt & inspiciuntur. adeò enim diditur incendium ab oculis, vt necesse sit planè ignaros esse amoris, qui Medicam naphtham mirantur ignem ex intervallo ad se rapere: cùm formosorum corporum adspectus etiam è longinquo respicientium ignem in animis amore captorum accendant. Præterea regio qui laborant morbo, eos sæpenumerò cognouimus sanari si in auem charadrium (siue ea sit rupex) inspiciant. tali natura, vt apparet, prædito animali, vt morbum è corpore adfecti elabentem ad se trahat, atque recipiat oculis tanquam defluentem quendam humorem. itaque charadrius arquatum non intuetur, neque sustinet, sed clausis oculis se avertit: non inuidens (vt putant nonnulli) remedium quod ab ipso petitur, sed quia quasi ictu quodam sauciatur. De reliquis morbis cùm maximè tum facilimè lippitudinis contagium ad vna degentes pervenit: tam acrem habet vim visus adficiēdi alterum. Admodum rectè dicis, inquit Patrocles, de corporis quidem affectibus. sed quæ in animo sunt, vt est etiam inuidia, quónam pacto vel modo per oculos damnum conspectis inferunt? Nescis verò, aiebam, adfectum animum corpus afficere? Equidem & cogitatione actus venerei pudenda eriguntur, & excandescentiæ canum in certaminibus adversus feras

sæpe

sæpe lumina exstinguunt atque excæcant. tum animi ægritudo, avaricia, rivalitas colorem mutant, habitúmque corporis adfligunt. nullo autem horum minùs inuidentia vbi animum subiit, corpus quoque prauitate occupat: quam pictores probè conantur pingendo liuoris vultu exprimere. Sic ergo inuidia adfecti cùm intendunt oculos in aliquem, radios tanquam veneno imbuta iacula excipientibus partibus animo proximis, nihil (puto) absurdi fit si læditur in quem illi sunt intuiti. Nam & morsus canum grauiores sunt si irati mordeant: & semina hominum efficaciora, si amantes coëant: & vniuersè animi adfectionibus facultates corporis roborantur atque intenduntur. Itaque eorum quæ adversus fascinum amuleta dicuntur prodesse vsum putant contra liuorem, avertentia visum vt minus penetret in eos qui inspiciuntur. Hoc ego, inquam, tibi conviuij causa symbolum persoluero. Tum Soclarus: si quidem, inquit, nos prius id probemus. est enim aliquid in tua oratione, quod adulterinum videtur. Nam si pro veris habemus ea, quæ vulgò de fascinantibus dicuntur: non ignoras scilicet, quòd amicos & domesticos, quidam verò etiam patres oculum habere fascinantem putant, ideóque vxores ipsis prolem non ostendunt, neque ab hisce diu conspici sinunt. Quomodo ergo inuidiæ fascinus imputabitur? Quid obsecro dices de his qui fascinare semetipsos feruntur? Vtique enim auditum tibi hoc est: aut saltem istud legisti.

Quondam pulcer erat crinibus Eutelidas.
Sed sese ipse videns placidis in fluminis vndis,
Liuore infamis perdidit inuidiæ.
Fascinus attraxit morbum, formámque peremit.

Ferunt enim hunc Eutelidam sibi ipsi visum forma insigni, eóque adspectu adfectum, hinc in morbum incidisse, valetudinémque cum forma amisisse. Sed vide quid comminisci possis, quo isthæc absurda amoliare. Aliàs, inquam, admodum hoc fecero commodè. Nunc autem, qui è tanto, vt vides, calice bibam, intrepidè causam esse hanc pronuncio, Quòd omnes animi adfectiones si diu inhæreant, prauos ingenerant habitus: qui vbi vim naturæ adepti sunt, quavis occasione concitati sæpenumerò etiam inuitos ad familiares impellunt adfectiones. id adeò animadvertere possis in timidis, qui salutaria etiam metuunt: in iracundis, qui carissimis etiam sunt difficiles: in amatoribus & libidinosis, qui ad extremum ne sanctissimis quidem abstinent corporibus. Magna enim vis est consuetudinis habitum ad familiarem adfectionem deducendi: & qui ad lapsum sunt procliues, eos necesse est ad obvia quæque offendere. Quare admiratione non est dignum, eos qui inuidendi & fascinandi habitum sibi parauerunt, ea adfectione etiam adversus suos commoueri: quod vbi fit, non quod volunt, sed quod naturæ ipsorum congruit faciunt. Sicvt enim globus globi in morem, cylindrus cylindri modo voluitur, ob diuersitatem figuræ: ita inuidum inuidiosè adversum omnia ciet inuidia. Et verò consentaneum est à talibus maximè sua & quæ cara habent lædi. Præclarus autem ille Eutelidas, & qui alij sese dicuntur fascinasse, non absque causa id videntur passi. Lubrica enim res est, vt ait Hippocrates, admodum valida corporis constitutio: & corpora vbi ad summum provecta sunt vigorem, non consistunt, sed momento in contrarium impelluntur. Cùm ergo confertim auctis corporibus, se ipsos meliùs quàm expectauissent adfectos vident, ita vt sese contemplentur atque admirentur: tum corpora mutationi propinqua sunt, & in deterius porrò habitu vergente, se ipsos fascinare putantur.* Idque magis fit ab aqua, quàm ab aliis speculis, quando vndæ subsistunt. respirare enim in ipsos intuentes: vt quibus aliis nocuerunt, ipsi se lædant. Atque hoc fortassis etiam puerulis accidens, sæpe facit vt falsò causa in intuentes conferatur. Vt finem dicendi feci, Caius Flori gener: Democritea verò, inquit, visa vobis in nullo sunt numero, nulla eorum (velvti de Aeginetis proverbio dicitur) ratio habetur? quæ is ab inuidis emitti ait, neque sensus planè expertia, neque impetus, plena maliciæ & liuoris emittentium, quibus stipata & inhærescentia iis qui fascinantur, hos turbent, corpúsque & animum eorum lædant. Sic enim puto sentire hominem, hâncque sententiam diuinis & magnificis extulisse verbis. Omnino verò, inquã. Sed miror quî non obseruaueritis, me defluxibus istis nihil aliud quàm animam & propositum voluntatis ademisse: ne putetis me adulta iam nocte visa vobis & animata ac intelligentia spectra offerentem, laruis

1. Aphoris. 1.

vos terrere ac perturbare voluisse. Manè ergo, si videbitur, de his dispiciemus.

QVAESTIO OCTAVA.

Cur malum Homerus aglaocarpum, id est insignem fructu, Empedocles mala hyperphlœa, dixerit.

CHAERONEAE quodam in conuiuio, cùm omnis generis apposita essent pôma, cuidam vnà accumbentium subiit versum Homeri pronunciare:

Odiss. 7, 115. *Egregio mali fructu, ficúsque suauis.*

Hic quæsitum fuit, cur malum poëta peculiariter dignatus esset hoc nomine, vt præstantem fructu diceret. Id Trypho medicus aiebat factum comparatione fructus cum arbore, quem parua admodum, & vilis adspectu fert pulcrum atque magnum. Alius quidam dicebat in solo hoc arboreo fructu pulcritudinem ex omnibus compositam formis conspici. nam & contactu est instar violæ, vt non inquinet, sed fragrantia oppleat tangentem: & saporem habet suauem, éstque olfactu & visu iucundissimum malum: vt meritò laudetur, quod omnes vnà sensus alliciat. Hæc nos mediocriter nobis probari diximus. Sed cùm Empedocles scripserit, aiebam

Οὕνεκεν ὀψίγονοι σίδαι, καὶ ὑπέρφλοια μῆλα.

Punicorum pomorum appellationem intelligo, quia scilicet sub autumni exitum & calore eneruato ista arbor fructum suum excoquit. imbecillum enim eorũ & tenuem humorem sol non sinit coire, nisi aër incipiat frigidior fieri. itaque Theophrastus hanc solam arborem ait in vmbra rectiùs & celeriùs fructum suum maturare. Quo autem sensu sapiens mala dixerit hyperphlœa, dubito. maximè cùm non elegantiæ carminis parandæ gratia nitidissimis adiectiuis tanquam floridis coloribus exornare suas res Empedocles soleat: sed singulis naturam aliquam aut vim exprimat. vt cùm corpus animæ circumdatum vocat tellurem amphibroten, quasi vndiquaque mortalem: & aërem nephelegeretam, tanquam nubes colligentem: & polyæmaton iecur, id est multo præditum sanguine. Hæc ego cùm dixissem, grammatici quidam dixerant mala dici hyperphlœa ob vigorem. Nam à poëtis plœen sumi pro eo quod est maiorem in modum vigere & germinare. & Antimachum hoc sensu dixisse, Cadmeorum vrbem frugibus vegetam. itémque Aratum de Serio:

Καὶ τὰ μὲν ἔρρασεν, τῶν δὲ φλόον ὤλεσε πάντα,

viriditatem & florem fructuum phloi voce adfecisse. esse etiam quosdam de Græcis, qui Phloo Baccho sacrificent. quoniam itaque de omnibus fructibus in malo maximè vigor & viror permanent, hyperphlœum fuisse à philosopho nominatum. Lamprias autem auus noster aiebat vocem hyper, non modò nimij & vehementis habere notationem, sed etiam eius quod extrà est aut suprà. Sic enim à nobis hyperthyron dici superiorem ianuæ postem, & hyperoum sublimius cœnaculum. & Homerum carnes victimæ exteriores vocasse hypertera, vt interiores enkata. Videamus an non huc præcipuè Empedocles respexerit, quòd cùm alij fructus foris cortice (is enim phlœos est) ambiantur, iique putamina quæ vocant, involucra, membranas, tegmina, in superficie habeant: solus mali cortex intus est glutinosa & pinguis tunica, qua semen cõtinetur: id verò quod esui est foris circa eam circumpositum, hyperphlœon (quasi situm extra corticem) rectè appelletur.

Odiss. 7, 65. & alibi.

QVAESTIO NONA.

Quid sit causa, quod ficus amarissimi saporis arbor, dulcissimum producit fructum.

QVAESITVM posthæc est de ficu, quenam de causa ita pinguis & dulcis fructus ex amarissima nasceretur arbore. Nam & ficus foliũ ob asperitatem thrion nominatur: & lignum succi plenum, edit crematum fumum acerrimum, & cinis ob acrimoniam summa est ad tergẽdum vi præditus. &, quod maximè mirum est, cùm floreant omnia quæ germinant fructúmque edunt, sola ficus flore caret. ac si verũ sit quod fertur ficum fulmine nunquam tangi, id ipsum quoque adscribẽdum videri potest amarori & prauæ qualitati stipitis. talia enim de cœlo non tangi videntur: sicut etiam phocæ pellis, & hyænæ. Excipiens hæc sermonem senex dicebat, dulcedine stirpis istius compressa elisáque in vnum fructum, non iniuria reliquum succũ acrem & incommodũ relinquere. Sicvt enim iecur bile in vnum locũ secreta fit dulcissimum: ita ficum, dum in fructum suum dulcedinem & pinguedinem omnem dimittit, ipsa expers fit dulcedinis.

dinis. Nam quodam bono succo arborem istam esse præditam, ex hoc signo colligerem, quòd rutam aiunt sub ficu aut propè nascentem, suauiorem fieri, & sapore mitiore: quòd quasi participet quandam eius dulcedinē, qua restinguatur nimis virosa qualitas. nisi me hercle contrà ficus alimentum ad se rapiens acrimoniam rutæ subtrahit.

QVAESTIO DECIMA.

Quinam sint, qui circa salem & cuminum dicuntur. ibidémq; cur salem Homerus diuinum dixerit.

FLorus cùm nos excepisset conuiuio, quærebat quinam essent qui in proverbio dicuntur ad salem & cuminum esse amici. Atq; hoc quidem promtè soluit Apollophanes grammaticus, dicens eo adagio notari qui ita sunt inter se familiares, vt etiam sale & cumino solis ꝓpositis vnà cœnent. Interim quæstio incidit de salis honore, cùm & Homerus disertè dicat,

Diuino sale conspersit: — & Plato lege hominum salis corpus dicat Iliad. i, 214 diis esse carissimum. auxitq; difficultatem quæstionis hoc, quòd Aegyptiorum sacerdotes castissimi cùm sint, sale in vniuersum abstinent, adeò vt pane quoq; insulso vescantur. quî enim salem sunt abominati, si diuinus est, & diis gratus? Ac Florus quidē missos facere iubebat Aegyptios, & Græcanico more aliquid de re proposita dicere. Ego autem non adversari hoc loco Græcis Aegyptios dixi. Nam castimoniæ professio etiam liberis operam dare, (aiebam,) ridere, vinum bibere, multáq; aliàs studio digna prohibet. Fortasse salibus etiam abstinent qui castitati se destinauerūt, quòd ij ob calorem ad rem incitēt veneream, vt quidam autumant. Probabile est etiam eo ab iis salem nomine repudiari, quòd sit condimentorum iucundissimum. quid enim impedit, quin salem reliquorum condimentorum condimentum esse, iisq; suauitatem conciliare dicamus. quo factum est vt Gratiarum nomen salibus imponeretur à quibusdam: videlicet sale necessitatem cibi in suauitatem convertente. Ergóne, inquit Florus, idcirco credemus salem diuinum appellari? Equidem, inquam, causa hæc non est vilissima. Etenim ab hominibus ea, quæ vulgata sunt, suisq; per totum humanum genus pervadunt vsibus, quàm maximè diuinitatis titulo dignantur: vt aquam, vt lucem, vt anni tempestates. nam terram quidem non diuinam modò, sed etiam deum arbitrantur esse. Et tamen quod ad vtilitatem attineat, nulli horum cedit sal, qui alimento in corpus recipiendo præsidium est, efficítq; vt cum appetitu sit nutrimenti cōcinnitas. Verùm enimverò id quoq; considera, an non sali id etiam diuinum contigerit, quòd cadauera putredinis secura & durabilia adseruans, aliquanto tempore morti resistit: neq; patitur id quod mortuum est, penitùs aboleri. sed quemadmodum anima, nostrarum rerum diuinissima, diffluere non sinit molem animalis, sed eam continet: ita salis natura imitatur animæ opus, dum cadauera arripiens, id quod ad interitum vergebat constringit atq; cohibet, partibus quandam inter se concinnitatem atq; amiciciam indens. Itaq; Stoicorum etiam nonnulli carnem tum demum veram aiunt esse carnem, * quando anima salis instar per eam diffusa facit vt consistat & permaneat. Neq; nescis ignem fulminis quoq; sacrū dici & diuinū: quòd corpora de cœlo tactorū per multū temporis putrefactioni resistere videmus. Quid ergò miri est, si & salem prisci diuinū suspicati sunt esse, quandò eiusdem est cum diuino igne naturæ? Vt cōticui, Philinus: An, inquit, genitabile quod sit, tibi non videtur diuinum? cum quidem deus principium sit rerum omnium. Annui. Atqui, inquit, ad generandum haud parum facere sales creditur: quò pertinet etiam facta abs te Aegyptiorum mentio. Equidem qui canibus alendis operam dant, cùm eos segniores ad coitum vidēt, salsis cibis salsamentísq; carnium excitant languentem eorum libidinem. Naues quoq; salem vehentes, incredibilem murium producunt copiam. hoc fieri dicunt nonnullis femellis citra maris coitum salem duntaxat lingentibus. est autem probabilius salsugine ad coitum mures vtrinq; stimulari. Atq; hac fortasse de causa pulcritudinem mulieris nō ociosam aut invenustam, sed gratiosam & ad permouendum aptam, salsam vocant atq; acrem. Putò etiam Venerem à poëtis è mari ortam fingi, fabulámq; de ipsa editam fuisse tanquam è salo natæ, vt sub hoc involucro salis vim genitabilem proponerent. Omnino autem marinos deos fecundos, & multorum liberorum parētes faciunt. Deniq; de terrestribus & volucribus nullum planè invenies animalibus, quod fecunditatis gratia vel cū quovis marinorum comparare liceat. Atq; huc pertinet Empedoclis versus:

Fecundos pisces inscitam ducere gentem.

PLVTARCHI Sympoſiacôn, ſeu Conviualium diſputationum, Liber ſextus.



IMOTHEVS Cononis F., Soſſi Senecio, cùm eum à ſumtuoſis abductum & militaribus cœnis Plato in Academia ſcitæ atq; ſimplici, & (vt Ion dicebat) nõ inflammatione turgenti adhibuiſſet menſæ, qualem ſomnus ſincerus & viſa ſomniis breuibus occaſionem præbentia ſequuntur, corpore tranquillitate perfuſo: poſtridie diſcrimine animadverſo dixit, Eos qui apud Platonẽ cœnaſſent, inſequenti etiam die bene habere. Magnum enim profectò ad diem ſuauiter agendum eſt adiumentum bona corporis temperies non obruti, ſed expediti, & ad omnes actiones abſq; offenſa promtè ſe dantis. Sed aliud non minus bonum obtigit iis qui apud Platonem cœnauiſſent: nimirum conſideratio eorum quæ inter pocula fuerant diſputata. Etenim voluptatum quę è cibo ac potu percipiuntur illiberalis eſt recordatio, & evanida prorſus, odoris puta aut nidoris pridiani reliquiæ. Argumenta autem quæſtionum & orationum philoſophicarum ſemper recenti memoria obverſantia, etiam eos qui non interfuerunt communicata non minùs delectant quàm qui coràm audiverunt. quando hodiéq; eruditi homines Socraticis fruunt̃ conviuiis, perinde atq; ij qui tum in cœna adfuerunt. Atqui ſi voluptatem ea præbuiſſent quæ ad corpus pertinent, oportuit Xenophontem & Platonem non dictorum, ſed in Calliæ & Agathonis ædibus appoſitorum obſoniorum, placentarum, bellariorũ deſcriptionem relinquere. Nunc hæc illi nulla dignati ſunt mentione, quanquam cum ſumtu fuiſſe apparata credendum eſt: quæ autem commentati doctè inter ſe ſunt conviuę, ea litteris mandauerunt: nobiſque exempla tradiderunt non modò colloquendi inter pocula, ſed etiam memorandi diſputata.

QVAESTIO PRIMA.

Cur ieiuni magis ſitiunt quàm eſuriunt.

SExtum ergo hunc ſympoſiacôn tibi mitto librum. In eo primùm agitur de cauſa, ob quam ieiuni magis ſitiant quàm eſuriant. Hoc enim præter rationem fieri videbatur, cùm defectus ſicci nutrimenti à ieiunio ſuam videretur naturalem expletionem potiùs deſiderare. Dixi tum ego, Eorum quæ in nobis ſunt aut ſolùm, aut maximè calorem nutrimento indigere. idq; adeò nos in eo cernere, quòd neq; aër, neque aqua, neq; terra nutrimentum requirunt, neq; conſumunt quod eis appropinquat: ſolus id ignis facit. Hinc etiam adoleſcentes ſenibus voraciores ſunt ob calorem: & cõtrà ſenes ieiunium facilimè ferunt, quòd obtuſus eorum iam & exilis eſt calor: ſicut & exſanguium animalium, quæ ob inopiam caloris minimo indigent alimento. Quin & vnumquenq; exercitationes corporis, vociferationes, & quæ alia motu calorẽ augent, ſuauiùs alacriúſq; edere cogunt. Cæterùm caloris nutrimentum, quod naturæ eius primò conveniat, arbitror eſſe humorem. quod & auctæ oleo flammæ arguunt, & cinis omnium rerum ſicciſſima, quòd combuſto humore terreſtres partes exſuccę relinquuntur. Ad hæc ignis divellit ac diſſipat corpora, eximendo iis humore quo glutinabantur & cohærebant. Ergo cùm ieiunamus, primùm è reliquiis nutrimẽti in corpore calor vi humorem eripit: deinde ipſum aggreditur natiuum carnis humorem inflammatio, ſuccum perſequens. hinc ſiccitate tanquam in luto oborta, potum magis quàm cibum corpus deſiderat: donec bibendo refectus calor & confirmatus ſolidi nutrimenti appetitionem excitet.

QVAESTIO SECVNDA.

Indigentiáne famem & ſitim efficiat, an verò meatuum figuræ mutatio.

HIs dictis, Philo medicus primã ꝑpoſitionẽ impugnauit, nõ ab indigẽtia ſitim, ſed mutatione meatuũ figuræ effici adſerẽs. Oſtẽdunt hoc, aiebat, ꝗ noctu ſitiũt: ꝗ ſi obdormiãt, abſq; potu ſiti liberant̃. et febricitãtes inclinãte morbo aut ꝓrſus decedẽte, ſimul

simul etiam sitire desinunt. multis vbi lauerunt, aut adeò vbi vomuerũt, sitis abiit. Atqui humor nulla harum rerum augetur: sed pori seu meatus duntaxat mutata figura ordinem alium affectionémque nouam præbuerunt. Manifestiùs hoc in fame apparet. Multi enim ægroti simul & indigi fiunt alimenti, & appetitione carent. nonnullorum cùm impleti sunt nihil remittunt appetitus, sed perseuerant atq; intenduntur. Iam multi eorum qui inediam tolerauerũt, oliua salsa aut cappari gustata statim refecti sunt, appetitúsq; eorũ instauratus. Quod quidẽ maximè ostendit famem nobis quadã meatuũ affectione, non indigentia accidere. cùm ista non famem excitent deminuendo nutrimento, quando ipsa quoq; nutriunt: sed salsorum ciborum cum ore ventriculi consensio in causa est, dum acrimonia sua id cogentes & stringentes, rursúmve aperientes & laxantes, cibi appetitionem efficiunt. Hæc argumenta mihi probabiliter quidem excogitata videbantur: sed adversari potissimo naturæ fini, ad quem ab appetitu vnumquodq; ducitur animal, expletionem eius quod defecit desiderante, sempérq; id quod naturæ accommodatum est persequente. Enimverò id quo maximè animal à rebus inanimatis differt, id negare ad salutem eius ac durabilitatem conducere: (quomodo ad nostri conseruationem nobis oculi cæterique sensus dati sunt) sed existimare affectionem hanc esse meatuum magnitudine ac paruitate evenientẽ: hominis est nullam naturæ rationem habentis. Deinde corpus deficiente natiuo calore horrere, non item sitire aut esurire humoris & nutrimenti naturalis inopia, est à ratione alienum. Alienius etiam istud, si vacuationem natura appetit ob abvndantiam, eam impletionem requirere non indigentia impulsam, sed alia quadam affectione. Porrò autem animalium istæ indigentiæ & repletiones, nihil ab iis quæ agricolæ faciunt habent diuersi: sed similes multæ vtrinque sunt affectiones, similia auxilia. Nam adversus siccitatem irrigatione vtimur, & adversus æstum mediocri refrigeratione; & quæ nimis algent, fouere conamur tegendo, & multa circumponendo: & quæ in nobis sita non sunt, à diis petimus, vt dent rores molles, & apricationes cum vento moderato. quia scilicet semper eius quod deficit impletione temperiem natura conseruat. Atque sic etiam nutrimentum τροφὴ videtur dictum, τὸ τηρεῖν τὴν φύσιν, quòd naturam conseruet. Conseruatur autem, plantis quidem absque sensu ex ambiente aëre, vt ait Empedocles, aquando commodum sibi alimentum haurientibus. Nos autem appetitus quærere docet & sectari quod deest nostro temperamento. Sed eorum quæ allata fuerunt singulorum falsitatem consideremus. Nam quæ aperiendi vim habent & acrimoniam, ea fortasse non appetitum, sed morsum receptantibus nutrimentum partibus inferunt, sicvt pruritus quosdam tangendo lancinatarum. Atque vt eam affectionem demus appetitiuam esse: probabile est eius modi cibis attenuata ea quæ parest excerni, fieriq; indigentiam non mutatione meatuum situs, sed iis vacuatis ac repurgatis. Acuta enim, acria, & salsa materiam comminuũt atq; differendo dissipant: vt recens exinitis succedat alimenti appetitio. Neq; in lauacro ob mutationem figuræ meatuum sitis cessat, sed carne humorem recipiente vapore ij humido implentur. Vomitus autem quod à natura alienum est eiiciens, ei fruendi accommodatis sibi facultatem conficit. Non enim abvndantem, sed naturæ convenientem humorem sitis appetit. itaq; etiam si copia alieni adsit, tamen indiget homo. nam naturæ congruenti humori impedimento est peregrinus, neque eum permisceri sinit, donec alieno eiecto, suum meatus humorem recipiant. Porrò febris humorem in profundum repellunt: mediisque inflammatis partibus omnis eò concedit, oppressúsque tenetur. itaque vsu venit multis, vt & vomant, interioribus partibus ob densitatem humida foras elidentibus: & sitiant ob indigentiam ac siccitatem reliqui corporis. Cùm ergo remisit febris, & calor è medio decessit: humor rursum dispersus redit, & pro sua natura in omnes diditus partes simul & interiora alleuat, & carnem de aspera & sicca mollem teneramque redigit: sæpe etiam sudores ciet. itaque sitim faciens inopia desinit, humore à grauata & cum ægritudine ipsum reiiciente parte in suum à quo desiderabatur locum remigrante. Sicvt enim in horto, in quo puteus aquæ ditissimus sit, tamen nemine eam hauriente & rigante, plantas sitire & alimento destitui necesse est: ita in corpore si humor omnis in vnum contrahatur locum, mirum non est indigere cætera & arere, donec is rursum diffundatur. Id quod accidit & febricitantibus morbo remittente,

& iis qui sitientes obdormiunt. nam etiam his somnus humorem è medio reductum æquabiliter in omnes partes digerit, eóq; implet. At illa meatuum figuræ mutatio, quæ famem & sitim inducat, qualis tandem est? Ego enim non invenio meatuum alias differentias, quàm secundum multitudinem, & quòd vel clauduntur vel aperiuntur. Et connitentes quidem, neq; cibum possunt neque potum admittere: aperti vacuum & spacium parant, quæ est indigentia eius quod naturæ sit familiare. Etenim, lepidum caput, stipationes eorum quæ tinguntur locum habent, cùm acribus rebus & vim detergendi habentibus supervacanea excreta & eliquata, meatibus tincturam reddunt receptu faciliorem atq; retentu, vacuum indigentia excipiente.

Qvaestio tertia.

Cur fames potu sedatur, sitis cibo sumto fit vehementior.

His dictis, qui nos inuitauerat: Mediocriter, inquit, hæc disputata sunt: sed ad aliã veniamus quæstionem, omissis in præsentia meatuum vacuationibus & repletionibus. Cur fames potu compescitur: cùm sitientes contrà si quid ederint, acriùs siti vrgeantur? Qui meatuum ratione causas reddunt, ij mihi videntur facilimè & summa cum probabilitate, vt nõ verissimè etiam, hæc explicare. Cùm enim meatuum, qui omnibus insunt corporibus, alij aliam habeãt proportionem: latiores tam siccũ quàm humidum recipiunt nutrimentum: graciliores potum admittunt, cibum non item. horum porrò evacuatio sitim, illorum famem gignit. Hinc ergo est quòd sitientes si edãt, nihil inveniunt auxilij, meatibus ob tenuitatem non capientibus siccum alimentum, & adhuc manente in iis familiaris nutrimenti indigentia. Atqui esurientes si bibant, humor per maiores penetrans meatus, & eorum vacua implens, nimiam famis placat vehementiam. Mihi verò verum videbatur esse id quod vsu venire dicebant: causam autem quæ adsignabatur non probabam. Etenim, aiebam, si quis meatibus istis, quibus nõnulli inhærent, multúmq; iis tribuunt, carnem perforatam contendat: is eam admodum flaccidam, tremulam, fluxámq; statuat necesse est. Non ab iisdem autem corporis partibus potum cibúmq; recipi, sed illum quasi percolari & diffluẽdo secerni alio, nimis quàm est fabulosum & à re alienum. Ipsa enim cum humore permixtio comminuens cibos, & auxilio vtens calido innato, atq; spiritu, subtiliùs quàm vllum possit instrumentum secando diuidendóq; nutrimentum attenuat, vt omnis eius pars omni parti corporis conveniens accommodatáq; redigatur: nõ foraminibus quibusdam aut meatibus applicata, sed vnita cum re nutrienda, eiq; adnascens. Verùm absq; etiam hæc essent, ne solutus est quidem quæstionis difficilimus nodus. Sitiens enim si edat, non etiam bibat, non modò non restinguit sitim, sed multo quàm erat acriorem reddit. De hoc nihil dictum est. Considera autem, aiebam, an nos probatas ex iis quæ apparent positiones sumamus. Primùm hoc, humorem à sicco consumi et aboleri: siccum humore imbutum & emollitum, diffundi atq; exhalare. Deinde, nõ existimandũ vel famem sicci, vel sitim humidi nutrimenti talem esse elisionem, qua ipsum planissimè tollatur: sed esse indigentiam mediocris & sufficientis. nam qui omnino horum altervtro destituuntur, ij neq; esuriunt, neq; sitiunt, sed mortem obeunt statim. His ita positis, iam non difficile est, causam invenire. Etenim sitis edendo intenditur, cibo sua siccitate humorem qui sparsim imbecillis in corpore est reliquus contrahente & omnem liquorem absumente: sicuti videmus terram & puluerẽ, & multo magis mixta humorem omnem in se recipere atq; abolere. Contrà famem necessariò mitigat potus. Humor enim ciborum reliquias aridas & exiles rigans ac diffundens, succo ingenerato & exhalationibus, eas effert in corpus, indigentibúsq; applicat partibus. Itaq; non malè Erasistratus humorem cibi vehiculum dixit. nam quæ ob siccitatem aut aliam affectionem ignaua sunt & grauia, admixtus attollit sursúmq; evehit. Multi autem etiam cùm non bibissent, sed tantùm lauissent, continente fame acrique liberati sunt. Quippe humor extrinsecus subiens, succulentiora facit adque nutriendum aptiora quæ sunt intus: ita vt vehementia & sæuicia famis remittat & mitigetur. Ideò eorum quoque, qui inedia vitam finire volunt, multi diu durant sola aqua pota: quantisper scilicet non omne id siccitas absumsit, quod apponi corpori, idque alere potest.

Quæ-

QVAESTIO QVARTA.

Quæ sit causa, quòd è puteo hausta aqua, si in ipso putei aëre pernoctet, frigidior redditur.

HOspiti frigidam bibere solenti, ac luxurianti ea in re, famuli aquam frigidiorem hoc modo redigebant: vas, quo hausta erat aqua, in puteo suspenderunt, ita vt superficiem aquæ non contingeret, itáque per noctem reliquerunt. postridiè ad cœnam allata, recenti erat frigidior. Erat autem is hospes mediocriter litteratus, aiebátque hoc se desumsisse ex Aristoteleis iis, quæ addita ratione ille scripsit. Rationem autem esse talem. Omnis aqua priùs calefacta, magis refrigeratur. vt ea quæ Imperatoribus paratur, igni admota dum ferueat, vase dehinc multa niue accumulata circumdato frigidior redditur. Sicvt etiam nostra vtique corpora vbi lauerimus, faciliùs frigescunt: quia laxatio à calore accidens corpus multis meatibus patens rarius fecit, ac rarum redegit: vt iam externum aërem confertim recipiens, vehementiùs mutetur. Ergo aqua dum è puteo hauritur icta, eáque agitatione præcalefacta, in aëre celeriùs refrigeratur. Laudauimus ergo hospitem, qui fortiter memoritérque suã dixisset causam. Ipsam verò rationem in dubium vocauimus. Aër enim in quo vas pẽdet, si frigidus est, quomodo aquam calefacit? si calidus, quî denuò refrigerat? absurdum enim est idem ab eodem affici contrariis modis, nullo interveniente discrimine. Tacente illo & hæsitante, Nihil est, inquam ego, quod de aëre dubitemus: cùm sensus eum frigidum esse doceat, maximè in profundo putei: vt nullo modo possit aquam calefacere. Sed potiùs aër iste frigidus, cùm totam putei aquam præ multitudine eius refrigerare non possit, partem eius ademtam faciliùs subigere & sua qualitate adficere valet.

Plin. 31.3. *

QVAESTIO QVINTA.

Quare lapilli & plumbeæ laminæ in aquam iniectæ, frigidiorem eam faciunt.

ENimverò de lapillis & incudibus quod dixit Aristoteles, iis iniectis aquam refrigerari & durari, puto te memoria tenere ita in problematis ab eo esse positum, vt rem tantùm narret. nos autem causam indagemus: est enim difficilis inventu. Omnino, inquam: & mirer, si nos non subterfugiet. Considerate enim. Primùm omnino nõ videtur tibi ab aëre aqua frigore præoccupari, dum is erumpit foràs. Aër autem plus habet virium, lapidibus & incudibus renitens. non enim sinunt eum vt ærea & fictilia vasa elabi: sed sua densitate cohibentes à se in aquam repellunt: vt integra fiat & valida refrigeratio. Itaque etiam hyeme fluuij frigidiores mari sunt. vim enim in eos exercet aër repressus, qui in mari ob profunditatem dissipatur, nulla re ei renitente. Alio autem pacto probabile est tenuiores aquas magis à frigido refrigerari: vincuntur enim præ imbecillitate. Cotes verò & lapilli aquam faciunt tenuiorem, ad se trahentes quidquid ei admixtum est turbidi & terrestris: vt tenuior & imbecillior facta aqua faciliùs à frigore subigatur. Sed & plumbum de natura frigidis est: vt quòd cum aceto tritum cerussam lethalium venenorum frigidissimum edat. & lapilli ob densitatem frigus in profundum perferunt. Etenim omnis lapis nihil est quàm è frigefactæ & gelu adstrictæ terræ concretum quippiam: tanto quisque magis, quanto est densior. itaque absurdum non est, si frigiditatem aquæ renitendo auget & lapis & plumbum.

* *

QVAESTIO SEXTA.

Quamobrem niuem paleis & vestibus intectam conseruant.

TVm hospes paululum moratus: Qui amant, inquit, maximè cum amasiis suis, vbi hoc non datur, de iis loqui cupiunt. Itáque ego sum erga niuem affectus. quæ quoniam in promtu non est, eáque caremus, scire desidero quid causæ sit quod à calidissimis rebus adseruatur. etenim paleis eam involuentes & rudibus pannis per multum temporis integram retinent. mirum verò si calidissima frigidissimorum tutantur atque continent naturam. Omnino, inquam, mira res est, siquidem vera sit. Sed non est ita: verùm nosmet ipsi decipimus, malè ratiocinando statim calidum esse si quid facultatem habet calefaciendi. cùm tamen videamus eandem vestem hyeme calorem, æstu frigus parare. quomodo nutrix illa tragica Niobes liberos

Calefacit & refrigerat centonibus
Leuidensis vestium.

Et Germani quidem vestibus tantùm contra frigus, Aethiopes adversus solum æstũ se muniunt: nobis ad vtrunq; vsus est. Cur ergo vestem potiùs à calefaciendo calidam dicamus, quàm à refrigerando frigidam? Immò si sensus iudicium sit faciendum, magis frigida quàm calida videbitur. Nam tunica nobis primùm induentibus frigida accidit, & lectus decumbentibus. postmodò quidem contepefaciunt nostro calore impleta isthæc: quòd simul calorem cohibent, ac frigus externúmq; aërem à corpore arcent. Febricitantes sanè & æstu adflicti, continenter vestes mutant, quòd frigidum esse sentiũt quo amiciuntur. iniectum autem id, statim calefit à corpore. Proinde sicvt vestis nos calefacta calefacit, ita niuem frigefacta frigefacit. frigescit autem à tenui spiritu quem nix emittit. is enim insitus eam continet solidam: & spiritu dilapso nix aqua iam fit ac liquata diffluit: emarcescitq; albedo niuis, quam spiritus cum humore spumosa permixtio indiderat. Simul itaq; & frigus veste ambiente intus cohibetur: & aër externus arcetur, ne concretum niuis corpus diffindat aut laxet. Vtuntur autem fullonem nondum expertis pannis, quia filum ob asperitatem & siccitatem non patitur centonem grauiter niui incidere, eiúsve collidere raritatem. sicvt & paleæ ob leuitatem molliter incumbentes non comminuunt compagem niuis: alioqui autem densæ & probè tegentes, excludunt calorem aëris, & frigiditatem niuis decedere nõ sinunt paleæ. Cæterùm secretione spiritus niuem liquari, sensu constat. nam cùm nix liquescit, spiritum gignit.

QVAESTIO SEPTIMA.

Percolandúmne sit vinum.

NIGER ciuis noster à schola venerat, cum philosopho nobili non multum versa- * tus temporis, sed tantum, vt ex eo non obseruante disceret quod maximè is molestum aliis vsurpabat: nempe vt studium eius omnia reprehendendi, & quavis de re eos qui vnà aderant suggillandi imitaretur. Itaq; cùm Aristio nobis cœnam præberet, non contentus apparatum conviuij reliquum vt sumtuosum & supervacaneum taxare, vinum quoq; aiebat non debere inferri colatum, sed præcepto Hesiodi obtemperantes è dolio id bibere viribus adhuc innatis præditum. hanc verò colandi purgationem primùm ei neruos præcidere, & calorem restinguere, qui exhalet & elanguescat vino sæpiùs diffuso. deinde in hac re apparere curiositatem quandam & luxuriã, quæ id quod vtile est in suauitatem impendat. Sicvt enim gallinaceos gallos & porcos castrare, vt caro eorum contra naturam fiat tenella & feminea, non sit sanorum hominũ, sed gulę studio perditorum: ita (si licet honesta translatione vti) merum vnguibus despoliant (aiebat) et effeminant qui id diffundunt per colum. cùm neq; ferre merum ob imbecillitatem possint, neq; eos intemperantia moderatè bibere sinat. Itaq; hoc commento vtuntur, quo largiùs potandi studium excusent. Ergo adimũt vino vim suam, ipsum tamen relinquentes: quomodo iis qui ad frigidam bibendã temperamẽto sunt parum commodo, exhibere decoctam solemus. Etenim aciem vini robúrq;, in percolando tollunt atq; excernunt. Magnum verò argumentum est vinum corrumpi, neq; vigorem eius durare, sed emarcescere, quòd velvti à radice sua à fæce abscinditur. At Hom.in Apoll. enim veteres vinum disertè fæcis vocabulo adfecerunt: quomodo hominem solemus capitis aut animæ nomine adficere, à principe parte deminuto vsi vocabulo: & trygân, hoc est fæcare dicimus vindemitores, ac vinum diatrygium, quasi perfæcatum, Odyss.α,341. dixit alicvbi Homerus. solétq; vinum passim æthopa & rubrum dicere: non pallidum & luteum, quale nobis Aristio à multa purgatione præbet. Tum ridens Aristio: Non, inquit, pallens mi homo, neque exsangue: sed quod primo statim adspectu mite se & mansuetum esse profiteatur. Tu verò malles Baccho repleri nocturno, & nigros tur- * bines concitante: vituperásq; purgationem. Atqui hæc tanquam bile vomitu egesta, quod mero inest graue, ebrietatem, ac morbos generans aufert, facítq; vt à nobis facil- Iliad.α,461. le placidúmq; vsurpetur. Ac tale vinum Homerus æthops vocat, aitq; potũ heroibus Iliad.λ,16. fuisse: non vtiq; caliginosum, sed splendidum ac pellucidum. neq; enim euenor (id est Odyss.δ,622. viris conducens) & æthops, quod est clarum, quæ de vino dixit, etiam æri adiecisset nomina, quod aliàs norops, quasi præfulgidum, appellat. Sicvt ergo Anacharsis ille sapiens alia Græcorum instituta reprehendens prunas laudauit, quòd fumo excluso domi

domi ignem portarent: ita nos à ſapientibus vobis aliàs fortaſſe accuſari poterimus: in hoc autem quid tandem delinquimus, quòd meri facultatem turbulentam eiicientes atque diſſipantes, ipſum interim hilaritate quadam, non fucato ornatu gratius reddentes, neque aciem tanquam ferri eius & vim retundentes, ſed quaſi ſordes quaſdam & rubiginem expurgantes, adhibemus menſis? Atqui, inquies, non colatum merum plus habet virium. Nimirum, mi homo, etiam furioſus & inſaniens homo plus roboris habet. verùm is vbi elleboro aut victus commoda vſus ratione ad ſe rediit, tunc vehementia illa & virium contentio diſcedit atque evaneſcit: verus autem vigor cum ſanitate mentis coniunctorum corpori redit. quo videlicet pacto etiam vini purgatio demta ea vi qua animum percellit & ad inſaniam impellit, habitum ei mitem & ſalubrem conciliat. Exiſtimo autem permultum intereſſe inter ſupervacaneum cultum & munditiem. Nam mulieres fuco, vnguentis, auro, purpuráque dum vtuntur, curioſè & impenſiùs quàm par eſt ornatui indulgere videntur. lauacro eas vti, oleo invngi, comam componere, nemo prohibet. Venuſtè diſcrimen hoc Homerus expreſſit, vbi Iunonem ſe ornantem facit.

Principio ambroſia ſordes de corpore diuo Iliad. ξ,170.
Eluit, & liquido mundum perfudit oliuo.

hactenus induſtria & mundicies eſt. cùm autem aureas fibulas ſumit, & arte elaboratas inaures, tandémque ad ceſti preſtigias ſe confert: hoc iam ocioſa & ſupervacanea eſt curioſitas, matronámque dedecens procacitas. Proinde etiam qui vinum aloë aut cinnamomo vel croco inficiunt, ij quaſi mulierem comtam curioſè in conviuia adducũt & proſtituunt. qui autem quod vino ineſt ſordidum & invtile adimunt, ij purgant illud atque ſua opera commodius reddunt. Alioqui curioſitati ocioſæ omnia imputabis, orſus ab ipſa domo. Cur, inquies, ita eſt incruſtata? cur adverſus aërem purum maximè aperta? cur patet lumini verſus occaſum ſolis aditus? cur poculorum vnum quodque detritum terſúmque fulget atque ſplendet? An verò, inquam, poculum ſordidum eſſe, vel prauum edere odorem non debet: quod ex eo bibitur, ſordibus debet & immundicie plenum eſſe? Et quorſum attinet reliqua referre? Ipſa tritici elaboratio dum panis ex eo conficiatur, quæ nihil aliud quàm purgatio eſt, vides quantum requirat negocij. non enim modò aluei, cola, concuſſiones, ſecretiones ad pinſendum adhibentur frumentum & farinas: ſed & contritio quæ è paſta aſperitatem elidat, expurgatámque materiã ita cogat, vt eſui cocta eſſe poſſit. Quid ergo abſurdi habet res, quòd vini etiam fœculentas partes, aceris aut furfuris in morẽ, colando expurgamus? præſertim cùm ſine ſumtu id fiat, ſine labore.

QVAESTIO OCTAVA.

Quæ ſit cauſa bulimi.

A MAIORIBVS noſtris ad nos propagatũ eſt quoddã ſacrificium, quod archon (qui magiſtratum præcipuum gerit) in publico, reliquorum quivis domi ſuæ peragit. vocatur autem bulimi expulſio: & ſeruorum aliquem viticeis verberantes ferulis per fores eiiciunt, additis his verbis: Foras bulimum, intrò diuitias & ſanitatem. Me archonte complures ſacrificio ſe adiunxerunt. Ritè omnibus peractis cùm rurſus diſcubuiſſemus, quæri ceptum eſt primùm de ipſo bulimi vocabulo, deinde quid verba ſibi vellent quæ recitantur dum ſeruus exturbatur, maximè autem de ipſa affectione & eius circumſtantiis. Videbatur ergo bulimus famem (is eſt limos Græcis) ingentem aut publicã notare: maximè apud nos, qui Aeolica dialecto P pro B vſurpamus. non enim bulimum antiquitus, ſed pulimum quaſi polylimum, id eſt famem multam, appellamus. Sentiebamus autem à bubroſti diuerſum eſſe: argumento repetito ex Ionicis Metrodori. Iliad. ω,532. Narrat enim is Smyrnæos antiquitus Aeolenſes ſacrificare Bubroſti taurum nigrum, conciſúmque in fruſta vnà cum ipſa pelle igni totum cremare. Iam cùm omnis fames morbo ſimilis ſit, maximè autem bulimus accidat adfecto contra naturam corpore, rectè opponi ei vt indigentiæ diuitias, vt morbo ſanitatem. Sicvt verò nauſeare dicti ſunt primùm quibus in naui ac inter nauigandum ſtomachus langueret: deinde conſuetudo obtinuit, vt vox ea quocunque modo ſic affectis triburetur. ita bulimus quoque inde ortus, in reliqua pervaſit. Atque hæc quidem ex

omnium sermonibus tanquam symbola collecta fuerunt. Vt verò attigimus quæstionem de causa bulimi: id primùm dubios nos tenuit, cur maximè bulimus incesseret per altam niuem ambulantes. Brutus quidem in discrimen vitæ adductus bulimo fuit, cùm Dyrrhachio Apolloniam proficisceretur per niuem copiosam, & eorũ qui cibos gestabant nemo ipsum consequeretur. ibi cùm iam animo deficeret ac consideret, coacti sunt milites ad muros accurrere, & ab hostibus excubitoribus panem flagitare: quo statim accepto, Brutum recreauerunt. isque vrbe potitus, humanissimè vniuersos tractauit. Accidit bulim9 equis etiã atq; asinis, maximè cùm caricas aut mala gestant. & q̃d maximè mirum est, de omnibus quæ esui sunt, apprimè panis reficit non homines modò, sed iumenta quoque: vt vel minimo panis frustulo vescendo confirmẽtur atque progrediantur. Facto silentio, ego (qui animadverterem antiquiorum argumentis propositis ignauos & ingenio minùs acri præditos exsaturari & acquiescere: alacrioribus autem & solertibus principium offerri commodum audendi aliquid pro sese in quærenda & investiganda veritate.) Aristotelis sententiam commemoraui: qui docet foris magno circumfuso & efficaci frigore corpori interna vehementer incalescere, magnámque ita colliquationem effici. quæ si ad crura defluat, lassitudines gignat ac grauitates: sin ad principia motus & respirationis, exanimationes & imbellicitatem. Hæc ego cùm dixissem, aliíque impugnarent rationem hanc, alij defenderent: Soclarus, Initium (inquit) huius argumenti optimè habet. Nam per niuẽ ambulantiũ corpora admodũ circùm refrigerari & densari, verũ est. A calore * autem fieri colliquationem quæ principium respirationis invadat, non arbitror. Mihi potiùs videtur calor intrò compulsus & abvndans intus consumere nutrimentum, eóque deficiente ipse quoque ignis instar exstingui. Itaq; bulimo correpti cùm vehementer esuriunt, tum admodum exiguo cibo sumto reficiuntur: quòd cibus ingestus quasi fomes est iterum exsuscitando calori. Cleomenes verò medicus in vocabulum bulimi limon, q̃ fames significat, abs re insertũ fuisse aiebat: vt pinεn bibere in Katapinεn quod est deglutire, & in anakyptεn sursum respicere, Kyptεn quod deorsum intueri est. Neq; enim est aiebat, vt putat, bulimia famis species, sed adfectio stomachi ob cõcursum * deliquium animi faciens. Sicvt itaq; odorata remedio sunt exanimationibus, ita panis reficit bulimia tentatos. non quòd cibo indigeat, (nam minimo eo sumto recreantur) sed quòd panis spiritum vímque languentem revocat. Esse autem non famem sed exanimationem bulimum, iumenta docent, quæ odore caricarum & malorũ sic adficiuntur. non enim indigẽtiam odor, sed morsum quendam in ore ventriculi exagitationémq; eius efficit. Nos vt hæc tolerari, ita sentiebamus probabiliter à cõtrario principio aliquas posse ratiocinari, nõ densari in bulimo, sed rarescere stomachũ ponẽtes. Etenim spiritus qui à niue defert, est quasi ęther istius cõcretę substãtiæ & ramentum tenuissimarum partium, & vi præditum secandi diuidendíque non carnem modò, sed argentea etiam atque ærea vasa. videmus enim hæc niuem non continere: quippe exspirando ea consumitur, exteriorémque vasis superficiem humore opplet tenui ac glaciei simili, quem spiritus relinquit per meatus occultè exiens. Is ergo niueus spiritus per niuem ambulantibus acutus & flammæ in morem incidens, extrema vrere videtur secando, & penetrare carnem ignis instar. Inde corpus maiorem in modum rarescit, calórque foras fluens à frigore spiritus superficiem ambientis restinguitur. itaque roridum sudorem corpus evaporat ac tenuem, liquatúrque, & simul vires consumuntur. Quòd si quis tum quiescat, non multum caloris è corpore dilabitur. Cùm verò motus corporis nutrimentum celeriter calefacit, & calor forás se proripit, carne laxata: necesse est magnum virium fieri defectum. Cæterùm frigus non densandi modò, sed etiam liquandi corpora vim habere, constat. Acribus enim hyemibus cotes plumbeæ liquantur * est cùm desudatione *

Et quòd multis non esurientibus accidit bulimia, ostendit fluxum magis quàm densationem corporis. Rarescunt autem hyeme, ob quam diximus tenuitatem: alioqui etiam lassitudine & motu calorẽ in corpore situm acuente: qui attenuatus & fatigatus copiosè fluit & disseminat per corpus. Mala deniq; & caricas probabile est tale aliquid exhalare, quo iumentorũ attenuetur calor & in partes minimas dissipetur. alia enim aliis vt reficiuntur naturali ratione, ita etiam læduntur.

Bruti casus.

Quæ-

QVAESTIO NONA.

Cur poeta reliquis liquoribus peculiares adiiciens appellationes, oleum duntaxat humidum dixerit.

DISPVTATVM aliquando fuit, cur cùm multi sint liquores, & poeta solitus sit singulos suis ornare epithetis, lac album, mel flauum, vinum rubrũ nominãs: oleo tamen ab eo tantùm, quod ei cum omnibus liquoribus est commune, humidi appellationem adiunxerit. (Odyss. ζ,79.) Ad hoc dictum fuit, Sicvt dulcissimum est quod penitus & omnibus suis partibus dulce est, albissimum, quod penitus album: (penitus sic intelligo, vt nihil ei contrariæ naturæ sit admixtum) ita id quoque maximè humidum dici debere, cuius nulla pars sicca sit. Hoc autem oleo congruit. Primùm enim læuitas eius æquabilitatem partium demonstrat: cùm contactu omnes eodem modo affectæ deprǽhendantur. Deinde tanquam speculum intuentis faciem optimè repræsentat. nihil enim ei asperum inest, quo resplendescentia divelli posset: sed ab omni parte ob * humiditatem etiam minimum quodq; lumen ad oculos reflectitur. sicvt contrà lac solum ex omnibus liquoribus speculi munere non fungitur, quòd ei multũ terrei est admixtum. Porrò oleum in motu minus quàm vllus alius liquor strepitum edit. est enim penitus humidum. reliquorum humorum dum fluunt & mouentur duræ & terrenæ partes impingunt atque relliduntur, eòque strepitum edunt ob asperitatem. Quin etiam solum oleum non permiscetur aliis. Est enim densissimum, neque habet inter siccas & terrestres in seipso partes spacia aut meatus quibus recipiat id quod incidat, simul etiam ob partium similitudinem inconcinnum aliis, & continuum ipsum est. Et cùm spumat oleum, spiritum non admittit ob continuitatem & tenuitatem. Hæc etiam causa est cur ignis oleo alatur. Nulla enim quàm humida re ignis nutritur, idque solum ardet, quod humidum est. Nam igni incenso aër in fumum abit, terrena in cinerem versa relinquuntur: solum humorem ignis depascitur, eòque secundum sui naturam alitur. Aqua sanè, vinum, aliique liquores multum turbidi admixtum, multum terrei habentes, flammam illapsu suo divellunt, asperitatéque sua & pondere opprimunt atque restinguunt. oleum, quia sincerè humidum est, ob tenuitatem mutatur, & ab igni superatum ardet. Maximum humiditatis argumentum est, quòd minima quantitate latissimè diffunditur. non enim mellis, non aquæ, non alius vllius liquoris tam exigua gutta tam latè se profert: sed plerunque ob siccitatem maturè absumitur. Oleum, quia vsquequaque duci potest, ac molle est, corpori vngendo obducitur, & quàm longissimè defluit, membráque sua humiditate imitatur, iisque ita adhærescit vt non facilè evanescat. Vestem aqua madefactam videmus mox resiccari. olei autem maculas eluere non est vulgaris laboris. maximè enim penetrat, quia tenuissimum est & humidissimum. quando vinum quoque dilutum Aristoteles ait difficiliùs elui è vestibus: quòd magis tenue factum, faciliùs in meatus subeat.

QVAESTIO DECIMA.

Quæ causa sit, quòd mactatæ carnes si de ficu suspendantur, mox tenerescunt.

INTER cœnandum laudabatur Aristionis cocus, quòd cùm alia obsonia eleganter parauisset, tum recens iugulatum Herculi gallum apposuisset ita tenerum, cùm tamen recens adhuc esset & pridie vixisset. Hæc cùm Aristio dixisset, celeriter hoc effici, si mactatum animal illicò de ficu suspenderetur: causam huius rei quærebamus. Equidem spiritum validum & vehementem à ficu exhalare, cùm visus planè testatur, tum id quod de tauris fertur: scilicet ficui alligatum taurum etiam ferocissimum, quiescere, tactúmque admittere, & omnino ferociam quasi elanguescentem deponere. In acrimoniam tamen arboris maior pars causæ collata est. Est enim arbor hæc omnium plantarum succi plenissima, quo & ficus ipsa, & lignum, & cortex plenus * est. Itaque ficulnum lignum crematum fumo maximè mordet: & combvsti cinis lixiuium præbet summa tergendi vi præditum. Hæc verò omnia sunt caloris. Iam quòd succus eius lac coagulat iniectus, sunt qui dicant non fieri inæqualitate figurarum lactis quæ ab eo apprǽhendantur & conglutinentur elisis in superficiem læuibus ac rotundis: sed quòd ob calorem eliquet humoris instabiles & aquosas partes. Argu-

mento etiam est id, quòd invtilis succi dulcedo sit, quia potum facit pessimum. Non enim læue ab inæqualibus, sed frigidum & crudum à calore sistitur. & ad hoc sales faciunt, vtpote calidi: repugnant autem isti appræhensioni & glutinationi, cùm maximè natura iis vim dissoluendi dederit. Spiritum igitur calidum, acrem, incidendique vi præditum ficus emittit, iisque incidit & concoquit carnem auis. Idem fit si frumenti aceruo imponatur, aut iuxta nitrum: calore id efficiente. Esse autem triticum calidum colligunt ex amphoris, quibus in tritico positis vinum celeriter consumitur.

PLVTARCHI

Symposiacorum, seu Conviualium disputationum, Liber septimus.



SCITI hominis atque humani dictum, Sossi Senecio, in ore habent Romani, quisquis ille fuit: qui cùm aliquando solus cœnasset, Se edisse isto die, non cœnauisse pronunciauit. nimirum cœnam semper indigere communitate quadam & amicicia quæ ei suauitatem pararet sentiens. Euenus quidem ignem condimentorum suauissimum dixit. salem Homerus diuinum, plerique Gratias appellant, quòd plurimis rebus admixtus gustui eas commodas, gratiosasque & iucundas reddat. Cœnæ autem & mensæ condimentum revera diuinissimum est amicus præsens, familiarisve aut notus homo. non quòd vnà edit & bibit, sed propter communicationem colloquij: modò aliquod sit in vltrò citròque dictis operæprecium. multis enim inanis inter pocula loquacitas prauos animi motus iniicit atque pervertit. Itaque in rem est non minus sermones quàm amicos probare, quos ad cœnam adhibeas. Estq; hæc aliter sentiendum ac pronunciandum, quàm Lacedæmoniis placuit. Ii enim si adolescentem aut hospitem in Phiditia accepissent, foribus commonstratis, Hâc, aiebant, nullus egreditur sermo. Nos si nosmet condocefecerimus ad rectè loquendum, licebit nostros sermones omnes apud quosvis homines efferre: quòd eorum argumenta nihil habent impudicum, nihil maledicum, nihil malignum, nihil illiberale. Idq; iudicari potest ex hisce exemplis, quorum hic liber decuriam septimam continet.

Iliad. ι, 214.

QVAESTIO PRIMA.

Timæo.

Ad eos, qui Platonem repræhendunt, quòd potum deferri per pulmonem dixerit.

AESTIVO tempore quidam vnà bibentium versiculum illum qui omnibus in ore est fortè protulit:

Pulmones madefac, astrum etenim nunc oritur, mero.

Tum Nicias Nicopolita medicus: Mirum non est, inquit, ab Alcæo homine poëticæ dedito ignoratum fuisse, quod etiam Platonem fefellerit. Quanquam Alcæus quidem defendi vtcunque potest. nam probabile est pulmonem stomacho vicinum liquore etiam frui, eòque rigari. Plato autem ita disertè scribens potum per pulmonem transire, etiam iis qui ad defendendum ipsum animo sunt promtissimo, nullam verisimilis rationis occasionem reliquit. Error enim magnus est. Primùm quia necesse est humidum nutrimentum cum sicco permisceri, probabile est ambobus commune vas subiici stomachum, qui cibum mollem & madefactum in ventrem didat inferiorem. Deinde cùm pulmo vndiquaque læuis sit & densus, quomodo farina cum potione hausta exibit, & non in eo retinebitur? nam & hoc vnum est de iis, quæ adversus Platonem Erasistratus rectè obiecit. Iam cùm in plerisque partibus corporis finis & vsus consideretur à philosopho, ad quem à natura sit factum vnumquodque: etiam lingulæ, quæ epiglottis dicitur, perpendenda fuit vtilitas. Non enim supervacanea est: sed eò collocata, vt interim dum deglutitur alimentum, asperam arteriam constringens obstet, ne quid omnino in pulmonem incidat. nam si quid illabatur, id tussi vehementem facit asperitatem & lancinationem. Proinde epiglottis ianuæ instar intergerinæ in vtranque partem inclinari se sinens, loquentibus nobis stomacho incidit,

incidit, edentibus aut bibentibus arteriæ, mundum spiritui cursum respirationémque seruans. Porrò qui sensim bibunt, eorum scimus humidiores esse ventres quàm qui confertim humorem hauriunt. his enim potus rectà in vesicam impetu transit: apud illos diutiùs inhæret cibus, eósque emollit, vt permisceatur & maneat. quod neutiquam eveniret, si humor statim inter hauriendum secerneretur. Sed nos complectimur, simúlque cum cibo eum in ventrem demittimus: &, vt Erasistratus dixit, liquore tanquam vehiculo sicci nutrimenti vtimur. Hæc Nicia locuto, Protogenes grammaticus: omnium, ait, primus Homerus animadvertit cibi vas esse stomachum, potus autem asperam arteriam, quæ bronchus, & antiquis aspharagus dicitur, vnde & vocalibus hominibus erispharagorum appellatio obtigit. Nam cùm dixisset quomodò Hectoris Achilles hasta petierit

Fauces, accelerant vbi valdè vulnera mortem: Iliad. χ, 325.

addit,

Non tamen aspharagum simul abscidit, ——

canalem nimirum spiritus *

Sub hæc orto silentio Florus: itáne, inquit, Platonem deserto vadimonio reum peragi sinemus? Nequaquam verò, inquam ego: ne damnari vnà cum Platone sinamus Homerum. Hic enim tantum abest vt humorem ab arteria avertat, vt cibum quoque etiam vnà iniiciat.

Ille eructauit per fauces frusta cruentò Odyss. ι, 373.
Mixta mero, ——

nisi vel hoc dicere quis sustineat, Cyclopi vt oculum, ita etiam meatum nutrimenti fuisse vnicum: aut faucium vocabulum, quæ est pharynx Homeri, omnibus & priscis & recentioribus pro arteria accipientibus, nos ad stomachum detorquebimus. Atq; hæc nō inopia testium, sed veritatis studio adduxi impulsus. Etenim testes Plato cùm multos, tum præclaros habet. Omittè enim si lubet Eupolin, qui in Colacibus seu Parasitis ita dixit:

Potare iussit Protagoras, vt Sirij
Pulmonem habeat sub ortum ardentis humidum.

omitte etiam elegantem Eratosthenem, qui scripsit,

Dulci pulmones irriguúsq; mero.

Euripides quidem liquidò ostendit se acutiùs nonnihil Erasistrato vidisse, his verbis,

Vinum canales per pulmonis transiens.

Vidit nimirum pulmonem cauernas habere, & pertusum esse meatibus, per quos humor permeet. Non enim spiritus opus habuit meatibus quibus educeretur: sed propter humorem & quæ vnà cum eo illabuntur, coli instar foraminibus multis est apertus pulmo. Neq; minùs, mi homo, pulmoni convenit quàm stomacho, vnà eiicere polentam aut farinam. Non enim stomachus noster est, vt quidam opinantur, læuis & lubricus: sed asperitates habet, quibus probabile est cùm incidunt tenuia & exilia, adhærescere ea, & non deglutiri. Sed neq; hoc dici, neq; illud commodè potest. Nullis enim verbis exprimi potest naturæ in obeundis actionibus suis industria. neq; dicendo dignè explicari potest eius instrumentorum solertia, spiritus inquam & caloris. Porrò autem testem Platoni cito Philistionem Locrensem, pervetustum hominē, qui vestra arte magnam sibi gloriam parauit: atq; Dioxippum. ij enim non aliam viam ab ore enarrant, quàm quæ est à Platone indicata. Neq; verò illam tanto honore dignatam epiglottidem ignorauit Dioxippus. sed ad eam ait humorem in deglutiendo secerni, in arteriámq; delabi, devoluente se in stomachum cibo. & in arteriam sanè esculentorum nihil incidere: stomachum vnà cum sicco nutrimento etiam aliquam humidi partem admixtam excipere. Est verò hoc probabile. Nam epiglottidem ait arteriæ præpositam esse velvti sepimentum & penu, vt sensim paulatimq; potum percolet, ne subitò confertímve infusus spiritum opprimat aūt turbet. Itaq; etiam aues carent epiglottide. non enim hauriunt aut lambunt potum, sed rostris immersis paulatim eum in arteriam dimittūt atq; sic eam rigant. Enimverò testiū satis est. Platonis dicto primùm ipse fidem conciliat sensus. nam arteria vulnerata non deglutitur humor, sed velvti canali rupto foràs erumpere, & tanquā per fistulam prosilire cernitur: quātumvis integro interim illæsóq; stomacho. Id quoq; omnes nouimus, affectionibus

circa pulmonem comitari ardentissimam sitim, ob siccitatem aut calorē aliámve causam vnà cum inflammatione appetitum ingenerantem. Evidentius etiam hoc est indicium, quòd animalia vel nullum vel admodum paruum habentia pulmonē, omnino potu non indigent, neq; eum expetunt. eò quòd certis partibus innata est humiditatis appetentia, quæ verò partibus iis carent, neq; vsus eius est, neq; cupido. Deniq; videbitur vesica frustra esse data. Nam si stomachus vnà cum cibo potum excipit, inq; ventrem demittit: nullo peculiari opus erit meatu alimento sicco, sufficietq; vnus cōmunis ambobus per idem foramen eandem in sentinam convectis. Nunc seorsim vesica est, seorsim intestina: quòd nutrimentorum alterum à pulmone, alterum à stomacho pergit, ipsa in deglutitione seiunctorum. Inde est, quod in excremēto humido nihil visitur sicci simile vel colore vel odore. atqui natura ferebat, vt si in ventre cum eo commisceretur, qualitatibus etiam eius imbueretur, neq; purum & incontaminatum secerneretur. Sed ne lapis quidem vnquam in ventriculo concreuit. at verò rationi erat consentaneum, non minùs ibi quàm in vesica humorem cogi ac concrescere, si omnis potus per stomachum eò ferretur. Enimverò apparet stomachum de humore per arteriam præterlabente statim attrahere, quantum sufficit ad mediocriter emolliendum, inq; succum convertendum nutrimentum. itaq; nullum humidū is recrementum facit. pulmones autem, quando è potu spiritum & humorem quibus debuit partibus distribuerunt, reliquum in vesicam excernere. Hæc certè multo sunt illis probabiliora. Veritas ipsa in talibus rebus fortassis cōprahendi non potest. neq; decuit tam contumaciter impetere philosophorum gloria & facultate principem, Platonicorum in scriptorum relectione, ob rem obscuram, tótq; disputationibus expositam.

QVAESTIO SECVNDA.

Quid sit apud Platonem Kerasbolos, & cur semina quæ in boum incidêre cornua, incoctibilia & dura fiant.

SEMPER quærendi materiam præbuerunt Kerasbolus & Ateramon. non quid significarent, (liquet enim ea semina quę in boum cornua inciderunt, fructum edere durum & incoctum creditum fuisse: atq; inde vocabulo translato hominem præfractum atq; contumacem ateramona & Kerasbolon dictum.) sed de ipsa causa dubitatum fuit, cur hoc seminibus in boum cornua incidentibus accideret. Ego sæpe denegaui amicis causę inventionem: maximè quòd eam inveniri non posse Theophrastus innuisset, cùm multis collectis, quorum nos causæ fugerent, invenirìq; non possent, (quod genus sunt quòd gallina postquam ouum edidit, festuca adhibita sese lustrat: quòd vitulus marinus coagulum suum deglutit: ceruus cornu suum defodit: eryngium, si vna caprarum id in os sumat, vniuersum gregem sistit.) etiā illam de Kerasbolo adiunxisset quęstionem: vbi res quidem creditur, sed causa aut neutiquam potest, aut difficilimè inveniri. At enim Delphis in cœna sodalium quidam me compellarunt: dicentes non modò

Consilium melius iam repleta incidêre aluo,

sed etiam ad respōdendum de propositis quæstionibus à vino nos reddi multo quàm aliàs alacriores & audaciores: ideóq; poscentes vt de proposita re aliquid pronunciarem. Ego cùm id denegarem, adstipulatores habui non viles, Euthydemum sacerdotij collegam mihi, & Patroclem adfinem: qui non pauca id genus ex agricultura & venatione proferebant. quale est quòd grando ab iis qui ei obseruādæ sunt præfecti sanguine talpæ, vel centonibus muliebribus avertitur. quòd fructus caprifici syluestris alligatus hortensi ficui, non sinit fructum huius defluere, sed cōtinet atq; vnà maturat. quòd ceruas, vbi capiuntur, salsam lacrymam, apros dulcē emittere est depræhensum. De quibus si inquisitionem suscipias, illicò Euthydemus abs te postulabit rationē de apio & cumino. quorum illud inter germinandum si calcetur & conteratur, aiunt melius augescere: hoc si serant diris imprecationibus & cōviciis adhibitis. Hæc cùm Florus risum iocúmq; putaret, de istis autem non debere causæ tanquam incompręhensibilis investigationem omitti: reperi, inquam, medicamentum, quo vsus hunc adducas vt adversus nos dicat: vt tu quoq; soluas quædam propositorum. Videtur mihi frigus istam indomitam rigiditatem (quod est ateramon) tritico & leguminibus ingenerare, comprimens & cogens habitum vsq; ad duriciem. calor autem dissolubiles res, mollésq; redigit. Itaq; non rectè contra Homerum hoc à quibusdam dicitur,

non

—— non tellus fruges, sed suggerit annus.

Nam quæ loca calorem habent natura insitum, temperiem aëre mitem præbẽte, molliores efferunt fruges. Ergo quæ à manu statim in terram perveniunt semina, ea penetrantia fouentur, ac magis dum occultantur, calore ac humore terræ fruuntur. Quæ verò in boum impingunt cornua, ea non potiuntur illa, quam Hesiodus optimam vocat, positus commoditate: sed delabentia & loco suo aberrantia, iactata magis quàm sata videntur. proinde aut frigoribus planè corrumpuntur, aut his eorum in nudas incidentibus tunicas rigida, exsucca, & lignosa reddũtur. Vides nimirum lapidum quoque & lignorum partes terra contentas atque stirpes molliores iis conseruari à tepiditate soli, quàm sint quæ eminent. itaque etiam fabri lapides operi habiles defodiunt sub terram, tanquam maturandos & coquendos à calore: qui sub dio nudique iacent, frigore rigidi & intractabiles rediguntur, operisque resistunt. Fructus quoque etiam si in area maneant diutius sub dio & nudi, magis ferunt dirigescere, quàm qui statim conduntur. sæpenumerò etiam ventus ventilantibus superveniens, frigore suo fruges præduras efficit. quod Philippis Macedonica vrbe aiunt evenisse. reconditis palea opitulatur. Mirari autem non debemus, si audiamus agricolas narrare, de duobus contiguis sulcis alterum incoctibilem fructum ferre. & quod maximum est fabarum alias alium gignere satu suo fetum. nimirum quòd aliis plus, aliis minus spiritus frigidi vel aquæ incidit. Oper.469.

QVAESTIO TERTIA.

Cur vini medium, olei summum, mellis imum sit optimum.

DERIDEBAT socer noster Alexion Hesiodum, qui è summo & imo dolio iuberet vinum bibere, medio parcere, quòd ibi vinum esset optimum. Quis enim ignorat, aiebat, vini medium, olei summum, mellis infimum, esse optimum? at Hesiodus nos vult omisso quod in dolij medio est vino exspectare donec dolio deficiẽte vinum deterius fiat. His dictis valere iusso Hesiodo se cõtulerunt ad causam diuersitatis inquirẽdam. Ac de melle quidem ratio non multum nobis exhibuit negocij: cùm nemo ferè nesciat id quod leuissimum est, ob raritatem esse leuissimum, densa ob grauitatem subsidere. atque etiam si vas subvertas, tamen rursum exiguo tempore vtrunque suum locum occupauerit, graui se demergente, leui ad superficiem efferẽte. Ne de vino quidem probabilia defuerunt argumenta. Primùm vis eius calor cùm sit, consentaneum est eum maximè in medium conduci, idque ibi optimum conseruare. deinde quod in fundo est, fæce vitiari: quod in summo, ab aëre vicino corrumpi. Nam nouimus ab aëre vinum lædi: ideóque dolia defodere aut integere solemus, vt quàm minimum aëris ea tangat. & quod maximum habet momentum, aër non ita facilè nocet pleno vase vino, vt aliquantum vacuato. nam in exhausti locum aër confertim subiens, maiorem infert mutationem. in plenis doliis vinum ipsum sese sustentat, non multũ extrinsecus admittens, vnde vitiari possit. De oleo non vilis incidit disputatio. Quidã imum olei dicebat esse deterrimũ, quia id amurca conturbetur: neq; ideò summum esse optimũ, verùm ideò videri, quia ab eo quod ei officit longissimè absit. Alius densitatem causabatur, ob quã nulla cum re permiscetur, neq; vllum alium humorẽ in se admittit, nisi violentia & ictu diffindatur. vnde fit, vt aërem quoq; non recipiat, sed eũ tenuitate atq; cõtinẽtia suarũ partium à se repellat, neq; ab eo, vtpote non prævalente, corrũpatur. Huic rationi Aristoteles videbatur repugnare, qui (vt ait) obseruauisset oleum quod in recõditis est vasis, odoratius fieri, & omnino melius. deinde aëri causam, quòd reddatur melius, adscribit. est enim largior, magísq; prevalet, si subeat in vas nõ repletũ. Quid verò, inquam ego, si aër eadem vi & prodest oleo, & obest vino. Etenim vetustas vino conducit, oleo nocet. aër vtriq; accidẽs, aufert. Nam humorẽ refrigeratũ digerit. oleũ aũt ob continuitatẽ exspiratione carens, facilè veterascit. * dictum probabiliter. quia in superficie accidens aër, recẽtia facit. itaq; vini summum est vilissimum, olei optimum. nam ætas oleum pessimè, vinum optimè adficit.

Oper.368. Mel. Vinum. Oleum.

QVAESTIO QVARTA.

Cur veteribus Romanis mos fuerit, nunquam omnino inanem mensam tollendo facere, neque lucernam vnquam exstingui sinere.

FLORVS Philarchus nunquã ita sinebat planè mẽsam tolli, vt non aliquid cibi in ea relinqueretur, aiebátq; sibi probè compertũ, nõ hoc modò patrẽ auúmq; ipsius

studiosè curasse, sed ne lucernam quidem passos à cœna exstingui, alioqui cauere solitos ne oleum frustra insumeretur. Aderat vnà Eustrophus Atheniensis. Is, Quid proderat hoc, aiebat, iis, nisi astum Polycharmi nostri didicerunt? qui se multo tempore meditatum dicit, vix tandem invenisse quomodo caueret ne oleum pueri suffurarentur. statim enim se exstinctas lucernas oleo implere, & postridie visere an etiamnum plenæ sint. Tum Florus ridens, Quando, inquit, hæc quæstio soluta est, agedum caussam dispiciamus, qua inductos priscos probabile sit istam lucernis mensisq; adhibuisse cautionem. De lucernis priùs quæsitum fuit. Ac sententia Cæsernij, quem is generum habebat, hæc fuit, Antiquos ob cognationem cum sacro & perenni igne omnis ignis interitum abominatos fuisse. eum autem, vt hominem quoq;, interire vel vi exstinctum, vel naturæ suæ ductu elanguescentem. ac sacro quidē igni adversus vtrunq; opem ferri semper alendo & custodiendo: alterum passos fuisse vltrò exstingui, si ipsi vim non fecissent, neq; tamen ei vitam inuidisse tanquam pecudi quæ frustra aleretur. Sub hæc Lucius Flori F. dixit, reliqua sibi probari: cæterùm sacrum ignem non ideò fuisse cultum, quod eum alio igne putarent meliorem digniorémve esse. sed quemadmodum Aegyptiorum alij totum genus canum venerantur atque honorāt, alij luporum, alij crocodilorum, vnicum tamen vel canem, vel lupum, vel crocodilum alunt, quia vniuersos non possunt: sic priscorum cultum & custodiam sacri istius ignis, tesserā fuisse obseruātiæ adversus omnes ignes. Nihil enim animato similius esse quàm est ignis: qui per se mouetur & nutritur, suóq; splēdore animæ in morē res manifestat omnes: & maximè vim non expertē vitalis principij ostēdit dum exstinguitur ac perit: inter pereundū vocem edens, ac reluctans interitui, animalis instar quod vi necatur. Nisi tu, aiebat in me respiciēs, melius habes aliquid. Ego verò, inquam tum, nihil eorum quæ dicta sunt reprehendo. Adderem autem, hunc morem condocefactioni ad humanitatem inseruiuisse. Nam neq; fas nobis est nutrimentum perdere vbi affatim nos saturati sumus, neque fontem obthurare aut occultare quando aquæ satis bibimus, neque signa nauigationis itinerísve abolere postquam vsi sumus iis. Sed relinquenda ista sunt, vt aliis etiam post nos vsui esse possint. Proinde indecorum etiam est ob auariciam lumen lucernæ, quando eius vsum porrò nos non desideramus, exstinguere. sed conseruandum relinquemdúmque est, si quis fortè veniat cui eo etiamnum ardente & splendente sit opus. Quippe, si fieri quiret, etiam visum atque auditum, immò prudentiam quoque & fortitudinem aliis vtendam dare debebamus ipsi dormituri aut quieturi. Hoc verò considera, an non gratitudinis meditandæ caussa antiqui neutiquam absurdè nimij in hoc fuerint genere: cùm & quercus venerarentur frugiferas, & ficum quandam Athenienses sacram appellarent, & morum exscindi prohiberent. Non enim hæc ad superstitionem faciūt propensos, quod nonnulli dicunt: sed in rebus sensu animáque carentibus ad studium referendæ mutuò Oper. 747. gratiæ præstandęque operæ nos adsuefaciunt. Itaque rectè Hesiodus vetat cibum apponere ex ollis, nondum libato: sed igni vult suas primitias suúmque ob ministerium offerri honorem. & rectè Romani quod alimentum lucernæ dedissent, iis vsi reliquerunt, passiq; sunt viuere & fulgere. Hæc ego cùm dixissem, Eustrophus: Ista, inquit, etiam ad rationem de mensa quæsiti aditum præbent. Nimirum semper aliquid censuerunt à cœna relinquendum seruis & vernulis. gaudēt enim communicatione hac magis, quàm alioquin accipiendo. Iccirco Persarum reges, vt fertur, non amicis modò & proceribus ac stipatoribus solebant de cœna portiones mittere: sed semper seruorum quoque & canum cœna in ipsorum mensa proponebatur. cùm, quantum omnino fieri poterat, omnes quorum vtebantur opera, suæ mensæ facerent participes. nam cibi communicatione etiā ferissima cicurantur animalia. Hæc ego ridens, Piscem verò repositum, aiebam, non trahimus in medium, qui proverbio est nobilitatus? & Pythagoræ chœnicem, cui prohibuit insideri, docens nos semper aliquid de præsenti in futurum relinquere, & crastinæ diei hodie meminisse? Nobis quidem Bœotis in ore est semper, Relinque aliquid etiam Medis: ab eo tempore quo Medi Phocidem & extrema Bœotiæ incursando populandóque vexauerunt. Perpetuò autem & vbique id in promtu debet esse, Relinque aliquid etiam superventuris hospitibus. Quamobrem Iliad. 1, 206. ego etiam Achillis inanem semper & famelicam improbo mensam. nam & Aiace ac Vlisse legatis ad ipsum venientibus, nihil parati habens de integro cogitur coquere & obsonio mensam instruere: & rursus Priamum volens comiter tractare,

Proripuit

Proripuit ſeſe, & candentem protinus agnum *Iliad. ν, 621.*
Mactauit: —— quo diuidendo aſſandóque maiorem noctis partem conſumſit. Sed Eumæo, ſapientis videlicet viri ſapiens alumnus, nihil negocij exhibuit Telemachi adventus. ſtatim enim ei ad menſam collocato cœnam præbuit, lances apponens plenas

Aſſatæ carnis, cœnæ de nocte priori *Odiſſ. π, 50.*
Relliquias. —— Quòd ſi hoc vile videbitur, illud certè exiguum non eſt, appetitum poſſe inhibere dum adhuc fruendi adeſt copia. minùs enim abſentia concupiſcunt, qui adſueuerunt abſtinere præſentibus. Sub hæc Lucius, Audiuiſſe me ex auia memini, menſam eſſe ſacrã: porrò autẽ ſacrarum rerum nullam debere eſſe inanem. Mihi verò, inquit, menſa etiam terræ videtur eſſe ſimulacrum. nam præterquàm quòd nos alit, rotunda etiam eſt, & ſtabilis, & rectè Veſta à quibuſdam appellatur. Sicut ergo terram volumus ſemper aliquid nobis vtile producere & efferre: ita cenſemus menſam quoque nunquam debere vacuã, & omni deſtitutam apparatu relinqui.

QVAESTIO QVINTA.

Maximè cauendum eſſe à voluptatibus, quas deprauata præbet muſica: & quomodo ſit cauendum.

PYTHIIS Calliſtratus Amphictyonum procurator, tibicinem quendam ciuem amicúmq;, cùm is ad nomen dandum præſtò in tẽpore non veniſſet, certamine ſecundum leges arcuit. nobis autem conuiuiũ præbens, eum adduxit, veſte & ſertis tanquã in certamine vnà cum choro eleganter ornatũ. Et erat me hercle initiò ſcitus eius cãtus. Sed deinde cùm facto de conuiuis periculo ſenſiſſet pleroſq; eò inclinare, vt voluptatis gratia eum quidvis ſinerent facere, laſciuóſq; cantus tibiæ ad mitterẽt: iam ſeſe aperiens, oſtendit muſicam quovis magis vino dementare eos, qui promiſcuè & effuſiùs ea ſeſe oblectant. nam accumbẽtibus non iam ſufficiebat clamare & plaudere: ſed pleriq; tandem etiã proſiluerunt, & vnà motus illiberales ediderunt, iſtis numeris & carminibus conveniẽtes. Poſtquã finem fecere, & conuiuiũ quaſi è furore quodam ad ſe rediit, voluit quidem Lamprias dicere aliquid, & adoleſcẽtes liberè obiurgare: tamen verenti ne nimis moroſus moleſtúſq; videretur, anſam quaſi præbuit hac ſua oratione Calliſtratus. Intemperantiæ, aiebat, crimine ego ſoluo ſtudioſos audiendi & ſpectandi. non tamen prorſus adſentior Ariſtoxeno, qui hiſce ſolis voluptatibus ait accini, Pulcrè. Nam & obſonia & vnguenta pulcra vocantur, & pulcrè ſe vixiſſe aiunt qui ſuauiter ac ſumtuoſè cœnauerunt. Videtur autem Ariſtoteles etiam non iuſtam adferre cauſam, cur ſolæ delectationes ſpectaculorum & auditionum intemperantiæ culpa vacent: quia ſcilicet hominis eæ ſint propriæ, reliquæ etiam à brutis percipiantur. Video enim multa horum quoque muſica demulceri: vt ſeruos fiſtulis. & equabus cùm ineuntur, hippothorum accinunt modum. Et Pindarus cantilena ſe ait motum fuiſſe in morem marini delphinis, *Voluptatum diſcrimen.*

In pelago quem dulce melos quieto
Exciuit:

ſaltantes autem capita attollunt, adſpectu gaudentes, & hiſtrionum imitatione hac illac humeros iactant. Non ergo video quid proprij hæ voluptates habeant, quia ſolæ ſint animi, reliquæ corporis, & in corpore deſinentes. cantus autem, rythmus, ſaltatio, cantilena, ſenſum prætervolantes in ea animi parte quæ gaudio adfici poteſt ſuam delectationẽ infigunt atq; pruritũ. Itaq; harum voluptatũ nulla eſt occulta, neq; tenebris & parietũ (vt mulieres aiunt) ambitu opus habẽt: ſed ſtadia his & theatra ſunt parata, & cum multis ſpectare aliquid aut audire eſt iucundius atq; honeſtius: nimirum nobis non intemperantiæ & luxuriæ, ſed liberalis elegantiſq; oblectationis teſtes adſciſcentibus quamplurimos. Hæc cùm diſſeruiſſet Callias, Lamprias videns iſtos auditionũ choragos etiam magis efferri animis: Non hæc, inquit, cauſa eſt fili Leonis. Sed mihi videntur priſci Bacchum non rectè filium Obliuionis feciſſe, cùm patrem debuerint. Hoc enim tu quoque, puto, inductus non reminiſceris quòd eorum quæ circa voluptates cõmittuntur peccata, alia intemperantiam, alia ignorationem & errorem habent cauſam. Nam vbi damnum conſpicuum eſt quod dabitur, ibi intemperantia

homines rationem vincente delinquunt. vbi non statim aut palàm merces incontinentiæ tribuitur, hæc ignoratione rei damnosæ peccant. Itaque eos, qui in cibo, potu, re venerea modum excedunt, vnde morbi multi, pecuniæ perditio, & mala fama sequuntur, incontinentes dicuntur. qualis Theodectes ille ex oculis laborans amica superveniente dicens, Vale carum lumen. & Abderita Anaxarchus.

Is namque, vt perhibent, miserè prudénsque, sciénsque
Vixit. quippe voluptates amplexa stupénsque
Natura (haud paucis ea formidata Sophistis)
Retrorsum ad vitium recto de tramite agebat.

Quos autem ventris, pudendorum, gustus, olfactúsque voluptatibus repugnantes iis ne capiantur & sibi cauentes, aliæ circumveniunt, insidioséque per oculos aut aures subeunt: ij etsi non minùs laborant quàm illi, atque afficiuntur, non perinde tamen intemperantes incontinentésque vocamus. non enim scientes, sed ob imperitiam labuntur: & putant se voluptatum victores esse si in theatro totum diem sine cibo & potu exigant. perinde ac si olla eo se iactet, quòd ventre aut fundo appræhenso non moueatur loco, cùm auribus arrepta facilè transferri possit. Itaque Arcesilaus aiebat nihil interesse, posteriorine corporis an priore parte quis cinædus esset. Est autem timenda etiam mollicies ea & voluptatis studium, quo aures & oculi titillantur. Nam neque vrbem censendum est capi non posse, si cùm reliquas portas obicibus, vectibus, cataractis munitas habeat, vna tamen sit quæ hostes intromittat: neque invictus à voluptate est, quem si non venus, at musæum aut theatrum ceperunt. nihilo enim minus à via recta declinauit, animámque voluptatibus agendam ferendámque prodidit. eæ verò vehementiora quàm vllus coquus aut vnguentarius medicamenta, magísque varia cantilenarum & rythmorum ingerentes, his nos capiunt, ac corrumpunt, nostro ipsorum damnatos quodammodo testimonio. Etenim obsonia quidem repræhensionem merentur nullam, neque si quis permutet (vt est apud
* Pindarum) in mensis quæcunque tellus ac maria suggerunt appositis iuxtà panibus. Sed neq; obsonium vllum, neq; cibus, neq; optimū hoc potum vinū ita voluptate perculerint: vt modò cātus tibiæ & moduli domū, si non etiā vrbem, impleuerunt tumultibus, plausibus, conclamationibus. Quare maximè ab huiusmodi cauendū est voluptatibus. sunt enim validissimæ: vt quæ nō circa gustū, tactum, olfactū, in partē animi brutā desināt: sed ipsam intelligēdi ratiocinandíq; facultatē attingāt. Ad hęc à reliquis voluptatibus, etiā vbi ratio nō repugnat satis validè, tamē aliæ sæpenumerò affectio-
* nes nos abstrahūt. nā & in foro piscario sordes annulū obsoniorū cupido auferūt, & à sumtuoso scorto parsimonia absterret, aut riualitas. sicvt apud Menādrū scilicet apud lenonē compotorū vnusquisq;, eo per insidias proteruam producēte puellam cuivis,

Edebat, in sese intuens, bellaria.

est enim grauis pœna intemperantiæ pecuniam fenore accipere: & non vsque adeò facile est crumenam soluere. At hæ voluptates, quæ liberales dicuntur, quásque insano tibiarum & musices amore capti sectantur, & aures oculósque iis habent deditos, vndique percipi possunt, in certaminibus, in theatris, in conviuiis, aliis sumtum præbentibus. Propterea facilè ab iis corrumpuntur, qui non habent rationem pædagogi loco tutantem & regentem. Facto silentio, Quid inquam, faciet ergo ratio, quid dicet vt nos seruet? neque enim opinor aurium illa Xenocratea opercula circumponet, neque è media cœna abiget, cùm audiemus lyram componi, vel tibiam moueri. Tum Lamprias, Nequaquam, inquit. Sed quoties istæ nobis offerentur delectationes, Musæ sunt accersendæ, confugiendúmque in priscorum Heliconem. Qui enim sumtuosam amat, ei non possumus Penelopen adducere, aut Pantheam nuptum tradere. At qui mimis gaudet, cantilenis, ac carminibus mala arte prauáque imitatione conditis: hunc possumus ad Euripidem, Pindarum, Menandrum traducere, falsúmq;
Phædro. auditum (vt Plato ait) potabili oratione proluere. Nam sicvt magi à malis geniis occupatos iubent secum legere & recitare Ephesia nomina: sic nos in istis præludiis, & saltationibus, vbi furores sunt & conclamationes bellicæ cum tumultu & ceruicum iactatione: sacrarum & venerandarum istarum memores litterarum, & iis comparan-
* tes cantilenas, poëmata, inanésque orationes, non percellemur istis, neque nos obliquos quasi rapido amne ferendos dabimus.

QVAE-

QVAESTIO SEXTA.

De vmbris, quas vocant: & an ab alio vocatus ad alios ad cœnam, ire debeat; ac quando, & ad quos.

QVAESITVM fuit quando mos cœperit vt ad cœnam venirent vocati non ab eo qui præbet conuiuium, ſed ab aliquo eorum qui inuitati ſunt: vmbras vocant, qui hoc pacto veniunt. Videbatur autem Socrates autor, qui Ariſtodemo perſuaſit vt non inuitatus ſecum iret ad Agathonis conuiuium. & quidem ridiculè euenit Ariſtodemo vt Socrate in via ſubſiſtente ipſe prior ingrederetur, nimirum vmbra corpus præcurrens quod à tergo lumen habet. Poſterioribus autem temporibus in excipiendis conuiuio hoſpitibus, maximè principibus viris, neceſſe fuit, cùm ignoraretur quinam eos ſequerentur, quóſve ij magni facerent, conuiuatori facultatem inuitandi integram relinquere, numero quidem certo conſtituto conuiuarum: ne id ei vſuveniret, quod aliquando Philippum regem ruri inuitanti accidit. venit enim rex ad cœnam multis comitantibus, non multis apparatam hominibus. ibi cùm videret hoſpitem eſſe anxium, circummiſit qui amicos clàm moneret, vt locum placentæ relinquerent, cuius exſpectatione cùm illi parciùs veſcerētur appoſitis, cœna omnibus ſuffecit. Hæc ego cùm ad præſentes velut nugans dixiſſem, placuit Floro vt ſeriò de vmbris iſtis diſquireretur, decerétne eum qui ſic inuitaretur obſequi, & ad cōuiuium accedere. Ac gener quidem eius Cæſernius totam rem improbabat. Maximè, aiebat, Heſiodo eſt obtemperandum, & amici ad cœnam vocandi: proximum eſt, vt notos & neceſſarios inuitemus ad communicationem libationum, menſæq; & ſermonū qui in vino habentur, atque iocorum. Nunc quemadmodum qui nauigia locant, impedimenta etiam ſua eos quos vehunt iniicere ſinunt: ita noſtra nos conuiuia aliorum poteſtatis facimus, ſinimúſquè ea quibuſvis hominibus impleri, ſiue apti ij, ſiue inepti ſint. Mirer verò ſi quis ſcitus homo ad conuiuium veniat à conuiua inuitatus, quod idem eſt atq; non inuitatus, quem conuiuij autor plerunq; etiā non nouerit. & ſi notus ei, vſúq; aliquo coniunctus tamen vocatus non ſit: maius iam dedecus fuerit ad eū ire, ac conuiuij eius inuiti quaſi exprobantem velle tamen vi quoddammodo fieri participem. Priorem porrò vel tardiorem eo qui inuitauit ad alium venire, habet aliquid pudorem incutiēs: neq; ciuile eſt tot teſtibus apud conuiuas opus habere, quibus doceas te non inuitatū ſed vmbram venire. rurſum ſectari & obſeruare aliquē dum is lauet & vngat ſe, aut ire velit, cunctantē vel properantē, illiberale ſic ſatis eſt & gnathonicū: ſiquidē Gnato fuit homo aliena edendi callētiſſimus. Iam cùm nullibi magis locum habeat, Effare lingua ſi quid iactare mediocre cupis, quàm inter pocula, vbi plurimū libertatis & facetiarum adeſt iis quæ dicuntur & aguntur: quomodo hæc ſeſe gerere debeat, qui nō genuinus neq; vocatus conuiua ſit, ſed ſpurius quodāmodo in cēſum conuiuarū irrepſerit? nam & vti, & nō vti libertate adverſus præſentes, obnoxium eſt calumniæ. Neq; parū ineſt mali in ipſa nominū leuitate & ſcurrilitate, cùm quis nomen vmbræ nō fert iniquè, ſed ita appellatus fert atq; reſpondet. nam turpibus nominibus vtēdo homines etiā ad rerū turpitudinem adſueſcunt. Itaq; ego alios inuitās, vmbras quoq; iis cōceſſi: (eſt enim valida vrbis cōſuetudo) ipſe vmbræ loco vocatus adhuc reſiſto, neq; venio. Sub hæc verba cùm eſſet quietū, Florus: Hoc, inquit, poſterius plus habet perplexitatis. Nam ſic inuitare neceſſe eſt cùm hoſpitibus conuiuiū paramus, ſicvt antè dictū fuit. quia neq; abſq; amicis eos excipere par eſt, neq; facilè ſcitu quibus cum amicis hoſpes advenerit. Tum ego ad ipſum, Vide ergo, inquam, an qui ſic inuitandi facultatē dederunt, etiam inuitatis dederint obtēperandi & ad conuiuiū adeundi. nō enim convenit dare aut petere, quod dare honeſtū non ſit: neq; hortari ea ad quæ non decēt, neq; aſſentiri & agere ea pulcrū. Sanè quod ad principes & peregrinos attinet, locus inuitationi & delectui non eſt, ſed qui cum iis venerunt accipiendi ſunt. Aliàs autem qui conuiuium præbet, amiciùs agit ſi amicum vocet, cùm non ignoret ſuos notos, familiaréſque & neceſſarios. maior enim honor tribuitur, maior initur gratia, cùm non occultè ferat ſe tales maximè amplecti, cum iis lubentiſſimè degere, iiſque gaudere honoratis æquè & vocatis. Eſt tamen vbi id amici voluntati liberum debet relinqui. Et quemadmodum deo ſacrificantes, quibus idem templum, eadem eſt ara, iis communiter vota faciunt, neque ſeorſim eos nominant

Oper. 340.

* * Non enim obſonium, non vinum, non vnguentum tantam voluptatem

adfert, quantam vnà accumbens amicus gratúſque conviua. Enimverò quærere atque percunctari, quibus obſoniis, quibus bellariis, quo vini genere, quali vnguento maximè delectetur is qui conviuio eſt excipiendus: nimis eſt importunum atque inſolens. non abſurdum neque iniucundum tamen, ei qui multos habet familiares, amicos, neceſſarios, mandare vt ipſe ſecum ad conviuium adducat, quorum præſentia maximè ei ſit ſuauis atque accepta. Nam neque nauigare, neque habitare, neque in foro verſari quibus cum nolis, ita moleſtum eſt, vt vnà cum quibus nolis, in conviuio adeſſe: contrarium verò iucundiſſimum. Eſt enim conviuium communio ſeriorum, iocorum, actionum, & ſermonum. itaq; non quivis id frequentare debent, ſed amicicia inter ſe devincti & familiares, vt ſuauiter hoc fiat. Quippe cibos quidem coqui diuerſorum ſaporum apparant, auſteros, pingues, dulces, acréſque inter ſe permiſcentes. conviuium autem bonum eſſe nequit & gratioſum, in quod homines diuerſarum gẽtium & affectionum coniecti ſunt. Cæterùm quemadmodum Peripatetici aiunt eſſe quoddam primum mouens, quod ipſum non moueatur: & extremum quod moueatur, neque vim ipſum mouendi habeat: inter hæc quod & motum adferat aliis, & ab aliis ipſum quoque moueatur. ita ratio docet tres eſſe in conviuali re, vnum qui inuitet duntaxat, alterum qui duntaxat inuitetur, tertium denique, qui & inuitetur & inuitet. De primo dictum eſt: neque abs re fecero, ſi de reliquis etiam quid mihi videatur expoſuero Is ergo qui ab alio ad conviuium vocatus alios eodẽ inuitat, primùm, ni fallor, multitudine debet abſtinere, neque tanquam ex hoſtico commeatum petens omnes ſuos ſecum ad cœnam rapere: neque inſtar eorum qui oppida capiunt multitudine nimia ſuorum amicorum amicos regis exturbare & elidere: quo fieret, vt qui conviuiũ præbet eadem fortuna vteretur, qua ij qui Hecatæ & auerruncatoribus geniis cœnas exponunt, de quibus nihil ipſi aut familia guſtant, fumo interim & moleſtiis vexati. Aliàs in nos ludunt, qui dicunt,

Delphis ſacra re facta, nunc carnes emit.

ſed id verè accidit iis, qui hoſpites importunos, aut amicos exceperunt multis vmbris ſtipatos: qui harpyarum in morem cibos differunt atque depopulantur. Secundum eſt, vt non quibuſvis ſibi adiunctis ad alios cœnatum eat, ſed præcipuè inuitet conviuatoris amicos & familiares, quaſi cum illo certamine inito antevertens vocationem. Si id non datur, ſecum ducat de ſuis amicis, quos ipſe rex vellet à ſe vocatos: humano adducat nimirum humanos, erudito eruditos: & quos conviuij præbitor voluiſſet quoque modo alloqui, cúmque iis vſum aliquem familiaritatis contrahere. Eſt enim haud dubiè argutum & vrbanum, hoc modo affecto regi occaſionem notíciæ & comis conſuetudinis parare. Qui verò diuerſæ factionis, & inconcinnos ſecum trahit, (puta ſi ad ſobrium bibaces, frugali ſumtuoſos, iuueni potori ſenes auſteros, graue loquentes, & barba ſapientiæ profeſſionem oſtentantes adferat) intempeſtiuus eſt, quòd amici congreſſus loco inſuauitatem quandam introducat. Etenim oportet vocatum non minus conviuium præbenti, quàm hunc vocato iucundum eſſe. quod fiet, ſi non ſe modò, ſed & quos ſecum adducit, commodos comeſque præſtet. Qui ſupereſt tertius, ab alio ad alium inuitatus, is ſi nomen vmbræ repudiat atq; ægrè fert, omnino videbitur vmbram metuere. Ipſa tamen res maximam requirit cautionem. Nam neque eſt honeſtum promtè quemvis ſic vocantem comitari, neque temere. Principiò conſiderandum, à quo voceris. Si non admodum familiaris ſit, ſed diuitum aliquis & ſatrapicorum, qui velvti in ſcena opus habeat ſatellitio ſplendido, aut putet ſe admodũ magno honore adficere & præclarè demereri eum quem ſecum ducere vult: ſtatim recuſandum eſt. Si amicus inuitet & familiaris, non facilè adſentiendum eſt. ſed tum demum cùm videbitur opus habere colloquio aliquo & communicatione aliam opportunitatem non inveniente: aut longo pòſt reverſus tempore, vel diſceſſurus oſtendat ſe benevolentia ductum cupere ſocium te cœnæ ſibi habere: & neque multos, neque alienos, ſed vel ſolum te, vel cum paucis amicis adducat: aut præter hæc omnia id agat, vt vocato cum conviuatore probo homine & amicicia digno aliquod conſuetudinis & amiciciæ concíliet principium. Nam mali quidem, quanto magis nos appræhendere ſtudent, tanto magis ſentium inſtar amoliendi & tranſſiliendi ſunt. & ſi probi ad non probos ducãt, nequaquam eſt obſequendum, neque admittendum, vt tanquam per mel ſumas venenum, amicum parãdo prauum. Abſur-

Vmbrarum conviualiũ decorũ.

*

Absurdum etiam est, ad omnino ignotum & cum quo nihil tibi vnquam familiaritatis fuerit ire: nisi quis sit (vt dixi) virtute præstans, qui amoris & amicitiæ hoc statuat exordium, si facilè & candidè eum alio ducente accedas. Atq; adeò ad familiares quoque potissimum eos eundũ est vmbræ conditione, quibus permissum est ad nos quoque adductis vmbris venire. Philippo quidẽ ioculari scurræ videbatur magis mouere risum qui invocatus, quam qui vocatus ad cœnam veniret. Bonis autem viris & amicis ad bonos & amicos honestius est ac suauius, si ad non vocantes inexspectati accedant cum aliis amicis. ita enim simul & conviuium præbẽti læticiam, & honorem ducentibus parant. Minimè omnium ad duces, aut diuites, aut potentes ire decet non inuitatos ab ipsis sed ab aliis. cauenda enim est non planè carens ratione impudentiæ, ruditatis, & ambitionis opinio.

* * *

Menelaum Homerus fingit vltrò venire ad Agamemnonem, cùm is conviuio excepisset præstantissimos Græcorum:

Soliciti agnoscens valdè anxia pectora fratris. *Iliad. B, 408.*

ideò errorem eius noluit detegere & arguere non veniendo. quod morosi faciunt, & repræhendendi cupientes: qui huiusmodi erroribus amicorum insidiantur, magisque gaudent negligi quàm honorari, vt conquerendi habeant occasionem.

QVAESTIO SEPTIMA.

An tibicinæ sint adhibendæ conuiuio.

CHAERONEAE in cõviuio præsente Diogeniano Pergameno disputatũ fuit de acroamatis siue auditionibus. Ibi negocium nobis exhibuit sophista quidam prolixam gerens barbam, Stoicæ sectę homo, Platonẽ allegãs qui culparet tibicinam inter pocula adducentes, cùm ipsi colloquio invicẽ se oblectare nequirent. Philippus verò Prusiensis ab eadẽ secta, qui tũ vnà aderat, missos facere iubebat illos Agathonis conviuas, qui quavis tibia, quovis musico instrumento suauius sonarent. non enim id mirum fuisse si ipsis præsentibus nullus tibicinæ locus relinqueretur: sed hoc, si nõ cibi etiã potúsq; obliuio præ voluptate & delectatione conviuas cepisset. At verò Xenophon (aiebat) pudori nõ duxit sibi, cùm Socrate, Antisthene, aliisq; horũ similibus præsentibus Philippum scurram adduceret, eúmq;, sicvt Homerus cepam, condimentum vini conviuis ostenderet. *In Symposio.* *Iliad. λ, 629.* Plato quoq; cùm Aristophanis de amore sermonẽ velvti comœdiam suo conviuio inseruit: tum ad extremum foribus, quod aiunt, apertis introduxit drama quammaximè de variis vnum, Alcibiadẽ ebriũ, & comesantẽ eúmque coronatũ. Iam iocosa illa cum Socrate de Agathone concertatio, & Socratis laudatio, fásne est, bonæ Gratiæ, quòd Apollinẽ cum concinnata lyra in conviuiũ veniẽtem, conviuę obsecrauerunt vt tantisper sileret, dum oratio isthæc absolueretur? Ergo cùm isti viri, tanta in differendo venustate præditi, nihilominus vsi sunt adsciticiis rebus, ac iocis huiusmodi varietatem suis cõciliauere conviuiis: nos qui ciuilibus & forensibus, atq; adeò si ita vsu veniat rudibus & agrestibus nonnihil hominibus permiscemur, hanc è conviuiis exturbabimus elegantiã atq; oblectationẽ, aut inde nos proripiemus, tanquã Sirenes adventantes si fugeremus? Equidem admirationem sui excitauit Clitomachus athleta, surgẽs & discedẽs, cùm amatorius sermo inferretur. Philosophus verò tibiã è conviuio fugiẽs, aut psaltriam metuens fides concinnantẽ, facigerúmq; iubens cum clamore celeriter lumẽ accendere, ridiculus non sit, innoxias omnino voluptatis, sicvt canthari vnguẽta, abominãs. Nã sicvbi aliàs, maximè inter pocula alludendũ hisce rebus est, animúsq; deo dedendus. Mihi quidẽ alioqui carus Euripides, suam legẽ neutiquam persuasit, musicam ad luctus & mœsticias trãsferendam statuens. *Medea, chori verba.* ibi enim medici loco adsistere ægrotantibus debet sobria & industria ratio: huiusmodi verò Baccho admiscere voluptates, & ludũ iocúmq; deputare cõvenit. Est verò scitũ illud Laconis, qui, cùm Athenis noui certarent tragœdi, spectans apparatũ choragorũ, studia docentium, & conatus, dixit: Non sapere ciuitatem, quæ tantum in res ludicras impenderet studium. Omnino enim ludendo ludendũ est, & neq; magno sumtu, neque neglectione occasionum ad alias res vtilium redimenda animi relaxatio: sed inter pocula & per ocium degustandæ hæ oblectationes, interímq; dispiciendum si quid ex iis percipi possit vtilitatis.

QVAESTIO OCTAVA.

Quænam potissimùm acroamata cœnæ sint adhibenda.

HIs dictis sophistam rursus volentem repugnare ego inhibẽs, Id potiùs, inquam, considerandum est Diogeniane, quodnam de multis acroamatum genus conviuio sit accommodatum, hortemúrq; sapientem hunc vt diiudicet. cùm enim nullo afficiatur, nullo demulceatur, nihil periculi est ne per errorem suauius meliori præferat. Tum ille, Diogeniano & nobis hortãtibus, nulla interposita mora: Cętera, inquit, in orchestram & scenam reiicio: id verò introduco, quod nuper Romæ irrepsit in conviuia, neque adhuc apud multos cernitur. Nostis nimirum Platonis dialogos partim narratione, partim actione quadam constare, qui ideò dramatici dicuntur. De his facilimos pueri edocentur, ita vt memoriter recitent. adiunguntur autem gestus convenientes personarum moribus, & vocis effictio atque forma, & affectiones dictis congruæ. Hæc austeri quidem & eruditi maximo opere probauerunt. effeminati, & quorum aures inscitia atque bonarum imperitia rerum corruptæ essent, quos Aristoxenus bilem aiebat vomere si enharmonium cantum audirent, expulerunt. Neque mirer expulisse, mollicie omnino obtinente. Hæc Philippus nonnullos videns iniquiùs hæc ferentes: Desine, inquit, mi homo nobis convicium facere. Nos enim sumus, qui primi rem istam, cùm Romæ introduceretur, ægrè tulimus, repræhendimúsque eos, qui putarent Platonem debere in vino animi causa & ludi audiri, contenderéntque eius dialogos ad vnguenta & bellaria audiendos esse. quando etiam Sapphùs & Anacreontis carmina si recitarentur, verecundia ductũ me debere poculum deponere arbitrarer. Multa verò mihi in mẽtem veniunt, quæ si proferam, metuo ne seriò adversus te disseruisse videar. itaque, vt vides, vnà cum poculo id sodali tribuo, vt dulci sermone salsum auditum demulceat. Excipiens tunc eum Diogenianus: Atqui & hos, inquit, audio sobrios sermones, ita vt vinum nobis non videatur imperare. metuo ne ipse crimen subeam. Et sanè multa acroamata sunt amputanda. Primùm tragœdia, non admodum ea conviuio apta, vt quæ grauiùs sonet, moliatúrque imitationem rerum animo ingentes motus inferentium, & miserationem excitantium. A saltatione porrò Pyladeam remoueo, tumidam scilicet, & adfectuum plenam, multásque requirentem personas. Quòd si tamen locus est Socraticis istis saltationis laudibus, Bathylleam admitto, pedestrem, & cordaci affinem, Echoni, aut Pani alicui aut Satyro cum Amore comesanti, saltando respondentem. De comœdiis, vetus ob inæquabilitatem non est bibentibus accommodata. Nam & quæ in auditorum compellationibus, quas parabases appellant, libertas dicendi seria vsurpatur, nimis intemperans est atque vehemens: & leuitas conviciandi ac scurrilitas admodum fastidiosa atque aperta, & repleta indecoris verbis, lasciuisque nominibus. præterea sicvt in principum conviuiis vnicuique accumbentium adstat pincerna: ita oportebit vnicuique conviuarum adesse grammaticum, qui singula enarret, quis sit apud Eupolidem Læsmodias, apud Platonem Cinesias, Lampo apud Cratinum, ac alij qui in comœdiis exagitãtur. vt iam vel schola grammatica fiat conviuium, vel surda & ignota dicteria differantur. Quid dicam de noua comœdia, quæ ita conviuiis immixta est, vt faciliùs ea sine vino, quàm sine Menandro peragantur? Nimirum enim & dictio iucunda ac pedestris rebus inspersa est, vt neque à sobriis contemnatur, neque ebriis sit molesta: & vtiles sentẽtiæ atque simplices vnà fluentes, etiam durissima ingenia per vinum velvti ignem molliunt & ad mansuetudinem flectunt: tum seriorum cum iocis cõtemperatio nullam aliam ad rem facta videri potest, quàm vt eos qui bibere & animos relaxarũt simul & oblectet & iuuet. amatoria quoque eius locum habent apud eos qui biberunt, & paulo pòst dormitum ad suas vxores abeunt. nam neque puerorum amor in Menandri est comœdiis: & vitia virginibus oblata, commodè in nuptias vertuntur, meretrices si introducuntur procaces & feroces, castigationibus aut pœnitentia adolescentum amores earum diffinduntur, si probę, & vicissim amantes: aut pater alicuius invenitur verus, aut tempus amori præscribitur consuetudinem verecundam humanámque habenti. Hæc vt hominibus alia in re occupatis videantur nullum habere operæprecium: ita inter bibendum non miror si iucunditas eorum & elegantia nõnihil facit ad effingẽdum componendúmque animos, moréśque ad humanitatem conformandos. Sub hæc verba Diogenianus siue

Platonis dialogi in cœnis acti.

Tragœdia.

Saltatio.

Comœdia.

Menandri laus.

siue fine siue intervallo facto tacuit. Cùm autem sophista rursus eum adoriretur, & quædam Aristophanis assereret carmina recitanda: Philippus me compellans, Hic quidem, inquit, suæ satisfecit cupiditati, suauissimum sibi Menandrum laudando: videtúrque reliquorum porrò nullam habere curam. Sunt autem multa adhuc acroamata, de quibus nihil nobis disputatum est, & ego ex te aliquid audire pervelim. nam de certamine eorum qui animalcula sculpunt, cras agemus, si hospiti & Diogeniano * ita videbitur. Sunt ergo, dicebam, mimi, quorum alij argumenta, alij ludicra appellantur: neutrum, vt ego arbitror, genus conviuio conveniens. *Mimi.* argumenta ob longitudinem actionum, & sumtuum difficultatem: ludicra, quòd ita scatent scurrilitate & inanitate verborum, vt ne à puerulis quidem, qui dominis modestis calceos portant, spectari ea deceat. quanquam multi etiam vxoribus iuxtà accumbentibus & impuberibus filiis imitationes ostentant rerum & verborum, quæ magis quavis ebrietate animos perturbant. Enimverò cithara antiquitus, & iam inde ab Homeri temporibus eo nomine nota fuit, quòd socia conviuij esset: ac tam diuturnam amiciciam atque sodalicium non convenit divellere. id modò à citharœdis petamus, vt nimios luctus & gemitus è carminibus eximentes, boni ominis modos & genio indulgentibus accommodatos sonent. Tibiam, ne si velimus quidem, à mensa arcere licet. nam *Tibia.* libationes eam exigunt vnà cum corona, & vbi pæani accinens diuinum cultum absoluit, suaui cantu desinens per aures transit, iucunda eas perfundens voce, quæ tranquillitatem ad animum penetrantem efficit: vt si quid tristiciæ & curarum mero non sit discussum, id venustate & mansuetudine cantilenæ circumventũ cõquiescat. si quidem modum tibia non excedat, neque nimios animo adferat motus, eúmve exagitet atque extra se rapiat multitudine sonorum atque modulorum emollitum, & ad errandum procliuem redditum. Nam sicut pecora orationem hominis non intelligunt, sibilis autem & palpationibus accuratis, & fistulis aut conchis excitantur ac sopiuntur à pastoribus: ita quod anima habet pecoris & gregis naturam resipiens, rationísque non capax, neque eius dicto obtemperans, cantilenis & rythmis incantantes componere solent ac pacare. Verùm si mihi dicendum sit quod sentio, nunquam vel tibiæ vel lyræ cantus absque sermone & oda delectaturus conviuium videtur. Sic e- * nim adsuescendum est studiosè, vt ludos quoque & ioca non sine liberali sermone obeamus: cantilenam, rythmúmque tanquam condimentum colloquio adhibeamus, non seorsim vsurpemus, aut delicatulè in iis luxuriemus. Quemadmodum enim voluptatem in vino & cibo vnà cum nutrimenti vtilitate subeuntem nemo aspernatur: vnguentariam autem, vtpote ociosam & supervacaneam Socrates velvti alapa inflicta eiecit. ita psalterij vocem aut tibiæ aures ferientem non audiamus: tum demum admittamus quando cum docto carmine coniuncta nos inuitat & oblectat. Existimo etiam Marsiam illum à deo fuisse supplicio adfectum, quòd capistro & tibiis cùm sibi os obthurasset, ausus fuit nudo cantu decertare adversus odam citharæ coniunctam. Id vnum caueamus, ne conviuiis qui litterato colloquio oblectare se invicem possunt, aliquid tale ad aures admoueamus, quod impedimentum potius sit delectationis, quam delectatio. Non enim ij duntaxat stulti sunt, qui domi & à se habentes salutem,

Aliunde aliam sibi volunt adsciscere,

vt ait Euripides: sed & hi, qui cùm in se ipsis multa lætitiæ habent reposita instrumenta, id magno studio agunt, vt delectamenta extrinsecus accersant. Admodum certè inepta & rustica habetur regis Persarum adversus Antalcidam Spartanum magnificentia, quando coronam è rosa & croco consertam in vnguentum intingens ei misit, natiua pulcritudine extincta, factáque floribus iniuriè contumelia. Simile tamen est conviuiis, qui in sese venustatem & musicam habent, obturbare tibiis ac psalteriis, & alienam extrinsecus allegando propriam atque domesticam perdere delectandi rationem. Maximè acroamatibus locus fore videtur in conviuio fluctuante & ad litem contentionémve aliquam se accingente. vt vel convicia aliqua aboleantur: vel quæstio proposita quæ ad ingratum certamen & contentionem sophisticam efferat, tollatur: vel rixa concionalis aut forensis inhibeatur. donec de integro placidum ac tranquillum fiat conviuium.

QVAESTIO NONA.

Inter vinum deliberare, non minus Græcum fuisse quàm Persicum.

IN cœna quam nobis Nicostratus præbebat disputabamus de argumēto, quod Athenienses erant in concione tractaturi. Et cùm quidam diceret nos Persicum sequi morem, qui consultaremus inter pocula: excipiens verba eius Glaucias, Quî magis, inquit, Persicum, quàm Græcum. fuit verò Græcus qui dixit,

Consilium meliùs capietur ventre repleto.

Græcis quoq; cum Agamemnone Ilium obsidentibus, dum ederēt ac biberent, cœpit

Consilium sapiens primus tum texere Nestor:

cùm quidem hac ipsa de causa autor regi fuisset, vt præstantissimos ad conuiuium inuitaret.

Iliad. ,70. *Tu cœnam senibus præbe.——*
Collectis multis, qui consulet optima pare.

Itaque etiam Græcia, quæ plurimis vsa est bonorum institutorum generibus, & maximè à prisca gente vsurpatis, in vino eorū collocauit primordia. Nam quæ apud Cretenses Andrea, quasi virilia, apud Spartanos Phiditia, quasi Frugalia, quondam erant, loco arcanorum conciliorum & cōsessus optimatum fuerunt. sicut, puto, etiam quod hîc est Prytaneum, & Thesmothesion. neque procul hinc abest nocturnus apud Platonem conventus præcipuorum ac reip. gerendæ gnarissimorum virorum, in quē res maximæ & deliberationem requirentes arduam reiiciuntur. Qui autem vltimo

Odyss. ,138. *Mercurio libant, cùm iam dare corpora somno*
Est animus, ——

nónne coniungunt cum vino rationem: quando vt præsenti & vnà dispicienti prudentissimo deo vota faciunt iam discessuri. Antiquissimi verò ipsum Bacchum, tanquam nihil Mercurij egentem, Eubulen (hoc est bonum consiliarium) & eius gratia noctem Euphronen quasi prudentiæ aptam appellauerunt.

QVAESTIO DECIMA.

Rectène fecerint, qui inter pocula deliberauerunt.

HAEC cùm Glaucias disseruisset, censuimus turbulentas istas disputationes satis commodè sedatas esse: quæ vt eo magis obliuione contererentur, Nicostratus quæstionem in medium proponens ita locutus est. Antehac institutum istud mihi non magnæ fuit curæ, vt qui id pro Persico haberem. nunc quia deprehensum est Græcum esse, ratione videtur opus habere, qua defendatur ab evidente absurditate. Etenim ratio tanquam oculus in humido quod fluctuet, agitare sese commodè nequit, éstque inefficax. tum quidquid molestum nobis est, id quasi reptilia à sole, exagitatum vndique & sese proferens, iudicium animi facit lubricum & inconstans. Itaq; sicvt lectus bibentibus quàm sella est commodior, quia corpus continet ille, & omnis motionis vacuum præstat: ita maximè conducit animam in quiete seruare: aut si id fieri nequit, sicvt pueris vbi quiescere non possunt, neque hastam neque gladium porrigemus, sed crepitaculum vel pilam. quomodo etiam Bacchus ferulam ebriis tradidit, leuissimum telum, & mollissimum defensionis instrumentum, vt cùm celerrimè feriant, quamminimum lędant. Ridiculi enim errores ebriis sunt parandi, non miserandi aut tragici, magnásve trahentes secum calamitates. Porrò autem quod summum est, vt in consultatione de maximis rebus imprudens atque rerum imperitus prudentes sequatur, & peritis assentiat: hoc vinum ebriis adimit. ideoque Plato etiam vino nomen ait factum οἶνος, quia efficit vt qui bibunt sapere se putent, οἴεσθαι νοῦν ἔχειν. Nam neque nobilis, neque pulcer, neque diues quisquam bibentium sibi ita videtur, etiamsi videatur, vt prudentem sese opinatur. Atq; hinc est quòd vinum loquaces facit, intēpestiuáq; garrulitate & animi elatione præire autoritate omnibus volēte implet: quasi verò nostrū iam sit non audire, sed audiri potiùs: nō sequi, sed ducere. Verùm hæc quidem facilè quis collegerit, cùm sint manifesta. Audiamus tamē si quis contrariam tueri sententiā velit siue iuniorū siue seniorū. Tum insidiosè omnino & sophisticè frater noster: An, inquit, existimas quenquam in hoc articulo temporis repe-

Vinum.

reperire posse rationes ad hanc quæstionem probabiles. Et cùm Nicostratus diceret, omnino se arbitrari in præsentia tot hominum qui & litteras humaniores & vinum amarent fieri posse: renidens frater: Tu verò, ait, censes tandem te satis ad nos hac de re disseruisse, ad ciuilem autem actionem deliberandam ineptum à vino esse redditum? an hoc non magis perinde est, ac si quis putet bibentem oculis bene cernere, interim * compellantes non exaudire, auribus percipere tamen exactè sonos cantorum ac tibicinum? Nam sicut verisimile est sensum ad vtilia potiùs quàm ad elegantia converti: ita etiam cogitationes. Neque ducar ego admiratione, si vino occupatum aliquid rerum philosophicarum subterfugiat animum. sed eundem ad considerationes rerum agendarum avocatum colligere se, & prudentia augeri probabile est. Ita Philippus cùm Chæroneæ per ebrietatem multa nugaretur, essetque ridiculus: simul atque de pace & fœdere ei oblata est mentio, vultum composuit, supercilia contraxit, eiectisque animo vagis & lasciuis motibus, admodum bene deliberatum ac sobrium Atheniensibus responsum dedit. Sanè aliud est bibere, aliud inebriari: & qui ita abbibunt, vt iam delirent, eos censemus debere dormitũ se conferre. Viri autem cordati non est quod metuamus ne, si largiùs sese potu inuitent, ac conviuium protrahant, rationis aut peritiæ suæ detrimentum patiantur, cùm histriones aut citharistæ superveniunt. * nihilo enim deteriùs in conviuiis, quàm in theatris se gerent. quippe peritia insita, corpus quoque suis actionibus integrum, ac motus animi rectè comitans præstat. Multis quoque proteruitatem, qua audacia adiuuari solet merum inserit, non impudentem eam neque immodicam, sed gratiosam & probabilem. Sic etiam Aeschylus fertur potus suas scripsisse tragœdias, omnésque eas Bacchi fuisse: secus quàm Gorgias, qui vnum de Aeschyli dramatibus maximum, (quod inscribitur Septem ad Thebas) Martis fetum dixit. Nam cùm, vt Plato ait, vinum vnà cum animo corpus calefaciat, agile reddit hoc, meatúsque perrumpit, visis cum audacia iunctis, sermonémque proripientibus. Nonnulli enim ingenio ad inveniendum apto, sed dum sobrij sunt minus audaci & quasi concreto, quando ad pocula ventum est, thuris in morem à calore correpti exhalant. Enimverò metum, quo nulla alia res magis impedimento est consultantibus, vinum profligat: multas etiam alias adfectiones illiberales & degeneres exstinguit: & malignitatem ac simultates tãquam duplices animi (vt ille ait) plicas explicat: ac verbis omnes vtriusque generis in animo adfectus detegit. Ad hæc libertatis dicendi, ac per eam veritatis fecundissimum est vinum, quibus absentibus nihil peritia, nihil iudicij solertia prodest. Sed multi vino obsequẽtes potiùs præ- * clarè consulunt, quàm suam sententiam insidiosè & vafrè occultent. Nulla ergo causa est, cur vinum formidemus, quia motus animi concitet. neque enim deterrimos excitat, nisi in pessimis, quorum nunquam est sobria consultatrix animi facultas. sed sicut Theophrastus solebat tonstrinas appellare, ebrietas vini expers & tristis inhabitat in animis ineruditorum, perturbata ab ira aliqua, aut malevolentia, aut contendendi libidine, aut illiberalitate. quorum vitiorum pleraque retundens magis quàm acuens vini vsus, non stultos aut futiles redigit, sed callidos: non vtilium negligentes, sed honesto intẽtos. Qui verò versutiam pro calliditate, & vanitatem illiberalitatémque pro prudentia vsurpant, par est vt pro fatuis etiam censeant eos qui in vino simpliciter ac absque dolo suam exponunt sententiam. Contrà antiqui Bacchum Liberi & Lysij seu Solutoris nominibus adfecerunt, & ei vaticinandi magnam adscripserunt facultatem. non, quod Euripides dixit, ob debacchationes & furores: sed quòd seruilem metum & infidelitatem eximens, eáque animum liberans, homines inter se veritate dicendíque libertate vti doceat.

PLVTARCHI Symposiacôn, siue Conuiualium disputationum, Liber octauus.

QVAESTIO PRIMA.

De diebus illustrium quorundam virorum natalibus: simúlque de his, quos dij genuisse dicuntur.



QVI philosophiam è conuiuiis eiiciunt, Sossi Senecio, non idem, sed peius agunt quàm qui lumen inde tollunt. Nam lucerna sublata, modesti ac pudici homines nihilo fient deteriores: quippe qui pluris faciāt mutuò se revereri, quàm invicē videre. At vbi inscitia & bonarum artium imperitia ad vinum accedūt, iam ne aurea quidem illa Mineruæ lucerna modestum gratiosúmque effecerit conviuium. Vt enim homines qui convenerunt silētes cibo impleantur, nimis quàm est porcorum mori affine, atque haud scio an etiam fieri nequeat. Qui verò sermonem in conviuio relinquit, ordinem & vtilitatem colloquij inde excludens: multò est ineptior, quàm si quis velit conviuas semper edere & bibere, vinum autem iis merum infundat, cibúmq; inconditum & immūdum apponat. Nullus quippe cibus, nullus potus non quo convenit modo apparatus, ita insuauis, ita noxius est, vt sermo intempestiuè & stultè in conviuio circumvagatus. Equidem philosophi ebrietatem vituperantes, delirationem è vino obortam appellant. quid autem est delirare, quàm inani & nugaci oratione vti? & cùm garrulitas incomposita ac nugæ vino accedunt, finis inscitissimus ingratissimúsque sequitur contumeliæ & bacchatio. Non itaque ineptè apud nos Agrioniis festo mulieres Bacchum requirunt tanquam fugitiuum, deinde finem quærendi faciunt, dicúntq; eum ad Musas confugisse, atque apud eas latere occultatum: paulo pòst cœna finita ænigmata & griphos invicē proponunt. docente id mysterio, inter pocula sermone vtendum esse qui aliquid commentationis atque eruditionis habeat: quæ si ebrietati adsit, ferocia & insania vini celatur à Musis benignè detenta. Proinde quæ pridem in Platonis natalicijs nobis audire & dicere contigit, primo loco hic liber complectitur, qui est conviualium disputationum octauus.

SEXTA die mēsis Thargelionis cùm natalem Socratis diē celebrauissemus, postridie eius diei Platonis natalicia egimus. eaque occasio primùm nobis oblata disserendi fuit ea, quæ ad præsens tempus quadrarent. Princeps colloquij Diogenianus Pergamenus fuit, ita ferè locutus. *Fortuna.* Non malè Ion de Fortuna pronunciauit, eam cùm à sapientia differat plurimum, permulta huius operum similia facere. Hoc quidem illam scitè fortuito lusu effecisse, vt horum philosophorum natales dies non modò ita contigui essent, sed prior etiam eius qui gloria & ætate anteiuisset, doctórq; alterius fuisset. Mihi verò multa occurrerunt quæ dicerē de iis, quæ in idem tempus inciderunt. Quale est de Euripide. Is natus ea die, qua ad Salaminam Græci cum Medis nauali prœlio decertauerunt, mortuus est die natali Dionysij senioris, Siciliæ tyranni. cùm quidem, vt Timæus ait, Fortuna simul & imitatorem tragicarum calamitatum subduxit, & actorem earum autorémque introduxit. Mentio etiam facta est huius rei, quòd Alexander Magnus & Diogenes Cynicus ille vna eadémque die è viuis excesserunt. Convenit quoq; regem Attalum suis in nataliciis diem suum obiisse. Pompeium Magnum alij suo natali, alij pridie eius periisse apud Aegyptum aiebant. In mentem venit porrò & Pindarus, qui Pythiis natus, multos pulcrósque hymnos Apollini suppeditauit. Florus autem Carneadem quoque nolebat præteriri in Platonis nataliciis, Academiæ nobilissimum antistitem. ambos enim natos festo Apollinis die: Platonem Athenis cùm Thargelia agerentur, Carneadem Cyrenæ, cùm ibi Carnia celebrarentur. Vtrunque sacrificium in septimum diem incidit: & vos vates atque sacerdotes Apollinem vt ea die natum Hebdomagenam, quasi Septimanatum, appellatis. Itaque eos qui Apollinis filium faciunt Platonem, non puto aliquam deo ei contumeliam facere, qui nobis hunc maiorum vitiorum & morborum medicum

medicum Socratis, tanquam alterius Chironis opera parauit. simul etiam commemorauit somnium Aristonis & vocem vnà oblatam, quæ eum per decem menses concubitu & contactu vxoris abstinere iuberet. Sub hæc Tyndares Lacedæmonius: De Platone quidem, inquit, dignum est canere & dicere:

Non hic creditus est mortali de patre natus Iliad. ω, 258.
Esse: Deo genitore satus sed ducere vitam.

Equidem nonnihil vereor, ne gignere non minus repugnet diuinæ naturæ perpetuitati, quàm natum esse. nam gignere etiam mutatio est quædam & adfectio. idque significauit Alexander, cùm diceret se morti & interitui esse obnoxium sese tum maximè sentire, quando rem haberet cum muliere, & cùm dormiret. nempe quòd somnus remissio quædam esset ab imbecillitate proficiscens: generatio autem quævis sui portiunculæ in alium transitus & perditio. Recipio tamen animum, audiens ab ipso Platone deum non natum & ęternum nominari patrem opificémq; mundi & aliarum rerum natarum: non sanè quòd semine emittendo ista genuisset: sed alia quadam vi materiæ principium genitabile, quod affecerit & mutauerit eam, inseruisset.

Quando volucrem feminam venti quoq;
Fetu replet meatus. in partu tamen ——

Neq; existimo absurdum esse, deum non humano more coëuntem, sed aliis quibusdã ansis per alias res contactibúsq; mulierem mortalem diuino implere semine. Et quidem mea non est hæc ratio, sed Aegyptiorum: qui Apin sic concipi aiunt Lunæ contactu, omninóq; mari deo cum mortali femina concedunt consuetudinem: vicissim verò non existimant marem hominem feminæ deæ partus fetúsve principium posse præbere: quia sacrificia deorũ in aëre, ventis, caloribus, humoribúsq; certis ponuntur.

QVAESTIO SECVNDA.

Qua ratione dixerit Plato, deum semper geometriam tractare.

SECVNDVM hæc facto silentio, Diogenianus denuò sic est orsus. Quandoquidem de diis facta est mentio, iubétne ipsum in suis natalíciis Platonem consortem adhibere, & considerare quonam consilio pronunciauerit deum semper geometriam exercere? si quidem hoc dictum est Platonis. Ego cùm subiecissem, non esse hoc expressè in vllo ipsius libro scriptum, tamen satis habere fidei, & Platonicæ esse formæ: statim excipiens sermonem Tyndares, Existimásne, inquit, Diogeniane subtile obscurúmque aliquid per ambages hac oratione innui? non idipsum, quod tam sæpe idem dixit scripsítq; laudans geometriam, ea nos à sensibus quibus attenti sumus avelli, & averti ad naturæ sola mente percipiendæ atque sempiternæ contemplationem, quæ contemplatio finis est philosophiæ, non secus quàm inspectio arcanorum sacrorum finis est initiationis. Nam voluptatis & doloris ille clauus, è Phædone quo animus corpori adfigitur, id videtur maximum habere malum, quòd sensi- Platonis. lia facit intelligibilibus evidentiora, vímque facit intellectui, vt adfectionem magis quàm rationem in iudicando sequatur. Adsuescens enim ob vehementiam dolorum & voluptatum intentus esse vagis & mutabilibus corporis accidentibus tanquam ei quod sit, excæcatur, vt cernere id quod re vera est non possit, instrumentúmque animi & lumen innumeris præstantius oculis amittit, quo solo diuina natura conspicitur. Iam cùm in omnibus mathematis, tanquam planis & læuibus speculis, intelligibilium veritatis vestigia & imagines appareant: maxime Geometria, quam Philo reliquorum principem & metropolin vocat, exci- Geometria. tat & convertit intellectum velvti repurgatum, & paulatim à sensu liberatum. Quamobrem Plato ipse reprehendit Eudoxum, Archytam, & Menæchmum, qui cubi duplicationem aggrederentur in instrumenta & mechanica opera coniicere, tentaréntque hoc modo duas lineas medio loco datis duabus proportionales invenire *. hoc enim pacto aiebat corrumpi & perdi geometriæ bonum, rursum ad sensilia refugientis, neque sursum se efferentis, neque apprehendentis æternas & corporis expertes imagines: quibus deditus deus, semper deus est. Post Tyndarem Florus socius eius, & qui semper per iocum simularet dicerétque amatorem se eius esse,

* Bene abs te factum est, inquit, qui orationem nō tuam feceris, sed in medium proposueris. voluisti nimirum ostendere, Platonem demonstrare non diis, sed nobis necessarium esse geometriæ vsum. Non enim profectò etiam deo opus est mathemate, tanquam instrumento, quod à rebus natis ad æternas eius traducat intellectum: cùm ea in ipso, cum ipso, & circa ipsum sint. Verùm hoc vide, an non te fefellerit Platonē aliquid conveniens & domesticum hoc involucro significare voluisse: quippe Socrati non minùs Lycurgum quàm (quod putauit Dicæarchus) Pythagorā adiungēs. Nam Lycurgus, quod nosti, arithmeticam proportionem, vt popularem & turbæ aptā, Lacedæmone eiecit: geometricam vt quæ paucorum modesto imperio & legitimo regno conveniret, introduxit. Quippe illa numero æquale omnibus tribuit, hæc ratione cuiq; id, quod meretur: neq; omnia confundit, sed habet notabile bonorum & malorum discrimen, non qui sorte aut libra, sed discrimine virtutis & vitij suum quisque adipiscerentur. Hanc deus proportionem rebus immittit, quæ, in Tyndara, Iusticia & Nemesis appellatur, ac nos docet quod iustum est pro æquali, non quod æquale est pro iusto ducere. Quam enim pleriq; sectantur æqualitatem, omnium iniusticiarū maximam, eam deus tollens, quantum omnino fieri potest suum cuiq; pro eo atq; dignus est conseruat, geometricè id ratione ac lege definiens. Cùm nos hæc laudauissemus, Tyndares inuidere se dixit, Autobulúmq; hortatus est vt Florum refelleret. Id
* hic renuit, sed peculiarem quandam protulit sententiam. Neq; geometria, aiebat, vllam rem aliam, quàm extremitatum accidentia considerat: neq; deus alio modo condit mundum, quàm dum materiam definit, ex se infinitam. nō hoc ob magnitudinem aut multitudinem: sed quia incomposita & imperfecta est, antiqui solebant eam infinitam & extremis carentem nominare. Etenim forma & figura, omnis rei formatæ & figuratæ finis sunt siue terminus: quorum priuatione materia suapte natura informis erat & infigurata: numeris & proportionibus in eam insertis tanquā devincta & circumstricta lineis, & per lineas superficiebus ac crassiciebus, primas formas & discrimina corporum tanquam fundamentorum exhibuit, ad gignenda aërem, terram, aquam, & ignem. Octo enim bases, itémq; viginti habentium corporum, tum cuborum & metarum æqualitates in lateribus, similitudines in angulis, atq; concinnitates edi ex materia incomposita atq; vaga absq; eo qui determinaret atq; disponeret geometricè, nullo modo potuerunt. Itaq; cùm infinito terminus esset impositus, Vniuersum concinnatum ac contemperatum optimè atq; definitum factum est, & omnia fiunt: materia semper vi ad infinitatem tendente & geometricam subterfugiente sui tractationem: Ratione autem eam comprænhendente ac circumscribente, & distribuente in formas & discrimina, vnde omnia quæ nascuntur ortum statúmq; suum habēt. His dictis petebat, vt ipse quoq; aliquid in medium conferrem. Ego autem collaudatis eorum sententiis vt genuinis, & satis probabiliter propositis, Tamen, inquam, ne earum vos pœniteat, neq; omnino aliò respiciatis, audite rationem quæ hac de re apud doctores nostros maximè probata est. Inter maximè geometrica theoremata,
Euclid. 6.25. aut potiùs problemata est, Datis duabus figuris tertiam adiungere, alteri earū æqualem, alteri similem. quo invento ferunt Pythagoram sacrificasse. est enim haud dubiè hoc multo splendidius & scitius illo, quo ostenditur anguli recti in triangulo subtensam quadratum ęquale quadratis eum continentium laterū posse. Recte, inquit, Diogenianus: sed quid hoc ad propositum? Facilè, respondi, intelligetis, in memoriam revocata diuisione, quæ in Timæo est, vbi prima è quibus mundi origo est in tria diuidit, quorum vnum iustissimo nomine deum, alterum materiam, tertium formam appellamus. Materia proinde subiectorum vt quod maximè inordinatum & incompositum est: idea exemplorum pulcerrimum: deus causarum præstantissima. Is ergo nihil voluit infinitum relinquere, quantum omnino res tulit: sed omnia ornare ac digerere ratione & mensura numeróque secundum naturam. fecitq; ex omnibus subiectis vnam rem, magnitudine materiæ parem, forma ideæ similem. Itaque istud problema sequens, cùm duo essent, tertium fecit, facit, conseruátque perpetuò mundum materiæ æqualem, ideæ similem. Et cùm hic ob annatam corporis necessitatem nunquam non ortibus, mutationibus, omnísque generis affectionibus sit obnoxius: à patre & opifice ei succurritur, qui proportione ad exemplar substantiam definit, aut etiam pulcrius quàm quod mensura respondet ambitus rerum.

Quæ-

QVAESTIO TERTIA.

Cur nox ſonos facilius reddat quàm dies.

ATHENIS cùm Ammonio, qui tum ibi tertium erat prætor, nobis cœnantibus, tumultus domum circumſonauit foris prætorem inclamantium. Qui cùm ſuorum miniſtrorum quibuſdam miſſis turbam compeſcuiſſet, hominéſque ſedaſſet: quæſiuimus quidnam cauſæ eſſet, quòd qui intus ſunt, eorum qui foris ſunt vocem exaudiunt, non item verò hi illorum. Ammonius hoc ab Ariſtotele explicatum aiebat. vocem enim eorum qui intus ſunt foràs in aërem copioſum atque apertum elatam ſtatim diſſipari & evaneſcere: eorum qui foris ſunt intrò accidentem nihil tale pati, ſed contineri atque permanere notabilem. Id verò (aiebat) magis rationē exigit, cur noctu voces magis ſint ſonoræ, & ſimul cum magnitudine claritatē purē conſeruent. Mihi quidē videtur Providentiá non ineptè hoc machinata vt tum auditus clarè ſonos percipiat, quando viſus aut nullum aut perexiguum vſum habet. Cùm enim aër ſit tenebroſus *Problem. 11. ſect. 11.*

Deſertæ noctis, cæcæque, — vt ait Empedocles: quantum videndi ſenſus amittit, tantum auditui redditur. Sed quoniam etiam eorum quæ naturæ neceſſitate eveniunt cauſæ inquirendæ ſunt, & materialium inſtrumentaliumque cauſarū tractatio propria phyſici eſt: quiſnam veſtrum probabilem primus rationem invenerit? Facto ſilentio, Boëthus: Cùm eſſem, inquit, etiamnum adoleſcens & ſophiſticæ deditus, poſtulatis vtebar è geometria deſumtis, & ea ponebam, quæ demonſtratione carerent: nunc vtar quibuſdam, iam ante ab Epicuro demonſtratis. Quæ ſunt, in eo feruntur quod non eſt. multum enim inane ſparſum eſt & immixtum aëris atomis. Is ergo vbi diffunditur in latitudinem, ac circumcurſitationem nanciſcitur: tum ob raritatem exigua iſta & tenuia quæ particulas interiacent, inania fiunt, multúmque ſpacij inſertum præbent. quando autem comprimuntur & in anguſtias denſantur, vique inter ſe coguntur: foris ingens latumque relinquunt ſpacium, magnáſque divulſiones. Atque hoc nocte frigus efficit. nam calor laxat, divellit, ſoluitque denſata. ideóque corpora quæ feruent, molliuntur, liquantúrve, ampliorem occupant locum: contrà verò quæ denſantur aut refrigerantur, ea in ſeſe redeunt atque contrahuntur, vacuúmque relinquunt in vaſis quibus continentur, & locis quæ deſeruerunt. Iam vox ſi offeratur & occurrat corporibus multis atque frequentibus, aut omnino obtunditur, aut divulſiones patitur magnas, multáſque reliſiones & moras. At in inani & corporum vacuo intervallo, læui continuo expeditóque curſu ad auditum pervenit; ob celeritatem ſimul cum forma claritatem retinens. Vides enim vaſa quoque inania ſi pulſentur, faciliùs ſonum reddere, ac longè reſonare, ſæpe etiam in orbem ſonitum didere magnum. vas autem quòd impletum eſt ſiue ſolido ſiue humido corpore mutum omnino eſt, voce ſpacium non habente & viam qua exeat. De ipſis verò corporibus aurum & lapis ob denſitatem exiles ſonos obſcuróſque edunt, vocéſque in iis celeriter extinguuntur. æs vocale eſt & ſonorum, quia multum habet vacui, & mole eſt leui atque tenui, non ex multis & continentibus compactum corporibus, ſed abvnde habens admixtum ſubſtantiæ cedentis & non cum alia conſertæ. quæ cùm aliorum motuum copiam facit, tum vocem facilè excipiens tranſmittit, donec aliquid velvti in via occurrens inanii obſtructo eam hebetet: vbi iam ſubſiſtens deſinat porrò ire propter obthurationem. Hæc mihi videntur noctem reſonabilem facere; diem eo minus hoc habere puto, quòd calore & diſſolutione aëris longa intervalla atomorum reddit. modò ne quis primò à nobis poſita impugnet. Tum ego iubente Ammonio aliquid contradicere: Tuæ quidem, inquam, primæ ſuppoſitiones circa multum inane verſantes maneant. Enimverò hoc non rectè ponitur, inane ad vocem conſeruandam & promouendam facere. Quod enim tangi, affici, & ici non poteſt, ſilentio eſt quietíque accommodatum. At vox ictus eſt corporis perſonantis: ſonum tranſmittit ac perſonat id quòd cognatum ei eſt & ab eo adficitur, motu facile, & leue atque æquabile, obſequénſque ei quòd validè & continenter fertur: qualis eſt noſter aër. Etenim aqua, terra, ignis, muta ſuapte natura, omnia tamen ſonum edunt & fragorem ac ſtrepitum ſpiritu illapſo. Aes inane nihil in ſe habet: ſed æquabili læuíque temperatum ſpiritu facilè pulſatur ac reſonat. Quòd ſi viſu ratiocinandum eſt, ferrum potiùs videtur aliquid habere fungoſum, & inanitate multa patens, atque inſtar fauorum capſulæ excauatum:

& tamen admodum male sonat, omniúmque metallorum est mutissimum. Nihil ergo attinebat nocti molestiam exhibere, constringendo cogendóque eius aëre, alibi autem spacia & inanitates relinquendo: quasi verò aër voci impedimento esset eiúsque naturã vitiaret, cuius ipse substantia, forma, & vis est. Præter hæc, oportebat sanè noctes intemperatas, quales sunt caliginosæ & hybernæ, resonãtiores esse serenis & bene temperatis: (quod huc compellantur atomi, ibi autem vbi discedunt locum corporũ inanem relinquant) & quod promtissimũ est, frigidam diem nocte tepida & æstiua. quorum neutrum est verum. Itaque hac ratione omissa, Anaxagoram produco, qui aërem à Sole ait motu tremulo & trepidante cieri: quod manifestum est e minutis istis ramentis quæ perpetuò per lumen dissultant, frustulísque, quas Greci quidam tilas, quasi flocculos, vocant. hæc ille ait ob calorem sibilantia & strepentia facere sonitu suo, vt interdiu voces difficiliùs exaudiantur: noctu eorum agitationem & sonum tolli. Hæc me fato Ammonius, Ridiculi, inquit, fortasse videbimur, cùm & refellere Democritum, & corrigere Anaxagoram aggrediemur. Enimverò Anaxagoricis istis corpusculis adimendus est sibilus, neque verisimilis ille, neque necessarius: cùm sufficiat tremor & motus eorum in lumine exagitatorum sæpenumerò ad divellendas & disiiciendas voces. Nam aër, corpus (vt dictum fuit) vocis & substantiam sese præbens, siquidem tranquillus sit, recta proficiscẽtes, leues, & continentes sonorum portiunculas longè provehit. Tranquillitas quippe aëris sonora est: & cõtrà. ac sic etiam dixit Simonides:

Nam neque tunc flatus ventorum increbruit vllus,
Qui folia concutit arborum:
Qui ne mortales mea vox penetraret ad aures,
Suaue dissiceret melos.

Sæpenumerò quidem neque speciem vllam vocis aër conturbatus articulatam sinit effformatámque ad aures pervenire: quanquam de multitudine semper aliquid & magnitudine perferat. Cæterùm ipsa per se nox nihil habet quod aërem commoueat: dies magnum aliquid, Solem nimirum, sicvt ipse dixit Anaxagoras. Hæc in dicendi partes se sufficiens Thrasyllus Ammonij F., Quidnam, inquit, per deos nobis accidit, vt putemus causam conferendam in occultas & considerando duntaxat perceptibiles aëris motiones, interim manifestam eius exagitationem & divulsionem negligẽtes? Nã magnus ille in cœlo dux Iupiter, nõ latenter, neque sensim minimas aëris particulas concitans, sed palàm sese in conspectum proferens excitat & commouet omnes res

Dans dextra signum, populósque ad nota laborum
Euocat exoriens sua munia. —— iique sequuntur, & tanquam denuò renati noua die noua consilia suscipiunt, (vt ait Democritus) non mutis aut inefficacibus actionibus. Quo sensu etiam Ibycus diluculum clyton haud male appellauit, à Klyein quod audire est: tunc enim audire & loqui homines incipiunt. Nocturnus autem aër tranquillus plerunque & silens, omnibus quiescentibus, vocem integrã & sinceram haud abs re ad nos mittit. Aderat ibi Aristodemus Cyprius. Is, vide, inquit, Thrasylle, ne hoc nocturnæ pugnæ & profectiones magnorum exercituum refellãt, nihilominus resonantibus vocibus tunc quantumvis turbato exagitatóque aëre. Sed & penes nos aliquid est causæ. Quæ enim noctu loquimur, pleraque turbulente & cum aliqua animi commotione iubentes alios, aut interrogantes aliquid, contentiùs vociferamur. Nam quòd eo tempore, quo maximè solemus quiescere, surgimus ad agendum aut loquendum, id non exiguum aut placidum est, sed magnum, & vrgente graui aliqua necessitate: vnde etiam voces feruntur vehementiores.

QVAESTIO QVARTA.

Cur sacrorum certaminum aliud aliam habet coronam, palma omnibus est communis? imbi etiam cur magnas palmæ glandes appellent nicolaos.

ISTHMICA festiuitate cùm Sospis iterum certamini præesset, cætera quidem conviuia subterfugimus, cùm is multos simul hospites, & sæpe vniuersos ciues inuitasset: semel, vbi domi suæ conviuium maximè amicis & litteratis præbuit, ipsi quoque interfuimus. Sublatis iam primis mensis, venit quidam ad Herodem rhetorem missam ei à discipulo palmam & coronam de consertarum genere adferens, quæ discipulus ille laudationis concertatione victor meruerat. Ea Herodes amplexus remisit. dubi-

dubitare autem ſe dixit, quanam de cauſa alia certamina alias habeant coronas, palmam communiter omnia. Neq enim, aiebat, fidem mihi faciunt, qui foliorum æqualitatem cauſantur, ea dicentes quaſi inſurgere invicem atq concurrere, et ſic quodammodo certamen luctámq referre, tum victoriam nicen dici à non concedendo, μὴ εἴκειν. Nam permulta alia tantum nō menſura & pondere exactè oppoſitis inter ſe foliis alimentum diſtribuentia, admirabilem æqualitatem & ordinem oſtentant. Probabilius hi, qui opinantur antiquos palmam ob pulcritudinem & germinādi venuſtatem dilexiſſe. qua ratione etiam Homerus Nauſicaam germini palmæ contulerit. Neq ignoratis quoſdam honoris gratia roſis, lychnitidibus, malis, atq etiam punicis iis victores petiiſſe. At enim palma nihil adeò evidēter pulcrius reliqs habet, cùm in Græcia fructum quoq non ferat qui eſui ſit, ſed imperfectum & immaturum. nam ſi, vt in Syria & Aegypto, glandem daret adſpectu & ſuauitate omnia ſpectacula & bellaria ſuperantem, nō erat ſanè quod cum ea compararetur. Imperator quidem, vt narratur, Nicolaum philoſophum peripateticum ſingulari proſequens amore, ſuauibus moribus hominem, gracili & procero corpore, faciem plenum emicantis punicei ruboris: maximas & pulcerrimas palmulas nicolaos nominauit: ſicq etiamnum dicunt. Hæc cùm dixiſſet Herodes, quæſtione ipſa non iniucundiorem viſus eſt de nicolao mentionem inieciſſe. Proinde, inquit Soſpis, maiore ſtudio quivis ſuam de quæſtione in medium conferat ſententiam. Primus ego hoc adfero, oportere victoris gloriā quantum omnino fieri poteſt ab interitu & ſenio eſſe immunem. Palma autem inter maximè longæuas plantas vel præcipua eſt. quod etiam Orphica hæc teſtantur:

Odyſſ. ζ, 162.

Vitam agebant germinibus ſimilem palmarum altè comantium.

Soli autem ferè huic verè id adeſt plantæ, quod tanquam verum de multis dicitur: nēpe folia firma & ſemper durantia habere. Nam neq laurum, neq oleam, neq myrtum, neq aliam vllam earum ſtirpium quæ foliis negantur ſpoliari, videmus ita ſemper eadem folia ſeruare. Sed prioribus defluentibus, & aliis ſuppullulantibus * ſicvt vrbes * quodvis animal perdurat, & implacabile * Palma nullum abiiciens è ſe natum folium, conſtanter foliis ſuis ſemper ornatur. quam eius vim victoriæ robori potiſſimùm accommodant. Vt finem dicendi Soſpis fecit, Protogenes grammaticus nominatim compellans Praxitelem enarratorem, Siccine, inquit, patiemur oratores à ſignis & coniecturis argumenta ducentes propoſitum conficere? nos nihil ex hiſtoriis habemus, quod conferamus ad hanc quæſtionem? Sanè mihi videor meminiſſe nuper me in Atticis legere, quòd Theſeus primus in Delo certamen inſtituens avulſit frondem de ſacra palma, inde etiam ſpadicem dictam. Tum Praxiteles, Sunt iſta, inquit: ſed hoc ipſum quæri poteſt, qua de cauſa non lauri vel oleæ, ſed palmæ frondē avulſerit, cùm victoriæ præmium ſtatueret. Vide ergo an non hoc præmium ſit Pythicum, & Amphictyones Pythiis primùm victores in honorem Apollinis lauro ac palma coronauerit: vt qui deo non lauros, non oleas, ſed palmas conſecrarent. ſicvt in Delo Nicias cùm pro Athenienſibus ſumtum in ludos faceret; & Athenienſes apud Delphos, & Cypſelus antè Corinthius. Alioquin enim iſte deus ſtudioſus eſt certaminum, de citharam pulſando, de cantu, de diſci iactu, & (vt nonnulli putant) etiam pugillatione. Idem hominibus certantibus opem fert, quod Homerus teſtatur. nam Achillis hæc verba ponit:

Nunc prodire duos iubeo, certare paratos
Ictibus infeſtis pugnorum. Vtrius Apollo
Victricem manibus ſortem conceſſerit. Iliad. ψ, 659.

& de ſagittariis eum qui vota Apollini feciſſet victorem facit, iactatorem & qui votiuere neglexiſſet, à ſcopo aberrare. ibid. 863. 872. Equidem Athenienſes quoq apparet non temere aut ſine ratione Apollini gymnaſium dedicaſſe. nimirum enim à quo ſanitas nobis eſt deo, eum firmam quoq corporis largiri conſtitutionem, & robur in certamina cenſebant. Porrò cùm & leuia & grauia ſint certamina, Apollini pugili Delphos, curſori Cretenſes aiunt ſacrificare & Lacedæmonios. Spoliorum verò & manubiarum trophæorúmq dedicationes Delphis nonne teſtantur, vim huic deo maximam eſſe ad concedendum victoriam? Eo adhuc loquente interrumpens ſermonem Caphiſus Theonis F., Hęc quidē, inquit, nō redolēt hiſtoricos aut enarratorios libros, ſed è mediis deprōta Peripateticis locis probabiliter ſunt argumētata: ac præterea tragœdorū

more ſublata machina deum eratis prolaturi, quo terreretis qui vobis contradiceret. Ac deus quidem, vt par eſt, omnibus æquè benignum ſe præbet. Nos autem ſecuti Soſpidem, benè enim præiuit, rurſum de palma loquamur, amplas ſermoni occaſiones præbente. Babylonij eam celebrant atq; decantant arborem, quòd ipſis CCCLX vti-
* litatum genera præbeat. Nobis autem Græcis minimè eſt vtilis: ſed ad athleticam phi-
* loſophiam fortaſſe id etiam fecerit quod ſterile eſt. Nam cùm palma pulcerrima ſit & maxima, ob intemperiem apud nos non fert fructum: ſed alimento in corpus ideò inſumto, parum ei, idq; vitioſum ſupereſt ad ſemen creandum. Peculiare autem præter hæc omnia eſt quod dicam, & cum nulla alia planta commune. Palmæ lignum, ſi ſupernè onere impoſito premas, non deorſum adfligitur aut concedit, ſed contrà incuruatur, quaſi vi renitens prementi. Eodem modo res habet in athleticis certaminibus. Qui enim ob imbecillitatem & mollitiem concedunt, ij flectuntur atq; deprimuntur: qui exercitationem fortiter ſuſtinent, eorum non corpora modò, ſed animi quoque eriguntur & augentur.

QVAESTIO QVINTA.

Cur qui nauigant, ante diem aquam è Nilo hauriunt?

FVIT qui quæreret quamobrem nauicularij noctu & non interdiu è Nilo aquarentur. Viſum eſt nonnullis eos Solem metuere, qui humida calefaciendo præveniens ad putrefactionem faceret prona. omne enim quod calefactum aut tepefactum eſt, ſemper ad mutationem eſt propenſius, iam antè adfectum qualitatis ſuæ remiſſione. At frigus cùm alia in ſuo continere & ſeruare ſtatu videtur, tum vel maximè aquã, quæ natura ſuapte eo conſeruatur. oſtendit hoc nix, qua carnes in multum tempus à putredine vindicantur. Calor cùm alia, tum mel quoq; ſua qualitate exuit: quod crudum alia quoq; à corruptela defendens, elixando perditur. Maximam huic cauſæ fidẽ conciliauerunt aquæ paluſtres: quæ hyeme potui non minùs aliis aptæ, æſtate vitiantur & morboſæ fiunt. Itaq; cùm nox hyemi reſpondere credatur, æſtati dies: exiſtimant aquam minùs obnoxiam fore mutationibus, ſi noctu hauriatur. Hæc ſatis veriſimilia cùm haberentur, alia ſe prodidit ratio, nauticam experientiam fidémq; nimirum reſipiens. Noctu enim dicebant aquam ſumi, fluuio adhuc placido & quieſcẽte: interdiu multis hominibus aquantibus & nauigantibus, multis etiam beſtiis in eo vagantibus, conturbari ſtatim ac limoſum fieri. quod autem tale eſt, facilè putreſcit: cùm omnia mixta faciliùs ſinceris putreſcant, mixtione pugnam, hac mutationem inferente. eſt autem putrefactio de mutationum genere, ideoque pictores colorum mixtiones corruptelæ nomine adficiunt, & tingere Homerus δεῦσαι extulit. communis autem conſuetudo * ſincerum & purum, corruptionis & interitus expers. Maximè autem terra aquæ admixta eam vitiat, potuíq; facit incommodam. Itaq; ſtantes aquæ & in cauitatibus inhærentes facilè putreſcunt, ob multum terræ admixtum: fluẽtes fugiunt & repellunt offerentem ſe iis terram. Et Heſiodus rectè præcepit

Operibus 593.

Iugis aqua de fonte, & cui non turbida lympha
Defluat. ——

Salubris enim aqua eſt quæ non corrupta ſit: hoc fit, ſi non miſceatur, ſed pura maneat. Huic rationi non leue teſtimonium perhibent terrarum diſcrimina. Aquæ enim montanam & lapidoſam permeantes terram, quia non multum terræ ſecum trahunt, validiores lacuſtribus & in plano fluentibus ſunt. Nilus verò molli ſolo contentus, aut potiùs velut ſanguis carne temperatus, impletur quidem dulcedine & ſaporibus vim efficacem & nutrimento aptã habentibus: mixtus tamen terra, turbidúſq; fluit: idq; magis etiam, ſi conturbetur. nam motus humori terreas partes admiſcet, quæ abſcedunt ob grauitatem ſuam vbi aqua quieſcit. Propterea noctu aquantur, ſimul etiam Solem antevertentes, qui tenuiſſimas & leuiſſimas aquæ partes ſemper attollens conſumit.

QVAESTIO SEXTA.

De his, qui ſerò ad cœnam veniunt, atq; ibidem de vocabulis akratiſma, ariſton, deipnon.

FILIOS meos iuniores, cùm in theatro acroamatis intẽti diutius hæſiſſent, tardiúſque ad cœnam venirent, Theonis filij per luſum & iocum cœnæ prohibitores & noctu-

nocturcœnantes appellabant aliísq; id genus verbis vtebantur. Tum aliquis natu maiorum dixit, Adcurrecœnam esse, qui serius ad cœnam adesset. celerius enim quàm lento gressu videri properasse, quando moram traxit. Et Batti, qui apud Cæsarem fuit sannio, iocum retulit, Cœnipetas vocantis eos qui non satis maturè ad cœnam se contulissent: quòd quantumvis occupati, tamen ob cœnandi cupiditatem nō abnuissent inuitati. Ego autem dixi, Polycharmum Athenis in rep. versantem oratorem, cùm vitæ suæ rationem redderet in concione sic dixisse: Præter alia, viri Athenienses, nunquam vocatus ad cœnam vltimus veni. hoc enim videtur admodum populare: sicvt contrà quos tardè venientes præstolari cogunt, insuaues & imperiosos iudicant, molesteq; ferunt. Soclarus verò vt patrocinaretur adolescentibus: Atqui, inquit, Pittacū Alcæus non ea de causa Zophodorpidam seu nocturcœnantem dicitur appellasse quòd serò cœnaret, sed quia plerunq; obscuris et vitiosis vteretur conviuis. Antiquitus quidem prandium vitio vertebatur, & ideò acratisma dictum aiunt ab incontinentia ducto vocabulo. Ibi interpellans Theo, Nequaquam, inquit. Sed fides adhibenda est iis qui vitæ rationem, qua prisci vsi sunt, memoriæ prodiderunt. Hi docent illos cùm & laboribus dediti & temperantes essent, manè panem edisse mero intinctum, aliud nihil. Itaq; hoc dictum fuit akratisma, cùm akraton sit merum. Obson autem vocabatur cœna, quod ad eam serò (id est opse) negociis iam defuncti se conferrent. Ex hoc oborta est quæstio de vocabulis ariston & deipnon, vnde nam essent ducta. Et ariston quidem idem cum akratismate esse Homerus videbatur testari, qui Eumæum facit prima luce ariston apparare. videbatúrq; hoc probabile, vt propter matutinam horā diceretur ariston, quasi aurion, id est manè. Deipnon dictum censebatur, quod à laboribus requietem præberet. cœnamus enim vel peractis iam rebus, vel inter agendum. Atq; hoc etiam ex Homero potest deduci: Odyss. π, initio.

Tempore quo cœnam, qui cædit ligna, parauit. Iliad. λ, 86.

Nisi fortè ariston quasi optimum dicitur, quod promtè quacunq; è materia & sine negocio petitur: deipnon verò, quod apparatu & labore indigeat. Hæc Lamprias frater noster, vt erat dicax & risus captator, Ostendere, inquit, possim Græcis Latina vocabula millies huiusmodi rationibus affiniora esse, quando tanta nugandi licentia nobis datur. Est enim Romanis deipnon cœna, quasi communio: quia antiquitus seorsim solebant prandere Romani, cœnare cum amicis. Prandium autem iij ariston dicunt, ab hora, περὶ ἔνδιον. nam endion significat meridianum tempus, & meridiari endiazein. aut cibum matutinum voluērunt notare & nutrimētum quo vterentur priusquam indigerent, πρὸ τοῦ ἐνδεῶς. Atq; vt omittam stragula, vinum, mel, oleum, gustare, propinare, aliáq; multa quæ Græcis vocibus Latini exprimunt: quis neget comessationem à Komo nostro dici, & miscere à cerasæ, etiam de Homeri sententia:

Miscuit hæc laticem dulcem in cratere Lyæi.

& mensam, quia in medio ponatur, panem quia famem minuat, πεῖναν παύοντα, coronā à capite, cum Homerus alicubi galeam stephanen (stephanos autem sertum est) dixerit. sed & cędere est à δέρειν, & dentes ὀδόντες, & labra à capiendo cibo (quod est λαμβάνειν τὴν βορὰν) deductum. Itaq; vel hæc cum dicuntur risus cohibendus est, aut ne illis quidem ita facilè per vocabula tanquam cuniculos permittendus est aditus, vt alias res planè exscindant, alias deiiciant. Iliad. ε, 12.

QVAESTIO SEPTIMA.

De symbolis Pythagoricis, in quibus præcipitur hirundinem domo non esse recipiendam, & lectum, quando ex eo surgimus, conturbari debere.

CVM aliquandiu Roma abfuissem, eò me reversum Sylla reditus gratulandi gratia (vt est Romani moris) ad conviuium vocauit, ad quod etiam de sodalibus alios non multos adhibuit, inter quos Lucium quoq; ex Etruria, discipulum Moderati Pythagorici. Is cùm videret Philinum nostrum animatorum esu abstinere, occasionē (vt fit) de Pythagora loquendi nactus, Etruscum fuisse affirmauit eum: nō (vt alij quidam) quòd maiores eius Tyrrheni fuissent: sed ipsum in Etruria natum, educatum, institutum. & argumentis vtebatur ad eam rem non minimis, quæ à symbolis Pythagoræ sumebat. quale est quòd è lecto surgentes ille iubebat conturbare vestem stragulam: & olla sublata eius vestigium in cinere non relinquere sed confundere: & hirun-

dinem domo non recipere, neq; supra scopas transire, neq; alere domi quod vngues haberet curuos. hæc aiebat scribere quidem & disserere Pythagoreos, re autem ipsa solos obseruare & tenere Etruscos. Cùm hæc Lucius dixisset, maximè id visum fuit absurdum quod ad hirundines attinet: nimirum animal innoxium & hominum amās perinde arcendum esse, atque curuvnguia illa quæ ferissima & cædis sunt studiosissima. Nam quod vnicum nonnulli veterum attulerunt ad soluendum symbolum, innui vitandam calumniatorum & susurronum consuetudinem: id ne ipse quidem Lucius probabat. minimum enim susurri habet hirundo, garrula & vocalis non magis est quàm pica, perdix, gallina. Numnam ergo, aiebat Sylla, ob prolis necem fabulis vulgatam abominantur hirundines, vt nos eminus à tali flagitio deterreant? quando Tereum & mulieres impia ista & nefaria perpetrasse aiunt, & aues etiamnum Daulides appellant. & Gorgias sophista cùm hirundo stercus in ipsum eiecisset, respiciens ad eam dixit, Non probè hoc ô philomela. An hoc quoque commune est? nam luscinam, quæ culpam earundem sustinet tragœdiarum, non arcent, non exigunt. Fortassis, inquam tum ego, hæc aliquam habent rationem. Verùm hoc considera primùm, an quæ causa est curuvnguia, eadem etiam sit hirundines domo excludendi. Carnivora enim est hirundo, & maximè cicadas Musis sacras & canoras interficit, úsq; vescitur: ac propter terram volitat, exigua venans animalcula, vt ait Aristoteles. Deinde sola contubernalium immunis nulloque dato symbolo inhabitat. Enimverò ciconia, quanquam à nobis neque tegitur, neque fouetur, neque tutelam aut auxilium vllum accipit: persoluit tamen mercedem loci quem occupauit, dum infesta hominibus animalia rubetas & angues circumiens interficit. Hirundo his omnibus potita, exclusis & educatis pullis suis abit, turpiter ingrata. Porrò quod est grauissimum, de his quæ nobiscum habitant sola hirundo & musca non cicurantur homini, neque tangi se patiuntur, neque consuetudinem aut societatem vllius operis ludive admittunt. quod musca facit metu incommodi, & quia subinde abigitur. hirundo autem, quia natura odit homines, & ob infidelitatem semper suspiciosa manet & cicurationis fugax. Ergo si hæc non rectà, sed reflexè vt imagines aliorum in aliis sunt consideranda, Pythagoras hirundinem exemplar inconstantię & ingratitudinis ponens, nō vult vt eos qui temporis sui gratia ad nos se applicant, séque insinuant, admodum familiares nobis faciamus, cúmque iis larem, domum, & sacra intima communicemus. Hæc ego fatus arbitror me dicendi licentiæ fenestram aperuisse. audacter enim iam reliquis symbolis morales accommodauerunt cæteri explicationes. Ollæ formam aiebat Philinus Pythagoricos dum abolere mandant, docere nullum debere evidens relinqui iræ vestigium: sed vbi ea deferbuit, animúsque consedit, omnem esse memoriam offensarum obliuione conterendam. Lecti conturbatio quibusdam videbatur nihil habere occultum: sed statim apparere, indecorum esse vbi vir cum vxore concubuit, locum & quasi expressam imaginem relinqui. At Sylla putabat hoc magis pertinere ad dehortandum à diurno somno, notarique mane ideò apparatus ad somnum sublationem, vt intelligamus noctu dormiendum, interdiu agendum, & ne vestigium quidem corporis in lecto relinquendum. nullus enim vsus est viri dormientis, vt neque mortui. Huic opinioni suffragari videtur id, quod Pythagorici sociis præcipiunt ne quem onere leuent, sed in tollendo & subeundo iubent: scilicet omne ocium, omnem segniciam eo prohibentes.

Ovi. 6. Metam.

QVAESTIO OCTAVA.

Quarè Pythagorici de animalibus maximè pisces pro cibo sint auersati.

VT hæc dicta Lucius neque reprehendens neque laudans quietè tacitúsque secum meditans audiuit: Syllam nominatim vocans Empedocles: Si Lucius, inquit, socius noster ægrè fert quæ dicta sunt, tempus est vt nos quoq; finem faciamus. si verò ad silentium legitimum hoc spectat, id saltem arbitror non esse dictu nefas, aut vetitum aliis explicari, cur piscibus maximè abstineant Pythagorici. hoc enim & de antiquis narratur: & in discipulos incidi Alexicratis qui nostro tempore vixit, reliquis mediocriter vescentes, atq; etiam mactantes, piscem autem gustare omnino recusantes. Quam autem Tyndares Lacedæmonij causam * dicebat hoc silentij præmium habere * pisces vocari ellopes, quòd vocem habent devinctam &

& conclusam * & cognominem mihi qui cessaui Pythagoricè ratiocinari * mentē * retinentes * sed tanquam minorem. & omnino silentium eos pro deo habere: quippe cùm dij quoque sua opera & facta intelligentibus vbi volunt sine voce ostendant. Ad hæc cum Lucius placidè & simpliciter dixisset, veram rationem fortassis etiamnum reconditam esse & infandam: probabilia autem fas esse consectari: primus Theo grammaticus, Magnum, inquit, puto & non facile esse, evincere Pythagoram Etruscum esse: in confesso est, diu eum cum sapientibus Aegyptiorum fuisse versatum: æmulatúmq; multa & probasse, maximè de sanctimoniis sacrificiorum. quale est etiam de fabis. nam Herodotus scribit neq; serere fabam, neq; edere Aegyptios, atq; etiam à *Euterpa.* conspectu eius abhorrere. scimus autem hodiéq; sacerdotes ea abstinere: qui cum sanctimoniæ singulari student, etiam salem vitant, ne vel cibum vel condimentum mari affine vsurpent. Huius rei alias alij adferunt causas. Vera autem hæc est, quòd mare o- *Mare.* derunt vt alienum à nobis elementum, omninóq; inimicum humanæ naturæ. Neq; enim deos, vt Stoici stellas, ex eo nutriri putant: sed contrà in id periisse patrem ac seruatorem regionis, quem Osiridis defluxum nominant, eúmq; deplorantes in læua ortum regione, in dextra interemptum, Nili obscurè innuunt in mare exeuntis interitū. Itaq; neq; aquam eius bibendo aptam, neque quidquam eorum quæ gignit & educat purum & accommodatum sibi putant: cum neq; cōmuni spiritu alantur, neq; cognati cum nostro alimenti partem capiant: sed qui reliqua omnia seruat nutritq; aër, iis perniciosus sit, vtpote præter naturam vsúmq; & ortis & viuentibus. Neq; mirum videri debet, si marina animalia aliena censent, & non idonea quæ suo sanguini spirituique admisceant: quando gubernatores nauium ne alloquio quidem dignantur obviam facti, quòd victum hi è mari quæritent. His collaudatis Sylla addidit de Pythagoricis, eos maximè sacrificia gustasse, deóq; libasse. Piscium verò nullum immolari, nullo rem sacram fieri. Ego, cùm illi dicendi fecissent finem, Pro mari, inquam, adversus Aegyptios propugnant multi & philosophi & indocti, reputantes quot commoditatibus vitam nostram faciliorem suauiorémq; redegerit. Pythagoricos verò à piscibus ideò abstinere quia sint alienæ gentis, ridiculum est & absurdum: immò inhumanum & Cyclopicum præmium cognationis ij præbuerint reliquis atque adfinitatis, coquentes ea & absumentes. Et quidem fertur capturam piscium emisse aliquando Pythagoras, ac captos dimitti iussisse: non qui tanquam alienigenas & inimicos negligeret eos, sed vt pro amicis & familiaribus captiuis precium liberationis persolueret. Itaque contrarium iubet istorum hominum nos suspicari mansuetudo & humanitas: nimirum iusticiæ meditandæ gratia, & vsu discendæ, eos à marinis potissimum abstinuisse. quòd reliqua animalia vtcunque maleficio causam necis hominibus præbent, pisces neque iniuria nos adficiunt, neque adficere possunt quantumvis ad hoc à natura videantur instructi. In promtu est cùm è sermonibus, tum è sacrificiis veterum ostendere, non esum modò, sed & cædem animalis innoxij eos pro facinore impio & nefario duxisse. multitudine tamen superfusa oppressi, simúlque oraculo Delphico (vt aiunt) iubente opitulari frugibus quæ perderentur, mactare aggressi sunt: interim tamen animis turbatis & meticulosis, facere hoc & operari nominaue- *Facere.* runt, vt qui animato interficiendo magnum aliquod facinus committere se arbitrarentur. & in hunc vsque tamen diem id maximo opere obseruant, ne iugulent victimam nisi immolata annuat. adeò sibi ab omni cauerunt iniusticia. At enim, ne reliqua commemorem, si à solis cuniculis aut gallinis omnes abstinuissent homines: eorum animalium breui tempore multitudo tanta fuerat exstitura, vt nulla vrbs habitari, nullus fructus percipi potuisset. Itaque carnium esum, quem initiò necessitas introduxit, nunc ob voluptatis studium tollere difficile est. Sed marina animalia, neque aërem nobiscum, neque aquam communem absumentia, neque ad fruges terræ accedentia, sed velvti peculiari contenta mundo, suisque circumscripta terminis, quorum iis transgressio morte est sancita: neque paruam neque magnam ventri adversus ipsa occasionem præbent: quævis autem piscatio evidenter à gula & cupiditate obsonij proficiscitur, nullo iure maria conturbante & profundum subeunte. Neque enim licet mullum frugiperdam, aut scarum vuiuorum, aut mugiles labracésve seminilegos appellare: quæ nomina terrestribus imponimus, maleficia eorum accusantes. immò quæ minima etiam consectantes de musca aut fele conquerimur, horum de nullo accusare possis vel maximum piscem. Idcirco Pythagorei

nō lege tantùm ab omnibus hominibus, sed natura etiam ab omni innoxio iniuriam abstinentes, minimè, aut omnino nequaquam vsi sunt piscibus pro cibo. cùm præter iniusticiam piscatio videatur intemperantiam quandam & gulæ incontinentiam secum trahere, sumtuosa & curiosa. Quamobrem Homerus non tantùm Græcos facit piscium esum vitantes, cùm quidem ad Hellespontum castra haberent: sed neq; delicatis etiam Phæacibus, aut luxuriosis procis, vtrisq; insulanis, cibum è mari petitum proposuit. Vlissis verò socij cùm tantum maris nauigassent, nunquam hamum demiserunt, nunquam fundam aut rete, quandiu farina adfuit:

Odyss. μ, 329. *Sed cibus è naui consumtus vbi fuit omnis,*

paulo antequàm Solis boues adorirentur, pisces non cibi delicatioris, sed nutrimenti necessarij gratia venati sunt

Incuruis hamis, ventres vrgente famis vi.

eadem necessitate & ad piscandum, & ad cædendum Solis boues adigente. Itaq; non apud Aegyptios duntaxat et Syros, sed apud Grçcos etiam sanctimoniç pars est abstinere à piscibus: ritu non iusticiam modò tuente, sed curiositatem quoque cibi aversante. Sub hæc Nestor: meos verò, inquit, ciues, Megarensium instar nullo in numero censetis? Atqui sæpe ex me audiuisti, sacerdotes, qui nobis hieromnemones vsurpantur, nullum edere piscem. Neptunus enim phytalmius dicitur, quasi genitabilis in mari. & qui ab Hellene prisco genus suum ducunt, Primigenio sacrificant Neptuno, quòd hominem ex humida ortum natura censent, vt etiam Syri: itaq; piscem venerantur vt cognatum & vnà educatum, rectiùs Anaximandro philosophantes. Is non in iisdem pisces & homines, sed homines in piscibus innatos principiò adseruit, cùmq; nutriti essent (vt veteres putant) & iam ad sese tuendum satis haberent virium, eiectos terram occupasse. Ergo sicvt ignis materiam in qua accensus fuit matrem patrémq; suum devorauit, vt ait is qui Hesiodi operibus carmen de Ceycis nuptiis inseruit: ita Anaximander hominum patrem matrémq; cōmuniter pronuncians piscem, ab eius esu dehortatus est.

QVAESTIO NONA.

Fierine posSit, vt propter cibos noui exsistant morbi.

CONSTANTER adserebat Philo medicus morbum qui elephantiasis dicit̃ non ante multum adeò temporis ortum esse. nullum enim veterum medicorum de eo mentionem facere, cùm quidem in res minutas, viles, & obscuras disputationem insumere non posthabuissent. Ego autem testem ei citaui è philosophia Athenodorū, qui in priore de morbis popularibus libro narrat, primùm Asclepiadis ætate non elephantiasin modò, sed & hydrophobam (qui est aquæ timor) innotuisse. Hęc cùm qui vnà aderant mirum putarent, si nouæ adfectiones tunc demum in natura exstitissent: non minorem admirationem mereri hoc visum est, si tam longo tempore tanta accidentia potuissent latere. & tamen ad hoc plerique inclinabant, humaniorem rati eam esse sententiam, quæ naturam in talibus sanè rebus minimè studiosam nouandi poneret, neq; eam faceret in corpore humano tanquam vrbe res nouas molientem. Diogenianus autem aiebat etiam animę morbos adfectionésq; communi quadam & auita progredi via. Et quidem multiplex, aiebat, est vitiositas, variáq; audet: anima in sua ipsius est potestate, vt si velit, ab ea mutari & verti facilè queat. nihilominus incompositi motus eius ordine quodam & mensura continentur, sicvt maris effusiones: nullúmq; nouum aut veteribus non commemoratum vitij genus erupit. Sanè multas cupiditatum differentias, innumeros timoris motus, sexcētas doloris species atq; voluptatis formas enarrando quis non defatigetur?

Sophoc. Antig. *Sed non heri sunt ista, vel nunc edita:*
Semper fuere, quando exstiterint nemo scit.

Nedum corpori nouus morbus, aut serò orta adfectio potuerit accidere, quod nō habet sicvt animam proprium atq; à se mouendi sui principium, sed cum natura communibus deuinctum causis est, eáq; temperatum temperie, cuius etiam infinitas intra terminos vagetur certos, velvti nauis quæ in anchoris stans hac illac fluctuat. Morbus quidem gigni absque causa nullus potest, neque est vis vlla quæ ex nihilo aliquid

contra

cõtra leges naturæ possit producere. difficulter autem noua invenietur causa, nisi nouum aërem, peregrinámq; aquam & ignotos cibos prioribus ex aliis quibusdã mundis aut intermundiis pronunciemus nunc demum in nostrum hunc confluxisse. Etenim ex iis morbi nobis cõtingunt, è quibus viuimus: neq; sunt peculiaria morborum semina, sed istorum vitia respectu nostri, nostráq; in iis delicta naturã perturbant, perturbationes autem discrimina habent sempiterna, quæ nouis sæpenumerò adficiuntur nominibus. nam nomina sunt consuetudinis, adfectiones naturæ: vnde cùm hæc determinata sint, illa varientur, error est ortus. Sicvt autem in partibus orationis, earúmq; invicem constructionibus nouus subitò barbarismus aut solœcismus non potest exsistere: ita corporis temperamenta definitos habent lapsus & errores: in natura quodammodo iis quæ contra naturam sunt comprænensis. Scitè fabularum scriptores fingunt prorsus insolentia & monstrosa animalium nata esse in pugna gigantum, cùm Luna eversa non solito more & loco oriretur. Qui verò naturam autumant morbos tanquam monstra gignere, neq; vero neq; falso similem causam fingentes, eo errant mi Philo, quòd nimis & magis in morbis pro nouitate & differentia accipiunt. Enimverò incrementum & contentio magnitudinem potest & multitudinem apponere: sed subiectum de suo genere non emouet. quo pacto elephantiasin scabiei vehementiam censeo esse, & timorem aquæ de affectionibus stomachicis aut melancholicis. Mirum verò est non obseruasse nos etiam Homero morbum hunc fuisse notum. *Iliad. θ, 299.* canem enim rabiosum inde nominat, vnde etiam homines rabidi appellantur. Hæc Diogeniano locuto, mediocriter contrà disputauit Philo: méq; hortatus est, vt veterum medicorum causam defenderem, qui negligentiæ aut ignorationis maximarum rerum rei peragerentur, nisi isti morbi eorum ætate recentiores existimentur. Primùm, inquam, non rectè mihi videtur hoc sumere Diogenianus, contentiones & remissiones non facere differentiam, neq; genus mutare. Hac enim lege etiam dicemus acetum ab acescente vino non esse diuersum: neq; amarorem ab acerbitate, neq; loliginem à tritico, neque mentham à mentastro differre. atqui in his evidentes sunt qualitatum mutationes, quæ deminuendo elanguescunt, contentione vehementiores fiunt. aut neq; flammam aliud quàm spiritum album, splendorem quàm flammã, pruinã quàm rorem, grandinem quàm imbrem esse affirmabimus: tantùm vehementia & remissione ea definiemus. iámq; tempus erit vt cæcitatẽ nihil à visus imbecillitate, nauseam à cholera, nisi quòd magis minúsve sint, distare pronunciemus. Atqui hæc rationi non congruunt. Nam etiamsi admittamus contentionem istam et remissionẽ nunc accidisse, nouitatem in quantitate non in qualitate retinẽtes, eodem laborabimus absurdo. Iam cùm Sophocles de his quæ esse non creduntur quia antè nõ fuerint haudquaquam ineptè dixerit, Vnumquodq; genus rerum semel aliquando ortum fuisse: videtur id quoq; probabile, non tanquã è carceribus emissos morbos simul omnes procurrisse: sed vno post alterum temporis nonnullo intervallo primùm fuisse natum. Et suspicari licet eos principiò in corporibus morbos exstitisse, qui à penuria, calore, vel frigore generantur. postmodo repletiones, delicatum victum, & voluptates supervenisse, quæ cum ocio & desidia ob abvndantiam rerum necessariarũ multum prauúmque gignerent nutrimentum: vnde varij sint exorti morbi, qui omnimodè inter se implicati & permixti semper aliquid noui faciant. Etenim quæ secundum naturã sunt, eadem ordinata sunt ac definita: cùm natura aut ordo sit, aut ordinis opus. quod ordine caret, Pindaricæ instar arenæ numerum subterfugit: ideóq; statim quod præter naturam est, id fine terminóq; destituitur. Res enim fert vt vno modo verum, infinitis falsum quidq; dicatur. & rhythmi atq; harmoniæ certa constant ratione: errata hominũ in voce fidibúsve & saltatione enumerari nequeunt. Sanè Phrynichus tragœdiæ scriptor de seipso sic loquitur:

Tot mihi subiecit gratas saltatio formas
Hyberna fluctus quot mare nocte daret.

Et Chrysippus cõplexiones quæ è decẽ fiũt enũciatis, multitudine ait CCCCIↃↃↃↃ excedere. verùm hoc refutauit Hipparchus, demonstrans affirmatiuam cõtinere cõplexarum CCCIↃↃↃ, & præterea CIↃXLIX: negantem millia CCCX, vlteriúsque IↃCCCCLII. Xenocrates syllabarum numerum, quas inter se compositæ litteræ faciunt, statuit centiesmillenûm, ac porrò ducentorum millium. Quid ergo mirum est,

si cùm corpus in seipso tot facultates habeat, tótq; subinde cibo ac potu introducantur qualitates, vtatur autem motibus & mutationibus neq; tempore neq; ordine eodem constantibus: horum inter se complexiones nonnunquam nouas & insolentes adfectiones gignere? Lib.II. Qualem Thucydides scribit Athenis pestē exstitisse. ex eo maximè colligens nouam fuisse, quòd carnivora animalia abstinerent esu cadauerū. Circa rubrum verò mare morbo correpti (vt Agatharchides narrat) cùm aliis inauditis accidentibus sunt vexati, tum angues exigui qui nati sunt exertis capitibus suras & brachia perederent, & tacti rursum carnem subirent, ac per musculosa serpentes inflammationum vim intolerabilem excitarent. idque morbi genus priùs aut posteriùs vllis aliis obtigisse nemo comperit. vt & multa alia. Quidam cùm diu laborasset vrinæ difficultate, tandem culmum hordeaceum geniculatum excreuit. & hospitem nostrum nouimus Athenis Ephebum cum multo semine eiecisse bestiolam asperam, multis pedibus celeriter ambulantem. Timonis in Cilicia nutricem Aristoteles refert quovis anno per duos menses in fouea quadam se continuisse, sola respiratione ostendentem se viuere. & in Melonis scriptum est morbi iocinoris hoc esse indiciū, quòd eo laborans mures domesticos accuratè obseruet & consectetur. id verò nunc fieri nusquam videmus. Ideò non mirari debemus, si quædā exsistant quæ olim non fuere, aut interciderunt nunc, quæ antiqui habuerunt. In causa est natura corporis quæ identidem aliam atq; aliam sortitur temperiem. Cæterùm aërem nouum, aut alienigenam aquam introducere mittamus, quando ita videtur Diogeniano. quanquā eos qui à secta Democriti sunt nouimus hoc dicere ac scribere, mundis qui foris sunt pereuntibus, corporibúsq; alienigenis inde huc defluxu quodam perlatis, simul incidere principia sæpe pestilentiæ & morborum ignotorum. Mittamus etiam singulares corruptelas quæ apud nos ob terræ motus, siccitates, imbrésve eveniunt: quibus & spiritus & aquæ, cùm terrigenam habeant naturam, necesse est vnà corrumpantur & mutentur. Mutationem autem ciborum & obsoniorum ac victus rationis, quanta ea facta est, non prætereamus. Quippe multa eorum quæ gustari olim & comedi non solebant, nunc pro suauissimis haberi videmus: qualia sunt mulsum vino mel, & vulua. quin & cerebrum antiquitus abominabantur & proiiciebant: vnde factum vt A-

Iliad.1,378. chilles ei Agamemnonem compararet. Nouimus etiam adhuc multos antiquorum gustare cucumerem, peponem, malum Medicum, & piper non sustinuisse. Proinde cùm ob hæc probabile est corpora insolito modo adfecta esse, & mutata temperie paulatim alterare qualitatem, excrementúmque peculiare conficere: tum ordo etiam * ciborum immutatus non leue discrimen intulit. Quas enim vocant frigidas mensas, ante ostrea crudam lactucam vt concoctu facilem exhibebant. nunc à Platone à cauda ad caput traductæ prima pro vltimis apponunt. Magnum etiam illud de præbibitionibus, quas vocant propomata. Nam antiqui ne aquam quidem biberunt ante quàm edissent. nunc ante cibum captum vino oppleti, humectato & feruente corpore cibum aggrediuntur, tenuia & acuta vique incidendi prædita ad appetitum excitandum ingerentes, ac deinde aliis vescentes. Verùm nulli ad mutan-

Balnea. dum corpora nouósque morbos creandum facultati cedit lauacrorum varietas, quibus corpus multis modis adfectum, ferri instar emollitur ac fluit, & à frigore deinde duratur. Qui paululum nos ætate antecessere, ij si balneum nostrum foribus apertis introspexissent, dicturi erant puto,

Odyss.κ,513. *Stagna Pyriphlegethon subit hæc Acherontia feruens.*

Maiores enim nostri ita lenibus atq; tepidis vsi sunt balneis, vt Alexander Magnus in balneo febricitans dormiuerit: Galatarum aūt mulieres pultem cum suis pueris inter lauandūm ederint. Nunc rabiosis videntur similia balnea, & latrantibus, atq; convellentibus laniantibúsque. aër autem qui in iis hauritur, mixtum ex humore & igne quidpiam, nullam corporis partem sinit quiescere, sed omnem etiam indiuiduam particulam conturbat suóque è statu dimouet: donec inflammatos nos & feruentes ipsi restinguamus. Nihil ergo, Diogeniane, opus est huic disputationi extrinsecus adscitis mediis, aut intermundiis: sed rectà mutata victus ratio satis virium habet ad alios gignendum alios abolendum morbos.

Quæ-

QVAESTIO DECIMA.

Cur autumnalibus somniis minimum fidei adhibendum sit.

FLORVS cùm incidisset in lectionem quæstionum Aristotelis physicarum, ad ipsum Thermopylas allatarum, cùm ipse multas animo dubitationes concepit (vt solent ingenia doctrinę studiosa) tum alios iis impertiuit. testimonium ferens Aristoteli, qui dixit multam sciendi cupiditatem multa facere principia. Et sanè reliquæ in ambulationibus diurnis quæstiones non insuauiter nos oblectauerunt. Quod autem de insomniis fuit dictum, ea maximè iis mensibus quibus defluunt folia, esse incerta & mendacia, nescio quomodo se rursum protulit, cùm Fauorinus à cœna res tractaret alias. Tuis quidem sociis, meis filiis videbatur soluisse nodum Aristoteles, neque aliud quærendum putabant, sed cum eo causam in fructus conferendam: qui recentes & humore turgidi multum turbulentúmque in corpore spiritum generēt. Non enim vinum duntaxat & oleum recens expressum in lucernis probabile est obstrepere, calore flatum quasi fluctum quendam edente: sed & frumentum nouum, & poma videmus tumere atq; distendi, donec flatus & cruditas eorũ discutiatur. Cibos porrò quosdam esse qui difficiles somnos faciant, & animam perturbent, testatum fieri fabarum exemplo, & polypodis capite, quibus abstinere iuberentur qui diuinare per somnum cuperent. Fauorinus ibi, quanquam Aristotelis esset impensissimè studiosus, & Peripateticæ philosophiæ maximam verisimilitudinis tribueret laudem: tamen tunc sententiam quandam Democriti tanquam de fumo squalidam detrahens expurgare ac perpolire cepit. Id primò ponebat pervulgatum, vt aiebat Democritus, visa per meatus in corpora subire ac altè penetrare, ac dum sursum efferuntur, facere vt in somno appareant simulacra. visa autem ista vndiquaq; ferri, delapsa à supellectile, vestimentis, plantis: maximè autem ab animalibus, ob iactationem multam & calorem. eáque visa non modò habere expressas & formam referētes corporum similitudines: (vt Epicurus sentit, eatenus Democritum sequens, atq; exinde ab eius desciscens doctrina) sed & motuum animi, consiliorum, & adfectionum tam lenium quàm vehementium imagines secum trahentia, ita accidere ad animum velvti animata, & significare ea opiniones eorum à quibus sunt emissa, cogitationes, conatus: siquidem articulatas adferentia & inconfusas imagines occurrant. Id autem maximè fieri, quando per aërem læuem motu feruntur expedito & celeri. Autumnalis verò aër, quando folia defluunt, admodum est inæqualis & asper, ideóque visa variè disiicit, & eorum evidentiam tarditate lationis hebetatam, facit evanidam & imbecillam. sicvt contrà ab turgentibus & calidis excurrentia multa & velocia, noticias recentes & significantes exhibent. Tum Autobulum leniter renidente ore intuens, Video, inquit, te iam velvt in vmbra pugnam contra isthæc visa meditari: & contra opinionem, tanquam picturam veterem, aliquid conari repræhensionis. Tu verò, aiebat Autobulus, desine simulare adversus nos. nō enim nescimus te, quia sententiã Aristotelis probari cupis, tanquam vmbram ei opinionem Democriti comparauisse. Hanc ergo missam faciamus, & Aristoteleam impugnemus, quæ nouas fruges & cara poma immeritò incusat: quibus ver & æstas patrocinatur, quando maximè vegetæ fruges & succo plenæ (si quidem Antimacho credimus) & recentes in cibum vsurpatæ, minùs fallacia & vana nobis somnia conciliant. Menses verò ij, quibus folia decidunt, iam hyemi propinqui, dum concoquunt frumentum & quòd pomorum superest, gracilia ea reddunt ac rugosa, & quæ ad furorem diuinum incitandi omnem iam amiserint aculeum. Iam vinum quoque qui bibunt citissimè, Anthesterione hoc faciunt mense, qui hyemem subsequitur: diémque illum quo gustatur nouum vinum, nos boni dæmonis, Athenienses Pithœgiam à doliis aperiundis appellant. videmus autem de musto feruente adhuc ne operarios quidem haurire. Itaque dona deorum desinamus calumniari, & alia via disquisitionem causæ ingrediamur: ad quam nos ducit temporis nomen, & ventosorum inaniúmque somniorum. Autumni enim extremo nomen tribuitur hoc, vt folia deiicere dicatur, quę tum ob frigus & siccitatem plantarum defluunt: nisi quæ calidæ sunt & pingues, vt oleæ, lauri, palmæ: aut humectæ, vt myrtus & edera: his enim temperies opitulatur: reliquis non item. non enim gluten quo folia continentur permanet, sed vel frigore humoris congelat, vel ob inopiam & imbecillitatem exsiccatur. Equidem quòd vigent adolescúntque plantæ, id habent ab humore aut calore

Democriti de visis opinio

contráque iis frigus & ſiccitas perniciem adferunt. Itaque eleganter ſolet Homerus Odyſſ.ζ,201. homines διεροὺς, id eſt humidos ſiue ſucculentos appellare: & gaudium ἰαίνεσθαι, quod Iliad.ψ,600. eſt concaleſcere: contrà ῥιγεδανὸν & κρυερὸν, quaſi rigoris efficax & frigoris, quod triſte Iliad.τ,325. ſit aut formidandum. ἀλίβας autem & σκελετοὺς de mortuis dicuntur, quòd vt exſuccos paßim. eos & aridos traducant. Porrò ſanguis qui in nobis principem vim obtinet, ſimul humidus eſt & calidus: ſenectutem vtraque deficit qualitas. videtur autem anni circumeuntis quaſi ſenium eſſe finis autumni. nondum enim humor appetiit, & tamen caloris vis abiit. Indicium rei eſt non obſcurum, quòd eo tempore ob frigus ſimul & ſiccitatem corpora ſunt ad morbos procliuia. Eſt verò neceſſe ſimul cum corporibus adfici animos, & maximè denſato ſpiritu diuinandi facultatem retundi, qui quaſi ſpeculum caligine oppleatur. nihil ergo evidens, nihil artus habens, nihil apertum viſis offert is, quandiu craſſus, tenebricoſus, & compreſſus manet.

PLVTARCHI
Sympoſiacôn, id eſt, Conuiualium diſputationum, Liber nonus.



NONVS Sympoſiacôn liber, Soſſi Senecio, continet ſermones Athenis habitos in Muſeis: quia nouenarius numerus maximè Muſis convenit. Qui liber quòd plures denario hactenus vſurpato quæſtiones cōtinet, mirum videri non debet. omnia enim Muſis reddenda erant quæ ad ipſas pertinent, nihil ex iis tanquam ſacrificiis auferendum, quibus plura & pulcriora debemus.

AMMONIVS prȩturam Athenis gerens, cùm Diogenio ſorte comparata pueros tenebatur producere concertatum ephebos, qui litteras, geometriam, rhetoricen, muſicámque diſcebant. Itaque nobiles magiſtros ad cœnam vo- Iliad.ψ,810. cauit. aderant autem frequentes alij litterati, & familiares ferè omnes. Sanè Achilles de iis qui certarent ſolis iis qui ſingulari pugna congreſſuri erant cœnam promiſit: volens (vt aiunt) ſi qua in armis ira invicem aut ſimultas concepta eſſet, hanc ab iis deponi in conuiuio menſæq́ communicatione. Ammonio autem contrarium evenit. nam magiſtrorum contentio inter pocula eſt facta multò vehementior: iámque etiam propoſitiones & quæſtiones confuſæ & incompoſitæ fiebant. Itaque Ammonius primùm Eratonem canere ad lyram iuſſit. Qui cùm Heſiodi operum exordium caneret,

Vnica non tantùm eſt contentio: ——

laudaui quòd attemperatè id carmen cecíniſſet. Deinde de verſuum opportuna vſurpatione intulit mentionem, quæ non gratiam modò, ſed interdum vtilitatem quoque habet magnam. Statímque in ore omnium fuit rhapſodus ille, qui in nuptiis Ptolemæi ſororem ducentis vxorem, quod facinus videbatur inſolens & nefarium, ab his eſſet orſus verſibus:

Iuppiter vxorem poſt hæc vocat, atque ſororem.

Et alius, qui apud Demetrium regem à cœna, cùm ei filium Philippum adhuc puerulum miſiſſet, promtè cecinit:

Hunc filium mihi tu, ceu dignum eſt Hercule
Nobiſque, cura educere. ——

Et Anaxarchus in cœna malis petitus ab Alexandro ſurgens, dicénſque,

Eurip.Oreſt. *Aliquis manu ferietur mortali deus.*

Omnium optimè Corinthius puer captiuus, qui cùm patria eius capta Mummius de ingenuis pueris produceret qui litteras ſcirent, & ſcripturam eorum inſpiceret, hunc ipſe exarauit verſum:

Odyſſ.ε,306. *Térque quatérque illos, qui tum periere, beatos.*

commotum enim ferunt nonnihil Mummium illacrumaſſe, liberóſque demiſiſſe omnes pueri huius adfines. Mentio etiam facta eſt vxoris Theodori tragœdi, quæ eum immi-

imminẽte certamine ſecum concumbere non eſt paſſa: ſed poſtquam intrauit ad eam victoria potitus, amplexa, ſicq; allocuta eſt:

Agamemnonis proles, nunc iſta tibi licent.

Exinde multa etiam intempeſtiuè dicta à nonnullis ſunt recitata, quòd ſcire ea & cauere non eſſet inutile. Quale eſt, quod narratur Pompeio Magno è difficili bello reverſo, magiſtrum filiæ, vt ſpecimen ederet eruditionis, libro allato eam hinc iuſſiſſe ordiri:

E bello rediiſti, vtinámque in eo periiſſes. Iliad.γ.428.

Caſſio Longino cùm allatus incerto autore rumor eſſet de filij, qui peregre erat, morte, neque verum comperire, dubitationémque amoliri poſſet: ſenator iam grandior natu eum adiit, &: Cur, inquit, Longine non contemnis rumorem malignum & fide indignum? cùm noris & legeris illud:

Fama quidem non tota perit vel decipit vlla. Heſiod. fine Operum.

Qui verò Rhodi grammatico verſum exigenti cum in theatro is documentum ſuæ artis ederet, hunc protulit,

Mox ex inſula abi, neque enim te turpior alter: Odyſſ.κ.72.

obſcurum eſt contumelioſéne voluerit iocari, an imprudens errorem commiſerit. Hæc quidem tumultum vrbane ſedauerunt.

QVAESTIO SECVNDA.

Cur A principem inter litteras locum obtineat.

QVAESTIO TERTIA.


Qua proportione numeri vocalium & ſemiuocalium comparentur.

CAETERVM cùm moris eſſet in Muſeis, vt ſortes circumferrentur, & qui ea inter ſe componerent, alter alteri eruditas proponeret quæſtiones: metuens Ammonius ne inter ſe committerentur qui eandem profiterentur artem, præcepit vt citra ſortitionem geometra grammatico, rhetor muſico proponeret, idq; viciſſim. Proinde princeps Hermeas geometra propoſuit grammatico Protogeni hanc quæſtionem, cur Alpha primum inter litteras haberet locum. Is cauſam attulit, quæ tradi in ſcholis ſolet. vocales optimo iure mutis & ſemivocalibus anteire. vocalium alias longas, alias breues haberi, alias ancipites: de quibus ancipites haud dubiè prærogatiuam habeant. rurſum de ancipitibus ordine eam reliquis facilè priorem, quæ vtrique præponi, neutri poſtponi ſoleat. tale autem eſſe alpha. id enim neque poſt iota, neq; poſt ypſilon collocatum in vnam cum iis coire vult ſyllabam, ſed velvti indignans reſilit, ſuúmque quærit primordium. iſtorum vtri alpha præpoſueris, conſonabunt, vnámque ſuo obſequio facient ſyllabam, vt in auſter, aura, maia, Aiax, ac innumeris aliis. Itaque tribus his tanquam quinquertio vincit, pleraſque alias litteras eo quòd vocalis eſt: vocales, quòd anceps: ancipites, quòd ſemper eas præcedit, nunquam ſubſequitur. Deſinente Protogene, me appellans Ammonius: Tu verò, inquit, homo Bœotus non opitularis Cadmo? quem ferunt ideò alpha primum litterarum poſuiſſe, quòd bos ita Phœnicum lingua dicitur, quem non ſecundum, aut (vt Heſiodus) tertium, ſed primum inter res neceſſarias ij exiſtimant. Nihil verò, inquam. ſi quid enim poſſum, meo potiùs, quàm Bacchi auo me patrocinari æquum eſt. Lãprias enim auus meus aiebat, primam natura vocem articulatam facultate litteræ A efferri. nam ſpiritum qui in ore eſt, maximè labiorũ motibus fingi, quibus ſurſum verſum diductis primo exeat ſonus iſte, ſimplex admodũ, & nullum exhibẽs negocium, neq; linguę operam flagitans vel expectans, ſed ea ſuó ſe loco continente emiſſus. itaque etiam infantes hanc primum edere vocem. dictum autem eſſe ἀεὶ, quia vox ſentiatur: & multa alia, vt ᾄδειν, αὐλεῖν, ἀλαλάζειν, tum αἴρειν & ἀνοίγειν haud abs re ſic dicta, quòd tum hęc vox ore excidit. quin & mutarũ nomina litterarum, hac tanquam illuſtratione ſuæ vti cæcitatis, vt Beta, Gamma, reliqua: ſolum Pi carere hac facultate, cùm phi & chi nõ ſint niſi Pi & Kappa aſpiratum. Cùm ad hæc Hermeas diceret, vtranque ſibi rationem probari: Cur ergo, aiebam, non tu nobis explicas ſi qua ſit ratio numeri litterarũ: Mihi quidem eſſe videtur, idq; colligo inde, quòd nõ fortuitò mutæ & ſemivocales inter ſe & cum vocalibus cõparatę ſuam habẽt multitudinẽ, ſed ſecundũ primã proportionẽ,

De littera Alpha.

Oper.403.

quam vos arithmeticam vocatis. Cùm enim sint nouem, & octo, & septem, fit vt medius numerus æquali intervallo & superet & superetur. Extremorum autem maximi ad minimi proportio est, quæ est Musarum ad Apollinem: cùm scilicet septenarius huic, illis nouenarius sorte sit destinatus. & compositi extremi, duplum medij haud abs re faciunt: cum semivocales vtrarunque quodam pacto vim participent atque sonum. Mercurius, aiebat, primus deorum in Aegypto traditur invenisse litteras. itaque ibin Aegyptij signū primæ faciunt litteræ: non rectè, meo quidem iudicio, muto vocisque experti animali primum locum in litteris deferentes. Mercurio autem quaternio omnium maximè est consecratus, & multi sunt, qui eum quarta mensis die natum ferant. Primùm autem inventas XVI litteras, quæ Punicæ propter Cadmum dicuntur, quaternio quater sumtus exhibet. & de his quæ postmodo additæ sunt, quatuor Palamedes, quatuor alias Simonides reperit. Iam omnium numerorum primus est perfectus ternarius, principio, medio & fine constans: senarius, quia omnibus suis partibus æquatur. de his igitur senarius, à quaternario multiplicatus, primus perfectus à primo quadrato, multitudinem XXIV procreauit. Adhuc eo loquente Zopyrio grammaticus haud obscurè deridebat ac submurmurabat. cessante autem, se nō continuit quin magnas isthæc esse nugas diceret. non enim ratione aliqua, sed fortuito casu numerum & ordinem litterarum qualis est exstitisse, sicvt hoc quoque temere evenerit, vt primus Iliadis versus totidem constet quot primus Vlisseæ syllabis: quod ipsum extremis quoque eorum operum versibus contigerit.



*

*

QVAESTIO QVARTA.

Vtram Veneris manum sauciârit Diomedes.

SECVNDVM hæc Hermeam aliquid proponere volentem Zopyrioni, nos prohibuimus. Rhetor autem Maximus longè petita occasione eum interrogauit, vtram Veneris manum Diomedes vulnerauerit. Confestim verò vicissim interrogante Zopyrione, vtro pede claudicauerit Philippus: alia res est, inquit Maximus. nam de hoc quidem nullum argumentum præbuit Demosthenes: tu si te ignorare fatearis, alij ostendent quo loco manum vulneratam indicet acutis Homerus. Visus est nobis Zopyrio hærere: eoque tacente Maximum orauimus vt ostenderet. Is ergo, Primùm (inquit) cùm versus hanc habeant sententiam:

Iliad. ε, 335.

Atque hæc magnanimus Tydides dirigit hastam;
Transiliénsque, manum summam ære recludit acuto:

facilè apparet si voluisset læuam sauciare, nihil ei opus fuisse transilire, cùm dextræ suæ læuam Veneris haberet oppositam. Tum probabile est voluisse eum validiorem manum & qua magis teneret Aeneam quem ferebat, vulnerare, qua icta eum dimitteret. Deinde cùm in cœlum rediisset Venus, subsannans eam Minerua, ita loquitur:

Ibid. 422.

Haud dubiè Cytherea alicui persuasit Achiuæ,
Vt Teucros, nimium quos diligit ipsa, sequatur.
Dumque manu sponsam blandè demulcet Achiuam,
Aurea in extrema signauit fibula vulnus.

Existimo autem te quoque optime magister, cum aliquem discipulorum comiter demulces, atque palpas, non sinistra id manu, sed dextra facere: quo modo veri simile est Venerem blandissimam deorum heroinas contrectasse deliniendi gratia.

QVAESTIO QVINTA.

fine x. de repub.

Cur Plato dixerit vigesimo loco ad sortem venisse animam Aiacis.

HAEC cùm reliquos omnes fecissent hilariores, Sospis rhetor Hylam grammaticum videns mœstum tacere, (non admodum enim feliciter ei res cedebat, sicvbi artem suam ostentare conabatur) exclamauit,

Odyss. λ, 542.

At Telamoniadæ sola hinc procul abstitit vmbra:

& qui versus sequuntur, eos pronuncians, contentiore iam voce vltimos extulit.

Verùm ades huc, adhibéque meis sermonibus aures,
Et mentem compesce lubens, animúmque ferocem.

Neque

Neque diſſimulauit Hylas ſe præ ira ſiniſtrè reſpondere. Aiacis, inquit, anima vigeſimo loco ad ſortitionem apud inferos ducta, ſuam cum leonina commutauit naturam. mihi verò ſæpe ad animum accidunt verba comici ſenis hæc: *

Præſtat aſinus fias, quàm qui valent minùs
Virtute, vt videas lautiùs, ac te, viuere.

Tum ridens Soſpis, Enimverò, inquit, interim dum in aſinos mutamur, ſi qua tibi cura Platonis eſt, expone nobis, quanam ratione is Aiacis Telamonij animam vigeſimo loco à ſortitione ad delectum iuiſſe ſcripſerit. Cùm Hylas abominaretur, vt qui ſubſannari ſe ob rem non ſatis feliciter geſtam putaret: frater meus excipiens ſermonem, Quid, inquit? nonne Aiax ſemper ab Achille ſecundus habetur pulcritudine, magnitudine, & fortitudine? eſt autem viginti decurio ſecundus: decurio inter numeros primas gerit, vt inter Græcos Achilles. Nos cùm rideremus, Hæc, aiebat Ammonius, ſint ſanè abs te Lampria, Hylam ioco petendi cauſa dicta: ſed quoniam in te munus rationem reddendi vltrò ſuſcepiſti, cauſam nobis non ludens, ſed seriò agens profer. Turbatus hæc Lamprias, poſt paruuli temporis ſilentium in hanc dixit ſententiam. Plato cùm in more hoc habeat, vt per nomina ludat nobiſcum, maximè id facit, quando fabulam aliquam diſputationi de animo admiſcet. Ita cœli mentem currum vocat volucrem, harmonia conſtantem mundi converſionem. & Phædr. hæc nuncium eorum quæ præſens apud inferos vidiſſet, Erem facit Pamphylium, Harmonij F., innuens his ambagibus, naſci animas ſecundum harmoniam & compingi cum corporibus: digreſſas autem ab iis, vndiquaque in aërem coire, indéque ad ſecundum ortum ſe conferre. Quid ergo impedit quin εἰκοσὸν, quod vigeſimum * ſignificat, dixerit quaſi εἰκαστὸν, quod eſt opinabile: quod fabulam fingeret de anima mortui. Semper enim tres cauſas Plato attingit, quas & vel primus, vel maximè animadvertit: nempe quatenus fatum, fortuna, & arbitratus noſter ſoleant commiſceri, intérque ſe conſeri. Nunc autem mirabiliter ſignificauit quam vim vnumquodque noſtris in rebus habeat. delectum vitæ noſtro adſcribens arbitrio: nam virtus & vitium libera ſunt. quod autem piè viuunt qui rectè delegerunt, contrà qui malè, id fatali neceſſitate devinciens. ſortium autem abſque ordine diſperſarum accidentia, fortunam inſinuat educationi & ciuili vitæ quæ cuique obtingit * multæ noſtrorum præoccupant. Perpende autem hoc, fortuitorum cauſam quærere eſſe à ratione alienum. ſi enim ratione quadam ſors videatur eveniſſe, non iam fortunæ, non caſui, ſed fato cuidam & providentiæ imputari debet. Loquente adhuc Lampria, apparebat Marcum grammaticum aliquid ſupputare & numerare ſecum. Cùm autem dicendi finem illi feciſſet, tum Marcus: Quas Homerus, inquit, animas in Necya recenſet, de his anima Elpenoris non eſt in numerum referẽda, inſepulto corpore nondum reliquis permixta manibus, ſed in finibus etiamnum vagans. Tireſiæ quoque anima reliquis adnumeranda non eſt,

Cui vita functo tribuit Proſerpina mentem, Odyſſ. κ. 494.
Vt ſolus ſaperet. ——

colloqueretúrque cum viuentibus & eos intelligeret, priuſquàm biberet ſanguinem. His ergo ſubtractis ſi reliquas, Lampria, numeres, invenies Aiacem vigeſimum in conſpectum veniſſe Vliſſis: & huc alludere Platonem.

QVAESTIO SEXTA.

Quid innuat fabula de victo Neptuno: & ſimul, cur Athenienſes ſecundam diem Boëdromioni menſi eximant.

OBORTO autem omnium tumultu, Menephilus Peripateticus Hylam alloquens, Videtis, inquit, quæſtionem hanc non fuiſſe ſubſannandi contumeliæ've cauſa propoſitam. Sed tu, mi homo, Aiace iſto pertinace & infauſti (vt Sophocles appellat) nominis omiſſo, ad Neptunum te confer. Hunc * enim ille nobis ſolet narrare ſæpenumero victum: hæc à Minerua, Delphis ab Apolline, Argis à Iunone, in Naxo à Libero patre: & tamen vbique animo æquo tuliſſe ſuum infortunium. Nam hæc quidem commune cum Minerua

habet templum, in quo etiam ara Obliuionis est dedicata. Tum Hylas, vt qui iam ad hilaritatem rediisset, Id verò, inquit, te Menephile fefellit, quòd secundam diem mēsis Boëdromionis nos eximimus, non propter Lunam, sed quòd ea die de Attica cōtentio Mineruæ cum Neptuno creditur fuisse. Omnino, aiebat Lamprias, quantum ciuilitate prior fuit Thrasybulo Neptunus, quando non victor, vt ille, sed victus *

(Hic ingens est hiatus, periit enim finis huius quæstionis, & quinque subsequentes totæ. Quod enim sequitur, fragmentum est duodecimæ. Capitum indicem subiiciam. G. X.

QVAESTIO SEPTIMA.

Cur lyrica carmina in tres partes diuidantur.

QVAESTIO OCTAVA.

Quo differant interualla concinna, quæ ἐμμελῆ dicuntur, à consonantiis.

QVAESTIO NONA.

Quæ causa sit consonantiæ: & cur consonantibus simul pulsatis, cantus grauiori adscribatur.

QVAESTIO DECIMA.

Cur, cùm Solis & Lunæ eclipticorum circuituum idem sit numerus, Luna sæpius videatur deficere quàm Sol.

QVAESTIO VNDECIMA.

Quale sit, quòd dicimur non iidem perdurare, ob adsiduum substantiæ fluxum.

QVAESTIO DVODECIMA.

Vtrum sit probabilius, stellarum numerum parem esse, vel imparem.)

* iureiurando autem viros decipiendum. Et Glaucias: Audiui, inquit, ego, hoc aduersus Polycratem tyrannum fuisse dictum: fieri potest, vt etiam in alios vsurpatum fuerit. tu verò cur hoc quæris? Quia, inquit Sospis, pueros me hercle video talos, Academicos argumēta rapere. nihil enim huiusmodi stomachi differunt ab his qui interrogant, párne sit an impar quod manu continent. Ibi surgens Protogenes, méque nominatim inuocans: Quid accidit nobis, inquit, qui patimur rhetores istos aliis irridendis luxuriare? nihil ipsi disputamus, neque stipem huc conferimus? nisi fortasse dicent se communionis inter pocula exsortes esse, Demosthenis laudatores atque imitatores, qui tota vita nunquam bibit vinum. Non hæc, inquam ego, horum est causa: sed nos nihil ex ipsis quæsiuimus. Et nisi habes aliquid potius, videor mihi ipsis propositurus vnam de Homericis quæstionibus legum contrarietate constantem.

QVAESTIO SVPRA DECIMAM TERTIA.

De legum contrarietate, ex Iliadis libro tertio.

QVAM, inquit ille? Dicam tibi, aiebam, illísque simul proponam: proinde animos attendant. Nimirum expressis conditionibus Alexander cum Menelao singulari certamine se congressurum protestatur.

Iliad.γ,69. *Me nunc in medium committite cum Menelao,*
De cunctis opibus decertatum, & Ioue nata.
Vtrius nostrûm fuerit victoria, coniux
Hunc Helena, atque omnis mox gaza sequatur ad ædes.

Rursúmque Hector hanc eius protestationem publicè omnibus exponens, tantùm non iisdem vtitur vocibus:

Ibid.88. *Arma iubet Teucros reliquos, cunctósque Pelasgos*
Ponere humi Paris: & se solum cum Menelao
Committi in medio, ferro vt decernere poßint.
Victori coniux Helena, omnis gazáque cedat.

Cōditionē accipiēte Menelao, iureiurādo pactū sancitur: sic incipiēte Agamemnone:

Si

Si Paridi dabitur Menelaum ſternere letho: ibid.281.
Tum gazam teneat, ſitq́; illi Tyndaris vxor.
Fuluus Alexandrum ſi verò necat Menelaus,
Dardanidæ gazam reddant, Helenámque marito.

Iam cùm vicerit quidem, non tamen interfecerit Alexandrum Menelaus, vtrique habent quo ſe tueantur: cùm alteri repoſcant, vtpote victo Paride, alteri redditúros negent, quia occiſus non ſit. Hæc controverſia quomodo rectiſſimè poſſit diiudicari, & legum repugnantia tolli, non philoſophorum eſt, non grammaticorum videre, ſed rhetorum litteratorum, quales vos eſtis, & orationes tractātium. Ad hæc Soſpis: Potior, inquit, & maioris autoritatis eſt oratio eius qui conditionem obtulit, legíſque vim habet: qui verò oblatam accipiunt, ij ius addendi aliquid non habent. Conditio autem non de cæde & morte fuit, ſed de victoria. idque admodum iuſtè. Debuit enim vxor eſſe Helena præſtantioris: is autem eſt, qui vincit. Aliàs ſæpe melior à deteriore interficitur, vt poſtea Achilles periit ſagitta ab Alexandro ictus. quem nemo (arbitror) victum à Paride propter mortem dixerit, neque victoriam Paridis ſed iniuſtam fortunæ ſortem. Hector autem ab Achille victus eſt etiam priuſquam occideretur, cùm eum non ſuſtineret, ſed fugeret præ metu. qui enim non ſubſiſtit, ſed fugit, is palàm & abſque excuſatione victus eſt, fatetúrque adverſarium ſibi virtute præſtare. Ideò primùm Iris rem Helenæ nuncians inquit:

De te proceris nunc decertabitur haſtis: ibid.137.
Illius vxor eris, qui vincet Marte ſecundo.

Deinde Iupiter Menelao victoriam prœlij tribuit:

Sanè nunc pugna fortis vicit Menelaus. Iliad.4,13.

Ridiculum enim fuerit, victorem dici qui aliquem ſagitta eminus nihil metuentem, neque ſibi cauentem in pede vulnerauerit: Menelaus non mereatur victoriæ de Paride partæ præmium reportare, cùm hic deſperata pugna profugerit, & in gremium mulieris ſubiuerit: & ex ipſa conditione qui tulerat Paris melior eo victórque probetur. Tum Glaucias hæc ſubiecit. Primùm in decretis, legibus, fœderibus, pactis ſemper poſteriora prioribus plus valere maiorémque habere autoritatem cenſentur. Poſterior autem fuit conditio ab Agamemnone perhibita, mortem victi exprimens. Deinde prior tantùm verbis, hæc iureiurando adhibito propoſita fuit, & exſecratione adiecta violatoris, non vno viro, ſed vniuerſis approbantibus: vt hoc verum & firmum fuerit pactum, illud tantùm provocatio. Teſtatur etiam Priamus, cùm ſacramēto dicto diſcedens à certamine ait:

Nouit Iupiter hoc, & cætera numina cœli, Iliad.3,308.
Vtrum Parcarum triſti vis deſtinet orco.

norat enim hac lege fœdus ictum. Ideóque Hector paulo pòſt inquit:

Fœdera noſtra quidem Saturnius irrita fecit, Iliad.7,69.

nam imperfectum manebat certamen, neutro mortuo. Itaq; repugnantia quidem mihi videtur pactorum eſſe nulla, cùm prius in poſteriore compræhendatur. qui enim interfecit, vicit: non ſtatim interfecit qui vicit. Et vt in ſumma dicam, Agamemno cōditionem ab Hectore propoſitam non aboleuit, ſed explicauit: neq; mutauit, ſed adiecit quod erat potiſſimum, in necando victoriam ponens. hæc enim eſt perfecta victoria, reliquę excuſationes & controverſias habēt: vt hæc Menelai, qui adverſarium neq; vulnerauit neq; occidit. Vt ergo in veris legum repugnantiis iudices id amplectuntur quod nihil habet controverſiæ, obſcuriore repudiato: ita hîc id pactum cenſeamus potius eſſe & plus valere, quod finem certaminis exprimit notū, & nulli obnoxium præſcriptioni. Et, quod maximum eſt argumentum, ille ipſe qui videtur viciſſe, non deſinens fuga elapſum quærere, ſed vſquequaq; per exercitum obambulās,

Sicubi Alexandrum formoſum cernere poſſet: Iliad.3,450.

teſtatum fecit victoriam imperfectam eſſe, & non valere. nam cùm effugiſſet Paris, recordabatur Menelaus ſe dixiſſe:

De nobis vtrum morti ſors deſtinat atra, ibid.101.
Is pereat: reliqui bellum mox ſoluite pace.

Itaque neceſſe habuit Alexandrum quęrere, vt eo interfecto certamen abſolueret ſuo

fine: quem cùm non necasset, non cepisset, nullo iure præmium victoriæ postulabat. Et quidem non vicit: quod colligere ex verbis eius potest, Iouem incusantis, & irritos suos conatus deplorantis,

Ibid. 365.

Non est te superûm, genitor, crudelior vllus.
Vlcisci iam posse Parim, data damnáque rebar:
Dissilit in manibus gladius mihi: missáque frustra
Exiit hostilis sine vulnere corporis hasta.

ipse enim fatetur nihil esse scutum pertundere, & galeam delapsam hosti accipere, si eum non feriat & interficiat.

QVAESTIO DECIMA QVARTA.

Quædam de numero Musarum haud vulgariter disputata.

POST hæc Musis libauimus, cùmque Apollini earum duci pęanem cecinissemus, accinere libuit Eratoni lyrā pulsanti Hesiodea de Musarum ortu carmina. Finito cantu Herodes rhetor, Audite, inquit. Qui à nobis avellunt Calliopam, cum regibus eam versari aiunt: non (puto) syllogismos dissoluentibus, aut declamantibus vel disputantibus, sed ista agentibus, quæ oratorum & ciuilium sunt virorum opera. De cæteris autem Musis Cleo exornationis genus introducit: nam Klea sunt laudes, & Polymneia historia: est enim mnea, id est memoria multarum rerum. aliquando etiam omnes tanquam in * Musas mneias vocari dicunt. Ego mihi Euterpæ etiam partem aliquam vindico: siquidem verum est quod dicit Chrysippus, ei forte obtigisse gratiam & oblectationem colloquij. non enim minus colloquia, quàm causas forenses & deliberationes tractat orator: cùm nostra ars habeat rationes benevolentiam captandi, patrocinandi, defendendi. maximè autem laudationibus vtimur & vituperationibus: quas si artificiosè vsurpamus, non vilia neque parua consequimur: sin imperitè & sine arte, excidimus. Nam illud,

Odyss. α, 38.

Proh Iupiter, cunctis quàm carus honoratúsque
Hic mortalibus est. —— *

autem magis, vt qui in colloquiis concinnitatem habeant, persuadendi facultatem & venustatem arbitror convenire. Tum Ammonius: Iniquum sit Herodes, inquit, tibi succensere, & ** manu Musas appræhendentibus. Amicorum enim res communes sunt. Ideò multas Musas genuit Iupiter, vt affatim omnibus bona haurire liceret. Neque enim venatu, militia, nauigatione, aut manuariis artibus omnes indigemus: eruditione & sermone opus habemus omnes,

Quicunque terræ munere vescimur.

Itaque vnam Mineruam, vnam Dianam, vnum Vulcanum, Musas fecit multas. Cur verò nouem, neque plures aut pauciores fecerit, ecquid nobis edisseres? nam id arbitror tibi esse meditatum, ita studioso Musarum, & multo in iis colendis. Quid autem, inquit Herodes, in hac re est reconditi? In ore omnes habent nouenarium numerum, & nemo non eum decantat, vt qui primum sit primi imparis quadratum, & impariter impar, scilicet quia in tres ęquales diuidatur impares. Et Ammonius in lenem solutus risum: Viriliter, inquit, hæc memoria repetiisti. atque his id quoque adde, numerũ hunc è primis conflatũ esse cubis vnitate & octonario: rursúmque alio modo è duobus triangulis ternario & senario, quorũ vterque etiam perfectus est. Sed quid hoc ad Musas magis quàm ad reliquos pertinet deos: vt Musas habeamus nouem, Cereres, Mineruas, Dianas nõ item? Non enim existimo id quoque tibi persuasum esse, Musas tot esse, quia matris earum nomen totidem constet syllabis. Cùm risisset Herodes, & silentium factum esset, Ammonius nos hortatus est vt causam quæreremus. Itaque frater meus isthæc dixit. Antiqui tres agnoscebant Musas: huiúsque adferre demonstrationē apud tot tantósque viros, indocti est & invrbani. Causa fuit, non quã nonnulli adferũt, quod cantus genera tria sint, diatonon nēpe, chromaticum, & enharmonium. neque termini intervalla continētes, ima nimirũ, media, & summa chorda. Sanè Delphi Musas sic appellauerunt, non rectè vni sciētiæ, aut portioni potiùs scientiæ, musicæ inquã harmonicæ, id nomē accõmodantes. Enimverò prisci, vt mea fert opinio, cùm obseruassent omnes scientias & artes quæ ratione & sermone absoluuntur, in tribus versari generibus, philosophico, oratorio, & mathematico: dona hæc fecerunt triũ deorũ, quas Musas dixerunt. Pòst, & sub ætatem Hesiodi, cùm iam facultates istæ latiùs se proferrent: in

Nouem qualis numerus.

Philosophiæ diuisio.

in partes ſeu formas cùm diuideret, animadverterunt vnamquanque tria in ſe continere diſcrimina. ſcilicet ineſſe in mathematica muſicam, arithmeticam, geometriam: in philoſophia diſſerendi vim, morum & vitæ rationem, naturæ conſiderationem: in oratoria primùm exornationis exſtitiſſe, deinde conſultationis, vltimò iudicialem facultatem. quorum omnium cùm cenſerent nihil deo, Muſa, meliorique principio & præſide carere, bona ratione totidem Muſas non fecerunt, ſed agnouerunt. Sicvt ergo nouenarius in tres diuiditur terniones, quorum quivis denuò, in tres vnitates ſecatur: ita vnicum & commune eſt, orationis circa veritatem rectitudo: diuiditur autem in tria genera, quorum vnumquodque in tria ſingularia diducitur: quorum vnicuique ſua obtigit Muſa, eius fouens ornánſque facultatem. Non enim puto à poëtis me & aſtrologis repræhenſum iri, quòd earum artes omiſerim: cùm nobiſcum hoc ſciant aſtrologiam geometriæ, poëticam muſicæ eſſe adiunctam. His dictis, Trypho medicus: Quî, ait, factum eſt, vt noſtræ arti Muſeum occluderes? ſubiecit Dionyſius Melitenſis: multos tu excitas ad culpandum Lampriam. nam & nos agricolæ Thaleam nobis vindicamus, plantarum & ſeminum bene germinantium (hoc eſt thallein) curam ei conſeruationémque inſcribentes. Atqui, inquam tum ego, non recte hoc facitis. Vobis quippe eſt Ceres Anyſidora, & Bacchus qui arborum curam * gerens, caſtum auget frugum ſplendorem, vt ait Pindarus. Medicos etiam habere Aeſculapium præſidem ſcimus, & Apolline Pæane vti vbique, nuſquam Muſarum principe. Etenim verum eſt quod Homerus ait, omnes homines deorum indigere ope: at non omnes omnium. Verùm hoc miror quomodo fefellerit Lampriam, quod Delphi dicunt. nimirum Muſas apud ipſos non neruorum, non ſonorũ cognomines haberi: ſed cùm trifariam diuiſus ſit mundus, primam eſſe portionem ſtellarũ inerrantium, ſecundam errantium, tertiam eorum quæ infra Lunam ſunt. has omnes inter ſe eſſe conſertas ac compoſitas harmonicis rationibus, & cuivis Muſam cuſtodiæ cauſa præpoſitam, primæ hypatam ſeu ſummam, imæ neten ſiue infimam, mediæ meſen, quæ iis interiecta continet, vnáque circumducit (quantum fieri poteſt) mortalia cum diis, & terrena cum cœleſtibus. Idq; etiam Plato involuto ſenſu innuit per nomina * Parcarum, alteram Atropon, alteram Lacheſin dicens. nam octo ſphærarum conver- x. de rep. ſionibus, totidem non Muſas, ſed Serenes præfecit. Ibi excipiens ſermonem Menephilus Peripateticus: Delphorum, inquit ratio vtcunque probabilis eſt. Plato autem abſurdè, qui ſempiternis & diuinis circuitibus loco Muſarum Serenes infixerit, genios non valdè humanos aut benignos: Muſas verò aut planè omiſerit, aut Parcarum affecerit nominibus, filiáſque Neceſſitatis appellauerit. Aliena enim eſt à Muſis Neceſſitas, amica iis Suada, quæ multo magis, puto, quàm Gratia Empedoclis Neceſſitas. intolerabilem odit Neceſſitatem. * Omnino, aiebat Ammonius, quæ cauſa nos inuitos & contra conſilium animi cogit facere aliquid. At Neceſſitas apud deos non eſt intolerabilis, non refractaria, non violenta, niſi malis. ſed ſicvt lex in rep. optima optimum eſt: ita diis Neceſſitas immutabilis eſt & ineluctabilis, partim quia mutatio * ei nõ poteſt accidere, partim quia mutatam dĳ nolunt. Cęterùm Homericarum Serenum Serenes. Odyſſ. μ, 167. fabula præter rationem nos terret. nam poëta quoq; rectè per ambages ſignificauit Muſices earum vim non inhumanam neq; pernicioſam illam: ſed quæ hinc iſthuc abeuntibus animis, vt apparet, & poſt mortem vagantibus ingeneret amorem cœleſtium ac diuinorum, obliuionem verò mortalium, detineátq; & incantet oblectando, præ gaudio ſequentes & vnà circumvolantes. nam huc ad nos obſcura quædam velvti echo Muſicæ illius perveniens, rationibus excitat & admonet animas eorum quæ iſthic ſunt: circumventas & ſtipatas carneis ſepimentis & adfectionibus *. Anima autem ob indolis bonitatem ſentit & meminit, itaq; adficitur, vt ab inſaniſſimo amore nihil differat eius deſiderium, cupientis neq; tamen valentis ſeſe corpore exſoluere. Neque tamen ego iſta planè amplector. Sed videtur mihi Plato, ſicvt axibus nomen fuſi & coli, vertebræ ſtellis, ita Sirenũ quoque hæc vocabulum Muſis inſolenter impoſuiſſe, quaſi diuina Manibus annunciantes. quemadmodum Sophoclis Vliſſes ait adveniſſe

Phorci puellas, Manibus qui iura dat.

Muſæ autem ſunt octo globis, vna locum ponè terram eſt ſortita. Quæ octo Sphærarum revolutionibus præſunt, eæ errantium ſtellarum adverſus inerrantes & ipſarum * invicem conſeruant harmoniam. Vna quæ locum Lunæ & terræ interiectũ cuſtodit,

atque obit, ea mortalibus gratiæ, rhythmi & harmoniæ (quantum horum eius ipsos recipere natura sinit) indit facultatem ac rationem, & ciuilem persuadendi, qua societas humani generis adiuuetur: demulcétque & sedat animorum tumultus, vagantésque velvti ex auiis revocat placidè & componit.

Pyth. 1.

Sed quæ cara Ioui non sunt,
Consternantur, vbi audiunt
Pieridum vocem.

vt ait Pindarus. His cùm acclamasset Ammonius more suo versum Xenophanis,

Ista probabiliter sunt dicta, propinquáque veris,

iussissétque vnumquenque suam dicere sententiam: ego paululum moratus, sicvt, inquam, Plato nominibus tanquam vestigiis deorum se facultates putat invenire: ita nos quoque similiter imponamus cœlo & rebus cœlestibus. Vraniam Musam quæ à cœlo nomẽ habet. Et probabile est res cœlestes non multa aut varia opus habere gubernatione: quãdoquidem iis vnica & simplex causa est natura. Vbi verò multi errores, multa contra mensurã evenientia, multa delicta: eò iam octo Musæ sunt transferendæ, quarum alia alii vitio medicetur. Porrò cùm vitæ nostræ pars alia seriis, alia iocosis rebus transigatur, & vtrique opus sit vt hoc concinnè fiat atque moderatè: seria videntur Calliope, Clio, & Thalia, quę nos ad notitiam deorum introducit, procurare, & ad bene gerendam rem auxilio esse. reliquæ autem id quod ob imbecillitatem nostram ad immoderatum & ferum aliquid iam inclinat, non negligere, sed saltatione, cantilena, & chorea modos habente suos, harmoniáque & ratione temperatum modestè excipere, atque cõposita oblectatione prosequi. Ego autem, cùm Plato singularum actionum duo statuat principia, insitam voluptatum appetentiam, & adsciticiam extrinsecus opinionem quæ bonum concupiscat: alterúmque interdum affectum, alterum rationem appellet: quorum vtrunque varias rursus habeat differentias: ambo ista video magna & diuina prorsus moderatione opus habere. Nã rationis statim alia facultas est ciuilis & regia, cui Hesiodus Calliopam præficit. studium honorum Clio maximè solet collaudare & ambitioni alacritatem addere. Polymnia discẽdi memorandíque facultati animæ præest. itaque Sicyonij etiam vnam de tribus Musis Polymatheam dixére à multiiugo discendi studio. Euterpæ nemo non considerationem veritatis de rebus naturalibus adscripserit: cùm nullas vel puriores vel pulcriores vlli alii generi reliquerit voluptates & oblectationes. Quod ad cupiditates attinet, Thalea hominem de fero sociabilem facit in conviuiis. ideò qui amicè & hilariter compotant, eos thaliazen dicimus, non qui per vinum culpam committant. Libationibus autem quæ fiunt concubitui Erato interest, vt cum ratione & tempestiuè is fiat persuadens, tollítque inde voluptatis mollitiem & nimios stimulos, facítque vt in amicitiã & fidelitatem, non in cõtumeliam & lasciuiam res exeat. Denique aurium & oculorum oblectatio, siue rationi magis, siue affectioni subitæ congruit: siue communis amborum est: eam reliquæ duæ Melpomene & Terpsichore ita componunt, vt altera non sit incantatio quædam, sed lætitia: altera non præstigiæ sed delectatio.

Musæ quibus rebus præfectæ.

QVAESTIO SVPRA DECIMAM QVINTA.

Tres esse saltationis partes, Lationem, speciem, ostentationem. tum quid sit vnumquodque horum: & quid poeticæ cum saltatione sit commune.

DEINDE placenta, quæ pyramus dicitur * * omnibus saltando vincentibus præmium. Arbiter autẽ cum Menisco pædotriba decernebatur Lamprias frater. Nam pyrrichen ille commodè saltabat: & manibus gesticulãs in palæstra videbatur reliquos superare pueros. Cùm autem saltarent multi alacriùs quàm artificio musico convenientiùs: duos qui probabantur, & concinnitatem studerent reseruare, quidam rogauerunt, vt lationem vnam ex altera saltarent. Quæsiuit ergo Thrasybulus ex Ammonio, quidnam sibi vellet nomen lationis: occasionémque præbuit plura ei de partibus saltationis disserendi. Dicebat verò Ammonius saltationis tres partes haberi, phoran, schema, dexin (quæ fortassis Latinè lationem, speciem, ostentationem dixeris). Saltationem enim è motibus & habitibus (scheses ipsi vocant) certis constare, vt cantilenam è sonis & intervallis. Hæc autem quies siue mansio finis est saltationis. Motibus ergo nomen lationum tribuitur: habitus siue dispositiones, species

ciæ appellant, in quas motus iſti deſinunt, quando Apollinis, aut Panis, aut Bacchæ alicuius exprimentes formã corpore & eius diſpoſitione (quod artis eſt) ſic conquieſcunt. Tertium, ſiue demonſtratio id eſt, ſiue oſtentatio (dexin puta) non imitatio eſt, ſed re vera interpretatio argumẽti. Equidem poëtæ propriis nominibus demonſtratiuè vtuntur, quando Achillem, Vliſſem, cœlum, terram nominant, ſicvti ea vulgò appellantur. vt autem maiorem vim verbis concilient, & imitationem aliquam exprimant: nouandis vocabulis & translationibus indulgent: quando aquas infractas ſcribunt κελαρύζειν & καχλάζειν & tela ferri λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι, & de pugna vbi in neutram partem inclinat victoria,

ἴσας ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχεν. ——

multas etiam compoſitiones nominum carmini aptãt imitatione aliqua conſtructorum, vt apud Euripidem Gorgonicida volans ſub Iouis diuum ætherem. & de equo Pindarus: Quando ad Alpheum corpus ἀκέντητον (ſtimulo non compunctum) præbuit. & de curruum concertatione Homerus:

Ἅρματα δ᾽ αὖ χαλκῷ πεπυκασμένα κασσιτέρῳ τε
Ἵπποις ὠκυπόδεσσιν ἐπέτρεχον. ——

Eodem modo in ſaltatione ſchema formam imitatur & exemplar: latio autem ſignificat aliquem animi motum, actionémve, aut facultatem. deixes adhibent ad res ipſas manifeſtandas, cœlum, terram, propinquos. quod cùm fit ordine quodam & numero, adfinitatem habet cum vocabulis poëticis, quæ ornatè & politè efferuntur. qualia ſunt, *

Καὶ Θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ᾽ Ἀφροδίτην, *
Ἥρην τε χρυσοστέφανον, καλήν τε Διώνην.
Ἕλληνος δ᾽ ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες,
Δῶρός τε, Ξοῦθός τε, καὶ Αἴολος ἱππιοχάρμης.

Niſi enim ſic habeãt carmina, nimis pedeſtria videbuntur & malè dimẽſa, qualia ſunt:

Ἐγένοντο τοῦ μὲν Ἡρακλῆς, τοῦ δὲ Ἴφιτος.
Τοῦ δὲ πατὴρ, καὶ ἀνὴρ, καὶ παῖς βασιλῆες, καὶ ἀδελφοί,
Καὶ πρόγονοι, κλήιζει δὲ Ἑλλὰς Ὀλυμπιάδα.

Huiuſmodi enim errores etiam in oſtentationibus committuntur, ſi non probabilitatem & venuſtatem decoro ſimplicitatique adiunctam habeant. Denique Simonidis huc poteſt transferri dictum, vt poëſis loquens ſaltatio, hæc tacita nominetur poëſis. * quod ille in picturæ cum poëſi vſurpauit comparatione. Quanquam profectò neque pictura poëſis vtitur opera, neque poëſis picturæ: ſaltatoriæ arti & poëticæ maxima coniunctio & communicatio eſt. præcipuè in carminibus quæ ſaltantibus accinuntur ambæ efficacem figurarum & nominum imitationem conficiunt. Videri autem poteſt, ſicvt in pictura, poëmata ſimilia eſſe lineamentorum quibus circumſcribuntur formæ * oſtendit autẽ iſtis hyporchematis maximè laudem ſibi parauiſſe, & ſeipſo ſuperior fuiſſe in animis ducendis, quia altera alterius opẽ requirit. Nam illud, *

Ἀπέλαστον ἵππον, ἢ κύνα Ἀμυκλαίαν ἀγωνίῳ
ἐλελιζόμενος ποδὶ μίμεο καμπύλον μέλος διώκων.

aut illud:

Οἷος ἀνὰ Δώτιον ἀνθεμόεν πεδίον πέταται *
θάνατον κεροέσσᾳ εὑρέμεν ματεύων ἐλάφῳ.
τὰν δ᾽ ἐπ᾽ αὐχένι στρέφοισαν ἕτερον κάρα πάντα ἕτοιμον,

& quæ ſequuntur. tantùm non enim videntur hæc poëmata diſpoſitionem ſaltationis provocare, & pedes manúſque, atque adeò totum corpus quaſi funiculis quibuſdam cantu ſuo trahere & intendere, quod his cantatis quieſcere & continere ſe non poſſit. Ipſe quidem non veretur haud leuiore inſtinctu ad ſaltationem quàm ad poëſin ferri. & cum ſenuerit,

Nunc facilem ſaltum noui pedum admiſcere inquit.

Cretenſem vocant modum. Enimverò nulla maior deprauatio muſicæ vllam partem * occupauit noſtra ætate, quàm ſaltationem. ideóque ei id accidit, quod metuens Ibycus dixit: Metuo ne aliquo adverſus homines delicto honorem ab hominibus redi-

mam. Etenim saltatio adscita ad sodalicium vulgari quadam poëtica, societate cœlestis illius poëseos amissa, in stultis & attonitis theatris obtinet tanquam tyrannus, subiugata sibi quadam exili musica: omnem autem apud prudentes & diuinos viros perdidit re vera honorem. Hæc ferè, Sossi Senecio, sunt vltima eorum, quæ tunc in Museiis apud bonum Ammonium fuere disputata.

PLVTARCHI

Eroticus, hoc est Amatorius liber.



FLAVIANVS. In Helicone ais Autobule sermones de amore fuisse habitos, quos vel conscriptos abs te vel memoria comprahensos, quòd de iis subinde è patre quæsiuisti, nunc nobis rogatu nostro es enunciaturus. AVTOBVLVS. In Helicone apud Musas, Flauiane, Amatoria agentibus Thespiensibus. nam certamen quinquennale celebrant vt Musis, ita etiam Amori, magnificè admodum & splendidè. FLAV. Scisne quid petituri abs te simus: quotquot ad audiendū confluximus? AVT. Non, sed nouero vbi dixeritis. FLAV. In præsentia noli sermoni inserere prata & vmbras, ederæq; & aquæ discursus, aliáque id genus, quæ nonnulli in locorum descriptionem trahentes satagunt Platonis Ilissum & viticem illum leniterque sursum emissum herbam studiosiùs quàm rectiùs transscribere. AVT. Neque verò, mi Flauiane, narratio his opus habet exordiis. ipsa statim occasio, vnde cepta fuit disputatio, chorum flagitat, scenâque indiget, & reliqua nihil à dramate absunt. precemur modò matrem Musarum, vt propicia sit, nósque in sermone commemorando adiuuet. Pater, cùm iamdudum, antè nos natos, matre recèns ducta ob dissidium quoddam & rixam quæ parentibus eorum inciderat veniret Amori sacrificatum, matrem vnà ad festiuitatem adduxit: huius enim erat votum & sacrificium. Domo secum comites habuit familiares. Thespiis autem invenit Daphnæum Archidami F., qui Lysandram Simonis filiam amabat, omniúmque procorum gratia primus erat: Sociarum quoque Aristionis F. Tithora venientem. aderant etiam hospites, Protogenes Tarsensis, & Zeuxippus Lacedæmonius. De Bœotis notorum plurimos aiebat pater ibidem fuisse. Biduum itaque aut triduum ea in vrbe placidè philosophando in palæstris & theatris vnà exegerunt. deinde fugientes molestum citharœdorum certamen prænsationibus & studiis præoccupatum, plerique tanquam ex hostico castra mouentes in Heliconem se subduxerunt, & apud Musas diverterunt. Prima luce venerunt ad eos Anthemion & Pisias, viri celebres, & vterque Bacchonis, qui formosus vsurpabatur, necessarius, ac quodammodo ob benevolentiam eius discordes. Res ita habet. Erat Thespiis mulier genere & opibus pollens Ismenodora, & quæ reliquo tempore pudicè vixisset: nam haud satis diu vidua absque crimine manserat, quanquam ætate integra & forma non pœnitenda. Cæterùm evenit, vt cuiusdam Bacchonis amicæ & familiaris mulieris filio Ismenodora vxorem ambiret puellam quandam Bacchoni cognatam. ergo quia sæpe cum eo colloquebatur & vnà erat, adfecta nonnihil est amore adversum adolescentem: cúmque & audiret de eo dici in bonam partem, & ipsa humaniter loqueretur, viderétque multitudinem generosorum amatorum, amare eum cepit. nihil verò indignum se ipsa facere cogitauit, sed contracto matrimonio vitam cum Bacchone degere. Quæ res cùm per se videretur insolens, tum mater quoque adolescentis suspectam habuit domus maiestatem filio grauiorem: quidam etiam æqualium & venationis sociorum eo quòd ætas Ismenodoræ non cum ipsius adolescentia congrueret Bacchonem terrentes, & dicteriis incessentes, difficiliores matrimonij oppugnatores iis ipsis fuere qui seriò id dissuadebant. Tamen Baccho aliis omissis, Pisiæ & Anthemioni quid ex re foret deliberandum dedit: quorum hic iam senior, auunculus eius, Pisias amatorum acerrimus erat, ideóque nuptias pro virili impediebat, & Anthemionem culpabat qui Ismenodoræ adolescentem proderet. Contrà Anthemio eum malè aiebat facere, & cæteroqui probum,

Phædro.

Ismenodora.

Baccho.

hoc

hæc æmulari vitiosos amatores, dum domo, matrimonio, rebúsque magnis amicum priuaret, vt is horum rudis & adolescens diutissimè in palæstris se nudaret. Ergo ne se invicem iritantes paulatim excandescerent, advenerunt arbitrium patri & qui cum eo erant deferentes. De reliquis amicis tanquam de composito Pisiæ Daphnæus patrocinabatur, Anthemioni Protogenes. Qui cùm effusè insectaretur Ismenodoram: ô Hercules, inquit Daphnæus, quid non exspectemus, quando etiam Protogenes adest bellum amori facturus? cui seria & ioca omnia circum amorem & propter amorem sunt: cuius causa oblitus litterarum, oblitus patriæ est. à qua non quinque duntaxat dierum spacio abest Laij exemplo: qui tardus fuit & terrestris amor. Tuus verò, Protogenes, amor è Cilicia vsque Athenas

——alas præpetes rotans trans mare advolauit,

vt formosos viseret, cùmque iis oberraret. Videbatur autem principiò talis quædam causa Protogeni suæ fuisse peregrinationis. Oborto risu, Protogenes: Ego verò, inquit, tibi videor nunc amorem impugnare, non pro amore propugnare adversus intemperantiam & libidinem, quæ turpissimis factis atque affectibus in honestissima se nomina intrudit? Turpissimum verò vocas, aiebat Daphnæus, nuptias, & viri cum muliere consuetudinem? qua nulla est aut fuit vnquam sanctior coniunctio. Hæc quidem, respondebat Protogenes, ad generationem necessaria non malè laudibus vehunt legum latores, & apud multitudinem prædicant. Veri amoris ne minima quidem particula in gynæceo exstat: negóque ego nos dum adversus mulieres aut virgines afficimur, amare. Nam neque musca lac, neque fauos apis amat: neque saginatores & coqui benevolentiæ causa vitulos & aues in tenebris saginant. sed quemadmodum ad cibum natura moderato & sufficiente ducit appetitu: nimius iam vitium ingenerat, quod gulositas & helluatio dicatur sanè. ita comparatum est natura, vt vir & mulier mutuò à se voluptatem expetant: quæ verò ad hoc mouet concupiscentia, vehementior facta & effrænis, non convenienter amor vocetur. Amor enim vbi generosam adolescentis attigit indolem, in virtutem per amiciciam desinit: his autem cupiditatibus, quibus mulier & vir se invicem auent, si res optimè cadat, licet corporis voluptate potiri, & formæ ætatísque fructum percipere. sicvt Aristippus testatum fecit, qui Laidem apud se vituperanti quòd non amaret, respondit. A vino quoque & pisce non puto amari me, tamen vtroque libenter vescor. Nam finis concupiscentiæ voluptas est & fruitio: amor exspectatione amiciciæ amissa, non vult permanere, neque colere formæ gratia id quod molestum est, neque id quod floret, si non fructum ingenij ad amiciciam & virtutem commodum efferat. Audis tragicum quendam maritum hæc vxori dicentem?

Impiè, in coniugium.

Odisti? ego me inuisum facilè patiar tibi,
Lucro meámque ducam contumeliam.

Nihilò magis hic amator est, qui non ob lucrum, sed rei venereæ causa perfert vxorem prauam & inhumanam. sicvt Philippides comicus Stratoclem oratorem deridens fecit,

Auersæ retrò verticem quàm vix amas?

Si tamen hic quoque adfectus sit amor nominandus, effeminatus & spurius, & in gynæceum tanquam ad Cynosarges pertinens: (immò sicvti aquilam quandam dicunt genuinam & montanam, quam Homerus nigram & venatricem vocauit: alia autem sunt spuriarum genera, quæ circum paludes captant pisces & aues ignauas, & sæpe cibi egentes lugubrem edunt præ fame sonum) genuinus amor est puerorum: non fulgens desiderio, vt de virgineo Anacreon ait, neque vnguentis delibutus: sed nudum eum & absque mollicie videbis in scholis philosophorum aut circa palæstras & gymnasia, ac venationes adolescentum, acuta & generosa admodum voce ad virtutem eos exhortantem qui digni sunt accuratione. mollem autem istum & domo affixum invenics in mulierum gremiis & spôdis versantē, semper mollia consectantē, et voluptatibus indulgentem à fortitudine, amicicia, instinctu animi diuino alienis, dignum qui damnetur. Damnauit quidem Solon, qui puerorum amore & sicca vnctione seruis interdixit, concubitu mulierum non item. Est amicicia de rebus pulchris & scitis

Aquilæ.

voluptas vulgare quippiam & illiberale. ita liberale non est à seruo amari puerum. *non enim hic amor nocet, vt mulierum. Plura dicere cupientem Protogenem repressit Daphnæus, inquiens: Rectè per Iouem Solonis est à te facta mentio: eóque vtemur iudice amatoris:

Ad Thebas pueros in floribus expete amœnis,
Et femora, & dulcis corporis.—

Adiunge etiam Soloni Aeschylum:

Femoris honorem non reueritus es tamen
Ingrate mî pro tot frequentibus osculis.

Alij enim derident eos, si velut sacrificuli & arioli amatores iubent in femora & coxam inspicere. Ego autem hoc permagnum pro mulieribus argumentum censeo. Si enim consuetudo naturæ adversa cum viris nihil adimit amatoriæ benevolentiæ, neque eam lædit: multo magis probabile est mulierum & virorum amorem naturæ opera vtentem per amicicia ad gratiam pervenire. Quod enim, Protogenes, mulier viro obsequium præstat, gratia fuit ab antiquis dictum. quo sensu Pindarus dixit Vulcanum è Iunone sine gratiis natum: & quæ nondum tempestiua nuptiis esset, eam sic compellat Sappho:

Pro coniugio. honestè.

Videre mihi parua esse puella, & gratiarum expers.

Et ex Hercule quidam quærit,

An vi puellam cognouisti, an gratia?

Masculorum autem concubitus, si cum inuito fiat, violentus est: si cum volente, coniunctus molliciei & insaniæ secundum Platonem & belluinus ac naturæ repugnans, omninóque ingratus, fœdus, & nihil habens venustatis. Itaque arbitror Solonem ista scripsisse iuuenem adhuc, & semine turgentem. provecta autem ætate isthuc:

Grata mihi Veneris nunc sunt, & dona Lyæi,
Musarúmque viris dant ea læticiam.

cùm iam velut ex æstu & tempestate puerilium amorum vitam in tranquillitate matrimonij & philosophiæ collocasset. Enimverò si verum quærimus Protogenes, vna & eadem est amoris erga mulieres & pueros adfectio. Si autem contendendi ductus studio divellere vis: gratis culpæ damnabitur puerilis amor. qui cùm tardè in vita, & intempestiuè, quasi spurius & occultus exstitisset, genuinum amorem expellat. Heri enim, amice, aut nudiustertius post denudationes corporum adolescentium in gymnasia obrepens, tacitéque illiciens & provocans, paulatim deinde in palæstris pennas adeptus, non compesci porrò potest: sed contumeliosè circumscribit amorem illum coniugialem, qui generi humano immortalitatem parat, naturam nostram pessum euntem illicò resuscitans generando. Is verò masculorum amorem voluptatem inficiatur, pudore & metu compulsus. cúmque opus ei sit aliqua præscriptione honesta dum formosos consectatur: culpam amiciciæ ac virtutis prætextu velat. Itaque in puluere versatur, frigida lauit, supercilium attollit, philosophari se ait & pudiciciam seruare foris, legis scilicet metu. at noctu & per ocium

Pomum remoto dulce custode eripit.

Si verò, vt Protogenes ait, non est puerilis amoris communicatio rei venereæ: quomodo amor est Venere absente, cui deæ sorte hoc obtigit vt amorem foueat, qui honorem & vim tantam omnino nanciscitur, quantam illa tribuit. Sin est amor absque venere, tanquam ebrietas sine vino è ficulneo aut hordeaceo potu, is absque fructu & sine turbabit, fastidiosúsque erit. Hæc cùm essent dicta, præ se tulit haud obscurè Pisias, succensere se Daphnæo, & eius sermonem iniquiùs ferre. Cúmque is paululum conticuisset, Proh Hercules, inquit Pisias, leuitatem & audaciam. hominésne è professo marem cum femina pudendis canum more devincire? & Amorem è gymnasiis, ambulationibus, & sub dio pura atque aperta conversatione traducere atque includere in macella, cultellos, medicamenta, & veneficia lasciuarum mulierum. Nam pudicæ quidem neque amare convenit, neque amari. Hoc loco pater aiebat se Protogene appræhenso dixisse:

Hæc verba Achiuûm populum ad arma iam vocant.

Ete-

Etenim per Iouem Pisias facit vt Daphnaei causae me adiungam, modum ille excedēs, & nuptialis amoris diuinitúsq; insitae amiciciae societatem e matrimonio tollens: quae si amatoria suadela & gratia priuetur, quantum videmus iugis & fraenis à pudore & metu aegrè continebitur. Non magnae mihi curae est, aiebat Pisias, haec ratio. Daphnaeum quidem video perinde atque aes affici. nam & aes non ita facilè ab igni, vt à fluente & ignito aere, si quis affundat, colliquatur emollitúmq; fluit: & hunc non perturbat Lysandrae pulcritudo: sed ad ignem accedens quem illa plurimum occultè habet iamdudum, eius contagio adficitur: neque obscurum est, nisi celeriter ad nos confugiat, colliquatum hominem iri. Interim video id fore, quod maximo opere effectum vellet Anthemio, vt offendam arbitros & me ipsum. itaque desino. Sanè hoc ad rem conducit, aiebat Anthemio. nam ab initio statim aliquid de proposito argumento dicendum fuerat. Hac Pisias: Hoc, inquit, protestatus, omnibus mulieribus quod ad me attinet suos permitti amatores, Bacchoni aio cauendum esse ab Ismenodorae diuitiis: ne dum eum in tantum fastum molémque admiscemus, imprudentes tanquam in aere stannum aboleamus. Magnum enim est si adolescente cum muliere tenui & humili coniuncto, masculus sexus (vt vinum aqua dilutum) antecellit. Atqui haec imperatura & superior est futura, quantum apparet. non enim alias profecta gloria tanta, & nobilitate generis, atque opibus, ambiuisset adolescentulum chlamyde etiamnum indutum, & cui adhuc paedagogus sit opus. Itaque ij qui sapiunt, ipsi tanquam alas mulierum praecidunt luxum ab opibus profectum, qui eas ita inanes facit & leues, vt saepe auolent. Alioqui praestat aureis cōpedibus ligatum manere (q̄d * fit in Aethiopia,) quam diuitiis vxoriis. Hoc verò non dicis, aiebat Protogenes, q; ineptè & ridiculè Hesiodi praeceptum nos inuertimus: siquidem is dixit:

Redit disputatio ad Bacchonis & Ismenodorae causam.

Tum tibi coniugij matúrè foedus initur,
Cùm triginta annos, vel paulo plúsue minúsue
Impleris vitae. quatuor quater, aut super vnum
Nata annos nubat. ——

Oper. 694.

nos totidem ferè maiori natu mulieri tanquam palmulas & ficus * & immaturum virum applicabimus. Amat, dices, eum, & vritur. Quid verò prohibet, quin comesatum ad fores eius ipsa eat, cantet carmen quod à fletu ad ianuam vocatur paraklausithyrum, imagunculas sertis ornet, omni conatu cum riualibus decertet. haec enim amatoria sunt. tum supercilium demittatur, luxu abstineat, & formam induat huic morbo conuenientem. si verò pudet, & casta est: domi desideat modeste, exspectétq; procos & studia ambientium eius nuptias. Mulierem quidem amare profitentem quis non fugiat & abhominetur, metuens ne impudiciciam hanc faciat sui matrimonij principium? Postquam loqui desiit Protogenes, Vidésne, inquit Daphnaeus mi Anthemio, rursum eos è causa propositum facere * necesse nobis qui non negamus, neque fugere, qui coniugialis amoris in choro sumus. Et profectò per Iouem, inquit Anthemio defendit pluribus eos amare: sed aduersus obiectionem de diuitiis est agendum, qua maximè terret Pisias. Tum pater meus ista dixit. Quid tandem non dabitur mulieri vitio, si propter amorem & diuitias Ismenodoram reiiciamus? Esto enim imperiosa & diues: quid formosae & iuuenculae faciemus? quid nobilitate sua superbienti & illustri? Pudicae verò nihil austerum, molestum

Diuitias per se non facere imperiosas mulieres.

* * *

& intolerabile habent. Ideò eas Poenas siue supplicia vocant, viris iratas quando temperantes sunt. Nonne igitur optimum est è foro nuptum ducere Abrotonum aliquam Thracicam, aut Bacchidem Milesiam, quae eo ipso quod emitur, spondeat se obedientem viro fore? Sed tamen & harum nonnullis nouimus viros turpissimè * seruiuisse: quando etiam tibicinae Samiae & saltatrices, Aristonica, & tympanum gerens Oenanthe atq; Agathoclea regiis diadematibus insultauerunt. Semiramis Syra ancilla fuit famuli regij, regísq; pellex. quam cùm Ninus rex ille magnus congressus dilexisset: adeò subegit eum atq; contempsit mulier, vt postulauerit etiam ab eo concedi sibi, vti per vnum diem ipsa in solio regio sederet, darétq; mandata. quod vbi rex dedit, imperauítque vniuersis vt Semiramidi perinde atque sibi obtemperarent & iussa capesserent: principiò ea stipatorum pertentās animos moderatè quaedam iussit: at postquam vidit eos nihil refragari, alacritérque obire mandata, capere eos Ninum,

mox vincire, tandem necare iussit. quibus factis, ipsa regnum Asiæ splendidè per multos annos gessit. Belestia verò, dij boni, nonne barbara & emta mulier fuit? cuius templa & fana Alexandrini habent, Veneris Belestiæ nomine, ob amorem rege id permittente. Quæ verò hæc Delphis communi cum Cupidine templo & sacris fruitur, aureáque stat iuxta reges & reginas Phryne, quánam dote suos subegit amatores? Verùm sicut isti ob suam imbecillitatem & molliciem imprudentes mulierum præda sunt facti: ita rursum alij ignobiles atque pauperes ductis diuitibus splendidísque vxoribus corrupti non sunt, neque de animi magnitudine quicquam dimiserunt, sed honorati & imperantes ipsi amicè cum iis vixêre. Qui verò vxorem in arctum cogit & comprimit velvti annulum digito ob gracilitatem aliàs delapsurum: similis est eorum qui equas tondent, & deinde ad fluuium vel lacum adducunt. nam suam formam conspicientes fœdatam, ferociam dicuntur amittere, ac pati porrò ab asinis se conscendi. Equidem illiberale est diuitias vxoris virtute aut genere antiquiores ducere: iunctas autem his rebus aversari, stultum. Antigonus præfecto muniendæ Munychiæ scribens, iubebat non modò millum facere validum, sed & ipsum canem macerare: nimirùm vt Atheniensium opes attereret. At marito diuitis vel formosæ mulieris non convenit vt eam deformem pauperémve redigat: sed vt seipsum continentia ac prudentia, nihilque eorum quæ vxor habet stupendo æqualem ei, suíque iuris præstet, moribúsque suis velvti in trutina pondus momentúmque sibi paret, quo vxorem deprimat & sibi obtemperantem habeat. & vt simul vtiliter *

De ætate inæqualium matrimonio.

Quinetiam ætate Ismenodora ad nuptias idonea est, vt quæ párere possit. audio enim in ipso eam nunc ætatis vigore esse. simúlque ad Pesiam arridens, Nullo enim, aiebat, riualium grandior natu est, neque canos habet, vt nonnulli eorum qui Bacchonem adsectantur: quorum si tempestiua habetur consuetudo, quid impedit quin ipsa quoq; adolescentem tractare possit meliùs, quàm quævis iuuencula? Difficulter enim commiscentur iuuenes, & vix longo temporis decursu ferociam libidinémque exuunt: initio æstuant & iugum detrectant, maximè autem si quis amor exsistat, * is, sicvt ventus gubernatore absente nauim, facilè matrimonium conturbat atque confundit, cùm iuuenes invicem regere & parére non possint. Iam si nutrix infantem, puerum magister, ephebum gymnasij præfectus, amator amasium, adultum lex & prætor regit, ac nemo sui prorsus iuris & omnis imperij immunis est: quid mali habet res, si cordata mulier ætate minoris mariti iuuenis gubernet vitam: vtilis quia prudentia eum superat, suauis autem & grata amando futura? In summa verò venerari nos, qui Bœoti sumus, Herculem decet, & matrimonio ætate inæqualium non esse iniquos: cum sciamus hunc Megaram vxorem suam annos natam XXXIII Iolao nuptum dedisse, annum tunc agenti sextum supra decimum. Dum hæc illi inter se colloquuntur, Pesiæ socius (sic enim narrabat pater) equo citato ex vrbe venit, mirum renuncians, audáxq; facinus. Etenim Ismenodora existimans, vt erat probabile, ipsum Bacchonem neutiquam à nuptiis abhorrere, tantùm eos vereri qui dehortabantur: statuerat adolescentem non dimittere. Itaque accitis qui amicorum maximè erant audaces, eiúsq; amori fauebant, & mulieribus familiaribus, re cum iis composita, horam exspectauit, qua Baccho erat in palæstram præter domum ipsius iturus. Qui vt eò venit vnctus, duobus aut tribus comitantibus, ipsa sub fores ei occurrit Ismenodora, ac chlamydem modò eius attigit: amici autem formosum istum pulcrè in chlamyde ipsa & læna arreptum frequentes intra domum pertulerunt, statímque fores occluserunt. Simul & mulieres intus Bacchoni chlamydem deripuerunt, & nuptialem iniecerunt vestem: serui autem circumcursitantes olea lauróque fores non Ismenodoræ modò, sed Bacchonis etiam redimíuerunt. & tibicina canens per vicum transiuit: Thespiensium verò & hospitum alij risere, alij indignati sunt, ac gymnasio præfectos instigauerunt, quorum est validum in ephebos imperium, & valdè diligenter attendunt eorum facta. sed qui certabant, nihil istos morati, theatro relicto ad fores Ismenodoræ accurrerunt, ibique inter se collocuti & altercati sunt. Postquam ergo Pesiæ amicus tanquam in bello advenit concitati equi cursu, idque ipsum perturbatè renunciauit, raptum esse ab Ismenodora Bacchonem: Zeuxippum aiebat pater risisse, vtq; erat Euripidis studiosus, versum hunc pronunciasse.

Bacchonē Ismenodora rapit.

Luxurians opibus more hominum mulier agit.

Pisiam verò exsilientem clamasse: Proh deûm fidem, quis finis erit evertentis ciuitatem nostram licentiæ? iam enim libertas nostra in violationem legum excidit. quanquam ridiculum fortasse est ob leges & ius indignari, cùm ipsi naturæ vis fiat, iniustè sub mulierum redactæ imperium. Quid Lemnus tale habuit? Eamus nos, eamus, vt gymnasium quoque & curiam mulieribus tradamus, si omnino eneruata est ciuitas. Ergo præeuntem Pisiam Protogenes comitatus est, partim socius indignationis, partim eum demitigans. Anthemion autem: Audax profectò, inquit, facinus hoc est, & re vera Lemnium. ipsi enim nouimus vehementem mulieris amorem. Tum renidens Soclarus: Putas verò, inquit, raptionem vímque factam esse, non defensionem & callidum artificium astuti adolescentis, qui ex vlnis amatorum profugerit in manus pulcræ & formosæ vxoris. Noli hæc, aiebat Anthemion, dicere aut suspicari de Bacchone. qui etiamsi non fuisset natura simplex & candidus, tamen me hoc non celasset: cui & alia sua arcana credebat omnia, & sciebat me hac in re promtissimum esse Ismenodoræ adiutorem. Amori autem (non iræ, vt aiebat Heracletus) repugnare difficile est: qui quod cupit, vel vita vel pecunia vel fama redimit. Nam quid modestius Ismenodora in vrbe fuit? quando aut turpis de ea sermo, aut suspicio facti inhonesti de eius domo incidit? Sed videtur profectò diuino aliquo instinctu, qui humanam excedat rationem, impulsa fuisse. Ibi Pemptides arridens: Nimirum, aiebat, corporis quidam est morbus, qui sacer dicitur. Vt absurdum non sit morbum animi furiosissimum & maximum à quibusdam sacrum & diuinum appellari. Cæterùm sicvt in Aegypto aliquando vidi vicinos duos litigantes, cùm serpens arrepsisset, ambos eum bonum genium vocare, ita quidem, vt sibi eum vterque vindicaret: ita non sum miratus amorem, ingens ac diuinum bonum à vestrûm aliis in virorum conclauia, ab aliis in gynæceum trahi: quando tanta vis, tantus honor est amori, vt à quibus omnino expelli debebat & opprimi, ij eum amplificent atque prædicent. Et adhuc quidem me continui, quòd de re propria magis quàm communi videbam esse disceptationem. Nunc autem Pisia digresso, libenter è vobis audiuero, quònam respexerint ij, qui primi nomen dei Amori fecerunt. Postquam conticuit Pemptides, & pater cepit aliquid de hac re dicere, alius ex vrbe venit, qui verbis Ismenodoræ Anthemionem accerseret. Nam tumultus crescebat, & gymnasij præfectis inter se non conveniebat, cùm alter reposcendum Bacchonem censeret, alter negocio non necessario supersedendum duceret. Proinde surrexit Anthemion, & abiit. Pater autem Pemptidem nominatim alloquens, Videre, inquit, rem mihi tentare magnam, audáxque facinus, atque adeò immobilia, quod dicitur, mouere, causam postulans reddi ac demonstrari nostrarum de diis opinionum. Sufficit enim antiqua & à maioribus ad nos propagata persuasio, qua nullum evidentius inveniri potest argumentum. *Amor an sit deus.*

Neq; enim scientiam hanc mens callida repperit:

sed fundamentum quoddam & basis pietati communis est posita: cuius si vno in loco labefactetur stabilitas & certitudo, reliqua omnia ruinam minabuntur. Audiuisti haud dubie quo tumultu exceptus fuerit Euripides, cùm hoc fecisset Melanippæ principium:

Iupiter, sed haud noui, nunc mutatus mihi
Inimicus est. ——

& quidem fidebat autor tragœdiæ, diligentissimè & ad publicos conventus accommodatè scriptæ. mutauit tamen versum, isq; nunc sic legitur,

Qui dictus est à Veritate Iuppiter.

Neq; verò refert, vtrum de Ioue vel Minerua, an verò de Amore quæ perhibentur, in dubium voces. Non enim nunc primùm aram & hostiam Cupido exigit, neq; ab aliqua barbarica superstitione advena est, sicvt Attæ quidam & Adonæi qui dicuntur, ab semimaribus & mulieribus introductus, vt libidine quadam inconvenienti fruatur, & meritò tanquam spurius inter deos ad causam dicendam citetur. Enimverò Empedoclea ista legens amice,

Est in eis & Amor, planè quàm cætera longus,
Quámq; eadem latus: sed eum tu conspice mente,

Nec stupidus frustra hunc oculorum lumine quære:

intelligendum est hæc de Amore dici. Neq; enim visu deus, sed intelligentia à nobis cernitur iste, vnus de antiquissimis. de quorum singulis si certum indicium quæras, omnia templa pervagans, & quamvis aram sophisticum sub examen vocans, nihil calumniæ & inquisitionis relinques immune. Ne procul abeam.

A. Non ego satis video qualis dea sit Venus.
B. Hæc est, quæ hominibus inserit Cupidinem,
Cuius, quicunq; terras incolimus, proles sumus.

Venerem sanè Zedoron, id est vitæ largitricem Empedocles, Frugiferam Sophocles scitè & convenienter appellauerunt. Tamen magnum illud & admirandum opus est Veneris, sed quod Amor adiuuet præsens. quo absente res venerea neq; expetendum aliquid est, & omni honore ac amicicia vacat. Coitus enim absq; amore, sicvt fames & sitis, implēda finitus cupiditate in nihil pulcrum desinit. sed Venus Amore fastidium abolens, amiciciam ingenerat & animos contemperat. Itaq; Parmenides Amorem ostendit Veneris operum esse antiquissimum, in libro de ortu mundi sic scribens:

Ante omnes alios superos generauit Amorem.

Hesiodus autem naturæ congruentiùs mihi videtur Amorem facere omnium antiquissimum: vt per eum omnia nascantur. Ergo si Amorem decretis ei honoribus spoliamus, ne Veneris quidem cultus suo loco manebit. non enim hoc dici potest quosdam Amorem conviciis exagitare, abstinere ea à Venere. sed ex eadem scena audiuntur hæc,

Amor ociosus est, & occupat pigros.

& rursum:

O liberi, non Cypris est tantum Cypris,
Sed plurimis respondet nominibus suis.
Est Orcus illa, vis est indomabilis,
Et Rabies est insana. ——

Sicvt & reliquorum ferè deorum nullus effugit maledicta inscitiæ ad conviciandum facilis. Considera enim Martem velvti in ærea tabula Amori è regione & ad lineam oppositum, quantos ei honores detulerint homines, & qualibus vicissim impetant conviciis.

Cæcus, mulieres, est Mauors, nihil videns
Similis apro quæcunq; conturbat mala.

Iliad. 5. sæpe etiam aliis. & Homerus eum homicidiis pollutum vocat atq; Alloprosallon, quòd subinde ab vna parte ad alteram desciscat. Chrysippus nomen Martis ἄρης interpretans obtrectat * & calumniatur, ita exponens vt ansam dederit iis qui rationi repugnantem partem, in qua irarum ardores exsistunt, putent Martis voce innui. Sic alij dicent Venerem esse concupiscentiam, & Mercurium sermonem, & artes Musas, & Mineruam sapientiam. Vides quantum nos maneat impietatis profundum, si singulos deos in affectiones, facultates, & virtutes transscribamus? Video, aiebat Pemptides. neq; deos mutari in adfectiones animi fas est, neq; has pro diis putare. Quid ergo, inquit pater, Mars an videtur tibi deus? Respondit Pemptides Martem sibi deum videri eum, qui partē animi irascentem & virilem componat. Tum exclamans pater, Ergóne, inquit, quod nos perturbat, Pemptida, quod pugnax est & adversarium, deum habet? quod amoris, societatis, & congressus est efficax, eo caret. est verò deus qui homicidia, arma, iacula, murorũ oppugnationes, prædationésq; inspiciat & gubernet Enyalius & Stratius inde dictus: adfectio animi & amicicia in nuptias & communitatē desinens nullum deorum testem, inspectorem, ducem, adiutorémq; habet? Sed capreas quidem qui venantur, & lepores, sylvestre quoddam numen est quod præsens exhortetur & adiuuet: & Aristæo vota faciunt foueis actis aut laqueis positis qui lupis aut vrsis insidiantur,

Ille feris primus pedicas quia tendere cepit:

& Hercules cùm esset sagittam aui intentaturus, alterius dei auxilium implorat, vt est apud Aeschylum,

Vena-

Venator Apollo sagittam rectà dirigat:

viri autem pulcerrimam amicitiæ venationem molientis, neq; deus neq; genius vllus conatum adiuuat? Ego quidem neq; quercus, neq; mori, neq; labruscæ, quam Homerus prædicans ἡμερίδα ob teneritatem vocat, germine deformius aut deterius germen hominem censeo, mi Daphnæe: cùm eius pullulatio progressum habeat pulcritudine cùm corporis tum animi splendentem. Estne, inquit Daphnæus, per deos, qui secus sentiat? Ii, aiebat pater, me hercle, qui opinantur arationis, sationis, plantationis curã diis convenire. Non enim Nymphæ quædam illis sunt Dryades, eundem cum arbore finem æui sortitę: & Bacchus (vt apud Pindarum est) arborum fructus, autumnúmque splendidum efficit: adolescentum & puerorum in flore ætatis formandorum componendorúmq; nutritio atq; incrementa nulli deorum aut geniorum curæ erunt. neq; est qui procuret vt natus homo ad virtutem rectà feratur, neq; indoles eius generosa avertatur & frangatur destituta ductore, aut ob prauitatem eorum cum quibus viuit? Mihi quidem hoc turpe dictu videtur, ingratúq; puto est, hoc loco humanitatem deo detrahere, quę vsquequaq; dispersa, nulli vsui nostro deest, etiam eorum quorum finis necessarius magis est quàm pulcer. Ita statim partus noster, sanè non speciosus, vt qui doloribus & sanguine conficiatur, tamẽ habet diuinam inspectricem & obstetricem Lucinam. Nimirum autem præstabat non nasci, quàm fieri malum inopia curatoris & custodis. Iam ne ægrotantem quidem hominem deus deserit, qui istis est præfectus vsibus, neq; morientem. Sed est quidam qui animas hinc abducat auxiliarius, qui somnum conciliet, & animam ad manes deducat. sicvt ille ait. *Odyss.ι,69.*

Non nox enim genuit me principem lyræ,
Vatémue, vel medicum: sed qui mortalium
Animas suis ductor reponam sedibus.

Et quidem hæc multas habent difficultates. Nullum verò sanctius dici potest studiũ, neq; certamen, vllámve contentionem arbitrio suo gubernare magis convenit deo, quàm pulcrorum & formosorum. nihil enim habet turpe, nihil coactum: persuadendo & gratia labor verè dulcis factus ducit ad virtutem & amicitiã: quæ neq; sine deo potest ad debitũ finem pervenire: neq; alium habet ducem & præsidem de diis, quàm Amorem Musarum, Gratiarum, & Veneris sodalem. Desiderij enim suauem segetem seminans tacitè in viri pręcordiis, vt ait Melanippides, suauissima pulcerrimis permiscet. Aut quomodo aliter dicemus Zeuxippe? Omnino sic potissimùm, ait hic: contrarium enim apertè absurdum est. Tum pater: Nonne, inquit, absurdũ & hoc sit, cùm amicitiæ quatuor sint genera, sicvt antiqui distinxerunt, primum naturale, secundum cognationis, tertium societatis, quartum amoris, & quodvis reliquorum habeat deum aliquem sibi præfectũ, siue Amicitiæ patronũ, siue Hospitalem, siue Gentilem aut Paternũ: solum quartũ quasi impiũ absq; procuratore relinquatur? cùm quidem plurimũ curæ & gubernationis desideret. Id quoq;, aiebat ille, à ratione est alienum. Enimverò, intulit pater, Platoni quoq; hæc aliquis manũ iniecerit. cuius sentẽtia * *Amicitiæ genera quatuor.*

* & egredientia. Furor enim à corpore in animã diditus intemperie aliquà, aut commixtione, aut noxij spiritus illapsu, morbus est asper ac difficilis. Alius autem est non expers diuini instinctus, neq; indigena, sed advena afflatus & conturbatio rationis, eiúsq; principium & motus à meliore est facultate. eius cõmunis adfectio vocatur enthusiasmus, qui est furor diuinitus immissus. Sicvt enim ἔμπνουν vocatur quod spiritu est repletum, & ἔμφρον quod prudentia: ita huiusmodi exagitatio & fluctuatio animæ enthusiasmus dicitur, ob communicationem diuinioris facultatis. Enthusiasmorum porrò genus diuinationi coniunctum fit Apolline inspirante: cum bacchatione, à Libero est patre. *Furorũ genera.*

—— & cum Corybantibus saltabitis,

inquit Sophocles. nam Magnæ matris & Panici furores Bacchi cum orgiis conveniunt. Tertium genus à Musis est, quod excitatum in tenera anima atq; placida, poëticam & musicam vim exsuscitat. Arimanius autem ille et bellicosus enthusiasmus satis notum est quòd debeatur Marti: cui eo conciti bacchantur sine Gratiis & cithara
* * * populum armans. Restat autem furoris quo ratio in homine conturbatur non obscurum aut tranquillum, Daphnæe, genus: de quo è Pemptida hoc quæram *
* fructum, thyrsum quassat: diuinorum furorum eum qui circa pueros præclaros &

pudicas feminas cernitur, longè acerrimum esse & calidissimum. Nónne enim vides, bellatorem armis positis liberari bellico furore?

Illius ex humeris læti mox arma ministri
Detraxere. —— spectátq; deinde reliquos ipse bello defunctus. Bacchicas quoq; & Corybáticas saltationes modulatione è trochæo, & cantu è Phrygio modo emoto sedant. Eodémq; modo Pythia à tripode et spiritu digressa conquiescit. Furorem autem amatorium, vbi is hominem rectè invasit atq; inflammauit, non Musa aliqua, non demulcens incantatio, non loci mutatio compescit. Sed & præsentes amant, & absentes desiderant, & interdiu sectantur, & noctu ad fores excubant, & sobrij vocant pulcros, & bibentes canunt. Et non, vt quidam dixit, visa poëtarum ob efficacitatem somnia sunt vigilantium: sed de visis amantium est verum. loquuntur tanquam ad præsentes, salutant, incusant. Etenim visus videtur alia simulacra in humido depingere, facilè evanescentia & intellectum destituentia. at visa amantium quasi vi ignis inscripta in encausto, imagines in memoria relinquunt, motu, vita, sermone prædita, sempérq; permanentia. Cato Romanus dicebat amantis animam degere in amasiæ * * * & species, & mores, & vita, & actiones: quibus ductus celeriter conficit magnum iter, vt Cynici aiunt: compendiosam inveniens viam ad virtutē. etenim amiciciam * velvti fluctu, adfectione simul cum deo invehens. Dico autem summam rei: enthusiasmum amantium neq; diuino afflatu carere, neq; alium habere deum præsidem & aurigam quàm eum cui nunc rem sacram facimus, diémq; festum agimus. Enimverò cum dij maximè à potentia & vtilitate laudentur, (quomodo de bonis etiam humanis duo hæc, regnum & virtutem, diuinissima, cēsemus atq; appellamus) tempus est vt consideremus an vlli deorum Amor potentia cedat. Sanè magnam vim victoriæ effert Venus, vt Sophocles ait: magna vis Martis. & quodammodo reliquorum deorum facultatem in hæc duo videmus diuidi, ad bonum aliquod adipiscendum, & ad resistendum malo. ab initio innatum fuit animis vt Plato ait * * formas. Hoc igitur initio perpendamus, quòd res venerea denario prostat: neq; eius gratia quisquam nō amans vel laborem pertulit, vel periculum adiit vllum. Ac ne hæc Phrynas nominemus, amice, aut Laidas, Gnathænium

Amoris siue Cupidinis potētia.

* *Sub vesperam lucernæ succendens iubar*

sæpenumero exspectans & vocans præteritur.

At subitò exoriens ventus —— magni amoris ac desiderij, concubitum cum femina reddidit precio Tantali talentis comparabilem. Adeò imbecillis & fastidiosa est Veneris gratia, Amore non adspirante. Idq; hoc argumento magis etiam cognosces. Multi concubitus socios passi sunt esse alios, non cum scortis modò, sed etiam vxores iis suas prostituentes. vt Cabbas ille Romanus, qui cùm Mœcenatē excepisset, & eum nutibus videret ad suam vxorem alludere, sensim capite inclinato somnum simulauit. cùm autem interim seruorum quidam ad mensam accessisset extrinsecus, ac vinum suffuraretur, apertis oculis, Perdite, inquit, an nescis me soli dormire Mœcenati. Hoc quidem indignū est facinus fortasse: & erat quoq; Cabbas sannio. Argis contentio erat Nicostrato & Phayllo de republica. Eò cùm venisset Philippus rex, apparebat hunc si vxorem quæ erat insigni forma, regi abvtendam præberet, magistratum aliquem sibi & principatum impetraturum. cúmq; sentiret hoc Nicostratus, & circa fores domus obambularet, Phayllus vxori crepidas subligauit, chlamydéq; & causia Macedonica ornatam, tanquam vnum de pueris regiis, ignotam aliis regi submisit. An verò cùm tot fuerint sintq; amatores, vllum nosti qui vel Iouis honorandi gratia amasium prostituisset? Non quidem puto: vnde enim? quando etiam tyrannorum qui se dictis aut factis in rep. opponat, nemo est: multi autem qui de amore formosorum & bonorum adversus eos certamina susceperint. Perhibitum est enim Aristogitonem Atheniensem & Menalippum Agrigentinum non contendisse cum tyrannis, etsi eos viderent omnia vastare, & violentæ indulgere libidini. postquam autem tyranni eorum tentarunt amasios, tanquam asyla & sacrosancta defensuri cum capitis periculo illis restiterunt. Fertur etiam Alexandrum Theodoro Proteæ fratri scripsisse, Mitte mihi musicam tuam, & pro ea talenta X accipe, nisi ipsam amas. & rursus cùm vnus de sociis Antipatridas ad ipsum cum psaltria comessatum venisset, & ea perplacuisset, quæsiuisse ex Antipatrida, numnam amaret psaltriam:

cúmq;

cúmq; is admodum à se eam diligi respondisset: fatum, Malè ergo pereas malus: abstinuisse etiam contactu mulieris. Porrò autem considera, quantum amoris adsit operibus Martiis, non ignaui (vt Euripides vocat) non mollis,

Non mollibus puellarum infixi genis.

Vir enim Amoris instinctu repletus, nihil indiget Marte pugnaturus in hostem: sed sui dei fretus præsentia, per

Ignem, marisq; fluctus, atq; turbines
Venti paratus est transire, ——

amici gratia, prout is iusserit. Etenim de Niobæ filiis apud Sophoclem, cùm ij sagittis necarentur, vnus nullum alium auxiliarium inclamat, quàm amasium:

*O * circum me componere.*

Scitis verò Cleomachus Pharsalius qua de causa in pugna perierit? Mihi sanè, inquit Pemptidas, ignotum est, sed audire velim. Et profectò cognitione digna res est, aiebat pater. Flagrante inter Chalcidenses & Eretrienses bello, Chalcidensibus auxilio venerat Cleomachus. Videbantur autem hi peditatu satis valere, sed equites hostium pellere magni erat arduiq; res laboris. itaq; Cleomachum socij hortabantur, magno virum animo, vt primus equitatum hostilem invaderet. Is ex amasio qui vna aderat quæsiuit, spectatorne esse certaminis vellet: cúmq; is affirmasset, blandéq; exosculatus galeam ei imposuisset, animo elatiore iam Cleomachus Thessalorum optimis ad se collectis, alacriter in hostem irruit, ita vt equitatum eorum conturbauerit atq; disiecerit. fugáq; exinde etiam grauis armaturæ militum facta, vi Chalcidenses victoriam obtinuerunt, Cleomacho in pugna interfecto. Eius sepulcrũ in foro monstrant Chalcidenses, cui etiamnum magna insistit columna. cúmq; antè masculum amorem vituperassent, tum altero magis amplexi sunt atq; honorauerunt. Aristoteles Cleomachũ quidem scribit mortuum, cùm pugna vicisset Eretrienses. eum verò, cui osculum amasius dedit, fuisse de Chalcidensibus è Thracia, missum auxilio Chalcidensibus Euboœnsibus. itaq; cani apud Chalcidenses: O pueri, quibus bonæ gratiæ boniq; parentes obtigerunt, non invidete bonis formæ & ætatis fructum. cum fortitudine enim etiam membra soluens amor in Chalcidẽsium floret vrbibus. Dionysius poëta in quæstionibus Antonem amatoris, amasij nomen Philistum prodit. Apud nos, Pemptida, Thebanos nónne amator amasium armatura donat, inscripto nomine ardet? Mutauit autem apud nos ordinem grauis armaturæ Pammenes, amatorius homo. & Homerum culpauit vt amoris ignarum, qui secundum tribus & curias institueret manipulos Achæorum, neq; amatorem iuxta amasium collocasset, vt sic illud fieret, quod ipse dixit:

Cleomachus.

Impie.

*

Aspida tunc scutum, galeam galea, atq; virum vir

Fulciebat. —— quæ sola est invicta acies. Nam tribules profectò, familiares, adeóq; parentes etiam & liberos sunt qui deserant. per medios amatorem & amasium nullus vnquam penetrauit hostis. qui etiam nulla cogente necessitate ostentant audaciam suam & vitæ contemtum. Sic Thero Thessalus sinistram parieti applicuit, & ense dextra stricto pollicem amputauit, provocans ad hoc æmulandũ riualem. alius quidam cùm in pugna cecidisset in faciem, ab hoste iam icturo petiit vt exspectaret tantisper dum se in tergum converteret, ne amasius eum videret in tergo vulneratum. Non modò itaq; bellicosissimæ gentes amori sunt deditissimæ, Bœoti, Lacedæmonij, Cretenses: sed & de veteribus Meleager, Achilles, Aristomenes, Cimon, Epaminondas. nam & hic amasios habuit Asopicum & Caphisodorum, qui cũ eo apud Mantineam occubuit, ac iuxtà sepultus est. & Mo * terribiliorem hostibus factum quòd primus substitisset & feriisset Eucnamus Amphissensis, heroicis honoribus est à Phocensibus ornatus. Herculis verò amores enumerare est ob multitudinem molestum. Iolaum certè existimantes fuisse amasium eius, etiamnum venerantur, amorémq; amantibus amasij iureiurando apud sepulcrum eius firmare solent. fertur etiam rei medicæ peritus cùm esset, Alcestidem iam desperatam Admeto restituisse coniugis amatori, suo amasio. Quin & Apollinem Admeti fuisse amatorem fabulæ aiunt, ideóq; ei per magnum annum seruiuisse. Commodùm autem nobis incidit Alcestidis mentio. Nam cum Marte quidem non multum est mulieribus

Iliad. A, 361.

rei. furor aut amatorius ad audendum aliquid, atque etiam moriendum impellit. Quod si quid ad veritatem fabulæ conducunt, Alcestis, Protesilaus, & Orphei Eurydice ostendunt, soli Amori Plutonem esse dicto audientem. quanquam hic adversus alios omnes, vt est apud Sophoclem, neque æquitatem curat, neque gratiam,

Soloque iure simpliciter stricto vtitur:

tamen amantes reveretur, iisque solis non est implacabilis neque indomitus. Proinde bonum quidem est, amice, sacris initiatum esse Eleusiniis. ego autem Amoris orgia agentibus eiusque mystis video meliorem esse apud manes conditionem: neque fidem fabulis adhibens, neque omnem tamen derogans. Bene enim dicunt, & diuina quadam fortuna veritatem attingunt, dicentes Amori deditis reditum ab inferis concedi: quorsum autem & quomodo ignorant, velvti à semita aberrantes, quam primus hominũ Plato philosophiæ auxilio perspexit. Sunt quidem etiam in Aegyptiorum fabulis exilia quædam veritatis vestigia: sed indagatorem desiderant acutum, & qui magna è paruis venari queat. itaque ea missa faciemus. Cæterùm post vim Amoris tantam, iam nunc consideremus eius erga homines benignitatem & gratiam. non an multa ipso vtentibus bona paret: cùm hæc omnibus sint manifesta: sed an pluribus ac maioribus commoditatibus amantes adficiat. Nam Euripides quidem, quanquam amatorius, minimum hoc admiratus prædicauit, — *musicam*

Amor docet, quamlibet eius rudem prius.

Ille verò & socordem antè, prudentẽ facit, & fortem qui prius inaudax erat: (quomodo advrendo ligna de mollibus dura redigunt) munificus autem & liberalis fit omnis amans, quanquam adhuc fuerit tenax, auaricia ista & pusillanimitate quasi ferro igne emollita: ita vt magis iam gaudeat dans amasio, quàm ab alio accipiens. Nostis enim, quomodo ad Anytum Anthemionis F., cùm splendido conuiuio hospites excepisset, comesatum venerit Alcibiades amasius eius, & dimidio ferè poculorum ablato discesserit. hospitibusque molestè ferentibus, & contumeliosè Anytum ab Alcibiade tractatum esse dicentibus ac superbè, responderit Anytus: immò humaniter sanè, qui, cùm licuerit ei omnia auferre, tam multa mihi reliquerit. His delectatus Zeuxippus: dij boni, inquit, quàm parum abest quin à maioribus ad nos propagatum Anyti propter Socratem & philosophiam odium aboleretis: si quidem ita placidus in amore & generosus fuit. Esto, inquit pater. Præterea autem è morosis & tristibus in convictu humaniores redigit atque suauiores, nam sicvt

Fit domus accensis flammis illustrior ignis:

ita hominem quoque calor amoris facit luculentiorem. Multi tamen sunt, quibus aliquid planè rationi adversum accidit. qui si in ædibus noctu fulgorem videant, diuinũ hoc deputant, atque admirantur: cùm verò animum abiectum & humilem subitò impleri vident elatione, libertate, magnificentiæ studio, venustate, largitate, non subit iis re ipsa coactis Telemachi illud dicere:

Odyss. π,183. *Omnino est est aliquis intus deus.* ——

Illud verò, aiebat Daphnæus, nónne diuinum est, quòd amator reliqua omnia contemnens ferè, non socios modò & familiares, sed leges etiam, magistratus, reges, nihilque metuens aut demerens, atque etiam bellicosum fulmen audens subsistere: simul atque formosum vidit,

Vt gallus alas trepidus dimittens pauet,

omnísque eius audacia & ferocia animi penitus concidit. Est verò apud Musas non indigna quæ commemoretur Sappho. Nam Romani quidem Cacum Vulcani F. aiunt ignem & flammas ex ore evomuisse. ipsa autem verè igni mixta loquitur, & per carmina calorem corde conceptum emittit, suaue sonantibus musis amori medicans suo, vt ait Philoxenus. * Sed nisi ob Lysandræ amorem oblitus es, Daphnæe veterum oblectamentorum, in memoriam reduc nobis elegantes illos Sapphûs versus, vbi ait repentè visa sibi amasia vocem inhibitam, arsisse corpus, séque pallore, tremore, & vertigine correptam. Cùm id carmen recitasset Daphnæus, vt * excipiens sermonem pater, An non, inquit, hæc apertè ostendunt à deo occupatum animum? non hic animi æstus diuinus? quid tale aut tantum accidit Pythiæ cùm tripodem attigit? quémnam orgia agentium tibia,

&

& Magnæ matris carmina atq; tympanum sic animo abalienauerunt? Idem corpus, * eandem pulcritudinem multis cernentibus, solus amatorius homo capitur. idq; certa de causa. non enim intelligimus Menandrica ista,

— est morbus opportunitas
Animæ, quòd ictus vulnus accipit graue.

sed in causa est deus, alium tangens, alium præteriens. Quod autem initiò tempestiuũ dicere fuit, id ne nunc quidem ad animum accidens, & in buccam veniẽs, vt optimus * ait Aeschylus, puto omittendum: est enim valdè magnum. Fortassis enim, amice, reliqua etiam omnia, quæ sensu nullo percipiuntur, alia per fabulas, alia legibus, alia deniq; ratione fidem principiò invenerunt. certè vt de diis hanc conciperemus, quæ obtinet, opinionem, omnino autores nobis ducésq; fuerunt poëtæ & legum latores: adde his tertio loco philosophos. Omnes hoc vno dicunt ore, esse deos. de numero eorum, ordine, natura, & potestate maximæ sunt inter ipsos dissensiones. Quos enim philosophi deos agnoscunt, ij morborum, senij, laborúmq; expertes perhibentur, qui (vt ille ait) latè sonantem Acherontis effugere traiectum. Itaq; etiam philosophi poëtarum istas Eridas, Litas non admittunt, neq; Terrorem & Metum volunt deos, aut Martis esse filios. in multis rebus etiam legum conditoribus repugnant. vt Xenophanes, qui Aegyptiis præcipiebat, si Osirin mortalem crederent, ne eum colerent, si deum, ne deplorarent. Rursum poëtæ & legumlatores neq; audire philosophos, neque intelligere possunt, quando hi ideas quasdam, & numeros, & vnitates, & spiritus pro diis ponunt. deniq; maxima est sententiarum diuersitas & repugnantia. Ergo sicvt olim fuerunt Athenis tres factiones, Paralorum, Epacriorum, Pediæorum, inter se discordes & animis abalienatis: quæ tamen in vnum coëuntes, communibus suffragiis Solonem compositorem, arbitrum, & legumlatorem delegerunt, qui citra controuersiam omnibus aliis virtute videbatur anteire. sic tres illæ sectæ de diis dissentientes, aliæq; suis suffragiis aliò tendentes, neq; facilè vna alterius sententiæ subscribentes, de vno Amore consentiunt, eúmq; vnanimes in deorum numero ponunt poëtarum, philosophorum, legislatorúmq; maximi, confertim collaudantes, & prolixè. Pittacum quidem Alcæus negat à Mitylenæis consensu creatum tyrannum. Nobis autẽ * rex, princeps, & moderator ab Hesiodo, Platone, & Solone in Academiam ex Helicone deducitur, coronatúsq; & ornatus invehitur cum multis amiciciæ societatísque bigis. non quales ait Euripides

Sine ære facta contineri compede:

frigidam ille & molestam vsus causa præ turpitudine prætexens amori necessitatem. Sed quæ alis ferantur, ad res pulcerrimas & diuiniores, de quibus alij meliùs dixerũt. Hęc locuto patre, Soclarus: vides, inquit, iterum te eandem incurrere culpam? qui nescio quomodo vi te subducis, iniustéq; (liceat enim dicere quod sentio) debita nos defraudas sacri sermonis explicatione. nam & nuper Platonis Aegyptiorúmque quasi inuitus mentionem cùm fecisses, deinde eos præteriisti, & nunc idem facis. Sanè quæ Plato, aut potiùs opera ipsius deæ istę elocutę sunt diserte, ne iubentibus quidem nobis te relaturum arbitror. quod verò obscurè innuisti Aegyptiorum fabulam de amore cum Platonis sententiis eòdem redire, id omnino tibi explicandum & apud nos edisserendum est. erimus autem contenti, etiam si pauca de rebus magnis audiamus. Rogantibus simul etiam aliis, pater sic disseruit. Aegyptij eodem quo Græci modo duos faciunt Cupidines, vulgarem vnum, (qui Pandemos est) alterum cœlestem, tertium autem censent esse Solem, * Venerem valdè venerantur. Nos autem videmus magnam esse Cupidinis cum Sole similitudinem. Ignis enim neutrum est, quod putauerunt quidam. * autem calor dulcis & genitabilis qui ab eo defertur, corpori præbet nutrimentum, lumen, & dimissionem * ea verò inde animis. Vt autem Sol per nubes & caliginem calidiores radios mittit: sic amor post iras & obtrectationem reconciliato amasio suauior fit, & acrior. Et sicvt Solem accendi extinguíq; putant nonnulli: sic etiam de amore tanquam mortali & instabili cogitãt. Iam neq; corporis cõstitutio non exercitati Solem, neq; amorem ferre potest animus non eruditus liberaliter. vtrunq; eodem pacto statu suo mouetur, morbóque corripitur, dei vim, non suam culpans imbecillitatem. Hoc tamen interest, quòd Sol pulcra & turpia ostendit in terra intuentibus: Amor tantùm curat pulcrorum splendorem,

Solis & amoris comparatio.

& in hæc sola inspicere atque intentos esse sinit, reliqua omnia iubet contemnere. Terram autem dum Veneris afficiunt vocabulo, similitudinem quandã assequuntur. etenim admisceri aliquid ei diuinum ac cœleste potest: per se sola inefficax est ac tenebrosa Sole non affulgente, sicut Venus absente Amore. Probabile itaque est Lunã Veneri, Solem Cupidini adsimilem esse, potiùs quàm vllis aliis è numero deorum: non esse tamen prorsus eosdem. non enim idem cum anima est corpus, sed ab eo diuersum: sicut Sol etiam oculis, Amor sola mente cernitur. Quòd si non videatur dictum hoc acerbiùs, contraria pronunciauero esse Solis & Amoris effecta. Auertit enim Amor animum ab intelligibilibus ad sensilia, venustate & splendore adspectus illiciens, persuadénsque vt semper in se & circa se * reliqua & veritatem alij cui * autem nihil. Infelices autem in amore videmur euntes secundum terram, vt ait Euripides, quia alterius vitæ sumus imperiti, aut potiùs eorum obliuione, quorum Amor est recordatio. Sicut enim cùm à sopore excitati in copiosam & splendidam lucem prodimus, omnia quæ animo per somnium oblata fuere evanescunt: ita eorum quæ hîc fiunt & mutantur memoriam percellere Sol, & inficere solet intelligentiam, cùm ob voluptatem & admirationem istorum obliuiscimur. Et quidem res ipsa verè ibi & circum ista animis obtingit. hic autem * somniorum amplectitur, stupétque rem pulcerrimam & diuinissimam.

Somnia fuderunt fallacia dulcia circum:

cùm persuasum habeat hîc omnia esse honesta & preciosa, nisi obtingat diuinus & modestus amor qui medeatur & seruet * per corpora veniens bonus ad veritatem ex inferis, & campum veritatis: cuius copia, mundicies, & falsi vacuitas fundata est, pulcritudinem amplecti, & congredi aliquanto pòst tempore desiderant: efferens sursúmque emittens benignè adstat sicut mysteriorum in sacris præmõstrator: huc rursum missis, ipsa quidem per se anima non congreditur, sed per corpus. Sicut autem geometræ pueris, qui nondum initiari per se possunt formarum corporis & passionis expertium contemplationi, tactilia & visilia effingentes exempla sphærarum, cuborum, dodecaëdrorum proponunt: sic nobis cœlestis Amor pulcrorum pulcra specula, mortalia & motibus obnoxia diuinorum & sola mente cernendorum machinatus, in figuris coloribus formísque adolescentium rutilantia ea nobis exhibet, memoriámque his initiò inflammatã sensim excitat. vnde ob prauitatẽ nonnulli amicorũ & familiariũ exstinguere conantes vi & absque ratione animi istam affectionẽ, nullũ eius fructũ perceperunt vtilẽ, sed fumo sese & tumultu oppleuerunt, aut ad voluptates tenebrosas & illegitimas effusè ruentes cõtabuerunt. Qui autẽ sana ratione verecundè tanquam furorem ei igni ademerunt, & in animo reliquerunt lumen atque fulgorem cum calore: (non concussionem, vt quidam dixit, mouentis se ad semen, & lapsum atomorum ob tenuitatem & titillationem elisarum: sed diffusionem mirabilem & fecundam tanquam in planta germinante & augescente, meatúsque aperientem obsequij & benevolentiæ) ij paruo temporis spacio corpus amasiorum prætereuntes intus feruntur, indolémque attingunt eorum, & avocato visu, invicem sese in actionibus & sermonibus iam contuentur, si qua honesti species & simulacrum in animis insit. sin verò, iis valere iussis, aliò se cõferunt: apis in morem, quæ multa viridia & florentia præterit, quia iis nihil mellis insit. vbi verò vestigium aliquod diuinitatis, defluxúmque & similitudinem abblandientem nacti sunt: iam præ voluptate & admiratione extra se rapti eam adsectantur, suntque amicissimè affecti adversus illud verè omnibus amabile, beatum, diligendúmque. Poëtæ quidem pleraque ita de Amore scribunt, vt ad eum alludere & inter comesandum ista canere videantur: pauca de eo seriò dicunt, siue prudentes hoc & dedita opera, siue deo ad veritatem ducente. De his est etiam, quod de natalibus eius dicunt: Acerrimum deorum peperit pulcrè calceata Iris, auricomo mixta Fauonio. nisi fortè grammatici fidem vobis fecerunt, qui hanc comparationem ob adfectus huius varietatem aiunt institutam. Quorsum enim aliò? aiebat Daphnæus. Audite, inquit pater. sic enim cogit nos loqui id quod videtur. Iris quidem affectio est visus, eiúsque refractio quædam, quando sensim roridæ, læui autem & mediocriter illuminatæ nubi is incidens, solem refractis radiis eiúsque lumen intuetur, opinionémque nobis hanc facit, quasi verò id quod videmus in ipsa insit nube. Sic & Amoris callidum commentum in generosis pulcrique amantibus quandam efficit refractionem memoriæ ab iis quæ foris apparent

Amor Fauonij & Iridis filius.

&

& dicuntur pulcra, ad diuinum illud, amabile, vereq́ beatum & admirandũ pulcrum. Verùm plerìq; in pueris & mulieribus tanquam speculis expressam eius imaginẽ cõsectantes & appræhendentes, nihil stabilius voluptate dolori permixtæ possunt adipisci: videturq́ ea vertigo, is error eos pervertere, vt in nubibus tanquã vmbris inane captent desiderium: puerorũ in morem, qui arcum cœlestẽ manibus volunt arripere, id quod apparet ipsis captantes. Alio modo se ingenuus & modestus gerit amator. Ibi enim refrãgitur ad diuinã & sola mente contuendã pulcritudinem: & pulcritudine oblata visibilis corporis, eo vti tanq̃ memorię instrumento satis habet, & in eius consuetudine lętitiáq; inde percepta magis etiã intellectus ipsis inflammat. itaq; neq; hic cum corpore degẽs lucem illam desiderantes & admirantes desident: neq; post mortem eò delati, huc rursum profugiẽtes ad fores & domicilia recens maritatorũ corporum obversantur, imagunculę difficilia exhibentes somnia virorũ & mulierum voluptati & corpori deditorũ, & quibus nullo iure amantiũ nomen tribuat. Qui enim verè est amatorius, eò profectus, & quantũ fas est pulcrorũ vsus cõsuetudine, alatus est, & orgiis initiatus semper circa Themidem versatur sursum choreas ducens atq; vnà circumvehens: donec rursus in Lunæ & Veneris prata veniens & obdormiens, nouum ortum auspicetur. Sed hæc maioris sunt proposito argumenti. Cæterùm Amori id quoque adest, quod reliquis diis adesse Euripides dixit: *

Ab hominibus se gaudet honoribus adfici: Hippolyto.

& cõtrà. Est enim benignissimus iis, qui scitè eum suscipiunt: grauis contumaciter eũ aversantibus. & neq; hospitum supplicúmq; iniurias tam celeriter Iupiter Hospitalis, neq; parentũ imprecationem Genitalis persequitur atq; vlciscit: quàm mox amatores circumscriptos Cupido exaudit, rudium & superborũ hominum vindex. Quid enim referã Euxynthetum & Leucomantidẽ, quæ in Cypro parakyptusa, id est prospiciẽs, etiamnum appellat. Vos aũt fortasse non audiuistis pœnam Gorgûs Cretensis, cui idem ferè vsu venit, quod parakyptusæ, nisi quod hæc quidẽ caput exserens vt amatorẽ suum efferri videret, in lapidẽ est conversa. Gorgonẽ adamauit Asander, iuuenis pbus, & qui illustri natus genere è re lauta ad tenuem redactus fortunam, tamen nusq̃ de seipsa desperaret: sed Gorgonem, quę ob diuitias (vti apparebat) à multis certatim petebat, vxorem sibi dari postulauit: cognatus ipse quidẽ, & q suam causam omnibus puellæ tutoribus ac necessariis probasset, multos tamẽ & egregios haberet riuales.

(*Desunt valdè multa.*)

Porrò quas dicunt causas & generationes amoris, neutrius sunt sexus propriæ, sed cõmunes vtriusq;. Nam imagines profectò quæ ad amorẽ propensos subeunt ac discurrunt, mouéntq; & titillant corpus ad semen prolabens aliis figurationibus non possunt à pueris, nequeũt à feminis. & pulcras has sacrásque recordationes vocamus nos ad diuinam, veram, ac cœlestem illam pulcritudinem, quibus quasi alis animus subleuatur. Quid ergo impedit, quo minus proficiscantur vt à pueris & adolescentulis, ità & à mulieribus, quando indoles casta & modesta in ætate florente & venustate formæ elucescit? quomodo rectum calceum pedis pulcritudinem mõstrare dixit Aristo. cùm in forma honesta & corpore puro vestigia animæ erecta cõspiciunt ij, qui ista hæc animadvertere callent. Non enim voluptatum quidem studiosus interrogatus vtrum *

Ad mulieres inclinet, aut potiùs mares, cum responderet,
In partem vtranque pulcritudo me mouet,

videbitur convenienter suæ cupiditati respondisse: amator autẽ formæ & generosus mẽbrorum discrimine non pulcritudine & indole suos amores moderabit. sanè equorum studiosus nõ minus amplectetur Podargi celeritatẽ, quàm Aetham Agamemnoneam: venationiq; deditus non masculis tantùm canibus gaudet, sed etiam Cretenses Spartanásq; caniculas alit: pulcritudinis verò & humanitatis amãs non erit idem adversus eundem sexum, sed tanquam vestium discrimen statuet inter eos. Atqui formã virtutis esse florem dicunt. absurdum verò dictu est, mulieres nõ florere, neque indolem ad virtutem aptam ostendere. Rectè quidem Aeschylus scripsit, Iliad. ψ. 295. Pro feminili

Flagrans mulieris oculus adolescentulæ
Me neutiquam latebit, expertæ virum.

Ergo in forma mulieris ingenij pcacis, impudici, & corrupti indicia exstãt, modesti &

pudici nullum lumen effulgebit? aut multa quidem inerunt & apparebunt, nullum tamen mouebit & amorem alliciet? neutrum profectò horum veritati & rationi congruit. sed communiter, sicvt demonstratum est iis in vtroque inhærentibus sexu, velvti inani exstante * O Daphnæ, illas impugnemus rationes, quas modò retulit Zeuxippus, amorem idem faciēs cum incomposita cupiditate, & quæ animum ad lasciuiam impellat. non quòd ita sentiret ipse, sed sæpenumerò audisset morosos & amoris rudes viros, quorũ alij miseras mulierculas cum dote attractas cùm in rei familiaris administratione & ratiocinationes illiberales coniecerũt, quotidie cũ iis delitigant: alij pueros potiùs quàm mulieres sectātes, quomodo cicadę in scillā aut aliud tale suum semen dimittunt, ita celeriter libidine exsaturata in quovis corpore aut valedicunt matrimonio, aut id curæ non habent, neque operam dant vt ament & amētur. Stergesthæ autem & stergen, quod est diligi & diligere, vnica littera à stegen, quod est perferre, differunt, primáque fronte ostendere videntur benevolentiam tempore & cōsuetudine necessitati permixtam. Cui verò coniugio Amor adspirauerit, primùm tāquam è Platonica ciuitate eiicit voces Meum, Tuum. non enim simpliciter communia amicorum * sed corporibus tantùm definientes animas vi conducunt & colliquant; cùm neque velint duo esse, neque duo se esse censeant. Deinde mutua reverentia, qua maximè opus habet coniugium. Nam externa illa, legum necessitate magis quàm voluntate constricta, ob pudorem & metum,

Amoris & libidinis discrimen.

Permulta fræna, multáque guberna cula

desiderat. Amori tantum adest continentiæ, modestiæ, fidelitatis, vt etiam si libidinosam attigerit animam, eam ab aliis amoribus avertat, ferociáque & proteruitate excisis, verecundiam, taciturnitatam, tranquillitatē, modestiámque conciliet, vníque amatori faciat morigeram. Inaudiuistis haud dubiè quid Laidi obtigerit. Nobilis illa, & tam multis amata viris, quę sui desiderio Græciam inflammauit, atque adeò de qua duo maria certauerũt: postquā ea Hippolochi Thessali amor invasit, Acrocorintho, qui viridi (vt ille ait) vnda alluitur, deserto, magnũ aliorũ amatorum clàm subterfugiens exercitum, modestè ad eum concessit. ibi verò eam mulieres inuidia pulcritudinis & æmulatione impulsæ in templũ Veneris adductā lapidibus obruerunt: vnde, vt probabile est, hodiéque Veneris homicidæ templũ dicit. Nouimus etiā ancillulas, quæ herorũ cōcubitum fugerint, & priuatos qui reginas spreuerint, cum cor eorũ dominio suo Amor occupasset. Sicvt enim Romæ dictatore creato reliqui magistratus abdicantur omnes: sic quos Amor dominus invasit, illi à reliquis omnibus dominis liberi & manumissi tanquam sacris addicti serui postmodo degunt. Mulier autem ingenua, vi amoris cum suo contemperata marito, amplexus vrsarum & draconũ potiùs sustinebit, quàm contrectationē & concubitum alieni viri. Cuius rei cum abvndè exemplorum sit, apud vos Cupidinis populares atque cultores tamē par est Cammæ Galaticæ mulieris facinus referre. Hęc cùm esset forma venustissima, vxor Sinati Galatię reguli, adamata fuit à Synorige Galatarũ potentissimo. qui cùm marito viuente neque persuasurũ se mulieri adulterium, neque vim inferre posse videret, Sinatum interfecit. Erat Cammę refugium & solamen calamitatis, sacerdotiũ Dianæ auitum, in cuius æde plerumque commorabatur, neminem admittens, quanquam multi ipsam & potentes ambirent. Cùm autem Synorix ausus esset eam de nuptiis appellare, non subterfugit, neque facinus eius culpauit, ad quod scilicet non alia prauitas, sed amor ipsius & desiderium impulisset. Ergo Synorix fidens Cammæ, venit eam in matrimonium petitum. Occurrit mulier, datáque dextra ad aram Dianæ hominem adduxit. Ibi cùm de mulso, quod veneno infecerat, è patera libauisset, dimidium ipsa ebibit, reliquúmque Synorigi ebibēdum propinauit. postquam ebibisse vidit, altè sublato eiulatu, nomine maritum invocans, Hanc ego, inquit, diem præstolans adhuc sine te Sinate carissime vitam acerbam toleraui. nunc verò lætus me accipe, vltam tui gratia scelestissimum virum, vtque tibi vitæ, ita huic mortis sociam perlibenter factam. Ac Synorix quidem lectica vectus, paulò pòst viuendi finem fecit: Cammam ferunt diem illam noctémque supervixisse, valdéque alacrem & hilarem decessisse. Talia multa cùm sint facta & apud nos, & apud barbaros, quis eos ferat qui Venerem maledictis incessunt, negántque eam amori adiunctam posse amiciciæ autorem fieri. Maris quidem cum mare consuetudinem, potiùs verò intemperantiam & lasciuiam aliquis considerans, dicere possit:

Lais.

Amoris erga maritum historia.

Probè.

Non

Non Veneris hæc sunt opera, sed libidinis.

itaque qui corpus suum libenter prostituunt, eos omnium deterrimos censemus, nullámque iis fidem, nullam reverentiam, nullum amiciciæ vsum tribuimus: sed verè, vt est apud Sophoclem:

Tales amicos quisquis amittit, solet
Gaudere: quique habent, cupiant amittere.

qui verò non mala indole præditi decepti aut vim passi sunt, neminem hominum magis oderunt quàm autores sceleris, eósque semper suspectos & inuisos habent, ac oblata occasione iniuriam grauiter vlciscuntur. Nam Archelaum Crateuas, quem is amasium habuerat, interfecit, & Alexandrum Pheræum Pytholaus. & amasius Periãdrũ Ambraciotarũ tyrannum necauit, ægrè ferens se ab eo interrogatum ecquid vterũ ferret. * * simul cum vxoribus, initia hæc sunt amiciciæ, tanquã magnorũ sacrorum communicatio. Et voluptatis quidẽ exigua est portio: sed qui hinc quotidie pullulat honor, gratia, amor mutuus, atq; fides, ostẽdit Delphos nequaquã delirasse, qui Venerẽ harma quasi currũ à coniunctione nominauerũt: neq; Homerũ, qui coniugũ cõcubitum amiciciæ voce ornauit. tum Solonem peritissimum fuisse cõiugialium legum conditorẽ, qui ter minimum quovis mẽse maritũ cum vxore coire iussit, nõ sanè voluptatis causa: sed sicvt ciuitates inter se fœdera tẽporis aliquo intervallo renouãt: ita volẽs amiciciã matrimonij subinde hac ratione instaurari. Atq; multa, inquies, malè & furiosè agunt mulieres amantes. nónne verò plura masculus amor habet fœda? * * mori, & inscriptionẽ sepulcri nancisci. Sed quemadmodũ ea affectio furor adversum pueros, ita neutrũ amor est. Cæterùm omnẽ mulieribus detrahere virtutẽ, rationi repugnat. & cùm earũ pudicicia, prudẽtia, fides, iusticia, quin & fortitudo, audacia, magnanimitas in multis elucescat insignis, planè ineptũ est, naturã earum ad alia omnia officia idoneam, vituperãdi gratia dici ad solã amiciciam nihil habere concinnitatis. Nã & virorũ suorum & liberorũ suorum amãtes sunt natura mulieres, & naturales illas diligẽdi adfectiones tanquã vber aliquis ager in se habent, facilèq; recipiũt amorẽ, neq; à Gratiis neq; à Suadela alienæ. Quo aũt modo poësis sermoni condimẽta quædã modulorũ, mensurarũ, rhythmorum accõmodans, cùm ea quę ad docendũ faciũt efficaciora, tum ea quæ nocẽt cautu minùs faclia redegit: sic natura mulieri accõmodans venustatẽ adspectus, & illecebram vocis formæq;: impudicæ ad luxuriã & dolos, honestæ ad benevolentiam viri parandam multum cõtulit adiumenti. Equidẽ Plato Xenocratem, aliàs generosum & magnanimum, sed interim moribus austerissimis, hortatus est vt Gratiis rem sacram faceret. Probam autem & pudicã mulierem aliquis iuberet non ineptè Amori immolare, vt propicius & iucundus matrimonio adsit. * muliebribus. neque vir ad aliam se conferens, cogatur dicere isthæc comœdiæ verba:

Qualem miser mulierem afficio iniuria.

Etenim in coniugio amare quàm amari maius est bonum: vtpote abolens multa, immò omnia delicta quæ matrimonium corrumpunt atq; dissipãt. Iam vehementes illæ animi cõmotiones & morsus, mi Zeuxippe, qui initio cõnubij interveniũt, nõ est vt vereare tanquã vlcus aut laniationẽ. quanq; ne hoc quidem sit reformidandũ, cũ proba muliere etiam accepto vulnere connasci: quomodò etiã arbores inter se coalescũt. est aũt exvlceratio fetus producẽdi initium. non enim permiscentur, quæ se invicem non adfecerunt. Perturbant etiã mathemata pueros, cùm ad ea se primùm conferunt, & philosophia adolescẽtes. at neq; his semper adhærescit illa acerbitas, neq; morsus amantibus. sed quemadmodũ fit liquoribus in vnũ confusis, principio efferuescentiã quandã & conturbationẽ Amor efficere videtur, paulò pòst tẽpore subsidẽs & repurgatus stabilissimã adfectionẽ gignit. Hæc enim est re vera tototũ per tota mixtio, quãdo amãtes vicissim vnà viuunt * Epicureis contactibus istis & cõplexionibus videtur collisiones percipere & resultus, vnitionẽ autem tantã non efficere, quantam amor præstat ad societatem cõiugum sese adplicãs. Nam neq; maiorem alter alteri voluptatem præbere potest, neq; magis perpetuas vtilitates, neq; aliis in coniunctionibus moris honestas & omnibus expetenda commoditas perinde eminet,

Vnanimes quàm cùm didicere maritus & vxor
Incoluisse domum. — Odyss. ζ,183.

cùm & lex eis adstipuletur: & ipsos deos ad communis prolis procreationem indigere Amoris

Pro matrimonio.

opera, ostendat natura. Sic enim poetæ aiunt cœlum terræ amore, physici Solem Lunæ amore teneri, & coire, ac fetu implere. & terrā hominū matrem & animalium atq; * stirpium, necesse est aliquādo planè perire, vbi acris Amor materiē deseret qui pars est dei, cessabítq; ipsa desiderare & persequi motum principiúmq; diuinum. Sed ne lōgè videamur evagari, aut omnino nugari, nosti amores puerorū instabilissimos vulgò dici, & falsè de iis hoc iactari, istā amiciciam oui instar trifariàm diuidi: & amatores Nomadum instar cùm in floridis & virentibus ver consumserint, statim tanquā ex hostico castra mouere. Et quando Bio sophista importuniùs nonnihil formosorum crines Harmodios vocauit atq; Aristogitones, quòd iis enatis pulcra tyrānide amatores sese abdicare cogantur: hæc non rectè intentātur crimina germanis amatoribus: scita sunt autem quæ de Euripide dicuntur. is enim Agathonem formosum, cui iam lanugo genas vestire inciperet, amplectēs & deosculans dixit, Pulcrorum etiam finem autumni pulcrum. * * *

excipit solum * * in ipsis quoq; canis viget & rugis, & vsq; ad sepulturā monumentúmque perdurat. Ac puerilium amorum paria pauca possunt, vxoriorum amorum multa enumerari millia, quæ firmiter omnem communionis & fidelitatis societatem ad finem vsq; vitæ conseruauerint. Vnum ego referam, quod mea ætate, imperante

Coniugialis amoris exemplū.

Vespasiano, áccidit. Iulius, qui in Gallia defectionis autor fuit, cùm alios multos habuit, vt fieri solet, sui conatus socios, tum Sabinum quoque, hominem non degenerē, & qui diuitiis gloriáque omnes alios facilè vinceret. Hi rebus arduis tentatis, successū caruerunt: cúmq; supplicia se daturos præsentirent, partim seipsos è vita eduxerunt, partim in fuga capti sunt. Sabino autem cæteroqui facilè licebat fuga ad barbaros facta saluti suæ consulere. Sed vxorem duxerat optimam, nomine Emponam (Græcè Heroidem diceres) Hanc cùm neque ducere secum posset, neque deserere sustineret: & ruri haberet sub terra effossas cameras, in quas reponi res vtiles possent, duobus tātùm notas libertis: reliquos famulos omnes dimisit, se veneno sibi mortem consciturum simulans. duos quos fideles norat, adsumsit, & in specus istas subterraneas descēdit: missóq; ad vxorem liberto Martiali, qui patronum veneno exstinctum, & casam villæ cum eo concrematam esse renunciaret. Volebat enim luctu vxoris fidem facere sui, quē fingebat, interitus. Idq; etiam evenit. Nam ea vt erat, accepto nuncio, lamentans & eiulans in terrā proiecit sese, trésq; dies, ac totidem noctes sine cibo ita exegit. Quod vbi resciuit Sabinus, metuens ne se prorsus vita exsolueret: occultè Martialē ei significare iussit, viuere se etiamnū, & occultari: rogare aūt vt adhuc aliquantulū in lugendo perseueret, accuratéq; mariti interitū simulet. Tragœdiam huius calamitatis vxor admodū artificiosè egit: tamen noctu desiderio visendi ad maritū vētitauit, nemine obseruante, & tantùm non apud inferos cum eo consueuit. Exactis septem mensibus, facta spe impetrādæ venię, veste, tōsura, & capitis rēdimiculo ignotū re dditū obviis Romā perduxit. Sed re infecta, in suā is specum rediit: ipsáq; cum eo maiorē temporis partē sub terra exigēs, interdū Romā iuit, amicis & necessariis mulieribus se visendā præbens. Et, quod creditu difficilimū est, cum iis lauās fefellit, vterū gerens. Nā medicamentū, quo mulieres comā invngētes faciūt auri in morē rutilā & fuluam, pinguedinē habet, qua caro siue fit grandior siue rarescit, itaq; diffundit̄ quasi, & maior fit eius moles, hoc illa in cæteris mēbris vsa affatim, attollēs se & turgidum celauit ventris onus. Partus verò dolores sola ipsa pertulit leænę in morem, ad maritū in foueam sese abdēs: natósq; duos, vt sic loquar, catulos educauit. peperit enim filios duos, quorū alter in Aegypto occubuit, alter nuper admodū Delphis nobiscū fuit, nomine Sabinus. Ipsam Cæsar interfecit: sed cædis pœnas dedit, exiguo tēporis spacio tota stirpe ipsius funditus interemta. Nullā enim rē hoc facto tristiorē istud tulit imperium: neq; fuit, cur vllius rei adspectū magis & dij & genij aversarent̄. Miseratione quidē spectātibus ipsa exemit magnanimitate sua & grādiloquētia, quibus maximè iritauit Vespasianum. desperata enim salute, mortem suam commutationem vocauit: dixitque suauius sibi fuisse in tenebris & sub terra viuere, quàm ipsū videre imperio potiri. Hæc aiebat pater finem disputationi de Amore fuisse impositum in vicinia Thespiensium. Visum enim fuisse quendam de Pisiæ sociis Diogenē, qui concitato gressu accederet. Tum Soclarum dixisse adhuc eminus venienti. Non sanè puto, Diogenes, bellum nunciaturus ades. Illū verò respondisse: Bona verba. quin vos nuptiis iam conceptis pergitis celeriùs, sacrificiū absentia vestra morātes? Ibi omnes exhilaratos fuisse,

demto Zeuxippo, quis ægritudinem animi non dissimularet. Is tamē iam, vt apparet concessit Ismenodoræ: nuncque vltrò coronatus & alba veste indutus, ei ad deum accedenti ductor est. Eamus ergo. Nimirum verò, aiebat pater eamus, vt rideamus hominem, & deo supplicemus, non enim obscurum est, quin præsens lætúsque adsit iis quæ aguntur.

PLVTARCHI

De facie quæ in orbe Lunæ apparet, Commentarius.

* * *Initium deest.*

Hæc Sylla dixit. Meæ enim fabulæ convenit, indéque desumtum est. Sed quorsum attineat contra illas in promtu sitas & omnium ore celebratas opiniones de facie Lunæ exordium dicendi facere, principio libenter interrogauerim. Cur verò, inquam ego, nihil attineret? cùm alterius quæstionis difficultates nos ad hāc compulerint. Sicvt enim diuturnis vexati morbis, quādo de vsitatis remediis & consueta victus ratione desperauerunt, ad lustrationes, amuleta, & somnia se convertunt: ita necesse est in quæstionibus difficiles explicatus habentibus, quādo communes, probabiles, & receptæ rationes non faciunt fidem: alienas tentare, neq; eas contemnere, sed veterum commenta palàm in mediū producere, veritatémq; ex omnibus inquirere. Vides nimirū statim, quàm absurdè quidam dixerit formam quæ in Luna cernitur, affectionē esse visus, præ imbecillitate splendori cedentis, quod cæcutire dicimus. Non enim animadvertit ille, id potiùs debuisse accidere in Solem intuentibus, qui acris & vehemens nobis offertur. sicvt etiam Empedocles non invenustè discrimen indicauit: ** Faciem in Luna, non esse visus refractionem.*

Sol radiis acer, lumen Lunæque benignum.

nam Hiladram Lunam dicit, quòd lumen eius blandè alliciat ac citra molestiam conspiciatur: deinde rationem reddens, cur hebetes & imbecilles oculi nullam differentiam formæ in Luna videat, sed læuis & plenus iis eius orbis refulgeat: qui verò acutè vident, magis subtiliter discernant faciei formas, & discrimen liquidiùs notent. Oportebat enim cōtrà, nisi fallor, siquidem victo * * oculi imaginationē faciebat. vbi id quod afficitur est imbecillius, id quod apparet. Inæqualitas verò planè eam redarguit * rationem. non enim in continua vmbra & confusa nititur visus. Et Agesianax non ineptè hoc significauit scribens,

Hanc circum rutili totam lux funditur ignis:
In medio quædam species sed glauca puellæ
Conspicitur, cyano mage cœrula, cuius ocelli,
Et frons ostendunt suffusum pulcra ruborem.

Omnino enim abduntur vmbrosa circumfusa lucidis, vicissimq; ea premunt abscissa, prorsúsq; inter se implicantur. * pictoriam quæ per * esse figuræ * & adversus Clearchū Aristoteles videtur vestrum nō inconvenienter vero dixisse. vester enim est Aristoteles, antiqui familiaris; quāquam multa Peripateticæ philosophiæ decreta peruertit. Cùm Apolloniades orationē interrumpēs quæreret, quænam Clearchi fuisset opinio: Nemo, inquam ego, omniū est, quem minus ignorare deceat, atq; te, eius sententiam, quasi è penatibus accitam à geometria. Dicit enim eam quæ vocatur facies, simulacra esse specularia & imagines magni maris in Luna apparentes. Nam & orbita cùm reflectitur sępe attingere solet ea quæ nō rectà videntur: & plena Luna omniū speculorum æquabilitate & splēdore purissimum est. Itaq; sicvt arcum cœlestem vos putatis visu ad Solē refracto in nube conspici, cui humida sensim læuitas & colliquatio inest: ita ille existimauit mare exterū in Luna conspici, non eo, quo est sitū loco, sed quo visus radij refracti eius resplendentiā attingunt. sicvt rursum Agesianax scripsit: *Faciem in Luna non esse imaginem Oceani.*

Aut maris immensi opposita sub parte frementis
In speculo ardenti repræsentatur imago:

His delectatus Apollonides: peculiare (inquit) profectò & nouū hoc opinionis cōmentū est, hominis neq; insciti, & audacis. sed quinam refellebatur? Primùm, inquā, si

mare exterum vnius est naturæ, continuum scilicet & in se confluens: atræ autem in Luna apparentes maculæ quasi isthmis quibusdam à splendore vmbrosa diuidente ita distinguuntur, vt avulsa à se & suis finibus circumscripta sint, & lucidorum in vmbrosa penetratio texturæ cuiusdam figuram efficiat, vnde oculorum & labiorum forma similitudine summa exprimitur: oportet aut plura maria opinari esse, quæ isthmis & continentibus dirimantur, (quod & falsum est, & absurdum) aut si vnicum sit, non sanè respondentem eius imaginem ita divulsam in Luna apparere. nam hoc quidem tutius est interrogare quàm pronunciare de eo te præsente, an orbis terrarum tam lõgus latúsque cùm sit, possit vniuersus eodem modo visus à Luna refractus mare cõtingere, & eos qui in Oceano nauigant atque etiam habitant, vt Britanni: præsertim cùm dicatis terram cum Lunæ globo comparatam ne centri quidem æquare rationẽ. Atque hoc quidem, aiebam, considerare tui est muneris. Refractio verò visus ad Lunam, non iam tuum est aut Hipparchi. quanquam mî * sed multis non probat se de natura visus disputans, quem statuit * ipsum habere simili modo affectam temperiem ac concretionem probabilius est, quàm ictus quosdam & resultationes habere, quales atomis Epicurus adfinxit. Non volet autem, puto, Lunæ corpus nobis perhibere Clearchus mole prædìtum ac solidum: sed astrum æthereum & luciferum, cui vos negatis huiusmodi infractionem visus convenire: itaque actum erit de refractione. Si tamen eam admittimus, quæremus cur in sola Luna maris imago faciei specie appareat vt in speculo, in nullo alio astro. Atqui ratio hoc exigebat, vt visus sic vel ab omnibus, vel à nullo afficeretur. Sed * ad Lucium respiciens dicebam: reminiscere eorum quæ primo sunt à nobis dicta loco. Et Lucius: Verùm, inquit, ne nimis videamur contumeliosi in Pharnacen, Stoicorum opinionem nulla adhibita refutatione, prætereuntes, dic aliquid adversus eum, qui vniuersi aëris & mollis ignis mixturam ponit esse Lunam: deinde velvti in tranquillitate oborto horrore dicit aëre nigredine perfuso fieri visum formæ simile *. Probè, inquam ego, Luci, honestis verbis res absurdas velas. Non autem sic socius noster, sed quod verum est dixit, suggillare illos Lunam, quam næuis & nigris maculis opplent, modò Dianam & Mineruam appellantes, modò mixturam & confusionem aëris caliginosi & ignis (vt sic dicam) carbonosi: & quæ non ex sese accendatur, propriámve habeat lucem, sed obscurum quoddam sit corpus, semper fumigans & igne vstum: qualia sunt fulmina quæ splendoris expertia & fuliginosa poëtæ dicunt. Iam quòd ignis carbonarius, qualem illi adscribunt Lunæ, neque constare neque perdurare vllo modo possit, nisi materiam solidam, ipsúmque sustinentem simul & nutrientem corripiat: arbitror rectiùs, quàm à nonnullis est factum philosophis, eos animadvertisse, qui iocantes Mulciberum dicunt claudum ideò cognominatum fuisse, quòd ignis sine ligno non magis progreditur, quàm claudus sine scipione. Porrò si Luna ignis est, vnde ei tantum aëris subiit? Nam supremus quidem hic, & in orbem adsiduo agitatus motu locus, non aëris est, sed præstantioris alicuius naturæ, quæ omnia tenuia redigere, & accendere vi sua soleat. aut si natus ibi aër est, quomodo non mutatur ab igne in ætherem pristina exutus forma, sed tanto tempore cum igni manet incolumis, claui instar eodem in loco infixi? cùm enim rarus sit, & confusus, non permansio ei, sed mutatio cõgruit. Neq; verò concretus dici aër iste potest, igni admixtus, & humoris omnis terræq; expers, cum quibus solis concrescere aërem sua sinit natura. Tum motus suo impetu & in lapidis & in plumbo qui inest aërem accendit: ne dum eum, qui in igni tanta cum celeritate circumagitatur. Empedoclem sanè repræhendunt, qui Lunam aëris concreti in morem grandinis massam facit, quæ à globo ignis contineatur. At ipsi Lunam, quæ globus igneus sit, aërem in se multum hinc inde dispersum aiunt continere: cùm quidem non habeat ea in se rupturas, aut profunda, aut cauitates: (quæ ei tribuunt, qui terrestrem statuunt) sed aër nimirum superficiei curuitatis eius incumbat. Id verò & à permansionis ratione est alienùm: & fieri non posse, pleniluniorum contemplatio docet. non enim debuerunt nigra ista & vmbrosa distinctè cerni, sed aut deminui & occultari, aut vnà effulgere Sole Lunam occupante. Etenim apud nos aër qui in profundo & cauis terræ est, quà Luna non penetrat, obscurus & luminis egens manet: qui foris terræ circumfunditur, colore quodam & luce illustratur. Nam aër cùm ob raritatẽ suam facilè quasvis recipiat qualitates, maximè à luce, vt vos dicitis, tantùm etiam attingente, totus mutatus illuminatur. Hæc ergo vt iis qui in cauernas

Luna an terrea, an ignea, an in se aerem contineat.

uernas quaſdam & profunda Lunæ aërem compellunt, videntur probè opitulari: ita vos redarguunt, qui ex aëre & igne neſcio quomodo eius compingitis globum. Fieri enim non poteſt, vt vmbra in ſuperficie relinquatur Lunę, quando Sol omnem eius eam partem illuſtrat, quam nos noſtro viſu ſtringimus. Me adhuc loquente Pharnaces: Hoc, inquit, illud nobis vſu venit ex Academia deductum, vt cùm adverſus alios dicimus, ſubinde ipſi eorum quæ affirmamus, non adferamus demõſtrationem, & qui nobiſcum diſputare velit ei defendẽda ſua, non noſtra ſint impugnãda. Me tamen hodie nunquam eò adducetis, vt ea defendam, quæ vos Stoicis crimina intentatis: niſi priùs à vobis mihi ſatisfiat hac de commiſſa culpa, quòd imas mundi partes ſupremo collocatis loco. Tum Lucius ridens duntaxat, Heus tu, inquit, noli nos impietatis reos facere, eo pacto quo Ariſtarchus putauit Cleanthem Samium violatæ religionis à Græcis debuiſſe poſtulari, tãquam Vniuerſi lares Veſtámque ſi loco mouiſſet: quòd is homo conatus ea quæ in cœlo apparẽt tutari certis ratiocinationibus, poſuiſſet cœlum quieſcere, terram per obliquum evolui circulum, & circa ſuum verſari interim axem. Ipſi autem de nobis dicamus. Qui verò terram ponunt eſſe Lunam, quìnam ij, mi homo, magis inferiora ſuperiora faciunt quàm vos? qui terram hac ſublimen in aëre ſuſpenditis, longè maiorem Luna: ſicvt in defectibus & mora Lunæ in vmbra quantitatem eius metiuntur mathematici. Nam vmbra terra minor à maiore illuminante corpore proiicitur: cuius vmbræ in ſummo exilitas ne Homerum quidem (vt aiunt) fefellit, qui à mucrone eius noctem θοὴν, id eſt acutam, denominauit. & tamen ab hoc mucrone Luna in defectu occupata, triplum ſuæ quãtitatis ſpacium ad emergendum deſiderat. Cogita ergo, quot Lunis terra æqualis ſit, ſi eius vmbra, quâ eſt minima, tres Lunas æquat. Et tamen de Luna vos ſoliciti eſtis ne cadat: de terra fortaſſe Aeſchylus vobis perſuaſit de Atlante ſic ſcribens:

* Iliad.κ,394. Lunæ cum terra comparatio.

Terram polúmque ſtat ille columna fulciens,
Humeríſque pondus ingens ſuſtinet ſuis.

Ergo Lunam tenuis aër ſuffuſus geſtat, ſolidum onus portare non ſufficiens: terram adamante ſubnixæ columnæ fulciunt, vt eſt apud Pindarum. atque ideò ne terra cadat non metuit Pharnaces, miſeratur autem Lunæ converſioni ſuppoſitos Æthiopes aut Taprobanos, ne in eos tanta moles decidat ſolicitus. Atqui Lunæ auxilio eſt ne cadat motus & eius impetus: quomodo quæ fundis impoſita in orbem rotata delabi non ſinuntur. Nam motus naturæ conveniens vnamquanque rem agit, ſi non ab alia aliqua re aliò avertatur. Itaque Lunam grauitas non mouet, cùm à converſione circulari eius motus profligetur: magiſque rationi erat conſentaneum, mirari ſi illa eodem ſemper maneret loco, ſicvt manet terra. Nunc verò quod Luna huc non fertur, id magnam habet cauſam: terram, quæ omni alio caret motu, probabile eſt ſolo ſuo pondere cieri. Eſt nanque terra quàm Luna grauior, non modò quia maior, ſed quòd prꝫterea Luna ob calorem & inflammationem leuior eſt reddita. Omnino autem apparet ex iis quæ dixiſti, Lunam, ſiquidem ignis eſt, magis indigere terra & materie cui inſiſtat & in hæreat, & qua contineatur ac tanquam fomite alatur vis ipſius. non poteſt enim cogitari ignis, qui ſine materia conſeruetur. Terram autem vos dicitis ſine fundamento & radice perdurare. Planè, inquit Pharnaces, cùm ſuum à natura ſibi deſtinatum obtineat locum, nempe medium Vniuerſi: is enim eſt quò omnia grauia vndique vergentia, ibi ſubſiſtunt. Superior autem regio omnis etiam ſi ſuſcipiat terrenum aliquid violento motu ſurſum elatum, ſtatim id elidit deorſum, aut dimittit potiùs naturali momento hac declinans. Ad hoc ego, vt qui vellem Lucio tempus reminiſcendi dari, Theonem vocans: quis, inquam, tragicorum dixit medicos

Eluere amaro amaram bilem remedio?

Cùm reſpondiſſet Theo, Sophoclis hoc eſſe: Neceſſitas, inquam, cogit, hoc illis vt concedatur. Verùm philoſophi audiendi non ſunt, quando abſurda abſurdis volunt euertere, impugnántque admirabiles ſententias, vtentes ad hoc aliis à ratione magis etiam alienis. quemadmodum hi nunc lationem ad medium introducunt. Cui quid non ineſt abſurdi? nónne ſequitur terram eſſe globum, quæ tot altitudines, profunda, inæqualitates habet? nónne habitari eam ab antipodibus, qui inſtar teredinum aut ſtellionum imis corporum partibus ſurſum obverſis terræ adhæreſcant? nónne nos ipſos non ad lineam & angulos rectos ei inſiſtere, ſed obliquos & inclinatos ebrio-

Contra cẽtrum mundi & terræ disputatio.

rum instar? nónne massas quæ c I ↄ talenta appendant per profundũ terræ delatas, vbi ad medium peruenerint, nulla re occurrente aut sustinente tamen, subsistere: aut si motus vehementia medium fuerint præteruectæ, vltrò ad id reuerti? nónne segmenta trabium ab vtraque terræ parte abscissa non semper deorsum ferri, sed foris ad terram accidentia pertrudi intrò ad medium, ibique collidi? nónne rapidus aquæ fluxus delapsus, vbi ad medium pervenerit, quod est ipsorum sententia punctum corporis expers, subsistet, & circa polum illum circumfundetur, illicque perpetuò librabitur ac pendebit? quorum quædam talia sunt, vt ne falsa quidem imaginatione in animum quisquam ea possit inducere. Hoc verò est inferiora facere superiora, & omnia inuertere, & quæ sunt vsque ad centrum deorsum, quæ infra illud, sursum * ponere. Ergo si quis terræ consensu in medio eius staret vmbilico ad centrum locato, fieret vt simul & caput sursum, & pedes sursum haberet. & si locus in oppositam partem effoderetur, prospiciens iste * deorsum sursum trahi qui effoderetur. & si alius contrariis vestigiis stare intelligeretur, vtriusque pedes sursum tendere dicerentur. Proinde huiusmodi támque alienis à ratione opinionibus onusti (quas non experientia, sed præstigiatoris alicuius circulatorísve apparatus, & triuialis nugæ suggerunt) easque in res philosophicas attrahentes: eos dicunt inferiora superioribus adiungere, qui Lunam, quæ terra sit, non in medio sed in sublimi collocant. At enim si omne corpus graue eodem fertur, & ad centrum suum omnibus partibus vergit: terra non vt centrum Vniuersi potius, quàm totum, sibi omnia grauia vt suas partes vindicabit. Argumento est * erit vergentium. quibus non medium mundi causa est suorum momentorum, sed cognatio cum terra, à qua vi repulsa, rursum ad eam se conferunt. Sicvt enim Sol omnes partes, ex quibus constat, ad se convertit: & lapidem terra vt sibi convenientem accipit * & fert ad eum. Itaque horum vnumquodque temporis progressu vnitur cum ea & coalescit. Quod si quod est corpus ab initio terræ non attributum, neque ab ea auulsum, sed peculiari natura pro sese constat: (qualem isti Lunam faciunt) quid obstat quin seorsim id subsistat suis compactum propriis ac constrictum partibus? nam neque demonstratur terram esse medium mundi: & eorum quæ hîc sunt comparatio & constitutio respectu terræ, ducit nos ad intelligentiam modi, quo ea quæ ad Lunam isthic accidunt permanere sit probabile. Qui autem omnia terrena & grauia in vnum compellit locum, facitque omnia partes vnius corporis, non video cur non eadem necessitate leuia deuinciat: sed sinat tot ignes seorsim consistere, neque censet debere vniuersas in vnum cogi corpus stellas, quod commune sit leuium & igneorum omnium. Sed Solem quidem vos mi Apollinida, innumeris stadiorum millibus abesse à summo cœlo dicitis, ac Luciferum supra eum, & Mercurium alióſque planetas, inferiores stellis inerrantibus, & qui magnis inter se spaciis diuisi motus suos conficiant: ponderibus verò & terrenis corporibus nullam putatis in mundo inter se distantiam, nullum spacium tribui. Videtis ridiculum esse, negare Lunam esse terram, quia distat ab inferiori regione: & dicere stellam eam esse, cùm tot stadiorum millibus à superiore cœlo depressa, & quasi in fundum quendam demersa sit? tanto quidem inferior astris est, vt mensura interualli non possit exprimi, & vos mathematici in ea ratiocinanda numeri deficiant. terram quodam modo attingit, ac ponè eam circumuecta, velvti orbitam currus quandam replicat. vt ait Empedocles:

Quæ circum summam *

Non enim vmbram eius superat sæpenumerò, paulatim emergens ob Solis illuminantis magnitudinem. sed ita videtur proximè, & ferè in vlnis terræ circumagi, vt terra lumen Solis ei obstruat, quando non attollit sese supra vmbrosam hanc, terrestrem & nocturnam regionem, quæ est terræ sorte concessa. Itaque arbitror nobis audacter dicendum in terræ terminis esse Lunam, ideóque ab huius extremis, lumini Lunæ offici. Considera porrò omissis aliis inerrantibus & vagis, quæ demonstrat Aristarchus libro De magnitudinibus & interuallis. Solis scilicet à Luna distantiæ ad interuallum quo à nobis ea abest maiorem esse rationem octodecupla, minorem vigecupla. & tamẽ qui Lunæ minimã altitudinem tribuunt, eam faciunt tantã, vt Lunæ à nobis distantia terræ semidiametrum quinquagies sexies cõtineat. est aũt linea à

Distantiæ Solis, Lunæ, terræ, centri.

centro

centro ad superficiem terræ XL millium, si eos sequimur, qui medium tenuerunt in adsignandis mensuris. vnde ratiocinari licet, Solem à Luna ampliùs quàm quadragies millena stadia, & trecenta millia abesse stadiorum. tam longè est à Sole remota Luna ob grauitatem, & tam propè ad terram collocata. Quare si locis diuidendæ sunt naturæ, profectò terræ portio & regio Lunam sibi vindicat, hancque ea sibi & res terrenæ iure cognationis & vicinitatis petunt propriam. Neque verò arbitror nos peccare quicquam, si iis quæ superiora vocantur corporibus tantum interuallum tribuentes, inferioribus quoque spacium aliquod suæ conuersionis concedimus, quod est à terra ad Lunam vsque. Nam & is modum egreditur, qui solam cœli superficiem extremam suprà, reliqua omnia infrà esse dicit: neque tolerari potest, qui terra, atque adeò centro eius inferiorem locum circumscribit. Sed & mobili- * hîc interuallum debitum concedente ob magnitudinem mundo. qui verò postulat vt omne sursum esse dicatur & sublime quod est supra terram: ei alius occinet statim hac lege deorsum debere haberi quidquid est infra stellarum fixarum globum. Denique quo pacto dicitur terram in medio iacere, cuius tandem rei? Nam Vniuersum quidem infinitum est: infinito, neque principium neque finem cum habeat, non conuenit habere medium. nam ipsum quoque centrum extremitas quædam siue terminus est: infinitas priuatio est terminorum. Qui autem non Vniuersis sed mundi medium putat terram, facetus est, si non censet mundum eadem teneri infinitate. nam ne huic quidem medium est ab Vniuerso relictum: cùm lare & fundamento carens in infinito feratur inani ad nihil quod naturæ ipsius sit accommodatum: aut si subsistat, aliam manendi causam inuenerit quàm loci naturam. Eadem licet de Luna coniicere, alia eam animo potiùs & natura * differentiæ: altera hac quiescente, altera in motu versante. Præter hæc verò considera, an non magna res ipsos fugerit. Si enim quidquid quocunque modo extra centrum terræ est, dici oportet suprà esse, nulla pars mundi infrà erit: sed suprà fuerit & terra & omnia quæ ei incumbunt, & simpliciter quoduis corpus centro circumpositum: infrà autem vnicum illud corporis expers punctum, atque hoc necesse erit omni mundi naturæ opponi: quando superum & inferum naturæ ratione invicem opponuntur. Neque hoc duntaxat est in hac re absurdum: sed causam quoque grauia perdunt, ob quam deorsum vergant atque ferantur, cùm nullum sit infrà corpus ad quod moueantur. nam quod corporeum non est, id neque probabile est, neque ipsi volunt tanta esse vi præditum, vt omnia ad se trahat & circa se contineat. Interim ergo rationi hoc & ipsis rebus repugnans manebit, totum mundum suprà esse, infrà nihil, excepto corporis & diuisionis expertæ, termino. Illud verò consentaneum est, quod nos dicimus, superis & inferis regionibus satis ampla esse spacia tributa. Sed tamen, si ita vis, ponamus contrà naturam in cœlo terrestribus motum adscribi: sensim iam, non commotis (vt fit in tragœdia) animis agedum hoc consideremus, hinc non demonstrari Lunam non esse terram, sed terram alieno à sua natura loco sitam. quandoquidem ignis etiam Aetneus contra naturam infra terram est, ignis tamen est: & vtribus contentus aër natura leuis est, sursùmque effertur, necessariò tamen eò cogitur, quò vltrò non ferretur. Ipsa autem, dij boni, anima an non contra suam naturam inclusa tenetur corpori tardo & frigido, ignea ipsa vobis autoribus, & sensu nullo videnda. neque tamen idcirco dicimus animam corpore aboleri, aut esse nihil, non rem diuinam, ob corporis grauitatem & molem: sed quæ toto cœlo, omni terra marique peruagatis in carnes, ossa, medullásque subeat, & cùm humore infinitis perpessionibus fiat obnoxia. Iam ille vester Iupiter nonne sua natura inest magnus & continuus ignis? & tamen nunc se demisit, atque inflexit omniúmque colorum formam accipit in se per omnigenas mutationes. Proinde vide tu, homo belle, ne transferens & abducens vnumquodque eò, vbi natura illi locum videtur adsignasse, quandam dissolutionem mundi commenteris, & Litem Empedocleam rebus immittas: aut potiùs priscos illos excites contra naturam Titanes & Gigantes, fabulosámque illam & terribilem confusionem atque errores introducas seorsim omne graue, omne leue ponens. *

Vniuersi & mundi nullum esse centrum.

Loco naturam non mutari.

*

*

*

Non hac iam Solis species formosa timetur,
Non terræ hirsutum genus, aut salsi maris vndæ

non terra caloris erat particeps, non aqua spiritus: nihil grauium sursum, leuium deorsum mouebitur. Sed mixtionem fugientes, & ab omni coniunctione abhorrentes res, solitariæq; eæ, quæ principia rerum censentur, non admittentes vllam contemperationem altera alterius, omnem communicationem auersantes, suisque peculiaribus & contumacibus contentæ motibus, eo modo habebant, quo Vniuersum à quo Deus abest, vt Plato dixit: hoc est, sicut se habent corpora animis destituta & mente. donec desiderabilis facultas Prouidentiæ venit in naturam, amiciciámque iis, Venerem, & amorem indidit: vt Empedocles, Parmenides, Hesiodus cecinerunt. vt locum mutantes res, & vna alterius facultate impertita, aliæq; mansionis, aliæ motus necessitatibus illigatæ, & ad meliorem statum necessitate quadam adactæ, pro eo atque natura ferebat vt concederent atque mutarentur, concentum quendam societatémque conficerent. Etenim si nulla mundi pars præter naturam fuit adfecta, sed vnumquodque ita iacet vt natum est, nulla translatione, nulla mutatione indigens, quibus ne initiò quidem opus habuerit: miror quódnam sit munus Prouidentiæ, aut quid fecerit pater ille & artificiosissimus opifex Iupiter. Non enim in exercitu opus est scientia ordines instruendi, si sua sponte quivis militum nouerit suum locum, ordinem, & stationem, quam accipere debeat & tueri. neque vsus erit hortulanis aut qui domos ædificent: si ibi aqua vltrò adfluat plantis rigatione indigentibus: hæc lateres, ligna, & lapides naturalibus motionibus pro se in locum concinnitatémque desideratam coëunt. Sin est, vt hæc ratio palam tollat Prouidentiam, Deóque rerum dispositio & diuisio convenit: quid mirum sic ordinatam esse & concinnatam naturam, vt hæc ignis, ibi astra, rursúmque hæc terra, superius Luna sit collocata, arctiore rationis quàm naturæ vincula constricta? Alioqui, si omnia naturalibus debeant ferri momentis, neque Sol iam in orbem reuoluatur, neque Lucifer, neque aliorum vllum astrorum. sursum enim, non secundùm circulum ferri leuia & ignea naturæ instinctus iubet. Si verò hanc natura admittit varietatem in locorum mutatione, vt hæc ignis suo motu semper sursum tendat, quando autem cœlum attigit, cum eius rotatione circumagitetur: quid mirum, si etiam grauia & terrena ita superantur à continente corpore, vt aliud motus genus suscipiant. Non enim profectò id fert natura cœli, vt leuia sursum ferri prohibeat, grauia & deorsum inclinantia compescere nequeat. Sed vtrorumque natura ita vtitur, vt eam in melius convertat. Verùm enimverò si quod videtur nobis impauidè est dicendum, omissis iis opinionibus quorum habitus serua nostra fecit iudicia: apparet nullam Vniuersi partem ipsam à se ordinem, situm, motúmve habere propria, quæ absque vlla conditione naturalia possint dici. Sed quando vnumquodque, si cuius rei gratia ortum factúmve est, ei se vtiliter mouendum accommodet, & vel ad agendum, vel ad patiendum & adficiendum ita se præbeat, vt eius saluti, pulcritudini & facultati congruit: tunc videbitur naturæ convenienter collocari, moueri, affici. Etenim homo, quo non vlla alia res magis iuxta naturam est facta, in sublimi habet maximè grauia & terrestria, circa caput: in mediis calida & ignita: dentium superne alij, alij inferne sunt nati, neutri contra naturam. neque ignis qui supra ex oculis emicat, secundum naturam est, contra naturam is qui in corde & ventriculo: sed quodvis horum congruè est vtiliterque ordinatum. Quin omnium ostreorum considera naturam, atque (vt vtar verbis Empedoclis.)

Inspice tergigraues conchas quandoque marinas:
Buccinus, exemplóque obducta chelys tibi saxo
Esse potest, summo vt videas in corpore terram.

neque lapidea opprimunt aut affligunt humorem cui incumbunt, neque contrà calor leuitate sua sursum euolans perit: sed omnia sunt commixta, interséque composita pro rei cuiusvis natura. Quamobrem probabile est mundum etiam, si quidem animal est, multis in partibus terram habere, in multis aquam, ignem, aërem: non necessitate aliqua elisa hæc eò, sed ratione ita disponente. nam neque oculus isthac in parte corporis est, leuitate eò compulsus sua: neque cor sua grauitate in pectus delapsum est: sed vtrunque ita collocatum, quia hoc modo erat conducibilius. Non ergo putemus de mundi partibus terram huc pondere suo prolapsam: Solem vtris in morem sursum leuitate sua elisum: aut reliquas stellas velvti in bilance momento facto

Analogia mundi & corporis principum partium.

cto ea in quibus sunt loca occupauisse. Etenim ratione prævalente, stellæ tanquam luciferi oculi in facie Vniuersi insertæ, circumferuntur. Sol autem qui cordis habet vim, ex sese calores & lumen tanquam sanguinem diffundit. terra & mari natura vtitur, sicvt animal ventriculo & vesica. Luna Soli & terræ interposita, sicvt iecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viscus insitum: calorem hâc demittit, & quæ hinc exhalant coquendo purgandóque ad se extollit. quòd si eius terreæ partes & soliditas etiam ad alia habent accommodatam rationem: certè vbique hæc sententia potior est, quàm quæ necessitate materiæ isthæc definit. * Quid enim ex illorum dictis probabile eliciemus? Dicunt ætheris partes lucidas & tenues ob raritatem esse cœlum factas: densatas & coactas, astra, quorum ignauissimum & turbidissimum sit Luna. Et tamen videre licet, Lunam non esse ex aëre secretam: sed etiamnum in multo qui circa ipsam est moueri, magnámque habere infra se ventorum * volui, & cometas. Adeò non momentis grauitatis aut leuitatis vnumquodque corpus appenditur, sed alia ratione disposita atque ordinata sunt. Hæc cum essent dicta, & Lucius mihi successionem disserendi mandasset, iam ad demonstrationes [illegible] dente sententia: Aristoteles subridens, Testor, inquit, totam tuam disputationem fuisse contra eos, qui Lunam semigneam facientes, vniuersè corpora alia sursum, alia deorsum vergere suapte sponte ponunt. Id autem ne fortuitò quidem nobis venit in memoriam, esse qui dicat astra cùm in orbem natura sua reuolui, tum diuersæ à quatuor elementis esse naturæ. vt & mihi supersedere labore liceat & * Lucius *, Mi homo, inquit, alia fortassis astra & totum cœlum nobis ponentibus natura esse pura & sincera, omnísque mutationis & affectionis vacua, ac motu circulari prædita, ideóque & nunquam desinente conversione, nemo in præsentia contra certauerit: quanquam innumeræ sunt difficultates. * Quando autem ista ratio deorsum traducta Lunam attigerit: non iam immunitatem perpessionum in ea tueri, eiúsque corporis pulcritudinem potest: sed vt reliquas inæqualitates & discrimina omittamus: ipsa illa in Luna apparens facies, affectione quadam substantiæ, aut admixtione qualicunque alterius naturæ accidit. Patitur autem aliquid omne quod miscetur, dum suam amittit sinceritatem, ac vi à deteriore natura occupatur. Ipsius porrò Lunæ tarditatem, & celeritatis retusionem, tum caloris inefficacitatem & obscuritatem, quo (vt Ionait) nigra non maturatur vna, quid aliud quàm imbecillitatem dicemus? * Tum Aristoteles: Ergóne affectio corpori sempiterno & cœlesti accidit? Omninò verò, inquit ille, mi Aristoteles, terra quatenus est, res pulcerrima, admiranda, & probè * ornata videtur esse Luna. sin vt astrum eam, luménque, aut corpus diuinum ac cœleste consideras, metuo ne deformis, atque turpis sit, & pulcram appellationem dedecoret. Siquidem in cœlo tam multis astris hærentibus, sola ipsa alieno indiget lumine, vt ait Parmenides,

Et semper Solis radios aduersa tuetur.

Equidem socius noster in disputatione circulari cùm illud Anaxagoreum demonstrasset, Solem Lunæ suum splendorem impartiri, laudatus est. Ego autem hæc non dicam, quæ à vobis, aut vnà vobiscum didici: sed dedita opera ad id quod reliquum est me conferam. *De Lunæ illuminatione.* Probabile est ergo Lunam non vitri aut crystalli in morem illuminari, Sole eam suo perlucente & illustrante lumine: neque rursus quadam fulgoris & luminis coitione, vt cum faces lumine augentur. Sic enim non minùs in nouilunio quàm cùm dimidius orbis nobis illustratus apparet, toto orbe refulgens nobis videretur: non cohibens neque obstruens Solis radiis transitum, sed ob raritatem transmittens. Neque verò Sol lumen Lunæ ei contemperato suo accendit. non enim vt cùm diuiduo, aut vtrinque gibbo orbe Luna cernitur, declinationes eius & auersiones pro causa possunt poni, ita hoc etiam in nouilunio facere licebit. cùm tunc ad amussim, vt ait Democritus, subiecta illustranti, excipiat Solis lumen. itaque tum & fulgere ipsa debebat, & Sol per eam pellucere. quod tantum abest ne fiat, vt cùm ipsa in coitu obscura sit, tum sæpenumerò Solem quoque abscondat:

Dissipat in terram radios cum desuper eius,
Et terræ spacium tam latum lumine priuat,
Quàm latum glaucæ Lunæ complectitur orbis.

vt ait Empedocles: perinde ac si in noctem & tenebras, non in aliud astrum lumen Solis incidisset. Quod autem dicit Posidonius Lunæ profunditatem in causa esse, cur per eam Solis lumen non penetret: id euidenter refellitur. Aër enim quantumvis immensus, & qui multis modis quàm Luna est profundior, totus tamen solaribus radiis illustratur. Relinquitur ergo Empedoclis sententiam esse veram: nempe reflexione luminis Solaris ad Lunam, hic ab illa res illuminari. vnde fit, vt neque calidum neque splendidum ad nos lumen perveniat: quod futurum videbatur, si inflammatio & permixtio luminis fieret. Sed quemadmodum reculsæ voces obscuriorem soni Echô faciunt: & ictus à resultantibus telis languidiores accidunt:

Sic Lunæ feriens fulgor Titanius orbem,

imbecillum hebetémque defluxum ad nos dimittit, ob infractionem vi debilitata. Sub hæc Sylla: sanè, inquit, aliquam hæc verisimilitudinem habent. quod verò validissimum est eorum quæ contrà obiiciuntur, an iam est aliquo pacto explicatum, an verò fefellit socium nostrum? Quid, inquit Lucius, aliud dicis, quam quod de Luna dimidium orbis illustratum exhibente quæritur? Hoc ipsum, aiebat Sylla. Habet enim rationem, quòd cùm omnis reflexio fiat ad æqualem angulum, cùm Luna dimidiata medium cœli tenet, lumen ab ea non fertur in terram, sed ad latus eius delabitur. Sol enim in horizonte constitutus, radiis suis Lunam tangit. itaque is fractus ad æquales angulos in alterum relidetur extremum, neque huc splendorem dimittit. alioqui oportet magnam diuersitatem anguli fieri, quod est nefas. At me hercle, inquit Lucius, hoc tamen dictum est fieri: etsi te præsente, (Menelaum mathematicum inter dicendum intuens compellabat) vereor thesin mathematicam istam euertere, quæ fundamenti instar catoptricæ subiacet de speculorum causis & rationibus doctrinæ. Omnem ergo reflexionem tendere ad æquales angulos, neque sensui apparet necesse esse, neque in confesso est. Sed primùm in curuis speculis hæc positio improbatur, cùm res maiores quàm sunt videntur, reflexione facta ad vnum visus punctum. Fallit deinde etiam in duplicibus speculis, cùm duobus inter se consertis ad angulum, vtraque superficies duplæ speciem reddit: fiuntque quatuor imagines ab vna facie, duæ exterioribus adversæ, obscurè dextras partes in profundo speculorum sinistrorsum repræsentantes. Culpatur etiam * quæ cur fiant, Plato causam reddidit. Dixit enim, speculo hinc inde eleuato visus reflexionem variare, ab vna in alteram parte recidentem. Si ergo visis statim ad nos * recurrunt: quæ verò in alteram speculi partem delabuntur, rursum inde ad nos feruntur: fieri non potest vt omnes reflexiones ad æquos accidant angulos: quanquam illi sententiam nostram impugnantes contendunt defluxibus qui à Luna in terram feruntur æqualitatem angulorum tolli, hoc illo censentes multo esse probabilius. Enimverò vt hoc demus & gratificemur percaræ nobis geometriæ: primùm fieri id par est in speculis ad vnguem læuigatis. at Luna multas habet inæqualitates, asperitates multas: vt fulgores qui à magno corpore accidunt altitudinibus non exiguis invicem resplendere possint, ac omnimodè reflecti, implicari, resplendentiámque inter se continuare, quasi à multis ea ad nos ferretur speculis. Deinde, vt reflectionem ponamus ad ipsam Lunam fieri æqualibus angulis: tamen * fieri potest vt radij per tantum spacium delati frangantur & delabantur, vt lumen componatur & splendeat. Sunt qui etiam ostendant descriptione quadam, multa * lumina in terram dimitti ad lineam sub inclinata subtensam. Inter dicendum autem delineationem moliri, idque apud multos, non licebat. Omnino autem, dicebat, miror cur contra nos allegent dimidiatum orbem Lunæ, cùm eius eadem sit cum vtrinque gibbosa, & cum falcata ratio. Nam si æthereum molem aut igneam Lunæ (siquidem talis esset,) Sol illuminaret, nunquam profectò relinqueret semper apparens sensui vmbrosum & luminis expers hemisphærium eius. Sed si vel paululum attigisset superficiem, impleri eam lumine totámque mutari vsquequaque ob agilitatem prodeunte conveniebat. Si enim vinum aquæ extremitatem attingens, aut gutta sanguinis in humorem incidens, totum inficit aut rubore tingit: ipsum verò aërem aiunt non defluxionibus quibusdam radiisve permixtis, sed totum ictu luminis mutari & alterari: quonam pacto stella stellam, & lux lucem si attingat, arbitrantur nullam confusionem, nullam per tota mixtionem fieri aut mutationem, sed ea duntaxat à Sole

Reflexionis lex & de speculis.

illustrari, quorum attingit superficiem. Quippe is circulus, quem suo circuitu Sol in Luna describit, qui modò incidat in lineam qua Lunæ visibilis pars ab invisibili distinguitur, aliâs ad rectos insistat angulos & diuidat mediam, mox aliis atque aliis inclinationibus proportiones varias splendidæ partis ad vmbrosam efficiat, Lunæque formas vtrinque curuas, aut falcatas exhibeat: planissimè omnium demonstrat eam quæ dicitur Lunæ illuminationem, non contemperationem sed contactum, neque luminis confluxum, sed circumfusionem esse. Quando autem non illuminatur tantùm ipsa, sed huc etiam luminis simulacrum mittit: fit etiam acrius vt contendamus de ratione quæ de eius substantia fuit allata. Reflexiones enim fiunt non ad vllam rem raram & tenuibus partibus constantem: neque facilè imagineris ignem ab igne resilientem, aut lumen à lumine. Sed oportet solidum densúmque esse id, à quo recelli & reflecti aliud debeat: vt in id ictus incumbat, indéque referatur. Ipsum adeò Solem aër transmittit, non impediens aut relidens radios eius: à lignis, lapidibus, & vestibus in Sole positis multæ resplendentiæ & circumfulgentiæ exsistunt. Sic & terram videmus ab eo illuminari. non enim in profundum, vt aqua, nec per totam vt aër dimittit radios. sed sicvt circulus Lunam ambit, partémque eius illuminandam describit: ita alius terram circuit, partémque eius definit, quam Sol subinde illustret, reliquo luminis experte. videtur enim aliquanto maior vtriusque portio quæ illuminatur, quàm est semissis globi. Concedite verò mihi vt hoc geometricè loquar è proportionum collatione. Si tria sunt quibus à Sole lumen accidit, terra, Luna, aër: * videmus tamen Lunam non magis quàm aërem aut terram illuminari. necesse autem est similis esse naturæ, quæ ab eadem re affici eodem modo solent. Hæc omnibus laudantibus Lucium, Præclarè, inquam ego, qui pulcræ rationi pulcram adiecisti proportionem. non enim tuis es defraudandus. Tum subridens Lucius: Proinde, ait, denuò proportione vtamur, demonstrabimúsque Lunam terræ esse cognatam, non eo tantùm quia eadem à re eodem afficiuntur modo, sed & quia idem agunt. Etenim nihil eorum quæ circa Solem fiunt ita simile esse eius occasui atque est defectus ipsius, conceditis (puto) mihi: *Eclipsis Solis, & Lunæ.* memores eius coitus Solis cum Luna, qui nuper fuit, quo statim sub meridiem incipiente, stellæ in multis passim cœli partibus effulserunt, aërísque ea fuit temperies, qualis est incerta luce in crepusculo. si non concedetis, Theon hic noster Mimnermum allegabit, & Cydiam, & Archilochum, & præter hos Stesichorum ac Pindarum, qui deplorant in defectibus splendidissimum sibi eripi Solem, & quasi in media nocte se esse, radiósque Solis tenebroso ferri tramite. super omnes Homerum, qui facies hominum nocte & caligine occupari ait, *Odyss. v, 351. & Odyss. ξ, 163.* Solémque & Lunam de cœlo. periisse: idque fieri alio mense desinente, alio incipiente. Reliqua puto mathematicis subtilitatibus in * eductum esse. Id verò constat, noctem terræ esse vmbram, & defectus Solis Lunæ vmbram esse, quando visus noster in eam incidit. Nam Solem, postquam occidit, videre ne possimus, terra interposita luminibus nostris officit: cùm deficit, Luna nostro visui aditum obstruit. Horum vtrunque obscuratio est: sed occiduam terra, defectum Luna facit visum intervertendo. Ex his autem quid consequatur, facilè potest intelligi. Si enim similia sunt effecta, similes etiam sunt causæ ea efficientes. eidem enim eadem accidere ab iisdem, necessarium est. Quod autem tenebræ in defectibus non sunt ita profundæ, neque aër perinde atque noctu occupatur iis, non est quod miremur. Est enim eadem substantia eius quod noctem, & eius quod defectum efficit corporis: magnitudine differunt. Nam Aegyptij, nisi fallor, septuagies bis contineri in terræ quantitate Lunæ quantitatem censent: Anaxagoras tantam pronunciauit Lunam esse, quanta est Peloponnesus: Aristarchus proportionem diametri facit minorem quàm sint LX ad XIIX, maiorem aliquanto quàm sit CVIII ad XLIII. Vnde fit vt terra prorsus Solem conspectui nostro subtrahat ob magnitudinem: magna est enim obstructio, & nocturno tempore durat. Luna autem etiam si totum aliquando occultet Solem, tamen is defectus latitudine & tempore caret: sed quidam elucet splendor circa orbitam, non sinens altam nimiámque fieri vmbram. Aristoteles verò antiquus ille cur Luna sæpius quàm Sol deficere videatur, causam inter alias etiam hanc potuit: quòd Sol Lunæ interiectu obscuretur, Luna terræ. Posidonius autem sic definiens: Hæc affectio defectus est Solis, coitus vmbræ Lunæ, cuius defectum * His. n. solis defectus est quorũ inter visum & Solẽ vmbra Lunæ interiicit.

Fatens autem vmbram Lunæ ad nos ferri, nescio quid sibi ad dicendum reliqui fecerit. Impossibile quippe est astri vmbram exsistere: cùm vmbra dicatur id quod lumine caret. at lumen vmbram non facit, sed abolet suapte natura. Sed quod nam * post hæc fuit argumentum allatum? Et ego, Eundem, inquam, Luna defectum passa est. Rectè, aiebat, admonuisti. Sed vtrum quasi nos posuissemus Lunam deficere ab vmbra captam, iam ad eam se convertunt rationem? aut vultis vt quasi exercitatione * dicendi instituta singulis recensendis argumentis demonstrationes proferam. Omnino, dicebat Theo, de his declamato. Mihi enim opus aliquo est qui persuadeat: cùm id duntaxat inaudiuerim, quod cum in vna linea sint tria corpora, terra, Sol, & Luna, defectus contingant. tum enim aut terram Lunæ, aut Lunam terræ Solem adimere: hunc Luna, eam terra in medio trium constituta deficere: illud in coitu luminarium, hoc in oppositione fieri. Tum Lucius: Ferè, inquit, hæc de dictis sunt potissima.

Vmbra terræ. Verùm si lubet, primo loco rationem ex vmbræ figura ductam accipe. Est enim conus siue turbo: quippe cùm magnus ignis lumén ve Sphæræ formam habens, minorem, sed ipsam quoque globosam, amplectitur molem. Itaque in defectibus Lunæ circumscriptiones eorum quę obscurantur, quibus à lucidis distinguuntur, circulares * sunt. nam teretis ad * aut accipiet sectiones quæ præbet vsquequaque progredientes, ob similitudinem fiunt circulares. Secundo loco id te arbitror intelligere, quod Lunæ partes eæ primùm lumine destituuntur, quæ ad subsolanum spectant: Solis eæ, quæ ad occasum. mouetur autem vmbra terræ ab ortu versus occasum, Sol & Luna contra versus ortum. Hæc & sensus depræhendere potest in iis quæ apparent, & rationibus haud prolixis queunt perdisci. Ex his autem causa defectuum confirmatur. Quoniam enim Sol deficit depræhensus, Luna autem occurrens ei quod ipsam lumine priuat: convenienter, immò autem necessariò ille à posteriore parte primùm inuaditur, hæc à priore. hinc enim incipit obstructio, vnde primùm ingruit id quod obstruit lumini. Ingruit autem Soli Luna ab occasu contra eum contendens: Lunæ vmbra ab ortu, vt in oppositam tendenti partem. Tertium est temporis & magnitudinis defectuum ratio. Etenim Luna quando sublimis & à terra longiùs distans deficit, non diu hæret in tenebris: cùm verò humilis & terræ vicina in vmbram incidit, admodum premitur, & tardè ex ea emergit. Et quidem humilis celeriùs, sublimis tardiùs mouetur. Sed causa discriminis in vmbra est: quæ latissima circa basin seu fundum, quippe conus, paulatímque se in verticem acuens, in exilem desinit apicem. Itaque Luna humilis in eam incidens, maximis eius circulis capitur, profundámque & caliginosissimam partem pertransit. supernè autem velut in vado ob tenuitatem vmbræ stricta, celeriter discedit. Omitto autem quæ seorsim, proprias * Videmus enim ignem ex vmbroso loco magis effulgere ac lucere ob crassiciem aëris caliginosi, qui splendorem diffluere & dissipari non sinit, sed eius substantiam continet atque cohibet. siue ea sensus est affectio, quo modo calida frigidis adposita calidiora, & voluptates iuxta dolores fiunt vehementiores: ita splendida ponè tenebrosa magis fulgeant, ob diuersas adfectiones in contrarias partes intenta imaginatione. Videtur autem prius illud esse probabilius. In sole enim omnis natura ignis, non modò fulgorem suum amittit, sed concedendo etiam languidior & obtusior fit:

Luna an ignis, an astrum. dissipat enim calor ac diffundit eius vim. Si ergo Luna ignem sortita est imbecillum & inefficacem, stella (vt ipsi aiunt) turbidior: nihil eorum, quæ ei accidere videmus, sed contraria omnia euenire par fuit. nimirum vt videretur quando nunc occultatur, occultaretur quando apparet. hoc est, reliquo tempore occultari debebat, ab æthere continente obscurata, effulgere autem & splendere per sex menses, rursúmque alios quinque, quando sub vmbram terræ subit. Nam illi CCCCLXV circuitus ecliptico rum pleniluniorum, XLIV habent sex mensibus singulos, reliquos quinque mensibus constantes. Tanto itaque tempore oportebat Lunam apparere in vmbra splendentem. At ea in vmbra quidem lumen suum amittit: recuperat autem illud, postquam vmbram effugit. Et sanè interdiu sæpenumero apparet: vt quidvis potiùs quàm igneum & sidereum corpus existimari debeat. Hoc vbi dixit Lucius prouo* lauerunt simul quodammodo ad impugnanda isthæc Pharnaces & Apollonides. Et concedente dicendi partes Apollonide, Pharnaces: hoc ipsum, inquit, maximè ostendit Lunam astrum esse, aut ignem. Non enim prorsus latet in defectibus, sed effulget colore quodam prunam referente & terribili, qui eius est proprius.

Apollo-

Apollonides autem instabat adversus vmbram, inquiens sic semper à mathematicis dici locum qui nulla illustratur luce:tum vmbram à cœlo non admitti. Hoc verò, aiebam, est contra nomen potiùs sophisticè, quàm in rem physicè aut mathematicè disputare. Eum enim infra terram locum, ad quem aditus lumini est obstructus, si vmbram quis dicere nolit, sed luminis vacuam regionem, tamen necesse est Lunã quando eò pervenit * Atq; omnino, dicebam, fatuum est negare vmbram terræ eò pertingere * vmbra Lunæ incidens visui, & * ad terram, defectum Solis facere. Nunc me ad te, Pharnaca, convertam. Color enim ille prunæ simi- Lunæ color. lis & ardens Lunæ, quem eius proprium esse inquis, corporis est densitate & profunditate præditi. nullæ enim reliquiæ, nullum vestigium flammæ in raris permanet corporibus neque prunæ fiunt, vbi non aliquod solidum corpus subiicitur, quod vim ignis altè admissam seruet. sicvt & Homerus alicvbi ait:

Extincto postquam sed flamma euanuit igne, Iliad.ι,213.
Substrauit prunas. ——

non enim ignis, sed corpus ignitum videtur pruna, ab igni affecta res qui in corpore solido & radicem habente permaneat ac duret. flammæ autem, rari nutrimenti & materiæ celeriter ob infirmitatem consumtæ incendium ac fluxus sunt. Itaque Lunam terrenam esse & densam vix vllo alio æquè evidenti argumento ostendi poterat: siquidem pruneus ille color eius esset proprius. Sed non est, mi Pharnaca. & videmus * Lunam deficientem aliâs alium colorem sumere: quos mathematici temporis ratione sic discernunt. Si sub vesperam Luna deficit, horribiliter nigra apparet vsque ad horam tertiam & supra semissem horæ. Si media nocte, tunc istum puniceum & igneum colorem edit: à septima hora & semisse rubor ostenditur: versus auroram iam cæruleum trucémque vultum sumit, à quo eam potissimùm poëtæ & Empedocles glaucopin, id est cæsiam appellant. Proinde cùm videamus Lunam in vmbra tot colores adsciscere, non rectè illi arripiunt pruneum: quem potissimum aliquis alienum ab ea esse dixerit, ac mixturam potiùs luminis deficientis, & per vmbram enitentis: proprium verò, nigrum & terrestrem. Iam cùm hic Solis radios excipientibus purpureis aut puniceis vestibus, paludibus item & fluuiis, vmbrosa viciniæ loca colorem istorum æmulentur, & ob omnigenas reflexiones multiplicibus illustrentur splendoribus: quid mirum res habet, si copiosus vmbræ fluxus velvti in pelagus cœleste incidens non stabilis aut quiescentis luminis, sed ab innumeris exagitati astris, variásque mixtiones & mutationes in se admittentis, alium aliâs colorem à Luna expressum huc refert? Stella enim, aut ignis in vmbra nunquam videbitur nigro, glauco, aut cœruleo colore. Montibus verò, & campis ac maribus multæ à Sole colorum formæ inferuntur, vmbrísque & nebulis tanquam pigmentis permixtus ea splendor inducit. Et maris quidem colores conatus est Homerus vtcunque nominibus ex- Iliad.λ,298. ponere, mare violæ, viniq; rubri forma præditum dicens, & alibi glaucũ, vndam pur- α,350. puream, tranquillitatem albam. quæ verò terræ accidunt diuersitates colorum, aliâs α,34. aliter accidentium, omisit: quia nimirum immensus eorum esset numerus. Cæterùm Odyss.λ,43. Lunam probabile non est eandem cum mari habere superficiem: sed natura terræ co- κ,94. gnatissimam esse ei, quam priscus iste Socrates fabulosè protulit. siue per ambages * Lunam innuens, siue de alia quadam mentionem faciens. Nihil enim vel incredibile est, vel mirabile, si Luna cum nihil in se corruptum, nihil cœnosum habeat, & è * cœlo luminis puri fructum, calorémque non immodicum aut sæuum percipiat, sed humectum & innoxium: in se pulcritudines locorum admirabiles, montes flammantes, ac cingula habet purpurea, aurúmque & argentum non in profundo dispersum, sed quæ in planiciebus copiosè efflorescant, aut in collibus læuibus circumferantur. quorum deinde simulacra ad nos per vmbram aliàs alia continentis aëris mutatione diuersè efferantur. Neque verò diuinitatis opinionem & venerationem hoc pacto Luna amittit, quæ * sacra ab hominibus iudicatur: quàm si eam fœculentum de sententia Stoicorum ignem & turbidum statuas. Ignis quidem apud Medos & Assyrios barbaricis colitur honoribus: qui damnosa præ metu venerantur, neq; tam honore afficiunt quàm abominantur. At verò terræ nomen nemini non Græcorum habetur carum, venerabile: & auitum nobis est ei, vt aliis quoque diis, diuinos honores deferre. Longè verò ab eo absumus, nimirum homines vt Lunam quæ

cœlestis est terra, existimemus animæ mentisque & eorum exsortem, propter quæ * diis primitias convenit offerri: sed legitimam ei beneficiorum gratiam rependimus, & pro iure naturæ veneramur id quod virtute, potentia, ac dignitate humanam excedit conditionem. Quare nihil nos peccare arbitramur, dum eam terream statuimus.

De facie in ore Lunæ apparente.

Quod ad faciem attinet in Luna apparentem: sicut nostra terra sinus habet quosdam magnos: ita censemus Lunam quoque profunditatibus & rupturis magnis esse apertam, aquam aut aërem caliginosum continentibus: in quas Sol suo lumine non penetret, sed eas deserens, reflexionem dissipatam faciat. Excipiens hæc sermonem Apollinides: Ergóne, inquit, ipsam obtestans Lunam, fieri hoc vobis videtur posse vt rupturarum quarundam aut conuallium vmbræ sint, quæ huc & vsq; ad nostrum visum pertingant? aut non ratiocinamini quid inde sequatur? Tum ego: Hoc, inquam, quamvis non ignorantes, tamen audiatis *

* Lunæ diameter, XII digitorum magnitudine apparet in mediis distantiis. nigrarum autem & vmbrosarum macularum vnaquælibet semisse digiti maior videtur, ita vt amplius sit quàm semuncia diametri. Iam si diametrum ponamus Lunæ duntaxat triginta millia stadiorum, ex proposito in ea vnumquodq; vmbrosorum diametrum habebit IↃ stadiis ampliorem * quingentis stadiis. Primùm ergo vide an in Luna possint tanti hiatus, tantæ asperitates esse, vt tantam vmbram faciant. deinde tantæ cùm sint, cur à nobis non cernantur. Ego hæc renidens: Bene tu, inquam, Apollonida, qui talem nobis inveneris demonstrationem, qua & me & te evincas maiores Aloidis esse istis: non quidem quovis diei tempore, sed manè potissimum ac vesperi. * Putásne cùm Sol vmbras nostras facit immensas, hanc præclaram subiici nostro sensui ratiocinationē: si magnum est quòd vmbram de se proiicit, ingēs est quod vmbram creat? In Lemno neutrum nostrûm fuisse, liquidò noui. tamen ambo pervulgatum hoc Iambicum sæpe audiuimus,

Athos obumbrat terga Lemniæ bouis.

incidit enim, vt consentaneum est, montis vmbra buculæ æneæ, per mare in longum porrecta haud paucioribus IↃCC stadiis. * obvmbrandi altitudinem esse in causa, quòd multipliciter excedentia quantitatem corporum intervalla vmbram faciant. Id ergo hæc etiam in Luna contemplare, quando in plenilunio maximè expressam fa*ciei imaginem exhibet, ob profunditatem vmbræ, longissimè tunc à Sole dissita. nam distantia luminis ipsa vmbram magnam, non magnitudines inæqualitatum quę sunt infra Lunam effecit. Quin etiam montium eminentias Solis radij non sinunt interdiu conspici, cùm cernant valles & quæ in profundo sunt atq; vmbrosa, idq; eminus. Non est ergo absurdum, si Luna quoque vt illuminetur, radiósque Solis in se recipiat, videre nequimus ita exactè. Quando autem vmbrosa iuxta splendida ponuntur, horum discrimē visum non fallit. Verùm id, dicebam, magis refellere videtur eam quæ perhibetur à Luna reflexionem: quòd qui in reflexis stant radiis, iis non tantùm id quod illuminatur contingit videre, sed etiam id quod illuminat.

Rursum de reflexione.

Quando enim splendore ab aqua in parietem reculso visus in ipso fuerit loco, vbi fit reflexio: tunc tria ista cernit, reflexum splendorem, aquam in qua radij recelluntur, ipsúmque Solem, à quo lumen in aquam incidens reflectitur. His & in confesso positis, & sensu perceptis, postulant ab iis qui reflexione radiorum illustrari à Luna terram adserunt, vt ostendant noctu apparentem in Luna Solem: sicvt interdiu in aqua cernitur, quando hæc eius radios reflectit. quod cùm non appareat, aliter eam quàm reflexione illuminari censent: ac proinde Lunam quoq; terram non esse. Quid ergo adversum eos dicendum est, aiebat Apollonides? nam isthæc de reflexione ratio etiam ad nos pertinet. Sanè, inquam ego, quodam modo communis ea est ratio, quodam modo non communis. Primùm autem vide quale sit id quod de imagine dicitur, * quàm sit peruersum, & (quod aiunt) sursum versum flumina. Aqua enim in terra est & infrà, supra terram Luna & in sublimi. itaque etiam anguli reflexionum diuersè fiunt, cùm alia sursum ad Lunam, alia deorsum ad terram vertice suo tendat. Non ergo postulent quamvis speciem esse speculum, & quovis intervallo æqualem fieri reflexionem. nam euidentiæ hoc repugnat. Qui verò

rò dicunt Lunam non esse corpus tenue & læue, vt est aqua, sed solidum & terrenum: nescio quomodo Solis in ea imaginem à visu volunt cerni. Nam neque lac huiusmodi speculares reddit imagines, neque visum reflectit: ob inæqualitatem & asperitatẽ partium. nedum Luna possit emittere à se visa talia, sicut specula læuiora faciunt. Sed & in his si qua rima, aut sordes, aut turbatio incidat, punctum à qua solet visus reflexum efformatur: atque ista videntur quidem, sed resplendentiam non exhibent. * Qui autem contendit * aut etiam visum nostrum ad Solem contendens esse: lumen autem visum, cœlum hominem. Est enim verisimile Solis ob vehementiam & splendorem cum ictu factam reflexionem ad nos ferri. At visus imbecillis cum sit & minima particula, quid mirum si neque ictum repellentem infert, neque resiliens continuitatem seruat, sed frangitur ac deficit, cùm tanta ei non sit copia luminis, vt non diuellatur inæqualitatibus & asperitatibus occurrens. Non est enim impossibile ab aqua & aliis speculis reflexionem, cuius in propinquo adhuc tenetur principium, validam resilire. Sed à Luna etiamsi aliquæ delabantur, infirmæ erunt ac languidæ, & quæ ob interualli magnitudinem prius deficiant quàm ad nos perveniant. Alioquin etiam caua speculorum validiùs reflectunt Solis radios, ita quidem vt flammas quoque sæpenumerò edant. curua & globosa, quia vndique renituntur, imbecillem & obscuram * videtur scilicet, quando duæ irides apparent, nubem nube continente, eius colores esse obscuros & incertos quæ est in continente. nam exterior nubes * longiùs à visu distans reflexionem reddit invalidam. Et quid attinet plura dicere? Quando enim Solis lumen à Luna reflexum omnem amittit calorem, & splendoris eius ægrè ad nos perferuntur tenues atque languidæ reliquiæ: poteritne visus noster eodem tam longo permeato spacio Solaris qualemcunque portiunculam imaginis de Luna reportare? Ego quidem non puto. Considerate verò, aiebam, etiam vos, an idem accidat visui nostro à Luna & ab aqua: an terrę, plantarum, & hominum * siderûmque imagines Luna plena repræsentet, sicut faciunt alia specula. quod si visus acies ad hæc non reflectitur tum ob imbecillitatem, aut asperitatem ipsius Lunæ: ne aduersus Solem hoc requiramus. Ac nos quidem, dicebam, quæ ibi dicta sunt, nisi si quid memoriam fefellit, retulimus. Tempus autem est vt Syllam quoque exhortemur, adeòque poscamus ab eo narrationem, vt qui certa conditione auditor interfuerit. Proinde, si ita vobis videtur, ambulandi finem faciemus, & considentes in sedilibus, fixum ei præbebimus auditorium. Placuit hoc. & cum consedissemus, Theo: Ipse quidem, inquit, nõ minore quàm vllus vestrûm audiendi quę dicentur desiderio teneor. antè tamẽ, Lampria, de iis qui Lunam dicuntur inhabitare, pervellem aliquid audire: non vtrùm habitẽt aliqui, sed an habitari possit. hoc enim si nequit, à ratione alienum erit eam esse terram. nam videbitur ad nullum vsum & frustra exstitisse, cùm neq; fructus edat, neq; hominibus quibusdam sedem, ortũ, & vitæ degendæ locum præbeat: quarũ rerum causa hanc nostram terram exstitisse de Platonis sententia dicimus, nutricẽ nostram, diéique & noctis fidelem custodem atq; opificẽ. Vides autem de hoc argumento multa & seriò & iocò disputari. Lunam enim aiunt eorum qui infrà degunt tanquam Tantalorũ imminere capitibus. rursùmque eos qui ipsam incolunt, Ixionũ instar illigatos tanto impetu volui ac revolui. Et quidem non * vnico motu Luna versatur, sed est, vt solent appellare, triuia: in Zodiaco simul in longum, & latum, & profundum circummeãs. primum motum circuitionem, secundum volutationem, tertium nescio quî inæqualitatem vocant Mathematici: cùm nullam earum motionum cõstitutis certisque finibus includi videamus. * Mirum non est, si impetu agitationis leo in Peloponnesum decidit. sed tamẽ nónne innumeros quotidie videmus hominum casus, & vitas quasi calcitrando proiectas, isthinc in caput hâc deuolutorum. Etenim ridiculum est dubitare an ibi mansio sit, si ortui locus nullus datur. Nam cùm Aegyptij & Troglodytæ, quorum vno die quotãnis Sol per momentum temporis in solstitio capitibus imminet, mox discedens, tantùm non cõburant ob aëris siccitatẽ: an credibile est eos qui in Luna sunt quotannis duodecim perferre posse solstitia, singulis mensibus Sole in plenilunio supra capita eorũ insistente. Iam flatus, nubes, imbrésq; (sine quibus neq; nasci neq; natæ durare possunt plãtæ) ibi * coire, ne cogitari quidem potest, in tanto calore, tanta tenuitate ambiẽtis. quando ne apud nos quidẽ altorũ montiũ vertices feris istis adversísq; tangunt tempestatibus: * sed aër ibi iã tenuis, motúq; ob leuitatẽ suo pręditus, coitionẽ istã & dẽsationẽ effugit.

An Luna habitetur.

Timæo.

Nisi me herclè dicere velimus, quo modo Achillem Minerua nutrimentum respuentem nectare & ambrosia instillatis aluit: ita Lunam quoque, vt quæ Minerua dicitur atque est, quotidie ambrosiam exhibendo istos homines nutrire: quemadmodum ipsos deos Pherecydes ille priscus pasci putauit. Nam Indica illa radix, quam ait Megasthenes eos qui nihil bibant edántque, sed ore prorsus careant, suffire, itáque odore vitam tueri suam, vnde nata illic sumatur, cùm nulla Lunam riget pluuia? Cùm hæc Theo dixisset * dicebam, & optimè ioco sermonis supercilia * vnde & audacia nos subit ad respondendum animans, cùm non admodum acerbum austerúmue exspectemus iudicium. Profectò enim in eadem sunt culpa cùm iis qui nimiam huiusmodi rebus fidem adhibent illi, qui nimis offenduntur iis, omnémque fidem derogant, neque animo æquo volunt quid fieri possit, quid contingat dispicere. Initiò itaque primum illud non est necessarium, si homines Lunam non inhabitent, frustra eam & nullius rei gratia factam. Nam hanc ipsam nostram quoque terram videmus non totam feracem & habitatam esse, cuius exigua quædam pars quasi promontoriis & peninsulis è profundo extantibus animalia gignit ac plantas: cætera aut ob hyemes & siccitatem deserta ac sterilia sunt, aut (quæ multo maxima est terræ portio) sub magnũ demersa mare. Sed tu, qui Aristarchum semper diligis atque admiraris, non audis Cratetem, quando is sic legit.

Iliad.ξ,246. *Præbuit Oceanus cunctis primordia diuis,*
Atque hominum generi, & terram tegit vndique latè.

Longè verò abest vt hæc frustra dicãtur exstitisse. Etenim mare exhalationes molles edit & iucundissimos flatus vere adulto: quando ex inculta & gelida terra niues paulatim liquatæ diffluunt. diéique & noctis stat fidelis in medio custos atque opifex, vt ait Plato. Nihil ergo obstat, quin Luna etiam animantium vacua præbeat reflexiones lumini circa ipsam diffuso, & confluxum radiis astrorum ac contemperationẽ, quo * adiuta concoquat exhalationes à terra elatas, simúlque solis nimium feruorem mitiget. Tum multum antiquæ tribuentes famæ, Dianam eam dictam statuemus, vtpote virginem & infecundam, aliâs auxiliarem & vtilem. Nam eorum, quæ abs te, mi Theon, allata sunt, nihil est quod ostendat fieri non posse vt in Luna quis habitet. Quippe circumagitatio ista multam habens lenitatem & tranquillitatẽ, aërem demulcet atque * componit: vt nullus sit metus excidendi ac præcipitationis iis qui ibi degunt. Tum ipsa motus varietas vagæque conversiones non ab inæqualitate sunt aut conturbatione: sed admirabilem astrologi demonstrant in his ordinem, circulis eam accommodantes circa alios circulos sese euoluentibus, alij quiescentem ipsam, alij placidè et æqualiter eadem semper celeritate sese mouentem. hæ enim circulorum adscensiones, & circumductiones, atque inter se & ad nos respectus, eas quæ in motu Lunæ animaduertuntur altitudines, profunditates, & latitudinum diuersitates simul cum conuersione secundum longitudinem exactissimè conficiunt. Magnum autem illum & continentem æstum solis metuere desines, primùm si duodecim istis æstiuis coitibus totidem plenilunia opponas: deinde continuitatem mutationis, quæ exuperantiæ caloris non multum permittit temporis, itáque commodam vtrinque temperiem efficiens, mediocritatem (vt apparet) vernæ simillimam redigit. Præterea solis lumen ad nos defertur per aërem turbidum, atque in nos infligit calorem exhalationibus nutritum. isthic autem tenuis est aër & pellucidus, diffunditque & dissipat splendorem nullo fomite, nullo corpore sustentatum. Materiam porrò & fruges hisce in locis alunt pluuiæ. alibi autem, vt apud nos in superiore Aegypto ad Thebas & Syenam, * non pluuia aqua, sed è terra nata eædem nascuntur. qua rigatæ, & ventis ac rore vegetatæ, virtutem & temperiem soli tantam ostendunt, vt comparari se cum terra plurimis irrigua pluuiis vbertatis causa id nõ patiatur. Iam eiusdem generis stirpes apud nos, si vehementer adfligatur hybernis tempestatibus, pulcrum & multum fructum producunt: in Africa, & apud vos in Aegypto, admodum sunt frigoris & hyemis impatientes. Gedrosiæ etiam & Trogloditicæ regionis ea pars quę ad Oceanum pertingit, sterilis omnino est ob siccitatẽ, & arboribus caret: at in mari vicino quo alluitur, invsitatæ magnitudinis plantæ nascuntur. & ex profundo pullulant, quarum alias oleas, alias lauros, alias crines Isidis nominant. & qui vocantur anacampserotes, quasi amorẽ postliminio reducentes dicas, è terra euulsi, nõ modò viuunt suspensi quanto

to quis velit tempore, sed etiam germinant * seminatur autem. Et alia quidem, vt Centauriũ, si seratur in bonam & pinguem terram, ac rigetur, vim qualitatémque suã naturalem amittit: siccitate gaudet, inq; ea suam naturã seruat. alia, vt aiunt, ne rorem quidem tolerant, vt pleraq; Arabicorum, quæ simul atque humectata sunt, pereunt. Quid verò miri est, si in Luna radices, semina, plãtæq; nascuntur nihil pluuiarum ope indigẽtes aut hyemis: sed æstiuo & tenero aëre, ad naturam ipsorum accommodato, contentæ? Quî autem non sit probabile emitti spiritus qui à Luna calore afficiantur? & conversionis eius agitationi comitari sensim auras, leuésque rores & humores, qui circumfusi alimentum plantis sufficiant. cùm quidem ipsius Lunæ temperies non sit ignea, non squalida, sed mollis & aquosa. Nam ad nos à Luna nulla pervenit siccitatis effectio, multæ humiditatis, & femineæ (sic loquar) vbertatis. vt sunt plantarum incrementa, concoctiones carnium, mutationes & ad vappam inclinationes vini, lignorum putredo, fertilitas mulierũ. Vereor autem quiescentem Pharnacem rursum irritare & commouere, si Oceani æstum, (vt ipsi dicunt) fretorúmque incrementa adducam, humorem à Luna submissum sequentia. Itaque ad te potiùs me convertam, mi Theo. Tu enim nobis Alcmanica ista exponens, *

Qualia Iouis & Lunæ proles ros educit:

Iouis nomine aërem dicis intelligi, qui à Luna humectatus in rorem vertatur. Eò enim, amice, reditura res videtur, vt Luna adversam planè Soli naturam habere censeatur: siquidem non modò quæ densare ille & siccare solet, ipsa relaxat atque humectat: sed calorem quoque ab eo profectum in ipsam humore & frigore mutare possit. Enimverò & hi errant, qui Lunam ignitum corpus esse atque ardere putant: neq; ij, qui eadem animalibus in Luna ad ortum & victum necessaria putant, quæ nostratia requirunt, videntur vnquam considerasse diuersitatem naturæ: quę quidem maior est ac numerosior inter ipsa animalia, quàm sunt discrimina animalium & vitæ expertiũ. Ac demus sanè non esse homines qui concreto ore, Solis viuant odoribus: nisi * ne videantur, & Ammonis nobis ipse vim enarrauit. obscurè etiam significauit Hesiodus his verbum:

Nec quanta asphodeli, aut quæ sint compendia maluæ. Operib.41

Rè ipsa autem id planum fecit Epimenides, docens exiguo admodum fomento naturam sustentare animal, si nutrimentum vel oliuæ quantitate sumat, nullo præterea indigens. Qui verò Lunam inhabitant, (si quidem sunt) graciles & quovis alimento fouendos apparet esse. quando ipsam etiam Lunam, vt & Solem, corpus igneum, & multis modis quam terra maiorem, ab humoribus terrestribus ali aiunt, ac reliquas etiam stellas, numero immensas. ita facilia, ac tenuia & minimo indigẽtia corpora superiori adscribunt regioni. Sed neq; ista, neq; hoc saltem obseruamus, regionem, naturam, temperiémq; aliam Lunaribus istis hominibus esse accommodatã. Ergò sicvt si non possemus ad mare accedere, neque id attingere, sed tantùm eminus adspiceremus, nobísque diceretur aquam eius amaram, salsam, potuíque incommodam esse, magna autem & multa animalia in profundo alere, & belluarum esse plenum ita aqua, vt nos aëre fruentium: fabulas & monstrorum similia dici arbitraremur. ita videmur hic quoque adfecti, dum non credimus esse qui in Luna degant. Ego autem istos qui in Luna incolunt multo magis mirari existimo, cùm terram intuentur tanquam fæcem & cœnum Vniuersi per tot humores nubes, nebulásque apparentem, locum obscurum, humilem, immobilem: posse eam animalia producere & nutrire, motu, respiratione, & calore prædita. Et sicubi illis contingat audire Homerica isthæc.

Terra, situque oppleta, diis horrenda vel ipsis. item, Iliad.v.65
——tum Tartarus ipse,
Bis patet in præceps tantùm, tenditque sub vmbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum. Iliad.θ.16

haud dubiè censebunt de terra hæc dici, & hæc tartarum, solam Lunam esse terrã, æquali spacio à superioribus istis & his inferioribus dissitam. Nondum planè finieram sermonem, cùm Sylla interpellans, Desine, inquit, Lampria, & sermoni fores obde: ne imprudens fabulam tanquam nauim in terram expellas, & drama cõfundas, quod iam alium habitum, aliam scenam habet. Ego autem qui actoris partes sustineo, principiò autorem fabulæ vobis nominabo, Homericè (nisi quid obstat) ordiens.

Ogygia huic longè uasto iacet insula ponto,

Ogygia insula Saturni.

quinq; dierum nauigatione distans à Britannia uersus occasum: tres autem aliæ eodem spacio & inter se dissitæ ante eam iacent, maximè versus occasum solis æstiuum. in harum una barbari Saturnum fabulantur fuisse à Ioue inclusum: hunc, ut filium, custodiã egisse insularum istarum & maris quod Cronium siue Saturnium dicitur, atq; inferiùs paulo sedes habuisse. Magnam verò continentem, à qua magnum mare in orbem cin- * gitur, à reliquis minùs distare, ab Ogygia autem ad stadia 1ↄↄ, cùm quidem remigio aptis nauib. eò sit eundum. Esse.n. lentum traiectum maris & cœnosum ob fluminum multitudinem, quæ per magnam terram effluant, terrámq; aggerẽt, ac mare crassum & terrenum efficiant: unde etiam opinio insinuauerit, esse ipsum concretum. Continẽtis porrò partes ad mare habitari à Græcis circa sinũ Mœotico haud minorẽ, cuius fauces ori Caspij maris e regione maximè iaceant & ad rectam lineã. Hos in ea esse opinione, ipsos continentem incolere, hanc autem nostrã terram esse insulam, ut quæ in orbem à mari circùm alluatur. Existimare autem eos, Saturnio populo posteriorib. temporib. Herculis comites se admiscuisse, ibíq; relictos, iam exstinctum fermè & lingua, legib., uictúq; barbaricis oppressum Græcũ morem quasi resuscitasse, atq; auxisse. ideò etiam primos honores Herculi apud eos, proximos Saturno haberi. & cùm Saturni stella, quam Græci Phænõtem quasi lucidam, ipsi Nycturum (ut aiebat.) ceu noctis custodẽ appellant, in taurũ ingreditur, quod trigesimo quoq; fit anno, tum eos iamdudũ à multo tempore ad hoc paratos, sacrã rem facere, & nauib. auehi * emittere.n. sorte ad hoc lectos, qui tantũ pelagus remigio conficiant, ac longum tempus peregrè degant. Aue- * ctos porrò non eadem omnes uti fortuna. qui verò incolumes mare superauerũt, primùm ad præpositas appellere insulas, quas Græci inhabitant: ac uidere Solẽ per triginta dies unica tantùm hora occidere: noctémq; hãc tenebras habere tenues, & lucẽ crepusculinam ab ortu. Ibi cùm fuerint commorati dies XC, honorificè comitérq; tractati, & sacri crediti atq; appellati: porrò à uentis traijci eos deinceps. Cæterùm neminem istas incolere insulas, nisi ipsos, & quos in coloniã mittant. Licere.n. nauigio inde auehi, postquam deo decimumtertium ritè sacra fecerint. Plerosq; tamẽ malle ibi manere: quosdam, quia adsueuerint: alios, quia citra laborẽ & occupationẽ ullã omnia abũdè suppeditẽtur ad sacrificia & chororum instructionem: & philosophari perpetuò conceditur. Mirabilem esse.n. insulę naturam, & lenitatem aeris ambientis. Quibusdã etiã, cùm auehi in animũ induxissent, genium loci impedimento esse: ostendẽtem eis se tanquam familiarib. & amicis, nõ per somnia modò aut tesseras, sed palàm uisui audituiue se exhibentem. Ipsum.n. Saturnum in profundo antro dormire, ibiq; contineri inter sa- * xa auri formam referentia. nam somnum ei loco compedum esse à Ioue destinatũ: & in uertice saxi esse aues, quæ aduolãtes ei ambrosiã adferant. totam insulã suaui fragrãtia oppleri, quę è saxo illo tanquam fonte diffundatur. Genios autẽ illos Saturni famulos esse atq; administros, qui circa ipsum uersentur adsiduò, & tunc eius fuerint socij, cùm in homines ac deos regnũ gessit. Eos, utpote suapte natura diuinos, multa uaticinari: maxima autem, & de summis reb. prædicere, dum somnia Saturni renũciant: huic.n. in somnis obuersari, quicquid Iupiter meditetur. Tum illa Titanica, esse assurrectionẽ & motus animæ in ipso. omnino somnus * & regia illa ac diuina facultas ipsa seorsim pura atq; incontaminata exsistat. Huc ergo delatus, ut ipse narrabat, hospes, deúmq; per ocium demeritus, astrologię tantam parauerat sibi peritiam, quãtam geometria fretus aliquis & longissimè procedens adipisceretur: de reliquis partib. philosophiæ naturalem amplexus, cupiditate quadam & desiderio captus fuit spectandæ magnæ insulæ istius. sic.n. nostram illi continentẽ nominant. Ergo circumactis XXX. annis, cùm successores uenissent domo, salutatis amicis auectus est, modico alioquin apparatu, sed qui ingens uiaticum in aureis poculis secũ portaret. Quæ ei euenerint, per quos homines iter fecerit, ut sacras in litteras inciderit, ut omnis generis sacris initiatus fuerit, recensere non est unius diei opera: quomodo ille nobis retulit, singula accuratè commemorans. Quæ uerò ad præsentem pertinent disputationem, audite. Cùm Carthagine * permultũ temporis extraxisset, quòd ea urbs apud nos post deletam ueterẽ in magno est honore: inuenit mẽbranas quasdam sacras humi abditas, dudum ætatẽ clam exportatas & latentes. Ac dixit de ijs qui in deorũ habentur numero, præcipuam uenerationem Lunæ deberi, ut quæ plurimũ iuris in uitam nostram haberet: meq; ut eam studiosiùs quàm alia numina colerem, hortatus est. * Hæc ego cùm mirarer, & planiùs mihi explicari

explicari cuperem: Multa, inquit, ô Sylla, de dijs apud Græcos, non omnia tamē rectè dicuntur. Quale initiò statim hoc occurrit, quòd Cererem & Proserpinam rectè nominantes, nō rectè simul, & circa eundem locū uersari ambas cēsent. Ceres. n. in terra est, & terrestrium effectorū potestate prædita: Proserpina in Luna est, & reb. præest lunaribus Persephones uerò nomē & Cores, quod est puellę, apud eos qui in Luna sunt gerit Proserpina: illud quia lucifera sit: hoc, quòd etiam pupilla oculi ita Græcis appellatur, quia uisa res in ea conspiciatur haud secus ꝗ Sol in Luna. Atq; ijs quoq; de erroribus. Proserpinę, útq; fuerit à Cerere quęsita fabulis, ueri aliquid inest. nam sese inuicem desiderant disiunctæ: & in vmbra se mutuò sæpe complectuntur. Et quod Proserpina modò in cœlo & lumine, modò in tenebris & nocte dicitur esse: id mendaciū non est: neq; tempus errori ansam suo præbuit numero. Non. n. sex menses, sed ferè sex menses videmus eam à terra tanquā matre sub vmbra detineri. idq; rarò, cùm quinto pòst mense adueniat. Nam impossibile est ut Plutonem relinquat, cuius est. quod & Homerus occultè quidem, sed non ineptè significauit: *

> *Elysium in campum, quâ terræ terminus exstat,* Odiß. λ. 563.
> *Te ducent superi.* ——

ubi. n. vmbra desinit ingruere, eum terminū & finem terræ posuit. In illū uerò campum nemo improbus aut impurus uenit: boni post mortem eò delati, facilimam quidē non tamen beatam aut diuinā uitam agunt usq; ad secundā mortem. Quæ uerò ô Sylla hęc est? aiebam. Tum ille: Noli, inquit, de his quærere: sum. n. ipse narraturus. Hominē plerique cōpositum sentiūt, rectè hoc, non rectè, quòd è duab. tantùm partib. cōstare putāt: scilicet mentem partem quodammodo animæ esse opinantes. Etenim mens tanto est pręstātior quàm anima ac diuinior, quanto anima præstat corpori. Facit autem coitus animę rationem eorū, quorum alterū uoluptatis & doloris est principiū, alterum uirtutis & uitij. His trib. compactis, terra corpus, animam Luna, mētem Sol creādo homini præbuit. * sicut igitur Lunæ splendorē. Mors autem, quam obimus, alia ex trib. duo facit hominē, alia vnum è duobus. & alter est in Cereris * in ipsa cōficere. & mortuos Athenienses demetreos, hoc est Cereales, dixerunt. antiquitus autē in Luna * Proserpinæ. * & huius quidem cōtubernalis est Mercurius terrestris, illius cœlestis. Soluit autē ipsa celeriter ac vi animā à corpore: mentem ab anima leniter & lōgo tēporis decursu Proserpina. ideóq; vnigenita appellatur: vnica. n. fit hominis melior pars, ab ea secreta. Euenit autē sic secundū naturam vtrunq;. Omnis anima, siue prædita siue carens mēte, vbi primùm è corpore exiit, fati lege ad tempus uagatur ea in regione quæ terrā & Lunam interiacet. Verùm non idem est omnib. tempus præscriptum. Impiæ. n. & intēperantes pœnas flagitiorū luunt, piæ certum tempus, quantum ad lustrandū, & corporis utpote malæ causæ pollutiones abolendū sufficit, in aeris purissima parte degunt, quā prata Ditis appellant. deinde ueluti ab exsulio in patriam reductæ, gaudiū degustant, quale maximè percipiunt qui sacris initiātur, trepidatione ac suaui spe permixtū. Multas. n. extrudit, æstuādóq; proijcit, iam iam Lunam subire affectantes: nonnullas etiam quæ iam eò peruenerint, subuersas uident tanquam in profundū deuolui. Quæ autem sursum euaserūt, ac firmiter sunt collocatæ, primùm, ut solēni certamine uictores, coronantur pennis, quæ constantiæ dicūtur: quia animæ uim brutam & motib. uagis obnoxiam in uita rationi obsequentē compositámq; habuerint. Deinde uisus eorū radijs est similis. Circa animā autem sursum subleuatā, sicut hæc ꝗ circa Lunam est æthere: & ab eo vim quandā robúrq; accipiūt ut ferrū candens aquę immersum. quod. n. rarū adhuc est & diffusum, roboratur fitq; stabile & pellucidū: ita ut à quauis exhalatione nutriatur. Et præclarè dixit Heracletus, Animas in Orco odorari. Conspiciunt autē primùm ipsius Lunæ magnitudinem & pulcritudinem ac naturā: non simplicem aut sinceram eam, sed aliquid è terra & stella cōtemperatum. Sicut. n. terra spiritu mixta & humore mollis est facta, & sanguis carni admixtus sensum præbet: ita æther i aiūt Lunā profundè permixtam, simul & animatam esse ac fecundā, & grauitatis leuitatísq; ęqualia momenta habere. Nam ipsum quoq; mundū ex ijs quę sursum, & ijs quę deorsum ferūtur natura contemperatū, ab omni mutatione loci esse liberū. Hęc etiam Xenocrates diuina quadā ratiocinatione uidetur depręhēdisse, à Platone sumto principio. Plato. n. est, qui stellarū quoq; vnamquālibet ex terra & igni cōcinnatam pronunciauit per intermedias naturas proportione datas. nihil. n. sentiri, cui nihil terrę & luminis sit admixtū. Xenocrates autem stellas & Solem ex igne ait & primo denso compositas: Lunam

Marginal notes: * (line 1); * (line 11); Animarum post mortem status. (line 20); * (line 24); * (line 38); * (line 45); Lunæ substantia. (line 48)

autem ex secũdo denso, & peculiari aere: terram ex aqua, igni, & tertio denso. omnino autẽ neq; densum ipsum per se, neq; rarum esse capax animæ. Atq; hęc quidem de substantia Lunæ. Latitudinẽ autem eius & magnitudinẽ non quantã geometrę dicũt, sed multis modis maiorẽ. dimetitur autem vmbram paululũ suis magnitudinibus, nõ ob * paruitatẽ, sed calidissimè motum concitat, vt celeriter perambulet vmbrosum locũ, simul efferẽs animas bonorũ festinantes & vociferãtes. nam cùm in umbra sunt, exaudire desinũt harmoniã cœli. simul etiam animę quæ infrà sunt supplicia luentiũ tunc per vmbrã lamentãtes & conclamãtes adferũtur. Ideò in defectib. plerìq; solent æra pulsare, ac sonitũ fragorémq; adversus animas edere. Terret eas etiam ea quæ dicitur facies, quando propius accedũt, horrẽda eis & terribilis apparẽs. Non est autẽ talis. Sed sicvt nostra terra sinus habet profundos ac magnos, quorũ vnus per colũnas Herculis hac ad nos infunditur, alter foris est maris Caspij ac rubri: sic in Luna etiã cauernæ sunt & profunda. Cauernarũ eius maximã penetralia Hecates vocant, vbi animę eorũ quæ iã natæ egerunt aut passę sunt, rationẽ reddũt ac pœnas dant sumũntq;. duę aliæ lõgę dicuntur, quia per eas transmittuntur animę, aliâs à Luna versus cœlum, aliâs versus terram. appellãtur autem partes Lunę cœlo obversæ Elysius cãpus: huc pertinentes, Pro * serpinæ & Antichthonis, id est terræ oppositę. Non semper autẽ in Luna morãtur genij, sed huc descendũt vt oracula procurẽt, & supremis adsunt orgijs atq; sacrificijs, puniũt flagitia, salutaréśq; in bellis & mari adfulgent. Quod siquid horũ non rectè gerãt, sed pro libidine, aut iniusta gratia vel odio: pœnas pendũt. detrudũtur. n. rursus in terram, & cũ corporibus humanis conflictantur. E meliorum geniorũ censu Saturnus ac qui cum eo fuere se dixerũt esse, & antiquitus in Creta Idæi dactyli, in Phrygia Corybantes, & apud Lebadiam Boeotię Trophoniadæ, atq; innumeri alij passim per orbẽ terrarũ: quorum sacra, honores, & nomina etiamnũ manẽt: facultates quorundã optimam nactę mutationẽ aliò trãsiuerũt. Nanciscũtur autem alij priùs, alij posteriùs, mẽte ab animo secreta. secernitur verò amore solaris imaginis, per quã effulget id q̃d expetendum, pulcrũ, diuinũ, beatúmq; est bonũ, quod omnis natura, sed alia alio modo, appetit. Nam ipsam quoq; Lunam amore Solis adsiduò reuolui & cum eo coire, ac fecunditatẽ ab eo captare. Animæ porrò natura ad Lunã deficit, ueluti uestigia quędam uitæ & somnia reseruans. ac de hac rectè istud dictum existimato.

Ast anima, ut somnus, pernicibus auolat alis.

non. n. statim atq; à corpore soluta est hoc facit, sed pòstmodo, quando deserta & sola est, mente separata. Et Homerus de omnib. quæ dixit, maximè secundum Deum uide- * tur hæc pronunciasse

Odyß. λ. 600. *Post hos Alcidæ mihi sese obiecit imago:*
Ipse inter superos etenim lætum exigit æuum.

Nam vnusquisq; nostrũ ipse bono est animo: neq; timor, neq; cupiditas, ut neq; caro, neq; humores, sed quod cogitamus & intelligimus: & anima à mente effingitur, formátq; corpus & undiquaq; amplectitur, & ab eo formã ipsius sibi imprimit: ut etiã diu ab vtroq; separata, similitudinem tamen eius effigiémq; retineat, & imago rectè dicatur. Horũ autem, sicut diximus, elementũ est Luna, in quã animę resoluuntur, sicut cadauera in terrã. celeriter quidem castę quę ocium & philosophicã fuerũt amplexæ vitam. quę dimissę à mente, & motib. ad nihil porrò vtẽtes euanescũt. At verò animę ambitiosorum, rebus gerẽdis, & amori corporũ deditorum, itémq; iracundorũ aliæ uelvti in somno recordatione rerũ in uita gestarũ reminiscentia tanquã somnijs vtuntur, vt Endymionis anima. postquã autẽ eas inconstãtia & mobilitas exturbat, trahítq; à Luna ad aliũ ortũ, non sinit * sed reuocat & demulcet. Exiguum. n. aut placidum aut constans nullũ est opus, quando absq; mente vis quę varijs exagitatur motib. corpus arripit. Tityi quidem, Typhones, & is Typho qui Delphis occupatis oraculũ ui & libidi- * ne sua cõturbauit, è numero istarum erant animarũ, mentis expertes, ac tantùm vagis incitati cupiditatibus. Aliquãto pòst tempore eas quoq; animas in se recepit Luna, atque composuit. Deinde mentẽ rursus adseminãte Sole, uitali eam vi excipiens, nouas facit animas: tertio loco terra corpus suppeditat. nihil. n. hęc post mortem dat, quę ad generationẽ accipit. Sol autẽ accipit quidem nihil: recipit autem mentem quã dat. Luna & accipit, & dat, & cõponit, & diuidit, alia atq; alia facultate: Lucina, cùm componit: Diana cùm diuidit dicta. Et de tribus Parcis Atropos circa Solem collocata, initiũ ortus prębet: Clotho circa Lunam vecta colligat & miscet: ultima Lachesis terrã contingit,

tingit, eiq; plurimũ fortunę est admixtum. Quod .n. animæ est expers, id sui iuris non est, sed alteri se afficiẽdum prębet: mens imperiũ obtinet, neq; aliunde afficitur: mixtũ est quippiã & medium anima. sicut Luna etiam ex superis & inferis mixta à Deo est, * hanc ad Solem habens rationẽ, quam terra ad Lunã. Hæc, aiebat Sylla, ego audiui narrante hospite. ei autem exposuerunt Saturni famuli atq; cubicularij, ut quidem ipse referebat. Vos, Lãpria, uestro arbitratu sermonẽ hunc in quam lubebit partẽ accipietis.

PLVTARCHI

Commentarius, cur nunc Pythia non reddat oracula carmine.



ASILOCLES. Hospitem, Philine, per donaria deducẽdo rem in profundã protraxistis vesperam. Ego quidẽ vos exspectãdo defatigatus sum. PHILINVS. Etenim, Basilocles, tardè incessimus, interim seminantes ac metentes sermones, qui Spartorũ illorũ in morem bellicosi & infensi subinde nobis ambulãtibus suppullulabãt. BAS. Ergo aliquis alius eorũ qui interfuere nobis cõpellandus est, aut tu nobis gratificaberis isthæc narrando, quinã fuerint, & quorũ sermones? PHIL. Mea est hæc, ô Basilocles, opera. nam reliquorũ in nullũ facilè incides in urbe. uidi.n. plerosq; rursus in Coryciũ cum hospite & Lycuriam vnà ire. * adeò spectãdi, & nimis quàm amicitiæ studiosus est hospes, magis etiã discendi litterarúmq; cupidus. Neq; tamen hæc maximè admirationẽ merentur: sed mãsuetudo peruenusta, & in dubitando ac repugnãdo acumen, ádq; respondendum facilitas ab omni remota contumacia. ut etiã primo congressu diceres, Proles boni parẽtis. Nosti. n. Diogenianum optimũ virum? BAS. Ipse quidem, Philine, eum non vidi. multi autem diuersa de * adolescente narrant. Sed quódnam aliud initiũ habuerũt sermones, qua occasione orti? PHIL. More suo interpretes sacrorũ agebant, nulla nostrûm habita ratione, qui orabamus vt in pauca contraherẽt enarrationẽ, & plerasq; inscriptionũ pręterirẽt. Hospitem verò forma & artificium statuarũ mediocriter mouebãt, qui (ut apparebat.) multa præclara opera spectauisset. Miratus autem fuit æris floridũ colorem, non situi aut æruginì similem, sed cyani tinctura rutilantẽ, ita ut etiam aliquid ad nauium rectores splẽdoris emitteret. ab his. n. spectare orsus est, cũ fortè marinæ eorũ statuæ colore ac profundum referẽte essent positæ. Númnam, aiebat, tẽperatione quadam & medicatione æris prisci opifices vsi sunt? nam Corinthiũ quidem æs non ars, sed casus tam elegante donauit colore, igne domũ hauriente in qua aliquid auri & argenti, plurimũ verò æris repositũ erat: quib. confusis & in unã conflatis massam, à maiore copia æris nomen impositũ est. Tum Theo subijciens: Nos, inquit, aliam rationẽ callidiorem inaudiuimus. Fabrum quendã ærarium Corinthi incidisse in capsam multo auro repletã, & cùm me tueret ne palàm fieret hoc, paulatim aurũ abscidisse & æri sensim permiscuisse, idq; mirabili contemperatũ modo colorem pulcrum fuisse adeptũ, magnóq; idcirco uenditũ precio. Verùm & hoc, & illud, fabulę sunt. Apparet autem fuisse quãdam mixturam & apparatũ: sicut & nunc argento aurũ admiscentes, peculiarem quendã & artificiosum, vt verò mihi videtur, vitiosum & minimè pulcrũ pallorem faciunt. Quam ergo, aiebat Diogenianus, causam putas colori huic æris fuisse? Et Theo, Quãdo, inquit, de ijs reb. quæ natura primæ erũt atq; sunt, ignem puta, áerem, terrã, & aquam, nihil aliud æri accidit quàm solus aer, ab hoc illud affici liquet, atq; ob eius adsiduam præsentiã illud coloris discrimen cõsequi. Aut hoc quidem * antequã nasceretur Theognis, ut est apud comicũ. Sed quãnam aer natura præditus, qua facultate utens contactu colorem hũc æri induxerit cupis scire? Aiente Diogeniano, & quidẽ, inquit, ego quoq; mi puer. Ergo cõmunicata opera inquiramus. Idq; primùm dispiciamus, cur de omnib. humorib. oleum maximè ærugine oppleat. Non.n. uidetur ipsum ęri eam inducere, cùm purũ & * impollutũ ei aptetur. Nequaquã, aiebat adolescẽs: sed alia videtur esse causa. ærugo. n. oleo, quod tenue est & purũ ac pellucidũ, accedẽte maximè elucescit, cùm eam alij humores tegant. Tum Theo: Pręclarè, inquit, mi puer: & * Cõsidera autẽ sodes etiã eam quæ ab Aristotele adfertur causam. Volo, inquit. Is ergo tradit æruginẽ reliquis humoribus incidentibus obscurè elucere & dissipari, quod ij sint inæquales, neq; partes vnà *

Aeris color.

maneant: olei autem densitate eam cohiberi atq; colligi. Proinde si nos quoq; tale aliquid ponere possumus, non planè nobis deerit huiusce difficultatis explicatus. Vt ergo iussimus, veniámq; dedimus, ita ferè is est locutus. Aer Delphicus crassus est, cõtinuus, & ob reflexionem ac renisum à mõtibus vehemens, itémq; mordax: quod testatur nutrimenti cõcoctio. Subiens itaq; sua tenuitate, æs penetrat, atq; ex eo multã terrestrémq; ęruginem eruit: eámq; rursum sua densitate cõprimit, * quę non sinit, ut subsidens prę multitudine efflorescat, & in superficie splendorem atq; nitorẽ adipiscatur. Hęc nobis probantibus, hospes aiebat ad reddendã rationem sufficere alterã positionem. Nam tenuitas, dicebat, videbitur etiam ei quæ cõmemorata est aeris dẽsitati adversari. neq; adsciscitur necessariò. Ipsum. n. à seipso inueteratũ æs exspirat æruginem, quam densitas continens atq; constringens, ob multitudinem adspectui exhibet. Sub hæc Theo: Quid verò, inquit, obstat ô hospes, quin idem sit & tenue & densum. sicut sunt serica & byssina texta, de quib. etiam Homerus dixit:

Odyss. 7.107. *Lintea pexa, oleæ queis lentus defluit humor.*

ostendens accuratam texturæ subtilitatem, quę oleum non trãsmitteret, sed id ob densationem deflueret. Enimverò non tãtùm ad æruginem foràs eruendã uti aliquis possit argumento à tenuitate aeris petito: sed & colorem ea uidetur facere posse iucũdiorem, quando cœruleo admiscetur. Secundum hæc silentio facto, rursum enarratores sacrorũ oracula depromserũt. Ibi cùm oraculum quoddã carmine editũ recitaretur, de regno (nisi fallor.) Ægonis Argiui: Diogenianus aiebat sępenumero se admiratũ fuisse versuum, quib. oracula exprimerentur, vilitatẽ atq; vitia. Atqui Apollinem musarũ ducem esse, & ad quẽ non minus eloquẽtiæ, quàm cantilenæ & vocis elegantia pertineret, & qui Homerũ Hesiodúmq; longè antecelleret facundia. tamen pleraq; oracula & contra metri leges, & vocabulorũ prauitate peccare. Aderat unà Serapio poeta, qui Athenis eò venerat. Is, putatis ergo, inquit, versus istos Apollinis esse? Sinamus verò eos, vti dicitis, Homericis & Hesiodeis pulcritudine longè inferiores esse. an non vtemur ijs vt optimè & pulcerrimè compositis, corrigẽtes iudiciũ quod de ijs praua consuetudine pręoccupãte fertur? Sub hęc Boëthus geometra, quẽ nosti iam in castra Epicuri transitũ parare, Audistine, inquit, Pausoni pictori quid cõtigerit. Non sanè, aiebat Serapio. Atqui dignũ est auditu, inquit Boëthus. Conduxerat is pingendũ equum qui sese volutaret: pinxit currentẽ. & locatore iniquè id ferẽte, ridens tabulã invertit, vt inferis sursum elatis partibus equus iam non currens sed volutans sese videretur. Hoc ait Bio quibusdam etiã orationib. accidere quãdo invertuntur. Itaq; & oracula aliqui non dicent bene habere, quia Deus eorũ sit autor: sed Dei non esse, quia sint vitiosa. Illud. n. * incertũ est: non elaborata esse oracula, vel te, Serapio, iudice liquet. pangis. n. carmina de reb. philosophicis & serijs, facultate autẽ, elegantia, & apparatu dictionis magis ad Homerica atq; Hesiodea accedẽtia, quàm ad versus à Pythia editos. Tum Serapio, laboramus, inquit, auriũ oculorúmq; morbo, adsueti ob luxum & molliciẽ suauiora quę sunt, pulchra appellare. Fortasse autem Pythiã quoq; culpabimus. q; non canit iucundiùs quàm Glauce fidicina, neq; vnguẽtis oblinitur, neq; purpuram gestat: ab alijs repręhẽdetur quibusdã, quòd non casiam, ladanũ, thus, sed laurũ & hordeaceã suffit farinam. Non vides, aiebat, quãta sit venustas Sapphicorum carminũ demulcẽtium auditores? at Sibylla furente ore, vt ait Heracletus, risus, ornatus, & fuci expertia sonãs, Dei * beneficio vocem ad CIↃ annos cõtinuat. Cadmum quoq; Pindarus inquit ẽ Deo audiuisse non rectam musicã, neq; suauem, neq; delicatã, neq; cantu infracto. Voluptatẽ * enim nõ admittit q̃d integrũ est & castũ: sed hîc vnà cum voce proijcitur maxima eius pars, & (vt apparet) in aures hominũ cõfluxit. Hæc locuto Serapione Theo subridẽs, Serapio quidẽ, inquit, morẽ suũ seruauit, vsúsq; est occasione oblata contra voluptatẽ dicendi. Nos autẽ, Boëthe, q; Pythici versus Homericis sunt deteriores, non cẽseamus Apollinis esse: sed hoc initiũ motus subijciẽte, suo quanq; antistitarũ modo concitari. Etenim si scribẽda fuissent, nõ enunciãda oracula, nõ puto nos literas Deo imputaturos fuisse ac repręhẽsuros, q; elegãtia regias nõ æquarẽt. Non. n. Dei est vox, nõ sonus, nõ dictio, nõ metrũ: sed feminæ: ille dũtaxat visa suggerit, luménq; in animo excitat ad videndũ futura. talis est. n. instinctus furórue diuinus. Vniuersè autẽ vt dicã, vos Epicu* rei vates (de quib. te quoq; esse apparet) effugere non licet. Sed vitio datis priscis antistitis, q; malis vsę sunt versibus: itẽq; eas quę hodie prorsa oratione & quibusvis vocabulis respõsa dãt, ne cogãtur apud vos causam dicere propter mutilos elumbésve versus.

Carmina Pythiæ qualia.

Hæc

Hæc Diogenianus, Noli, inquit, ludere obsecro, sed hãc nobis difficultatẽ explica, cõmunem omniũ. nemo enim aliorũ etiã est, qui non causam quærat, cur oraculũ desierit versibus vti. At verò, subiiciebat Theo, rursum mi adolescens videbimur malicia quadã enarratores suo munere defraudare. eos ergo sine prius sua agere, postea per ociũ disquires de iis quæ voles. Iã progressi perveneramus ad Hieronis tyrãni statuam. Et hospes quanquã reliqua omnia nosset, tamen pro sua facilitate auditorẽ se præbebat. verùm audiens suprà stetisse æreã Hieronis columnã, quę sponte sua cecidisset ea die, qua Hiero Syracusis mortẽ obiit, admirabat. Ego similium memoriã casuum renouaui. qualis est, quod oculi è statua Hieronis Spartani exciderũt antè quàm ille ad Leuctra occubuit, ꝙ tum stellæ perierũt, quas de nauali pugna ad Aegospotamos dedicauerat Lysander. ꝙ ex ipsius statua Lysandri lapidea, tãtùm pullulauit syluestris herbę, vt faciẽ eius tegeret. ꝙ sub Siciliensem Atheniensiũ calamitatẽ aureæ glandes de palma defluxerunt, & Palladij scutũ corui rostris tutuderunt. ꝙ Cnidiorũ corona quam Pharsaliæ saltatrici Philomelus Phocæorũ tyrannus dono dedit, eã è Græcia in Italiã profectã Metaponti perdidit, ludentem apud fanũ Apollinis. nam ad coronã impetu facto adolescentes dum de auro inter se pugnãt, mulierem discerpserunt. Aristoteles quidẽ, solum Homerũ ait mouẽtia facere nomina, ob efficacitatẽ. Ego aũt dicere ausim, quotquot hæc sunt donaria, maximè vnà cum diuina providẽtia ea moueri, eiúsq; significationẽ præbere: nullámq; eorũ partem inanem aut sensus vacuã esse, sed repleta omnia diuinitate. Nimirũ verò, aiebat Boëthus. Non. n. satis est deum quovis mense in corpus includere mortale: nisi eũ etiã cum omni lapide et ære cõfundamus. quasi huiusmodi eventuũ non habeamus satis sufficientẽ causam atq; opificem Fortunã & casum. Itáne, aiebã ego, horũ quodvis tibi fortuitæ rei & casui videt similes? & probabile putas atomos dilabi atque dissolui & inclinare non antè, non pòst, sed eo ipso tẽpore quo is q dedicauit aliquid vel bona vel adversa vsurus est fortuna? Et tibi quidẽ nũc prodest Epicurus, iis scilicet quæ dixit aut scripsit ante annos CCC? Deus aũt nisi includat seipsum in omnia, omnibúsq; permisceatur, non videtur tibi motus adfectionísq; principiũ rebus videre posse? Hæc ego respondebã Boëtho. Similia etiã de Sibyllinis. Nã cum adstitissemus ad saxũ curię vicinũ, cui insedisse dicit prima Sibylla *De Sibylla.* cùm eò ex Helicone venisset, à Musis enutrita: (alij ad Maleonẽ advenisse eã dicũt, filiã Lamiæ, quæ Neptuno nata fuit) Serapio mentionẽ fecit versuũ, in quibus ipse sese celebrans, vaticinãdi finem ne morte quidẽ facturã se ait: sed se in Luna circumire, mutatã in eã quę dicit in Luna apparere faciem: spiritum aũt aëri contemperatũ, semper omina suo motu editurũ: è corpore aũt in terra mutato herbas ac materiem exstiturã, quibus sacræ pecudes nutriant, varios colores, formas, & qualitates viscerũ habẽtes, vnde hominibus futura præmonstrent. Hæc cùm Boëthus apertè derideret, Zous: vt * inquit, hęc maximè fabularũ videant similia, tamẽ vaticiniis testimoniũ ferũt multarũ Gręcarũ vrbiũ excidia atq; migrationes, multorũ barbaricorũ exercituũ irruptiones, *De oraculorũ* imperiorũ eversiones. Hęc verò quę recẽs apud Cumas et Dicęarchiã acciderũt, nónne pridẽ Sibyllinis dècantata carminibus tẽpus velvti debens persoluit? eruptionem *fide disputatio.* inquã montani ignis, feruorẽ maris, saxorũ & massarũ flagrantiũ venti vi eiectionem, tot tantarúmq; simul vrbiũ interitũ, vt hodie qui ea loca accedunt, nõ possint cernere vbinã cõditæ fuerint. Quem verò, aiebat Boëthus, mi homo, effectũ tẽpus non debet naturæ? quid non exspectari potest eventurũ terrę, mari, vrbibus, hominibus, quod q prædicat futurũ, non erret? Immò ferè non prædicere hoc est, sed dicere, aut potius iacere & disseminare verba principio carentia in infinitatẽ: quibus vagantibus sepenumero occurrat fortuna, vt casu eveniãt. Diuersa. n. sunt hæc puto, fieri id ꝙ dictũ est, & dici ꝙ futurũ sit. & sermo qui ea dicit quę non sunt, in seipso vitiosus frustra exspectat fidem quã ei casus conciliet: neq; vero vtit argumento prędicendi, sciens postquã dixit futurũ, omnia ferẽte infinitate, & * bene coniiciẽs, quẽ optimũ vatẽ proverbiũ affirmat esse, investigãti per probabilia atq; indaganti futurũ similis est. * Sibyllæ aũt istæ & Bacides tanquã in mare promiscuè in tẽpus coniecerunt, & vt in buccã venit disseminauerũt nomina & verba omnis generis eventuũ, quorũ quędã cùm fortuitò evenerint, * similiter falsum est q̃d nũc dicit, etiã si postmodò verum fiat re contingẽte. Hęc locuto Boëtho, Vera est, inquit Serapio, hæc sententia de his quæ ita prædicunt sicvt Boëthꝰ dixit, indefinitè & incerto argumẽto: puta si vicit imperator, cui prędicta fuit victoria, si vrbs delet cui exscidiũ prædictũ est. Vbi aũt non modò quid futurũ sit, sed

Marginal note at "...antè quàm ille ad Leuctra": *Prodigia.*

etiã quomodo, quandò, qua occasione, quo autore, prædicit: non hoc est coniectatio fortasse futuri, sed certò futuri prædictio. Tale est oraculũ de claudicatione Agesilai.

Sparta caue, quamvis altè te gloria tollat,
Rex validæ tibi det pedibus ne incommoda claudis.
Namq; insperatos cogêris ferre labores,
Pestiferósque diu belli subsistere fluctus:

Et illud de insula, quam ante Theram & Therasiam edidit mare, déque bello Romanorum cum Philippo rege.

Sed quando Pœnos vincet Troiana propago,
Tunc incredibiles mortalibus euenient res.
Immensa canum fulgebit tum mare flamma,
Fulmináque ardentes per cærula vasta procellas
Torquebunt, saxúmque simul: quod & insula stabit
Firma loco, nullíque hominum de nomine nota.
Tum quoque præstantem superabunt deteriores
Vi propria freti, atque inuictæ robore dextræ.

Quòd enim Romani breui tẽporis spacio Carthaginienses subegerũt debellato Annibale, & ab iisdem ac Aetolis Philippus prælio victus est, ac tandem è profundo insula erupit cũ multo igne & vndis bullientibus: hæc nemo dicere potest simul omnia fortuito casu euenisse. Sed ordo prædictionem indicat. vt & hoc, quod Romanis ante annos ferè 1ↄ prædictũ est tempus, quo bellum adversus omnes simul gẽtes gesturi essent: q̃d factũ est, bello adversus rebelles seruos suscepto. In his verò nihil est incertum, nihil obscurũ, & cuius causa esset à Fortuna repetenda: sed multa experientię pignora præbentur, quæ viã monstrat, qua fatum incedit. Non enim puto quenquã dicturum, quod cum his sicvt prædicta fuerunt, inciderit fortuitò. Alioquin etiam quid impedit aliũ, sicvt scripsit Epicurus suas ratas sententias, Boëthe* sed fortuito casu: sic rebus inter se coincidẽtibus liber absolutus est. Simul his dictis progressi sumus. Cùm autem in Corinthiorũ domo spectaremus æream palmam, quæ sola donariorũ est reliqua, torno insculptæ ad radicem ranæ & hydri Diogeniano admirationem iniecerũt, atq; adeò nobis quoq;. Non enim palma vt aliæ arbores palustris est aut aquæ amans plãta: neq; Corinthiis cum ranis quicquam rei est, vt pro nota aut signo eius vrbis haberi debeant: quomodo Selinuntij quondam aureum apium (Selinum) dedicasse dicuntur, & Tenedij securim, à cancris qui apud eos nascuntur ad locum cui Asterium nomen, soli in testa formam securis expressam gestantes. Iam ipsi deo coruos, olores, lupos, accipitres, & quidvis potiùs quàm ranas acceptum esse censemus. Serapio ad hæc cum dixisset, innuisse opificem hoc, Solem nasci & ali ex humore & exhalationibus: siue Homerum is audiuisset ita loquentem:

Ranarũ in palma symbolum.

Odyss. γ. initio.

Iam stagnum exoriens Phœbea relinquit amœnum
Lampas. ——

siue Aegyptios vidisset orientem Solem exprimere picto puerulo qui loto insideret. ridens ego, Quorsum, inquam, bone vir denuò huc Stoam tu cõtrudis, ac disputationi sensim inflammationes istas & exhalationes inseris? non sicvt Thessalæ mulieres Lunam & Solem cœlo devocas, dum hinc à terra oriri & vegetari eos ais? Nam Plato quidem ipsum hominem appellauit plantam cœlestem, quasi à radice supernè capite erectum. Vos autem Empedoclem deridetis, qui dixisset Solem cùm in terra luminis reflexu cœlestis exstitisset, rursus resplendentem

Intrepido vultu cœli conuexa tueri.

& ipsi interim Solem facitis animal terra natum aut palustrem plantã, eúmq; ranarum patriæ & aquæ accẽsetis. Verùm hæc nos in Stoicam tragœdiã differamus. quæ verò artifices obiter præter institutũ fecerunt, nos quoq; obiter & aliud agentes examinemus. Sunt quidem in multis elegantes: sed ineptias & curiositatem non vbiq; euitãt: sicvt ergo qui gallum super manu Aesculapij pinxit, matutinũ voluit significare tempus, & Solis ortum appetentem: ita hæc ranas aliquis possit vernæ tempestatis symbolum interpretari, quando Sol aëri dominari, & hyemem discutere incipit. siquidem de vestra sententia Sol & Apollo nõ duo dij, sed vnus sunt habendi. Tu verò, aiebat Serapio, non idem sentis, sed Apollinem à Sole alium esse censes? Omnino, inquã, sicvt

Luna à Sole differt. verùm Luna neq; sæpe, neq; omnibus Solem occultat. Sol autem ferè apud omnes homines vt ignoretur Apollo effecit, sensu intelligentiā auertens ab eo quod est ad id quod apparet. Deinde Serapio ex enarratoribus quæsiuit, Cur domum non Cypseli qui dedicauit, sed Corinthiorū nominent. Qui cum tacerent, quia (puto) causa quam redderent destituebantur, ipse renidens: Quid verò, inquā, putamus istos iam scire aut meminisse, stupefactos planè nostro de cœlestibus rebus garritu. Antè quidem eos audiuimus dicere, tyrannide euersa voluisse Corinthios & aureā Pisæ statuam, & eum qui hæc est thesaurū vrbi suæ transscribere. Atq; id Delphos, vt iustum, cōcessisse. Eleos, quòd invidissent eam ipsis gloriā, decreto Corinthiorū fuisse Istmia festiuitate prohibitos: quare postmodò nullus Eleorum Isthmia certauit. Quod autem Molionidæ ab Hercule apud Cleonas sunt occisi, id nihil fecit ad excludendum Eleos, quod nōnulli opinant. contrà enim ipsis conveniebat arcere, si eā de causa Corinthios offendissent. Hæc ego tum dixi. Cùm autem Acanthiorū & Brasidę thesaurū nobis transeuntibus nobis interpres locum mōstraret, in quo ferrei obelisci Rhodopidis meretricis quondā fuerant siti: succensens Diogenianus, Fuit omnino, aiebat, eiusdē ciuitatis Rhodopidi locū præberet, quò decimas suarū mercedum deponeret, & Aesopū eius conseruū interficere. Et Serapio: Cur, inquit, isthæc tu indignè fers? quin oculos attollis, & aureā inter imperatores ac reges stantē Mnesaretam contemplaris, quā Crates aiebat trophęum de intemperantia Græcorū esse statutam. Quam cùm vidisset adolescēs, Atqui, dicebat, de Phryna hoc Crates pronunciauerat. Næ respondebat Serapio. Mnesarete enim nomē fuit, sed Phrynes cognomentū tulit ob pallorem. Multa aūt nomina videmus ab cognominib. occultari. Alexādri quidem matrē Polyxenā, porrò Myrtalem, Olympiadem, & Stratonicā dictā perhibent. Eumetin quoq; Corinthiā plerīq; à patre Cleobulo Cleobulinam vocāt. Herophilam Erythream fatidica ꝙ esset, Sibyllā appellauerūt. Grammaticos quoq; audies Ledam Nemesis, Orestem Achæi nomine adficiētes. sed quomodo tu censes, (Theonem adspiciens hæc dicebat) hoc de Phryna crimen posse dilui? Ad hæc subridens Theo: Ita sanè, inquit, vt præterea etiā te culpem, qui leuissima Gręcorū peccata insecteris. Sicvt enim Socrates in Callia id repræhendit, ꝙ vnguento tantùm inimicus, saltationes puerorū, in caput prouolutiones, oscula, sanniones videret æquo animo: ita tu planè mihi videris à templo arcere muliérculā non liberaliter forma & ætate sua vsam: cùm autem videas cædiū, bellorum deprædationúmq; primitiis ac decimis in orbem cingi deum, non indignari, nō miserari Græcos, pulcerrimorū donariorum turpissimas legens inscriptiones hasce: Brasidas & Acanthij de Atheniensibus, Athenienses de Corinthiis, Phocenses de Thessalis, Orneatæ de Sicyoniis, Amphictyones de Phocensibus. Nimirum aūt soli Praxiteli Crates succensuit, qui hoc suæ amasiæ donū dedisset. cùm laudare eū debuerit ꝙ aureis istis regib. apposuit aureā meretricem, diuitiis hoc exprobrans, quod nihil venerabile eis inest, nihil admirabile. Iusticiæ enim donaria, tēperantiæ, magnanimitatis dedicare diis reges & principes conveniebat: non aureæ & luxuriosæ abundantiæ, quę obtingit interdū etiā turpissimè viuentibus. Id verò nō cōmemoras, aiebat alter interpretum, ꝙ Crœsus hæc etiā ancillæ suæ panem pinsentis aureā statuā posuit: non quidem ille per luxuriā insultans templo, sed causam nactus iustā atq; honestam. Traditū est enim Alyatten Crœsi patrem inducta filio nouerca alios sustulisse liberos: nouercā Crœso insidiātem, venenū pistrici dedisse, ac iussisse vt panem ex eo effictū Crœso daret. eā re clanculū Crœso indicatā, panem nouercæ pueris istū apposuisse. itáq; Crœsum regno potitum, velvti teste Deo gratiā bonā mulieri retulisse, laudabili sanè instituto. Itaq; dignū est etiā vrbium si qua sunt talia donaria, ea venerari: quale in primis est Opuntiorū. Cùm enim Phocensium tyrāni multa aureorum & argenteorū donariorū conflauissent, & ex ea massa cusam monetam per vrbes dispersissent, Opuntij tantū collegere, vt hydriā ex eo argenteā conficerēt, eámq; hæc dedicauerūt. Ego aūt Myrinæos quoq; & Apolloniatas laudo, qui aureas messes huc miserunt. magis etiā Eretrienses ac Magnetas qui hominū primitiis Deū donauerunt, vt frugū datorem, paternū, genitalem, ac humanū. Megarenses autem culpo, ꝙ soli ferè Deum hæc hastatū posuerunt de pugna, qua post bellū Persicum Atheniēses, qui vrbem ipsorum obtinebant, victos eiecerunt. Postea quidem temporis aureū Deo plectrū dedicauerunt: obtēperantes, vt apparet Scythino, qui sic de lyra scripsit:

Meretricum honores.

Varia eiusdē hominis nomina.

Crœsus ab ancilla seruatus.

Concinnat hanc Apollo filius Iouis

Formosus,initia,fineśque omnes continens,
Plectrúmque splendidum Solis radios habens.

Hæc cùm Serapio aggrederetur aliquid de istis dicere,hospes:Iucundum quidem,inquit, est huiusmodi audire sermones. me autē necessitas cogit primū propositum reposcere de causa,cur Pythia desierit heroico aliisq; carminibus oracula edere. Itaq;,si vobis est volentibus,reliquū spectaculi in aliud reiicientes tempus, huc adsideamus, eáq; de re commentemur.Nam hæc potissimū ratio est,quę oraculo fidem derogat:q alterutrum horū videtur esse,aut Pythiā non accedere ad locū in quo numen est, aut spiritū prorsus exstinctū esse,& vim defecisse.Circumeuntes ergo consedimus in meridianis sedilibus templi, ponè fanum Telluris:in aquā contuentes,vt statim dixerit Boëthus,ipsum locum hospitis dubitationi patrocinari.Erat enim ibi ad laticū exspirationem delubrum Musarū.vnde & ad libationes aquā sumebant,vt ait Simonides.

Vnde pollubris manuum latex pulcricomarum.
Musarum sursum hauritur.

rursúsq; idem paululum exquisitius, Cleonem vocans castam procuratricem,ait

Malluiorum optabilis,rara,& veste carens aurea
Odorata ex ambrosiis aqua penetralibus.

* Non rectè ergo Eudoxus credidit iis,qui hāc aquā Stygis vocari dixerunt.Musas verò vaticinio collocauerunt adsidentes,eiúsq; custodes ibi ad aquā & Telluris templū, cuius dicitur ipsum fuisse oraculū * numeris & carmine contentā diuinationem.Quidam etiam primum heroicum versum ibi aiunt auditum:

Congerite huc pennam volucres,& apes sua mella.

* quando obnoxia Deo facta amisit maiestatem.Tum Serapio:æquiora, inquit, hæc Boëthe,& musis magis congruentia.Non enim repugnandū est Deo,neq; simul cum vaticinio providentia & numen tolli debent: sed quærendæ sunt eorū quæ adversari videnť solutiones,interim pia & à maioribus ad nos propagata persuasio nō est prodenda.Rectè dicis,inquam ego, optime Serapio. Nam philosophiā quoq; non ideò pro deplorata habemus prorsus aut corrupta, quia antiquitus carmine suas sentētias philosophi proferebāt,vt Orpheus, Hesiodus,Parmenides,Xenophanes, Empedocles,Thales:postea verò desierunt versibus vti,te demto:cuius opera rursum in philosophiam poëtica se ingerit,adolescentibus clasicū ingenuè canens. Neq; astrologiā contemtiorem reddiderunt Aristarchus,Timocharis, Aristyllus, Hipparchus soluta oratione eam describentes: cùm de ea antè carmine scripsissent Eudoxus, Hesiodus, Thales,si quidem is autor verè est eius quę ipsi inscribitur astrologię. Pindarus quoq; de modo cantilenæ neglecto sua ætate dubitare se fatetur, & mirari quòd * Non enim iniquū est aut absurdum, causas quærere huiusmodi mutationum: iniustū verò est artes ipsas & facultates abolere,si quid in iis mutatū sit. Sub hæc Theo. Atqui isthæc,inquit,magnas re vera mutationes & innouationes passa sunt:oracula multa etiā dudum prorsa oratione sunt edita,ac de rebus ea haud leuibus.Lacedæmoniis,vt scribit Thucydides,de bello contra Athenienses oraculū scitantibus Deus victoriā pollicitus est,séq; vocatum & non vocatū auxilio futurum. Et Pansaniā si non reduceret argentea * collectum ire.Atheniensibus de expeditione in Siciliā consulentibus mādauit,vt antistitā Mineruæ quæ Erythris erat,ducerent. Ei nomē erat Hesychia,quod significat quietem: & cessare ipsos ac quiescere Deus volebat. Denomeni Siculo de filiis oraculū petenti,respondit tres tyrānidem gesturos: cúmq; subiecisset Denomenes,Quæres nimirum Apollo domine iis vertet malè,Respondit Deus,id quoq; se ei dare ac promittere.scitis autem Gelonem aqua intercute,Hieronem calculo renū divexatos tyrannidē gessisse.tertius Thrasybulus bellis seditionibúsq; conflictatus,imperio,quod non diu tenuit,eiectus fuit.Procles Epidauri tyrannus cùm alios multos crudeliter nefariéq; necauit:tum Timarchum, quem Athenis venientem cum pecunia hospitio comiter exceperat,interfecit, cadauérque eius storea involutum in mare abiecit,vsus ad hæc Cleandri Aeginetæ opera, aliis ignorantibus.Postea rebus ipsius cōturbatis huc misit Cleotinum fratrem arcanè consulturū de exsulio & migratione. Huic respondit Deus,Fugam se eò & migrationem Procli concedere,quò is stoream deponi ab Aegineta hospite iussisset, aut quò ceruus cornu abiicit.Intelligens itaque tyrannus,sibi à Deo imperari vt vel in mare demergeret seipsum vel defoderet,(nam cerui

Lib.I. Oracula soluta oratione edita.

cerui cornua delapsa in terrã defodiendo tollunt è medio) paululum temporis expectauit: deinde rebus planè pessum euntibus profugit. nacti aũt eũ amici Timarchi interfecerunt, cadauérq; in mare proiecerũt. Quod verò maximũ est, rhetræ illæ, secundũ quas Lacedæmoniorũ remp. Lycurgus composuit, soluta oratione ei datæ sunt. Iã cùm Alyrius, Herodotus, Philochorus, & Ister, qui maximè in id incubuerũt vt carmine dicta oracula conscriberent, oracula etiã prorsa oratione edita retulerint: Theopõpus, quo nemo hominũ diligentiùs oraculi huius res scrutatus est, vehemẽter eos repræhendit, qui putarent istis temporibus Pythiã carmine nõ respondisse: & cùm demonstrare vellet suã deinde sententiã, admodum pauca oracula potuit proferre: quia nimirũ reliqua iam tum soluto sermone ederentur. Nonnulla tamen hodiéq; carmine * redduntur: quorũ causa etiã rem celebrem fecit. Est in Phocide templũ Herculis mulierũ osoris, & statutũ vt sacerdos toto anno mulieribus se abstineat. itaq; ferè senibus id sacerdotiũ committitur. Tamen paulo antè tempore adolescens non malus, & liberali ingenio, id munus occepit, puellã quandã tum amans. Is cùm ab initio continens suíq; potens amasiã fugeret, quodã tempore eam, cùm ad ipsum quieti post conuiuiũ & choreas deditum irrueret, confecit. Metuens ergo sibi & turbatus, ad oraculũ confugit, quæsiuítq; an aliqua sui peccati esset expiatio: hócq; illi datum est oraculum: Omnia necessaria concedit Deus. Enimverò dans hoc aliquis, nihil sine numeris hodiè * responderi, magis adhuc dubitauerit de priscis temporibus, cùm aliquãdo soluta, interdum numeris adstricta oratione fata Deus cecinerit. Sed neutrum, mi adolescens, à ratione est alienum, modò rectas & puras de Deo habeamus opiniones: neq; putemus ipsum esse qui olim carmina cõposuerit, & nunc Pythię oracula subiiciat, tanquã per laruas ipse loquens. Sed rursum par est de his aliquid prolixius differere ac percũctari. In præsentia paucis hæc in memoriã revocemus, ꝙ corpus instrumentis vtitur multis, corpore & eius membris animus, qui est instrumentum Dei. Est aũt virtus instrumenti vt quàm maximè qua fert natura eius facultate imitetur vtentẽ ipso, opúsq; edat * notionis in ipso potens: ostendere autẽ nequit opifici purũ, & motus erroríśq; vacuũ, sed mixtũ * Per se enim nobis ignotũ est. aliud autẽ & in alio apparens implet eius natura. Ac cerã quidem mitto, aurũ, argentũ, æs, & quę alia fingi possunt, excipiẽtia vnã formã impressæ similitudinis: aliud autem aliã differentiã imitando apponit. Et in speculis planis ac cauis & circũ splendentibus simulacrorũ ab vna forma innumeras effigies. sunt enim * nihil neq; speciẽ magis, neq; vt instrumentũ vsurpari natura obsequentius potest, quàm Luna. Hæc splendorẽ à Sole accipiens & igneũ lumen, non simile ad nos demittit, sed cum ipsa mixtũ, colorem vímq; diuersa nanciscitur. calor etiã prorsus discedit, & præ imbecillitate lumen deserit. Puto aũt intelligi id quod ab Heracleto est dictũ, Regem cuius oraculũ Delphicum est neq; dicere neq; occultare, sed significare. His rectè dictis adiunge illud & cõsidera, deum hac Pythia vti ad visum, ad auditũ, sicvt Sol vtitur Luna. demõstrat per corpus mortale et animã * quietem ducere, non potest autẽ mouenti immobilem se præbere & sibi constantem: sed tanquã æstu & fluctibus exagitatur ac conturbatur motibus qui in ipsa sunt. Sicvt enim vertigo corporũ quæ circulo rotantur deorsum, non constanter obtinet, sed circulo delata violenter, & natura deorsum vergentia turbidã quandam & incertã faciunt volutionem. ita qui enthusiasmus vocatur diuinus instinctus, videtur mixtio quædã esse duarũ motionum, quarũ altera secundũ adfectionem, altera secundũ naturã fit animi. *Enthusiasmi qualis motus.* Quando enim animę expertibus corporibus & suo in statu permanentibus cõtra eorum naturã vim hãc inferre non licet, vt Sylindrũ moueas Sphærę aut cubi in morem, aut lyra pro tibia, buccina pro cithara vtaris: neq; aliter ars vna quavis se vti potest ꝙ eius fert natura. multo minùs animũ motu suo sese cientem, ac impetu & ratione præditum aliter quàm insita ei vis aut habitus ferat, vsurpare possis: neq; vllo pacto mens musicæ exsors musicè, litterarũ rudis litteratè, indocta & inexercitata doctè mouebitur. Testem habeo etiã hac Homerũ, qui cùm nihil ferè effici sine deo scribat, tamen nõ facit deũ omnibus ad omnia vtentẽ, sed quolibet ad id, quod eius arti aut facultati congrueret. An non enim vides mi Diogeniane, aiebat, Mineruã cum persuadere aliquid Achæis vult, Vlissem ad hoc excitare: cùm fœdus confundere, Pandarũ quærere: cùm Troas in fugã vertere, ad Diomedem se conferre: quia nimirũ Diomedes robustus erat & pugnax, Pãdarus sagittãdi peritus & fatuus, Vlisses prudẽs & facũdus. Non. n. idẽ sensit Homerus cum Pandaro: si tamẽ Pandarus autor huius est versiculi,

Iliad. β.169.
Iliad. Δ.88.
Iliad. ι.421.

Deo volente, saligno in vimine nauiges.

sed intellexit aliarum naturarum esse facultates ad alias res: & suo quanque moueri modo, quantumvis vnicum sit quod omnes mouet. Proinde sicvt rem gradiendo destinatam mouens non incitat ad volatum, neque blæsum ad liquidè loquendum, neque tenui voce hominem ad sonorum sermonem: sed Battium etiam propterea puto cùm hæc oraculum consuluisset, in Africam fuisse missum vt Cyrenam conderet, quia balbus homo & exili voce, ingenio ad regnum gerendum apto erat & ciuilis ac prudens. sic Pythia hæc differendi vt quisquam hominum indiserta, alioquin ingenua & * vitæ honestè actę, educata in domo pauperum rusticorum, nihil ab arte aut alia experientia vel facultate secum ferens, in oraculum descêdit. Sed sicvt Xenophon censet sponsam ita debere in mariti domũ venire vt quàm minimum viderit, quàm minimũ audiuerit: ita hæc imperita & ignara tantùm non omniũ, & verè quod ad mentem attinet virgo, ad Deum accedit. Sed nos deũ credimus erodiis, trochilis, & coruis vti, vt earum auium voce aliquid significet, neque hoc postulamus, vt quia deorum nũcij & præcones sunt, diserto omnia sermone enarrent: Pythiæ vocem & loquelam tanquam è scena volumus non inconditam, non simplicem, sed cum numero, fastu, figmentis, nominum trãslationibus, & tibiæ cantu nobis offerri. Quid ergo de antiquis dicemus? Non vnum, puto, sed multa. Primùm enim sicvt diximus, pleraque illæ etiã soluta oratione pronunciauerũt. Deinde corporum quoq; temperies & naturas illud tempus tulit ad poësin procliuiores: quibus statim studiũ quoddam accidit & alacritas apparatúsq; animi, & promtitudo gignitur, quæ leui extrinsecus principio & exhortatione facultatis imaginantis opus habeat, qua statim trahantur ad carmen pangendum: * non modò, vt Philinus inquit, astrologi & philosophi, sed etiam in vino copiosiore, aut animi adfectionibus grauioribus, miseratione aliqua aut gaudio oborto dilabuntur ad suaue sonantem vocẽ, amatoriísq; carminibus & cãtilenis libri & conviuia sunt repleta. Et quod Euripides ait, eum qui antè à Musis sit alienus musicam ab Amore doceri, non hoc vult, facultatem poëtices ac musicę ab Amore ingenerari: sed insitam ac ociosè latentem excitari atque calefieri. Alioquin, hospes, dicẽdum est neminem hodie amare, sed Cupidinem evanuisse: quia nemo versibus & cantilenis iocosis, vt ait Pindarus, iaculatur dulcisonos hymnos. Atqui absurdũ hoc est. Nam multi amores hominum insiti animis ad musicam segnibus & malè compositis, vt tibia & lyra carent, loquaces tamẽ & feruidi haud minus sunt quàm antiqui illi. Et nefas turpéque sit dictu, amoris exsortem fuisse Academiam, ac Socratis & Platonis chorum: quorum sermones licet legere amatorios, cùm carmina nulla reliquerint. Quid verò interest vtrum dicas solam de mulieribus Sapphonem amori deditam fuisse, aut solam Sibyllam, & Aristonicam, aliásque carmine sortes quæ dixerunt, diuinas? Vinum quidem, vt aiebat Chæremon,

Bibentium contemperatur moribus:

at diuinandi furor, vt & amoris, vtitur subiecta sibi facultate, & eo correptorũ vnumquenque pro ipsius mouet ingenio. Enimverò Deum quoque & Prouidentiam considerantes, videbimus mutationem in melius esse factam. Vsus enim sermonis, similis videtur esse mutationi nomismatis: quorum vtrumque aliud alio tempore valens, tum probatur cùm notum est & vsitatum. Ac fuit sanè tempus, cùm pro nomismate sermonis homines vterentur metris, carminibus, cantilenis, omnem historiã, omnem philosophiam, omnes denique eventus & res grauiorem requirentes orationem, ad poëticam & musicam applicantes. Non enim nunc tantùm vix pauci intelligunt quę tunc omnes percipiebant, gaudebántque ea cùm cantarentur opiliones, aratores, & aucupes, vt Pindarus ait: sed ob illius ætatis ad poësin facilitatem plerique lyra & carmine castigabant aliorum mores, liberè loquebantur, hortabantur, fabulis & proverbiis vtebantur: quin & laudes deorum, vota, pæanes versibus & carmini includebant, alij ob vim ingenij, alij propter consuetudinem. Itaq; vaticinationi etiam Deus elegantiam & ornatum non invidit, neque Musas in honore alibi habitas hinc à suo tripode abegit: sed adduxit potiùs, poëticas amplexus indoles, atque visa ipse subijciens, & excitans alacrem facundiam, vt concinnam, & quæ in admiratione esset. Sed postquam vitæ vnà cum eventis & ingeniis facta mutatione, vsus supervacaneis reiectis aureis sese cincinnis exuit, & mollibus xystidibus, comam quoque luxuriantem detondit, ac cothurnum deposuit, iámq; homines frugalitate adversus luxum certare haud

Oratio monetæ similis.

Isthmior.

haud inepte adsueuerunt, plusq; ornatus in simplici cultu ac tenui, quàm supervacaneo & proteruo ponere: ibi tum orationis etiam simul mutato habitu, historia à carmine tanquam vehiculo descendit, & maxime pedestri sermone verum à fabulis secreuit. philosophia quoq; perspicuitatem & docendi vim iis quæ terreret animos antiquiora ducens, soluta sermone disputationes suas instituit. & Pythiam Apollo desinere iussit morem suum, ciues Delphicos ignicremorum, Spartanos anguiuororum, oreanorum viros, orempetarum fluuios nomine notantem. oraculisq; detrahens carmina, obscuras voces, ambages, perplexitatem, ita eam iussit consulentibus responsa dare, vt leges cum ciuitatibus, reges cum populis, magistri cum discipulis loquuntur, ad evidentiam & probabilitatem ea accommodans. Probè enim tenēdum est, Deum (vt ait Sophocles.)

Sapientibus per ambages fata eloqui,
Fatuis magistrum prorsus esse inutilem.

Illata oraculis perspicuitate, fides etiam sic mutauit cum aliis rebus: vt cùm antiquitus quod insolens rarumq; esset, planèq; obscuritate et circuitionibus obductum, pleriq; sub opinione diuinitatis alicuius pauidi venerarentur: postea aperte omnia & facile, ac sine fastu et figmentis discere cupientes, poësin quæ oracula velabat incusauerint. non tantùm quia adversaretur intelligentiæ in vero percipiendo, obscuritatē & vmbram dictis admiscēs: sed quod iam translationes & ænigmata atq; ambiguitates, diuinationis quasi quosdam fucos, & effugium quibus ea se tueretur si quid secus evenisset, suspecta haberent. Multos quoq; audiuisses, qui dicerent poëtas quosdam etiānum apud oraculum desidere, qui voces exciperēt, iisq; subitò versus & numeros tanquam vasa quędam circumplicarent. Taceo quantum criminis oraculis attulerint Onomacriti illi, Prodotæ, & Kinesones, vt qui tragœdiam iis fastúmq; supervacaneum apposuissent. *neq; adesse mutationes. Maximam poësi infamiam parauerūt circumforanei isti & circulatores, & scurræ magnæ Matris deorum ac Serapidis vagi: quorū alij ex tempore, alij sorte quadam ex quibusdam libellis oracula dabant, seruis & mulierculis; quas maximè numeri & nomina poëtica mouerēt. Quę nō minima fuit causa, cur poëtica tanq; communē se quæ videretur præbere impostoribus & præstigiatoribus ac falsis vatibus, tripode & veritate arceretur. Nō itaq; miror, si veteribus interdum opus fuit ambiguitate, circuitione, & obscuritate quadā. Neq; enim priuatus aliquis profectò de emendo mancipio oraculū consulebat, aut de cōducendo opere: sed ciuitates admodū potentes, regésq; & tyrāni nihil moderatū cogitātes Deum interrogabant de rebus: quos iritare multa respondendo eorum voluntatibus adversa, non erat ex vsu eorū qui oraculū procurabant. Nam nō obtemperat Euripidi deus legem hanc ferenti, Apollinē solùm canere fata hominibus debere. Ergo cùm vtat administris & vatibus mortalib9, quorū eum par est curā gerere & custodire eos, ne deo sacri à malis interficiant hominibus: nō vult veritatē opprimere, sed eius explicationē poësi pervertēs velut splendorē variè reflexū & in multas diffissum partes, duriciémque eius hoc pacto & rigorē aufert. Poterāt etiā tyranni ignorari, & bella nō præsentiri his igitur circumdabat suspiciosa verba & ambigua: quorū sentētia aliis ignota, consulentes non falleret, si animum adverterent. Stultissimus itaq; est, qui calumniatur & culpat q; rebus ita mutatis deus nō quo antè, sed alio nobis modo vult prodesse. Porrò autem nulla maior orationi à poëtica vtilitas conciliat, quàm quod numeris illigata & compræhensa facilius memoria tenentur ac seruant. Antiquis verò multa opus fuit memoria, quibus multæ locorum notæ, tempora agendi, sacra deorum transmarinorum, heroum reliquiæ occultæ, difficilésq; inventu, & longè à Græcia dissitę indicabantur. Nam in Chium & Cretinum & * Nesichum & Phalanthum, multósq; alios expeditionū duces, qui coacti sunt signis quibusdā vti in inveniendo loco sedis & coloniæ cōcesso. Quidā etiā aberrauerūt, vt Battus. Huic enim dictū fuit, eiectū iri, si nō eū occupasset locū in quē mittebat. deinde rediit quiritās. et deus sic respondens Antiqua oracula cur versibus dicta.

Vrbs pecoris diues Lybie mea, non venienti
Notior est tibi, quàm qui venit. per mihi multum
Admiranda tua est certè sapientia visa:

sic eum denuò emisit. Lysander uerò prorsus ignorans tumultum Orchalidem, qui & vulpium dicitur, & Hoplitam fluuium,

Terrigenámq; draconem à tergo qui subit astu: proelio victus in illis locis interfectus est ab Inachione Haliartio, qui in scuto insigne ferebat serpentem. Neq; necesse est apud vos horum probè gnaros plura id genus retentu & memoratu difficilia oracula antiquis data recitare. Res verò nostræ ætatis de quibus consulatur deus, ego quidem boni consulo & probo. Altum enim ocium est, & firma pax, finis bellorum & errorum, nullæ seditiones, tyrannides nullæ, neq; alij morbi aut mala Græciæ, quæ velvti multiplicibus medicamentis exquisitisq; indigeant. Vbi autem nihil est varium, arcanum, arduum, sed rebus vilibus & vulgaribus quæstiones tanquam in schola proponuntur, An contrahendum matrimonium, an nauigandum, an fenerandum: & vbi maximæ ciuitatum interrogationes de frugum & pabuli provetu, de valetudine: ibi carmina circumponere, & fingere verborum ambages & notas quęstionibus simplici & breui responso opus habentibus, ambitiosi fuerit sophistæ, qui oraculum gloriæ captandæ causa fucet. Pythia autem cùm ipsa indole est generosa: tum si descendit ad cortinam, & cum deo est, amplius * quàm ipsa curet gloriam, & hominum vel laudes vel vituperationes. Ac fortasse nos quoq; sic debebamus esse affecti. Nunc velvti soliciti ne decus ter mille annorum locus amittat, & oraculum quasi sophistæ alicuius scholam deserant nonnulli contemnẽtes, defendimus & causas rationésq; fingimus de iis rebus quas neq; scimus, neq; scire nos convenit: incusantésq; dictis conamur in aliã ptrahere sententiã, quos missos facere potius debebam⁹. Etenim

Odyss.B,190. *Ante alios erit huic multo certè ægrius ipsi,*

qui sic de diis sentit, vt hæc in aditu scripta sapientum dicta, Noris te ipsum, Ne quid nimis, probet, admireturq; haud minimè ob breuitatem, quòd solidam et compactam in exigua mole habent sententiam: oracula autem culpet, quia breuiter, simpliciter, ac rectà pleraq; indicant. Ac talibus quidem sapiẽtum dictis idem vsu venit, quod in angustias contrusis fluminibus. non enim perspici quit sensus, neq; * Sed si consideres quid scriptum sit & dictum de eis ab his qui singulorum scrutati sunt sententiam, non facilè vllas prolixiores invenies disputationes. Enimverò vt lineam rectam mathematici vocant breuissimum ab vno ad alterum termino ductum: sic Pythiæ sermo absq; vllo flexu, circuitu, ambiguitate, fraude, rectà ad veritatem proficiscens: quanq; de sua fide causæ dictionem non possit detrectare, tamen falsi à nemine in hunc vsque diem convicta est: sed donariis barbaricis Græcanicisq; oraculum oppleuit. ædificiorum autem & Amphictyonicorum apparatuum elegantia videtis nimirum ipsi pleraq; iis adiecta, quæ antehac non erant, multa eorum quæ iam ruinam traherẽt & pessum irent refecta. Sicvt verò arboribus fecundis aliæ suppullulãt: ita etiam iuxta Delphos pubescit & adolescit Pylæa ob copiam eorum quæ hæc sunt figuram adepta formámq; & ornatum templorum, curiarum, aquarúmq; lustraliũ, quanta mille ab annis præcedentibus non habuit. Equidem ad Galaxium Bœotiæ qui habitant, abvndantia lactis senserunt præsentiam dei:

Cum lac, ceu latices de fontibus, emanaret:
Doliáq; implerent auidè: tunc amphoræ & vtres,
Seria tunc albo turgeret cuncta liquore,
Mulctráq;, & è ligno distentas rumperet vrnas
Humor, nec vacuas superarent vasa per ædes.

Nobis autem Apollo splendidiora, meliora, & apertiora his signa præbuit, ex tanto qui præcessit squalore, solitudine, & pauperie ad tantas copias, splendorẽ, honorémque nos evehens. Ego sanè amo me ipsum eo nomine, quòd ad has res factus sum alacer & vtilis cum Polycrate & Petræo. amo autem eum qui nobis huius cõditionis autor dúxq; fuit, & pleraq; horum excogitauit atq; adornauit. Sed fieri nõ potuit, vt tam ingens mutatio tantillo temporis spacio accideret hominũ industria, deo nõ præsente, & diuinitatem oraculo largiente. Verùm sicvt olim fuere, qui perplexitatẽ oraculorum obscuritatémq; vituperarent: ita hodie etiã sunt, qui nimiã calumnientur simplicitatem. admodũ ipsi & iniustè & fatuè adfecto animo. Nam pueri quando arcus cœlestes, areas circa Solem aut Lunam, cometásve vident, magis delectantur quàm Sole aut Luna cõspectis. Eodẽ modo hi ænigmata & allegorias mutatæ vaticinationis, quæ reflexionibus numinis ad mortalẽ & imaginantẽ vim animi cõstat, desiderãt: cuius quãdo causam nõ satis audiũt, abeũt deo culpã imputãtes, nõ nobis neq; sibi ipsis: vt qui viriũ tantũ non habeamus, vti nostra ratione assequi dei cogitationẽ possimus.

PLVTARCHI
Adversus Colotem, Liber.



OLOTES, quem Epicurus solebat Colotaram & Colotariũ blandiendi causa diminuta voce appellare, librũ edidit hac inscriptione, Secundum aliorum philosophorum decreta ne viui quidem posse: eúmq; regi Ptolemæo dedicauit. Quæ verò nobis adversus Colotem disputare subiit, existimo te, Saturnine, cum voluptate lecturum si perscripsero: vt qui honestis rebus antiquitatisque studio tenearis, hancq; maximè regiam delectationem esse censeas, memoria complecti & in promtu habere quantum eius fieri potest, veterem doctrinam. Nuper, cùm is liber recitaretur, vnus de sociis nostris Aristodemus Aegiensis, quem nosti, secta Academicus, & non ferulam gestans quod aiunt, sed ardentissimo instinctu Platonis orgia celebrans, nescio quomodo præter morem suum silentiũ cùm tenuisset, & ad finem vsq; modestè auditorem se præbuisset: absoluta lectione, Agedum, inquit. quémnam huic opponemus pro philosophis propugnaturum? Non enim admodum probo Nestorem, qui de IX heroibus cùm deberet præstantissimum deligere, fortunæ & sorti rem commisit. Atqui vides, aiebam, ipsum se sortitioni præfecisse, vt prudentissimo homine eam moderante conficeretur. itaq;

Exiit è galea sors exoptata Pelasgis, Iliad.η,171.
Aiacem pugnæ dedens Telamone creatum.

Sed tamen quando tu deligere iubes,

Quónam diuini pacto obliuiscar Vlyssis? Iliad.κ,243.

Vide ergo ac meditare, qua ratione hominem vlciscaris. Atqui, aiebat Aristodemus, meministi Platonẽ, cùm puero irasceretur, nõ ipsum verbera ingessisse, sed hoc Speusippo mandauisse, quòd se animo commoto esse diceret. Ita tu quoq; nunc meo loco hominem tracta vt libet: ipse enim iratus sum. In eandem sententiã aliis etiam exhortantibus: Dicendum ergo est, inquã. Vereor aũt ne videar ipse quoq; maiore q̃ par est studio adversus hunc librum cõtendere. Propterea quod quidam rusticitate & scurrilitate atq; petulãtia nimia elatus, fenum Socrati edendũ obtulit, loco panis, cùm nihil * hic se certò scire pronunciaret: interrogauitq; cur cibũ non in aurẽ, sed in os imponeret. Sed fortassis hæc risum alicui concitent, mansuetudinem & comitatem Socratis consideranti.

Sed integro iam pro Graiorum exercitu,

id est reliquis philosophis, de quorum numero sunt Democritus, Plato, Empedocles, Parmenides, Melissus, ita traductis tacere turpe est: ac præterea nefas etiam aliquid de summa pro illis dicendi libertate remittere, qui tantam philosophiæ gloriam parauerint. Etenim vitam quidem nobis parentes deorum auxilio largiti sunt. à philosophis aũt iuris & legum adiutricem doctrinam, & quæ cupiditates coërceat accipientes, bene nos viuere putamus. est autem bene viuere, amicè & societati hominum cõuenienter, temperanterq; & iustè viuere. Atqui horum nihil nobis relinquunt, qui summum bonum circa ventrem esse clamant, & voluptate vndiq; reiecta vniuersas virtutes ne pertuso quidẽ ære emerent. Vitiosa est etiam eorum de diis & animo ratio: hunc enim * perire dissolutum, illos nullam rerum humanarum curam gerere aiũt. Alios philosophos hi reprehendunt sapientiæ nomine, quòd vitam è medio tollant: illi eos, quòd turpiter & belluino more viuere nos doceant. Atq; hæc quidẽ sparsa sunt per Epicuri disputationes, & philosophiam eius. Colotẽ autem voces quasdam rerũ inanes auellendo, & partes sermonũ ac frusta affirmationis & intelligentiam fidémq; cõciliantis rationis expertia contrahendo librum composuisse, quasi forum quoddam aut tabulã monstrorũ, omniũ optimè vos nostis, qui in manibus habetis scripta antiquorũ. Mihi verò videt sicut Lydus ille aperire adversus seipsum, nõ vnicã ianuã, sed plurimis difficultatibus et maximis involuere Epicurũ. Initiũ enim facit à Democrito, cui quidem præclaram & dignam persoluit mercedẽ. Et sanè longo tempore Epicurus se Democritum professus est. quod & alij dicũt, & Leonteus vnus de summis Epicuri discipulis ad Lycophronem scribit, honorem haberi Democrito ab Epicuro, quia is primus

Democritus defenditur.

rectam cognitionem attigerit, ac primus in principia naturæ inciderit, vnde vniuersa tractatio Democritica appelletur. Metrodorus verò apertè de philosophia dixit, Nisi præiuisset Democritus, Epicurum nunquam fuisse ad sapientiam perventurum. At verò si secundum Democriti decreta viui non potest, ridiculus Epicurus, qui ad non viuendum ducentem sequatur. Huic primùm id vitio dat, quòd vnamquanque rem adserens non magis talem quàm talem esse, vitam confuderit. Atqui tantum abest hoc vt senserit Democritus, vt etiam Protagoram sophistam hoc adfirmantem impugnauerit, ac multa & probabilia contra eum scripserit. Quæ cùm ne per somnum quidem vidisset Colotes, lapsus est in verbis eius, quibus definit non magis den esse quàm meden: den nominans corpus, meden inane, quasi hoc quoque suam quandam naturam & substantiam haberet. Enimverò qui sentiret nihil magis tale esse quàm tale, Epicureum sequeretur decretum, quo omnia sensus visa vera statuuntur esse. Nam si duobus dicentibus altero austerum esse vinum, altero dulce, neutrius sensus fallit: quî magis austerum erit vinum quàm dulce? quin & eodem lauacro vides vnum vt calido, alterum vt frigido vti: cùm hic calidam, ille frigidam affundi iubeat. & ferunt Spartanam quandam mulierem accessisse ad Berenicem Deiotari vxorem, cúmque inuicem appropinquassent, auersas fuisse, quòd vnguentum altera, altera butyrum olfaciens aversaretur. Si ergo vna sensio non est verior quàm altera, consentaneum est aquam non magis frigidam esse quàm calidam, & vnguentum butyro non meliùs olere, non deteriùs. nam qui aliud alij videri ait, is imprudens vtrunque affirmat esse. Illæ autem multorum sermone tritæ concinnitates & proportiones meatuum in sentiendi instrumentis, & multiplices seminum permixtiones, quæ omnibus saporibus, odoribus, coloribúsque inspersa aiunt sensum mouere ad alias aliorum qualitates percipiendum: an non rectà eos adigunt ad dicendum, aliud alio non magis esse tale? Etenim quando refellere hos volunt, qui sensus fallere ideò aiunt, quòd vident diversè ab eadem re nos affici: docent confusis atque permixtis simul omnibus, cùm natura sit comparatum vt aliud alij quadret, non esse contactum aut apprænhensionem eiusdem qualitatis, neque à re subiecta omnes omnibus partibus eodem modo adfici: sed eas tantùm vnicuique occurrere, ad quas sensum habet mensura respondente concinnatum. itaque non rectè nos de eo certare, rem esse albam aut non albam: dum nostrum sensum volumus defendere, alienum impugnare. nulli enim sensioni repugnandum esse, cùm quævis aliquid appræhendat ex illa multiplici mixtura: quævis id, quod ei est accommodatum & conveniens. neque de toto pronunciandum esse, cùm partes duntaxat attingantur: neque putandum omnes debere eodem modo à re eadem affici, cùm alius alia eius vi & facultate afficiatur. Quærendúmne iam est, quínam homines non magis hoc quàm illud esse rebus inferant? certè hi, qui omnis generis qualitatum sensilium mixturam statuunt, * confusionem qualis est musti * *

fatentúrque suos canones perire ipsis, & omnino aboleri facultatem iudicandi, si vllum sensile sincerum relinquerent, non vnumquodque multa facerent. Vide iam, quæ de vini calore secum disputantem Polyænum in conviuio Epicurus facit. Dicente enim Polyæno, Negásne Epicure vinum calefacere? subiecit quidam, Non vniuersè de vino pronunciari esse ei vim calefaciendi. & paulo pòst. videtur enim vniuersè non habere facultatem calefaciendi vinum: tantillum autem huncce calefacere posse dicemus. Rursúmque rationem reddens, collisiones & disseminationes atomorũ; aliorúmque admixtiones & adiunctiones causatus in vini cum corpore commixtione, hæc addit.
,, Itaque vniuersè dicendum non est vinum esse vi calefaciendi præditum: sed tantùm vi-
,, ni huiusmodi itáque adfectam naturam calefacere posse, aut refrigerare. Insunt enim in
,, tali congerie etiam tales naturæ, è quibus frigus confici possit, si ita vsus ferat, vt aliis
,, adiunctæ naturam frigefactionis præstent. Vnde per errorem alij vinum vniuersè fri-
,, gefaciens dixerunt, alij calefaciens. Sanè qui plerosque errauisse ait, quòd calefaciens id quod calefacit, frigefaciens id quod frigefacit censuerunt: ipse decipitur, si non sentit ex suis verbis hoc cõsequi, nisi magis esse tale quàm tale. Addit porrò, sæpe vinum in corpus ita venire, vt neque calorem neque frigus inferentem vim secum adferat: sed commota mole & facta corporũ mutatione atomi quæ calorẽ inducunt aliquãdo (inquit) coëuntes sua multitudine calorẽ & inflammationẽ corpori præbent: aliquãdo elapsæ frigus gignunt. Porrò aũt his licet adiicere ea quæ habẽtur & dicuntur amara, dulcia, purgan-

Epicuri de sensibus opinio refellitur.

Vinum an calidum.

purgantia, soporifera, lucida quorum nullum perfectam in sese habere qualitatem & vim agendi potius quàm patiendi vbi in corpora incidunt, sed aliam in aliis nancisci differentiam ac temperiem, haudo obscurè Colotes sentit. Ipse quidem Epicurus in secundo adversus Theophrastum libro negans corporibus innasci colores, sed generari secundum quasdam ordinationes & positus respectu visus, hac ratione inquit corpus non magis effici coloris expers quàm coloratum. Suprà autem in hanc sententiã scripserat. Cæterum etiam absq; hac parte, nescio quo pacto oporteat ista, quę in tenebris sunt, colorata dicere. Atqui sæpenumerò aëre tenebroso circumfuso, alij sentiunt discrimen colorum, alij non sentiunt ob visus hebetudinem. deinde ingressi in domũ tenebricosam, initiò nullum colorem videmus parua mora ibi facta, videmus. Ergo vnumquodq; corpus dicemus non magis habere quàm non habere colorem. Si autẽ color ex eorum est censu quæ aliò referuntur, albedo quoq; respectu alterius albedo erit, & cœruleum. & si hæc, etiam amarum & dulce: fietq;, vt de nulla non qualitate verè dicatur, eam nõ magis esse quàm esse. talis enim erit quævis, qualis est sentientis affectio. Proinde cœno, in quo iacere ait eos qui res nõ magis hoc quam illud esse pronunciant, sese & magistrum suum perfundit Colotes. An verò hæc tantũ egregius ille

Aliis mederi vult, ipse vlceribus scatens?

Non profectò. Sed magis etiam in secunda repræhensione imprudens cum Democrito Epicurum è vita exturbat. Quod enim ille dixit instituto hominum esse colorem, itémq; dulcedinem, & concretionem * atomos ait dici à Democrito sensibus. & qui perseueret in hac sententia, eámque sequatur, non posse intelligere viuátne ipse an sit mortuus. Nihil habeo, quod contra hæc dicam. hoc autem possum affirmare, tam non posse à decretis Epicuri ea separari, quàm ipsi figuram & grauitatem ab atomo negãt disiungi. Quid enim dicit Democritus? substantias multitudine infinita, diuisionis & differentiæ, qualitatis quoq; & affectionis expertes in vacuo ferri dispersas. quæ si inuicem appropinquent, aut incidant, aut sese complectantur, congeriem videri aliam ignem, aliam aquam, aliam plantam, aliam hominem. esse autem omnes atomos, quas ideas seu formas ipse appellet, aliud nihil. Nam ex eo q̃d non est, nihil fieri. ex iis quæ sunt, nihil nasci, cùm ob soliditatem neq; adfici possint atomi, neq; mutari. vnde neq; color ex carentibus colore, neq; natura aut anima è qualitate nulla præditis omnémq; affectionem subterfugientibus exsistat. Repræhendendus ergo Democritus, non q̃d sit ea confessus quæ principiis eueniunt: sed quòd principia posuit, quibus isthęc accidunt. Non enim debuit immutabilia ponere principia: aut his positis non sentire tolli omnis generationem qualitatis: & negare hoc absurdo conspecto. Impudentissimè * autem Epicurus ait, eum ponere principia eadem, & negare instituto hominum colorem, saporem, reliquásq; qualitates esse. Iam si negare hoc est, nónne fatetur eum facere tale aliquid, quale ipse solet Epicurus? Etenim hic prouidentiam tollens, profitetur tamen pietatẽ se relinquere: & cùm voluptatis gratia amiciciam expetat, ob amicos tolerare grauissimos dolores: ponénsq; infinitum esse Vniuersum, superiorem inferiorémq; locum nõ negare. Equidẽ poculo accepto licet bibere quantum velis, reliquũ omittere. At in disputatione maximè tenẽdum memoria est sapiens illud dictũ, Quorum principia non sunt necessaria, eorũ fines necessarios esse. Quapropter hęc necessitas Epicuro incumbit, vt cùm posuerit, aut potiùs hoc postulatum Democrito suffuratus sit, atomos esse omnium principia rerum, idq; decretum primis eius probabilibus exornauerit rationibus: ebibat etiam illud molestum, aut demonstret quomodo qualitatis omnis expertia solo coitu omnigenas qualitates ꝓduxerint. Verbi gratia, calor quem nos vocamus, vnde venit, vnde incidit atomis, si neq; cõuenerunt calore præditæ, neq; congressas aliquid calidas fecit. illud enim est qualitatem habẽtis, hoc ad recipiendũ natura idonei: quorũ vos neutrum atomis cõuenire dicitis, ꝓpterea q̃a interitus sint expertes. Quid ergo? an nõ Plato, inquies, etiam, atq; Aristoteles & Xenocrates aurũ ex non auro, lapidem ex nõ lapide, & reliqua omnia è quatuor primis & simplicibus nasci dicunt corporibus? Omnino. Verum his statim ad quávis rem ꝓcreãdam coëunt principia, magnámq; velvti stipem cõferunt suas quódq; qualitates: & vbi congressa sunt cum siccis humida, cum frigidis calida, cum duris mollia, mouẽtia cùm his quæ inuicem adficiuntur: facta mutatione per tota, diuersam diuersa contemperatione producũt formam. Atomus cùm ipsa ex sese vacua est omnis genitalis facultatis, tum in aliam incidens, fragorem ob duriciem et rigiditatem, aliud nihil effi-

De coloribus.

Democriti ortũ rerum negantis sententia.

cit. sed feriunt & feriuntur mutuò per omne tempus: & nō modò nullum animal, nullam animam aut rem naturalem, sed ne aceruum quidem aut numerum cōficere possunt, adsiduò exagitatæ & diuulsæ. At Colotes tanq; cum indocto rege colloquens, rursum Empedoclem insectatur, quòd is ita scripsisset.

Empedoclis de natura sententia defenditur.

Nunc aliud dicam tibi. non mortalibus vllis
Natura est: neq; res crudeli morte abolentur.
Mixtio sed tantùm, & rebus secretio mixtis
Accidit: hoc homines naturam nomine dicunt.

Hæc ego non video quî repugnent vitæ, si qui opinantur neq; oriri id quod non est, neq; interire quod est: sed eorum quæ sunt coitioni generationis, dissipationi interitus nomen inditum. Nam id quidem apertè Empedocles ostendit naturam se pro ortu posuisse, cùm mortem ei opponit. Qui verò mixtioni ortus, interitus dissolutioni tribuūt, ij si non viuunt, neq; possunt viuere: quid hi aliud faciunt? Sanè Empedocles elementa glutinans & concinnans caloribus, mollieciebus, humiditatibúsq;, mixtionē iis & concretionem in vnum vtcunq; tribuit. At qui immutabiles & omnis consensus vacuas atomos in vnum cogunt, ij nihil ex ipsis, sed ipsarum crebros & continentes ictus faciunt. Etenim complexio dissolutionem prohibens, magis intendit collisionem: vt neq; mixtio fiat, neq; glutinatio, sed tumultus & pugna, quam illi generationē ducunt. Quæ verò momento temporis nunc quidem abeunt ob relisionē, nunc progrediuntur ictu languente, duplo amplius tempore à se absunt invicem, vt non cōtingant se neq; mutuò appropinquent: vt ne animę expers quidē possit ab iis effici quicquam. At verò sensus, anima, mens, intelligentia quomodo in inani exsistant & atomis: cùm hæc neq; pro se qualitatem habeant, neq; coitu sese adficiant muténtve invicem: neq; earum congressus contemperationem mixturam aut coalitionem efficiat, sed ictus & repulsas. Itaq; his decretis vita tollitur, & animal esse negatur, inania, nulli affectioni obnoxia, qualitate carentia, mixtionísq; nō capacia ponentium principia. Quo modo ergo relinquunt Epicurei naturam, animam, animal? Eo, quo iusiurandū, preces, sacrificia, venerationem deorum: verbo scilicet, & simulando ac nominando ea, quæ suis principiis & decretis tollunt. Sic quidem id quod natum est naturam, & quod ortum est generationem vocant, vt qui translato vocabulo ligna rogum, & consonantia corpora consonantiam dicunt. Iam vnde venit Colotæ in mentem, vt huiusmodi voces Empedocli obiiceret: Quid defatigamus nos ipsos nostri causa, & res alias appetimus, alias declinamus? quando neq; ipsi sumus, neq; cum aliis viuentibus agimus? Enimverò, diceret aliquis, bono es animo mi Colotarium, nemo vetat te pro teipso esse industrium, docēs Colotis naturam nihil esse aliud quàm ipsum Colotem: neq; te res gerere prohibet (res autem vobis sunt voluptates) ostendens non esse naturam placentarum, odorum, rei venereæ, esse autem placentas, vnguenta, mulieres. Nam neq; grammaticus dicens vim Herculeam esse ipsum Herculem * neq; qui cōsonantias ac trabium proiecturas dicunt, sonos esse & trabes negant. quando etiam animam quidam & intelligentiam tollentes, neq; ipsum viuere, neq; intelligere videntur negare. Cæterùm quando Epicurus dicit, Eorum quæ sunt, natura est corpora & inane, sic ne accipiemus, vt naturam intelligamus aliquid esse præter ea quæ sunt? aut vt ea quæ sunt innuerit esse, nihil præterea? sicvt scilicet inanis naturam ipsum inane, atq; adeò vniuersa Vniuersi naturam solet appellare. Ac si quis quærat, Quid ais Epicure, hoc inane esse, illud inanis naturam? Omnino, dicet. & instituto hominum atq; vsu recepta est hæc nominum communicatio. Adsentior. Quid ergo aliud fecit Empedocles, docēs naturam nihil esse ab eo quod nascitur diuersum, neq; mortem à moriente. Sed sicvt poetæ sæpenumerò simulacra effingentes dicunt,

Adversus atomos.

Odyss. λ, 600.

Intus erant Lis, atq; Tumultus, Perniciésq;.

sic ortum quendam & interitum vulgò tribuunt iis quæ nascuntur aut dissoluuntur. Tantum abfuit vt moueret res loco, & iis quæ sensui apparent repugnaret, vt ne vocē quidem vsitata significatione expulerit. sed quantum illa erroris damnosi rebus inferre poterat, id amoliens, rursus consuetum vocabulis vsum reddidit in his versibus.

* *Ergo vir mixtis apparet quando elementis,*
Brutorum vel agreste genus, fruticésue videntur,

Aut

Aut volucres: nasci tunc hæc dicunt, & oriri:
Cum secernuntur, mortem miseram interitúmque
Appellant. ——

Hos versus quanquam adduxit Colotes ipse, non tamen intellexit homines, feras frutices, aues ab Empedocle non tolli, cùm ea dicat mixtione elementorum absolui. Neque verò dum ostendit vbi qui his concretionibus & secretionibus ortum quendam, & miserum interitum mortémque imputant, à verò aberrent: ideò vetuit de re ipsa nos vocibus vsitatis loqui. Mihi profectò non hanc verborum translationem Empedocles voluisse videtur mutare, sed (vt dictum est) de re ipsa ei controuersiam fuisse cum iis, qui ortum ex eo quod non esset naturæ vocabulo notabant. Idq; hi maximè indicant versus. *

Stulta, & prolixas non admittentia curas
Pectora: qui sperant exsistere posse, quod antè
Non fuit, aut vllam rem pessum protinus ire.

Hi quidem versus, eius sunt qui alta voce inclamet auritis hominibus, non se ortum, sed ex eo quod non sit ortum negare: neque interitum, sed eum interitum quo res in nihilum redigatur. Nam si quis non ita inhumaniter, non etiam ita fatuè calumniari vellet: id quod sequitur diuersam in partem vituperare posset. dicente Empedocle.

Non animo prudens homo quod præsentiat vllus.
Dum viuunt (namque hoc vitai nomine signant.)
Sunt, & fortuna tum conflictantur vtraque.
Ante ortum nihil est homo, nec post funera quicquam. *

Hæc enim non sunt negantis esse eos qui nati sunt & viuunt: sed eius, qui censeat esse & eos qui nati nondum sunt, & qui iam mortem obiuerunt. Sed Colotes omnino hoc non obiecit. Dicit autem de sententia Empedoclis nunquam nos ægrotaturos, nunquam saucios fore. At quomodo is, qui ante ac post vitam ait cuivis bona & mala adesse, non hoc relinquit vt is afficiatur. Quorum tandem, Colota, est non vulnerari, non in morbos incidere? Vestrum, qui ex atomis & inani estis compacti, quorum neutri sensus inest. Neque hoc adeò est atrox. Sed id, quòd voluptatem quoque vobis quod afferat non habetis: atomo vim efficientium non recipiente, inani ab his non patiente se affici. Sed quando Colotes deinceps vnà cum Democrito voluit defodere Parmenidem: ego autem huius causa præterita Empedocleam adduxi, vt magis convenientia prioribus criminationibus: redeamus nunc ad Parmenidem. Dicit Colotes eum turpia protulisse sophismata. Atqui his Parmenides neq; amiciciæ infamiam, neq; studio voluptatum ferociam adiecit, neq; honesto suam dignitatem qua per se ad sui appetitum traheret ademit, neque de diis receptas sententias cõturbauit. Neq; video cur viuere nos prohibuerit eò, quia Vniuersum vnum dixit esse. Etenim Epicurus quãdo Vniuersum dicit esse infinitum, ortus occasúsq; expers, itémq; incrementi & decrementi: tanquam de vno differit Vniuerso. Ab initio autem tractationis cùm dixisset naturam rerũ corpora esse & inane: velvti vnicam in duas diuisit partes: quarum altera cùm re vera sit nihil, à vobis autem appelletur intactile, vacuum, corporis expers: etiam vobis Vniuersum est vnum, nisi inanibus vti vocibus velitis de inani adversus antiquos vmbratilem committentes pugnam. Sed infinita me hercle numero corpora sunt de Epicuri sententia, & fit vnumquodq; eorum quæ apparent ex iis. Videte quas ortui rerum causas adsignetis: infinitatem & inane: quorũ hoc agendi & patiendi exsors, corpore etiam caret. illa ordinis rationísq; expers compræhendi nequit, ipsa sese conturbans ac perimens, quia ob multitudinẽ definiri non potest. At verò Parmenides neq; ignẽ sustulit, neq; aquã, neq; præcipitium, neq; vrbes, vt ait Colotes, in Europa & Asia habitatas. qui etiã propter * mundũ fecit: miscénsq; principia splẽdidũ & tenebrosum, ex his & per hæc omnia quæ videntẽ cõficit. Nã & de terra multa dixit, & de cœlo Sole, Luna, ac siderib⁹, ac hominũ ꝓcreatione: nihilq; eorũ quę præcipua sunt nõ distinctè descripsit, vtpote homo antiqu⁹ in physiologia, & qui ꝓpriã non alienã conscriberet philosophiã. Quoniam aũt omnibus aliis, ipso etiã Socrate prior sensit naturã habere opinione aliquid, aliqd mẽte cõpræhẽdendũ: est aũt opinabile istud incõstans & variis motionibus ac mutationib⁹ obnoxiũ, & q̃d ob incremẽta ac decremẽta aliũ ad alia respectũ habẽs nõ semper eodẽ modo sensum affi- *

Parmenidis defensio.

ciat:intelligibile verò alia species, quod est, vt ipse cecinit,

Aeternum, integrum semper, sempérque quiescens,

suíque simile & constanter suam naturam conseruans. hæc vocabulis calumniā strueš Colotes, ac de rebus ad verba trahens disputationem, simpliciter ait Parmenidē quia vnum ens ponat, omnes res abolere. Ille verò neutram abolet naturam, sed vtriq; id quod ei convenit tribuens, in forma vnius & Entis ponit intelligibilem. Ens quidē vt æternum & interitus securum. Vnum autem ob similitudinem sui ipsius, & quia nullam admittit differentiam appellans. In forma porrò inordinata & in motu versante sensilem naturam collocat. Atque etiam videre licet quomodo ea sentiat iudicari.

Aut verum certa poteris cognoscere mente,

nimirum intelligibilem & semper eodem modo habentem naturam attingente:

Siue hominum sensus, quibus haud iam certa fides est:

quòd scilicet opiniones hominum versantur iis in rebus, quę omnis generis mutationes, motus, inæqualitatésque admittunt. Et verò quî reliquisset opinionem & sensum Parmenides, sublato opinabili & sensili, dici nō potest. Sed quia ei quod verè est convenit permanere in sua natura, ista autem alia modò sunt, modò non sunt, sempérque mutant suam naturā: statuit hæc aliam quàm quæ semper sunt appellationem requirere. Ergo hæc oratio, qua Ens vnum esse pronunciatur, non negat multa ista & sensilia, sed ostendit quid ab intelligibili natura differant. Quod discrimen pleniùs etiam in idearum tractatione monstrans, Colotæ ansam repræhendendi dedit. itaque deinceps etiam quid contra eum dixerit, videamus. Ac primùm diligentiam & multiplicem scientiam consideremus huius scilicet philosophi: qui Platonis sententiam secutos esse ait Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, omnésque Peripateticos. Qua enim in parte terræ non habitabilis scripsit librum suum, vt hac accusatione recepta nō liceat tibi istorũ libros in manus sumere, & legere Aristotelis De cœlo & anima, Theophrasti adversus physicos scripta, Heracleti Zoroastrem, de iis quæ sunt apud inferos, de difficilibus naturæ quæstionibus, Dicæarchi de anima: quibus in libris hi de præcipuis & maximis philosophiæ naturalis capitibus Platonem continenter impugnant atque subruunt. Et quidem Peripateticorum reliquorum summus Strato, neque cum Aristotele sentit multis de rebus, & de motu, mente, anima, ortu, contraria Platonicis defendit. denique mundum ipsum animal esse negat, & naturalia comitari fortunæ, casu initium motus naturæ præbente, itáque hos porrò absolui. Ideas autem Platonicas Aristoteles vbiq; incessens dictis, in moralibus, in naturalibus commentariis, in iis quæ exotericæ seu extraneæ vocantur disputationibus, visus est quibusdam maiore contendendi quàm sapientiæ studio id fecisse: vt qui sibi proposuisset philosophiam Platonis contemnere. tantum abest vt eum fuerit secutus. Cuius ergo leuitatis est, cùm sententias istorum hominum non addidiceris, falsò te iis adscribere quæ non probauerunt: cúmque in animum induxeris alios refellere, tua te manu contra te inscitiæ & temeritatis publicare indubitabile argumentum: consentire dicentem cum Platone qui diffident, & subsequi eum qui reclamat. Nimirum autem Plato, inquis, temerè dixit equos sub nobis equos esse, & homines. Quo tandem in commentario Platonis invenit hoc Colotes? Nam nos quidem in omnibus legimus hominem hominem, equum equum, ignem ignem ipsius opinione statui. vnde etiam opinabile vnumquodque horum appellat. Sed Colotes, vt in quo ne mica quidem philosophiæ esset, pro vno & eodem accepit Non esse hominem, & Hominem esse non Ens. At Platoni mirum in modum visum est differre Non esse, & Non Ens esse. nempe illo penitus omnem tolli substantiam: hoc innui diuersitatem participantis & participati. Hanc posteriores in generis & formæ, ac communium quorundam & propriarum quę dicuntur qualitatum differētiam duntaxat reiecerunt, neque progressi sunt altiùs, cùm in magis Logicas incidissent difficultates. Est autem participati ad participās ratio ea, quę intercedit inter causam & materiam, exemplar & imaginem, facultatem & effectum. quo pacto maximè differũt id quod per se est sempérque eodem modo habet, & id quod ab alio pēdens sibi nunquā constat: cùm illud neque fuerit vnquā nō Ens, neq; futurũ sit, ideóq; omnino & reipsa Ens sit: hoc neq; illud ipsum quidē Esse, quo ei cōtingit ab alio impertiri, firmũ habeat: sed eo ob imbecillitatē excidat. quippe materia circa formā labēte, & multas affectiones mutationésq; in substan-

Peripateticorũ à Platone dissensio.

Platonis Ens & non Ens. Theæteto, Sophista, & alibi.

substantiæ imaginem, ita vt moueatur ac fluctuet, recipiente. Sicvt ergo qui dicit Platonem non esse simulacrum Platonis, non negat ipsius sensum & essentiam simulacri: sed ostendit discrimen eius quod per se aliquid est, ab eo quod eius respectu exstitit. sic neque naturam, neque vsum, neque sensum hominum tollunt, qui communis cuiusdam substantię participatione vnumquenque nostrûm seorsim factum esse imaginem eius quod similitudinem præbuit ortui pronunciant. Neque enim qui ignem ait non esse candens ferrum, aut Lunam Solem, sed (vt canit Parmenides.)

Noctē vagantem circa terram lucem alienam:

ideò ferri vsum, aut Lunæ naturam inficiatur. Sed si corpus esse, aut illuminatum neget: iam sensui repugnauerit, vt qui corpus, animal, ortum, sensúmque non relinquat. Qui verò participatione ista habere suam essentiā intelligit, ac quantum absint ab his quæ semper sunt, ipsisq; essentiam largiuntur: nō is sensilia repudiat, sed quid sit intelligibile demōstrat. neq; tollit eas affectiones, quæ nobis accidunt & sensu percipiuntur: sed his firmiora & constantioris esse alia ostendit naturæ, eò quòd neq; oriātur neque intereant, neq; perpetiantur quicquam: ac discrimen illud subtilius verbis exprimere docet, vt alia Entia, alia Fiētia appellent. Idq; recētioribus etiam vsu venit. Multas enim & magnas res Entis nomine dedignātur: vacuū, tēpus, locum, simpliciter genus dictorū, in quo & vera omnia insunt. hæc enim non esse Entia, sed aliquid esse dicunt: iisq; vt exstātibus & subsistentibus in vita ac philosophia perpetuò vtuntur. * Cęterū libenter ego ex isto repræhēsore quærere, An non in suis ipsi hoc discrimē rebus conspiciāt, vt aliorum substātiæ stabiles sint atq; immutabiles: sicvt ipsi aiunt atomos ob vacuitatē perpessionū atq; soliditatē semper eodē in statu perdurare: cōcreta autem omnia fluxa esse & mutabilia, oririq; & interire, subinde innumeris defluentibus simulacris, aliisq; (vt par est) ex ambiente influentibus & cōgeriem explētibus, variatam his mutationibus & alia adfectam temperie. cùm quidē etiam quæ in profundo concreti sunt atomi, nunquā desinant moueri & tremula concitatione ad se invicē ferri, vt affirmant ipsi. Est ergo in rebus quidē huiusmodi diuersitas substātiæ: sed Epicurus Platone sapientior omnia similiter Entia nominat: inane puta illud tactum fugiēs, corpus renitens, principia, res concretas. Eandem scilicet essentiam tribuens sempiternis ac caducis, & confundens cum nascente id quod interitu vacat, cùm pereunte id quod perpetuū & immutabile est: cum iis quorū natura aliter nunq; habere potest, ea quorū Esse in motu & mutatione cōsistit, & nunq; sui similia manēt. * Iā vt optimo iure in his dicatur Plato deliquisse: de cōfusione vocabulorū, mi homo, accusandus erat ab hisce puriùs Græcè scilicet loquentibus, & accuratiùs differentibus: non vt qui res perimeret, & vita nos expelleret, quando Entia & Fiētia non eodē modo quo ipsi appellat. Sed iam ad Socratem nobis est sermo convertendus. Hæc ergo Colotes statim à sacra, quod dicitur, linea mouit, cúmq; narrasset Chærephontem Delphis oraculum attulisse de Socrate, omnibus nobis notū, sic loquitur. *Socrates defenditur.* Ac Chærephontis quidē narrationem, vt planè sophisticam & præ fastu odiosam omitto. Odiosus ergo Plato, ne de aliis dicam, qui id oraculum in litteras retulerit. Odiosiores etiam Spartani, qui oraculum de Lycurgo in antiquissimis adversariis scriptū seruant. Sophistica verò fuit Themistoclis narratio, qua Athenis cùm persuasisset vt vrbe excederent, nauali prœlio devicit barbaros. Importuni Græcarum legum conditores, qui pleraq; sacrificia Pythicum secuti oraculū instituerūt. Si ergo de Socrate viro ad virtutē diuino instinctu incitato allatum responsum odiosum ob arrogātiā fuit & captiosum: quibus quæso dignis vocabulis notabim⁹ vestros fremitus, vlulatus, plausus tumultuosos, cultus, ac diuinas acclamationes, quibus celebratis ac prædicatis vestrum principē, ad voluptates crebras & cōtinuas exhortantē? Sic enim is in epistola ad Anaxarchū scripsit. Ego aūt ad voluptates cōtinentes cohortor, nō ad virtutes inanes, quarū de fructibus spes sunt vanæ & turbulētæ. Et tamē Metrodor⁹ Timarchū exhortās, ait: Pulcrū aliud ex alio faciamus, adfectuum similitudine tātùm nō relicta vita terrestri in verè diuinā Epicuri orgia nos demergētes. *Colotis & Epicuri mutua veneratio.* Ipse verò Colotes cùm audiret Epicurū de natura rerū verba facientē, subitò ad genua eius accidit. hócq; ipse Epicurus scribēdo iactat. Tibi enim, tanq; venerāti ea quę tū à nobis dicebātur, incidit cupiditas nullā causam habēs naturalē, vt genua nostra tangeres, nósq; amplectereris, omnémq; solitū ritū venerandi, honorādi, cōpręcādiq; perageres. Quo effecisti, vt nos quoq; te vicissim sacrū deputaremus ac veneraremur. Ignoscendū me hercle est dicētibus, quātovis dato precio se

picturam istius actionis spectaturos: Colotis ad genua Epicuri accidentis & eum amplectentis, Epicuri eum vicissim adorantis. Et tamen hoc demerendi officium, quanquam scitè obitum, Coloti fructũ dignum non tulit. Non enim sapiens est pronunciatus, sed hoc tantùm ei dictum: Interitus expers mihi ambula, nósq; eadem conditione esse intellige. Huiusmodi verborum, motuum, affectuúmq; illi sibi conscij, tamen alios arroganter odiosos dicunt. Quin etiam Colotes cùm arguta ista & pulcra de sensibus subiecisset, Cibis nos vesci, non feno, Magnos fluuios nauibus, vadosos
» pedibus transire, exclamat: Enimverò Socrates, arrogãtibus ac gloriosis sermonibus
» studuisti: aliáq; apud auditores disseruisti, alia egisti. Quid ni enim sint arrogantes Socratis sermones, nihil se scire, sed semper discere & quærere veritatẽ profitẽtis? Quod
» si in huiusmodi voces incidisses, quales Epicurus ad Idomeneũ scripsit: Mitte itaq; no
» bis primitias ad sacri corporis cultũ pro se & liberis, sic enim mihi dicere subit: quibusnam verbis vti potuisses magis importunis? Sed Socratẽ aliter locutum, aliter vixisse, mirum in modum tibi testimonium perhibent res gestę ad Delium, ad Potidream, apud trigintauiros, ad Archelaum, ad populũ, paupertas, mors. scilicet enim hæc eius sermonibus indigna sunt. Hoc, inepte, Socratẽ aliter locutũ aliter egisse poterat convincere, si fine vitæ posito voluptate vitã, qualẽ egit, egisset. Hæc ad calumnias respõ

De sensibus. sa sint. Quod aũt ad euidentiã attinet, nõ sensit Colotes eorũ se culpã sustinere, de quibus accusat Socratem. Est enim vnũ de Epicuri decretis: nihil cuiquam ita certò persuasum esse, vt de sententia deduci nõ possit, excepto sapiẽte. Quãdo itaq; Colotos sa-
* piẽs nõ fuit, etiã post illas venerationes, primùm hæc interroget è suo familiari, Quomodo cibo vescatͬ non feno, Vestẽ corpori, non columnæ circumdet, cùm neq; vestẽ vestẽ esse, neq; cibũ cibũ ita persuasum habeat, vt mutare sentẽtiã nequeat? Sin & ista agit, & omnes aquis auctos pedes nõ trãsit, & serpẽtes fugit atq; lupos, nihil horũ irreuocabili certitudine habẽs cognitũ, sed in singulis id sequẽs q̃d videtur: equidẽ Socrati quoq; nihil obstabat sua de sensibus opinio, quin eodẽ modo vtereͭ iis quæ videbatur. Neq; enim Colotæ panis panis videͭ, & fenũ fenũ, quia cœlo delapsos istos legerat canones: Socrati aũt prę arrogãtia panis fenũ, hoc panis visum fuit. Nã sapiẽtes isti decretis & rationibus vtunͭ quàm nos melioribus: sentire, & visa imaginari cõmunis est affectio, quæ causis cõficitur rationis expertibus. Et illa disputatio quæ sensus ostẽdit nõ esse perfectos, nõ certissimæ fidei, interim haud negat videri nobis vnamquanq; rẽ: sed cùm sensibus secundũ ea quæ videnͭ vtamur ad agendũ, monet nos nõ debere iis tanq̃ omnino veracib⁹ & nusq̃ fallẽtibus fidere. Sufficit enim nobis necessarius sensuũ vsus & quas inde percipimus cõmoditates, quia aliud melius nihil suppetit: sciẽtia verò, quam sapiẽtiæ studiosa anima de singulis expetit ac cognitio, sensibus nõ adest. Ac de his quidẽ denuò occasionẽ dicẽdi præbebit Colotes, multos hoc nomine repræhẽdens. Vbi aũt effusè deridet atq; cõtemnit Socratẽ, quærẽtem homo quid sit, & iuuenili ostẽtatione dicentẽ se ignorare hoc: apparet ipsum nunq̃ eã cogi-

Sui cognitio. tationẽ suscepisse. Heraclet⁹ quidẽ tanq̃ re magna & præclara gesta, Quęsiui, inquit, meipsum. Nã inter ea quę Delphis scripta sunt, maximè diuinũ illud creditũ est, Nosce teipsum. idq; hui⁹ dubitationis & inquisitionis Socrati ansam dedit, vt ait in Platonicis Aristoteles. At Colotæ res videͭ ridicula. Cur ergo non deridet etiã præceptorem suũ, idẽ hoc agentẽ, quoties scribit aut disserit de natura animæ & primitiis repẽtinis.
* Si enim ex ambob⁹, vt ipsi volũt, corpore & anima cõstat homo: q natura anime quęrit, hominis naturã is indagat à potiore orsus principio. Animã aũt ratione difficulter perspici, sensu nullo cõprehendi, nõ Socrati glorioso sophistę, sed sapiẽtibus istis credamus: qui vsq; ad facultates animę circa carnẽ occupatas, quibus calorẽ ea, molliciẽ, & robur corpori præbet, ꝓgressi, naturámq; eius è calore quodã, spiritu, & aëre cõpingentes, ad principem vsq; vim non perveniunt, sed animis concidunt. Aiunt enim id, quo anima iudicat, meminit, amat, odit, deniq; intelligit ac ratiocinatur, supervenire à quadã innominata qualitate. Pudendæ verò esse ignorationis hanc innominati istius confessionem, dum se nominare non posse dicunt quod comprehendere nequeunt, nouimus. Sed & hoc, vt aiunt, condonetur. Videtur enim nõ vile aut facile, nec cuiusvis esse hoc perspicere, cùm in locũ aliquem obscurũ se abdiderit, admodúmq; occultatum sit: ac ne nomine quidem inter tam multa proprio significari possit. Non igitur Socrates stultus, seipsum quærẽs: sed omnes qui ante hoc aliud aliquid quærendũ suscipiunt: cùm hoc cognitu necessariũ, tam difficile sit inventu. nõ est enim quod speres

aliarum

aliarum rerum scientiam te adepturum, si te fugit eius quod tuorũ est potissimum cognitio. Sed demus hoc Colotæ, nihil perinde inutile ac odiosum esse, atque est quærere seipsum: interrogemus autẽ, Quæ nam in hoc sit vitæ cõfusio, aut quare in vita perseuerare non possit vir aliquando secũ ratiocinans, Agedum quisnam ego sum? An aliquid confusum mixtúmque è corpore atque animal an potiùs anima corpore vtens, vt equo eques, nõ cõpositum aliquid ex vtroque? an princeps animæ vis, qua intelligimus, ratiocinamur, & agimus, id vnusquisque nostrũ est, reliquę & animę & corporis partes, huius sunt instrumẽta? aut omnino animæ nulla est substãtia, sed ipsum sua tẽperie corpus facultatem intelligẽdi & viuendi nactum est? Verùm his quidem quæstionibus Socrates vitam non euertit, cùm ab omnibus tractentur eæ Physicis. Fortasse aũt quæ in Phædro leguntur, atrocia sunt & res conturbant: quando iubet quemvis seipsum debere excutere, sitne animal ipse Typhone multiplicius & furiosius, aut diuinæ & fastus vacuæ portionis natura particeps. Atqui his ipsis ille ratiocinationibus nõ vitam sustulit, sed stuporem fastúmque inde expulit, molestásque illas & nimias hominum de se ipsis opiniones atque iactantias. Hæc enim sunt Typhon ille: quorum multa vobis magister inseruit, diis diuinísque hominibus bellum faciens. Post Socratem & Platonem Stilpo oppugnatur. Huius quidem vera decreta, & sermones, quibus seipsum, patriam, amicos, regésque ipsi operam nauantes exornauit, tum animi elationem mansuetudini & affectuum mediocritati coniunctam, Colotes non retulit. Quas verò iocans ille sophistis ridénsque obiecit sententiolas, harum vnam allegans, cùm neque refellisset neque soluisset ipse probabilitatem, tragœdiã adversus Stilponem excitat, atque ab eo vitam tolli, quòd dixisset, Alterum de altero non prædicari. Quomodo enim, inquit, viuemus, si non dicamus hominem bonum, hominem imperatorem, sed hominem hominem seorsum, bonum bonum, ducem ducem, neque mille equites, vrbem munitam, sed equites equites, mille mille, & alia similiter? Quis verò propter hæc vixit deteriùs? quis istam Stilponis vocem audiẽs non intellexit esse venustè iocantis, & hoc exercitationis dialecticæ causa proponentis? Non hoc, Colota, atrox est, hominem non dicere bonum, aut mille equites: sed, quod vos facitis, Deum non dicere Deum, non censere Iouem esse genitalem, non Cererem legum autorem, non Neptunum fecundantem fateri velle. Hæc vestra nominum separatio mala est, vitámque implet impio deorum contemptu ac ferocia: quando adiuncta diis cognomenta auellentes, vnà aboletis sacrificia, mysteria, pompas, festos dies. Cui enim sacrificabimus ob arationis futuræ felicem euentum, ob partam salutem? quomodo Luciferia, Bacchica, auspicia nuptiarum obibimus, sublatis luciferis, Bacchantibus, præaratoribus, seruatoribus. Hæc enim sunt quæ summas & præcipuas res attingunt, errorémque ipsis in rebus, non circa vocabula, aut dictionis constructionem, vel consuetudinem nominum gignunt. Proinde si hæc subvertunt viuendi rationem, ecquis magis in sermone peccat quàm vos? qui cùm genus effatorum substantiam sermoni substernatis, funditus tollitis voces, & obvia tantùm relinquentes vocabula, interim significationes eorum per quæ discimus, (puta doctrinam, notiones anticipatas, noticias, animi impetus, adsensiones) prorsus nihil esse dicitis. Enimverò Stilponis argumentum tale est: si de equo prædicetur currere, non idem esse cum subiecto prædicatum. Sed aliam esse definitionem hominis, aliam boni: rursúmque aliud esse equum, aliud currere. nam vtriusque definitionem postulati, non eandem vtriúsque reddimus: ideóque errare qui alterum de altero prædicant. Nam si idem sunt homo & bonum, & equus ac currere: quo pacto bonum etiam de cibo & medicamento dicetur, rursúsque currere de leone & cane. Ergo non rectè dicemus bonum de homine prædicari bonum, de equo currere, cùm diuersa sint. Hoc loco vt maximè lacines Stilponem, qui eorum quæ sunt in subiecto, vel de subiecto dicuntur nullam admittat complexionem cum subiecto: sed vtrunque eorum nisi prorsus idem sit cum eo cui accidit, ne vt accidens quidem de eo dici putauerit: tamẽ eum vocibus duntaxat quibusdam offendi, ac consuetudini dicendi se opponere, non vitam tollere, aut res abolere manifestò constabit. Porrò autem Colotes repræhensione veterum defunctus, ad suæ ætatis philosophos se confert, neminem tamen nominans. cùm aut hos etiam debuerit nominatim perstingere, aut ne veteres quidem. Verùm qui Socratem, Platonem, Parmenidem toties stylo suo pupugisset: metu, quod manifestum est, viuentium nominibus pepercit, non verecundiæ causa modera-

Stilponem defendit.

Cyrenaicorum philosophia de sensibus explicata.

tus sibi, qui præstantiores non fuisset reueritus. Vult autem, vt suspicor, priore loco Cyrenaicos redarguere, posteriore Arcesilaum & Academicos. quorum hi de omnibus rebus adsensionem cohibent: illi affectiones & visa in homine ponentes, nolunt fidem ab his factam sufficere ad affirmandum aliquid de rebus: & velvti in obsidione desertis externis in affectiones sese cõcludentes, de his pronunciant eas percipi: extrinsecus autem nihil. Ideóque eos Colotes viuere posse, aut rebus vti negat. Comœdiam deinde instituens, Hi, inquit, negant hominem esse, equum, parietem: ipsos autem parietari, equari, hominari. Primùm ipsis, vt solent calumniatores, vocabulis vtitur fraudulenter. Nam tametsi hæc sequuntur è Cyrenaicorum dictis, tamen oportebat rem ita declarare vt ipsi docent. Dicunt enim se à dulcedine, amarore, lumine, tenebris affici, cùm harum affectionum quævis propriam efficacitatem in se & adsiduam habeat. si verò mel sit dulce, frondes oleastri amaræ, frigida glacies, merum calidum, nocturnus aër tenebrosus sit: multa contrà testimonia ferri ab animalibus, rebus, hominibus: cùm multi mel auersentur, quędam animalia germen oleaginum pro cibo vsurpent, à glacie vrantur, à vino refrigerentur, in Sole cæcutiant, noctu videãt. Itaque intra adfectiones sese continens opinio, ab errore tuta manet: efferens autem se inde, & curiosiùs iudicare ac pronunciare de rebus externis conans, cùm seipsam sæpenumerò conturbat tum aliis repugnat, qui ab iisdem rebus contrarias adfectiones & diuersa visa percipiunt. Mihi verò videtur id vsuvenire Coloti, quod pueris etiamnum litteras discentibus: qui cùm eas per notas agnoscant in suis tabellis, foris & alibi scriptas videntes dubitãt ac trepidant. Nam Colotes etiam quas in Epicuri scriptis amplectitur sententias, non intelligit neque agnoscit si ab aliis dicantur. Quippe si imagine nobis oblata rotunda aut fracta, dicunt Epicurei sensum verè informari, non sinunt tamen dicere nos turrim esse rotundam, aut ramum infractum reuera: equidem affectionum visa confirmant, externa ita habere vt visa nobis sunt, non fatentur. Sed vt Cyrenaici equari se & parietari dicunt de equo & pariete nihil affirmant: sic etiam dicendum est rotundari aut obliquari visum Epicureis, non interim necesse turrim esse rotundam, aut remum fractum ipsum dicere: quippe simulacrum quod visum adficit, fractum est: remus à quo id fertur nequaquam. Ergo cùm differentia sit inter affectionem & subiectum externum: necesse est aut fidem subsistere in affectione cui adhibetur, aut si præter quam quòd videri, etiam esse rem id quod videtur pronuncies, te refelli. Vociferari autem & indignari propter sensum, quod Cyrenaici id quod extra est nõ dicunt esse calidum, sed in ipso sensu aiunt calidam extitisse affectionem: nónne idem est cũm eo quod de gustatu dicitur, quando rem externam non affirmant esse dulcem, gustatum autem dulcedine affectum fuisse fatentur? Et qui dicit imaginem se hominis percepisse, an externum illud homo sit se non sentire: vnde ansam nactus est? nónne hi præbuerunt, qui dicunt curuum aut teres sibi visum esse oblatum, sensum autem non hoc etiam pronunciare, rem conspecta quæ fuit esse curuam aut teretem, sed effigiem quandam eius talem extitisse. Atqui, dixerit me hercle aliquis, aggressus ego ad turrim, aut remum tãgens, pronunciabo hunc rectum, illam multangulam esse. ille etiam si proximè adstet, videri sibi ita & apparere duntaxat, nihil ampliùs fatebitur? Omnino quidem mi homo. quia melius videt & seruat id quod est consequens, omne visum pro se similiter fidem mereri, nullum pro alio, sed in vtranque partem perinde esse. Tibi verò perit iam hoc decretum, omnes sensus esse veros, nulli fidem derogandam, nullum falsum esse: siquidem huic sensioni putas etiam pronunciandum de re externa, illi nihil præter affectionem fidei habuisti. Nam si eadem fides sensibus debetur comminus & eminus, aut omnibus, aut ne his quidem tribuemus iudicium & pronunciationem de re externa. & si affectionis differentia accidit quando longiùs absumus, & propiùs à re quam sentimus: falsum iam est neque sensum sensui, neque visum viso euidentia præstare. Illæ autem quas attestationes dicunt Epicurei, nihil ad sensum faciunt, sed ad opinionem. itaque volunt vt eas secuti de externis pronunciemus, opinionis iudicium esse, sensus affectionem videri facientes citáque ab eo quod planè verum sit ad id quod sæpe fallit transferunt iudicium. Verùm hæc quanta turba & quot contradictionibus referta sint, quid attinet in præsentia dicere?

De Arcesilai philosophia.

Arcesilai autem gloria videtur Epicuro haud mediocrem attulisse ægritudinem, qui inter eius temporis philosophos maximi fiebat. Dicit eum Epicurus nihil proprium proferentem, suspicionem de se apud illiteratos

teratos & gloriam parasse. scilicet quòd ipse esset litteratus admodum & doctus. Sanè Arcesilaus tantum abfuit ab omni nouandi, aut vetera sibi arrogandi studio: vt etiam vitio ei sophistæ eius ætatis dederint, quòd sententias de cohibenda assensione, & cōpræhensionis negatione, Socrati, Platoni, Parmenidi, Heracleto acceptas ferret: nulla quidem necessitate, sed tantùm eas viris nobilibus inscribendo confirmans ac commendans. Gratias ergo agamus hoc nomine Colotæ, & omnibus qui Academicam rationem ab antiquis ad Arcesilaum promanauisse aiunt. Illam verò assensionis de omnibus rebus retentionem, ne hi quidem qui in hoc negocio valdè occupati fuerunt, ac voluminibus scriptis disputationibúsque contenderunt, evertere potuere: sed ad extremum ex ipsa Stoa vitam ociosam proferentes, qua tanquam Gorgone obiecta terrerent, fessi desierunt. Quippe omnia tentando, & omnia mouendo, tamen ab incitatione ea qua ad agendum fertur appetitus, impetrare non potuerunt vt se assensionem dici pateretur, aut pro principio sui momēti sensum agnosceret: sed apparuit eam sponte sua ad agendum ferri, nihilq; ad hoc assensu indigere. Et quidem adversus alios legitima sunt certamina: ac

Qualia dixisti, reddentur talia verba. *Iliad.v.250.*

Colotem autem puto quæ de appetitione & adsensione disputantur ita audire, vt asinus lyram. Iis verò qui adsequuntur & audiunt ista dicitur, cùm tria sint animi motuum genera, imaginans, appetens, adsentiens: primùm illud ne si conemur quidem aboleri posse. nam necesse est cùm res nobis offeruntur, earum visa nos concipere & adfici. Appetens autem ab imaginante excitatum ad naturæ suæ accommodata hominem efficaciter mouet, quasi momento & nutu in principe parte facto. Ne hoc quidem tollunt, qui de omnibus adsensum cohibent, sed appetitione vtuntur naturaliter ducente ad id quod videtur conveniens. Quid fugiunt igitur vnum? id, cui soli error & falsitas inhæret, opinionem: quando adsensus præ imbecillitate ei quod videtur concedit, eique se applicat, nihil vtile habens. Actio enim duabus opus habet rebus, viso eius quod naturæ congruit, & ad hoc incitatione: quorum neutrum retentioni adsensus repugnat. Nam hæc rationem ab opinione, non ab appetitione & visis abstrahit. Cum ergo oblatum est visum rei ad naturam accommodatæ, nihil opus opinione est ad motum quo ad eam feramur: sed statim se exserit appetitio, qui motus est & latio animæ. Et verò horum ipsorum quod debeat sensus haberi, & carneus esse, & videbitur voluptas bonum. Ergo etiam retinenti adsensum videbitur bonum. etenim sensus habet, carneus est, visóque boni oblato appetit hoc, & incitatur, omniáque agit ne ipsum hoc effugiat: sed quantum fieri potest semper deget cum eo quod naturæ ipsius est accommodatum, tractus naturalibus, non geometricis necessitatibus. Ipsæ enim hæ pulcræ absque doctore inuitant lenésque & blandæ motiones carnis, vt ipsi Epicurei dicunt: adeò vt his omnino non adfirmans neque confitens flectatur tamen & emolliatur. Sed quomodo, inquis, non in montem abit currens, verùm in balneum? & in forum progressurus non ad parietem, sed ad ianuam accedit? Téne hoc interrogare, qui summam certitudinem, veritatémque visis tribuis? quia enim non mons, sed balneum ei balneum videtur, & non paries ianua, sed ostium, itémque eodem pacto res singulæ. Nam retentionis istius ratio non pervertit sensum: neque brutis eius affectionibus & motibus alterationem infert quæ imaginantem vim conturbet. tantùm opiniones reiicit, reliquis vtitur vt natura fert eorum. At, dices, nefas est non adsentiri evidentibus: nam negare quorum fides est indubitata, absurdius est quàm neque adfirmare neque negare. Quis ergo convellit ea quæ credita sunt, quis evidentia impugnat? Qui diuinationem tollunt, qui providētiam deorum negant, qui Solem & Lunam animis præditos inficiantur, cùm omnes homines sacra iis & vota faciant ac colant. Nónne verò quod in confesso est apud alios, fetum parentum natura contineri, vos diffitemini? Nonne contra omnem sensum dicitis inter dolorem & voluptatem nihil esse medium, & in voluptate esse quod vacat dolore, in dolore quod voluptate caret? Sed vt reliqua missa faciam, quid tandem ita evidens est, itáque pro certo habetur, atque hoc, eorum qui animo sunt abalienati, aut melancholicis conturbationibus laborant, falli visum atque auditum: cùm talia dicuntur

De appetitu & adsensionis retentione.

*

Absurda Epicureorum.

Hæ mihi nunc oculos inflammant, vestibus atris

Indutæ, manibúsq; faces ignémq; gerentes. & *

—ipsa matrem in vlnis habens meam. Hæc & huiusmodi multa, hísque atrociora, ac Empedoclis monstrorum similia (quæ derident illi, boum genus errabundis vestigiis ambulans, vastum gulum, humano capite) deniq; è somniis & furoribus omnis generis visa insolentia colligentes: horum nullum aiunt errare, nullum mendacium esse, nihil quod non cohæreat: sed omnia visa illa vera esse, & corpora ac formas ab ambiente aëre venientes. Quid tandem impossibile censeamus, si ista credi possunt? Nam quas nullus opifex aut mirabilium fictor, aut temerarius pictor auderet inter se componere formas, vt spectaculum earum ludicrum redderet: ea ipsi seriò affirmantes esse, immò autem si hæc non sint, actum esse de fide, constantia, & iudicio veritatis dicentes, omnes res in obscuritatem coniiciunt, iudiciisque metus, & actionibus suspiciones inducunt: si quidem quæ nos agimus, statuimus, vsurpamus, præ manibus habemus, eidem imaginationi ac fidei innituntur, cui furiosa ista, absurda, & scelerata visa. Æqualitas enim quam ipsi ponunt, magis derogat fidem iis quæ pro certis habentur, quàm conciliat istis rationi ita aduersis. Itaque nouimus philosophorum haud paucos malle hoc ponere, nullum esse visum verum, quàm omnia esse vera. magísque diffidentes omnibus in quos incidant hominibus, rebus, ac sermonibus, quàm vnum vt verum putent visum de his, quæ rabiosis, Corybanteo furo-
* re exagitatis, aut somniantibus accidunt. Ergo cùm alia repudiare visa, alia non licet: hæc saltem, si nulla esset, causa sufficit, vt rebus tam suspectis ob tantam visorum dissonantiam, cohibeamus adsensionem. nihil alioqui (vt dicitur) sani, obscuritatem autem conturbationémque habituri. Nam illæ quidem mundorum quas Epicurus tradit infinitates, atomorum naturæ, indiuiduorum & declinationum diuersitates, quanquam multos perturbant: tamen id consolari nos potest, quod non in proximo ea sunt, sed vnumquodque istorum de quibus disputant, longè est in alteram partem à sensu remotum. Illa verò ob oculos versans & aures manúsque incredulitas, conturbatio, & ignoratio de sensilibus & visis, vtrùm vera hæc an falsa sint: quam non labefactant opinionem, quam non sus déque fert adsensionem & iudicium? Si enim non crapula obruti, aut medicamentorum vi concussi & delirantes, sed sobrii, sani, & qui scribant de veritate, normísque & iudicio veritatis, in evidentissimis sensuum affectionibus atque motibus, aut id quod non exstat verum, aut quod verum est, falsum & non exstans ponunt: digna res est admiratione neque incredibile quòd nullum, sed quòd contraria invicem de iis quæ apparent ferunt iudicia. Minus quippe mirum est, in neutram aliquos partem pronunciare, sed retinere assensionem in iis quæ sunt contraria, quàm esse qui pugnantia secum pronuncient. Qui enim neque ait neque negat, sed cohibet sese, is & affirmanti minùs quàm negans, & neganti minùs quàm aienti adversatur. Iam si de his potest adsensio retineri, de aliísque quoque non erit hoc impossibile: de vestra quidem sententia, qui sensum sensu & visum viso neutiquàm præstare dicitis. Non ergo fabula est, aut petulantium & temerariorum inventum adolescentium de cohibenda adsensione doctrina, vt putat Colotes: sed habitus virorum, & affectio custodiens ab errore, neque permittens ita suspectis & inconstantibus sensibus iudicium: neque decipi sinens vnà cum his, qui visis quæ de obscuris concipiuntur rebus fidem aiunt habendam, cùm in obuiis tantum videant inesse incertitudinis, atque obscuritatis. Enimverò fabula est infinitas Epicureorum & imagines, temeritatem & petulantiam indit adolescentibus is, qui de Pythocle nondum annos nato
* XIIX scribit, Non esse indolem in tota Græcia meliorem, ac monstrosè eum prædicat, & muliebria pati, vt hæc exsuperantia adolescentis bona propria sint & ab inuidia ac Nemesi tuta comprecans. sophistæ verò sunt, & arrogantes, qui adversus laudatos viros tam lasciuè & superbè scribũt. Sanè Plato, Aristoteles, Theophrastus, Democritus, iis qui ante ipsos fuere contradixerunt: librũ autẽ tali inscriptione, omnes eo vnà impugnari, nemo alius præter Colotam est ausus edere. Vnde factũ est, vt sicvt qui numen aliquod offenderũt, ipse suum prodẽs flagitium in hæc verba scripserit sub finẽ
" iam libri. Qui vitam, qui leges cõposuerunt, atq; iura, vtq; regerentur vrbes & imperio
" magistratuum parerent instituerunt, ii in tranquillo admodũ nos ac tuto collocauerũt, tumul-

tumultibúsq; liberauerunt. ista si quis aboleret, ferarum porrò vitam victuri essemus, & quisq; obuium quenq; tantùm non deuoraturus. Hæc neq; iuste, neq; vere dicũtur. Nam si quis legib. sublatis, Parmenidea, Socratica, Platonica, Heraclitea relinquat nobis decreta, longè profectò aberit res nostra à belluina vita & mutuis deuorationibus. Metuemus.n.turpia, & honesti gratia venerabimur iustitiam, deos, bonos magistratus: cùm genios vitæ nostræ custodes nos habere sentientes, tum omne aurum quod supra infráq; terram est precium virtutis non æquare censentes: facientésq; vltrò monitu rationis, vt ait Xenocrates, quæ nunc inuiti metu legum facimus. Quando ergo vita nostra erit belluina, fera, insociabilis? Cùm sublatis legibus manebit ad voluptates exhortans doctrina, prouidentia deorum negabitur, sapientes putabuntur qui inhonestum despuent cui non adhæreat voluptas. cùm ridebuntur isthæc & subsannabuntur.

Laus philosophiæ.

Epicuri decreta damnosa.

Est oculus omnia cernens Iusticiæ tamen: &:
Stans in propinquo comminus uidet Deus. &:

Deus quidem, vt & antiquitus traditum est, principium, medium, finémque tenens omnium rerum, rectam lineam conficit secundum naturam incedẽs. Hunc sequitur Iusticia, vindex eorum qui à diuina desciscũt lege. Hæc.n.qui tãquam fabulas contemnunt, & circa ventrem felicitati locum statuunt reliquísq; voluptati parandæ seruientibus laboribus: ijs lege opus est, metu, verbere, ac rege vel principe ius in manib. habente, ne proximum quisq; quenq; deuoret præ gulæ studio impietate efferato. Talis quippe brutorum est vita, quæ nihil voluptate pulcrius norũt, neq; iusticiam deorum agnoscunt, neq; pulcritudinem virtutis venerantur: sed si quid ijs à natura calliditatis, audaciæ, virium inest, eo ad carnis voluptatem & satisfaciendum concupiscentiæ vtuntur. Itaq; sapiens Epicurus, qui dicat, Omnia pulcra, sapientia, & subtilia animi inventa propter voluptatem carnis spésq; eò pertinentes esse constituta: & omne opus inane esse, quod non eòdem tẽdat. Vbi his ratiocinationibus, ac philosophia tali sublatæ fuerint leges: tantùm vngues leonum ad vitam ferinam, & dẽtes luporum, boum ventres, & colla camelorum desunt. Atq; hos quidem animi sensus, hæc decreta, bruta ob sermonis & litterarum inopiam mugitib. hinnitibúsq; exprimũt, omnísq; eorum vox ventri voluptatiq; seruit, quam vel præsentẽ vel adfuturam amplectuntur & adulantur. nisi si quod animal natura laboris studiosum est aut garrulum. Omni itaq; laude maiores digni sunt, qui aduersus ferinas istas cupiditates legũ, reip. magistratuúmque constitutiones inuenerunt. Qui verò sunt qui hæc confundunt, funditúsq; tollũt? Nonne hi, qui coronam vacuitatis perturbationum potiorem magnis imperijs aiunt? qui regnum gerere, peccatum esse & errorem pronunciant, scribúntq; his verbis. Hoc dicendum est, quo quis modo quamoptimè naturæ finẽ conseruet: & quo pacto sponte sua iam ab initio caueat sibi à suscipiendo in multitudinem imperio. Quin & hęc ad illos scribit. Non itaq; necesse porrò est Græcos seruare, aut coronam ab ijs ob sapientiam reportare: sed edendum est & bibendum ô Timocrates, quantum carni gratum & innoxium est. Atqui in legum constitutione, quam Colotes laudat, primum est & maximum, de dijs opinio. quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Ion antiquus Athenienses, & Deucalio Græcos ferè vniuersos dijs consecrauerunt, votis, sacramentis, vaticinijs, ominibúsq; eos ob spem ac metum dijs deditos obnoxiósq; reddentes. Et si terras obeas, inuenire possis vrbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, nomismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: vrbẽ templis diisq; carentem, quæ precibus, iureiurando, oraculo nõ vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo vnquam vidit. Sed facilius vrbem condi sine solo posse puto, quàm opinione de diis penitus sublata ciuitatem coire aut constare. Cæterùm id quod omnem continet societatem, omnium legum fundamentum est, illi non per ambages aut obscurè & perplexa ratione, sed palàm subvertunt prima suarum maximè ratarum sententia prolata. Deinde quasi diuina vindicta exagitati, fatentur atrox se committere flagitium, qui iura confunderent, legúmq; constitutiones abolerent: vt veniam quoq; impetrare non debeant. Nam opinionis aliquo errore decipi, ut sapientis non sit, saltem hominis est. Eam autem culpam, quam ipse committis, in alios conferre, quale sit nisi ijs quæ res meretur nominibus dici nequit. Cùm.n.adversus Antidorum aut Bionem sophistam scribens, legum ordinis, & reip. facit mentionem: nonne poterat rectè horum aliquis ei dicere,

Plato.iv.rep.

Religio.

Eurip. Orest.

Mane tuo quietus in lecto, miser,

tuum curans corpusculum: me hoc nomine accusent, qui ciuiliter & re familiari rectè instituta vixerũt? Hi uerò sunt omnes ij, quos maledictis impetijt Colotes. Ex his Democritus iubet artem bellicam discere, vtpote maximam: ac labores sectari, quibus res magnæ & splendor hominibus parantur. Parmenides suam patriam optimis exornauit legibus, eiúsque adeò institutis ciues staturos se quotannis iurare magistratus cogunt. Empedocles principes ciuium peculatus & contumeliosarum iniuriarum conuicit: ac regionem sterilitate & pestilentia liberauit, obstructis montis faucibus per quas Auster in campos incidebat. Socrates damnatus, cùm ei effugiendi opportunitatem amici parassent, legum confirmandarum causa non est ea vsus: maluitque iniustè mori, quàm contra leges evadere. Melissus patriæ prætor, Athenienses nauali vicit prœlio. Plato in suis scriptis præclaram de legibus & rep. doctrinam reliquit, multo autem meliora socios docuit: quibus vsus Dio Siciliam liberauit, Pytho & Heraclides Coty interfecto Thraciam. Chabrias quoque & Phocion Imperatores Atheniensium ex Academia progressi sunt. Sanè Epicurus in Asiam misit qui Timocrati conuicium facerent, & eum ex aula regis eximerent, quòd offendisset fratrem Metrodorum. atq; hæc in ipsorum sunt scripta libris. Plato autem de sociis misit Arcadibus Aristonymũ reip. constituendæ causa, Eleis Phormionem, Pyrrhæis Menedemum. Eudoxus Cnidiis, Aristoteles Stagiritis leges posuerunt, familiaris vterque Platonis. A Xenocrate præcepta de regno petiit Alexander. Qui ad Alexandrũ ab Asiam incolentibus Grecis missus fuit, maximóq; eum ad bellum in Barbaros suscipiendum inflammauit, Delius fuit Ephesius, Platonis socius. Zeno Parmenidis discipulus Demylo tyranno insidiatus, re infeliciter gesta doctrinam Parmenidis velut aurum in igne illæsam ac probam facto ostendit. scilicet turpitudinem magno viro metuẽdam esse: dolorem à pueris, & mulierculis, ac viris animum muliebrem gerẽtibus timeri. Linguam enim suam dentibus amputatam in tyrannum exspuit. Ex Epicuri autem decretis non dicam quis tyrannicida, quis eximiam rebus agendis laudem meritus, quis legumlator, quis princeps, quis regis consiliarius, quis populi tutor exstitit, quis pro iusticia tortus, quis mortuus est? Sed, quisnam sapientum istorum propter patriam nauigauit, legationem obiit, sumtus fecit? vbi ciuilis vlla vestrûm alicuius actio scripta exstat? Metrodorus XL stadia in Peræeum descendit, Mithræ cuidam Syro vno de regiis capto opitulaturus. De hoc facinore scilicet in omnibus ad omnes epistolis magnificè scripsit Epicurus. Quid facturos putas fuisse, si quid tale egissent, quale est quod Aristoteles confecit, vt patria ipsius à Philippo eversa instauraretur, quod Theophrastus suam bis à tyrannis occupatam liberauit? nónne oportebat priùs Nilum biblos ferre desinere, quàm illos de se scribendo defatigari? Neq; id maximè indignum est, quòd de tot philosophis soli hi ferè asymboli in partem bonorum quæ sunt in ciuitatibus perveniunt. sed quòd Tragicis & comicis poëtis semper conantibus aliquid stipis conferre & dicere pro legibus & republica: hi etiam si scribant, de repub. scribunt ne eam geramus, de rhetorica, ne ea vtamur, de regno, vt fugiamus conuictum regum præcipientes. Ciuiles autem viros deridentes, gloriámque eorum obruentes, solis verbis Epaminondam aliquid aiunt habuisse, idque perexiguum. ipsum verò ferreum viscus appellantes, quærunt quid acciderit, vt per mediam iter faceret Peloponnesum, non pileolo sumto domi desideret, nimirum totus ventri curando intentus. Quæ autem Metrodorus in opere De philosophia digressus ad remp. traducendam scripsit, non putaui reticenda. Sapientum quidam ait fastus abundantia ita pulcrè perspexerunt opus eius, vt promuerint ad affectandas res Lycurgi & Solonis factis æmulas, secundum rationes vitæ & virtutis. Siccine fastus hoc erat, & abũdantia fastus, liberas esse Athenas, Spartam bonis regi legibus, adolescentes non ferocire, non tollere prolem è scortis, neque diuitias, luxum, & libidinem rerum potiri in vrbibus, sed legem & iusticiã? Hæc enim sunt quæ expetebat Solon. Et conuicium Metrodorus his addit. Ideò æquum est vt rideat effusè liber homo cùm alios, tum Lycurgos istos & Salones. Atqui, Metrodore, hic liber non est, sed illiberalis & contumax, & ne liberali quidem dignus flagello, sed nodoso illo, quo gallos in magnæ matris sacris delinquentes puniunt. Non legumlatores autem, sed ipsas leges fuisse ab his impugnatas, ex Epicuro audire licet. Nam seipsum in dubitationibus interrogat, facturúsne sit sapiens quòd leges prohibent, si id

Verorum philosophorũ cum Epicuro comparatio.

si id clàm sit futurum. & respondet, non expeditum est simplex attributum. hoc est, Faciam, sed diffitebor. Rursum, puto ad Idomeneum scribẽs, seriò iubet eum viuere non seruitutem legib. & decretis, nisi quatenus ob vicinum ictum perturbationẽ adferunt. Ergo si vitam humanam perimunt, qui leges & reip. rationes tollunt: id autem faciunt Epicurus & Metrodorus, familiares à rep. gerenda dehortantes, gerentibus infensi, principes & sapientissimos legũ conditores maledictis proscindentes, leges contemnere iubentes, vbi metus plagæ & pœnæ abest. non, puto, tantum falsò Colotes alijs intentauerit crimen, quantum verè doctrinæ & decretis Epicuri intulit. *

PLVTARCHI
De communibus noticiis aduersus Stoicos, liber.



LAMPRIAS. Te quidem, Diadumene, apparet non admodum curare, si quis vos philosophari contra communes noticias dicat: cùm fatearis te sensus etiam contẽnere, à quib. ferè pleræq; noticiæ oriũtur, fundamentúmq; eorum quæ videntur fidem habeñt, cui innitantur. Me autem magnæ (vt mihi videor) & absurdæ plenũ perturbationis ad te venientem, quamprimùm velim sanes: siue id rationib. quibusdã, siue incãtationib., siue alio aliquo modo alloquij potes. adeò sum exagitatus, & animi incertus factus à Stoicis quibusdã, viris aliâs optimis, atq; etiam familiaribus, sed qui nimis acerbè atq; hostiliter Academiam insectarentur. Nam pauca quædam à me verecundè & grauiter (non.n.mentiar) dicta, haud placidè reprẹhẽderunt: ueteres autem illos iracundè sophistas, & corruptelas euersorésq; philosophiæ decretorúmq; ordine procedẽtium appellauerũt: multáq; his ineptiora cùm pronunciassent, tandem ad noticias prolapsi sunt, quib. confusionem direptionémq; aiebant quandam ab Academicis inferri. Fuit deinde qui diceret, non fortuitò, sed diuina prouidentia factum esse, vt Chrysippus post Arcesilaum & ante Carneadem nasceretur. quorum ille contumeliarum & iniuriarum in receptam cõsuetudinem autor fuisset: hic maximè omniũ floruisset Academicorum. Chrysippum itaq; in medio horũ situm, suis adversus Arcesilaum scriptionib. Carneadis quoq; facũdiæ aditum obstruxisse, multa quidem sensib. velvti ad tolerandam obsidionem relinquentem præsidia: turbam autem de prænotionib. & noticijs planè sedantem & singulas ita dirigentem suóq; loco ponentem, vt qui rursum turbare velint res, ac vim facere, nihil efficiant, sed maleficij ac sophisticæ temeritatis arguãtur. His ego manè sermonib. incensus, restinguentib. opus habeo, quæ animi dubitationem velvti inflammationem adimant * idem fortassis cum vulgo passus. * *

Stoici sensib. fidem derogãt.

Si verò tibi poetæ fidem faciunt, qui priscam Sipylum aiunt deorum prouidentia subversam Tantalum punientium: crede etiam socijs à Stoa, Chrysippum non fortuitò, sed prouidentiæ ductu à natura editum, ima summis mutare & retrò avertere vitæ rationes volente ad quam rem nemo hominum fuit magis Chrysippo idoneus. Sed sicvt Cato aiebat neminem alium præter Cæsarem sobrium & prudentem ad remp. turbandarum rerum causa accessisse: ita videtur hic homo summa cum accuratione & vi subvertere & demoliri consuetudinem, quantum quidem potuit. idq; testãtur qui eum prædicant, quando de pseudomeno seu mentiẽte (est id dialecticarum argutiarum de numero) contra eum disputant. Etenim, amice, connexum quòd fit ex oppositis dicere nõn prõte falsum esse: rursúmq; affirmare quasdam ratiocinationes quarum adsumta vera sint, & ductus veri, etiam porrò contrarias conclusiones habere veras: quámne demonstrationis notionem, aut quam fidei non inuertit prẹsumtionẽ. Polypum aiunt hyeme sua vorare acetabula. Chrysippi autem dialectica, potissimas partes ac principia sua tollens atq; amputans, quam tandem aliam noticiam non fecit falsitatis suspectam? Non.n. possunt quæ superstruuntur constare, fundamẽtis iam pridem non subsistentibus. sicut hîc prima tot dubitationib. & tumultib. exagitãtur. Sed quemadmodum qui lutum aut puluerem in corporis superficie habent, tangẽtem ipsos & corpus *

Chrysippus.

* conferentem non mouere, sed adijcere id ꝙ exasperet videtur. sic nonnulli Academicos culpant, putántq; eos causas præbere, quibus seipsos ostendunt oppletos. Nam vtri tandem communes notiones magis peruertunt? Si verò placet, omissa illorum accusatione ea defendemus, quæ nobis vitio vertunt. LAM. Ego mihi videor, Diadumene, hodie varius quidam & versatilis homo factus. Modò defensione à me postulata, animo demisso & trepidè prouinciam accepi. nunc ad accusationem alius accedo, volóq; eandem rem istis obijciens vltione perfrui. cernens philosophiæ quæ contra notiones communes instituitur, vnde maximè sectæ, sicut in ana * putant, & solam consentire naturæ aiunt. An ergo primùm communia illa & celebrata aggredi libet, quæ ipsi absurditati leuius nomen imponentes paradoxa, hoc est admirabilia, & contra opinionem, appellant? eos inquam, qui ijs soli reges, soli diuites, pulcri, ciues, & iudices sunt. aut his in forum obsoletorum & frigidorum dimissis, in maximè quãtum fieri potest serijs, & cum industria ab ijs disputatis doctrinam eorum examinabimus. DIAD. Ipse quidem hoc malo. Quis.n. non iam plenus est argumẽtorum quibus illa refelluntur? LAM. Id ergo primùm perpende, an secundum communes noticias cum natura consentire possint ij, qui secundum naturam censent res quasdam indifferentes: (adiaphora ipsi vocant) & neq; sanitatem, neq; firmam corporis constitutionem, neq; pulcritudinem, neque robur putant expetenda, commoda, vtilia, & ad complendam quæ naturæ conuenit perfectionem facientia esse: neque rursum fugienda & damnosa esse mutilationes, dolores, deformitates, morbos, à quibus ipsi aiũt naturam nos partim alienos reddere, partim ad ea accommodatos. Quod ipsum non mediocriter communibus repugnat noticijs. scilicet à natura nos accommodari ad ea quæ neq; bona sunt neq; vtilia, & abalienari ab his quæ neq; mala sunt, neq; damnosa. & quod maius est, in vtranq; partem ita agere hoc, vt qui illa non adipiscãtur, aut in hoc incidant, bona cum ratione vitam detestentur, ac ea sese educant. Etiam hoc arbitror contra communes noticias ab ijs dictum, ipsam naturam esse indifferentem, summum autem bonum esse cum natura consentire. Nam neq; legi obtemperare, neq; fidem orationi adhibere officium iubet, nisi vtrunq; probum sit & scitum. Atq; hoc quidem leuius est. Si verò, vt Chrysippus in primo de exhortatione scripsit, secundum solam virtutem licet feliciter viuere, reliquis (vt ipse ait) nihil ad nos pertinentibus, neq; adiumẽtum ad felicitatem adferentibus: non modò indifferẽs iam erit natura, sed fatua etiam & stupida, quæ nos rebus ad nos nihil pertinẽtibus accommodet. stulti etiam nos, qui felicitatem definiamus consensum cum natura, ducente nos ad ea, quæ nihil ad beatitatem conducunt. Enimverò quid magis potest congruere communibus noticijs, quàm vt expetendis rebus ad vtiliter viuendum ducimur, sic quæ naturę sunt cõuenientia, ab his nos ad viuendum secundùm naturam duci. Stoici autem non sic loquũtur: sed cum pro fine posuerint viuere secundum naturam, ea quæ sunt secundũ naturam, indifferentia esse statuunt. Non minùs repugnat communib. hoc noticijs, sanæ mentis hominem erga bona æqualia non æqualiter esse adfectum: sed alia nullius precij iudicare, aliorum gratia quiduis toleraturum, quãtumvis inter ipsa bona nihil magnitudinis paruitatísue causa * intersit. Aiunt enim idẽ esse à vetula sese abstinere iam moribunda, & ab ea quę sit ætate integra muliere: vtrobiq;.n. officium temperantię pręstari: sed propter hoc vt splendidum & magnum vel mortem esse oppetẽdam: de illo iactare se, turpe esse & ridiculum. Scribit etiam Chrysippus in commẽtario de Ioue, & libro de dijs tertio, frigidum esse, absurdum, & insolens huiusmodi virtutis effecta laudare, quòd muscæ morsum fortiter pertulerit, quòd castè se abstinuerit à moribunda vetula. Nónne ergo contra communem philosophantur noticiam, dum nihil pulcrius fatentur esse his actionibus, quas laudare ipsos pudet? Qui enim expetendum, qui admittendum sit, quod neque laude neque admiratione dignum est, quod qui laudet vel admiretur, pro inepto & frigido habeatur. Ampliùs verò, ni fallor, tibi cõtra communem hoc videbitur sensum, si prudenti audias neq; præsentiam neq; absentiam maximorum bonorum curæ esse: sed qualis est in rebus indifferentibus, earúmque tractatione & dispensatione, talem etiam hæc esse. Nimirum.n. omnes

Quicunq; terræ munere vescimur,

cuius præsentis vsus est, & absentis indigentia atq; desiderium, id expetendũ, bonum, atq; vtile iudicamus. cuius rei autem gratia nemo vel ioci aut delectationis causa quicquam

Paradoxa Stoicorum.

De Adiaphoris.

quam agat, id indifferens. Nam haud alia ratione laborũ studiosum ab eo qui manibus rebus industriam impedit distinguimus, ipso quoq; plerunq; rebus agendis occupato, quàm quòd hic in inutilibus elaborat & indifferenter, hic propter aliquod commodum & vtilitatem. Stoici contrà. Sapiens enim ipsis & prudens in multis memoriis & comprehensionibus versans, paucas ad se spectare sentit, cæteras non curat: neq; amplius minúsve ad se redire putat si recordetur nuper se aliquid comprahendisse, quàm si memoria reuoluat sternutasse Dionem, aut Theonem pila lusisse. Atqui omnis perceptio in sapiente & memoria iactis radicibus confirmata, statim scientia, bonúmque magnum & maximum est. Ergóne itidem sanitate deficiente, sensus instrumento aliquo laborante, re amissa absque cura erit, nihilque horum ad se pertinere putabit sapiens? Aut potiùs ægrotans medicis mercedem persoluet, pecuniæ comparãdæ causa ad Leuconem ibit Bosporanorum regulũ, & ad Indathyrsum Scytham peregrinabitur, vt ait Chrysippus: quibusdam verò sensibus amissis, ne viuere quidem sustinebit? Qui ergo inficias ire possunt, se contra communes noticias philosophari, tantum occupationis & studij in res indifferentes cùm conferant, bonis magnis vel præsentibus vel absentibus eodem in vtranque partem modò indifferenter sint adfecti. Enimverò hoc etiam communibus repugnat notionibus, homo qui sit, eum nõ gaudere si è maximis malis in summa bona perveniat. Atqui hoc accidit Stoico sapienti. Nam è summa vitiositate in summam mutatus virtutem, simúlque & miserrima liberatus vita, & beatissimam adeptus, nullum præ se fert gaudium, neque animum eius erigit aut mouet tanta mutatio, omni infelicitate & vitio solutum, inque certo & tuto omnium bonorum cumulo constitutum, eóque perfectissimo. Nimirum hoc communi repugnat noticiæ, bonorum omnium esse maximũ certitudinem erroris securam in iudicando & adfirmando: ea verò nihil opus esse huic, qui ad summum profecerit, neque curare eum si ipsa potiatur, ac sæpè ne digitum quidem porrigere huius securitatis & constantiæ causa, quam bonum interim perfectum & magnum ipsi censent. Neque hæc solùm Stoici dicunt, sed hoc præterea, temporis accessione bonum non augeri: nam si quis momento horæ sapiens fuerit, quod ad felicitatem attinet nihilo deteriore conditione futurum quàm eum, qui per omnem ætatem virtutem coluerit, inque ea beatè vitam exegerit. Hæc illi ita audacter adseuerantes, ab altera parte aiunt nihil prodesse virtutem paruo contentam tempore. quid enim, si statim naufragio periturus aut præcipitio prudentiam nanciscatur? quid si Lichas ab Hercule tanquam è funda in mare proiectus de vitio in virtutem transiisset? Hæc iam non tantum contra communes sententias philosophantium sunt, sed suas etiam confundentium: cùm per exiguum tempus virtute præditum esse simul summam æquare felicitatem censeant, & rem nullo dignam precio. Neque hoc maximum eorum est quæ in Stoicorum doctrina possint mira videri: sed quòd virtutem & beatitatem præsentem sæpe ab eo cui adsunt non sentiri opinantur: neque animadvertere eum, quòd paulo antè miserrimus & stultissimus qui fuisset, nunc subitò sapiens beatúsque factus est. Non enim id duntaxat ludicrum est dicere, eum qui sapientia sit præditus, non intelligere se sapere, & emersisse ex insipientia: sed, vt vniuersè dicam, bonum illi faciunt momenti & virium expers, cùm homini accidens nullum sui sensum præbeat. Nam de ipsorum sententia bonum suapte natura sensum non subterfugit: cùm in disputatione de Fine disertis verbis Chrysippus dicat, bonum sensile esse, idque etiam abs se demonstrari putet. Reliquum est igitur imbecillitate & exiguitate sui subterfugere id sensum, quando præsens latet, & possidentes fallit. Porrò autem absurdum est visum, qui leuiter aut mediocriter alba sentiat, non assequi quæ extremè alba sunt: aut tactum, quo molliter & remissè calida sentiuntur, stupere ad sensum valdè calidorum. absurdius autem si quis id quod communiter secundum naturam est percipiens, vt sunt sanitas & bona corporis habitus: ignoret præsentem virtutem, quam illi summè & maximè aiunt esse secundum naturam. Quo enim modo non sit contra naturam sanitatis & morbi discrimen percipi, itémque sapientiæ & stulticiæ: interim tamen te hanc sublatam putare adesse adhuc, illam verò nactum id ignorare? Quoniam verò è summo profectu in felicitatem & virtutem fit mutatio, alterum horum fit oportet: vt vel profectus iste vitium & infelicitas non sit, aut non multum distet à vitio virtus, à miseria beatitas, sed planè exiguum & sensum effugiens sit bonorum à malis discrimen. qui enim ipsos

Stoicorũ sapiẽs non gaudet de malo optimus factus.

Tempus bona non auget Stoicis.

Boni sensus an aliquis.

falleret, esse ipsos horum loco illa adeptos? Quãdo itaq; nihil de his pro quibus propugnant concedere volunt, sed omnia in confesso ponunt. Eos qui ad virtutem proficiunt esse stultos, ac vitiosos, Qui boni & sapientes fiant, hanc mutationem non animadvertere, Magnum discrimen esse inter stultitiam & sapientiam: nonne tibi videntur mirificè consensum suorum tueri decretorum? Multo magis eorum inconstã-

De æqualitate vitiorũ et profectu.

tiam ipsis in rebus obserues, quando omnes æqualiter malos, iniustos, infideles, stultos pronunciantes, qui non sint sapientes: rursum alios horum aversantur & pro impuris habent, quosdam etiam facti obviam non dignantur compellare: aliis pecuniã credunt, magistratus committunt, filias elocant. Quæ si iocò isti faciunt, deponant supercilium: si seriò & vt philosophantes, iam hoc communibus repugnat noticiis, Omnes homines eodem pacto vituperare, aliis autem vt mediocribus vti, aliis tãquam pessimis: & Chrysippum nimio cum stupore admirari, Alexinum deridere, nihilominus vnum altero insaniorem non censentes. At verò, inquiunt, res ita planè habet. Nam sicvt is qui cubitum à maris superficie distans non minus suffocatur, quàm qui ad vlnas 10 demersus est: ita qui ad virtutem accedunt, non minùs sunt in vitio, quàm qui absunt ab ea procul. & sicvt cæci sunt, etiamsi paulo post essent visum recuperaturi: ita qui progressus faciunt ad virtutem, antequam ea potiantur, stulti & vitiosi permanent. At enim proficientes ad virtutem non esse cæcorum, sed obtusiùs videntium similes, neque suffocatorum sed natantium, idque prope portum, ipsi suis factis testatum reddiderunt. Neque enim vsui fuissent consiliariis, imperatoribus, legumlatoribus, tanquam cæci ductoribus, neque imitati fuissent facta, actiones, orationes, vitas quorundam: si omnes eodem modo suffocatos à stulticia & vitiositate vidissent. Sed hoc omisso, mecum mirare istos homines hac in re, quòd ne suis quidem ipsorũ exẽplis docentur missos facere istos qui sapientes de stultis fiant: neque hoc sentiant, aut animadvertãt se suffocari desinere, & lucem videre, ac supra dementiam emersos re-

De morte sibi consciscenda.

spirare. Sed & hoc contra communem sensum est, hominem cui omnia adsunt bona, nihilq; ad felicitatem & beatitatem deest, ei convenire vt vitam proiiciat. Multo magis id, Cui nihil est boni aut erit, adversa omnia & difficilia ac mala, & perpetuò adfutura: huic non convenire vt vitam repudiet, nisi quid ei ab indifferẽtibus accidat. Hæ leges in Stoa feruntur, multósque sapientes ad necem sibi ipsis inferendam impellũt, scilicet meliùs à morte vsuros sua felicitate. Atqui sapiens illorum fortunatus est, beatus, felicissimus, tutus, extra pericula constitutus: vitiosus ille & stultus, plenus, vt sic dicam, flagitiorum, & quem quo ponas non sit locus. & tamen his permansionem in vita, illis discessionem putant convenire. Probabiliter autem dixit Chrysippus. Non enim bonis & malis, sed iis quæ secundum naturam sunt, metiri debemus vitam. Hoc illi modo tutantur Consuetudinem, & adversus communes philosophãtur notiones. Quid ais tandem? Non debet considerare,

Odyss. A.392. *Aedibus in propriis bona quæ sint, quidue mali sit,*

qui de vita vel morte deliberationem iniuit? neque tanquam in trutina examinare in vtram partem res ipsius plura habeant momenta? Sed ex his quæ neq; vtilia sunt neque damnosa, ratiocinari viuendúmne sit an moriendum? ac sequi huiusmodi principia & sententias, quæ vitam omnium rerum fugiendarum plenam deligendã, fugiendam quæ nullo bonorum caret iubeant? Enimverò, amice, à ratione alienum est fugere vitam cui nihil adest mali: alienius dimittere bonum, si quis non potiatur indifferentibus. quod isti faciunt præsentem felicitatem virtutémque prodentes propterea quòd sanitate aut incolumitate careant.

Iliad. ζ.234. *Hæc mentem Glauco Saturnius abstulit omnem,*

cùm esset in permutatione daturus arma pro æreis aurea, & decuplo atque ampliùs meliora. Et tamen ærea arma non minùs quàm aurea ad pugnæ vsus apta erãt: pulcritudo, & sanitas Stoicis nullum vsum, nullum ad felicitatem conferunt emolumentũ:

Bonorum commutatio Stoica.

& tamen illi sanitatem sapientia redimunt. Aiunt enim Heracleto & Pherecydi conventurum fuisse, si res tulisset, vt virtute ac sapientia dimissis finem aquæ intercutis & morbi pedicularis mercarentur. Cúmque Circe duo vsurpet venena, quorum vnum stultos de prudentibus, alterum prudentes de stultis redigit * Vlissem bibere stulticiæ potiùs poculum, quàm transire in bestiæ formam, præditum sapientia, & nimirũ

Odyss. κ.235. & 391.

simul etiam felicitate. Atq; hæc aiunt ipsam dictare & hortari sapientiam: Missam me fac, nec rationem habe pereuntis, & in asini faciem discedentis. Nimirum, diceret non nemo,

nemo, asini est quæ hoc suadet sapientia. quando sapere & felicitate frui bonum est, asini circumferre faciem, indifferens. Gentem aiunt esse Aethiopum, vbi canis regnet, rexq; appelletur, & sacris ac honoribus colatur regiis: viri autem obeant principum & magistratuum munia. Nonne res etiam apud Stoicos similiter habet? Certe nomen boni & species virtuti adest, solamq; eam expetẽdam, vtilem, conducibilem appellant: interim ea agunt, commentanturq;, ita viuunt & moriuntur, sicvt præcipitur à rebus indifferentibus. Et quidem canem illum nemo Aethiopum interficit, sed dignitate ornatus, & veneratione cultus sedet. isti virtutem suam perdunt atq; corrumpunt, sanitatem aut opes vt consequantur. Ne de his plura dicam, videtur ipsa nos coronis hortari, quam Chrysippus suis decretis imposuit. Nam cùm in natura sint bona, mala, & neutra siue indifferentia: nemo hominum est, qui non malit bonum habere, quàm indifferens aut malum. Sed & deos in testimonium vocamus, votis ab iis petẽtes priore quidem loco possessionem bonorum, posteriore malorum fugam: id quod neq; bonum est neq; malum, loco boni nolentes habere, loco mali volẽtes. At ille ordinem invertens, ipsamq; mutãs naturam, ex vltimo loco medium in extremum collocat, extremo in medium traducto: sic vt tyranni solent priorem in consessu locũ malis tribuere. ac lege lata iubet primò sectari bona, deinde mala, postremò id deterrimũ iudicare, quòd neque bonum sit neq; malum. Perinde faciens, ac si quis proximè post cœlestia inferos ponat, terra & terrestribus in tartarum reiectis: *Ordo rerum à Chrysippo mutatus.*

Quà procul hinc ima stat sub tellure barathrum. *Iliad. 9. 14.*

Ergo cùm dixisset in tertio de natura, Expedire stulto vitam, etsi nunquam esset consecuturus intelligentiam: hæc verba subiungit. Talia enim bona sunt hominibus, vt ‹‹ quodammodo etiam mala cæteris medio loco antecedant. Non autem hæc præce- ‹‹ dunt, sed ratio quæ efficit viuendum esse potiùs, etiam si simus stulti: ergo etiam si iniusti, flagitiosi, diis invisi, infelices. nihil enim horum abest à stultè viuentibus. Ergo convenit miserè potiùs viuere, quàm non viuere miserè, & præstat lædi quàm non lædi, iniustum esse quàm non esse iniustum, leges violare quàm nõ violare? hoc est, convenit non convenientia facere, & officij est viuere etiam contra officium? Sanè est enim peius ratione & sensu carere, quàm stultum esse. Quid ergo in mentem eis venit, vt malum esse nõ fateantur, quod malo est peius? cur solam aiunt fugiendam esse stulticiam, si non minùs, sed magis etiam conveniens est fugere eam affectionem, quæ stulticiæ non est capax. Sed quis de hoc queratur, memor eorũ quæ in secundo de natura ille scripsit, pronuncians haud invtiliter rebus vniuersis malum exstitisse. Et meretur hoc res, vt decretum illud ipsius verbis proponam: quo intelligas qui Xenocratem & Speusippum incusant, quia sanitatem negauerint esse è censu indifferentium, neque diuitias de invtilium numero, ipsi quo loco vitiositatem ponant, & quid de ea loquantur. Malum, inquit, suo termino à reliquis distinguitur accidentibus. Exsistit ‹‹ enim ipsum quodammodo secundum naturæ rationem, & (vt sic dicam) non invtili- ‹‹ ter respectu vniuersarum rerum. alioqui enim ne bonum quidem poterat subsistere. ‹‹ Ergo diis boni nihil est, quando nihil mali? & cùm Iupiter totam in seipsum retexens materiam vnicus fiet abolitis reliquis differentiis, bonum tunc nullum erit, quia nihil aderit mali? Enimverò chorus concinere potest, nemine vitiosè canente: & corpus sanum est, nullo membro ægrotante: virtus autem absq; vitio exsistere nequit? sed nimirum sicvt quorundam medicamentorum facultatibus virus serpentis aut fel hyænæ admiscere oportet: ita ad Socratis iusticiam requirebatur necessariò alicuius mali adiunctio, vtpote malicia Meliti, & Cleonis petulantia ad Periclis probitatem? & quomodo Iupiter potuisset gignere Herculem ac Lycurgum, si non Sardanapalum quoque & Phalaridem nobis creasset? Tempus iam est, vt dicant tabem quoq; hominum ad firmam corporis affectionem cõducere, & podagram ad velocitatem. Quid enim differunt à talia nugantibus, qui dicunt non invtiliter ad continentiam exstitisse intemperantiam, & iniusticiam ad iusticiam? scilicet deos comprecemur, vt semper sint perversitas, *Malinatura.*

Fallaces mores, blanda & mendacia verba: *Hesiod. operibus. 78.*

siquidem his sublatis, vnà evanescet & interibit virtus, Maximè pernoscere fraudulsissimam eius facundiam, politámque persuadendi vim. Sicvt enim, inquit, comœ- ‹‹ diæ inscriptiones ferunt ridiculas, quæ pro se nullius precij, toti poëmati tamen a- ‹‹ liquid venustatis addunt. ita ipsum quidem pro se vitium vituperaueris: ad alias

res inutile non est. Primùm vitium Dei providentia exstitisse, sicut voluntate poëtæ malum epigramma factum est, tantùm absurdi habet, vt absurdius cogitari possit nihil. Nam hoc dato, quî magis bonorum, quàm malorum datores erunt dij? quomodo invisum erit diis flagitium? quid habebimus quòd malè ominatis hisce dictis opponamus:

Causam mortalibus creat aliquam Deus,
Cùm familiam vult quandam adfligere funditus. &,
Iliad.α.8. *In litem superûm quis tandem compulit istos?*

Deinde malum epigramma comœdiam ornat, & ad finem consequendum adiuuat, poëta spectatoribus risum mouere vel lepidum proponere aliquid cupiente. At patrius ille, & supremus ac iusticiæ præses Iupiter, optimúsque (vt eum Pindarus nominat) artifex, non scilicet drama aliquod magnum & varium multiplicive cognitioni seruiens mundum fabricans, sed vrbem diis hominibúsq; communem in quo vnà vitam exigerent iusticia & virtute ducibus concorditer ac feliciter: quorsum ad pulcerrimum hunc finem opus habuit latronibus, homicidis, paricidis, tyrannis? Non enim iucundum Deo exordium aut elegans fuit vitiositas, quę rebus humanis non facetias aut risum, sed scurrilitatem iniusticiámq; intulit, propter quę ne somnium quidem decantatæ illius cum natura consensionis videre licet. Præterea ineptum illud epigramma perexigua est comœdiæ particula, inq; ea minimum planè locum occupat: ac neq; abundant talia, neque eorum quæ rectè facta videntur cuiquam officiunt, aut venustatem eius corrumpunt. At vitiis repleta sunt omnia, totáq; vita statim à primordio, fabulæ vsque ad coronidem decorum non seruans, aberrans à recto cursu, conturbata, nullam partem habens puram, aut reprehensionis immunem. vt ipsi dicunt, omniũ est dramatum turpissimum & iniucundissimum. Quare libenter ex ipso quæsiuerim, ad quam tandem rem vitiositas vniuersis rebus sit vtilis. Non quidem ad cœlestia, & quæ sunt diuinæ naturæ. ridiculum enim sit, si vitiis inter homines non obortis neque exstantibus (auariciam puta, mendacia, rapinas, calumnias, cædes) non fuisse Solem dicamus suum confecturum cursum, mundúmq; statis temporum & tempestatũ circuitibus vsurum, terram in medio mundi sitam ventorum & pluuiarum materiem emissuram. Restat nobis & rebus nostris vtiliter vitia exstitisse: atque id fortasse intelligi Stoici volunt. Saniores ne ergo sumus, si vitiosi sumus? aut maiorem copiam rerum necessariarum adipiscimur? aut ad pulcritudinem robúrve nobis conducunt vitia? Negant. *. Si autem telluris nomen duntaxat est, & opinio somnio concepta pernoctantium sophistarum, non sicut vitium omnibus superiacet, & omnibus conspicua, nullius vt inutilis partem capere, minimè autem virtutis, dij boni, ob quam nati sumus. Proinde non indignum hoc sit, agricolæ & gubernatori & aurigæ quæ vtilia sunt, conducere ad finem ei propositum: id autem quod à Deo ad virtutem est factũ, amisisse & perdidisse suam virtutem? Sed fortasse tempus est nunc omisso hoc ad alia nos convertere. DIAD. Nequaquam, amice, mei gratia. cupio enim audire, quo modo Stoici mala bonis, & vitia virtutibus priùs introducant. LAM. Nimirum, mi sodalis. res enim cognitu digna est. Multa quidem balbutiunt: tãdem verò prudentiam quæ sit bonorum & malorum scientia * & omnino tolli dicunt. Vt autem vera sunt, fieri non posse quin & falsa quædam eodem sint modo: sicut par est cùm bona sint, esse etiam mala. Verùm hoc quidem non ineptè dictum est. Alterum etiam puto mihi quoque non esse ignotum. Video enim discrimen, cur quod non verum est, statim falsum sit: non illicò etiam malum, quòd bonum nõ est. Vnde fit, vt inter vera & falsa nihil sit medium: inter bona & mala intervenit indifferens, neq; necesse est hęc cum illis eodem modo habere. nam potest bonum tribui naturę, etiam si nullum malum ponatur, sed id modo, quod neque bonum sit neque malum. DIAD. Ad priorem rationem si quid à vobis dicitur, audiendum est. LAMP. Multa quidem dicuntur: sed in præsentia tantùm necessariis vtemur. Initiò igitur stultum est opinari prudentiæ causa bona & mala exsistere. Exstantibus enim iam bonis & malis, supervenit prudentia: sicvt medicina, salubribus iam & insalubribus subiectis. Nam bona & mala non propterea exstant, vt fiat prudentia: sed quatenus mala & bona iam subsistentia diiudicamus, vocatur prudentia. sicut visus est alborum & nigrorum sensio, non in hoc factorum vt nos visum habeamus: sed nobis contrà ad hæc iudicanda visu indigentibus.

Malũ propter prudentiam nõ ponendum.

Dein-

Deinde quando mundus de sententia ipsorum conflagrauerit, malum quidem nullum prorsus superesit, & Vniuersum prudens tamen erit atque sapiens. Est ergo prudentia etiam si malum non sit: neq; necesse est vt si prudentia sit, malum etiam exstet. Iam si omnino oportet prudentiam esse bonorum malorúmque scientiam: quid incommodi est, si malis sublatis nulla relinquatur prudentia? locóque eius aliam acquiramus virtutem, quæ non bonorum & malorum, sed duntaxat bonorum sit scientia. quemadmodũ si de coloribus niger omnino interiret, & contenderet iam aliquis visum quoque periisse, vtpote qui non sit alborum & nigrorum sensus: quid obstaret quin ei responderemus: Nihil mali est, si quem tu dicis visum non habemus, alio instructi sensu & vi, qua alba & non alba appræhendimus? Ego enim neque gustatum inanem puto fore amaris deficientibus, neque tactũ dolore sublato, neque prudentiã malo non exstante: sed & istos mansuros sensus dulcia & non dulcia, grata & adversa percipientes, & prudentiam bonorum ac non bonorum scientiam nihilominus futuram. Quibus videtur secus, ij nomen tollant licet, rem nobis relinquãt. Præterea quid impedit quo minus malum intelligentia percipi possit, bona etiam subsistant? Sicvt, puto, diis adest sanitas, quid febris sit aut pleuritis intelligunt. quando nos etiam quibus omnium malorum copia obtigit, bonum nullum, vt ipsi aiunt: tamen non destituimur cognitione horum, sed sentimus quid prudentia, quid bonum sit, quid felicitas. Atque adeò mirum est, virtutis absentis esse tamen qui nos compræhensione aliqua instruãt qualis ea sit: malum nisi exstiterit, quale sit intelligi nequire. Vides enim quid persuadere nobis velint qui contra communes notiones philosophantur: stulticia nos prudentiam compræhendere à prudentia sine stulticia ne ipsam quidem stulticiam percipi posse. Quod si omnino ortu mali opus fuit naturæ: vnum aliquod vitij exemplum atque alterum sufficere poterat, immò si vis, decem, mille, vel C C I Ɔ Ɔ vitiosos finge debuisse nasci: non vtique tantam vitiorum exsistere multitudinem, quæ arenæ, pulueris, & pennarum quibus variæ volucres distinguũtur numerum superaret: nullum interim virtutis vel somnium. Qui Spartæ phiditiis præerant, vnum aut tres helotas meri plenos & ebrios producebant, vt adolescentibus demõstrato quid rei esset ebrietas, ad temperantiam seruandam eos condocefaceret. In vita autem plurima sunt huius vitij exempla. nemo enim ad virtutem sobriè se confert: sed vagamur omnes, turpiter agentes & miserè viuentes. ita ratio nos inebriat, adeóque conturbat & dementat. similésque sumus canum Aesopi, quę cùm in mari natare quasdam viderent pelles, conatæ sunt illud ebibere, priúsque crepuerunt quàm pelles appræhenderent. Etenim nos quoque doctrina, sperantes opera eius ad virtutem & felicitatem perventuros, priusquam eò accedamus pessundat, multo mero amaræ vitiositatis antè oppletos. Si quidem etiam iis qui ad summum profecerunt, nulla est (vt ipsi dicũt) alleuatio, nulla remissio, nulla respiratio à stulticia & infelicitate. Cæterùm qui vitiositatem non invtiliter ait exstitisse, videamus deinceps qualem eam rem, & cui vsui ostendat esse ea prædito: cùm in commentario de perfectis officiis scribat, Vitiosum hominem nulla re opus habere, nulla indigere, nullam ei esse vsui, nihil proprium, nihil accommodatum aut aptum. Quomodo ergo vtilis est vitiositas, cùm qua neque bona valetudo prodest, neque diuitiæ, neque profectus? Non indiget autem aliquis eorum, quorum alia sunt præposita & parabilia, atque adeò pervtilia, alia secundum naturam, vt ipsi appellant? Ergóne his nemo opus habet nisi sapiens? ita ne sapiens quidem vt fiat opus habet vitiosus. Hac ratione non sitient aut esurient homines antè quàm sapientes fiant: sitientes autem aqua opus non habebunt, non pane esurientes: hospitibúsq; erunt similes, qui tantùm ignem & tectum requirerent. ita hospitio & chlæna non habebat opus is qui dixit,

Chlamydem cedò Hipponacti, nam valdè algeo.

sed vis admirabile aliquid, subtile, ac peculiare aliquid dicere? Dic sapientem nullà re opus habere, nullius indigere. ille fortunatus est, ille nullius rei indigus, sibi sufficiens, beatus, perfectus. Quæ verò ista est vertigo, eum cui nihil deest, opus habere suis bonis: vitiosum autem carere quidem multis, indigere nulla re. hoc enim dicit Chrysippus, non indigere sed carere vitiosos: tesserarum in morem hac illac communes notiones iactans. Etenim omnes homines egere prius esse quàm non egere sentiunt: existimantes eum qui eget rebus non in promtu sitis aut paratu facilibus, indigere. Cornibus quidem & alis nemo hominum caret, quia ne indiget quidem iis. *Sapiens Stoicorum.*

armis carere eos,& pecunia,& veste dicimus,qui his,cùm vsus erat,destituuntur.Sed Stoici adeò cupiunt semper aliquid contra communes noticias dixisse videri, vt nouitatis causa sæpe à seipsis desciscant.velut hæc.Considera verò illud paulo attentiùs, quod ipsum quoque vnum est de enunciatis cōtra noticias, Neminem vitiosum percipere quicquam vtilitatis. Atqui multi institutione proficiunt,multi seruientes liberantur,obsessi eximuntur, mutilati manu ducuntur,ægrotantes sanantur. At nihil ad eos inde redit vtilitatis, inquiunt, neque beneficiis adficiuntur, neque habent benefactores,neque eos negligunt vitiosi.Ergo vitiosi non sunt ingrati. At neque sapientes ingrati sunt. Nulla itaque est ingratitudo, cùm neque defraudent gratia boni debita,neque de vitiosis bene mereri liceat. Ad hæc vide quid respondeant. Gratiam aiunt in medias res tendere:& prodesse ac vtilitatem percipere,sapientum esse,gratiā etiam ad vitiosos pertingere. Ergo qui gratiæ sunt participes,ab vsu excludūtur? quò gratia pertingit,ibi nihil vtile est,nihil adaptatum? quid verò aliud facit officio vt ineatur gratia,quàm quòd qui præstitit opus habenti,in aliqua re profuit? Verùm hæc mittamus. Veneranda autem illa Stoicorum Vtilitas quid tandem rei est, quàm,vt magnum aliquid,sapientibus eximiam seruātes, ne nomen quidem eius vitiosis permittunt? Si,aiunt, vnus sapiens digitum prudenter quoquo modo porrigat, omnes toto orbe terrarum sapientes emolumentum inde capiunt. Hoc opus est vtilitatis Stoicæ,huc communicatis commodis virtutes sapientum desinunt. Delirauerunt ergo Aristoteles, & Xenocrates, commodari nobis à diis, à parentibus,à præceptoribus fati, ignari mirabilis huius vtilitatis, quam sapientes invicem secundum virtutem moti percipiunt, etiam si non intelligant, neque agnoscant. Enimverò vniuersi mortales delectus, adseruatiōnes, dispensationes tum demum vtiles censent, cùm vsum aliquem & commodum ea præbent. claues emit, penu custodit homo rei faciundæ intentus,

An vitiosus beneficium accipiat.

Vtilitas Stoica.

Odyss. δ. 448.

Reserans opum thalamum suauissimum manu.

deligere autem quæ nulli sint vsui, & seruare anxiè ea ac laboriosè, non pulcrum aut præclarum,sed ridiculum est. Vlisses quidem si nodo, quem Circe eum docuerat, muniuisset non dona apud Alcinoum accepta,tripodes,lebetes,vestes, aurum: sed quisquilias,lapides aliáque id genus vilia congerens, occupari se circa ea, & possidere ac custodire,beatum putasset: ecquis stultam hanc providētiam, & inanem operam putasset laudandam? At enim hoc illud Stoicæ consensionis pulcrum est,& præclarum, & beatum,aliud nihil,quàm delectus & custodia invtilium rerum & indifferentium. siquidem fimbriis & matulis aureis,atque adeò si ita eveniat lecythis comparant maximas opes. Pòst,vt qui deorum aut geniorum quorundam sacris videntur superbè contumeliam intulisse & maledixisse,mox mutata sententia demittunt sese, humiléśque adsident,magnificis præconiis numen collaudantes:sic Stoici iactantiam eorum & futilitatem Nemesi quadam vlciscente,rursum in his sese exercent indifferentibus, & quæ nihil ad ipsos faciant:alta voce protestantes vnum esse bonum, pulcrum, & præclarum delectum horum & communicationem: quibus qui non potiantur, non debere viuere,sed mortem sibi consciscere, aut inedia vitam finire, longo vale virtuti dicto. Theognidem sanè ipsi prorsus abiecti animi fuisse aiunt, nimísque timidum, qui dixerit:

Vers. 175.

Vt paupertatem fugias, vel te in mare vastum
Proiicias,celsis Cyrne vel à scopulis.

ipsi soluta oratione hortantur,iubentq; effugiendi morbi magni causa, aut continentis doloris,si non sit ad manum gladius vel cicuta,in mare sese abiicere,aut de scopulo præcipitare:quorum neutrum sit damnosum,aut malum,aut incommodum,neq; miseros faciat eos quibus huc res rediit. Vnde ergo,inquit,ordiar,et quod sumam officij principium,ac materiam virtutis,omissa natura,& iis quæ contra naturam sunt? Vnde verò, mi homo, Aristoteles & Theophrastus orsi sunt, quibus Xenocrates & Polemon vsi virtutis principiis? nonne etiam Zeno hos secutus est,qui elementa ponerent felicitatis naturam, & id quod est secundum naturam. Verùm hi quidem his institerunt,vt optabilibus,bonis,vtilibus: virtutémq; iis adiungentes efficacē,dum vnoquoq; aptè vtitur, inde vitam censuerūt perfectam omnibúsq; integram partibus absolui & confici:& verè naturæ consentaneam ac concinentem. Non enim eos imitati sunt, qui à terra exsilientes, rursum in eam deferuntur: non inquam ita conturbatè

Constantia verorum philosophorum: et Stoicorum inconstantia.

egerunt,

egerunt, vt easdem res parabiles, non tamen expetēdas: accommodatas ad naturam, non tamen bonas: invtiles, & tamen vsui bene aptas: nihil ad nos pertinentes, & tamē officiorum principia appellarent. Sed qualis oratio, talis etiam vita fuit istorum virorum: actiones suas dictis suis congruentes & concinnentes exhibentiū. At qui à Stoicorum sunt secta, instar mulieris illius apud Archilochum altera manu aquam dolosè, altera ignem gerentis, aliis decretis naturam sibi conciliant, aliis repellunt. immò factis & reipsa ea quæ secundum naturam sunt vt expetēda & bona amplectuntur: verbis ac nominibus, dum indifferentia & invtilia ea virtuti ad felicitatem dicunt, repudiantes & contumelia afficientes. Quoniam autem summum bonum omnes homines sentiunt esse lætabilæ, optabile, faustum, summæ dignitatis, sibi ipsi sufficiēs, nullius rei indigum: compara ipsorum cum his bonum. An verò lætitiam adferat prudens digiti porrectio? *Summū bonū.* an exoptandum est vt prudenter torquearis? an fortunatus est, qui se cum ratione præcipitem dat? an summa in eo consistit dignitas, non boni causa id dimittere, quod ratio frequenter maximi facit? an perfectum, totúmque ex se aptum est, quo præsente nisi indifferentibus potiantur, non tolerant neq; volunt viuere? Est & alia Stoicorum ratio, quæ maiorem consuetudini facit iniuriam, genuinas eius notiones tanquam liberos subtrahens atque avellens, spurias autem alias & belluinas absurdásque submittens, hásque istarum loco enutriri & diligi cogens. Atque hoc quidem in iis, quæ dicuntur de bonis & malis, expetendis ac fugiendis, accōmodatis ad naturā & alienis: quorum vim oportebat notiorē esse quàm calidorum & frigidorum, alborum & nigrorum. quod horū imagines extrinsecus visui obiiciuntur: hæc ex bonis quæ nobis insunt cognatam habent originem. Illi verò in locum de felicitate tanq; in sophistarū aliqua cauilla sua cum dialectica irruentes, nullam quidē sustulerunt, per multas aūt intulerunt ambiguitates. Equidē de duobus bonis, quorū alterum finis sit, alterū ad finem pertineat, finem esse potius & perfectius bonū, nemo ignorat. *Bonorum inter se comparatio.* Agnoscit etiam Chrysippus hoc discrimē, vt liquet ex tertio de bonis libro. Assentitur enim iis qui scientiā finē faciunt, & ponit hoc in opere de iusticia ac si quis voluptatem finē statuat, negat iusticiam seruari: cōcedit, si nō finis, sed simpliciter bonū voluptas dicatur. Neq; puto opus esse vt nunc verba tibi eius recenseā: cùm tertius de iusticia liber vbiq; exstet. Quādo ergo vice versa, amice, nullū bonū alio bono maius aut minus, & non finē fini æqualem aiunt: non communibus iam tātùm noticiis, sed suis ipsorū verbis repugnāt. rursúmq;, si de duob⁹ malis alterū nos, si adsit, peiores facit, alterum nocet quidē, nō facit tamen deteriores, neq; peius infert damnum, vnde peiores reddamur. Sed fatetur Chrysippus, esse quosdam metus & dolores & errores, quibus lædamur, non autem deteriores etiā redigamur. Lege verò primum adversus Platonē librum eius de iusticia. nam cùm alia, tum maximè hominis cōmenta cognitu digna sunt, de omnibus rebus ac sententiis tum suis tum alienis contra noticias cōmunes loquentis. Vt cùm dicit duos fines ac scopos vitæ propositos esse, neq; omnia quæ agimus ad vnum aliquid referri. * Id verò magis etiam noticiæ adversatur, aliū esse finem, & aliò singulas nostras referri actiones. quorum tamen alterum eos necesse est in se recipere. Si enim ipsa prima secundum naturam * quatenus non est. delectus autem rationi consentaneus & sumtio eorum, & quòd omnia sua quisq; ideò agit, vt consequatur ea quæ prima sunt secundum naturam, eóque omnia quæ aguntur referantur, vt prima secundum naturam parentur. Si enim putant non coniectantes, * neque cupientes assequi illa finem habere, aliud erit cuius gratia delectus sit aliò referendus, non ista. Finis quippe est deligere, & prudenter accipere illa. ipsa autem, & eorum possessio, finis non est, sed tanquam materia subiicitur, deligendo debitam habens æstimationem. hoc enim puto & nomine ipso significari, & ipsos scribere, discrimen ostendentes. L. Strennuè quidem & quid & quo modo dicant commemorauisti. * Id autem considera, idem is accidere, quod vmbram suam transsilire conantibus. non enim post se relinquunt, sed vnà cum oratione trahunt absurditatem longissimè à communibus distātem noticiis. Sicvt enim qui sagittantem diceret non omnia sua facere scopi attingendi gratia, sed vt omnia sua faceret: is ænigmatum similia & monstrosa videretur adstruere. ita plusquam deliri isti contendentes, non esse finem expetendi quæ sunt naturæ convenientia iis potiri, sed finem esse accipere & deligere, *Definit.* neque sanitatis appetentiam & consectationem vnicuique nostrûm sanitate finiri, sed contrà sanitatem referri ad eius appetitionem & procurationem,

ac fines esse ambulationes nescio quas,& vocis contentiones, atque adeò sectiones, & ratione institutas medicationes,non horum finem ipsam sanitatem. Similiter nugantur,ac si quis dicat,Cœnemus vt mactemus,vt lauemus. Illa verò recepti in hac re ordinis inversio,omnes res conturbat atque confundit. non ambulabimus tempestiuè cibi concoquendi gratia:sed amblandi gratia cibũ concoquemus? mirum, ni sanitatem quoque veratri causa fecerit natura,non veratrum propter sanitatem. Quid enim aliud restat iis ad summam absurditatem, quàm talia dicere? Quid interest vtrùm dicas medicamentorum causa sanitatem natam, non medicamenta ob sanitatem exstitisse: an verò delectum medicamentorum, eorûmque compositionis & vsus magis expetendum ipsa esse sanitate? immò sanitatem ne in expetendis quidem censeas, in delectus occupatione finem colloces, appetitionémque appræhensionis, non hanc illius finem facias? At, inquiunt, cum ratione & prudenter fieri, appetitioni accidit. Planissimè, si ea ad finem respicit quem affectat, nempe consecutionem & possessionem. alioqui rationem ei ademeris, si omnia faciat eius adipiscendi gratia, quod adipisci non sit præclarum, non beatum. * hunc in sermonem devenimus, quidvis potiùs dixeris cum notionibus consentire, quàm appetere bonum & consectari, cuius nullam noticiam acceperis aut habeas. Vides enim vt Chrysippus in hanc compellat Aristonem difficultatem, Rerum indifferentiam qua neque ad bonum neque ad malum inclinant intelligi,non antè intellectis bono & malo. ita enim appariturum eius indifferentiam antè subsistentem, si intelligentia eius percipi non possit, non antè cognito bono: ipsum autem bonum est, nihil aliud. Iam mihi considera Stoicorum * illam quam ipsi vocant Consensionem, indifferentiam autem esse negant: vnde nam & quo pacto ea ipsum bonum cognoscendum præbeat. Nam si absque bono intelligi non potest indifferentia respectu nõ boni: multo minus prudentia bonorum intelligendam se offeret, non antè intellecto bono. Sed sicvt salubrium & insalubrium artis intelligentia non paratur, nisi salubri priùs & insalubri cognito: ita bonorum & malorum scientia cognosci non poterit, non priùs percepta boni & mali cognitione. Quid est ergo bonum? nihil nisi prudentia. Quid est prudentia? nihil aliud quàm bonorum scientia. Hæc verò adfatim in eorum orationem Iouis ille Corinthus admittitur. mitte enim proverbialem istam pistilli circumagitationem, ne salsiùs notare homines videaris: quanquam ipsorum rationi idem quod huic accidit. Nam in definitione boni prudentia, in prudentiæ bonum quid sit requiritur, & alterum semper alterius opera consectandum est: & vtrinque ad vnum intelligendum id prænosse oportet, quod sine alterius prænotione intelligi non potuit. Est & alius modus non iam perversionem sed eversionem rationis eorum planè in nihilum abducentis depræhendendi. Substantiam boni ponunt delectum eorum quæ naturæ congruunt ratiocinatione bona constantem. atqui delectus talis nullus est, qui ad finem aliquem refertur: sicvt diximus. Quis ergo est finis? nihil aiunt aliud, quàm probè ratiocinari in delectu eorum quæ naturæ congruant. Primùm itaque periit & aufugit boni noticia. Nam probè ratiocinari in delectibus, accidens scilicet est proveniens ab habitu probè ratiocinandi. itaque hunc è fine, finem autem non sine hoc coacti intelligere, vtriusque destituimur intelligentia. Deinde, quod maius est, iustissima ratione delectus ille proba constans ratiocinatione bonarum debebat esse, vtilium, & ad finem adiumenta adferentium rerum delectus. nam neque vtilia, neque honorata, neque omnino, expetenda deligere quî sit bonæ ratiocinationis? Esto enim, vt ipsi volunt, proba cum ratiocinatione delectus eorum quæ dignitatem habentia ad felicitatem faciunt. ac vide ad quàm perpulcrum eos ratio & suspiciendum capitulum perducat. Nimirum finis ipsorum de sententia erit probè ratiocinari in delectu eorum quæ dignitatem habent ad probè ratiocinandum. Verùm hæ voces tibi, amice, audienti insolentes admodum videntur. D. Et sanè discere cupio, quî hoc eveniat. L. Magis itaque adverte animum. non enim cuiusvis est ænigma hoc intelligere. proinde audi & responde. Nónne Stoicis finis est probè ratiocinari in delectu rerum naturæ congruentium? D. Sic ipsi dicunt. L. Illa naturæ congrua, vtrùm vt bona deliguntur, aut quia dignitates quasdam habeant & productionem, idque vel ad finem, vel ad aliam quampiam rem? * D. Non puto, sed ad finem. L. Iam ergo rem detegens inspice quid illis eveniat: nempe probas ratiocinationes finem esse: & felicitatem neque habere se ij, neque

Boni cognitio Stoicorum.

neq; intelligere dicunt aliam, quàm preciosam illam in delectu rerum dignitate prædítarum ratiocinationem. Verùm hæc quidem sunt qui putent adversus Antipatrum dicta, non adversus Academicos. hunc enim à Carneade pressum, in ista commenta se abdidisse. Quæ porrò de amore in Stoa disseruntur, & communibus adversa sunt *De amore.* noticiis, & passim absurda. Deformes aiunt esse adolescentes, qui vitiosi sint & stulti: formosos, qui sapiant. atq; horum nullum neq; amatum esse, neq; amari dignum. Neque hoc grauissimum est. addunt, eos qui turpes amauerint, finem amandi facere vbi hi pulcri sint facti. Quis verò talem amorem cognouit, qui cum deformitate corporis animi prauitatem cernens constet, pulcritudine vnà cum prudẽtia, iusticia, & temperãtia innatis exstinguatur & contabescat? Tales ego culicum similes iudico, qui spuma vini & aceto gaudent, bonum & potui aptum vinum auolantes fugiunt. Quam verò dicunt ac nominant pulcritudinis apparentem speciem quæ alliciat, de ea primùm non loquuntur probabiliter. Nam in turpissimis & pessimis nulla potest pulcritudinis apparere species: cùm ipsi dicant ob ingenij prauitatem deformitate faciem oppleri. Et quale tandem hoc sit quod nonnulli dicunt, amore dignum esse deformem, qui sit aliquando futurus pulcer, expectétque formæ venustatem: si eam *
consecutus, ac pulcer factus & probus, à nemine debeat amari? Est enim amor venatio, vt aiunt, quædam imperfecti quidem, sed tamen ad virtutem bona indole adolescentis. Iam verò nos, optime, aliud agimus, quàm quod sectam eorum demonstramus neque probabilibus rebus, neq; receptis nominibus communes nobis pervertere noticias? Nemo enim prohibebat, studium sapientum erga adolescentes, si affectio ei & omnes sentiunt ac nominant * *

Cunctos concubitus desideriumque subiuit. * *Odyss.σ,212.*
Nam neque Medea, nec mortali semine creta *Iliad.ξ,315.*
Femina tam rapido prius inflammauit amore.

In huiusmodi res illi moralem orationem coniicientes, &

Perplexa, nilque sani, ambages omnia *Eurip. Androm.*

dicentes, vilem eam reddunt: quantumvis alios subsannantes, & se solos naturam consuetudinémque tutari iactantes. * vbi oportet, & constituunt orationem: sed avertit atq; abducit appetitionibus, cõsectationibus, & incitationibus ad suum quodque. Consuetudo autem dialecticæ siquidem sit tranquilla & serena, nihil boni aut sa- *
ni percipit fructus: sed velvti auditus morbosus vanis sonis oppleta, ægrè audit atque obscurè. De qua si videbitur aliàs nouo facto initio loquemur. Nũc Physicam eorum doctrinam, non minùs quàm quæ de finibus est communes notiones turbantem, per prima & præcipua capita decurrentes examinabimus. In vniuersum quidem absur- *Stoicorum Physica. de mundo.* dum est & contrarium noticiis, esse aliquod quod non sit, & esse res quæ non sint res. Sed omnium absurdissimum est quod de Vniuerso dicunt. Inane enim infinitum fo- *
ris mundo circumponentes, neque corpus Vniuersum, neq; corporis expers dicunt. Sequitur ergo id non Ens esse: cùm Ens id solum ipsis sit quod est corpus. Cùm verò Entis sit agere & affici, Vniuersum non Ens sit: sequitur ipsum nihil acturum, nihil passurum. Quin & in loco non erit. Nam corpus est quod locum occupat: Vniuersum corpus non est. Et quia solum id manet, quod locum occupat: non manebit Vniuersum, quia locum non occupat. Immò neque primò mouebitur: nam quod mouetur, loco ad hoc opus habet, & spacio subiecto. Porrò quod mouetur, aut se ipsum mouet, aut ab alio adficitur. Quod ipsum à se cietur, momenta quædam habet ratione grauitatis aut leuitatis. at grauitas & leuitas aut respectus sunt aut facultates aut omnino differentiæ corporis. Vniuersum non est corpus: ergo necesse est ipsum neq; graue esse, neq; leue, neq; ex se principium motus habere. Atqui ne ab alio quidem mouebitur. nihil est enim aliud. Itaque necessitas eò adigit eos vt dicant neque manere Vniuersum, neq; moueri. Deniq; cùm ipsorũ de sententia Vniuersum non sit corpus, cœlũ aũt, terra, animalia, plantæ, lapides sint corpora: eius quod nõ est corpus partes erunt corpora, & non Entis partes Entia: & quod graue nõ est, terminis vtetur grauibus, leuibus quod non leue. cùm ne somnia quidẽ fingi possint magis communibus adversantia noticiis. Porrò nihil tam evidẽs, tãmq; cum cõmunibus coniunctũ est noticiis, quã quod animatum nõ est, inanimũ, & quod inanimum non est, animatum esse. Tamen hãc quoq; evertunt ipsi evidentiã, Vniuersum fatentes neq; animatũ

esse neq; inanimum. Præter hæc, imperfectum nemo censet Vniuersum esse, cui nulla pars desit. Illi Vniuersum negant esse perfectum. quod enim perfectum sit, id definitum esse: Vniuersum ob infinitatem non definiri. Est ergo ipsis autoribus aliquid neque perfectum neq; imperfectum. Quin etiam neque pars erit Vniuersum, cùm nihil sit eo maius: neq; totum. hoc enim prædicari aiunt de ordinato: Vniuersum ob infinitatem neq; definiri & inordinatum esse. Proinde neq; Vniuersi causa aliqua est, cùm nihil extra Vniuersum sit: & neq; aliorum, neq; sui ipsius causa nominari Vniuersum potest. quippe vt agat, natura eius non fert: agendo aũt causa intelligitur. Agè nunc, si *Nihil.* interrogẽt cuncti homines quidnam sit Nihilum, & quomodo eius notionem percipiant: nonne respõdebunt hoc Nihil esse, quod neq; causa est, neq; causam habet, neque totum est, neq; pars, neq; perfectum neq; imperfectum, neq; animatum neq; non animatum, neq; corporeum neq; incorporeum? hoc, & non aliud quippiam definient esse Nihil. Quando itaq; ea quæ reliqui omnes Nihilo, soli Stoici Vniuerso tribuunt: nimirũ apparet eos idem facere Vniuersum cum Nihilo. Nihil ergo iam oportet appellare tempus, prædicatum, effatum, connexum, complexum: quibus ij maximè omnium philosophorum vtuntur, Entia autem esse negant. At enim id quod verum sit, non esse aut exstare, sed percipi & esse comprænhensibile, ac fide dignum quod substantiam Entis non participat, quomodo non est quovis absurdo absurdius? Sed ne hæc videantur ad disquisitionem potiùs logicam pertinere, veniamus ad ea, quæ magis sunt philosophiæ naturalis. Quoniam ergo

Principium Iupiter, mediúmque est, cunctáque ab ipso,

De diis. sicvt ipsi tradunt: maximè oportebat eos notionibus de diis, si quid turbulentum aut vagum in iis inesset, remedium adhibere, & in melius dirigere atque emendare: aut si hoc nequirent, in medio relinquere, ita vt quisque legibus adstrictus de iis sentiebat, aut consuetudinem sequebatur, sentire concedentes.

Sophocl. Antig.

Non nunc enim, neq; heri sunt ista prodita:
Semper valuere, nec quando interint liquet.

Illi verò tanquam ipsis à Laribus orsi mouere quietas res, & à maioribus traditas opiniones convellere, nullã fermè notionem integram & incorruptam reliquerunt. Quis enim, iis demtis, homo est natus aut viuit, qui nõ interit⁹ expertẽ ac sempiternũ existimet deũ? quid in cõmunibus notionib⁹ de diis vna voce magis decãtat quàm isthæc:

Odyss. ζ, 46.

Illic felices capiunt sua gaudia diui
Aeternum. —— item,
Terrestrésque homines, & diui morte carentes. &
Illi morborum vacui, tristísq; senectæ,
Rudes laborum, freta Acherontis sonora euitauerunt.

Ac fieri sanè potest, vt incidat aliquis in homines barbaros & feros, qui Deum esse nullum putent: deum esse qui existimet, sed eundem non securum interitus, nõ æternum, inventus est ne vnus quidem homo. Certè qui athei appellantur quòd negarent esse deos Theodorus, Diagoras, Hippo: non ausi sunt dicere deum esse interitui obnoxium, sed non crediderunt aliquid esse ab interitu immune: ac talem naturam aliquam esse posse negantes, noticiam de deo reliquerunt in medio. Chrysippus verò & Cleanthes, cùm impleuissent (vt sic dicam) suis dictis cœlum, terras, aërem, mare diis: nullum horum ab interitu liberi aut sempiternum statuerunt. solo Ioue excepto, in quem reliquos omnes consumi putant: vt iam is perdat, quod nihilo est quàm perire melius. est enim imbecillitas vt pereundo in alium transire, ita interitu aliorum in se transeuntium nutriri atque seruari. Hæc verò non, vt alia ipsorum absurda, ex sententiis & decretis eorum sequuntur aut ratiocinando colliguntur: sed ipsi magna cum vociferatione in libris de diis, prouidentia, fato, ac natura expressè omnes deos natos esse & interituros vi ignis autumãt: conflatiles opinione ipsorũ, ac si cerei essent vel stannei. Enimverò tam est cõtra communes notiones, deum esse mortalem, quàm hominem immortalem: immò non video quod sit futurum dei & hominis discrimen, si deus quoque animal ratione præditum & interitui obnoxium est. Si enim argutum illud scitúmque obiiciant, mortalem esse hominem, deum non mortalem sed interitui destinatum: vide quid impetrent. aut immortalẽ simul & interitui obnoxium dicent deum, aut neque mortalem neque immortalem. quibus absurdiora & magis

magis à communibus notionibus aliena fingere nemo alius etiam dedita in hoc opera posset. Alius inquam: nam illi indictum intentatúmque eorum quæ absurdissima sunt nihil reliquerunt. Ad hæc Cleanthes pro conflagratione mundi propugnans tradit, quòd Sol Lunam & reliquas stellas omnes ipsi similes sit redacturus, & in se transmutaturus. Equidem si stellæ, cùm dij sint, opis aliquid ad conflagrationem conferunt Soli, itáque suum ipsarum ad interitum: perridiculum fuerit nos eis pro salute nostra vota facere, & seruatores hominum putare, quibus à natura hoc insit vt suum interitum ipsæ accelerent. At enim impensissimè adversus Epicurum ipsi contēdunt, Iò Iò, Proh Proh vociferātes: quòd is præsumptionē de deo labefactet providentia tollenda. non enim immortalē modò, & beatum, sed & hominum studiosum, curámque eorum gerentem & commodātem præsumi intelligíque deum. quod quidem est verum. Verùm si præsumtionem de diis tollunt, qui providentiam non relinquunt: quid agunt, qui deos quidem providere pro nobis dicunt, negant autem commodare nobis: neq; largitores bonorum eos, sed indifferentium faciunt? scilicet virtutem non dantes, sed opes, sanitatem, prolem, aliáque id genus? quorum nihil vtile, commodum, optabile, aut conducibile sit. An potiùs non illi notionem de diis anticipatam tollunt: sed hi deos contumeliosè subsannant, frugum, matrimonij, medicinæ, diuinationis aliquos procuratores deos dum fingunt, cùm sanitas, proles, vbertas, bona non sint, sed indifferentia, & invtilia adipiscentibus. Tertio loco id de diis dictant notiones cōmunes, Nulla eos alia re magis ab hominibus differre, quàm beatitate & virtute. At si Chrysippum sequimur, ne hoc quidem iis restabit. Ait enim virtute Iouem Dioni non præstare, & æqualiter commodatum Ioui ac Dioni fuisse alteri ab altero, cùm sapientes essent, & alter in alterius motum incidisset. hoc enim esse bonum illud, quod & à diis ad homines, & ab hominibus sapientibus ad deos pervenit, nullum aliud. Porrò virtute diis non inferiorem hominem, felicitate quoq; non cedere iis: neque minùs beatum esse Ioue Seruatore eum, qui ob morbos & cruciatus corporis infortunatus, alioqui sapiens, seipsum interficiat. Atqui is nusquam gētium est, neque erit: innumera autem hominum millia extremam infelicitatem tolerantium in Iouis sunt imperio & ciuitate, quam optimè administrari par est. Quid autem magis potest communi sensui contrarium cogitari, quàm Ioue optimè gubernante, quantum res ipsæ ferunt, nos quantum omnino fieri potest esse miserrimos. Sin, quod nefas dictu est, Iupiter nolit seruator esse & auerruncator atque in malis opitulator, nihilque eorum facere quæ pulcræ ipsius appellationes pollicentur: nihil potest iis quæ sunt adiici malis neq; ad numerū neque ad molem. quādo ipsi dicunt omnes homines in summa viuere miseria, neque vitio incrementum, neque in felicitate augmentum admittente. Neque tamen hoc est grauissimum. Sed cùm Menander pro theatro dixerit,

Summum hoc malorum humanorum est primordium:

nimis bona illi ægrè ferunt: quòd hoc sit contra communem sententiam. Ipsi Deum qui bonus est, malorum causam statuunt. Non enim (aiunt) malum ex se potuit edere materia omnis expers qualitatis, & quidquid habet differentiarum, à mouēte eam & informante in se recipiens. vt necesse sit malum, siquidem nullam habeat causam, à non Ente proficisci: sin à mouente est principio ortum, à deo productum esse. Verùm Stoici, si arbitrantur Iouem non imperare suis partibus, neque secundum rationem vti quavis earum: cōtra noticias communes loquuntur, & fingunt animal cuius multa membra voluntatis imperium subterfugiant, peculiaribus vtētia efficacitatibus & actionibus, ad quas à toto nō incitentur, neq; motus principiū ab eo habeant. Equidem nullum animalita malè est compactum, vt ipso nolente gradiātur pedes, loquatur lingua, feriant cornua. quorum pati pleraq; necesse est Deum, si partes ipsius cùm sint vitiosi homines, iniussu eius mētiuntur, imposturas exercent, furātur, cædes perpetrant. Sin, quod Chrysippo placet, ne minima quidem particula secus habet quàm iuxta Iouis voluntatem: sed animatum quodvis ea natura est, vt sic habeat & moueatur, vt Iupiter mouet, impellitque:

Hæc iam priore vox est flagitiosior.

Tolerabilius enim erat infinitas partes dicere Ioui ob eius imbecilitatem vi facta agere multa improbè contra ipsius naturam & voluntatem: quàm nullam esse libidinem, nullum scelus, quod non Ioui auctori imputādum esset. Iam mundum, ciuitatem, ciues

Stellæ.

Deus an malorum causa.

stellas, atque si vis etiam tribules & magistratus, nimirum etiam Solem cõsulem, Luciferum prætorem aut præfectum esse ciuitatis, haud scio an aliquis ab iis inepte dici demonstrans, possit alia etiam absurdiora proferre de natura ab iis dicta. Nonne contra communem noticiam est, semen maius & grandius esse eo, quod ex ipso nascitur? Naturam quidem videmus omnibus animalibus, plantis, ac sylvestribus stirpibus exigua, parca, & vix conspectui obvia ortus magnorum initia tribuisse. an non enim è grano tritici spicam, ex acino solo vitem, è nucleo aut glande quæ auim subterfugerit, tanquam è scintilla exigua incendens procreationem, germen rubi, quercus, palmæ, aut piceæ procerissimum edere solet? Vnde etiam dicunt semen è magna mole paulatim in paruam dispersum quia sit nominari: naturam, quòd quasi inflatio sit quędam diffusióque ab ea apertarum & dissolutarum rationum ac numerorum. Sed Stoici rursus ignem aiunt semen mundi esse, & post conflagrationem vbi semen mutauerit mundum è minore corpore & mole naturam habentem copiosam, & inanis spacium appræhendentem incremento suo immensum: rursúmque mundo nato magnitudinem recedere, & collabi, subsidente in ortu inque se contracta materia. Audire licet ipsos, & multa scripta eorum legere, cùm Academicis altercantium ac vociferantium, ab his omnes res confundi indiscreta ista similitudine, duabus substantiis vnam qualitatem inesse contendentibus. Equidem nemo est hominum qui hoc non intelligat, contráque existimet mirum esse & à ratione alienum, si neque palumbes palumbi, neque apis api, neque tritico triticum, neque ficui formæ ficus vniuerso in tempore ita similis fieri potuerit, vt discerni nequeat. Hæc verò planè contra sensum communem sunt, quæ Stoici dicunt & fingunt, in vna substantia duas seorsim qualitates exsistere, eandémque substantiam, quæ vnam habeat peculiariter, superveniente altera recipere & seruare æquè ambas. nam si duo aut tres etiam, quatuor & quinque erunt, & quotquot tribuere voles vni substantiæ, dico autem non in diuersis partibus, sed omnes æqualiter in tota substantia: infinitæ erunt. Dicit ergo Chrysippus Iouem homini similem esse & mundum, animæ providentiam. Ergo cùm conflagrabit mundus, Iouem (solum quippe de omnibus diis expertem interitus) recessurum ad Providentiam, ibique ambos in ætheris substantia perpetuò futuros. Sed nos iam diis dimissis, comprecati hos vt communem Stoicis sensum, mentémque cum aliis consentientem largiantur: videamus de elementis quæ sit eorum sententia. Contra noticias cõmunes est, corpus corporis esse locum, & corpus per corpus penetrare, vbi neutrum in se inane cõtineat, sed plenum in plenum subeat, recipiatúrque ab eo quod intercapedinem in se aut spacium recipiendi ob continuitatem habeat nullum. Illi verò non vnum in vnum, aut duo, tria, vel decem contrudentes, sed omnia mundi in minimas dissecti frustula in vnum quodcunque fors obtulerit coniicientes particulas, minimóque à sensili aientes quodvis etiam maximum obviam factum receptum iri, audacter nouum decretum condunt, idque (vt aliàs solent crebrò) probant sumtis iis, quæ adversus communes pugnant notiones. Satim verò necesse habent monstrosa multa & insolentia suæ disputationi adsciscere, dum corpora tota totis commisceri aiunt. de quibus etiam hoc est, tria esse quatuor: quod alij ponunt exemplum eorum quæ ne cogitando quidem concipi possint. At Stoicis vsu venit, vt cùm vnus vini cyathus duobus aquæ cyathis permiscetur, si non deficiet sed exæquabit, (vt volunt) extendatur, & vnus duo fiat exæquatione commixtionis. Quando enim vnus manet, & duobus pariter extenditur, duplúmque æquat vt in temperatione ac diffusione duorum mensuram impleat: fit vt eadem sit trium ac quatuor mensura. trium, quia duobus vnus admixtus est: quatuor, quia duobus permixtus vnus, duorum quantitatem æquat. Hoc tam scitum accidit iis, dum corpora corporibus immittunt, & comprævhensionem eorum faciunt qualis intelligi non potest. Necesse est enim dum miscendo invicem subeunt, non continere alterum, alterum contineri, neque alterum recipere, alterum inesse: sic enim non contemperatio, sed contactus superficierum erit, altera intrò subente, altera foris ambiente: reliquis partibus sinceris & mixtionis expertibus. vnum autem dilatis, sed necessitate exsistente. Sicvt postulant in permixtionibus invicem misceri quæ miscentur: idénque simul quia insit, contineri, & quia recipiat, continere alterum, & vtrunque per alterum mixtione ista transire, neutrum posse esse sincerum: nullámque partem alterutrius manere integram, sed omnes natura alterius impleri contendunt.

De semine.

Corporum penetratio.

Mixtio.

Huc

Huc iam illud in scholiis tri[illegible]m Arcesilai crus advenit, cum risu absurdis Stoicorum insultans. Nam si tota totis permiscentur, quid obstat quin crure amputato, putrefacto, & in mare abiecto cúmque eo diffusione permixto, non Antigoni modò classis, vt aiebat Arcesilaus, per crus nauiget, sed etiam Xerxis CIↃ CC naues, cum Græcis CCC triremibus in crure naualem pugnam obeant. Non enim deficiet progressus, neque desinet in maiori vsquam minus diffundi. aliàs finem habebit mixtio, extremúmque cruris mare contingens desperata mixtione non transibit in totum. Si verò totum crus toti mari permiscetur, nónne mehercle crus locum naualis prœlij Græcis præbebit? Verùm huic putredine opus est & mutatione. Si autem cyathus vnus, vel gutta vnica hinc in Aegæum inciderit aut Creticum mare, per totum miscebitur Oceanum ac Atlanticum mare: non summam attingens superficiem, sed vsquequaq; per profundum in longum latúmq; diffusa? Atq; hæc Chrysippus admittit, statim in primo physicarum quæstionum libro nihil inquiens impedire, quo minus vna vini stilla cum toto permisceatur mari. Ac ne id miremur, permixtione eam in totum ait pertenturam mundum. quibus quid absurdius possit videri, nescio. Iam hoc quoq; contra communem est sensum, neq; extremum in natura esse corpus, neq; primum, neq; vltimū vllum in quod desinat magnitudo corporis: sed semper sumto corpore vltrà aliud dari, rémq; sic in immensum & infinitum protrahi. Nam neq; maiorē, neq; minorē licebit aliā alia quantitatē cogitare, si partib⁹ in infinitū progredi vtrinq; cōtingit: atq; sic inæqualitatis tollitur natura. nam vbi hęc cōsideratur, alterū extremis partibus deficit, alterū excedit. Sublata inæqualitate, sequit̄ inæquabilitatē quoq; & asperitatē corporū nullā esse. Est enim inæquabilitas vnius superficiei adversus seipsā inæqualitas, asperitas inęquabilitati adiunctā habet duriciē. quorū nihil relinquūt, qui nullū corpus extremo finiūt, sed omnia multitudine partiū in infinitū producunt. At enim quî non est evidens hominem è pluribus quàm digitum, mundū quàm hominē cōstare partibus. hoc quidē sciunt et intelligunt omnes, nisi si Stoici fiant: Stoici facti, cōtrà dicunt atq; sentiūt non esse plures hominis quā digiti, mundi ꝙ hominis partes. Nam ad infinitū sectio eorū redigit corpora. infinitorū autē nullum plus est aut minus altero, neq; se multitudine invicem excedunt, aut desinēt partes residui secari & ex se multitudinē præbere. Quomodo se ex his evoluūt perplexitatibus? artificiosè admodum & strennuè. Dicit enim Chrysippus, interrogatos nos an ex partibus cōstemus, & quot illæ sint, quibus & quot è partibus conflatæ, distinctione vsuros: vt ponamus grandiores, è capite scilicet, thorace, & cruribus nos dicētes cōstare. hoc enim esse omne id de quo tam solicitè quæritur. Si verò interrogationes ad extremas vsq; partes deducant, nihil (inquit) tale est opinandū, sed dicendū neq; è quibusdā, neq; ex tot vel tot, neq; è finitis, neq; ex infinitis eas cōpactas portionibus. Ac videor mihi ipsius hęc verbis exposuisse: vt perspicias quomodo communes defenderit noticias: iubēs nos intelligere corporū vnumquodq; neq; ex quibus, neq; ex quotquot, neq; ex infinitis, neq; è finitis cōstare partibus. Nam si vt inter bonum & malum medio loco est indifferens, ita etiam finito infinitóq; aliquid intervenit: hoc quale esset docēdo soluenda erat quæstio. Sin vt nō æquale statim inæquale, & nō interiturū interitus expers, ita nō finitum etiā illico infinitum esse intelligimus: perinde est, ni fallor, corpus dicere compositum neq; ex finitis neq; ex infinitis, atq; ratiocinationē affirmare cōstructam esse neq; è veris neq; è falsis sumtionibus: neq; * His iuuenili quadam temeritate hæc adiicit, Pyramide è triangulis constante, latera iuxta commissurā inclinantia inæqualia, nō excedere tamen, quatenus vnum alio maius sit. Sic ille noticias tuetur. Si enim est aliquid maius & non superat, erit & minus quod non deficiat. erit ergo inæquale quod neq; superet neq; excedatur: hoc est, erit æquale non æquale, maius non maius, minus nō minus. Porrò autem vide quomodo occurrerit Democrito, physicè & prudenter quærenti, si conus ad basin plano secetur, quid iudicandum sit de segmentorū superficiebus, æqualésne fiant an inæquales? si enim sint inæquales, conum reddent inæquabilem, multas nactum graduum in morem incisuras & asperitates. sin æquales, erunt segmenta æqualia, videbitúrque cono evenire quod est cylindri, nempe ex æqualibus, non inæqualibus constitui circulis, quod est absurdissimum. Hæc vt argueret Democritum ignorationis, superficies ait neque æquales fieri neque inæquales, sed corpora inæqualia, quia superficies eorum neque æquales sint, neque inæquales. Equidem legem hanc ponere, superficies si non sint æquales,

Infinitum.

*

inter æquale & inæquale an medium.

corpora quoque esse inæqualia, hominis est mirandam sibi [illegible]bendi quidquid in mentem venerit sumentis licentiam. Contrà enim ratio & evidentia docent, inæqualium corporum inæquales esse superficies, maiorémque maioris: nisi debeat excessum quo minorem superat carentem superficie habere. Nam si non exceduntur minorum superficies à maioribus, sed hæc priùs deficiunt: erit corporis termino finiti pars absque termino & infinita. Si enim dicat quod coactus sic * Quas enim metuit coni incisuras, eas scilicet non superficierum sed corporum efficiet inæqualitas. Ridiculum itaque superficiebus ademtam inęquabilitatem relinquere, in ipsis corporibus monstratam. Sed si in eo quod positum fuit maneamus, quid magis repugnat communibus notionibus, quàm talia fingere? Quippe si ponamus superficiem superficiei neque æqualem esse neque inæqualem: magnitudinem quoque magnitudini, numero numerum dicemus neque æqualem esse neque inæqualem. cùm quidem quod neutrum & inter hæc medium sit, dicere aut cogitare non possimus. Ad hæc si superficies sunt neque æquales neque inæquales, quid obstat quin circulos quoque neque æquales neque inæquales statuamus: ac proinde etiam eorum diametros, tum angulos, triangulos, parallelogramma, parallelepipeda, corpora? Nam si longitudines sunt invicem neque æquales neque inæquales:
* erunt etiam pondera, ictus corpora. Quî ergo audent invehi in eos, qui Communitates introducunt, & quædam indiuidua & pugnantia, quæ neque moueantur neque quiescant ponunt? cùm ipsi huiusmodi pronunciata falsa esse dicant, Quæ non sunt æqualia inter se, sunt inæqualia: &, Hæc nō sunt æqualia inter se, sunt ergo inæqualia. Quoniam verò dicit Chrysippus esse quippiam maius quod tamen non excedat minorem quantitatem, quæri haud iniuria potest, an invicem applicata ea quadrēt. nam si quadrant, quomodo alterum altero erit maius? si non quadrent, quî non oportebit alterū
* excedere alterum superari: quia neutrum est, & non congruet cum maiore, aut etiam congruet maius esse alterum. Necesse enim est in tales difficultates devolui eos qui communibus nō stant notionibus. Iam his adversatur illud, Nihil à quoque tangi: neque
De contactu. minùs hoc, Corpora se invicem, sed nihilo tangere. Id autem necesse habent admittere ij, qui non reliquunt minimas corporis partes: sed si quid eius quod videtur tange-
* re priùs sumunt, & nunquam illud vlteriùs producendo finem fieri. Quod ergo ma-
* ximè ij indiuiduorum corporum patronis obiiciunt, hoc est: quod neque totorum contactum sed permixtionem facit. illud autem fieri non potest, cùm indiuidua nullas habeant partes. At quomodo non ipsi in hoc ipsum incidunt, nullam extremam aut primam partem relinquentes, dum tangi tota corpora à totis extremitate aliqua, nō parte aiunt? Extremitas verò corpus non est. Ergo corpus incorporeo tanget corpus: rursúmque non tanget interveniente inter ipsa incorporeo. Si tanget, aget quoque aliqd, & patietur incorporeo corpus. est enim ea corporum natura, vt contactu invicem agant ac patiantur. Quod si tactum corpus incorporeo habet, contactum quoque habebit, & commixtionem, & coalitionem. Rursus enim in coalitionibus & commixtionibus, aut manebunt aut non manebunt extremitates corporum, sed peribunt: quorū vtrunque contra notionem est. Interitus nimirum & ortus incorporeorum ne ipsi quidem concedunt. Commixtio & coalitio corporum suis contentorum extremitatibus fieri nequit. nam terminus definit & constituit corporis naturam: commixtio nisi par-
* tium iuxta partes appositionem eo nomine intelligas, tota confundit ea quæ miscentur. sicvt hi dicunt, interitus extremitatum in mixtione ponēdi sunt, in dissidio ortus. Hæc verò nemo facilè animo conceperit. Enimverò quo corpora invicem tangunt, eodem etiam premuntur, colliduntur, & conteruntur invicem. Hoc autem ab incorporeo fieri non potest, neque cogitandum est. Sed hoc est, quo nos cogunt sic intelligere. Si globus planum in puncto tangit, vtique puncto etiam voluetur per planum. & si minio inducta sit superficies, miniatam in superficie plana imprimet lineā: si candens, vret planum. cęterùm incorporeo colorari aut vri corpus, est contra communem sensum. Quod si crystallinam aut figlinam sphæram imaginemur ab alto in planum lapideum deferri: absurdum dictu est eam non confractum iri, ictu in solidum & durū impactam: absurdius autem, confringi eam extremitate & puncto incorporeo incidentem. Igitur vndique eorū de incorporeis & corporibus præsumptiones turbantur, aut potiùs tolluntur, cùm multa iis annectant impossibilia. Contrarium est communi no-
De tempore. ticiæ, Tempus esse futurum, & præteritum, præsens tempus non esse: sed quod modò & nuper fuit, id subsistere, quod nunc est, prorsus nihil esse. Atqui Stoicis accidit vt sic

statuant,

statuant, dum minimum tempus negant, neque Nunc indiuiduum esse concedunt: sed quidquid vt præsens sumere aliquis putet se & intelligere, eius partem præteritã, partem futuram esse dicunt: nullámque subsistere aut manere particulam præsentis, quãdo cùm adesse dicitur, altera pars eius in præteritum, altera in futurum distribuitur. Ergo de duobus alterum fit: vt aut posito tempus fuisse & tempus fore, negemus esse tempus: aut tempus præsens sit, cuius pars iam institerit, pars instatura sit. dicamúsque eius quod iam est aliud fore, aliud iam elapsum esse. & Nunc, diuidi in prius ac posterius: vt Nunc sit quod nondum est, & quod non adhuc est. non enim est nunc id quod præteriit, & nondum est nunc id, quod futurum sit. * diuidentibus dicere ipsis, quòd & * & luminis altera pars præterito anno, altero appetente. & eorum quæ simul sunt, alterum prius, alterum posterius. Nihilo enim tolerabiliores sunt eorum labores, cõfundentium isthæc, Nondum, iamnunc, non amplius, nunc, nõ nunc. Reliqui omnes homines Modò & Paulo pòst, vt diversas à Nunc temporis partes, quarum alteram Nunc sequatur, alteram præcedat, statuunt, atque intelligunt. Archedemus verò principium quoddam & symbolam elapsi imminentísque esse Nunc illud statuens: imprudens, vt apparet, vniuersum tempus sustulit. Quippe si Nunc non est tempus, sed terminus temporis: omnis autem portio temporis talis est, quale ipsum Nunc: videt̃ vniuersum tempus nullam habiturum partem, sed omnino in terminos, symbolas, ac momenta dissolutum iri. At Chrysippus artificiosiorem cupiens diuisionem instituere, in libro de Inani, & aliis quibusdam, præteritum & futurum tempus nõ substitisse, sed subsistere ait, solum præsens subsistere: in tertio, quarto, & quinto de partibus idẽ præsentis temporis ait alteram partem præteritam esse, aliam futurã. Ita fit, vt tempus subsistens diuidat in non subsistentes partes: nihilque ei quod subsistit, atque adeò tempori, relinquat subsistens. si quidem præsentis nulla est pars nisi futurum & præteritum. Ergo tempus ita considerant ij, vt qui aquam amplecti volunt, quanto magis premunt, tanto magis subterlabentem. Quæ autem ad actiones & motus pertinent, talia sunt, vt omnibus modis evidentiam confundant. Nam necesse est, si Nunc in præteritũ & futurum diuiditur, id quod mouetur nunc, partim motum esse, partim motum iri: terminum verò & principium motus sublatum esse, nihilque primò, nihil vltimò factũ dici posse, ac proinde tempore sic in actiones distributo, nihil in his fore primum aut vltimum. Etenim sicvt præsentis temporis partem præteritam, partem futuram dicunt: sic eius quod agitur partem actam esse, partem actum iri dicetur. Quando ergo cepérũt, quando finientur hæc, Prandere, scribere, ambulare: si quicunque prandet, pransus iam partim est, partim prandebit: & omnis ambulans, partim ambulauit, partim ambulabit? Illud omnium quę dici possunt est grauissimum, quod si is qui viuit, vixit etiam & viuet, vita neque initium habet neque finem. Sed quilibet nostrũ, vt apparet & natus est nullo viuendi facto initio, & morietur viuere non desinens. Nam si nulla est pars vltima, sed viuenti semper aliquid in futurum restat: nunquam falsum hoc erit, Viuet Socrates, quandiu verum erit, Viuit Socrates. Falsum itaque semper erit hoc, Mortuus est Socrates. Proinde si hoc, Viuet Socrates, verum erit per infinitas temporis partes: in nulla temporis parte verum erit hoc, Mortuus est Socrates. At enim quis erit actionum finis? quando desinet agi aliquid, si quoties verè dicitur aliquid agi, toties etiam verum est actum iri? Mentietur nimirum qui dicet Platonem scribendi & disserẽdi finem facturum: si de disserente nunquam falsò dicitur fore vt disserat, & scripturum esse de scribente. Præterea autem eius quod fit nulla pars erit, quæ non iam aut fuerit aut futura sit, hoc est aut prærerita aut ventura. Cæterùm præteritorum & futurorum nulla est sensio. proinde nihil omnino sentietur. Quod enim pręteriit aut futurum est, neque videtur, neque alio vllo percipitur sensu. quod præsens est, itidem videri nõ potest, cùm sit diuisum in præteritum & futurum. Equidem ipsi grauiter accusant Epicurum, violaríque ab eo communes aiunt noticias, quòd æqualem corporibus motum tribuat, nullúmque altero celerius haberi sinat. Atqui multo hoc est peius, longiúsque à communibus recedit noticiis, nullam rem alterius motum posse assequi: *

Non si tarda celer testudinis impete summo

Adrasti sectetur equus vestigia. —— vt est in proverbio. Est autem necesse hoc fieri, cùm res promoueantur, intervalla aũt, per quæ mouentur, in infinitũ secari de Stoicorum opinione possint. Nam si solo iugero testudo equum antecedat: qui hoc in infinita secant, ambo autem animalia ratione prioris & posterioris mouẽt, infinitum.

nunquam celerrimum ad tardissimum perducent: semper tardiore aliquod addente suo progressui intervallo, cùm spacia sint in infinitum diuisa. Iam è patera aliqua aut calice si effundatur aqua, nunquam omnem effusum iri, quomodo non adversatur cōmuni sensui, aut quî non est consequens eorum quæ ipsi dicunt? Nam motum in priora eorum quæ in infinitum secantur, nemo intelligere potest consummari: sed semper aliqua restabit pars, vt omnis effusio, omnis lapsus, & fluxus humoris, motus solidi, casus grauis maneat imperfectus. Multa alia eorum absurda prætermitto: ea tantùm attingens, quæ sunt contra communes noticias. Disputatio de incremento antiqua est, quam etiam ab Epicharmo tractatam Chrysippus ait. Cùm autem Academici putent obscuritatum explicatus non admodum faciles aut in promtu esse sitas: multis eos incusat, vt qui communes noticias perimant * non modò contra notiones tuentur, sed porrò etiam sensum pervertunt. Oratio enim simplex est, & assumtiones concedunt ipsi, Substantias omnes singulares fluere & ferri, vel quod ex ipsis aliquid emittant, vel alicunde adventantia recipiant. quibus verò fit accessio & decessio numeris aut multitudinibus, eadem non manere, sed alia fieri accessionibus dictis substantia mutante. Neq; verò iure, sed vi hoc consuetudinem obtinuisse, vt mutationes istæ incrementa & decrementa dicerentur: cùm debuerint potiùs ortus & interitus appellari, quia de statu in aliam expellunt naturam. augeri & minui, adfectiones corporis esse subsistentis et permanentis. His hunc ferè in modum dictis ac positis, quid postulant patroni evidentiæ isti, & normæ communium sententiarum? Vnumquemq; nostrûm duplicem esse, & geminum. non quo pacto poetæ Molionidas finxerunt quibusdam partibus concretos, quibusdam diuulsos. Sed duo habere quemvis corpora, non colore, non figura, non pondere aut loco differentia. quæ cùm nemo hominū antè conspexerit, illi primi hāc compositionem, duplicitatem, & ambiguitatem perspexerunt. Scilicet vnumquenq; nostrûm duo esse subiecta: quorum alterum sit substantia, alterum *. alterúmq; in perpetuo sit fluxu & motu, incrementi decrementíq; expers, & omnino nunquam sui simile manens: alterum maneat, augeatur, decrescat, omniáq; contraria priori patiatur, cognatum, concinnatum, & confusum: neq; discrimen illud vllo sensu posse percipi. Sanè Lynceus ille dicitur visu per saxum & quercum penetrasse. & quidam in specula Siciliæ sedens numerauit Carthaginiensium naues è portu enauigantes, diei noctísq; cursu inde distantes. Callicrates & Myrmecides fabricati dicuntur esse currus, qui ala muscæ tegerentur, & in sesamo insculpsisse versus Homericos. Hanc autem in nobis diversitatem & discrimē hoc nemo aperuit: neq; sensimus nos duplices esse, vna parte semper fluētes, altera iidem ab ortu ad mortem vsq; manentes. Simpliciùs ego loquor, cùm ipsi quatuor faciant subiecta singulorum, aut potiùs vnumquemq; nostrûm quatuor statuant esse. Sufficiunt duo ad absurditatem monstrandam. Quando enim Pentheum audientes in tragœdia dicentē,

De incremēto. *Homo duplici corpore.*

Eurip. Bacch.

Ego me duos videre iam Soles puto,

Duplicésq; Thebas,—

non videre, sed visu aberrare dicimus eum emota mente: cur non vale dicamus istis, qui non vrbem aliquam, sed omnes homines, animalia, arbores, vasa, instrumenta duplicant atq; gemina ponunt? vt qui non intelligere nos, sed delirare cogant. Atque hoc quidem loco fortasse venia dari eis potest, diuersas subiectorum naturas fingentibus: cum nulla alia appareat machina, qua (id quod vnicè contendunt) seruare & tueri possint incrementa. Qua verò causa moti, aut quas alias à se positas sententias exornantes, in anima fabricentur corporum differentias atque ideas tantùm non innumeras, non facilè quisquam dixerit: nisi hoc res est, quòd communes & receptas sententias migrare iubentes, aut potiùs planè abolentes & perdentes, alias introducunt peregrinas & alienas. Per enim absurdum est, quòd virtutes, vitia, artes, memorias omnes, visa, affectiones, incitationes, & assensiones cùm faciant corpora: nullibi locum iis statuentes, in corde vnicum iis relinquunt meatum puncti magnitudine, eóq; contrudunt animi principem partem, à tot circumventam corporibus, quorū magnus numerus eos etiam subterfugit, qui exactè vnum ab altero se discernere posse putauerunt. Nō modò autem corpora his adscribere, sed facere etiam animalia ratione prædita: tantúmq; examen animalium non amicum, neq; mansuetū, sed turbam sua malicia actionibus reluctantem & Consuetudini * Illi verò non virtutes modò & vitia aiunt esse animalia:

Habitus Stoicis animalia.

ista:neq; motus animi tantum, puta iram, invidentiam, ægritudinem, gaudium quod de aliorum percipitur miseria, comprænsiones, imaginationes, ignorationes: neq; etiam artes duntaxat, vt cerdonum, & fabrorum ærariorum: sed vltra hæc, etiam ipsas actiones corpora & animalia faciunt. ambulationem puta, saltationem, suppositionem, compellationem, convicium. Horum consequens est, risum quoq; animal esse, * & fletum: ac proinde tussim etiam, sternutationem, gemitum, sputi & muci narium eiectionem, & alia id genus satis nota. Neq; est quod ratiocinatione paulatim progrediente perexigua huc adduci se indignè ferant. cùm meminisse debeant Chrysippum in primo naturalium quæstionum hac vsum inductione. Nonne nox corpus est? vespera autem, diluculum, & medium noctis corpora non sunt? Dies autem corpus est, ergo & Kalendæ corpus sunt, & Nonæ, & Idus, & Prid. Kalend. & corpus est etiam * mensis, & æstas, & autumnus, & annus? Cæterùm ista quidem illi contra communes contendunt præceptiones. Hæc verò iam præter suas ipsorum sententias, quòd calidissimum frigore circumfuso, & tenuissimarum quod sit partium condensatione gigni affirmant. Nimirum enim anima calidissima est, & tenuissimarum partium. Hanc tamen illi circumfuso frigore, & densatione corporis, spiritum velvti quadam ferri induratione coactam aiunt de naturali animalem fieri. Quin et Solem aiunt factum esse animatum, cùm humor eius in ignem intellectu præditum mutaretur. Tempestiuum verò est Solem cogitare circumdata refrigeratione natum. Xenophanes quidem narrante quodam vidisse se anguillas quæ in calida viuerent aqua: ergo, respondit, eas in frigida elixabimus. Stoicis verò hoc consequens est, Si circumfuso frigore calorem generant, & condensatione leuitatem: vt vicissim frigida calore, et grauitatem laxatione efficiant. Siquidem proportionis aliquam volent habere rationem * notiones: substantiam & ortum nonne communibus contrarium notionibus ponunt? Noticia enim, quædam est imaginatio. Imaginatio impressio formę in anima. animę natura exhalatio: quam in formam redigi & effingi operosum est ob raritatem: vt autem receptam conseruet informationem, fieri nequit. Nam ortus & nutrimentum eius cùm sit ex humido, subvectionem habet & consumtionem continentem. & exhalationis cũ aëre commercium, semper nouam facit exhalationem, quę suo de statu decedat & mutetur à canale per quem materia extrinsecus subit, rursumq; exit. Facilius enim aliquis imaginetur fluxum labentis aquæ, figuras, formas, & species conseruantis ac perferentis: quàm spiritum qui per exhalationes & humores elatus, alio continenter extrinsecus, eòq; alieno spiritu cõtemperetur. Verùm Stoici adeò sese ipsi nõ audiunt: vt cùm * noticias definiant esse aliquas reconditas intelligentias: memorias autem constantes quasdam & habitus similes impressiones: scientias etiam penitus defigant, vt omnis erroris & mutationis securas: hisce pro fundamento deinde & sede substernant lubricam, dissipabilem, semperq; in motu versantem & fluentem naturam. Iam elementi & principij notio apud omnes ferè homines hæc est insita: simplex id esse, sincerũ, compositionis expers. Non enim id principium est aut elementum, quod mixtum est; sed ea, ex quibus mixtum constat. At verò illi deum, quem principium statuunt, corpus aiunt esse mente præditum, mentemq; in materia versantem: non simplicem eum, ne- *Deus Stoicorũ.* que purum, sed ex alio & per aliud esse pronunciantes. Materia quidem ipsa per se rationis expers & qualitatis, simplicitatem habet, & principio congruentem naturam. Deus autem, siquidem non caret corpore & materia, huius tanquam principij est particeps. Nam si materia & ratio idem sunt: haud rectè materiam rationis vacuam dixerunt. si diversa sunt, vtrorumq; iam deus quasi dispensator erit, & non simplex res sed composita: vt qui ad intelligentiam corpus è materia adsciuerit. Quatuor autem illa corpora, terram, aquam, aërem, & ignem prima nominantes elementa, nescio quomodo partim pura & simplicia, partim composita & mixta faciunt. Terram enim no- *Elementa.* runt & aquam neq; sese neq; alia continere, sed communicatione aëreæ & igneæ facultatis vnitatem conseruare. aërem verò & ignem cùm sese ob robur suum continere, tum reliquis etiam permixta, vim eis, permansionem, & subsistentiam conferre. Quomodo igitur terra aut aqua elementum sit: si neq; simplex, neq; primum, neq; seipso fretum aliquid est, sed semper aliquo indiget externo à quo substantia eius contineatur atq; conseruetur. Nam ne substantiæ quidem nobis reliquerũt: sed multum habet turbarum & obscuritatis id quod de terra tradũt. * alicuius ipsa per se. At quomodo aëre opus habet ipsam compingente, & continente, si per se est? Non iam ter-

ra per se erit aut aqua. sed aër materiam hoc modo cogens & densans, terram efficit, alio modo dissoluens & emolliens, aquam. Neutrum itaq; horum est elementum, cùm sit aliud, quod ambobus substantiam & ortum præbuit. Porrò autem substantiam aiunt & materiam qualitatibus susistere, atq; sic ferè definiunt: rursum qualitates ita etiam corpora faciunt. Hæc verò valdè sunt conturbata. Nam si peculiarem substantiã habent qualitates, ob quam corpora dicunẽ & sunt: non indigent alia substantia, cùm habeant suam. Si verò hoc illis tantùm subsistit commune, quod substantiam ipsi & materiam appellant: liquet corporum eas fieri participes, non esse corpora. quod aũt subsistit & in se recipit, necesse est differre ab iis quæ recipit & quæ subsistit. Illi verò dimidium vident. Materiam enim qualitatis expertem dicunt: qualitates porrò materiæ expertes dicere nolunt. At quî potest corpus absq; qualitate facere, qui qualitates sine corporibus non intelligit. Quæ enim ratio corpus cum omni qualitate cõnectit, non patitur intellectum corpus vllum sine qualitate attingere. Aut igitur qualitatem incorpoream negãs etiam materiam qualitatis expertem esse inficiari videtur: aut alterum ab altero secernens, vtraq; invicem separat. Quam verò nonnulli eorum prætexunt rationẽ, materiam qualitatis vacuã dici, non quòd omni sit spoliata qualitate, sed quia omnibus prædita qualitatibus, maximè communi sensui repugnat. Nemo quippe id qualitatis exsors intelligit, quod nullius qualitatis non sit particeps: neq; ab affectione immune id, quod ea est natura vt omnia pati possit: neque immobile, quod omnibus modis mouetur. Illud autem solutum non est, etiam si semper cum qualitate intelligatur materia, aliam eam intelligi, & differentem à qualitate.

* * *

PLVTARCHI

De genio Socratis, Liber.



RCHIDAMVS. Pictoris cuiusdã, Caphisia, verba recordor, quæ is de spectãtibus pictas tabulas pronunciauit neq; ineptè, & cum quadam similitudine. Aiebat enim rudes & artis ignaros spectatores similes esse eorum, qui magnam simul turbam salutant: scitos autẽ & artificij studiosos eorum, qui singulatim obvios compellarent. illos nimirum non exactè in artificum opera inspicere, sed informatam quandam eorum concipere imaginem: hos iudicio partes operis perlustrantes, nihil inspectatum, nihil non obseruatum relinquere eorum quæ vel bene vel malè facta sunt. Existimo autem de seriis etiam actionibus ignauis sufficere eam cognitionem, si summam rei exitúmq; audiant. qui verò liberali & rerum pulcrarum studioso animo ad virtutem tanquam magnam artem spectandã factus est, eum magis delectari singulis examinandis: quòd sentiat in eventis multa Fortunæ esse cum virtute communia: causas autem eorum, virtutísq; per singulas rei gerendæ partes certamina, prudentémq; in periculis audaciam libenter animadvertat. De horum spectatorum numero nos quoq; esse existimans, rogo totam ab initio rem vt gesta, qui sermones habiti * fieri * præsente. nam huius auditionis gratia ne Thebas quidem proficisci grauarer: nisi iam nunc Atheniensibus viderer iusto amplius Bœotis studere. CAPHISIAS. Oportebat sanè, Archidame, in tuam gratiam, qui rem gestam tanto studio cupis cognoscere, me etiam posthabito (vt ait Pindarus) negocio huc ad narrandum venire. nunc cùm legationis causa adsim, ocíumq; suppeditet dum responsum à populo accipimus: si relucter, inciuiliterq; me geram adversus tam æquanimum & amicum auditorem, videar mihi antiquum illud & iam elanguescens crimen, quo Bœotis exprobratur quod ad colloquendũ difficiles se præbeãt, renouare. * apud Socratem vestrum. nos autem cum duobus sacris properantes sic apparuimus. Sed vide an iis qui vnà adsunt, audire tantas res orationésq; sit tempestiuum. non enim breuis erit narratio, cùm tu orationes quoq; habitas ei velis inseri. ARCH. Ignoras ô Caphisia istos. & quidem digni sunt noticia, bonis nati parentibus, & nobis familiaritate iunctis. Hic est Lysithedes Thrasybuli sobrinus. iste Timotheus Cononis F. hi Archini filij: cæteri omnes de nostro sunt sodalicio: vt scias theatrum

Historiæ cognitio.

theatrum tibi beneuolum & auditioni aptum esse paratum. CAPH. Bene narras. Sed quódnam narrandi istas res opportunũ sumemus initiũ? ARCH. Nos, Caphisia, ferè nouimus quis Thebarũ fuerit status ante exsulũ reditum. Nam quomodo Archias & Leõtides Phœbidę Spartano cum persuasissent vt Cadmiã (arx ea Thebarũ est.) pacis tempore & fœderis occuparet, alios ciuiũ eiecerint, alios metu represserint, ipsi summam rerũ per vim & iniustè gerẽtes: nouimus, vt qui hoc Melonẽ & Pelopidã priuato exceperimus hospitio, & quandiu hi exsulauerunt adsiduè vnà versati simus: porrò vt Lacedæmonij Phœbidã multauerint ꝓpter occupatã Cadmiam, & à ducendo ad Olynthũ exercitu abstinuerint, Lysanoridaq; in eius locũ cum duobus aliis misso arcem maiori tenuerint præsidio: audiuimus. Resciuimus etiã Ismeniã statim post factũ de ipso iudiciũ morte nõ optima sublatũ: Gorgida hæc exsulibus huc omnia per litteras nunciãte. Itaq; tibi restat narratio de reditu amicorũ, vtq; tyrannnos oppresserint. CAPH. Enimverò iis ipsis diebꝰ, Archidame, omnes cõspirationis socij solebamus in domo Simmiæ cõvenire, qui è vulnere quodã in crus accepto cõvalescebat, ac de rebus necessariis colloqui: palàm aũt disputationibus et philosophãdo tẽpus terere: sæpenumerò, vt suspicione res vacaret, vnà perducẽtes Archiã et Leontidã, nõ admodũ alienos ab huiusmodi exercitatione. Nã Simmias longũ tẽpus peregrinatus & apud exteros vagatus paulo antè redierat Thebas, plenus omnis generis fabularũ et narrationũ barbaricarũ. Itaq; Archias, vbi erat ociosus, libenter eũ audiebat, inter adolescẽtes adsidẽs: malebátq; nos litteras tractare, quã obseruare ipsius actiones. Ea verò die, qua constitutũ erat vt tenebris ingruẽtibus exsules clã ad mœnia adessent: quidã huc venit missus à Pherenico, nemini inter nos (demto Charone) notus. is nunciat, exsulũ XII ętate reliquis minores cũ canibus apud Citheronẽ venari, sub vesperã huc ventu ros, seq; missum vt hoc prædiceret, ac quis domũ prębiturus esset venientibus cognosceret, in qua occultarenť, vt ea indicata statim eò se possent recipere ipsi. Hæsitãtibus nobis, & deliberãtibus, ipse Charon domũ se præbiturũ ꝓmisit. Atq; is quidẽ nuncius statim ad exsules redire ꝓperabat. Meã autẽ manũ Theocritus vates vehemẽtius premens, & Charonẽ intuẽs prętereuntẽ: Hic, aiebat, philosophus non est Caphisia, neq; institutus singulariter & accuratè vt frater tuus Epaminondas: vides tamen vt natura per leges ad honestatẽ ducẽte, vltrò maximũ pro patria subit periculũ. Epaminondas, autẽ, qui se omnibus Bœotis ad virtutẽ rectiùs instructũ putat, segnis est, animíq; remissi * tantum, quæ meliorẽ ei occasionẽ ad hoc nato & parato, rectè sic vsurus. Tũ ego, Alacerrimè, inq̃, Theocrite: nos, quod decreuimus, agamus. Epaminondas autẽ non persuadẽs nobis præstare hanc actionẽ omittere, quæ ipsius est sentẽtia: haud iniuria refragať, ad societatẽ eorum ad quæ factus non est, neq; ea probat, vocatus. Nam neq; medicũ sine ferro et igne promittentẽ se morbo medicaturũ modestè feceris si ad secandũ & vrendum adigas: * igitur & is * nimirũ, neq; per ciues * incertũ, sed & ciuili sanguine ac cædibus vrbẽ liberare volẽtibus, sociũ se facinoris præbere Epaminondas recusat. & quoniã plerosq; nõ pertrahit in suã sententiã, nósq; hãc viã ingressi sumus: vult vt ipsum cædis purũ atq; innocentẽ sinamus suis intentũ esse occasionibꝰ, cum iusticia vtilitatẽ consectaturũ. Non enim rem suis se cõtenturam finibus Pherenicum quidẽ fortassis & Pelopidã in sontes maximè & malos impetum facturos: Eumolpidam aũt & Samiadã, homines ardẽtissimæ iræ, & audaces, nocturnã adeptos licentiam, gladios nõ antè depósituros, quàm totam vrbẽ cædibus impleuerint, & multos pręcipuos viros interfecerint. Hęc me cum Theocrito colloquẽte inaudiẽs Anaxidorus, ponè enim * & Lysanoridã Spartanũ à Cadmia, velvti eôdẽ pergentes, quò nos cõtendebamus. Itaq; gressum inhibuimus. Archias aũt Theocritũ ad se vocans, et ad Lysanoridã seorsim adducens, diu collocutus est, paululum à via cum declinassent iuxta Amphium: ita vt anxiè nos vereremur, ne ad eos suspicio aliqua aut indiciũ esset delatum, de quo Theocritum percunctarenť. Interim Phyllidas, quẽ nosti, Archidame, polemarchi magistratũ tum gerenti Archię scribã fuisse, qui exsules venturos nôrat, & cõspirationis erat socius, me manu more suo appræhensum, cùm palã gymnasia & vrbem dicteriis impetiuisset, procul ab aliis abductũ interrogat de exsulibus, an ad diem dictum præstò essent futuri. cúmq; ego ita esse respondissem, Rectè ergo, inquit, ego cõuiuium institui hodie, Archiam invitaturus, & inter pocula facilẽ captu iis exhibiturus. Optimè, inquam ego, mi Phyllida: & operam da, vt vel omnes, vel plerosq; hostiũ in vnum cogas. Id verò, aiebat ille, non facilè, adeóq; impossibile factu est. nam

Thebanarũ rerum status Pelopidæ ætate.

Epaminondæ sententia de patria liberanda.

Alcmenæ sepulcrum.

Tyrannis.

Archias sperãs tunc quandã nobilem matronã ad ipsum venturã, non vult Leontidã interesse. itaq; bifariã nobis secundũ domos sunt nostri diuidendi. Archia enim simul & Leontida oppressis, puto reliquos aut fuga se subducturos, aut domi quietè cõtenturos, ac bene secũ agi existimaturos, si securis esse cõcedatur. Ita, inquã ego, agemus. Sed quid hoc rei est, de quo cum Theocrito colloquunt? Non planè noui, ait. audiui aũt signa & vaticinia sinistra Spartæ obtigisse. * Phidolaus Haliartius occurrẽs: paululum, inquit, exspectare vos hæc iubet Simmias. intercedit enim opera Leõtidæ pro Amphitheo, vt mortis suppliciũ ei decretum in exsuliũ mutet petens. Tum Theocritus: Tempestiuè, inquit, & velvti dedita opera. volebã enim scire quæ nam inventa, & omnino quæ facies Alcmenę sepulcri apud vos aperti esset: siquidẽ tu quoq; interfuisti, cùm Agesilaus eò misit, qui reliquias Spartã transferrent. Interfui verò, inquit ille: et valdè indignans ac quiritans adversus ciues, ab iis intus relictus sum. Invẽta est igit corporis armilla ęrea nõ magna, & duæ amphorę figlinę, terrã continentes intus iam præ vetustate in saxum cõcretam * monumenti * tabula ærea, litteras cõtinens permultas, & admirãdas, vtpote vetustissimas. agnosci enim nõ potuerũt, quanq; abluto ęre exstarent: sed forma peculiaris fuit & barbarica, Aegyptiis maximè similis. itaq; etiam Agesilaus exempla earum regi Aegyptio misit, rogans vt sacerdotibus exhiberet, si fortè ij possent intelligere. Verùm de his fortè Simmias aliquid nobis potest indicare, qui ob philosophiã frequenter isto tempore sacerdotes convenit. Haliartij verò magnam illam sterilitatem & paludis exundationem non fortuitò putãt accidisse: sed ira numinis adversum ipsos, quòd effodi sepulcrũ passi essent. Et Theocritus paululum moratus: Videtur, inquit, ipsis quoq; Lacedæmoniis succensuisse genius, quod ostenta monstrant, de quibus modò nobiscum sermones contulit Lysanoridas. & is nunc proficiscitur Haliartum, rursum terra ingesta sepulcrum obruturus, ac parentaturus Alcmenæ & Aleo iussu oraculi cuiusdam: cùm quidẽ nesciat quis ille sit Aleus. reversus autem quæret Dirces sepulcrum, Thebanis ignotum, exceptis qui magisterium equitum gesserunt. nam magistratu eo decedens successorem solus eò noctu adducens id ostendit: ibiq; sacrificiis quibusdã sine igne factis, quorum vestigia confundunt & abolent, per tenebras discedunt atq; à se invicem separantur. Ego autẽ * quidem ô Phidolaë * probè eos inventuros existimans. Exsulant enim pleriq; eorũ qui magistri equitum fuerũt, secundum leges, immò omnes, Gorgida demto & Platone: quos non conabuntur interrogare, metu ipsorũ. Qui verò nunc præfecti sunt in Cadmia hastam & sigillum ad se recipiunt, nesciẽtes vel vnde * Hęc cum dixisset Theocritus, Leontidas cum amicis exiit. Nos autem ingressi Simmiam convenimus, ob infectam (vt videbatur) rem solicitum admodum ac mœstum, in lecto sedentem. Oculos enim coniiciens in omnes nos, Dij boni, aiebat, quàm feri & barbari sunt mores isti? Ergo non præclarissimè Thales ille priscus, cùm longo pòst tempore à peregrinatione domũ rediisset, amicis interrogantibus quid maximè rarũ vidisset, respõdit, Senem tyrannũ? Nam etiam is, ad quem nulla priuatim iniuria pervenit, ipsam importunitatem & asperitatẽ tyrannidis ægrè ferens, inimicus fit iniustarum & nulli iuri se sistentium dominationum. Sed hæc fortasse diis curæ erunt. Hospes verò, Caphisia, qui ad vos venit, nostisne quis sit? Nescio, aiebã, de quo loquare. Tum ille. Leontidas, inquit, visum dicit apud Lysidis monumẽtum à nocte surgentem hominem, comitatus multitudine & apparatu splendidũ, qui in thoro ibi pernoctasset: nam inventos fuisse humi stratos lectos è vitice & myrica factos, igneorũ quoq; sacrificiorũ reliquias, et liba lactis. eũmq; manè ex obviis quæsiuisse, an Polymnis filios domi esset inventurus. Quis verò, dicebã, ille hospes fuerit? nam ex iis quæ tu refers, non vulgarẽ aliquẽ, sed eximiũ fuisse apparet. Non ita est, inquit Phidolaus. Sed istũ nos vbi venerit excipiemus. Nunc aũt ô Simmia, de quibus recens dubitatio nobis incidit, si quid habes non vulgare, id nobis aperi. traditũ est enim Aegyptios sacerdotes litteras intellexisse tabulæ eius, quã nobis abstulit Agesilaus, cùm sepulcrum Alcmenæ diruisset. Hæc Simmias statim re in memoriã revocata, Tabulam, inquit, istam nõ noui. Sed Agetoridas Spartanus multis cum litteris Memphin venit ad Chonuphin prophetã, cùm ibi tunc vnà philosopharemur ego, Plato, & Ellopio Peparethius. miserat autẽ Agetoridã Agesilaus, petẽs à Chonuphi vt si quid scriptorum intelligeret, statim hoc interpretatũ ad se remitteret. Ergo Chonuphis cùm per triduũ seorsim de antiquis libris omnis generis litterarũ formas collegisset, rescripsit ad regẽ, nobisq; indicauit, his litteris significari,

ficari, Musis Græcos debere certamen edere. esse aũt litterarũ formas eius grãmaticæ, quã Proteo regnante Hercules Amphitruonis F. didicerit. et moneri Grecos his litteris à deo, ac iis præcipi, vt armis positis pacatam quietámque vitam ducant, & philosophicè concertantes de iure, eruditè & cum ratione inter se lites transigãt. Nos & tum Chonuphis sententiã ꝓbauimus: & magis etiã cùm nobis ex Aegypto avectis, & circa Cariã nauigantibus occurrerũt Delij quidã, qui à Platone, vtpote rerũ geometricarum perito, flagitarent oraculi explicationem, quod insolens ipsis deus edidisset. Erat aũt oraculi hæc sentẽtia: Deliis & aliis Græcis calamitatũ finem fore presentium, si arã quæ in Delo erat cubica, duplicarẽt. Cuius cùm sententiam assequi nõ possent, & in altaris structura ridiculè eis hoc evenisset vt pro dupla ara, ignoratione ꝓportionis quadruplam excitarẽt; Platonis opẽ in hac difficultate explicãda implorauerũt. Ille verò Aegyptij istius recordatus, Ludi à deo Græcos dixit, qui eruditionem negligerẽt, eorúmque insultari inscitiæ, mandaríque vt seriò geometriæ operam darẽt. non enim fenerater aut segniter in tractandis lineis perspicacis ingenij opus esse, datis duabus lineis, alias duas quę cõtinente ꝓportione inter has intercedant invenire. quę quidẽ vnica sit cubi duplicandi ratio, ex æquo omnibus eius auctis dimensionibus. rem his ab Eudoxo Cnidio, aut Helicone Cyziceno cõfectum iri. Neque verò deum hanc arę duplicationẽ requirere aut desiderare: sed vniuersis præcipere Græcis vt bellis & miseriis ea comitantibus vitatis, Musis sese dedant, ac litterarum & doctrinæ viu sedatis animi turbulẽtis motibus, innoxiè & vtiliter inter se cõversentur. Adhuc loquente Simmia, pater noster Polymnis ingredit̃, & iuxta eum adsidẽs: Epaminondas, inquit, te & hos omnes rogat, vt nisi grauius aliquid vrgeat negociũ, hac ipsum exspectetis. vult .n. vobis hospitẽ ostendere, virũ preclarũ, & preclaro honestóque proposito huc ꝓfectũ. Is est vnus de Italicis Pythagoreis, venitque vt Lysidi seni ad sepulcrũ parentet, quibusdã somniis, vt ait, ac spectris mot⁹ manifestis. adfert aũt secum magnã vim auri, paratissimúsque est nobis quantumvis recusantibus persoluere nutrimẽta à nobis seni prebita, et paupertatẽ nostrã, minime id nobis petẽtibus, subleuare. Mirũ, aiebat Simmias, hominẽ narras, dignúmque philosophia. sed quid causæ est, ꝙd nõ rectà ad nos accedit? Eum, inquit pater, quia ad sepulcrũ Lysidis noctẽ exegit (vt puto) Epaminondas ad Ismenũ duxit, ibi se abluturũ: postea ad vos veniẽt. Antequã verò vos cõveniret, ad sepulcrũ pernoctauit. statuit .n. reliquias corporis secũ in Italiã asportare, nisi noctu genius aliquid adversaret̃. His dictis pater cùm cõticuisset, Galaxidorus: Dij boni, inquit, quàm difficile est hominẽ invenire fastus vacuũ & superstitionis. Alij .n. inviti ob imperitiã aut imbecillitatẽ hisce affectibus capiunt̃: alij vt diis cari et singulares videant̃, diuinitatẽ quandã suis actionibus affingũt, somnia, spectra, aliáque id genus ab ipsis excogitata amplificãdi gratia adponẽtes. Quod quidẽ ciuilibus viris, & quibus necesse est vitã suã adversus cõtumacẽ & dissolutã turbã instituere, fortasse nõ est invtile: vt superstitione quasi freno multitudinẽ cõpescant, & ad vtilia torqueãt. Philosophiã aũt nõ modò dedecet hic prætextus, sed & professioni ipsius repugnat. quę pollicita se ostensurã rationibus omnis bonæ & vtilis actionis principia ad deũ referri: velut spernẽs rationes suas, & demonstrationẽ qua excellit contumelia afficiẽs, ad oracula se cõferat, ac somnia, quę sępenumero deterrimo cuique nõ viliora offerunt̃ quàm prẽstantissimis. Itaque Socrates vester, Simmia, videt̃ mihi philosophiæ cõvenientiorẽ doctrinæ habitũ indutus fuisse, simplex & figmentorũ expers disputãdi genus vt liberale & maximè amicũ veritati amplexus: fastúmque velut fumũ quendam à philosophia in sophistas dissipãs. Hæc Theocritus interpellãs, Quid, inquit, Galaxidore? an tibi quoque fidẽ fecit Melitus, Socratẽ diuina cõtempsisse? hoc enim crimẽ ei apud Athenieses impegit. Nequaquam, aiebat Galaxidorus, diuina. Sed cum accepisset philosophiã spectris, fabulis, & superstitione obsitã à Pythagora & Empedocle, & admodũ bacchantẽ: sobriã redegit veritatẽ, sobriáque ratione in rebus eam intelligere docuit. Sint isthęc, inquit Theocritus. Geniũ verò Socratis, mi homo, an pro fabula habebimus? Mihi quidẽ, sicut Homerus Vlissi Mineruã in omnibus ærumnis facit præsentẽ auxilio esse, ita videt̃ genius Socrati visum quoddã vitæ ꝙd anteiret ab initio statim adiunxisse: quod visum pręcedẽs Socratem, lucẽ rebus obscuris inferret & humana ratione nõ penetrabilib⁹: sicut & sæpe genius ipsum allocutus est, diuino quodã instinctu ꝓposita animi eius dirigẽs. Horũ plerasque & præcipua è Simmia licet, alũsque Socratis sociis cognoscere. Me autẽ præsente, cùm ad Euthyphronẽ vatẽ irẽ, iã Socrates, vt meministi Simmia, supernè apud Sym-

Philosophiæ laus.

Duplatio cubi.

Superstitio & fastus.

Odyss. r, 300.

Genius Socratis. bolum & Andocidis domũ ambulabat, simul & interrogãs, et per iocũ exagitans Euthyphronẽ. subitò aũt subsistẽs, reliquisq; etiã vt staret persuadẽs, diu sanè cõmoratus, deinde cõversus per vicum arcas fabricantium abiit: & socios qui præcesserant revo- * cauit, indicãs se à genio monitum vt hac diverteret. Ac pleriq; quidẽ vnà cum ipso cõverterunt se, inter quos & ipse fui Euthyphroni adhærens. Quidam aũt adolescentuli rectà procedentes, nimirum vt Socratis genium redarguerent, Charillũ tibicinẽ sibi adiunxerunt, qui & ipse mecũ Athenas ad Cebetem venerat. Cùm aũt ambularẽt per vicum sculptorũ iuxta curias iudiciarias, turba iis suum occurrit cœno oppletarũ, quę ob multitudinem sese trudentes, cùm decedendi spaciũ hominibus non esset, alios impetu suo prostrauerunt, alios commaculauerunt. Venit etiã Charillus domũ crura & vestes luto plenus, vt cum risu genij Socratis mentionẽ facere libuerit, nusq; hominẽ relinquentis, nusq; negligentis. Et Galaxidorus: Putas verò, aiebat, Theocrite Socratis geniũ peculiarem aliquam et eximiã habuisse vim, non particulam aliquã communis Necessitatis eum experientia exploratam habuisse, vnde in rebus obscuris et coniectu grauibus rationis momenta fecerit? Vt enim vnica drachma pro se lancẽ trutinę non cõmouet, adiecta aũt ęquali põderi ad se totũ inclinat. ita omen, aliúdve id genus signũ leuiusculũ nõ percellit animũ grauẽ aut ad agendũ incitat: sed cùm animus cogitationibus diverse trahit, alteri parti accedens æqualitate sublata dubitationẽ dirimit, mouétq; & impellit. Sub hęc pater: Enimverò, inquit, Galaxidore ipse Terpsionẽ *Sternutatio.* audiui Megaricũ dicentem, genium Socratis fuisse sternutationem cùm ipsius, tum aliorum. alio quidẽ sternutante à dextra siue ante siue post ipsum, solitũ se fuisse ad agẽdum cõferre: sin à sinistra fieret, cessasse. de ipsius sternutationibus quę fieret acturo aliquid, cõfirmasse eius propositũ: quæ inter agendũ, inhibuisse. Sed hoc mihi mirũ videtur, si sternutatione vtens, nõ ab hac, sed à genio se iuberi aut prohiberi sociis dixit. Fastus enim, amice inanis hoc & arrogãtiæ fuerit, nõ veritatis & simplicitatis: quibus verè magnum hunc virũ & multis præstantiorẽ fuisse arbitramur: à voce externa aut * sternutatione fortuita turbatũ actiones deserere, & institutũ omittere. Socratis aũt vi- *Socratis grauitas.* dentur in omni re incitationes ad agendũ fuisse graues ac vehementes, vtpote à recto & solido iudicio profectæ. Nam sponte sua in paupertate totam vitam exigere, cùm essent qui optima cum gratia & voluptate dare opes cuperent: deinde à philosophando non desistere, tot obiectis impedimentis: deniq; salute ipsi & fuga opera amicorũ commodè parta, nullis precibus flecti, neq; morti concedere, sed ad eam obeundã hilari constantiq; ratione pergere: hæc nõn sunt hominis qui ominibus aut sternutationibus de sententia sua dimoueretur: sed qui à maiore quodã præsidio & principio ad virtutem duceretur. Audio etiam Siciliensem Atheniẽsium cladem eum quibusdam amicorum prædixisse. Et ante ista Pyrilampes Antiphontis F. in fuga apud Delium à nobis captus, pilo vulneratus, cùm ex iis qui fœderis feriundi gratia Athenis venerant audiuisset Socratem cum Alcibiade & Pachete per Retistam descendisse ac domum evasuisse: multis seipsum incusauit, multis amicos suos quosdam & manipulares qui cum ipso præter Parnetem fugientes à nostris equitibus occisi erant, quod Socratis genio non obtemperantes alia quàm ipse ducebat via à prœlio profecti essent. Hæc Simmiam quoq; audiuisse puto. Sæpe, inquit Simmias, audiui, ac è multis. nam ex illa re Socratis genij fama non leuiter Athenis increbruit. Cur ergo, aiebat Phidolaus, ô Simmia Galaxidorũ sinamus iocosè tantum diuinationis opus in sternutationes & omina deiicere, quibus vulgò etiam in rebus leuibus ludentes vtuntur? nam vbi pericula grauiora, & maiores incidunt actiones, tum Euripideum illud fit:

Non inter arma quisquam hæc nugari volet.

Ego quidem, inquit Galaxidorus, Simmiam Phidolae, si quid is ex ipso auditum Socrate hac de re narrare vult, vobiscũ audire paratus sum. quæ verò sunt abs te & Polymni dicta, nullo negocio refelluntur. Vt enim in medicina pulsus, aut pustula paruæ res, non paruæ rei signa sunt: & gubernatori sonitus maritimæ auis, aut discursus raræ nubeculæ ventum præmonstrant & maris asperiorem exagitationem: sic animæ diuinatrici sternutatio aut omen, res per se non magna * accidentis. Nam nulli arti hoc neglectui est, è paruis magna, & paucis multa prænoscere. Sanè si quis litterarum ignarus videret numero paucas & forma ineleganti litteras, neq; crederet hõminem grammaticum ex his relegere posse magna priscorum bella, vrbium primor- * dia, acta & eventa regum, iurarétque potius istam memoriter hæc recitare quàm istis

contenta

cõtenta litteris enunciare: ſuauiter, amice, tibi imperitiã hominis ridere vtiꝗ ſubiret. At vide ſis, ne eodẽ modo nos ſingulorũ quæ ad diuinandũ faciũt vim ignorãtes quã ad futurũ ea præſciendum cõducunt: ſtultè ſuccenſeamus ſi cordatus homo ex his aliquid de re abdita ꝓnunciet: idꝗ adeò dicens nõ ſternutationẽ aut vocẽ, ſed geniũ ſibi eſſe agẽdi ducẽ. Iam enim ad te, Polymni, me cõverto, mirãtem cur Socrates, qui vnus vacuitate faſtus & ſimplicitate maximè comem reddidit philoſophiam, ſignum id nõ ſternutationis aut ominis, ſed tragicè admodũ genij nomine affecerit. Ego autẽ mirarer cõtrà ſi Socratis, homo diſſerendi & verba rectè vſurpandi calidiſſimus non à genio, ſed à ſternutatione ſe moneri dixiſſet: perinde ac ſi quis à iaculo ſe vulneratum dicat, nõ iaculo ab eo qui id cõiecit: aut põdus à libra exploratũ dicat, nõ ab appendente per librã. Non enim inſtrumento opus imputari debet, ſed ei cuius eſt inſtrumentũ, ac qui eo vtitur. Signum verò eſt ex inſtrumentorum numero, eóꝗ is vtiť qui aliquid ſignificat. Sed, vt dixi, audiamus ſi quid habet Simmias. rem enim is nouit abſolutius. Et Theocritus, Prius, inquit, videamus qui ſint qui intrãt: atꝗ adeò videť hoſpitem illum Epaminondas adducere. Ergo ad ianuã reſpicientes, præcedere vidimus Epaminondam, cúmꝗ eo amicos Iſmenodorum, Bacchylidã, Meliſſum tibicinem: ſequi hoſpitem, ſpecie neutiꝗ illiberali, ſed qui vultu mãſuetudinem ingenij comitatémꝗ præ ſe ferret, honeſto veſtitu. Is cùm iuxta Simmiam, frater ponè me, reliqui vt cuiꝗ locus obveniret conſediſſent: facto ſilentio fratrem meum Simmias cõpellans: Agedum Epaminonda, inquit, quem, quomodo, & cuium debemus hoſpitem hunc ſalutare? is enim receptus cõpellationis & noticiæ cõtrahendæ mos eſt. Tum ſic reſpondit Epaminondas. Theanor, ô Simmia, hic vocať, genere Crotoniata, vnus de ibi philoſophãtibus, magnã Pythagoræ gloriã haud dedecorans. nam & nunc longum iter huc ꝑfectus eſt ex Italia, vt pulcris factis pulcras ſententias cõfirmaret. Ibi hoſpes ſermonem excipiens: Ergo tu, inquit, Epaminonda pulcerrimum factum impedis. Nam ſi pulcrũ eſt amicis benefacere: non eſt turpe ab amicis beneficium accipere. Gratia enim non minus accipiente ꝗ̃ dante opus habet, ab vtriſꝗ perficiť ad pulcritudinem. Qui verò nõ accipit, tanꝗ̃ pilã rectè obiectã dedecorat, decidentem fruſtra. Quis autem ſcopus eſt, quem tangere ſit iucundius, aut aberrare moleſtius, quàm ſi quis virum beneficio dignum demereri cupit? ſed hoc intereſt, ꝙ qui à ſcopo aberrat, ipſe culpam ſuſtinet: hic qui recuſat beneficium, iniuriã facit gratiæ eò quò tendit ꝑvenire nequeuntis. Tibi quidem cauſas expoſui, propter quas huc nauigaui. volo autem etiã his eas narrare, iiſꝗ adverſum te vti iudicibus. Poſtꝗ̃ ſodalicia Pythagoricorum, per ſeditiones ex vrbibus eiecta fuerunt, & ſuperſtitibus Metaponti cõſeſſum agentibus quadam in domo, ignem Cylonij circumpoſuerunt, omnéſꝗ ibi interfecerunt, Philolao & Lyſide demtis, qui iuuenes robore & agilitate freti flammas evaſerunt: Philolaus quidem in Lucanos aufugit, eóꝗ incolumis ꝑvenit, & aliis ſeſe adiunxit amicis, qui iam rurſum coibant, Cylonióſꝗ viribus ſuperabant. Lyſis autem quorſum abiiſſet longo tempore ignoratum fuit: donec Gorgias Leontinus è Græcia in Italiam nauigio revertens, Arceſo nunciauit conſtanter, in Lyſidem ſe incidiſſe Thebis commorantem. Arceſus hominis deſiderio impulſus, rectà ſe ad nauigandum cõtulit. ſed cùm ob ſenectutẽ & imbecillitatẽ planè cõficere propoſitũ nequiret, amicis negociũ dedit, vt, ſi omnino id fieri poſſet viuũ Lyſidẽ, ſin verò, eius reliquias in Italiã reportarẽt. Interea tẽporis quę inciderũt bella, ſeditiones, tyrãnides, ĩn cauſa fuerũt ne viuo ipſo amici rem effectã darent. Cùm autem nobis Lyſidis vita iam defuncti genius evidenter mortẽ eius ſignificauiſſet, & veſtra, Polymni, in eũ officia, vitámꝗ eius apud vos actã narraſſent quibus probè iſta erãt cõperta, & quomodo in paupere domo curationẽ ſenectutis liberaliſſimam adeptus, filiiſꝗ adſcriptus, beatiſſimè diem ſuum obiuiſſet: iuuenis ego miſſus ſum & vnus à multis & natu grandiorib⁹, qui loco beneficij magni accepti amicis indigentibus pecuniã de ſuis copiis largirenť. Lyſis verò à vobis cõditus eſt rectẽ, honeſtóꝗ ſepulcro donatus. pro quibus vobis gratiã omnino ab amicis & familiaribus ei⁹ ꝑſolui par eſt. Hæc locuto hoſpite, pater memoriæ Lyſidis aliquãdiu illacrumauit. Frater aũt more ſuo ſubridẽs ad me, Quid facim⁹ Caphiſia, inquit? tacitine paupertatẽ diuitiis prodimus? Minimè, inquã ego, carã iſtam et probã puerorũ educatricẽ. Proinde tu ei patrocinare, tuũ enim eſt dicẽdi munus. At enim, dicebat pater, hoc vnũ erať quo metuebã ne diuitiæ domũ noſtrã caperẽt, Caphiſiæ corpus. nam et veſtitu opus habet pulcro, vt tot tantiſꝗ amatoribus cum faſtu ſe oſtentare poſſit: & copioſo nutrimẽto,

Pythagorei Lyſis.

vt gymnasia & palæstricos labores perferre queat. Quãdo aũt is quoq; paupertatẽ nõ prodit, sed velut ferri tincturã patriã retinet, ac quantumvis adolescens frugalitate se exornat & cõtentus est præsentibus: ecquis erit pecuniæ vsus, quæ dispositio? Nimirũ, aiebat Caphisias, arma auro obducem⁹, & scutũ permixto purpuræ auro vt Nicias Atheniẽsis distinguemus? tibi aũt, pater, Milesiã chlamydẽ, matri prætextã purpura tunicã ememus? nõ enim puto in ventrẽ insumemus donũ, splendidiùs conuiuantes, vt qui hospitẽ aliquem exceperimus grauiorẽ nobis diuitias. Apage hoc, dicebat pater. absit, fili, vt istã ego vnq; vitæ nostræ mutationẽ videã. Atqui, inquã, ociosi quoq; sedere nolemus, domi pecuniã custodiẽtes. Sic enim & ingrata fuerit gratia, et infamis possessio. Quorsum ergo tandẽ nobis pecunia? subiiciebat pater. Hæc Epaminondas. Sanè, inquit, invrbanior visus sum nuper, cùm Iasoni Thessalorũ duci huc ad nos multũ auri mittenti vt'q; acciperemus roganti, respondi Iniuriã mihi ab ipso oriri, qui vnius in rep. dominationi studẽs, mei hominis popularis & liberæ ciuis ciuitatis pecunia sollicitaret animum. Tuam verò, hospes, promtitudinẽ, honestam eam & philosophicã, probo, maiorémq; in modũ amplector. venis aũt medicamenta amicis nõ ægrotantibus apportans. Ergo quemadmodum si rumore allato nos bello peti nauigasses arma nobis & tela præsidio adferens, & huc delatus pacata omnia invenisses, non equidem putares danda nobis & relinquenda arma esse nihil eorum indigentibus: ita auxilio quidem nobis venire voluisti adversus paupertatem, quòd ab ea nos infestari putabas. illam verò nos ferimus facilimè, & cara nobis est contubernalis: vt nihil opus sit pecunia aut armis contra eam, nihil molestiæ nobis adferentem. Proinde amicis tuis isthic renunciato, ipsos diuitiis optimè vti, hæc amicos ipsis esse qui paupertate rectè vtantur. Lysidis autem alimenta & funerationem ipse pro se Lysis persoluit, cùm alia, tum paupertatem docens æquo animo ferre. Sub hæc Theanor: Ergo, inquit, paupertatem grauiter ferre illiberale est, diuitias metuere & fugere non absurdũ, nisi quis verbis alias formas induat, aut præ imperitia rerum & fastu respuat? quæ verò ratio possessionem honestam & iustam ita repudiat, vt Epaminondas? Immò potiùs (quando de Thessalo illo iam antè dictum est.) responde sodes mihi, vt tuam defendas sententiam, Putásne dari pecuniam rectè, nullo modo accipi posse, sed peccare omnes & qui dant & qui accipiunt. EPAM. Nequaquam: sed vt aliarum rerum, sic & pecuniæ donationem & acceptionem puto esse, aliam turpem aliam honestam. THEANOR. Nónne ergo quæ quis debet vltrò & alacri dans animo rectè dat. EP. planè. TH. Qui verò accipit quod rectè aliquis dat, nónne rectè accipit? aut iustiùs accipi potest pecunia quàm à iustè dante? EP. Nullo modo. TH. Ergo si de duobus amicis dare alter, vtiq; alter accipere debet. In pugna enim hostis qui benefecerit declinandus est: in beneficio qui rectè id præstat amicum fugere & repellere non est iustum. Nam si paupertas molesta non est, vicissim diuitiæ quoq; non ita sunt infames aut aspernandæ. EPAM. Sanè. sed rem nobiscum sic perpende. Multæ sunt cupiditates ac multorũ: aliæ quæ innatæ dicunt, & circa corpus pullulant ad necessarias voluptates incitãtes aliæ inquilinæ, è vanis ortæ opinionibus: quæ tempore & cõsuetudine in mala educatione corroboratæ, sæpe animũ trahũt ac deprimũt magis q̃ necessariæ. Equidẽ adsuescẽdo & meditãdo magnã etiã insitarũ cupiditatũ partẽ vt ratio aboleat effici potest. omnis aũt exercitationis vis, amice, adversum adventicias illas & supervacaneas est adhibẽda concupiscentias, eæq; amputandæ, arcendæ, ac ratione ꝓfligandæ atq; opprimẽdæ sunt. Nam si rationis adversus cibũ & potũ reluctatio sitim famémq; compescit: longè nimirũ facilius est diuitiarũ, aut gloriæ cupiditatẽ elidere, abstinẽdo ab his quæ appetunt et retrahẽdo planè abolitas. Nisi tibi cõtrà videt. TH. Assentior. EP. Ergo discrimẽ cernis exercitationis, et rei ob quã exercitatio suscipit? Sicvt.n. athleticæ opus diceres cõflictationẽ cum adversario coronæ causa: exercitationẽ aũt, corporis per gymnasia ad hoc præparationẽ. sic virtutis etiã puto das aliud esse opus, aliud exercitationẽ. TH. Do. EP. Agè iam, (vt primùm de cõtinentia loquamur) abstinere à turpib⁹ & iniustis voluptatibus, exercitationémne an exercitationis op⁹ et demonstrationẽ censes. TH. Opus ego, & demonstrationẽ. EP. Exercitationẽ aũt & meditationẽ cum cõtinentia, nõ qualẽ vos omnes etiamnũ adsciscitis, qñ à gymnasiis, vbi brutorũ instar appetitus excitauistis, lautis mẽsis et variis cibis adstãtes aliquãdiu, deinde seruis ista vescẽda dãtes, ipsi vtimini vilib⁹ & frugalib⁹, iã fracto appetitu. nã abstinẽtia à licitis voluptatib⁹ exercitatio est cõdocefaciẽs ad abstinendũ vetitis. TH. Omnino. EP. Est ergo, amice, quædam

Contemtus opum.

Cupiditates.

quædam etiam iusticiæ exercitatio adversus opum studium & auariciam. non, quando noctu aliquis proximorum res obiens nihil furatur, neque intervertit aliena, neque patriam prodit & amicos pecuniæ causa: (vbi lex etiam fortassis & metus cupiditatem à maleficio deterrent) sed qui iustis & lege licitis lucris sæpenumerò abstinet, is vltrò se exercet ac adsuefacit ad longè vitandum omnem iniustam & illicitam capturam. Nam neque in magnis, absurdis autē & damnosis voluptatibus quiescere animus potest, qui non antè sæpenumerò licitā earum fruitionem contemserit: neque lucra turpia & magnas capturas legibus adversas facilè respuere est ei, qui non eminus studiū lucri & habēdi cupiditatē ex animo exciderit: quod aliis habitibus affatim enutritum ad lucrū faciendum fertur, cūmque iniusto appetitu excitatum turget, diffilimè ab iniusta captura abstinetur. Qui autē neque amicorum beneficiis locū dat, neque regū munera admittit, ipsam quoque fortunæ sortem respuens, & insultantē thesauro exhibito repellēs: nunquam hunc iam diuitiarum cupiditas turbabit, aut ad iniusticiā stimulabit: sed facilè seipso vtitur ad honestatē, magno animo, & sibi pulcerrimè cōscio. Horum, Simmia, hominū ego & Caphisias admiratores & amatores, hospitem rogamus, vt nobis concedat, vt ad virtutē istam paupertate nos sufficienter condocefaciamus. Hæc locuto fratre meo, Simmias bis terve capite annuens, Magnus, inquit, magnus vir est Epaminondas. causa est præpipua Polymnis hic, qui liberis suis optimam in philosophia parauit educationem. Verùm de hoc, hospes, tute cum ipsis transiges. Lysidem verò, si tamen dicere tibi fas est, nûmnam è sepulcro moues, & in Italiam transfers, aut hoc apud nos relinquis, amicis & beneuolis contubernalibus vsurum, cùm isthuc pervenerimus? Tum subridens Theanor: Apparet, aiebat, Lysidem hac regione delectari, cui opera Epaminondæ nihil bonorum defuerit. Habent autem Pythagorici quendam sepulturæ peculiarem sacrúmque ritum: quo qui carent, eos non putamus assecutos esse beatum illum & proprium finē. Pòstquā ergo ex somniis de morte Lysidis facti sumus certiores (est autē signum quod apparet nobis in somnis, vnde percipimus simulacrū viuine sit an morientis) venimus in eam cogitationem, Lysidē apud exteros aliter sepultum fuisse, ideóque corpus eius transferrendū, vt apud nos ritè condatur. Hoc ego consilio cùm huc appulissem, essémque ab incolis rectà ad sepulcrū Lysidis deductus, libaui iam vespera facta, Lysidis animam evocans, quæ quid quóve modo agendum esset vaticinaretur. adolescente nocte, nihil vidi, sed visus sum mihi audire vocem, quæ iuberet immobilia non mouere: nam corpus Lysidis sanctè humatum esse, animam iam nunc secretā ad alium ortum esse dimissam, aliúque genio sorte obtigisse. Et quidem prima luce cum Epaminonda congressus, audito modo quo Lysidem sepeliuisset, intellexi eum illum prȩclarè vsque ad ea quȩ efferri nefas est à Lyside fuisse institutum, eodémque vti in vita genio, quo vsus est ille: nisi malè ego ex nauigatione de gubernatore coniecturam facio. latæ enim sunt vitarum semitæ: paucæ, per quas à geniis homines ducuntur. Hæc fatus, Epaminondā intuitus est, quasi de integro formam eius & naturam contemplans. Sub hȩc medicus accedens, tanquam curandi corporis causa tæniam qua crus Simmiæ erat religata abstulit. Phyllidas autem cum Hipposthenida intrò veniens, in angulum atrij quendam me, Charonem, & Theocritum surgere iussos abducit, admodum (quod ex vultu apparebat) perturbatus. cúmque ego quæsiuissem, Ecquid noui accidit Phyllida? nihil, inquit, noui: mihi quidem, qui præuidens ac prædicens vobis Hipposthenidæ mollitiem, rogaui ne cum homine rem communicaretis, aut in societatem ipsum adscisceretis. Perterritis nobis hoc sermone, Hipposthnidas: Noli obsecro, inquit, ista dicere, neque temeritatem pro audacia habēs nos & ciuitatem evertere: sed si in fatis est, tutò sine exsules reditum sibi parare. Tum Phyllidas irritatus, Dic mihi, inquit, Hipposthenida quot numero esse putes, qui nobis secretæ huius actionis sint conscij. Ego, aiebat, triginta non pauciores noui. Cur ergo, dicebat Phyllidas, quȩ in tāta multitudine omnibus placuerunt, ea solus sustulisti atque impediuisti, equite misso ad viros qui iā erāt in itinere reverti iubens, neque hodie Thebas petere, cùm quidē ad reditū plurima iis etiā casus cōmoda parauisset. Hȩc fato Phyllida, & omnib⁹ nobis turbatis Charō acerbò admodū vultu in Hipposthenidā cōversus, Pessime, inquit homo, quid fecisti nobis? Nihil mali, ait Hipposthenidas: si asperitate verborū missa, sententiam hominis ȩqualis ætate, itidémque canos edentis pōderes. Nam si hoc nobis, Phillida, propositum est, ciuibus ostēdere fortitudinem periculis se obiicientem, irámque vitæ contemtricem:

Redit ad historiam tyrannorum Thebis sublatorum.

multum adhuc superest diei, neque expectanda nobis vespera: sed iam nunc arreptis gladiis eamus ad tyrannos, occidamus, occidamur, vitæ nostræ non parcamus. Si verò hæc quidem factu & perpessu non sunt difficilia: Thebas autem liberare tot munitas hostilibus armis, & præsidium Spartanorum profligare duobus aut tribus hominibus interfectis non est in procliui: (non enim tantum meri in conviuium parauit Phyllidas, vt vniuersi CIↃ IↃ Archiæ stipatores eo se sint inebriaturi: & vt hūc interficiamus, tamen sobrij per noctem excubias agēt Hermippidas & Arcissus) quorsum festinamus amicos & familiares in certissimam adducere perniciem? præsertim cùm hostes non planè reditus eorum sint ignari. Cur enim Thespiensibus tertium iam hūc diem mandatum est, vt sint in armis, expectētq; Spartanorum ducum iussa? Et Amphitheum audio hodie, vbi reversus fuerit domum Archias, interemtum iri, quæstione priùs habita. Non videntur hæc vobis magna signa esse detectæ aliquā actionis nostræ? non præstat aliquantulam rei moram producere, dum numina placantur? *Ostenta.* Etenim aruspices cùm Cereri bouem immolassent, exta portendere magnum tumultum ac periculum publicum pronunciauerunt. Et (quod tibi, Charon, maximè animadvertendum est,) heri Hypatodorus Erianthis F. è rure mihi factus comes, bonus alioqui vir & necessarius, sed nostri instituti omnino ignarus: Est tibi, aiebat, ô Hipposthenida amicus Charon, mihi non admodum familiaris. si tibi ita videtur, mone eum vt à periculo sibi caueat, propter somniū meum valdè minax & absurdum. præterita enim nocte per quietem sum imaginatus ipsius domum parturire, vt grauidæ solent: ipsum & amicos vnà anxios in orbem circùm adsistere & vota facere. domum verò mugire, & incompositas quasdam voces edere. tandem ignem copiosum & terribilem emicuisse è penetralibus eius, quo maior pars vrbis accensa fuerit, Cadmia solo fumo circumventa, igni ad fastigij superficiem se non efferente. Hoc quidem, Charon, ille sic mihi narrauit somnium. Ego & tum statim perterritus sum: & multo magis cùm hodie audirem exsules in tuam domum diversuros, anxiè metuere cepi ne nobis ipsis magnum malum simus confecturi, nullum hostibus memorabile, nisi quod eos cōturbabimus. vrbem enim nobis attribuo, Cadmiā, vt est, illis. Hæc Theocritus inhibito Charone dicere aliquid adversus Hipposthenidam molientem interfatus: Mihi verò, inquit, nulla res maiorem, Hipposthenida, agendi fiduciam parauit (quāquā semper pro exsulibus sacrificia addixerint) atq; hoc ipsum somnium. siquidē in vrbe lumē copiosum & splendidū ex amica domo ais erupisse, fumo autē obfuscatū fuisse hostium receptaculum, qui nihil vnq; melius quā lacrymas & trepidationem secum trahit. voces aūt à nobis exiuisse obscuras: vt etiā si quis aliqua de voce nos accusare velit: incerta dūtaxat suspicio simul & oriatͬ & dissipetͬ. iā illud nō perlitare, ad rerū potientes pertinet, nō ad rem publicā. Nondū finierat sermonē Theocritus, cùm ego ad Hipposthenidā: Quos, inquā, homines ad exsules ablegasti. si enim nō dudū hoc factū est, cōsequar eos. Et Hipposthnidas: Haud scio, ait, an assecuturus hominē sis (verū enim vobis dicere opus habeo) equo vehentē qui Thebis sunt equorū optimo. notus nobis is est, Melonis aurigarū præfectus, & per Melonē totius cōscius ab initio inde rei. Ego aūt, qui iam hominē conspexissem, Nónne, inquā, Chlidonē dicis Hipposthenida, qui superiore anno Iunonia solo equo vicit? Hūc ipsum, aiebat. Quis ergo, subieci, is est quē iam pridē ad atrij adstare ostiū, & in nos respicere video. Conversus Hipposthenidas: Mehercle is est ille ipse Chlido, aiebat. Vah, ne quid grauius acciderit. Chlido aūt vbi sēsit se à nobis animadverti, paulatim ab ostio cepit progre- *Casus exemplū.* di. innuēte verò Hipposthenida, & corā omnibus rem exponere iubēte: Noui, inquit, probissimè hos viros Hipposthenida: & cùm te neq; domi neq; in foro offendissē, huc rectà cōtendi, q; hæc te esse coniicerē: ne quid vos eorū quæ acta sunt lateret. Nā cùm tu mihi mādasses, vt quanta omnino possem celeritate apud montē exsulibus occurrerem, domū me contuli, vt equū sumerem. petenti aūt mihi frænum vxor non habuit quod daret, diúq; in cella commorata est quærens, & omnem sus dèq; vertens suppellectilem. deniq; vbi satis diu mihi illusum fuit, fassa est se frænum vicino commodatò dedisse, vesperi ab eius rogatam vxore. cúmq; ego indignarer, & maledicta ingererē: conversa ad diras imprecationes, malā itionem, malam reditionem mihi optauit, quæ omina Dij, precor, in ipsam convertant. tādem cùm iratus vsq; ad portas pervenissem, turba vicinorum & mulierū concurrēte, turpissimè re gesta ad vos ægrè perveni: quò alium ad illos emittendū sciretis. ego enim in præsentia planè mihi non cōsto, & pessimè

sime sum affectus. Nos verò subita invasit mutatio. Paulo enim antè indignè ferentes impedimentum actioni iniectum, tunc rursum ob articulum temporis tam celeriter appetentem & dilationis impatientem in anxietatem & metum fuimus coniecti. Ego tamen Hipposthenidam comiter amplexus, bono esse animo iussi: quippe diis ipsis nos ad rem gerendam exhortantibus. Secundum hæc Phyllidas abiit, vt conviuium appararet, inque id Archiam statim iniiceret: Charon, vt domum adornaret. Ego autem & Theocritus ad Simmiam rediimus, vt Epaminondam per occasionem alloqueremur. Illi verò iam processerant longè in tractanda quæstione non ignobili, sed quam paulo antè Galaxidorus & Phidolaus attigerant, disquirentes cuiusnam substãtiæ aut facultatis fuisset genius ille qui Socratis dicitur. Quæ ad Galaxidori argumentum responderit Simmias, non audiuimus. Aiebat autem Simmias aliquando hac de re ipsum Socratem fuisse abs se interrogatum, sed nullum dedisse respõsum: ideóque posthac nunquam quæsiuisse. Sępe autem se interfuisse, cùm Socrates eos qui visum quoddã diuinum sibi oblatum dicerent, arrogantes iudicaret: iis verò animum adverteret, qui vocem aliquam se dicerent audiuisse, & de ea seriò percunctaretur. Itaq; nobis, cum seorsim inter nos ista consideraremus subiit suspicari, Socratis genium non visum aliquod, sed vocis cuiusdam brutę obseruationem esse, ad ipsum mira quadam ratione delatæ. sicvt in somnis quoq; vox non est, sed orationum quarundam opiniones concipientes pu tant se loquentes audire. Verùm his quidem re vera ista perceptio somnium fit ob quiete m & trãquillitatem corporis dum dormiunt: & animũ ægrè habent meliori principio obtemperãtem. ac defatigati tumultu perturbationũ & occupatione, multiplici rerũ necessariarum, exaudire id quod significatur iisq; mentem advertere nequeunt. Socratis autem mens pura & perturbationum vacua, paulúmq; habens cum corpore commercij necessitatis gratia, facilè tangebatur, & ab eo quod accideret sic vt par erat mutabatur. Quod autem accidit, id non sonum, sed vocem genij sine sono fuisse pro babile est, quæ ipsum intellectum eo quod significabat attingeret. Vox quidem ictui animi similis est, nobis per aures orationem vi penetrantem recipientibus dum colloq uimur. Præstantioris verò naturæ mens animum idoneum ducit attingẽ ns eo quod intelligitur, neque ad hoc ictu opus habet. animus concedit ei intendenti aut laxanti appetitiones, non vi ob perturbationes animi reluctantes, sed quæ facilè tanquam habena circumagantur. Neque mirum hoc haberi debet, cùm videamus magnas onerarias naues exiguis clauis circumduci: & rotam figuli summa manu leuiter tactam pulcrè in gyrum volui. quæ quanquam anima carent, tamen ad cursum aptè facta, ob leuitatem mouenti concedunt impulsione facta. Animus autem hominis innumeris appetitionibus quasi rudentibus constrictus, longè est quàm vllum aliud instrumẽtum versatilior, facilique momento ab eo quod intellexit impellitur si quis ratione tangat. Hinc enim in mentem principia affectionum & appetitionum proficiscuntur: eáque exagitata, trahunt intendúntque hominem. Quo loco maximè perspici potest, quantam vim conceptus intellectus habeat. Ossa quippe sensus expertia, & nerui, ac carnes humorum plenæ, grauísque moles corporis ex his compacta quiesciens ac iacens: simul atque animus sobriè ictus appetitiones in sese ciet, tota surgens contentis viribus, omnibúsque membris velvti alata fertur ad agendum. Neque non, aut adeò difficulter potest cerni modus motionis istius atque intentionis & excitationis, quo animus intelligens aliquid, appetitionibus suis corpus secum trahit. Sed quando admodum sine voce ratio mente concepta nullo negocio mouet: sic puto non difficulter à mente præstantiori foris attingente intellectum nostrum cieri: quatenus rationi cum ratione contactus est, vt lumini cum resplendentia. Reuera enim animorum nostrorum sensa invicem per voces tanquam in tenebris palpantes cognoscimus. Geniorum cogitationes lucem habent, affulgéntque idoneis, nihil opus habentes verbis aut vocabulis: quibus invicem vtuntur homines vt tesseris & imaginibus animo conceptorum: ipsa hæc non percipiunt, nisi quibus peculiaris quidam adest & diuinus, vt dixi, splendor. Iam quod in voce fit, est quatenus fidem derogantibus persuaderi possit. Aër nimirum sonis articulatis informatus, totúsq; in vocem mutatus, notionem mentis ad animum audientis perfert. vt mirari dignum sit, si hac ratione etiam præstantioris mentis conceptu aër ob facilitatem patiendi conversus, diuinis & singularibus viris orationẽ mentis intrò a nnunciet. Sicvt

Rursum de Socratis genio.

enim cõtorum ictus scutis æreis impacti exaudiuntur ob resonantiã, cùm è profundo elati accidunt: reliqui ictus obscurè transeunt & fallunt. sic geniorum orationes feruntur per omnia, in solis tamen resonant tranquillis & perturbationum vacuis animis: quos homines iam sacros & diuinos nuncupamus. Cæterùm plerique putant genium dormienti homini diuinum aliquid inspirare: mirum & incredibile eis videtur, vigilantibus etiam ac mente sibi constantibus tales motus contingere. quod perinde est, ac si quis musicum putet lyra remissos habenti neruos vtentẽ, si ea cõcinnetur atque suis tonis componatur, non vsurum. Causam scilicet hi non perspiciunt, animi sui tumultus & inconcinnitatem. quorũ vacuus fuit socius noster Socrates: quod patri de puero eo etiamnum datũ oraculum prædixit. mãdabat enim patri, vt sineret eum agere quidquid in mentẽ venisset, & neque vim faceret, neque alio abduceret, sed liberã pueri appetitionẽ ferri pateretur: ac pro eo vota faceret Ioui Foresi & Musis, de cætero in Socratem nihil curiosè inquireret. nimirum qui in se ducem vitæ haberet sexcẽtis magistris & pedagogis præstantem. Atque hic quidẽ meus, Phidelae viuo ac mortuo Socrate de genio eius fuit sensus, spretis omnibus, sternutationibus, aliis talibus rebus. Quæ aũt Timarchum Chæronensem audiuimus hac de re disserere, haud scio an pro fabulis habituri sitis, præstẽtque ea reticere. Nequaquã, inquit Theocritus, sed narra isthæc. nã vt non planissimè, alicubi tamen etiã fabulæ veritatem attingunt. Priùs tamen quis ille fuerit Timarchus expedi: nõ enim noui hominẽ. Cõsentaneũ est, aiebat Simmias, mi Theocrite. Admodũ enim adolescẽs à Socrate petiit vt sepeliretur iuxta Lãproclem Socratis F. paucis antè diebus mortuũ. amicum & æqualẽ suum. Is ergo cupiens Socratis genius quam vim haberet cognoscere, vtpote iuuenis generosa indole, & qui recens philosophiam gustauisset: re mecum & cum Cebete tantùm communicata, in oraculum Trophonij descendit, ritè peractis omnibus. cúmque duas noctes & vnum diem ibi exegisset, iam plerisque actum de eo esse putantibus, & familiaribus eum deplorantibus, manè admodum hilaris rediit. deúmque comprecatus, vt primùm turbam evasit, nobis mira multa narrauit visa sibi & audita. Aiebat se, cùm descendisset in oraculum, initio in magnas incidisse tenebras: votis deinde factis diu iacuisse, non satis sentientem vigilarétne an somniaret. visum autem sibi caput strepitu vnà accidente percussum fuisse, & suturis invicem discedentibus animum exiuisse. Qui (verba ipsius refero) simul atque recedens, aëri pellucido & puro permixtus fuit, idque lubens, tunc primùm longo post tempore sibi respirare est visus, hactenus oppressus: maiórque pristino factus fuit, instar veli à vento inflati. Audiui deinde obscurè quendam strepitum supra caput circumagitatum, & suauem emittentem vocem. Suspiciens autem, terram nusquam vidi, sed insulas splendentes molli igni, mutantes alium ex alio colorem, vnde variè quasi tingeretur lumen istis mutationibus. Visæ sunt mihi insulæ numero infinitæ, magnitudine immodica, non æquales omnes inter se, sed similiter rotundas. His putabam in orbem circumvectis, substrepere ætherem. nam leuitati motus respondebat vocis illius lenitas, ex omnibus concinnatæ. Per medias insulas mare aut palus diffundebatur, coloribus glauco admixtis refulgens: Insularum paucæ per fretum enabant, & trans paludem efferebantur: aliæ multæ * attrahebantur * ferè subsidentibus. Maris profunditas quibusdam in locis versus Austrum magna: alibi stagna & breuia erant. passim etiam effundebatur & recedebat non magnis æstibus. color alibi sincerus, & marinus, alibi confusus & paluistris. Insulæ simul etiam traiicientes impetu fluctuum revertebantur: neque motus earum finis ad principium redibat, neque circulum conficiebant, sed conversione sua paulatim loco excedentes gyrum in se non redeuntem trahebant. Harum ad medium maximè ambientis inclinatum erat mare, paulo minus octaua Vniuersi parte, vt mihi (aiebat) videbatur. Habet autem duos apertos meatus, quibus adversi fluuij ignis irrumpentis excipiuntur: quo igni magna pars glauci caloris in albedinem vitiatur. Hoc mihi spectaculum fuit iucundum. Deorsum autem intuenti, apparuit hiatus ingens teres, velut exciso globo, terribilis valdè & profundus, & plenus tenebrarum non quiescentium, sed subinde conturbatarum & exæstuantium. Hinc exaudiebantur infiniti rugitus & gemitus animalium, vagitus infantium, mixti virorum & mulierum eiulatus, omnis generis soni & tumultus eminus è profundo sursum obtusè elati: quibus haud mediocriter fui perterritus. Procedente tẽpore quidã à me nõ conspectus dixit mihi,

Oraculum de Socrate.

Narratio fabulæ Timarchi.

mihi, O Timarche, quid cupis cognoscere? Omnia, inquam ego: quid enim non est admirabile. Tum ille: Ad nos quidem, inquit, superiorum istorum pars exigua pertinet: sunt enim aliorum deorum. Proserpinæ autem portionem, quam nos administramus, vnam de quatuor, vt Styx eas discernit, licet tibi si vis contemplari. Cúmque interrogassem quidnam Styx esset, Respondit viam esse ad Inferos, quæ progreditur in contrarium, vertice lucem scindens, & (vt vides) ex Orco sursum tendens, quâ lumen attingens, vltimam portionem vniuersarum rerum determinat. Sunt autem, dicebat, quatuor partes: prima vitæ, motus secũda, tertia ortus, interitus quarta. Colligat autem primam cum secunda, Vnitas, secundum id quod visum fugit: secundam cum tertia Mens secundum Solem: tertiam cum quarta, Natura secundum Lunam. Singulis harum compagum assidet Parca Necessitatis filia, clauem tenens: primæ Atropos, secundæ Clotho, tertiæ Lachesis, circa quam flexus est originis rerum. Nam reliquæ sanè insulæ deos habent: Luna, quæ est geniorum in terra degentium, Stygem effugit paululum sublimiùs elata: semel ab ea occupatur in secundis mensuris CLXXVII. Itaque Styge appetente ad Lunam, animæ vociferantur præ metu. Multas enim Pluto rapit delabentes: alias Luna adnatantes sursum evehit, quibus in tempus nascendi interitus incidit. Exceptis quæ sceleribus sunt pollutæ. has enim fulminans & mugiens horrendum, non sinit appropinquare: sed suam lamentantes exitium, inde prolapsæ deorsum feruntur rursum ad alium ortum, vt vides. Atqui nihil video, aiebam, quàm multas stellas circa hiatum agitari, aliásque in eum demergentes, alias sursum tendentes. Ipsos ergo, inquit ille, genios videns ignoras: res enim ita habet. Omnis anima mentis est particeps. neque rationis expers in homine aliquid est, nisi quantum carni permixta anima & perturbationibus mutata voluptatibus & doloribus ad brutam desciscit naturam. Non omnis autem anima eodem modo miscetur. Nam aliæ totæ in corpora se demergunt, prorsúmque in vita perturbationibus corrumpuntur. Aliæ verò interdum se emergunt, & foras relinquunt purissimam partem, non planè subsidentem in corpus, sed velvti in superficie nauigans capite hominem quæ tangat: eique velvti in profundum demerso supra verticem suspensa & recta manet anima, quatenus menti parens non vincitur à corporis affectibus. Ergo id quod quasi demersum in homine fertur, anima dicitur. Quod autem ab interitu immune est, plerique mentem vocantes intra ipsos esse opinantur: quasi in speculis sint ea, quæ in iis resplendent. qui rectè intelligunt, ij foris esse sentiunt, geniúmque appellant. Proinde cùm cernis stellas quæ exstingui videntur, animas intellige quæ totæ in corpora se abdunt. rursum verò emicantes effulgentésque sursum, caliginem quandam & tenebras velvti cœnum excutientes: eas scito, quæ à morte è corporibus huc redeunt. quæ supernè differuntur, genij sunt hominum, quos sapientes dicunt. Conare autem vnius cuiuslibet vinculum quo cum anima constringitur perspicere. His ego auditis, accuratiùs spectaui stellas alias magis, minùs alias fluctuantes: quo modo in mari videmus differri hinc inde suberis taleas quibus retia indicantur: alias fusis conglomeratis similes motu agitari inæquabili & conturbato, neque posse eum in recta constituere linea. Tum vox ista dixit. Quæ recto & ordinato motu feruntur stellæ, eas ob bonam educationem & conveniens alimentum corporum, animis vti obsequentibus, & quorum bruta facultas non sit planè terrestris & cœnosa. Quæ verò sus déque crebrò inæqualiter & conturbatè vergunt, velvt ruptis vinculis palpitantes: eas conflictari cum refractariis & indomitis ob prauam institutionem ingeniis. & aliquando vincere, & ad dextrum redigere ea latus: interdum flecti perturbationibus, & ad peccandi societatem pertrahi: rursum deinde eniti. nam copulam, velvti frænum brutæ parti animæ iniectum, quando retrahit, pœnitentiam peccatis inducere & voluptatibus iniustis atque intemperantibus. hanc esse dolorem ictúmque animæ à principe parte illatum refrænante animam, donec ita castigata obtemperare discat, & cicurata pecudis instar absque ictu & dolore sentiat se tesseris argutis signísque à genio duci. Atque hæ quidem, aiebat vox illa, serò & tardè ducuntur, constituuntúrque in statu ipsas decẽte. Ex obsequẽtibus aũt istis & mẽti vltrò parentibus ab ortu & initio genij sui, sunt diuinæ illæ & cum numinibus colloquentes animæ. Qualis fuit * Hermodori, Clazomenij anima: quã audiuisti nimirũ corpore omnino deserto noctes diésque multa peruagatã loca, rursum in corpus rediisse, cùm præsens multis in lõginquo

* Hermotimus est aliis.

dictis ac factis intervenisset: donec inimici corpus animæ vacuum prodente vxore nacti domi combusserunt. Hoc quidem verum non est. non enim egressa est è corpore anima: sed identidem cōcedens & laxans genio compagem, circumcursitationem admisit, vt is multa foris audita ac visa intrò annunciaret. Qui verò dormientis corpus cremauerunt, etiamnum in tartaro supplicium pendunt. Verùm hæc tu, adolescens, tertio pòst mense plenius scies. nunc abi. Ego autem voce sistente, aiebat Timarchus, convertens me videre volui quis loqueretur. sed denuò graui capitis dolore correptus tanquam vi compressi, nihil sentire, nihil intelligere eorum quæ circa me erant potui. deinde paulatim ad me rediens, vidi me in antro Trophonij apud introitum, vbi initiò procubueram, iacere. Atque hæc est Timarchi fabula. Qui cùm Athenas venisset, & tertio mense post auditam vocem mortuus esset: Socrates, cùm admiratione ducti rem ei narraremus, increpauit nos, quòd non viuo Timarcho hoc fecissemus: per enim libenter se auditurum ista, & diligentiùs examinaturum fuisse. Habes Theocrite expositam fabulam. Sed vide, an non hospes quoque nobis exhortandus sit ad hanc quæstionem tractandam. est enim omnino diuinis conveniens viris. Quid, aiebat Theanor? Epaminondas suam sententiam non profert, eadem institutus disciplina? Tum pater renidens: Tale, inquit, est eius ingenium, taciturnum, & cautè ad loquendum se dans, audiendo & discendo inexsaturabile. itaque etiam Spintharus Tarentinus, cum eo hic non exiguum versatus tempus frequenter dicebat, In neminem se hominem suæ ætatis incidisse qui & plura nosset, & pauciora loqueretur. Itaque tu quæ sentis hac de re edissere. Ibi Theanor ita dixit. Timarcheam quidem narrationem, tanquam sacram & inviolabilem, aio dedicandam esse numini. Miror autem si futuri sint qui à Simmia dictis fidem denegent: & cùm olores, dracones, canes, equos sacros nominēt, homines diuinos esse ac diis caros inficientur. cùm quidem deum non auium, sed hominum amatorem censeant. Enimverò sicvt vir equorum studiosus, non omnibus eandem equis curam impendit: sed aliquem semper optimum eximium habens seorsim exercet atque alit, & maiore quàm cæteros amore prosequitur. sic dij de nobis optimos velvti è grege notatos aliquos, peculiari dignantur institutione: non frænis aut habenis, sed doctrina & tesseris dirigentes: quarum vulgus & gregarij prorsus imperiti sint. Nam neque canum plerique, indicia vestigiorum, neque equorum, artis equestris signa intelligunt: sed qui didicerunt, quovis sibilo aut plausu percipiunt quid iubeantur, ac facilè officium peragunt. Videtur autem mihi Homerus quoque hanc nostri generis differentiam, quam dico, habuisse cognitam. Nam vatum alios augures, alios sacerdotes nominans, quosdam facit qui ipsorum deorum colloquia intelligant, itáque futura prædicant.

Epaminondæ laus.

Istuc consilium Phœbo, glaucæq; Mineruæ
Arridens, Helenus persensit mente sagaci. &.
Namque meas talis superûm vox venit ad aures.

Iliad. xi, 44.

Ibi. 53.

Sicvt enim regum & imperatorum sentētiam exteri percipiunt è facibus quibusdam ardentibus, præconibus, tubis: quam fidis & familiaribus ij coràm exponunt. sic numen paucos per se, idque raro, compellat: plerisque signa suggerit, è quibus signis diuinatio est confecta. Nam dij paucorum hominum vitam exornant, quos summè beatos & verè diuinos reddere volunt. Animi autem ortu liberati, & vacantes postmodo à corpore, vt liberi prorsus emissi, genij sunt, curam hominum gerentes, vt ait Hesiodus. Et sicvt athletæ senectute eis vacationem artis largita non omne tamen protinus abiiciunt studium & curam corporis: sed delectantur cùm alios exerceri vident, exhortantur, iisque præstò adsunt. ita confectis vitæ ærumnis animi ob præstantiam in genios versi, non planè despiciunt res humanas, hominúmque rationes & studia: sed propicij iis qui eundem finem affectant, adiuuant eorum conatus: incitantes & provehentes, cùm eos vident propinqua spe contendere ad finem, eúmque iam attingere. Non enim quosvis genius arripit. Sed sicvt de iis qui natant in mari, eos qui in alto adhuc feruntur & procul à terra absunt, in terra stantes duntaxat spectant: litori autem appropinquantibus iam accurrentes & in aquam descendentes
* manu simul & voce succurrunt, eósq; eripiūt. ita, amice genius solet nos iam obrutos
* à rebus, & multa corpora tanquam vehicula mutantes, ipsos eluctari, & tolerare, pro-
* pria expertos virtute seruare, & ad portū pervenire. Quæ verò per innumeros ortus ærum-

ærumnis exactis grauibus anima, iam bene & alacriter circuitione absoluta, ad ipsum exitum laborat & periclitatur multo cum sudore enitens sursum: huic quin familiaris eius genius opituletur, non invidet deus, sed volentem sinit. studet autem alius aliam seruare exhortando: & audit illa ob propinquitatem, ac seruatur: non obtemperans autem, discedente genio, misere agit. His ita dictis Epaminondas in me intuens, Tibi quidem, inquit, Caphisia tempus adest iam in gymnasium eundi, neque destituendi familiares. nos Theanorem curabimus, & vbi visum fuerit concilium dimittemus. Tum ego: agetur, inquam, ista. sed parumper me præsente & Galaxidoro tecum colloqui cupit hic noster Theocritus. Colloquantur, inquit, bona fortuna. simúlq; surgẽs ad anfractum porticus præcessit. nósq; circumfusi cepimus eum ad societatem facinoris exhortari. Ille autem & probe sibi notum diem reditui exsulum destinatum aiebat, & cum Gorgida amicis esse ad opportunitatem vsurpandam omnia composita. se autem nolle quenquam ciuium indicta causa occidere, non graui vrgente necessitate: præterea etiam ad multitudinem Thebanorum esse hoc vtile, inveniri quosdam facinoris innocentes: qui eo facilius citra suspicionem persuadere optima deinde possint. Hac sententia probata, frater ad Simmiam se recepit. Nos in gymnasium degressi amicos convenimus * atq; cum vno post alterum concertans, alia quæsiuit, alia composuit ad rem gerendam pertinentia. Vidimus etiam Archiam & Philippum vnctos ad cœnam abire. Metuẽs enim Phyllidas ne ante cœnam Amphitheum tyrãni interficerent, statim atq; deducto Lysanorida rediit, Archiam salutans, & de muliere quam is concupiscebat spem iniiciens, eam isthuc venturam, persuasit vt cum suarum libidinum sociis animo ocioso obsequeretur. Sub versperam iam frigus se intendit vento oborto. ideóq; plerisq; maturius domum se conferentibus, nos Damoclidam, Pelopidã, & Theopompum obvij facti ad nos recepimus, alij alios. nam statim traiecto Cithærone divulserant sese, & tempestas hoc eis conferebat, vt facie quisque velata citra metum per vrbem incederit. quibusdam etiã per portas intrantibus fulgur à dextra sine tonitru affulsit: quod videbatur securitatem portẽdere, ac gloriam & splendorem facinus illustre sine periculo cõfecturis. Cùm omnes iam in domo Charonis essemus, numero duodequinquaginta, iam Theocrito in quodam conclaui seorsim hostiã mactante: fores vehementius concrepuerunt. venitque mox quidam nunciãs duos Archiæ apparitores pulsare ostium, festinanter ad Charonem missos, qui aperiri iuberẽt, indignarentúrq; id nõ esse actutum factum. Turbatus hæc Charon, aperiri illis statim iussit: ipse coronatus eis occurrens, tanquam qui sacrificasset & potaret, quæsiuit ex apparitoribus, quid vellent. alter eorum respondit, Missos se ab Archia & Philippo, ipsum quam celerrime ad se venire iubentibus. cúmque interrogaret, cur ita serio ipsum hoc tempore accerserẽt: Nihil, inquit apparitor, nobis præterea notum est. Sed quid renunciabimus eis? Nimirum, aiebat Charon, me posita corona & veste sumta vos subsecuturum. nam si nunc vobiscum eam, quosdam turbabo, qui me captum duci putabunt. Sic ergo, dicebant, facito. nam & nos oportet custodibus vrbis mandatũ aliquod magistratus adferre. Cùm hi abiissent, & ad nos Charon esset ingressus, hæcq; significasset: perterriti omnes sunt, indicium rei delatum esse putantes. & plerisq; suspectus erat Hipposthenidas, quasi qui conatus reditum exsulũ opera Chlidonis impedire, infecta hac re & periculi iam tempore imminẽte indicium conspirationis detulisset præ metu. atq; hoc fiebat probabile, cùm in Charonis domum se cum aliis non contulisset, totúsq; videretur improbus & desertor. Nos tamẽ vniuersi Charonem cẽsuimus ire debere, & vocãtibus magistratibus obtẽperare. Charõ aũt filium accersens, pulcerrimũ ô Archedame Thebanorum, & in gymnasiis laborũ studiosissimũ, annos natum fere quindecim, sed æqualibus robore & magnitudine multo anteuntem: Hic, inquit, amici vnicus meus est filius, &, quod nostis carus. hunc ego vobis trado, vósq; per deos omnes, omnes genios obtestor, siquid mala fide vobiscũ agere me sentietis, vt eum nulla habita nostrûm ratione intefficiatis. vos autem porrò adversus evẽtum vosmet parate viri, neq; cõmittite vt à pessimis hominibus corpora vestra interficiantur re parũ viriliter & sine decore gesta: sed vlciscimini hostes, invictósq; animos patriæ seruate. Ista locuto Charone, magnitudinem quidem animi & probitatem hominis admirati sumus: sed quòd suspectum se nobis putabat, inique tulimus, atq; abducere filiũ iussimus. omnino autẽ, dicebat Pelopidas, nõ bono vsus consilio videre nobis Charon, qui non aliã in domum transtuleris filium. quid enim attinet eum hæc vnà

Historia cæsorũ Thebis tyrannorum.

Fortis in patriã amor.

nobiſcum depræhenſum periclitari: atq; adeò etiamnum ablegādus eſt, vt ſi quid nobis adverſi contingat, generoſus vindex in tyrannos clàm educetur. Minimè gētium, aiebat Charon. ſed hîc manebit, & vnà vobiſcū in diſcrimine verſabitur. nam ne hunc quidem expedit in poteſtatem hoſtiū pervenire. Tu verò, fili, etiam ante ætatem deguſta certamina neceſſaria, & cum multis boniſq; ciuibus pro libertate & virtute periculum adi. Multum quidem adhuc ſpei ſupereſt, ac fortaſſe aliquis nos deus reſpicit decertantes pro iuſticia. Hęc Archedame, verba hominis lacrymas multis excuſerūt. Ipſe nihil lacrymās, nihil emollitus, tradito in manus Pelopidæ filio, per fores exibat, dextram vnicuiq; noſtrûm iniiciens, & cohortās ad fiduciam. Magis etiā pueri ipſius admiratus fuiſſes alacritatem & cōfidentiam adverſus periculum, Neoptolemi æmulam. non enim expalluit, non pauit: ſed gladium Pelopidæ extraxit atque cōtemplatus eſt. Interim ad nos venit Diotonus Cephiſodori amicus gladium geſtans, & loricā ferream indutus. qui cum audiret Charonem ad Archiam eſſe vocatum, culpabat noſtram cūctationem, inſtigabátq; vt ad ædes iremus. fore enim, vt anteverteremus eos ſubitò irruentes: aut ſi res ſecus caderet, præſtare ſub dio congredi cum hoſtibus incompoſitis & palantibus, quàm in domuncula incluſos manêre, donec apum examinis inſtar ab hoſtibus eximeremur. Sed & Theocritus vates inſtabat, quòd ei ſacra ſalutaria, pulcra, & ſecuritatem ſpondētia eveniſſent. Cùm iam nos armaremus & componeremus, redit Charon hilari vultu, ac renidens, & in nos intuens. Bono, inquit, eſte animo: res periculo caret, & ſuccedit probè. Archias enim & Philippus vt audiuerunt me vocatum adeſſe, iam vino graues, & animis iuxta ac corporibus diſſolutis, ægrè ſurgētes foras ad oſtium proceſſerūt. Hæc cùm dixiſſet Archias, Audimus ô Charon exſules in vrbem ſubrepſiſſe, inq; ea occultari: Ego non leuiter perturbatus, Vbinam, inquam, eſſe, & qui dicuntur: tum Archias, Ignoramus, ait, ideóq; te venire iuſſimus, ſi quid tu fortaſſe certiùs inaudiuiſſes. Ego parumper velvti conſternatus animū recolligens, rumorem ratiocinatus ſum eſſe hoc indicium, nihil certi, neq; rem ab vllo conſciorum elatam: nō enim domum eos ignoraturos fuiſſe, ſi quis rem compertam detuliſſet: ſed aliâs ſuſpicionem aut obſcurum rumorem vrbem pervagatum ad eos perveniſſe. Dixi ergo Archiæ. Viuēte quidem Androclida ſæpenumerò memini tales rumores inanes & falſos ſermones nobis obturbaſſe. nunc autem nihil tale audiui Archia. tamen, ſi iubes, inquirā, ac ſi quid dignum cura comperero, nō patiar id à vobis ignorari. Planè, aiebat Phillidas, nihil ô Charō hac de re non veſtigatum & inquiſitum relinque. quid enim obſtat, quin nihil contemnamus, ſed omnia caueamus & obſeruemus: expedit prudentes eſſe & tutos. ſimúlq; Archiam apprehenſum in conclaue vbi potabant reduxit. Proinde viri ne ceſſemus, ſed deos comprecati exeamus. Hæc locuto Charone, diis vota fecimus, & invicē nos cohortati ſumus. Hora erat ea, qua maximè homines cœnæ vacant: & ventus ſeſe intendens niuem tenuis pluuiæ guttulis permixtā edebat: itaq; magna ſolitudo paſſim erat nobis per vicos euntibus. Qui in Leontidam & Hypatem (horū enim ædes erant vicinæ) mittebantur, tunicati ibant, nihil armorum præter gladios ſecum gerentes. erāt in his Damoclidas, Pelopidas, & Cephiſodorus. Charon aūt, Melon, & qui cū iis adorturi Archiam erant, ſemithoraces induti, coronas geſtabant denſas abiegnas alij, alij piceas: quidam & muliebribus induti amiculis, & ebrios ſimulātes qui cum mulieribus comeſatum irent. At enim Fortuna maligna, Archedame, hoſtium molliciem & ignorantiam noſtræ exæquans audaciæ atq; induſtriæ, actionémq; noſtram ludi in morem ſcenici iam inde ab initio periculoſis varians accidentibus, in ipſum rei gerēdæ articulum præcipitem & ſummo cum diſcrimine coniunctū noſtro caſum intulit. Cùm enim Charō ab Archia & Philippo domum reverſus nos ad facinus inſtrueret: ecce tibi venit Athenis epiſtola ab Archia ſacerdote ad Archiam tyrānum amicū (vt apparet) hoſpitémq; eius, reditum exſulum, & inſidias, & domū quā ſubiiſſent, & nomina adiutorum nunciās. Sed Archias iam vino fractus, & mulierū exſpectatione dementatus, acceptā epiſtolam, cùm tabellarius de rebus ſeriis ſcriptā diceret, In craſtinum ergo ſeria inquiēs, puluinari ſubiecit, poculúmq; popoſcit, & infundere iuſſit: crebrò interim Phyllidā ad fores mittēs ſpeculatū an mulieres accederent. Hac ſpe conviuium producēte, ſupervenimus nos, & rectà per famulos perrumpentes ad virorū cōclaue acceſſimus, paululúmq; ad fores ſubſtitimus, ſingulos accumbentium contēplantes. Cæterùm coronarum & veſtiū conſpectus decipiens adverſarios, ſilentium fecit. Vt verò primus Melon per

lon per medium sese intulit manu capulo ensis admota: Cabirichus fabarum sorte archon (magistratus id genus) creatus, prætereuntem brachio appræhendit, & exclamauit, Nonne hic est Melon, Phyllida? Huius itaq; Melo excussit manum, strictoque gladio in Archiam ægre assurgentem irruens, non ante finem feriendi fecit quàm necauit. Philippum Charon in collum vulnerauit: & poculis adiacentibus se defendere aggressum, Lysitheus à lecto in terram deturbans interfecit. Nos autem Cabirichum demitigabamus, orantes ne tyrannis vellet opitulari, sed patriæ liberandæ adiumento esse, homo sacer, & diis propter eam consecratus. cùm autem ob merum non facilè in mentem ei veniret quid vtile esset, & dubius animi surgeret perturbatúsq;, atque hastæ (quam pro more gerunt semper apud nos archontes) cuspidem obiiceret: ego mediam arripui & supra caput eleuaui, clamans vt dimitteret suæq; saluti consuleret, aliâs percussum iri. Theopompus autem à dextra adstans, gladio eum feriit. & Hæc, inquit, iace cum iis, quibus adulatus es. non enim tu liberatis Thebis coronam geres, neq; porrò diis sacrificabis, à quibus patriæ sæpenumerò mala es imprecatus pro hostibus vota facies. Occiso Cabiricho Theocritus, qui vnà nobiscũ aderat, sacram hastã statim è cęde rapuit. famulorũ paucos resistere aggressos nos interfecimus: eos qui se continebant, in conclaue inclusimus, quod nollemus eos dilapsos rem actam enũciare antequam sciremus an reliquis etiam sociis res successisset. Ii verò sic egerunt. Pulsauere qui erant cum Pelopida ianuam Leontidæ, ad quam tacitè accesserant: & famulo qui exaudiuerat eos dixerunt, venire se Athenis, Leontidæ litteras à Callistrato adferentes. is vbi renunciauit, iussúsque aperire amouit repagulum, paululúmque fores aperuit: confertim irruerunt, subversoque homine per aulam ad cubile accurrerunt. Leontidas verò confestim id quod res erat suspicatus, stricto pugione erupit ad vim profligandam: vir sanè iniustus & tyrannicus, sed animi corporísque robore præditus. Non tamen sensit sibi lucernam esse subvertendam, & per tenebras cùm irruentibus depugnandum. itaque in luce à nobis conspectus, simul atque fores aperuit, Cephisodorum in ilia ferit, móxq; cum Pelopida congressus, seruos magno clamore invocat. Hos autẽ Samidas & qui cum ipso erant represserunt, non ausos manũ cõserere cum nobilissimis & fortissimis ciuium. Digladiabatur in ianua cubilis cum Leontida Pelopidas acriter, quæ arcta erat, & iacebat in medio Cephisodorus animã agens, ita vt reliqui opem ferre Pelopidæ nõ possent. tandẽ noster in caput accepto non magno vulnere, multis illatis deiecit Leontidam, supráq; calentem etiãnum Cephisodorum iugulauit. vidit enim cadere hostem Cephisodorus, & Pelopidę dextrã iniecit, reliquísq; consalutatis placidè simul exspirauit. Hoc cõfecto ad Hypaten contendunt, foribúsq; eodem ipsis pacto apertis, Hypaten per tectũ quoddam ad vicinos fugientem obtruncant. Inde ad nos properant, forísq; apud Polystylum conveniunt. Hæc mutuò dicta salute de rebus collocuti, ad carcerem contendimus. Tum Phyllidas carceris præfectum evocans, Archias, inquit, & Philippus iubent te continuò Amphitheum ad ipsos ducere. Ille verò & temporis absurditatem considerans, & Phyllidam parum compositè loqui animadvertens, vtpote adhuc calentem à certamine & æstuantem, suspicatus fraudem: Quando, inquit, ô Phyllida polemarchi hoc temporis ad se captiuum vocauerunt? quando per te? quam adfers tesseram? Loquentis adhuc latus Phyllidas conto equestri, quem gerebat, traiecit, improbúmque hominem prostrauit: quem etiam interdiu calcauerunt & cõspuerunt haud paucæ mulieres. Nos foribus carceris diffissis nominatim evocauimus, primùm Amphitheum, deinde reliquos, vt quisq; cuiq; notus aut necessarius erat, captiuos. qui voce agnita læti è stratis in quibus humi procumbebant se proripuere, catenas secum trahentes. quibus verò pedes in ligno erant inclusi, ii manus intendentes obsecrabant ne relinquerentur. His solutis, iam multi in vicinia habitantium accurrebant, sentientes quid actum esset, & gaudentes. Mulieres quoque, vt quæque è suis audiuit, non seruato Boetico more vna ad aliam excurrerunt, & quid rei esset ex obviis quæsiuerunt: aliæ patres aut maritos suos reperientes, secutæ sunt. Neque prohibebat quisquam. magnum enim apud obvios momentum faciebat earum misericordia, lacrymæ, & obsecrationes castarum mulierũ. Hoc modo rebus habentibus, ego audiẽs Epaminondam & Gorgidã iam cum amicis congregari ad Mineruæ, ad eos me contuli. Veniebant aũt multi cõfertim & boni ciues, ac subinde plures confluebant. Itaque cùm illis ordine singula vti gesta erant narraui, hortatúsq; sum vt in forum progressi

patriæ opitularentur: simul omnes ciues ad libertatem publico præconio vocauimus. Turbæ coëunti arma suppeditabant cùm ædes omnis generis spoliorum plenæ, tum tabernæ fabrorum gladiariorum vicinæ. Venit etiam Hipposthenidas cum amicis & seruis, adscitis qui tum fortè ad Herculis festum advenerant Thebas tubicinibus. Statim verò alij è foro signum cecinerunt, alij aliunde, vndique adversariis terrorem obiicientes. ita vt omnibus desistentibus, alij etiam fumum edentes * ad Cadmiam fugerunt, secum trahentes etiam eos qui meliores dicuntur, solitos circa arcem & * pernoctare. Qui arcem tenebant, his incompositè & trepidè accurrentibus, cùm nos in foro viderent nullibi quiescere, vndique tumultus & strepitus edi: de descendendo nullum iniverunt consilium, quanquam erant numero ad IↃↃ. sed metu periculi se continentes, Lysanoridam prætexebant. Manere enim * illius diei. Itaque hunc Spartani postea, vt rem compererunt, pecunia multarunt. * Corinthi adepti statim interfecerunt. Cadmiam autem nobis certo pacto inito reddiderunt, & præsidium abduxerunt.

Vide Pelopidam Plutarchi.

PLVTARCHI

De Herodoti malignitate commentarius.



ERODOTI multos, Alexander, & dictio vt simplex, & nullo labore ac facilè rebus sese applicans decepit: plures etiam ingenium eius cādidum falsò suspicati sunt fuisse. Non enim modò extremæ est, vt Plato ait, iniusticiæ, videri iustum cùm non sis: sed summæ est malignitatis simulando facilitatem & simplicitatem, iniquissimum se præbere. * maximè adversus Bœotos & Corinthios vsus est, ne aliis quidem parcens: existimo debere me & maiores nostros & ipsam veritatem tueri, in hac ipsa operis parte. nam qui alia eius mendacia & figmenta velit recensere, multis opus habuerit libris. Sed, quod ait Sophocles,

Persuasionis vultus eualet ——

maximè in gratiosa oratione & tantam vim habente, cùm alia absurda, tum indolem scriptoris occultare. Philippus quidem Græcis ab ipso ad T. Quinctium deficientibus dicebat eos læuiori sanè, sed longiori iugo colla submisisse. At Herodoti malignitas est sanè læuior & mollior quàm Theopompi magis autem attingit & lædit. Sicvt venti per angustias occultè spirantes, molestiores sunt apertis. Videtur autem commodum fore, vt rudi Minerua delineemus, quæ communiter non puræ aut benevolæ, sed malignæ narrationis quasi vestigia & notæ sint: deinde singula eorū quæ examinabimus eò collocaturi quò pertinent. Primùm si quis in re narranda aliqua odiosissimis nominibus vtitur, cùm in promtu sint molliora: (vt si quis Niciam diuino furore percitum dicat, cùm nimis deditum diuinationi dicere liceat: aut Cleonis ferociam & insaniam, cum possit futilitatem.) is non equus est, sed fruitur iam suo modo loquendi. Deinde siquid vitij inest aliâs, quod ad historiam nihil facit: id scriptor arripiens, & in res nullo vsu admiscens narrationem extendit & per ambages circumducit, vt calamitatem alicuius aut flagitium vel actionē illaudabilem inserat: satis ostendit se maledicendo oblectari. Itaq; Thucidides ne Cleonis quidem peccata, quæ plurima erant, perspicuè recensuit. & Hyperbolum popularem oratorem vno verbo attingens, hominémq; malum appellans, missum fecit. Philistus etiam Dionysij in barbaros iniurias, quæ cum Græcis rebus connexæ non essent, vniuersas præteriit. Digressiones enim è narratione fabulis maximè permittūtur & antiquitatis explicationi: fierique ad laudandum debent. qui verò additamentum sermoni facit maledicta & vituperationes, videtur in tragicam incidere execrationem,

Indicia orationis malignæ.

Lib. IIX.

Pereas, qui calamitates hominum colligis.

Iam quod ab altera parte huic respōdet, nemo non videt. bonū scilicet aliquod videri impunè posse omitti. Sed tamē maliciosè hoc fit, quādo q̄d omittit̄ in locū incidit qui ad

ad historiam pertinet. Illibenter enim laudare non est quā libenter vituperare honestius, fortasse etiam turpius. Quartū ergo signū pono ingenij in historia scribenda parum æqui, cùm duo aut plures vna de re sermones feruntur, deteriorem amplecti. Sophistis quidem concessum est lucri aut gloriæ causa sententiā peiorem sumere defendendam. non enim fidem validam faciunt de rebus, & plerunq; non negant gaudere se absurdis & incredibilibus probabilitatem conciliando. Qui verò historiam scribit, debet quæ vera sit scribere. de incertis meliora videntur rectiùs quàm peiora prodi: & hæc sunt qui omninò prætermittāt. Verbi gratia de Themistocle Ephorus scribit, Eū Pausaniæ proditionem & quæ cum regiis ducibus tractaret legisse, non tamē passum sibi hoc persuaderi, neq; admisisse Pausaniam, à quo ad spei societatē vocabatur. Thucydides id, vt planè damnatum falsi, omisit. Porrò de rebus quas gestas constat, causa autem & institutum actionis in obscuro est, malignus est & iniquus qui in deteriorem partem coniecturas facit. vt Comici bellum à Pericle propter Aspasiam vel Phidiam incensum fuisse dicentes: non animi magnitudine & studio cōtendendi, retundere fastum Peloponnesiorum, & nulla in re concedere Lacedæmoniis volente. Præclaris enim & laudatis factis atq; rebus maligni causam qui subiiciūt vitiosam, calumniandóq; in sinistras abducunt suspiciones de latēte eius qui rē gessit consilio, quādo ipsum factum palàm vituperare non possunt: (vt qui cædem Alexandri tyrāni à Theba perpetratam non magnanimitati & odio malorum, sed obtrectationi cuidam muliebri imputant: Catonémq; aiunt mortem sibi consciuisse, quòd metueret ne Cæsar ipsum turpi morte afficeret,) hos liquet ad summam invidentiam & nequiciam nihil sibi fecisse reliquum. Etiam in modo agendi narratio historica malignitatem admittit: vt si pecunia quis, non virtute rem confecisse dicatur, quod de Philippo nonnulli perhibent: si nullo labore, & facilè, vt de Alexandro: non prudentia, sed felicitate, vt Timotheum inimici pingebant dormientem, & vrbes vltrò in retia eius ingredientes. Nam haud dubiè magnitudinem & pulcritudinē actionum deminuūt, qui generosè, laboriosè, per virtutem & sua ipsorum opera autores earū egisse inficiātur. Porrò qui apertè malè dicere volunt *morositatem exprobrare, ferociam, insaniā, nisi modum seruent. Hi verò obliquè & quasi ex abdito calumniis tanquam sagittis impetentes, deinde pedem referentes, eóq; se velantes q̄ non credere dicunt quæ omnino credi volunt: dum malignitatem negant, vlterius etiā illiberalitatis sese obligant. Quibus affines sunt, qui vituperationibus laudationes aliquas apponunt. vt Aristoxenus, qui cùm Socratem ineruditū, inscium, & libidinosum dixisset, addidit, Iniusticia tamen aberat. Sicvt enim qui ex arte & callidè adulantur, aliquando multis & longis laudationibus vituperationes admiscent leuiculas, velvti condimētum adulationi libertatem immittentes: ita malignitas vt fidem criminibus faciat, laudem simul ponit. Licebat autem plures etiam notas enumerare, sed hæ sufficiunt ad ingeniū moresq; Herodoti qualia fuerint declarandū. Primùm itaq; à Vesta, q̄d aiūt orsus, Iò Inachi filiam, quam omnes Græci à barbaris cultam diuinis honoribus, reliquisse multis maribus, & fretis maximis nomen à se ob gloriam censent, fontémq; & principiū nobilissimarum ac regiarum prosapiarū præbuisse: præclarus iste negociatoribus Phœnicibus se dedidisse ait, vitiatā à nauclero non invitā, & metuentē ne depræhenderet à suis grauida. Mentitúrq; Phœnices hęc de ea tradidisse: & Persarū narrationes ait testari, esse illā à Phœnicibus vnà cum aliis raptam mulieribus. Mox sententiam fert de pulcerrimo & maximo Græciæ facinore, stultè inquiens bellum Toianum fuisse susceptum propter malam mulierē. Manifestū enim est, inquit, nisi ipsę voluissent, futurū non fuisse vt raperētur. Proinde dicamus deos etiam stultè fecisse, qui Spartanos ob violatas Leuctris Scedasi filias puniuerūt: & Aiacē ob vim Casandræ factam. Manifestū enim est, si Herodoto credimus, nisi ipsæ voluissent, non fuisse futurū vt violarētur. Atqui ipse ait Aristomenē viuum fuisse à Spartanis correptum, idémq; postmodo Philopoemeni accidit Achæorū prætori, & Regulum Romanorū consulē ceperunt Carthaginienses: quibus nō facilè inveneris viros pugnaciores & bellicosiores. neq; mirū hoc, quādo pantheræ etiā viuæ & tigres abripiuntur ab hominibus. Herodotus verò vim passas mulieres accusat, & raptoribus patrocinatur. Ita aūt fauet barbaris, vt Busiridē sacrificiis istis, quæ feruntur, humanis, & hospitū nece absoluens, omnibúsq; Aegyptiis multū diuinitatis & iusticiæ suo quidem testimonio deferēs; abominandū illud scelus atq; scelesta paricidia in Græcos conetur avertere. Nam in secundo libro

Iûs raptio. initio Cliûs.

Menelaum ait cùm à Proteo recepisset Helenã, magnísq; esset affectus muneribus, iniusticia omnes superasse homines, & improbitate. Cùm enim nauigandi facultate destitueretur, commentũ esse rẽ impiam, arreptísq; duobus puerulus incolarũ, exta eorum inspexisse. *Homicidia pro sacrificiis.* ob hoc cùm laboraret inuidia, & essent qui persequerẽtur, profugum nauibus rectà in Africam fuisse avectum. Hæc narratio cuiusnam sit Aegyptiorum, equidẽ haud noui. Nam contrà apud Aegyptios multi Helenæ, multi Menelao honores etiãnum apud eos habẽtur. Idẽ Herodotus vt sibi similis maneret, Persas ait à Græcis violationẽ masculi sexus didicisse. At quî Græcis Persæ hui⁹ impuritatis mineruál debẽt, apud quos ferè omnes alij scriptores cõsentiunt mares fuisse exsectos, antequã Græcũ illi attigissent mare. Græcos autẽ didicisse ab Aegyptiis pompas, solennes festiuitates, & cultum horum XII deorum. Dionysi quoque nomen, (is est Bacchus) Melampodem ab Aegyptiis didicisse, & alios Græcos docuisse. mysteria quoque, & *De diis.* Cereris sacrorum initiationes ex Aegypto à Danais filiabus allatas. & verberari quidem Aegyptios ac lugere, sed nomina eorum nolle edere ac de numinibus os cõpe- * scere. Herculem autem & Bacchũ, quos Aegyptij deos appellãt, Græci homines qui consenuerint: nullibi istam adhibuit cautionem. quanquam Herculem quoq; Aegyptiũ in diis secundis ponit, Bacchũ in tertiis: vt qui aliquod ortus sui principiũ habuerint, neq; æterni fuerint. Sed tamen illos deos esse pronũciat, his vt caducis & heroib⁹ parentandũ putat, nõ sacrificandũ vt diis. Eadẽ de Pane etiã dixit: Aegyptiorũ superbis nugis & fabulis sacra Græcorũ maximè venerãda & casta subvertẽs. Neq; hoc satis atrox. *Libro sexto.* Quin & Herculis genus in Perseũ referẽs, Perseũ, inquit, Assyriũ fuisse Persę aiũt: Doriensiũ aũt duces videri possunt rectà vt genuini ab Aegyptiis descẽdere, recensentes in maioribus suis Danaẽs & Acrisij maiores. Nam Epaphum, Iò, Argũ, Iasum aliósq; omnino omisit, hoc sibi studio ducens nõ modò vt alios Hercules Aegyptios & Phœnices faceret: sed vt etiã tertium hũc è Græcia patria eiectũ in barbaros deportaret. At enim de priscis & doctis hominib⁹, neq; Homerus, neq; Hesiodus, neque Archilochus, neq; Pisander, neq; Stesichorus, neq; Alcmã, neq; Pindarus vllã habent mentionem Aegyptij aut Phœnicis Herculis: sed vnũ illum norunt Herculẽ no- *Solon. lib. 1.* strũ Bœotum & Argiuũ. Iam de septẽ sapientibus, quos ille sophistas nominat, Thaletem à Pœnis oriundum ac barbarũ genere pronunciat. Diis aũt maledicẽs sub per- » sona Solonis: Me, inquit, gnarum omne numen inuidum esse ac tumultuosum, de rebus humanis interrogas. suam enim de diis Soloni tribuens sentẽtiam, malignitatem *Pittacus. ibid.* impio sermoni adiunxit. Pittaco idẽ in paucis & memoratu indignis vsus, quod maximum ille vir edidit factum ac pulcerrimum, id omisit. Atheniensibus enim & Mitylenæis de Sigeo bellum gerentibus, Phrynoni Atheniensium duci ad singulare certamen provocandi si quis congredi vellet, occurrit, restíque circumiecto homine, robustum ac magnum, interfecit. ac Mitylenæis magna ei dona offerentibus, cõiecta hasta id duntaxat agri petiit, quò cuspis pertigisset: locúsque is etiamnum Pit- *Lib. V.* tacium dicitur. Quid hîc Herodotus? Cùm eò loci pervenisset, pro re à Pittaco bene gesta fugam Alcæi ponit, arma in prœlio abiicientis. bene facta non scribendo, turpiter acta non prætermittendo testimonium perhibens, qui ex eadem malicia nasci inuidiam & malevolentiam alienis gaudentem in commodis aiunt. Se- *Alcmæonidæ. Lib. 1.* cundum hæc Alcmæonidas, qui viros se præstiterunt, patriámque tyrannide liberauerunt, proditionis insimulans ait recepisse ab exsulio Pisistratum, & reduxisse in patriam pactis filiæ Megaclis nuptiis. puellam autem matri narrasse, à Pisistrato se non vt fas est cognosci. hoc scelus Alcmæonidas indignè tulisse, ac tyrannum eiecisse. Ne autem malignitas eius minus in Spartanos quàm in Lacedæmonios *Othryades. ibi.* redundaret, vide vt Othryadam, in summa apud illos admiratione & honore habi- » tum, fœdet. Vnum autem, inquit, de CCC superstitem Othryadem ferunt turpe » ratum Spartam redire sociis amissis, ibi ad Thyreas sibi ipsi manum intulisse. Supra enim cùm incertam fuisse vtrinque diceret victoriam, hîc pudore Othryadis victos fuisse Lacedæmonios arguit. turpe enim fuit ei viuere victo: at victori, superviue- *Crœsus.* re pulcerrimum. Mitto nunc, quòd Crœsum hominem indoctum, gloriosum, & ridiculum in omnibus faciens: ab eo capto Cyrum, qui prudentia & virtute ac magnanimitate facilè omnes reges excelluisse creditur, institutum atque officij admonitum scribit. Cúmque de Crœso nihil aliud laudabile testetur, quàm multis eum ac magnis donariis deos esse veneratum: hoc ipsum facinus impiissimum

fuisse

fuisse monstrat. Viuo enim patre Pantaleontem fratrem cum Crœso de regno contendisse. eo potitum Crœsum, vnum de sociis & familiaribus fratris in officina fullonis enecasse, donariáque ex eius pecunia facta diis misisse. Deiocem quoque, qui virtute & iusticia regnum in Medos sibi parauit, simulatione iusticiæ id ait esse consecutum. Sed mitto barbara, quando magnam exemplorum copiam res Græcæ sufficiunt. Athenienses, & plerosq; alios Iones ait nolle se Ionum nomine dehonestari, sed id fugere. qui verò se nobilissimos putarēt, & ex ipso Prytaneo Athenis profectos, eos prolē è barbaris procreasse vxoribus, quarū parentes & liberos interfecissent: ideóq; has legē tulisse, & filiabus quoq; suis seruandam iniunxisse, ne vnq; cū marito cibum sumerēt, aut eum nominatim compellarent: et qui nunc sint Milesij, eos ex istis ortos mulieribus. Postea subiiciens Iones puros esse eos qui Apaturia celebrāt: agunt, ait, omnes, Ephesiis demtis & Colophoniis. hos ergo sic nobilitate spoliat sua. Porrò Pactyā, qui Lydos vt deficerēt à Cyro induxerat, vt dederēt ait Cumæos & Mitylenęos preciū pactos egisse: quantū, se ignorare. Scilicet pręclarū est cùm fatearis te preciū ignorare, interim quasi probè cōperta re tantā vrbi Græcę infamiā impingere. Chios ait Pactyā ad se delatū ex Mineruæ poliuchi fano auulsum tradidisse, Atarnémq; mercedis loco accepisse. At Charo Lampsacenus ætate prior, vbi de Pactya ei sermo est, nullū tale neq; Mitylenæis neq; Chiis flagitiū imputat. Hæc autem sunt eius verba. Pactyes audito exercitum Persicum appropinquare, profugit primò Mitylenam, deinde in Chium: eúmq; cepit Cyrus. In tertio deinde libro Herodotus narrans Lacedæmoniorū adversus Polycratem tyrannum expeditionem, scribit Samios existimare & dicere, Spartanos ipsis gratiam rependere pro auxilio quondam iis adversus Messenios lato, ideóq; & exsules reducere Samios, & in tyrannū bellum mouere. Lacedæmonios autem id negare, ac dicere se non opitulandi, aut liberandi, sed vlciscendi Samios causa eam suscepisse expeditionem, qui missam ipsis à Crœso craterā, rursúmq; ab Amaside thoracē surripuissent. Atqui nullam ea tempestate vrbem ita & magnificam & tyrannis infensam nouimus, vt fuit Sparta. Cuius enim thoracis causa aut crateris Cypselidas eiecerūt Corintho & Ambracia, Lygdamin Naxo, Pisistrati filios Athenis, Sicyone Aeschinem, Thaso Symmachum, Phoce Aulin, Mileto Aristogenem, dominationem in Thessalis euerterūt, Aristomede & Angelo opera Leotychidæ regis deiectis? de quibus alibi copiosius scriptum est. Si autem Herodoto credimus, nihil sibi maliciæ, nihil stulticiæ fecerunt reliquum, qui pulcerrimam & iustissimam expeditionis causam abnegantes, fassi sunt se ob acceptæ iniuriæ memoriam, reique vilis magnam æstimationem miseros homines afflictósque adoriri. Enimverò Lacedæmonios vtcunque tum sub stylum suum venientes ibi pupugit. Corinthum autem, quæ hac quidem extra cursum narrationis erat, tamen obiter quoq; arripiens turpissimo crimine & calumnia pessima conspersit. Hæc, inquit, expeditio vt fieret, studiosè Corinthij adiuuerunt, quibus ipsis quoque contumelia erat olim à Samiis facta. res ita habet. Corcyræorum pueros CCC primarios Periander Corinthi tyrannus ad Alyattem misit castrandos. hos cùm in ipsorum insulam exscensionem fecissent, docuerunt Samij in fano Dianæ supplices sedere, ac placentas è sesamo & melle ad edendum proponentes conseruauerunt. Hoc contumeliam Samiorum in Corinthios appellat scriptor, ideóq; hos stimulos Lacedæmoniis addidisse: nimirum quod Samij filios Græcorum mares relinqui obtinuissent. quod scelus Corinthiis ille tribuens, vrbem ipso tyranno flagitiosiorem facit. Is quidem vltus fuit Corcyręos, qui filium eius interfecerant. Quid autem evenit Corinthiis, vt à Samiis pœnas expeterēt, quòd ij crudelitati & improbitati tantæ impedimento fuerunt? idq; adeò post tres ætates, vt memoriam acceptæ iniuriæ renouarent in eius gratiam tyrannidis, cuius, vt quæ grauissima ipsis fuisset, exstinctæ omnia monumenta & vestigia abolendi finem nullum faciebant? Talis ergo fuit Samiorum in Corinthios iniuria. Qualis verò pœna Corinthiorum de Samiis expetitur? Equidem si verè irascebantur Samiis, non instigare, sed dehortari potius Lacedęmonios ab expeditione in Polycratē debuerunt: ne tyranno deiecto Samij vnq; libertatem recipere possent. Quod aūt maximum est, cur tandem Corinthij Samiis irascebantur qui voluerunt, non potuerūt etiam seruare Corcyræorum pueros: Cnidios, qui seruauerunt eos & reddiderunt, non culpant? Et quidem hac de re Corcyræi non magnam habent Samiorum rationem, Cnidiorū meminerūt, hisq; sunt apud ipsos honores, immunitates, & decreta. nā hi nauib. advecti,

Deioces. Iones. Spartani. Corinthij Samij.

custodes Periandri è templo expulerunt, puerósq; ad se receptos Corcyram pervexerunt. vt Antenor Cretensis perhibet, ac Dionysius Chalcidensis libro de origine vrbium. Non aũt vlciscendi Samios, sed à tyrãno liberãdi causa Spartanos expeditionẽ suscepisse, ipsis Samiis testibus potest doceri. Tradunt enim Archiæ Spartano, cùm is fortissimè tum pugnans cecidisse, sepulcrũ in Samo publicè factũ, idq; à se honoribus affici. ideóq; posteros etiã eius semper cum Samiis familiariter atq; humaniter agere. quod ipsum Herodotus quoq; testatus est. Idem libro quinto de præstãtißimis Atheniensium ac principibus viris Clisthenem ait Pythiæ persuasisse, vt Spartanis semper falsa oracula redderet, quibus iuberentur Athenienses à tyrannis liberare. facto pulcerrimo & iustißimo tantam sceleris ac imposturæ annectens calumniam: deóq; adimens vaticinium bonum atq; verum, et dignum Themide quæ ei adsidere dicitur. Ait præterea coniugis suæ abusum permisisse Isagorã Cleomeni ad eam ventitanti. & more suo fidei parandæ gratia admiscens vituperationibus laudes, aliquas: Isagoras, inquit, Tisandri F. familia fuit natus nobili, sed originem eius nõ habeo dicere. cognati quidẽ eius Ioui Cario sacrificãt. ô hominẽ versuto & ciuili naso, qui ad Cares tanq; coruos Isagorã abominãdo reiiciat. Aristogitonẽ verò nõ obliquè iam, sed rectà portis eiectũ in Phœniciã proturbat, à Gephyræis originẽ eum trahere inquiens. esse aũt Gephyræos nõ ex Eubœa aut Eretrienses, sed Phœnices: vt quidẽ ipse auditu acceperit. Sed cùm Atheniensiũ à tyrãnis liberationẽ adimere Lacedæmoniis nõ posset: audet turpißimo affectu pulcerrimum facinus conspurcare. Mox enim ait Spartanos correptos fuisse pœnitẽtia, quòd adulterinis moti oraculis viros hospitio sibi iunctos, promittentésq; ipsis Athenas in potestatẽ tradituros, è patria expulissent tyrãnos, ingratóq; populo vrbẽ restituissent. Voluisse deinde eos Hippiam à Sigeo revocatũ Athenas perducere: sed Corinthios eis obstitisse, Sosicle narrante qualia egissent Cypselus & Periander Corinthi tyrannidem gerentes. cùm quidẽ ipse nullum atrocius aut crudelius facinus retulerit, atq; istam trecentorum emißionem: quos quia eripuissent Samij, ac ne castrarentur prohibuissent, ideò iis vt cõtumelia affectos iratos fuisse Corinthios dixerat. Tanto tumultu ac dissensione malignitas eius plena est, in narrationes quacunque paßim se insinuans occasione. In sequentibus Sardibus gesta narrans, quantum potuit rem luxauit atque corrupit: naues, quas Athenienses Ionibus quia rege defecerant tutandis miserunt, ausus malorum vocare initium, quòd tot tantásq; Græcas vrbes à barbaris liberare conarentur: Eretriensium autem obiter admodum faciens mentionem, magnúmq; eorum & præclarum facinus reticens, ac memorabile. Iam enim vt * circa Ioniam, confusam, classe regia adnauigante, foràs obviam euntes Cyprios in mari Pamphylio pugna nauali devicerunt. Post hæc retrò conuersi, nauibus apud Ephesum relictis Sardes adorti sunt, & Artaphernem (qui in arcem confugerat) obsederunt, vt Miletum obsidione liberarent. quod & consecuti sunt: hostésq; mirabili terrore perculsos inde amouerunt. ipsi multitudine obrutum se iri vidẽtes recesserunt. Hæc cùm alij, tum Lysanias Mallotes in Opere de Eretria scripserunt. & cõveniebat, si nulla alia de causa, saltem excidio vrbis eius & interitui accinere memorandum isthuc & præclarum facinus. Herodotus verò etiã victos à barbaris eos in naues ait cõfugisse insequẽte hoste. cùm nihil tale Lampsacenus ꝓdiderit Charo, cuius sunt verba. Athenienses aũt XX triremibus nauigarũt, vt auxiliũ ferrẽt Ionibus. & ad Sardes expeditione facta, omnia circa eam vrbem ceperũt, excepta munitione regia. his actis Miletũ reverterunt. Porrò in sexto libro Herodotus narrans quomodo Platæenses Spartanis sese dediderint, illi verò eos ad Athenienses ablegauerint, vtpote finitimos, & defensores nõ malos: addit nõ quasi suspicionem aut opinionẽ, sed tanq; rem sibi compertam, Lacedæmonios non ita istud consiliũ benevolentia erga Platæenses, vt studio laborem Atheniensibus incutiendi rem cum Bœotis habituris dedisse. Proinde, nisi malignus est Herodotus, insidiatores fuerũt & maligni Spartani: stulti autem Athenienses, ita sibi imponi qui sinerent: Platęenses verò nõ honoris aut benevolentiæ causa, sed vt belli futura ansa in medium proiecti sunt. Sanè plenilunium prætendisse, quod exspectantes ad Marathonem non venirent Atheniensibus suppetias latum Lacedæmoniis, dum pro re certa tradit, mendacio eos suo grauat. Non enim modo sexcẽties alias illi exercitũ eduxerũt & signa contulerũt initio mensis, non præstolati pleniluniũ: & parum abfuit quin ad hanc pugnã, sexta Boëdrionis die cõmissam, venirẽt: adeò, vt cadauera etiam spectaue rint ad locum prœlij iam præsentes. Et

Clisthenes.

Isagoras.

Eretrienses.

Plataeenses.

Marathonia pugna.

Et tamẽ Herodotus de plenilunio ista scripsit. Non poterãt verò isto hæc tempore facere, quia violare legẽ nolebãt. erat enim nona mensis dies. qua die exire sibi licere negabant, orbe Lunæ non pleno. itaq; pleniluniũ operiebanť. Tu quidẽ, Herodote, pleniluniũ transfers in principiũ mensis, quãdo Luna dimidio orbe fulget: vnóq; conatu cœlũ, tempora, & res omnes cõturbas. professúsq; te res Græcas scribere, maximè aũt Atticis operam impẽdere, ne pompam quidem cognouisti, quam solennem etiamnũ Atheniẽses ad Agrã mittũt, gratias Hecatæ pro victoria agẽtes. Verùm hoc facit pro Herodoto adversus crimen q̃d ei obiicit, magnã eum ab Atheniensibus ꝓpter adulationẽ accepisse pecuniã. Si enim his ista recitasset, nõ omisissent aut neglexissent scelerosum istum Phœdippidã, qui è pugna veniẽs Lacedæmonios ad eam vocaret, biduò quidẽ (vt ipse ait) Athenis Spartã profectũ, nisi fortè Atheniẽses devictis hostibus ad pugnã demũ socios vocauerũt. Sanè X talẽta Athenis dono venisse ipsi, Anyto rogationis autore, Diyllus scripsit Atheniẽsis, homo in historia nõ cõtemnendus. Narranda porrò Marathonia pugna Herodotũ pleriq; aiũt ipso occisorũ numero rei fidẽ derogasse. Scribit enim Athenienses Dianę Agroterę seu Agresti vouisse tot hœdorũ victimã, quot barbarorũ corpora strauissent. post pugnã aũt, cùm immensus videreť occisorũ numerus, decreto hoc deam placasse, vt quotãnis Iↄ se immolaturos promitterent. Verùm his omissis, videamus acta post pugnã. Reliquis, inquit, nauibus retrò actis barbari, receptis ex insula vbi reliquerãt mancipiis Eretriensibus, Suniũ flexerũt, cupiẽtes Athenienses suo in astu advẽtu antevertere. Suspicabanť Atheniẽses id fieri Alcmæonidarũ machinatione, qui de cõposito scutũ Persis ostẽdissent, cùm iam esset in nauibus. Hi ergo flectebãt Suniũ. &c. Hoc loco id dissimulemus, q; Eretrienses mãcipia nominat, quib. nemo Grecorũ maiore audacia ac studio rem gessit, indigna passos sua virtute. Neq; adeò magnã habeamus rationẽ calumnię Alcmæonidis intentatæ, è quibus & familiæ maximæ cõstabant, & nobilissimi viri celebrabanť. Ipsius certè victoriæ de magnitudine actum est, finísq; tam decantati facinoris ad nihilum redit, neq; videtur certamen fuisse aut magnum aliquod opus: sed barbaris (quod invidi aiunt, rem istam traducentes) leuis quædam accidisse offensio & exiguum incommodum. si quidem à pugna non fugerunt præcisis retinaculis, vento se quàm longissimè ab Attica provehenti dantes: sed sublato scuto proditionis tessera, Athenas classe petunt spe capiendi, & per ocium Sunio circumnauigato, supra Phalerũ in alto naues detinent. Primi autem & illustrissimi viri vrbe desperata * nam paulò pòst crimine soluit, alióśq; proditionis reos facit. Esto scutum fuisse ostentatum. equidem ipso demto hoc qui viderit nemo potuit esse. Fieri autem potuit nullo modo, cùm Athenienses solidam obtinuissent victoriam. & si factum fuisset, conspici à barbaris non potuit, fuga magnóq; labore inter vulnera & tela in naues se proripiẽtibus, et locũ quanta quisq; celeritate poterat deferentibus. Sed vbi rursum Alcmęonidas à se excusari simulat iis de criminibus, quæ primus ipse hominum ipsis obiecit, sic loquitur. Ego autem hunc sermonem non admitto, Alcmęonidas Persis de composito clypeum extulisse, ac voluisse Athenienses in barbarorũ & Hippiæ potestatem dedere. * cuiusdam incisi recordor, apprætenderéne an apprætensum dimittere velis. Ita enim accusas, mox patrocinaris: calumniásq; de viris illustribus perscribis, quas rursum dilutas. Cui verò fidẽ derogas, nisi tibi? Nam ex teipso audiueras Alcmęonidas victis & fugientibus barbaris clypeũ ostendisse. Quinetiã in his ipsis quæ pro Alcmæonidis abs te dicuntur, sycophantam te esse ostendis. Quippe si tibi aut magis, aut non minus infensi tyrannis videntur Alcmæonidæ quàm fuerit Callias Phænippi F. Hipponici pater: quo loco pones coniurationem eorum, de qua in primis scripseras, auxilio eos Pisistrato fuisse, eúmq; ab exsulio ad tyrannidem reduxisse, neq; antè exturbasse, quàm is cum vxore non vt fas est rem habere culpatus fuit? Hæc ergo huiusmodi habent tumultus. & inter crimina Alcmæonidis intentata atque suspiciones Calliam Phænippi F. laudans, eique filium Hipponicum adiungens, qui ipso teste fuit vnus de ditissimis Atheniensium: fassus est se non re quicquam isthuc exigente, sed Hipponici demerendi gratia Calliam narrationi ingessisse. Cùm autem nemo nesciat Argiuos societatem & auxilia Græcis nequaquam denegasse, quando petiuerunt ne semper Lacedæmoniorum, quos habebant sibi infestissimos hostes, cogerentur dicto esse audientes si sequerenť: causam Herodotus malignissimè excogitatã subiicit, sic scribens. Postquam verò se in societatem adsci̇sci viderunt à Græcis Argiui, tum recusauerunt,

Post pugnam secuta.

Argiui libro VII.

vt quiescendi prætextum haberent: cùm satis scirent à Spartanis se in partem imperij admissum non iri. Et ait Artoxerxem postea temporis ab Argiuorum legatis, cùm ad eum Susa venissent, hac de re fuisse admonitum: eúmq; dixisse, nullam se vrbem magis sibi amicam censere, quàm Argos. Postea subiiciens more suo aliquam tergiuersationem, Ait nihil se certi hac de re scire. hoc scire, neminem sine crimine viuere, neq; Argiuos esse omnium deterrimos. Ego autem dicere hoc, inquit, debeo, ísq; sermo valeat in quavis re. Nam & hoc dicitur, ab Argiuis, cùm adversus Lacedæmonios bellũ malè sustinerent, accersitum in Græciam fuisse Persam, quidquid potiùs tolerandum ratos quàm præsentem molestiam. Nónne autem sicvt ipse Aethiopem ait de vnguẽto & purpura dixisse, dolosas formas, dolosas vestes esse Persarum: ita aliquis de ipso pronunciauerit, dolosas esse dictiones, dolosas dictionis Herodoteæ figuras,

Perplexa, nilq; sani, ambages omnia.

qui, sicvt pictores vmbris adiectis splendidiora faciunt quæ apparere debent: ita negando ipsas intendit calumnias, ambigendóq; efficit vt suspiciones altiùs insideant. Argiui quidem si ob contentionem cum Lacedæmoniis de principatu & virtute Grȩcis se non adiunxerunt: non potest negari quin indignos se Hercule gesserint & sua nobilitate. Præstabat enim Siphniis & Cythniis vt Græciã ij liberarent, quàm vt cum Spartanis contendentes de imperio, tot tantáq; certamina subterfugerent. Sin autẽ ij sunt, qui Persam contra Græcos acciuerunt quòd bellum ipsis contra Lacedȩmonios non satis commodè succederet: quî factum est quòd Xerxe veniente non palàm Medis se adiunxerũt: aut si in regis castra se noluerunt cõferre, cur nõ Laconicã incursionibus vexarunt, ipsi domi suæ relicti, aut Thyreas denuò tentauerunt, aut quóvis alio modo Lacedæmonios adorti sunt, & cõturbauerũt. cùm sanè magnũ Græciæ damnũ inferre potuissent, his impeditis ne cum tanto grauis armaturæ exercitu ad Platæas irent. Sed Atheniẽses quidẽ hoc loco verbis Herodotus effert, seruatorésq; Græcię appellat. rectè hoc, & meritò: nisi eorum laudibus multa maledicta admiscuisset. Nunc cùm ꝓditos ab aliis Grȩcis dicat Athenienses: solos aũt relictos, maluisse magnũ in se facinꝰ recipere & mortẽ oppetere, quàm videre Grȩcos ad Persam deficere reliquos, & cum Xerxa fœdus ferire: ostendit se nõ hęc laudandorũ Atheniensiũ gratia dicere, sed Athenienses ideò laudare, vt reliqs omnibus Grȩcis malè diceret. Quid verò attinet indignari, vbi acerbè, idq; ad nauseam vsq; Thebanos & Phocẽses subinde exagitat: quando etiam iis, qui pro Græcia periculũ primi adiuerunt, proditionem vel ipso teste nõ probabilẽ aut eventum habiturã exprobrat. & de Lacedȩmoniis pro incerto ponit, ceciderintne in pugna adversus hostes, an verò hosti se dediderint. exiguis mehercle indiciis ipsos ab iis qui ad Thermopylas cẽciderunt separans. Secundum hæc cùm naufragiũ narraret, q̃d accidit classi regiæ, vtq; Amenocles Cratinæ F. Magnes magnũ ex ea calamitate emolumentũ perceperit, auri & pecuniæ immensam vim nactus: ne hoc quidẽ à morsu suo immune prætermisit. Verùm, inquit, iste quidem aliâs parum fortunatus, repertis opibus maiorem in modum locupletatus est. nam quòd proli necem intulisset, id eum malum haud leuiter animi angebat. Quis non videat eum aureas istas inventas opes, eiectásque ad litus à mari diuitias propterea in historiam introduxisse, vt locum faceret in quo Amenoclis cædem in prolem collocaret? Cùm autem Aristophanes Bœotus scripserit quòd pecuniam petens ab Atheniensibus nihil impetrauerit: aggressa autem cum pueris disserere & scholam instituere à magistratibus fuisse interdictum ob rusticitatem eorum & odium litterarum: aliud quidem certum rei nullum extat argumentum. Sed Aristophani Herodotus testimonium tulit, dum alia falsò, alia per * alia tanquam exosus Thebanos & adversum eos iurgans vituperat.

De Thebanis.

Thessalos ait ab initio necessitate compulsos ad Medos inclinasse. verè hoc, vt & cùm ariolatus de aliis Grȩcis, futurum fuisse vt proderentur ab iis Spartani: subiecit, Non volentibus quidem, sed necessitate coactis, vna post alteram capta vrbe. Thebanis tamen eiusdem necessarij facti veniam non itidem facit. At enim Thebani IↃ viros duce Mnamia in Tempe miserunt, & ad Thermopylas tot, quot poposcit Leonidas: qui & soli cum Thespiensibus perseuerauerunt apud hunc, reliquis à circumventione deserentibus. postquam verò barbarus aditibus occupatis in montes pervenit, & Damaratus Spartanus ob hospitium fauens Apagino tum paucorum in rep. dominationis præsidi effecit, vt is amicus & hospes regis fieret: Græci autem in nauibus erant, neq; terra quisquam accedebat. ita demum

condi-

conditiones pacis acceperunt deserti, magna eos vrgente necessitate. Nam neq; mare & naues eis ad manum erant vt Atheniensibus: neq; procul dissiti erant, vt Spartani penetralia Græciæ incolentes. cúmq; sesquidiei spacio itinere ab ipsis absenti Medo cum solis Lacedæmoniis & Thespiensibus se in faucibus angustiarum opposuissent, succubuerant. Verùm hic scriptor ea est ęquitate, vt cùm dixisset Lacedęmonios ab omnibus destitutos sociis fortasse pactum inituros fuisse cum hoste: Thebanorum maximum & pulcerrimum facinus oblitterare prorsus quia non poterat, tamen velvti vitiosa causa & suspectione corrumpens, ita scripserit. Socij igit̃ qui missi erãt, Leonidæ consiliũ sequentes abierunt. Soli apud Lacedęmonios remanserunt Thespiẽses ac Thebani. hi quidẽ inviti & nolentes: sed eos obsidũ loco Leonidas retinebat. Thespienses admodũ volentes, & qui nusq; se à Leonida discessuros diceret & iis quos secum habebat. An verò non ꝓdit liquidò se peculiari aliquo Thebanorũ odio affectũ? quo impulsus non modò vrbẽ falsò & iniuria vituperauit, sed etiã probabilitatẽ calumniæ aliquã parare, & curare ne omnibus hominibus videretur secum pugnantia dicere, sibíq; mendacij esse cõscius, posthabuit. Nam cùm dixisset Leonidam, quòd sentiret nõ esse bene animatos, neq; paratos ad subeundum periculum socios, iussisse discedere: paulo pòst subiicit Thebanos invitos ab eo fuisse detẽtos. q̃s, si ad Medos inclinare animis credebat, etiã manere volentes debuit abigere. vbi enim nullo vsui sibi fore censuit, non alacres, quid attinebat pugnantibus permisceri suspectos? Neq; verò rex Spartanorum ita stultus fuit, vt trecentis suis quadringentos Thebanos armis instructos obsidum loco sibi putaret detinendos, hostibus maximè à fronte iam & tergo imminentibus. nam vt priùs eos obsidum loco habens secum duxerit: certè ad extremum probabile erat eos contemto Leonida fuisse discessuros, & Leonidam magis veriturũ ne ab his, quàm ne à barbaris circumveniretur. Præter hæc quî non sit ridiculus Leonidas, si reliquos Græcos abire iubens vt mortẽ sibi impendere præsentem intelligens, Thebanos detinuit, scilicet Græcis eos seruaturus, iam iam moriens ipse? nam si verè pro obsidibus hos, aut potiùs mancipiis circumduxit, non debuit inter perituros detinere, sed discedentibus Græcis eos tradere. Quæ vna restabat causa cur Thebanos Leonidas noluisse dimittere diceretur, nempe vt vnà secum eos perderęt: hanc quoq; Herodotus ipse sustulit, de ambitione Leonidæ sic scribens. Hæc reputans Leonidas, volénsque gloriam hanc solis Spartanis parare, socios dimisit: magis ob hoc, quàm quòd eorum diversæ essent sententiæ. Extremæ verò stulticię fuit, à qua gloria socios arceret, in eius societatem pertrahere invitos hostes. Cæterùm non fuisse suspectos malæ fidei Thebanos Leonidæ, sed pro amicis habitos constantibus, res gestæ demonstrant. Nam & Thebas venit exercitũ ducens, & orans id impetrauit, q̃d nemo alius, vt in fano Herculis dormiret: & visum diuinitus oblatum Thebanis exposuit. Imaginatus fuit enim in mari se videre multis & asperis exagitato vndis illustrissimas & maximas Græciæ vrbes inæqualiter differri atq; fluctuare: Thebas supra omnes alias ferri, & sublimes ad cœlum extolli, ac pòst subitò evanescere. Atq; hæc quidem similia erant eorum, quæ multo pòst tempore Thebis evenerunt. In pugnæ autem narratione Herodotus, Leonidæ etiam maximum facinus obscurauit, omnes dicens in angustiis iuxta Colonũ cecidisse. Res aliter gesta est. Cùm enim noctu se *Leonidæ mors.* circumventos à barbaris esse accepissent, rectà in hostium castra agmen mouerunt suum, & ferè ipsum regis tentorium, vt eo interfecto iuxtà mortem oppeterent. venerunt ergo vsq; ad tentorium regis, obvios subinde trucidantes aut in fugam vertẽtes. cùm autem Xerxes in tentorio non inveniretur, quærentes eum in vastissimis castris ac vagantes, vix tandem à barbaris vndiq; circumfusis sunt occidione cæsi. Quos alios conatus, & quæ alia dicta Spartanorum Herodotus prætermiserit, scribemus in vita Leonidæ. nihil tamen impedit quin hæc etiam quædam ponamus. Certamen funebre Spartani Leonidæ egressuro in istud bellum egerunt, patribus & matribus vnà proficiscentium spectantibus. Ipse Leonidas dicenti, Perpaucos tecum ad pugnam educis, Multos verò, inquit, vtpote morituros. Vxori interroganti proficiscentem ecquid mandaret, conversus, Bonis, inquit, nubere, & bonos liberos parere te iubeo. In Thermopylis iam cinctus ab hoste, cupiens duos genere sibi iunctos seruare, alteri epistolam dedit & emisit, alterum amandauit magistratibus Spartæ aliquid nunciaturum. sed & ille litteras reiiciens cum stomacho, Pugnator, aiebat, veni non tabellarius: & hic apparitoris id munus esse fatus, scuto sumto in acie adstitit.

Hæc si quis alius omisisset, fortasse repræhensione posset carere. At qui Amasidis crepitum, adventum asinorum furis, vtrium incrementum, multáq; talia conduxisset & commemorasset: certè videri potest illa non incuria aut contemtu præteriuisse pulcrè facta atq; dicta: sed quòd quibusdam malè vellet, essetq; in eos iniurius. Thebanos autem ait primùm cum Græcis coniunctos necessitate compulsos pugnauisse: credo, quia non Xerxes modò, sed etiam Leonidas haberet flagelliferos in suo comitatu, à quibus Thebani contra animi sententiam cogebantur pugnare. ac pugnasse quidem invitos ait, qui discedere poterãt & fugere: vltrò aũt ad Medos inclinasse, quibus nullus aderat auxiliarius. Post hæc scribit, reliquis ad Colonũ cõtendentibus, Thebanos ab iis se avellisse, manúsq; intendisse ad barbaros, ac clamasse accedentes voce verissima; se Medorũ rebus studuisse, regíq; aquã & terrã præbuisse, nũc necessitate adactos ad Thermopylas venisse, & extra culpã esse de vulnere regi inflicto. Hæc eos fatos salutẽ impetrasse, cùm Thessali etiã testimoniũ ipsis perhiberẽt. En tibi tot verbis inter barbaricas cõclamationes, omnigenos tumultus, fugas, insecutiones exauditã causæ dictionẽ, & testiũ examen, & Thessalos inter cędes & conculcationes in tantis angustiis Thebanis patrocinantes. nimirũ ꝙ hos Grȩcia vsq; ad Thespias potitos Thebani nuper pugna superatos eiecerũt, occiso eorũ duce Lattamya. ita enim tum inter Thessalos & Thebanos res erat, amicicia nulla aut benevolentia. Sed tamẽ Thessalis testimonio iuuãtibus quomodo Thebani evaserũt? Alij eorũ, inquit, accedẽtes à barbaris sunt obtruncati: plures etiã mandato Xerxis notis regiis cõpuncti sunt, initio facto à duce eorũ Leontiada. Atqui nõ fuit Leontiades dux Thebanorũ in Thermopylis, sed Anaxander: vt Aristophanes è magistratuũ cõmentariis docuit, & Nicãder Colophonius. Neq; agnoscit quisquã hominũ ante Herodotũ cõpunctos à Xerxe Thebanos. Alioqui maxima hæc adversus calumniã erat futura defensio, debebántq; gloriari ob istas notas Thebæ, ꝙ Xerxes statuisset ipsos eodẽ modo tractare, quo invisissimũ sibi Leonidã. siquidẽ huius mortui corpus Xerxes cõtumeliosè habuit, illos viuos compunxit. Sed enim qui è crudelitate in Leonidã demonstrat maximè omniũ hominum Leonidæ viuenti iratũ fuisse Xerxẽ: Thebanos aũt Medorũ rebus studentes & apud Thermopylas fuisse notis cõpunctos, & tamẽ posteà apud Platęas Medis alacriter fauisse: videtur mihi in morẽ Hippoclidis istius pedibus in mensa gesticulantis veritate ob ineptam saltationẽ amissã dicturus, Non curat hoc Hippoclides. Libro octauo ait Græcos metu captos fugam ab Artemisio in Grȩciam meditatos, Euboënsium orantium vt exiguum temporis spaciũ manerent, dum familiam exponerẽt, nullã habuisse rationem: donec Themistocles accepta ab Euboënsibus pecunia Eurybiadẽ & Adimantum Corinthiorum ducem impertiit. hac ratione factum vt manerent, & cum barbaris nauali pugna decertarent. Pindarus quidem, nõ socię vrbis sed Medis fauere suspectæ ciuis, tamen Artemisij facta mentione exclamat:

Thessali.

Themistoclis factum.

Vbi filij Athenensium
Splendidum iecere libertatis fundamentum.

Herodotus autem, à quo nonnulli exornatam volunt Græciam, victoriam illam captorum munerum & furti opus facit, deceptos à ducibus argento corruptis Græcos contra animi sententiã pugnasse dicens. Neq; hęc malignitati finem statuit. Fatentur omnes homines ferè, Græcos etsi naualibus prœliis victoriam obtinerent, tamen Artemisio barbaris cessisse audita clade ad Thermopylas accepta. neq; enim expediebat ibi morari & mare custodiri, cùm hostis iam intra Pylas ꝑvenisset, & Xerxe aditus tenente. Herodotus tamen Græcos facit nondũ audita Leonidę morte fugã molientes: his adeò verbis. Malè aũt accepti, & haud minimè Athenienses, quorũ nauium dimidium erat confractũ, fugam in Græciã meditabantur. Liceat sanè ei discessionẽ ante cõflictum sic appellare, aut potius hoc probro adficere. ita quidem odiosè huic vocabulo inhæret, vt & antè, & nunc, & mox rursum fugam nominet. Ad barbaros, inquit, statim secundum hæc naui venit vir Hestiæensis fugam Grȩcorum ab Artemisio factam nuncians. Illi, quòd incredibilis res videbatur, nuncio in custodiam dato, naues celeres speculatum miserunt. Quid ais tandẽ? Fugere tanq; victos dicis, quos post pugnã hostis non credit fugere, sciens superiores multo fuisse? Iam par est homini huic credi de viro aliquo aut vrbe scribenti, qui vno verbo victoriã Græcis adimit, trophæúmq; deiicit, & inscriptiones quas illi posuerunt apud Mineruam Orientalem, fastum pronunciat esse inanémq; iactantiam? epigrammatis hæc est sententia.

Cecropia hoc quondam in pelago cùm classe iuuentus
DeVicit populos omnigenos Asiæ,
Medorum perútq; exercitus: ista trophæa
Protinus erexit Virgo Diana tibi.

Porrò in prœliis non indicans ordinem Græcorum, & quem quæq; ciuitas in pugna nauali tenuisset locum: in discessu (quem ipse fugam appellat) primos ait nauigasse Corinthios, vltimos Athenienses. Oportebat profectò non nimis insultare Græcis Medorum partes amplexis hominem qui ab aliis Thuryus habitus ipse se inter Halicarnassenses refert, qui cùm essent Dorienses, vnà cum gynæceo in bellũ contra Græcos sunt profecti. Ille verò tantum abest vt necessitates priùs recenseat eorum qui ad Græcos defecerunt: vt de Thessalis quoq; narrans, misisse eos ad Phocenses, quibus cum illis inimicitiæ & bella intercedebant, policitósque regionem ipsorum ab omni damno immunem præstituros, mercede L. talentorum accepta, hæc de Phocensibus scripserit. Soli enim Phocenses istis in locis non inclinabant ad Medos: nulla alia de causa (quantum ipse coniectura assequor) quàm quia oderant Thessalos. qui si Græcorũ rebus studuissent, arbitror Phocenses Medis se adiuncturos fuisse. Atqui paulo pòst ipse dicit, XIII Phocicas vrbes à barbaro fuisse combustas, euastatum agrum, incesum quod Abis erat templum, viros & mulieres interfectos, nisi qui fuga in Parnassum euasissent. Et tamen eos qui sustinuerunt extrema ne proderent honestatem, eodem ponit loco cum iis, qui promtissimè Medum secuti sunt. Ac cùm Phocensium facta non posset culpare, causas malas & suspiciones stylo fingẽs adversus illos sedit, preménsq; non iis quæ egerunt: si non visum fuit iudicium de animo eorum Thessalis permittendum, qui inhiabant eorum ditioni, ab aliis omnibus proditionis insontes iudicatos. Iam si quis Thessalorum ad Medos defectionem aggressus excusare, diceret non sua voluntate eos ita egisse: sed odio Phocensium, quos videret Græcis se adiungere, ipsos præter animi sententiam Medi partes fuisse secutos: nónne turpissimè is adulari videretur, & in aliorum gratiam malis factis bonas causas affingendo veritatem pervertere? equidem puto. Quî ergo non apertè calumniari putetur, qui non ob virtutem Phocenses optima delegisse ait, sed quia cõtrarium sentire Thessalos viderent? neque enim ad alios hoc commentum, vt aliâs solet, autores refert, sed ipsum se hoc ait coniiciendo invenisse. Oportebat ergo certa argumenta proferre, quibus ei persuasum fuisset eos qui similia optimorum factis edunt, eadem cum pessimis sequi consilia. Nam quod de inimiciciis adfert, ridiculum est. Neque enim Æginetas cum Atheniensibus, neq; Chalcidenses cum Eretriensibus, neq; Corinthios cum Megarẽsibus discordia à societate Græcorum abstinuit. neque rursum Thessalos punientes infestissimi Macedones ab amicicia cum barbaro averterunt. nam priuatas inimicicias commune obruebat periculum, vt reliquis animi affectionibus excussis aut honestati virtutis studio, aut vtili necessitatis impulsu quisq; animum adiungeret. Enimverò post necessitatem illam, quæ ipsos coëgerat Medis parere, rursum ad Græcos se contulere Phocenses. Idq; de iis Laocrates Spartanus palàm testatus est: atq; ipse Herodotus velvti vi adactus in Plataica re fatetur Phocenses etiã Græcis adfuisse. Neq; mirum videri debet, eum acerbè insectari eos qui adversam pertulerũt fortunã: quando etiam hos qui interfuerunt rei gerendæ, vnàq; cum Græcis salutem suam periclitati sunt, inter hostes & proditores numerat. Naxios ait tres naues barbaris auxilio misisse, vnum autem de triremium præfectis Democritum persuasisse ciuibus vt reliqui Græcorum causam amplecterentur. Adeò laudare sine vituperio non potest Herodotus, vt si vnum hominem laudet, malè audire totam ciuitatem aut populũ oporteat. Testimonium contra eum dicunt de vetustioribus Hellanicus, de recentioribus Ephorus, alter sex alter quinq; nauibus ipsos Naxios auxilio venisse Græcis scribentes. Et ipse Herodotus planissimè arguit hæc à se fingi. Nam Naxiorum annalium scriptores aiunt antè quoque Megabatem fuisse ab iis repulsum, cum ad insulã cum CC nauibus accederet: & Datin pòst ducem profligatum ab iis, cùm incendio ipsis malefecisset. Quod si, vt alibi Herodotus dixit, vrbem ipsorum barbari combusserũt, hominibus fuga in montes salutem consecutis: nimirum iustam causam habuerunt Naxij auxilium mittendi iis qui patriam ipsorum perdidissent: non potiùs adiuuãdi eos qui publicam libertatem protegebant. Non laudandi autem Democriti, sed Naxiis infamiam parandi causa hoc mendacium eum composuisse inde apparet, quòd De-

De Phocensibus & Thessalis. *Naxij.* *Lib. V.*

mocriti præclarũ facinus rémq; pulcerrimè gestam ita prætereiit, vt ne verbo quidem vno attingeret. quam Simonides hoc epigrammate illustrauit.

Tempore quo Graiûm robur Salamina sub amplam,
Cum Medis pugnam substitit in pelago:
Tertius ante alios ductor Democritus iuit,
Barbaricas victor quinq; ratésq; tulit.
Ceperat & sextam: sed barbarus impete grandi
Victoris trepidam de manibus rapuit.

sed quis prò Naxiis indignetur? Equidem si sunt, quod nonnulli aiunt, antipodes inferiorem terræ partem versis adversus nostra vestigiis incolentes, ne illis quidem puto inauditũ esse Themistoclem, & consilium Themistoclis, quòd cùm Græcis persuasisset vti ante Salaminam nauali prœlio decernerent, victo barbaro in Melita templum consulentis Dianæ dedicauit. Hoc Themistocli scitus iste scriptor quantum in ipso fuit adimens, gloriámq; in alium transferens, in hæc verba scribit. Hæc Themistoclem cum in nauim venisset, interrogauit Mnesiphilus vir Atheniensis, quidnam constituissent. cúmq; audiret decretum esse vt naues ad isthmum reducerentur, ac nauale prœlium ante Peloponnesum committeretur: dixit. Non ergo tu, Themistocles, si illi naues à Salamina abducent, vnquam pro patria propugnabis. quivis enim suam vrbem petent. Et paulo pòst. Sed si quid restat consilij, ito, & quæ decreta sunt confundere conare: si qua ratione Eurybiadi possis persuadere vt maneat mutato instituto. Deinde subiiciens, Themistocli perplacuisse hanc admonitionem, nullóq; eum dato responso, ad Eurybiadem illicò abiuisse, his ipsis verbis sic loquitur. Proinde adsidens ei Themistocles exponit quæ è Mnesiphilo audiuerat, sua esse ea fingens, & alia addens. Vides vt Themistoclem improbitatis notet, sibi eum arrogare dicens quod esset Mnesiphili. Ampliùs etiam deridens Græcos, Themistoclem ait non potuisse perspicere quid in rem esset, sed in eo cæcutiisse. cùm quidem ob prudentiã ei nomen Vlissis factũ fuerit. Artemisiam autem, Herodoti ciuem, nemine docẽte ipsam sua sponte re excogitata sic Xerxem monuisse. Non diu poterunt tibi Græci resistere, sed dissipabis eos, diffugiéntq; per oppida. neq; verisimile est, eos te terrestres copias in Peloponnesum adducente quieturos, aut in earum curam incubituros, vt pro Atheniẽsibus nauale prœliũ obeant. si verò confestim properes nauale prœlium committere, metuo ne classiarij tui detrimentũ passi, etiam terrestribus grauiter incommodẽt. Nihil præter versuũ mensuram defuit Herodoto, quin ex Artemisia Sibyllã faceret, ita exactè vaticinãtem futura. Itaq; Xerxes etiã liberos suos ei Ephesum deducendos tradidit: oblitus, quantũ apparet, Susis mulieres secum abducere, siquidem muliebri comitatu ij indigebant. Verùm de Herodoti mendaciis non est nobis rationes ineundi propositũ. in ea dũtaxat inquirimus, quæ mentitus eò est, vt alienæ gloriæ detraheret. Ab Atheniensibus ait narrari, Adamantũ Corinthiorũ ducem iam cum hoste manus conserturũ tãto fuisse metu perculsum, vt nõ puppi obversa antrorsum, aut paulatim per pugnantes se subducẽs, sed apertè sublatis velis profugerit, aversis secũ omnibus suis nauibus. huic iã sub finem oræ Salaminiæ occurrisse nauim vniremem, & quendã ex ea sic locutũ fuisse. Tu quidẽ, Adimante fugis proditis Græcis: illi tamen vincũt, & ex voto hostibus sunt superiores. Haud dubiè nauicula illa de cœlo fuit delata. quid enim impediebat quin tragicã machinam attolleret, qui omnibus aliis in rebus tragicos sua iactãtia superaret? Ergo fidẽ habens Adimantus, ad classem rediit, cùm iã res confecta esset. Hic, inquit, rumor ab Atheniensibus est diditus. Corinthij negant, séq; in nauali pugna inter primos ponunt, testimonio illos iuuante reliqua Græcia. Talis est multis etiã aliis in rebus Herodotus, diuersa de diuersis crimina spargẽs, vt ne quẽ planè videret damnasse. Ita hæc quidẽ id sibi reseruauit, vt calumnia credita Corinthij, repudiata Atheniẽses malè audirent: cùm interim de vtrisq; mentiatur. Certè Thucydides Spartæ faciens Atheniensem legatũ Corinthio respondentẽ, & multa de Medico bello splendidè iactantẽ ac Salaminio nauali prœlio, nullũ proditionis aut deserti ordinis crimen Corinthiis infert. Neq; enim probabile erat hæc Athenas Corintho obiicere flagitia, cùm secum eam & cum Sparta tertio loco viderent insculptam donariis quæ erant de barbaris dedicata: & in Salamina concessissent Athenienses, vt Corinthij prope vrbem suorum cadauera humarent, tanquam hominum qui se præclarè gessissent: inscriptione etiam hac posita

Themistocles.

Artemisia.

Adimantus, & Corinthij.

Lib. I.

Hospes,

Hospes, aquosa olim nobis est culta Corinthus:
Insula nunc condit paupera aquæ Salamin.
Hîc Pœnûm naues, Persas Medósq; prementes
Tutati benè te, Græcia diua, sumus.

Et honorarium in isthmo sepulcrum sic est inscriptum.

Nos sitam in extremo discriminis Hellada cunctam
Tutati nostris condimur hæc animis.

quin & Diodori Corinthiorum de trierarchis vnius in fano Latonæ repositis donariis hoc est inscriptum.

Arma hæc Latonæ, pugnæ monumenta marinæ
Dedicat, à Medis hæc Diodorus habet.

Ipse quidem Adimantus, quem Herodotus crebrò insectatur, solúmq; omnium imperatorum ait fugiendi causa ab Artemisio avectum, neque hostes subsistere toleràsse, vide in quanta sit gloria.

Cuius sese opera redimiuit Græcia serto
Libero, Adimantus conditur hoc tumulo.

Nam neq; mortuo probabile est homini timido & proditori tantùm honoris habiturum quenquam fuisse: neq; filiabus suis ausus fuisset nomina ponere Nausinicam, Acrothinium, Alexibiam: filio Aristeam: nisi quid ipse in ea pugna illustre & memorabile egisset. Iam solas Corinthiorum mulieres præclarum illud & diuinum fecisse votum Veneri, quo petierũt vt dea maritis ipsorum amorem pugnæ adversus barbaros immitteret: non tantùm non est probabile Herodoti ætate fuisse ignotum, sed ne postremis quidem temporibus obscurum fuit. Pervulgata enim res mansit. & Simonides inscriptionem fecit, æneis imaginibus positis in fano Veneris, quod Medea condidisse perhibetur: ab aliis, petens vt mariti amore Iasonis ipsam Venus solueret, ab aliis, vt is amore Thetidis deæ liberaretur. Inscriptio hæc est.

Has Veneri matres statuas posuere Ephyreæ
Pro Græcis, forti próq; suo populo.
Nam non arciferis Medis Venus Hellados arcem
Prodere, sic votis rite vocata, volet.

Hæc potiùs scribere oportebat & commemorare, quàm Aminoclis cædem proli suæ illatam inculcare. Postquã abundè criminibus Themistocli intentatis satiatus vtcunque fuit, dum illum clam aliis ducibus ait nullum fecisse furandi & compilandi insulas finem: tandem coronam victoriæ ipsis palàm abstrahens Atheniensibus, Aeginetis imponit, ita scribens. Græci cùm ad Delphos mitterent manubiarũ primitias, com- *De Aeginetis.* muniter è deo quæsiuerunt, an eas plenas & placentes accepissent. ille respondit, se « habere à reliquis Græcis, sed non item ab Aeginetis. ab iis enim se donarium exspe- « ctare, vt qui rem Salaminio prœlio omnium gessissent optimè. Ecce autem, non iam « Scythis, aut Persis, aut Aegyptiis sua figmenta inscribit, sicut Aesopus solet coruis & « simiis: sed laruam Apollinis Pythij induens, Athenas à præcipua rei ad Salaminã gestæ laude detrudit. Idem cùm Themistocli secundus inter optimè re gesta laudandos deferretur ab omnibus aliis ducibus locus, quòd horũ quivis sibi primas, Themistocli secundas adsignaret partes, & iudicium absolui non posset: cùm deberet ambitionem imperatorum repræhendere: omnes ait Græcos inde soluisse, quòd ob inuidiam nollent Themistocli primas deferre. Restat nonus, isq; vltimus liber, in quo omne suũ reliquum virus in Lacedæmonios, & nobilissimam illam ad Platæas pugna partam * gloriam effudit. Scribit enim, initiò Spartanos metuisse, ne Mardonium sibi hoc sinerent persuadere Athenienses vt ipsos desererent. Isthmo autẽ munito, eos iam omnia *De Plataica pugna.* Peloponnesi in tuto esse ratos, reliquos etiam facilè contemsisse, domíq; dies agitasse festos, & Atheniensium legatis illusisse ac per iocum detinuisse. Quomodo ergo factum est, vt Sparta ad Platæas proficiscerentur viri ↀↀ, quorum quisq; secum helotas septem duceret: aut quomodo tam grandi periculo se obiicientes, vicerunt, deiecerúntq; tot hominum millia? Audi verò causas probabiles. Fortè, inquit, Spartę tum peregrinabatur Tegeates quidam, nomine Chileus, cui amicicia & ius hospitij cum « Ephoris quibusdam intercedebat. is ergo Spartanis persuasit, vt exercitum emitteret. «

» monens istā isthmi munitionem, qua Peloponnesum intercepissent, nullius fore mo» menti, si Mardonio se Athenienses adiunxissent. Hoc ergo consilium Pausaniā cum exercitu ad Plataeas eduxit. Quod si Chileum istum Tegeae aliquod priuatum negocium occupasset: actum scilicet erat de Grȩcia. Rursus quia nesciebat quo modo ageret cum Atheniensibus: sursum deorsumq; eam iactat ciuitatem. Ait eos de secundo loco cum Tegeatis in contentionem ingressos, mentionem Heraclidarum fecisse, & acta adversus Amazones protulisse, vtq; sepeliuerint Peloponnesiôs qui sub Cadmia occubuissent: deniq; etiam ad Marathonem vsq; sermone descendisse: cùm ambitiosȩ ista proferentes, tamen contentos se fore ostenderent sinistri cornus praefectura. paulò pôst ait Pausaniam iis & Spartanos de principatu concessisse, hortatósque fuisse vt in dextro cornu contra Persas pugnarent, sinistrúmq; ipsis daret, qui se imperitos pugnae adversus barbaros excusarent. Est verò ridiculum non velle pugnare in hostem, nisi cum eo pugnare consueueris. Caeterùm reliquos Graecos in alia à ducibus translatos castra, cùm essent victi: equitatum ait non sine lȩticia fugisse ad Plataeensium vrbem, itáq; ad Heraeum pervenisse. Quo quidem loco & contumaciam, & ordinū desertionem, & proditionem vniuersis ferè obiicit. Ad extremū inquit solos Lacedaemonios & Tegeatas cum barbaris, Athenienses cum Thebanis cōgressos depugnasse: reliquas ciuitates ex aequo omnes laude victoriae defraudans, dum pronunciat neminem certamini socium se adhibuisse, sed armatas desedisse omnes, proditis & desertis qui pro ipsis depugnabāt. Serò quidem Phliasios & Megarenses audito Pausaniam vincere, accurrisse, cúmq; in equitatum incidissent Thebanum temerè, periisse. Corinthios pugnae non interfuisse. parta victoria dum per colles properant, evitasse Thebanorum equites. Nam Thebani fusis barbaris equitatu suo prȩcedentes, promtè fugientibus opem ferebant. nimirum vt pro impressis apud Thermopylas notis gratiam iis referrent. Caeterùm Corinthij in Plataica adversus barbaros pugna, quales, quo loco fuerint, quem finem consecuti, audire licet Simonidem sic canentem.

Athenienses.

In medioq; Ephyre quos misit diues aquarum
Fontibus & belli munera gnara manus:
Quiq; Vrbem Glauci pulcram tenuere Corinthum,
Indicium antlati grande laboris habent
Auri, quod miramur in aethere: at decus ipsis
Et fama augetur nominis, & generi.

Haec enim non Corinthi vt qui artem demonstraret, aut carmen in vrbis laudem conderet, sed vt qui propter facinora ista elegias scriberet, composuit. Sed Herodotus, dum antevertere vult hanc obiectionem, qua aliusvis interrogando vtens mendaciū eius evinceret, quaerens vnde tot Polyandria, arcae, & monimenta mortuorum, vbi etiamnum Plataeenses in praesentia Graecorum parentant * turpius, nisi fallor quàm » proditionis crimen gentibus eo modo impegit. Sic enim loquitur. Reliquorum quae » visuntur apud Plataeas sepulcra, audiui ego turpitudine motos quòd è pugna profu» gissent, vnumquenq; inanem condidisse tumulum, posteritatis causa. Hanc proditionem & desertionem pugnae solus hominum omnium inaudiuit Herodotus. Pausaniā enim, & Aristidam, & Athenienses & Lacedaemonios fefellerunt Graeci qui se subduxissent è periculo. ac neq; Aeginetas ipsis adversarios inscriptione excluserunt Athenienses: neque Corinthios arguerunt, quòd ante partam victoriam à Salamine fugissent. contrà testimonium Graecia perferente. Equidem Cleadas Plataeensis, decem post Medicum bellum annis gratificans (vt ait Herodotus) Aeginetis, Polyandrium aggerauit ab iis nomen habens. At verò quî factum est, vt de trophaei erectione statim à bello confecto Athenienses & Spartani poene etiam manibus consertis litem transegerint? & tamen Graecos fuga à proelio deterritos non arcuerint ab honore eorum qui rem optimè gessissent? sed & in trophaea ac colossos eos inscripserint, & de spoliis partem concesserint? Deniq; arae hanc insculpsere inscriptionem.

* Graeci.

Hanc quondam Graeci superatis hostibus aram,
Libertas patria cùm sua tuta stetit,
Et profligatis seruata, est Graecia Persis,
Munus Eleuthario constituere Ioui.

Num

Num hoc quoq; Cleadas, Herodote, aut alius aliquis adulando vrbes demerens scripsit? Quid ergo necesse habuerunt terram fodiendo inanem laborem impendere, tumulos conficere, & monumēta posteritatis causa statuere? cùm viderent gloriam suã in illustrissimis & maximis donariis consecratam. Pausanias quidem, cùm iam ad tyrannidem adspiraret, Delphis hoc inscripsit.

Isthuc Pausanias Phœbo posuit monumentum,
Medos Græcorum dux quia perdiderat.

vtcunque Græcis gloriam deferens, quorum se ducem profiteretur. Cùm autem id Græci non ferrent, sed vitio verterēt Spartanis: hi Delphos miserunt, qui exscinderēt illud epigramma, & vrbium nomina, vti iustum erat, insculpserunt. At enim quomodo probabile est, aut Græcos indignè tulisse in inscriptione sui non fieri mentionem, siquidem sibi conscij erāt desertionis: aut Lacedæmonios ducis sui nomine eraso desertores inscripsisse, & eos qui se periculo communi subduxissent? Enimverò indignissimum fuerit, Socharem, Depnistum, & alios omnes, qui se eo in prœlio præclarissimè gesserunt, æquo animo ferre vt Cythnij etiã & Melij inscriberentur trophæis: Herodotum tribus duntaxat vrbibus certamen illud adscribentem, reliquas omnes è trophæis & sacris donariis eradere. Quippe cùm quater sit tunc adversus barbaros pugnatum: ab Artemisio profugisse Græcos ait: ad Thermopylas Lacedæmonios rege ipsorum discrimen mortis adeunte, domi securos desedisse, Olympia & Carnea celebrātes. Item verò ad Salaminem gestã narrans, plura de Artemisia verba fecit, quàm de toto prœlio. Deniq; apud Platæas Græcos desedisse ociosos, & ad finem vsq; ignorasse pugnam, velut ranarum quodam & murium duello facto. vt Pigres Artemisiæ * frater in suo carmine iocans & nugans ait Spartanos de composito tacitè pugnasse, ne alij exaudirent. Ipsos autem Lacedæmonios fortitudine nihil præstitisse barbaris, sed vicisse, quia in nudos & inermes pugnarent. Nimirum Xerxe ipso præsente ægrè à tergo flagellis impulsi cum Græcis congressi sunt barbari: ad Platæas aliis animis sumtis, audacia quidem (inquit Herodotus) & robore inferiores non erant: sed vestis « armorum expers ipsis nocuit, cùm nudi adversus grauis armaturæ hostem pugnarēt. « Quid ergo relinquitur magnum aut memorabile Græcis ex istis certaminibus? quãdo Lacedæmonij cum inermibus pugnauerunt; reliquos præsentes prœlium fefellit, inania polyandria vbique coluntur, mendacium inscriptionem pleni tripodes, plenæ aræ stant coram diis: deniq; solus Herodotus veritatem habet cognitam: reliquos omnes homines, quicunq; aliquam Græcorum rationem habent, decepit fama istorum facinorum, vt præclaras & admirandas res gestas putarent. Quid ni? Homo est scribendi gnarus, oratio iucunda, venustate & vi quadam prædita, & narrationibus inest elegantia, ac

Sermonem, veluti cantor ——

non quidem scitè, sed tamen suauiter proposuit. Verùm sicvt in rosa cantharides, ita hæc cauendæ sunt calumniæ eius & invidentia, sub læuibus & teneris latentes figuris verborum: ne per imprudentiam absurdas & falsas de præstantissimis atque maximis Græciæ vrbibus & viris opiniones concipiamus.



FINIS.

IN PLVTARCHI CHAERONAEI OPERA MORALIA INDEX RERVM ET VERborum copiosissimus.

Adcur-

alphi

Ani-

Aristippi

de Co=

deipnon

E

F

Fff 3 fons

H

Hippa-

hordei

insomnia

Krusis

M

mulieri

musica

nomina

O

oleum

P

palla-

phaglius

philoso-

pictura

in Pla-

prandij

pulmoni

R

repu-

S

simplicia

stoma-

vultu-

FINIS.

ERRATA PAVCVLA OPERARVM INCVRIA commissa, sic corriges.

Pag. 6, lin. 39 in margine lege, instituendis non conveniunt 14,30 Agamemnon 16,29 retraxit, luxuriæq; 33,27 γειδῶν 33,43 μάλ' 40,57 sumsit 63,50 fuerat 65,2 226 in margine 67,27 idoneum 69,7 Omen 70,47 quidam 71,17 accipiunt Rationem cui 72,24 perturbat 73,41 salutationes 76,41 corporis 79,34 qui 80,8 qui 84,46 adversa bonorum proscindunt 88,4 cogitare, amicus 109,4 eis 115,51 tanquam 101, & 103 pro Adul. & Amici discrim. lege, Profect. virtut. sent. 127,35 laudationibus 139,49 risum, 143,8 quàm 158,31 Mundus 223,1 sese exuendi 231, permutationibus 309,15 odores 311,30 DEMOCRITVS dotis 317,41 Metius Suffetius 320,34 eam 321,1 Meryllus 321,51 Pisistratus 336,41 Apollodorus 377,50 à Lare initio, 402,32 lictorẽ 416,17 putamus 418,29 irritato 439,40 PLVTARCHI, 440,21 maritimum 442,26 Leænam 446 pone 449 494, in margine. Exempla senilium actionum 510,32 Sylla 513,35 Thraseas 547,5 Audite 579, è regione 584,25 Lycurgi filiis 612,2 acumne 613,49 ferat 650 Odi memorem 626,15 mullum 632,3 multiplicando, 675,19 perturbat, senuum 676,1 vitex etiam, 685,3 quæstio 687,40 bulbos 697,48 dicta fuerunt, 705,44 felres 706,30 permixto 763,29 de seipso 764,26 eam 769,29 Aethiopes 769, per totum librum lege in titulo In orbe pro in ore 773,3 sanguinem 31 vua 775,40 occiduum, terra, 781,31 ipsa 789,16 præbere 791,46 vt si Kylindrum 793,5 soluto 817,50 iis 835,18 præcipua 846,3 puerulis 848,54 Lacedæmonij

BASILEAE, PER THOMAM GVARINVM, M. D. LXX.


PALMA GVAR.